TRINA PAULI THEOLOGIA POSITIUA, MORALIS, MYSTICA SEU...

George m. 1661 Godier, François Cars




6
35
16

TRINA PAVLI THEOLOGIA

POSITIVA, MORALIS, MYSTICA,

SEV

OMNIGENA IN VNIVERSAS APOSTOLI EPISTOLAS COMMENTARIA,

TOMVS SECVNDVS,

Complectens Epistolas ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses.

Auctore R.P. GEORGIO AMBIANATE, Minoritâ Capucino, Parisiis apud suos Professore Theologo.





LVGDVNI,

Apud VIDVAM DION. THIERRY, viâ Iacobæâ, sub signo Sancti Dionysij.

M. DC. LXIV.

Cum Priuilegio Regis, & Doctorum Approbationibus.

SCRIPTOR SAPIENTI.

NVLLVS non aurem erigit, dum se sapientem esse præsumit: sed non omnis sapit, qui se sapientem dicit: imò dum dicit, à verâ excidit sapientia: *Nemo sapiens est,* (*vti definit Tertullianus*) *nisi fidelis.* Sed nec fidelis omnis, sapiens est, nisi regulæ insistat suæ, sapientiamque per diuinam acquirat gratiam. *Quis igitur sapiens, nisi qui ad ipsa peruenit diuinitatis secreta,* (*ita Ambrosius*) *& manifestata sibi cognouit occulta sapientiæ? Solus igitur sapiens, qui duce Deo vsus est ad cognoscenda veritatis cubilia: & mortalis homo immortalis Dei hæres & successor est factus per gratiam.* Causa erroris inde nata est, quòd fallit vmbra corporis, imponitque: nec satis scientem inter ac sapientem distinguitur, nec vera satis à falsâ secernitur sapientiâ. Inflat vna, altera ædificat: habet enim illa plurimum noxiæ vanitatis, ista verò thesaurum sinceræ continet charitatis. *Tertullian. lib. de præs. cap. 3.* *Ambros. Simpl. in Psalm. 104.*

Sapientiam loquimur, sed vt dicam ex Augustino, *Loquimur de hominis sapientiâ, verâ tamen quæ secundum Deum est.* Nam sicut in Tomo primo gratiam produximus Christianam, per quam extinctus est Iudaïsmus; sic & in isto diuinam exponimus sapientiam, per quam mundus deuictus est. *Homines igitur hominibus loquimur (ait ille) & rectè scripturarum tractatores dicimur, non nostrarum opinionum affirmatores.* Equidem, vt monuit Gregorius Theologus: *Doctrina, res est omnium inuidiosissima.* Vnde & de paribus, ne dicam & de fratribus, non tam enarrat quam laudat, animorum affuisse concordiam, inuidiam abfuisse studiorum. Idcircò, patres adhibui in testes, nec tam opinionis meæ, quàm volui, fascino auertendo, Christianæ vindices religionis. *Nec enim dicemur ipsi nobis finxisse materias,* (*ita ex Tertulliano*) *quas tot iam viri sanctitate & præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt.* *Augustin. lib. 4. de Trinit. c. 1.* *Augustin. serm. 2. in die Pent.* *Gregor. Nazianz. orat. 20.* *Tertullian. lib. adu. Valent. c. 5.*

Multa sunt equidem etiam apud ipsos, quæ fidem non faciant Christianam, sed opinionem relinquant liberam. *Quodlibet horum quis eligat, inquit Augustinus, cum fide non litigat.* Sunt & alia, quæ propiùs accedunt, sed attingunt obscuriùs. *Et ecce initium presuræ, à non intelligentibus, & aliud pro alio sentientibus.* Infirmitati nihilominùs ignoscendum est, & indesinenter adstudendum charitati. *Vtile est enim plures libros à pluribus fieri, diuerso stylo, non diuersâ fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, & ad alios sic, ad alios autem sic.* (*Ita concludo cum Augustino*) *At si ille qui se ista non intellexisse conqueritur, nulla vnquam de talibus rebus diligenter & acutè disputata intelligere potuit, secum agat votis & studiis vt proficiat, non mecum querelis & conuitiis vt taceam. Qui verò hæc legens dicit, intelligo quidem quid dictum sit, sed non verè dictum est: asserat si placet sententiam suam, & redarguat meam, si potest. Quisquis verò cum legit, dicit: hoc non benedictum est, quoniam non bene intelligo: locutionem meam reprehendat, non fidem: & fortè verè potuit dici planiùs: verumtamen nullus hominum ita locutus est, vt in omnibus ab omnibus intelligeretur.* Si nullus hominum: non ergo extrà discrimen, licet extrà crimen: non enim is sum ego qui de meâ præsumam industriâ, sed talis qui in diuinâ confidam misericordiâ. *Magna scientia, ista confidentia.* *Augustin. Tract. 84. in Ioan.* *Augustin. Tract. 103.* *Augustin. lib. 1. de Trinit. c. 3.* *Augustin. serm. 9. de verb. Apost. c. vlt.*

Monitum ad Lectorem.

IRrepserunt quædam errata in hoc secundo Tomo, quæ magis artificum incuriæ, quàm Authoris intentioni sunt adscribenda: cum ex reliquo Libri contextu sana eius in fide doctrina possit manifestè deprehendi. Igitur Pag. 226. col. 2. pro, per me operante, *lege* mecum operante. Item pro, sed gratia Dei, quæ mecum est, *lege*, sed gratia Dei mecum. Pag. 387. col. 1. pro, omni iure destituti, *lege* vsu destituti. Pag. 611. pro, vtique si Deus dederit, *lege* vtique cùm Deus dederit. Pag. 650. *ad hæc verba* in illis, est creatio, eruditio, operum omnium contemplatio, *adde* inspiratio, & aliquando iustificatio, cum pluribus aliis gratiis internis, ex quibus emergit capacitas salutis &c. Pag. 707. pro, per culpam, *lege* ob culpam.

Ego F. Basilius Parisinus Prouinciæ Parisiensis FF. Minorum Capucinorum Minor. Prouincialis licet immeritus.

VIsâ Adm. Reuerendi Patris nostri Generalis licentiâ, quâ permittitur Reuerendo Patri Georgio Ambianati Ordinis nostri, & Prouinciæ Concionatori, Professorique Theologo typis mandare Opus cui titulus est *Paulus trino datus eloquio, seu Pauli Theologia, Positiua Moralis, & Mystica*: cum Tomum primum, qui hactenus à te fuit in lucem editus, ab eruditione pietati conjuncta commendari nouerim; proculdubiò spero alios duos Tomos bono publico de eadem materiâ nec non sub eodem titulo quoque prodituros esse, quos insuper elucubrasti, & duo ex nostris ad hoc destinati Theologi approbarunt. Libenter igitur consentio; vt accedente eorum ad quos spectat licentiâ, & approbatione illos prælo subiicere valeas. Datum Lutetiæ Parisiorum quinto Calendas Octobris Anno Saluatoris Incarnati, sexcentesimo quinquagesimo nono supra millesimum.

F. BASILIVS, Min. Prouincialis. ind.

Expressa & impressa Doctorum Professorumque tum Sorbonicorum, cum Franciscanorum approbantium, elogiis abdicatis, nomina.

ET hunc Tomum secundum Commentariorum in D. Pauli Epistolas à R.P. Georgio Capucino editum, legi & probaui.

M. GRANDIN.

Absente D. de LESTOCQ.

Probo & ego

F. L. de FREMONT.

HÆc in D. Pauli gemellas Epistolas R. P. Georgij Ambianatis Concionatoris Capucini, nec non Sacræ olim Theologiæ Professoris commentaria, nos subscripti legimus & probauimus.

F. SILVERIVS Parisinus, Con. Cap.
& Sacræ Theolog. in mai. Conuentu Professor.

F. GABRIEL Ambian. Con.
& Sa. Theolog. item Professor.



IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMAM.

ARGVMENTVM.

ACtum est de epistolâ ad Romanos, & quidem omnium primò, licèt non sit omnium prima. [Neque enim, vt dixit, Chrysostomus, vt multorum fert opinio, cæteras omnes tempore præcessit. Nam quæ ad Corinthios scriptæ sunt ambæ, ante hanc scriptæ fuere.] Quinimò nec istæ ante cæteras omnes conscriptæ sunt: Sed sicut illa quæ ad Romanos est, præstat omnibus ob imperium mundi; sic & ista præstat cæteris, ob primatum Corinthi. Tunc enim, teste Chrysostomo, [Corinthus erat prima ciuitas Græciæ, cum miserè se haberent res Lacedæmoniorum & Athenensium, & eorum antiquum corruisset imperium] Sed quod honori erat, factum est dedecori: & quod in lucrum computari poterat, visum est in detrimentum commutari. Quidam ex externis scriptoribus locum appellauit ἀφνειὸν, idest, vberem & copiosum; tam vtilem Philosophis, quàm mercaturis idoneum. [Videns ergo diabolus ciuitatem magnam & populo frequentem apprehendisse veritatem, & propter diuitias & sapientiam haberi in admiratione, & esse caput Græciæ: homines diuisit: sciebat enim etiam omnium potentissimum regnum in se diuisum non esse staturum.] Struxit igitur insidias, & quamuis diuitias in periculum præstruxerit, mundanam tamen sapientiam adstruxit in exitium. [Hæc enim, vt definit Chrysostomus, nascebantur omnia ex externæ Philosophiæ amentiâ, eaque erat mater malorum, quòd sua permittebant ratiocinationibus.] Incipit igitur Paulus à scisione; sicut icto vulnere gliscit febris inducitque corruptionem humorum; ita facto schismate, pestis subintrauerat, & morum adduxerat corruptionem. Suborta igitur inde vitia castigat Apostolus, Corinthiosque iam deuios ad veram fidem, & Euangelicam reuocat sapientiam.

Chrysost. in prol. ep. ad Rom.

Chrysost. in prol. ep. 1. ad Corinth.

Thucyd. lib. 1.

Chrysost. in prol. ep. ad Corinth.

Chrysost. ibidem.

Externa Philosophia, causa malorum, dissidiorumque.



CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

CAstigat Paulus insolentiam Schismatis, crucisque commendat sapientiam. Erunt igitur partes duæ suis titulis respondentes ac congruæ.

PARS PRIMA.

De castigatione Schismatis.

TEXTVS.

PAulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: quòd in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientiâ: Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita vt nihil vobis desit in vllâ gratiâ, expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in die aduentûs Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententiâ Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab ijs qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrûm dicit. Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizaui, nisi Crispum, & Caïum: ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterùm nescio si quem alium baptizauerim. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: non in sapientiâ verbi, vt non euacuetur crux Christi.

EXEGESIS LITTERALIS.

NOVIT Apostolus præfari honorificè, nescit sordidè adulari. Parandi ad ictum erant Corinthii, idcircò animum lenit, dum magnificum præmittit procemium.

[Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per A voluntatem Dei, &c.] Aliter ad Romanos exorsus est Paulus, aliter ad Corinthios. Ad illos: [Paulus seruus Iesu Christi.] Ad istos: [Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi.] Alterâ nimirum illorum & istarum causâ. Nam apud Romanos quæstiones erant de lege. Ideò, vti dixit Ambros. [Seruum Christi Iesu se profitens, à lege se exutum ostendit.] Apud Corinthios contentiones erant de missione.

Ambros. in cap. 1. ep. ad Rom. & in cap. 1. epist. 1. ad Corinth.

[Hic ergo Apostolum se esse Christi Iesu Dei voluntate scribit: quia omnia quæ egit, Filij Dei egit voluntate, qui dixit ad Paulum, Vade, ego longè ad gentes mittam te.] Apostolus, sed vocatus, nec simplici vocatione, sed cœlesti dignatione: suam enim voluntatem aperuit Deus, cum istam mihi dignitatem imposuit. [Et Sosthenes frater, &c.] Hic quasi alter Apostolus, primò enim princeps Synagogæ Corinthiacæ, tum & inter primores & doctores Ecclesiæ. Idcircò in causâ Pauli: [Apprehendentes omnes Sostenem principem Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal.] Habes illum in martyrologio Romano 4. Kal. Decemb. [Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, &c.] Fortean plures erant congregationes fidelium, nonnullæ & Iudæorum synagogæ, sed vna Dei Ecclesia. [Non huius illiusue dicit Ecclesiam, ait Athanas. sed Dei, quasi dicat: Quòd si estis Ecclesiæ nomen sortiti, necessarium est vt iuncti & vnanimes sitis, quandoquidem Ecclesia vnitas quædam & conuentio interpretatur.] Ita sensim ad propositum accedit, nec vllum edit verbum, quod instituto suo non sit appositum.

Paulus cur Romanis seruus, Apostolus Corinthiis.

Actuum c. 18.

Athanas. in Paulum.

[Sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, &c.] Regeneratis ex Christi merito, & ex proposito Dei ad pietatem destinatis sanctitatemque. [Quia regenerati in Christo, ait Comment. Ambros. sanctificati sunt: sed quidam illorum prauâ pseudoapostolorum doctrinâ euersi. Ideò, vocatis sanctis. Hoc est, vocati estis vt sancti sitis.] Hæc vestra vocatio, hæc & vestra vacatio. [Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro, &c.] Quasi epistolam scribat encyclicam, præscribatque vnam esse fidelium omnium, non singularem, sed communem Ecclesiam. [Nam, vti loquitur Chrysostomus, etsi eæ litteræ solùm scriptæ sint ad Corinthios, meminit tamen omnium fidelium, qui sunt in terrâ, ostendens quòd, quæ est in toto orbe terrarum, Ecclesiam oportet esse vnam, licèt multis locis separatam. Si enim locus separat, sed Dominus eos coniungit, cum sit communis. Quamobrem eos quoque vniens, subiungit, & nostri & ipsorum.] Si dominus locorum omnium vnus est, vnus & Deus omnium vbique fidelium. Itaque sicut qui diuersos habent dominos aduersosque, etiam in eodem discrepant loco; sic & qui vnicum habent Dominum, concordant in locis etiam diuersissimis. [Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Bona verba, fausta & læta nuntia. Iam vocati estis, quid est, vocati estis? [Non accessistis primi: neque enim vos priùs credidistis, sed vocati estis, & vocati obediistis.] Gratia est, diuino indulta proposito: sed illam opto multiplicari, illam opto cumulari. [A Deo ea vobis sit gratia (ita Comment. Athanas.) quam olim ipsi cum inimici essemus, iam consecuti; pace vtimur, eandem & vobis vt præsto sit comprecamur. Nec vltra à pace eiusmodi excidatis optamus, qui factionibus nunc & quibusdam inter vos simultatibus dissidetis.]

Comment. Ambros.

Chrysost. orat. 1.

Deus locorum omniū & locatorū Dominus.

Chrysost. ibidem.

Comment. Athanas.

[Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu,

A &c.] Hucusque salutatio. Nunc gratiarum actio. Noua etenim subinde beneficia percipit, qui agnoscit vetera. Paulus ergo in gratiis Deo agendis, ob beneficia ac munera gratuitò in Corinthios ipsos per Iesum Christum collata. [Datam dicit gratiam à Deo in Christo Iesu, ait Comment. Ambros. quia hoc constitutum est à Deo, vt qui credit in Christum, saluus sit sine opere, solâ fide gratis accipiens remissionem peccatorum.] Itaque, [in gratiâ.] Idem, quod de gratiâ. [Quòd in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientiâ, &c.] In omni re ad pietatem salutem-ue spectante per Christum ditati, & cognitione & B expressione affatim donati. [Est namque, vti dixit Athanas. & sine scientiâ verbum, vtpote cum quis nullo sensu superuacanea narrat. Est præterea & sine verbo scientia, videlicet cum altiora quispiam cogitatione & mente complectitur, caret tamen quo illa explicare queat, sermone. Vos verò, inquit, & sermonem habetis, & Dei scientiam, itaut intelligendi & loquendi vobis insit facultas.] Diuites facti estis: sapientes facti estis: non iam secundùm hominem dico, sed secundùm fidem intelligo. [Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, &c.] His quippe donis, tanquam certo testimonio constat vos esse Christi, & eius gratiam accepisse non modicam. [Non per ex- C ternam, inquit, philosophiam, neque per externam eruditionem, sed per Dei gratiam, diuitiasque & scientiam, & verbum à Deo datum] ita Chrysostomus.

Comment. Ambros.

Athanas. in Paul.

Corinthij in quo diuites, in quo sapientes.

Chrysost. orat. 2.

[Itaut nihil vobis desit in vllâ gratiâ, &c.] Itaut nullo dono destituti sitis, munere omni, omni sitis charismate prædit. Legit Ambros. [Itaut vobis in nullo desit aliqua gratia.] In Græco, χάρισμα. [Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in die aduentûs Domini nostri Iesu Christi, &c.] Vobis, inquam, qui Christum expectatis venturum, speratisque vos ad eiusdem gloriæ assumendos D consortium. Reuera enim Deus seruabit vos innoxios, firmabitque vsque in finem, ideoque in diem extremi iudicij. Qui enim electi sunt, aut non excidunt, aut si excidunt, ante diem istum, crimen eluunt. [Manifestum est, ait Ambros. hunc expectare diem iudicij, qui circumspectus sollicitus est. Futurum iudicium Dei dicit, in quo Dominus noster Iesus Christus reuelabitur, tam fidis quàm infidis, vt cognoscant increduli ac sciant verum esse quod credere noluerunt, & pereant: fidi verò gaudeant plus boni inuenientes, quàm putauerant.] Et id quidem in cogitationibus accusan- E tibus, aut etiam defendentibus. [Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri, &c.] Qui habet aurem audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Vos enim conuenio vocatos à Deo, vt & ab ipso electos, & dico vos inculpatos, in die Domini sistendos. Fidelis enim Deus & verax, qui facit quod promisit. Sicut ergo vocati estis secundùm propositum in Christi consortium, sic & secundùm idem beneplacitum in Christi regnum estis assumendi, dum ante Domini diem, in finem vsque irreprehensibiliter, &,

Ambros. in Paulum.

Electi speciatim in Apostolicis litteris memorati.

vt ita dicam, innocenter estis diuinâ deducendi gratiâ. [Hoc est, vt ait Athanas. veridicus est Deus. Itaque si nihil ille mentitur,& vos ad filij sui vocauit societatem, idest vt suo in regno cum filio vnà & vos gloriâ donet, perspicuum est Deum omninò quæ promisit facturum.]

Athanas. in Paulum.

[Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: vt idem dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, &c.] Hucusque honorificè præfatus est Apostolus, nunc ictum parat, sed adhuc blandè, licèt sanctè; leniter adhuc, licèt grauiter. Obsecrat enim, sed per nomen Domini, per eum quem Christum Iesum nominant, quem vt & Dominum Deumque inuocant. Quid porrò obsecrat? vt idem omnes dicant, idem sentiant; nec in ipsis dissensiones sint factionesque. [Omnes nunc orat, ait Comment. Ambros. vt vnum sentiant, hoc vtique in quo renati Dei filij appellati sunt. Ad omnem enim Ecclesiam modò loquitur, vt ij qui dissentire cœperant, reuerterentur ad acceptam fidem, quam videbant in his laudari qui in illâ perseuerabant.] Non tamen illi Catholicam deseruerant Ecclesiam, sed fraternam læserant concordiam. [Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententiâ, &c.] Tam perfecta sit inter vos amicitia, concordia tam integra, tanquam inter eos, qui vnâ mente, vnâ & voluntate sunt prædití. [Quoniam, ait Athanas. suprà, vt vnum loquerentur omnes iniunxerat, ne existimarent verbo tenus hanc animorum coniunctionem seruandam, & in eodem sensu, adiecit. Hoc est, vt idem sentiatis. Cumque & multi in aliquâ re vnâ sint conuenturi, in aliâ minimè, & perfecti sitis, adiunxit. Hoc est, omnibus in rebus, idem cunctis sit animus.] Vult perfectè eos concordare, seu in nullo discrepare. [Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos, &c.] Nec id absque causâ moneo, quin & ex causâ doleo: cùm acceperim ab iis qui sunt de domo Chloës sororis nostræ, nobilis fœminæ, rixas esse inter vos, verborumque pugnas, ne dicam & mentium diuisiones: nec id à vobis acceperim, sed ab aliis, à quibus Corinthiorum cognouerim contentiones.

Comment. Ambros.

Athanas. in Paulum.

Perfecta concordia, cum idem velle, & idem nolle.

[Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrûm dicit, &c.] Id refero quod mihi relatum, quod mihi dictum est repeto, dum vnus istud dicit, iste dicit aliud. [Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego verò Christi. Diuisus est Christus? &c.] Sunt illæ sectæ, quibus ille dicit, ego sequor Paulum, tanquam meliorem magistrum; iste reiicit, & ait, ego sector Petrum, aliumue, quasi digniorem aut eloquentiorem. Quasi Iudæi in Petrum propensi, Græci inter Paulum & Apollo diuisi: vt quisque ab vno vel altero formatus esset, baptizatus-ue, huius vellet tam filius esse, quàm & discipulus. Alij autem rem ab integro resumebant, seque ex baptismo accepto, non Petrianos volebant aut Paulinianos, sed Christianos. Tamen si primi in factione perseuerent, vel isti quasi ex scissione alteram cogitent sectam, diuisus est Christus. Quid ergo facitis, quid & sentitis? Nunquid apud vos diuidetur Christus, nunquid in diuersas scindetur partes,

A variasque factiones? Quidni omnes dicitis, Ego sum Christi, sicut & Dei sum: Christianus sum, totus Deo & Christo addictus? Diuisum dicit Christum, ait Ambros. quia gloriam eius homines sibi partiti sunt. Sicut hæretici, qui se aut Photinianos, aut Donatianos vocari non horrent: ita & Corinthij diuersorum hæreticorum nominibus subiici cœperunt, vt viderentur loco Christi homines venerari, qui dum diuersa de Christo accipiunt, diuidunt Christum. Nam hos quos nominat, sine dubio boni erant doctores: sed sub eorum specie falsos Apostolos tangit. Si enim in his gloriandum negat, quantò magis in malis doctoribus, quorum doctrinam prauam in subiectis significat?]

Ambros. in Paulum.

Quomodo mali sub figurâ bonorum repræsentati.

B Bonos quidem adducit, sed sub eorum figurâ vel vmbrâ malos percutit. [Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?] Nunquid Paulus suo sanguine vos redemit, vt illi sitis addicti? Nunquid in nomen Pauli baptizati estis, vt sitis Pauliniani quasi in familiam Pauli non Christi, sitis adscripti? [Proprium nomen producit in medium, ait Comment. Athanas. ne videatur liuore ductus, aliorum nomina recordari.]

Comment. Athanas.

[Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizaui, nisi Crispum, & Caïum: ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis, &c.]

C Gaudeo diuinâ factum esse prouidentiâ, vt paucculos baptizarim, ne quis se iactet baptizatum à me; imò in ditionem meam potestatemque transcriptum improperet, tanquam mea sanctificatum gratiâ. εἰς τὸ ὄνομα, in nomen: quod non solùm virtutem significat, sed & auctoritatem, & quasi ius herilis repræsentat potestatis. Duos autem nominat, Crispum, & Caïum: sed dum nominat, per exceptionem firmat consuetudinem. Quis ille Caïus? Hospes Pauli, dum esset Corinthi. [Salutat vos Caïus hospes meus.] An hospitem suum suis manibus baptizare detrectaret? Quis Crispus? primus Pauli discipulus, cùm prædicaret Corinthi.

Rom. c. 16.

D [Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo suâ.] An filium primogenitum aliis regenerandum committeret? Hoc ob fidem exauctorato, Sosthenes in principem electus: qui postea tamen similiter conuersus, non tamen similiter à Paulo postea baptizatus est. [Multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.] A quo? certè non à Paulo. Ministros enim statim instituit, quos & ad actum adhibuit. [Baptizaui autem & Stephanæ domum.] Quis ille Stephanas? [Vir sanè, ait Athanas. egregius & insignis.] Sed dicat Paulus.

Actuum cap. 18.

Athanas. in Paulum.

E [Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci: quoniam sunt primitiæ Achaïæ, & in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos.] An id recusabit Paulus? imò totam baptizabit familiam. [Cæterùm nescio si quem alium baptizarim. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.] Si quis fortè alius à me baptizatus sit, iam non memini. Apostolatus enim meus non tam in baptizando quàm in prædicando positus est: ad hoc quippe principaliter missus sum, ad hoc & specialiter destinatus. [Non in sapientiâ verbi, vt non euacuetur crux Christi.] Ideo euangelizo, ideo prædico;

Cap. vlt. epist.

Apostolatus non in baptizãdo, sed in prædicando positus.

sed non eloquentiâ mundanâ, ne vana sit crucis potentia. Ita enim, vti dixit Chrysostomus [Præclara erit victoria.] Sed iam ad alia transitum facimus, ideoque contextum abscindimus.

Chrysost. orat. 3.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

REdeant quæstiones, sed abeant contentiones. Boni enim ac pij, vti decernit Augustinus: [Quod ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt, si quid quærendum habent, vt obsit concertatio periculosa quærenti; vel ei cum quo quæritur, vel eis quæ differentes audiunt.] Hoc igitur proposito sit.

Augustin. lib. quæst. Euang. secund. Matt. 11.

DISQVISITIO PRIMA.

Quomodo Corinthij sine fuco à Paulo laudati?

SI ingressum legas epistolæ, nihil laudabilius Corinthiis; si perlegas progressum, nihil ipsis damnabilius, ne dicam & abominabilius. [Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes.] Quid hoc cum præmissis elogiis?] In omnibus diuites facti estis, in omni verbo & in omni scientiâ: ita vt nihil vobis desit in vllâ gratiâ.] An igitur ironia est, etiam in bonis, sed falsis, id est veris malis vsitata? [Iam saturati estis, iam diuites facti estis: & vtinam.] Non aduertitis vos nec saturatos esse nec diuites? Imò nescitis vos egenos & pauperes? Sed si Corinthij non in Christo ditati, qua de re, & sine intermissione gratias Paulus agit Deo? An de nihilo? Imò an de malo? De bono certè. Græci περὶ ὑμῶν. [De vobis] De gratiis in vos collatis, de tot ac tantis beneficiis. [In gratia Dei.] Super gratiâ Dei. Seu, vt ex Græco, [De gratiâ Dei,] Quæ in vos abundè & copiosè effusa. Nec obstat, quòd dicat, [Deo meo:] Quasi secernat, aut cum ipsis tanquam peruersis non conueniat. [Ex magnâ enim affectione, ait Chrysostomus, rapit quod est commune, & facit proprium, vt ipsi quoque hoc dicant, & ante omnia Deo gratias agant. Nihil enim æquè Deo gratum, atque grati esse animi, & gratias agere tam pro se quàm pro aliis. Nam qui agit gratias, & tanquam beneficio affectus agit gratias, & propter gratiam gratias agit.] Ille mos olim propheticus, tum & Apostolicus, imò cuiuis diligenti proprius. Ideoque, vt & ille obseruat, adhortatio potius est quàm separatio. Seriò ergo locutus est Apostolus: sed inde augescit difficultas, vbi nec veritas deficit, aut grauitas. Quomodo enim sine fuco præfatus est, si seriò, si sine mendacio prælocutus? an simul & laudare potuit vt optimos, simulque vt pessimos damnare? an simul extollere vt sanctos potuit, & vt impios deiicere?

Cap. 5. epist.

Cap. 4. epist.

Chrysost. orat. 2.

Qui diligũt Deum, sibi rapiunt vt proprium.

Simultas illa etsi temporum est, non tamen personarum. [Quamquam enim omnibus in Ecclesia scribat Apostolus: (verba sunt Ambrosij) ita tamen significat, vt cum aliquando corripit, aliquando laudat, vnusquisque, cum epistola legitur, intelligat, quid pro se, quid aduersum dicatur, in vna enim plebe duobus populis scribit, vt cum arguit, qui malè conuersantur, sciant sibi hæc scripta: similiter & cùm laudat, sciat qui in regula manet, ad se hæc dici.] Et quidem rectè: nam vt notauit Chrysostomus probauitque: [Non erat verisimile omnes Corinthios fuisse corruptos, sed quosdam in eis esse etiam valdè sanctos.] Itaque tenorem seruat scripturarum, quibus familiare est ita distinguere. [Scripturæ mos est, ait Augustinus, ita loqui de parte tanquam de toto: sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus, ita laudat tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis epistolæ ipsius locis, ita reprehendit tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam diuinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum eius creberrimè sparsam, quisquis diligenter aduerterit, multa dissoluit quæ inter se videntur esse contraria.] Et heic sanè regula illa seruanda est, imò & insinuata. [Quod enim dicit Apostolus, in omni scientia, referendum est ad eos, qui erant in Ecclesia perfectiores, in quibus etiam alij minores has diuitias possidebant. Tangit & gratiæ perfectionem, cum dicit, itaut nihil vobis desit in vlla gratia: quia scilicet in diuersis personis, omnes gratias gratis datas, habebant.] Ita Aquinas. Corinthiacam igitur conuenit Ecclesiam, in qua & boni & mali; Sed qui boni, optimi; qui mali, pessimi. Sic cum ait [Confirmabit vos:] In accepta scilicet gratia, vt sint inculpabiles, & vt ita dicam, incriminabiles, non de singulis intelligit, sed de electis: alij enim non leuioribus tantùm polluti, sed & grauioribus. Ideoque & in ipsis electis, indicat perfectionem viæ, quæ puluere aspergitur, etsi absoluitur à crimine: & in vniuersum, fraternitatem indigitat, societatem-ue, in qua & bona & mala possunt esse communia.

Ambrof. in Paulum.

Chrysost. in Argum.

August. epist. 19. quæst. 6.

Aquin. lect. 1.

Homo non est sine peccato, etsi sine crimine.

DISQVISITIO SECVNDA.

An quod accepit prodere potuit?

PArum interest, an ex viro vel fœminâ Corinthiorum dissensiones accepisset Apostolus, cum iura pietatis charitati suæ vtrimque sint paria. [Quod dicit Apostolus, Ab iis qui sunt Chloës, (ita Ambros.) aliquibus videtur homines esse, manentes & fructificantes in fide Christi: aliquibus videtur locus esse, vt puta si dicatur, Ab iis qui sunt Antiochæ. Aliquibus autem videtur fœminam fuisse deuotam, cum quâ multi essent colentes Deum, quibus fides non negaretur, vt quod deferrent de Corinthiis verum esset.] Quod genus hominum, aut vbinam gentium sit iste locus, hactenus ignoratum est. Sed nec Græca ὑπὸ τῶν χλόης, locum ferunt, nisi quòd domum referunt, domesticos scilicet, vernaculosque, pientissimæ scilicet fœminæ, idcircò Corinthiis, maximè Christianis non ignotæ. Ita ad Romanos, [Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo.] Græcè τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. [Qui ex Narcissi.] Domo scilicet.

Ambrof. in Paulum.

Ab iis ergo qui sunt Chloës, ab illius domesticis id mihi relatum est, ab iis indicatum, qui sunt de eius domo. Sed quo magis arctamus locum, magis etiam dubium ampliamus scrupulum-ue; sicut enim iura charitatis pietatisque in vtroque sexu sunt paria, sic & nulla in quouis actu concessa sunt infidelitatis priuilegia. Potuerunt ergo, imò & debuerunt ij qui erant Chloës schisma deferre Paulo, omnium quidem generaliter, sed specialiter Corinthiorum Apostolo, patri ac iudici: An verò debuit, imo an potuit, non solùm quod denuntiatum est, litteris prouulgare, sed & eos à quibus significatum est, notis designare? Sed tantùm abest vt Paulus proditi secreti reus sit, quin & præsentem medelam prouulgando attulit, & insignem sanando contulit prudentiam. Quamuis enim res secreta non esset, sed adeo publica, vt quiuis nosset, aut nihil nosset. [Hoc autem dico quod vnusquisque vestrûm dicit.] Tamen quod admissum erat in publico, commissum esse poterat sub secreto: & qui prouideri volebant, nolebant, fortean recenseri. Idcircò Paulus tam vtiliter, quàm & prudenter, notante Ambros. [Errorem quidem ostendit, sed auctorum nomina non prodidit.]

Paulus reus non est secreti proditi.

Ambros. ibidem.

Certè cum nominat eos qui sunt Chloës neminem accusat, imò nec indigitat: cum per eos qui sunt Chloës, possint intelligi non solùm serui, sed & cæteri Christiani. [Potest enim, vt ait Aquinas, esse nomen matronæ, in cuius domo erant multi fideles congregati.] Ita ad Romanos. [Salutate Asyncritum, Phlegontem: & qui cum eis sunt fratres.] Erat enim Ecclesia quasi domestica, nec tamen ex domesticis tantummodo, sed & ex aliis, Christianis tamen composita. Iudæi scilicet vt plurimum in synagogis res suas agebant. [Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.] Imò cum in nobilioribus ciuitatibus, non vna esset synagoga, poterant Iudæi ad placitum conuenire, aut sibi, quoquo tandem titulo, dum iusto, locum asserere. Græci tunc in priuatis domibus congregati, sed amplioribus, & quasi ad sacrum publicatis ministerium. Ædes igitur Chloës nostræ, ad id designatæ, & vt ita dicam, dedicatæ, consecratæ. Illic cœtus, seu conuentus fratrum, vndique aduentantium: vt ii qui sunt Chloës, non alii sint, quàm qui de domesticâ eius Ecclesiâ. [Quoniam ergo, (vt resoluit Chrysostomus) qui accusatur, quandiu non habet testes, minimè pudore suffunditur, vide quemadmodum non cōcedens vt eant inficias, testes adduxit. Significatū enim est mihi de vobis fratres ab iis qui sunt Chloës. Neque enim hoc statim dixit, sed priùs crimen posuit. Neque statim dixit fuisse significatum, ne videretur tanquam ab illis inductus significare. Neque siluit, ne videretur à se hoc dicere: Considera porrò sapientiam, quemadmodum separatam non posuerit personam; sed totam familiam: ne aduersùs eum qui dixisset ipsi bellum gererent: nam neque illum contexit, & accusationem securè aperuit.] Nihil ergo temerè dictum, nihil factum inconsideratè. Si nullum nominet, aut incertum, credetur fingere: si illum aut istum indigitet, dicetur prodere. Totam simul producit familiam satisque notam, vt testimoniis opprimat; fortean, & Ecclesiam domesticam: sed personam supprimit, vt parcat dissidiis. Ita & discordiam sanauit, & seruauit concordiam.

Aquin lect. 2.

Actuum cap. 15.

Chrysost. orat. 3.

Quanta Pauli dicendo agendoque cautela.

TROPOLOGIA.

Non sint in vobis schismata.

SEruata est vox Græca Σχίσματα, dissidia. Sed si Apostolus eos fratres vocat, nec infideles reputat nec schismaticos. Triplex ergo genus schismatis: primum quod vnitatem deserit Ecclesiæ: secundum, quod diuersitatem inducit doctrinæ: tertium, quod sinceritatem fraternæ lædit amicitiæ.

Quoad primum. Schisma peccatum est, quo nullum notius, nullum & obscurius. Et quidem quod peccatum sit, imò speciale peccatum, ex eo concluditur, quod tam charitati opponitur quàm vnitati. [Ideò enim, ait Aquinas, peccatum schismatis propriè est speciale peccatum ex eo quod intendit se ab vnitate separare, quam charitas facit: quæ non solùm alteram personam alteri vnit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in vnitate Spiritûs. Et ideò propriè schismatici dicuntur, qui propriâ sponte & intentione se ab vnitate Ecclesiæ separant, quæ est vnitas principalis. Nam vnitas particularis aliquorum ad inuicem, ordinatur ad vnitatem Ecclesiæ; sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis vnitatem.] Iam verò, quod nullum peccatum sit notius, inde palàm fit, quod schismaticus palàm se ab vnitate subtrahit. [Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrûm dicit.] Non furtiuè, sed publicè. [Contentiones enim dicit, (verba Chrysostomi) non quæ sunt de rebus priuatis, sed quæ sunt grauiores. Quod vnusquisque vestrûm dicit. Non enim partem, sed Ecclesiiæ vniuersitatem depascebat lues.] Et hoc est, quod proximè dixerat: [Manifestum peccatum.] Quia non solùm publicabant illud, sed & inde se iactabant: quasi eò magis laudabiles essent, quò magis essent singulares. Denique quòd nullum sit obscurius peccatum, inde apparet, quòd nec ipsum apparet. [Cæterùm, ait Tertullianus, nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Et hoc est quod schismata apud hæreticos ferè non sunt: quia cum sint, non parent. Schisma est vnitas ipsis.] Est enim hæreticis vnitas quædam, licèt summè diuersis: imò diuersitas hæreticorum, malorumque omnium, ipsorum est vnitas. In eo enim concordes, quòd à bono omnes discordant: in eo vnanimes, quòd vnà omnes à vero simul deuiant. Sed illud tam mirabile quàm singulare, quòd nihil magis sit adunatum, simulque nihil magis dissipatum, vnum simul & varium. [Mentior, ait ille, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tra-

Aquin. 2. 2. q. 39. art. 1. in corp.

Chrysost. orat. 3.

Tertullian. lib de præs. cap. 42.

Tertullian. ibidem.

didit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de suo arbitrio fidem innouare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.] Stata est Mathematicorum regula. [Sublatâ vnitate, crescit numerus in infinitum.] Itaque qui certam vnitatem deserit Ecclesiæ, abit in regionem longinquam inconstantiæ; in quâ & fame premitur veritatis, & impietatis tabe conficitur. [Ita fit, (vt & ille concludit) vt ruinas faciliùs operentur stantium ædificiorum, quàm exstructionem iacentium ruinarum.] Non enim proprium schismatis est colligere, sed spargere; non exstruere, sed destruere; non adunare, sed dissoluere. [Nobiscum enim, ait Augustinus, non colligunt, & ideo spargunt.] Quid, nobiscum? Cum Ecclesiâ Catholicâ, cuius natura, vnitas; cuius opus sanctitas est. [Ecclesiæ populus, vti Cyprianus loquitur, & collectus & adunatus est, & indiuiduâ concordiâ sibi iunctus.] Isti ergo tam impii quàm & schismatici, qui vnitatem deserunt Ecclesiæ, qui sanctitatem dissoluunt concordiæ, aliasque tam profanas, quàm & nouas inducunt Ecclesias.

Sublatâ vnitate crescit numerus in infinitũ.

Augustin. lib. 4. de consens. Euang. c. 5.

Cyprian. l. 4. Epist. 9.

Quoad secundum. Non fuit quidem tanta apud Corinthios diuersitas, non nulla tamen fuit apud ipsos impietas: & si primus schismatis diuisionisque gradus non adfuit, secundus non defuit. [Temporibus Apostolorum, ait Augustinus, qui dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ: quamuis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant, hoc ipsorum erat proprium detestabile vitium.] Quid ergo? vnitatem deserebant Ecclesiæ? Minimè, sed, vt ille addit: [Dei veritatem in iniquitate suorum schismatum detinebant: quam apprehendens beatissimus Paulus, non per vitia destructa etiam istam destruit, sed per hanc confirmatam illa emendanda conuincit. Nunquid Paulus pro vobis, inquit, crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? vt per verum Dei quod tenebant, de suo falso erubescerent quod agebant.] Vnusquisque apud Corinthios Christum quidem agnoscebat, tenebatque caput, ideò Christianam non diuidebat Ecclesiam: sed quisque magistrum iactabat suum, imò quisque diuersum affectabat magisterium; ideoque etsi vnitatem non scindebat Ecclesiæ, diuersitatem nihilominus inuehebat doctrinæ: non enim Paulus nomina sancta obiicit, vt violet; sed veros proponit, vt falsos damnet Apostolos; ideoque & seipsum præponit, vt nullus queri possit tangi se aut deiici. [Nec enim de seipso, ait Chrysostomus, nec de Petro, nec de Apollo dicebat: sed ostendit quòd si his non sit innitendum, multò magis aliis. Nam quòd neque de his diceret, progrediens dicit, Hæc autem transfiguraui in me & Apollo, vt in nobis discatis non plusquam scriptum est efferri spiritu. Nam si Pauli & Apollo & Cephæ non oportebat sibi nomina ad laudem tribuere, multò magis aliorum. Si magistrum

Augustin. lib. de vnico baptis. c. 5.

Chrysost. orat. 3.

Vnum est non dicentis, sed mittentis Euãgelium.

A & primum Apostolorum, & qui tantum populum catechesi imbuerat, non oportebat inscribere, multo magis eos qui nihil sunt.] Sub illustribus nominibus, sub personis innoxiis, latent lupi seu pseudoapostoli, qui noua docent ac diuersa. Idcircò instat Paulus, interrogatque: [Diuisus est Christus? Hoc est autem quod dicit, Christum conscidistis, & eius corpus diuisistis. Vides animum, (ait ille) vides increpationem, vides orationem plenam indignatione. Quando enim non confirmat, sed solùm interrogat, hoc facit tanquam constet, id esse absurdum.] Quid enim absurdius, quàm derelinquere verbum Dei, præferre verbum mendacii? Quid absurdius quàm hominibus inniti licet fallacibus, euangelicam doctrinam, quæ non minus vna est quàm vera, in tot dogmata partiri quot capita? [Nam volentes homines, ait Augustinus, ædificari super homines dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ipse est Petrus. Et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram, Ego autem Christi. Apostolus autem Paulus vbi cognouit se eligi, & Christum contemni: Diuisus est, inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi: vt Petrus ædificaretur super petram, non petra super Petrum. Ideò igitur Paulus vtiliter se contemnens, illum commendans: Nunquid Paulus, inquit, pro vobis crucifixus est? Non ergo in me, sed mecum: non sub me, sed sub illo.]

Chrysost. ibidem.

B

Augustin. serm. 13. de verb. Dom. cap. 2. & 3.

C Quoad tertium. Inuitat quidem Corinthios Apostolus, obsecratque, vt non sint apud eos schismata, non inde tamen ipsos accusat. [Quando enim, ait Chrysostomus, eos reprehendit, dicit, Ne sint in vobis schismata. Quando autem quæ sunt aliorum renuntiat, mitiùs renuntiat, dicens, Significatum est mihi, quòd D contentiones sunt in vobis.] Quid ergo Paulus optat? Nullas scissuras esse, sectas nullas, factiones, dissensiones, verborum contentiones, disceptationes quæstionum, quibus nonnulli Christiani, etiam boni excellere cupiunt, nec tam ignarum docere quærunt, quàm æmulum vincere. [Sitis autem perfecti in eadem mente & eadem sententiâ. Nam integrum, (vt & ille dixit) quando fuerit in multa diuisum, non solùm non multa fiunt, sed etiam vnum perit. Sed quoniã Paulus dixit, vt idem dicatis omnes, Ne existimetis, inquit, quòd dixerim ad verba vsque esse consensum, & concordiam: consensum, inquit, requiro qui est mente ac co- E gitatione. Sed quoniam fieri potest vt idem dicant mente ac cogitatione, sed non in rebus omnibus, ideò hoc quoque adiecit, sitis autem perfecti in eadem mente & eadem sententiâ. Nam qui in aliquo est vnitus, in aliquo dissidet, non est vtique perfectus, neque consummatus ad consensum ac concordiam. Fieri etiam potest vt intelligentiâ & cogitatis consonet, nequaquam autem sententiâ: vt quando eandem habentes fidem, non sumus vniti charitate. Nam sic in intelligentiâ quidem & cogitatis sumus vniti, sententiâ autem nequaquam. Propterea, cum ille quidem istum, hic

Chrysost. orat. 3.

Chrysost. ibidem.

verò illum eligeret, dicit oportere & mente & sententiâ consentire. Non enim erant schismata ex eo quòd in fide dissiderent, sed ex eo quòd humanâ contentione diuisa esset sententia.] Schismatici ergo Corinthii, non quod vnitatem desererent Ecclesiæ, nec quòd Catholicæ veræque diuersitatem inducerent doctrinæ; sed quod sinceritatem fortunæ læderent amicitiæ, vnitatem concordiæ rumperent. Schisma illud humanæ contentionis fuit non abruptæ communionis: schismatici Corinthii, quia contentiosi: schismatici Corinthii, quia homines, idest carnales, secundùm carnem hominem-ve incedentes: quòd inflati, nec tam Christi gratiâ suffulti, quàm magistri præstantiâ. Idcircò Paulus, iam ab initio, [Gratia vobis & pax.] Si enim spernitur gratia, aut alia quæritur, nec vera pax, nec firma concordia. [Non dico, (ita exponit Chrysostomus) quòd cum Corinthiis solùm, cum Corinthii sitis, vos concordes esse oporteat; sed etiam cum omnibus qui sunt in toto orbe terrarum, cum communem habeatis Dominum. Gratia vobis, & pax vobis, qui Corinthii sanctificati, & vocati fuistis: non solis, sed cum omnibus qui in omni loco inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi & ipsorum. Si autem pax est ex gratiâ, cur superbo & elato es animo? cur adeò intumescis, cum salutem sis assecutus gratiâ? Si autem pacem habes apud Deum, cur te aliis adscribis? Hoc est enim dissidere & agitari seditione. Quid enim si cum hoc & illo pacem agitis, & gratiam habetis? Ego autem peto vt vtraque hæc à Deo vobis fiant, & ab ipso, & apud ipsum. Neque enim firma & stabilia manserint, si non accesserint à superis: neque quicquam nobis proderunt, si non sint apud ipsum, si Deo accepti non simus & chari. Nam quæ verè est gratia, & quæ verè est pax, à Deo est.] Pueriles igitur abigendæ sunt contentiones, partes excludendæ, quæ carnem sapiunt, hominemque carni addicunt dum homini. Hæc enim factionem spirant, & scissionem; & si vnitatem Ecclesiæ non violant, sinceritatem fœdant, nusquam vnanimitatem fœderant concordiæ.

In quo propriè Corinthii essent schismatici.

Chrysost. orat. 1.

ANAGOGIA.

Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?

NIhil ergo nobis profuit passio Pauli, nihil Petri crucifixio? multum quidem nobis contulit seu Petri seu Pauli prædicatio, sed si vita illorum nobis salutifera, mors non erit pretiosa? Vtrobique erras, & tam vanè de vitâ, quàm de morte disputas. Primò, vita non eo modo salutifera quo cogitas. Secundò, mors non sic infructuosa, vt blatteras. Tertiò, & post mortem etiam sperandum aspirandumque, quod non memoras. Ex primo, documentum: ex secundo, exemplum: ex tertio, subsidium: sed vbique designandum est quid conferant Christiano, & quid Christo deferant.

Quoad primum igitur. Paulus prædicator eximius, euangelizator egregius: ad hoc enim speciatim vocatus, ad hoc & nominatim desti-

A natus. [Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.] Non ergo & hanc habet facultatem? habet & principalem, licet & hanc non tam primariam, quàm accessoriam. Equidem, vti Augustinus disserit. [Alterum sine altero non perducit ad regnum cœlorum: verumtamen perfectè baptizare etiam minùs docti possunt, perfecti autem euangelizare multò difficilioris, & rarioris est operis. Ideò doctor gentium plurimis excellentior euangelizare missus est, non baptizare; quoniam hoc per multos fieri poterat, illud per paucos inter quos eminebat.] Reuera Christus officium assumpsit verbi; suis, etsi Apostolis, maximè verò discipu-

B lis baptismi ministerium imposuit; Apostolos verò præcipuè adhibuit in officii sui, seu verbi consortium. [Si non baptizauit Iudas, ait ille, certè fatemini quia euangelizauit. Quod si hoc minimum & leue ducitis, videte quid de ipso Paulo Apostolo sentiatis, qui dixit, Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.] Quid ergo? ait Chrysostomus: [Et quamnam ob causam non missus ad baptizandum, baptizabat? Non pugnat aduersùs eum qui miserat, sed hoc facit ex abundantiâ. Non enim dixit se esse prohibitum, sed ad hoc non esse missum, verùm ad rem maximè necessariam. Nam

C euangelizare quidem, est vnius & alterius: baptizare autem, est cuiuslibet, qui est præditus sacerdotio. Quòd ergo erat laboriosius, & multâ indigens perpessione & tolerantiâ, & ferreo animo, & quòd omnia continebat, hoc erat Paulus, hoc tractabat. Illic enim est labor & sudor. Quamobrem ipse quoque dicit, Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & in doctrinâ.] Sed aliud est Euangelium veritatis, aliud sacramentum regenerationis: in illo enim norma præscribitur vitæ Christianæ, in isto, veræ tribuitur forma iustitiæ. Id-

D circò, vti dixit Augustinus: [Legimus Paulum aliquibus locis dixisse, Euangelium meum: baptismum autem meum nunquam dixit, sed nec cuiusquam per quem ministratus est. Nam solus ille baptismus quem dedit Ioannes, dictus est baptismus Ioannis. Hoc præcipuum vir ille dispensationis suæ munus accepit, vt lauacri præcursorium sacramentum etiam illius diceretur per quem dispensabatur: baptismus autem quem ministrauerunt discipuli Christi, nullius eorum dictus est, vt illius esse intelligeretur, de quo dictum est: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, mundans eam lauacro aquæ in verbo.] Hoc ergo est

E quod Christo seruat Apostolus, ideoque, quasi indignabundus & subiratus interrogat: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? [Vides, ait Chrysostomus, mentem Christi amantem, quemadmodum deinceps vniuersum adducat in suo nomine, ex abundantiâ ostendens hunc honorem nulli conuenire. Vide & prudentiam. Non dixit, Nunquid Paulus mundum fecit? Nunquid homines vt essent ex nihilo produxit? Sed quæ fidelium erant eximia, & magnæ curæ ac prouidentiæ, ea ponit. Nec dixit, Nunquid Paulus mortuus est pro vobis? Sed, Nunquid Paulus est crucifixus? ponens quoque genus mortis.

August. lib. 1. cont. lit. Petil. cap. 56.

Augustin. eod. lib. c. 55.

Chrysost. orat. 3.

Euangelizare, dignioris est; baptizare, omnium.

Augustin. lib. 3. cont. lit. Petilian. cap. 56.

Chrysost. orat. 3.

mortis. Nec dixit, nunquid Paulus vos baptizauit, baptizauit enim multos. Sed non erat id quod quærebatur, à quonam baptizari essent, sed in cuius nomine essent baptizati.] Is enim est, cuius sumus, is cui sumus addicti, cum eius sanguine mundati simus, eius virtute regenerati.

Quoad secundum. Aliud est exemplum passionis, aliud redemptionis pretium: illud enim in virtute est; istud in sanguine. Iam ergo documentum veritatis habuimus in prædicatione Pauli, sed virtutis in passione eius exemplum habebimus. [Cum enim, (vt Leo loquitur) omnium summa virtutum, & totius plenitudo iustitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus proximusque diligitur, in nullis profectò hic amor sublimiùs excellere, clariusque fulgere, quàm in beatissimis martyribus inuenitur, qui Domino nostro Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quàm similitudine passionis. Quamuis enim illi dilectioni, quâ Dominus nos redemit, nulla cuiusquam benignitas possit æquari; quia aliud est pro iusto mori hominem suâ necessitate moriturum, aliud pro impiis occumbere mortis alienum: multum tamen vniuersis hominibus etiam martyres contulerunt, quorum fortitudine ita eius largitor vsus est Dominus, vt pœnam mortis, atrocitatem crucis, nulli suorum vellet esse terribilem, sed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus, sibi soli est bonus; nec cuiusquam sapientis, sibi tantùm sapientia est amica, & hæc verarum natura virtutum est, vt multos à tenebroso abducat errore, quia earum clarus est lumine, ad erudiendum Dei populum, nullorum est vtilior forma, quàm martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum; validiora tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce.] In hoc excellentissimo genere doctrinæ, illustris est Paulus, cum mirabilis animi fortitudo, de Christi principaliter amore concepta, non solùm ipsa non cesserit, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roborauerit. Pascit nos lacte, munit nos sanguine: imò & adhuc pascit in morte, quia mortis ictus, non tam sanguinis riuus est, quàm lactis fluuius. En quid conferat Christiano, sed quid Christo referat? [Talia quidem, ait Augustinus, beati martyres suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensâ pariter acceperunt. Sed non hoc ita dictum sit, quasi propterea Domino Christo pares esse possimus, si pro illo vsque ad sanguinem martyrium duxerimus. Ille moriens mox in se occidit mortem, nos in eius morte liberamur à morte. Ille nobis non indiguit vt nos saluos faceret, nos sine illo nihil possumus facere. Postremò etsi fratres pro fratribus moriamur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullus sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis: neque in hoc quid imitaremur, sed quod congratularemur contulit.] Imitari quidem potuit quis morientem, redimentem non potuit. [Quod enim vnquam sacrificium sacratius fuit, (ait Leo) quàm quod pontifex verus altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit. Solus enim beatæ Virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus à crimine, in quo illius ad imaginem & similitudinem Dei conditi, & perfecta esset innocentia, & vera natura; cum de Adæ propagine vnus existeret, in quo diabolus, quod suum diceret, non haberet. Qui dum in eum sæuiit, quem sub peccati lege non tenuit, ius impiæ dominationis amisit. Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.]

Leo serm. in nat. S. Laurent. à princ.

Plenius est opere docere quàm voce.

Augustin. tract. 84. in Ioan. circa medium.

Leo serm. 11. de Pass. Dom. vlt. med.

Quoad tertium. Certum est merita martyrum non esse extincta per supplicium, sed aucta; ideò plus posse post mortem, plus prodesse post passionem. Ita Paulus martyr ad Lucianum, teste Cypriano. [Coràm Christo, inquit, dico tibi, vt si qui post arcessionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.] Mors quippe martyrum expectanda, cum iam suo sanguine, datam pacem obsignassent, & iudicandi auctoritatem sibi vindicassent. Vnde & auctoritas illa maximè in extremo manifestanda est iudicio, in quo martyres adsidebunt Christo velut iudices, nostramque meritis suis supplebunt inopiam. [Credimus quidem, ait ille, posse apud iudicem plurimùm martyrum merita & opera iustorum, sed cum iudicii dies venerit, cum post occasum sæculi huius & mundi ante tribunal Christi populus eius adstiterit. Cæterùm si quis præproperâ festinatione temerarius remissionem se cunctis dare putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantùm nihil prodest, sed & obest lapsis. Prouocasse est iram, non seruasse sententiam; nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de suâ facilitate præsumere.] Quibus vides primò, id quod pacem dixerat, nunc dicere remissionem, quod nos dicimus reconciliationem. [Pacem, inquit, sibi vltrò nemine dante sumpserunt, falsâ pollicitatione seducti, & apostatis ac perfidis iuncti errorem pro veritate sumpserunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt.] Id est, aliis communicant, licet adhuc excõmunicati, sacris inuoluant sacramentisque licet adhuc ligati, licet nondum reconciliati, licet nondum pace ab iis acceptâ, qui dare poterant; licet remissione non ab aliis promissâ, quam qui ob lapsum sacrilegium-ve non poterant absoluere. Secundò, istam martyrum licentiam, vix [Ante excessum] admissam, imò in extremum remissam esse iudicium. Si quid enim antè mortem darent, computabatur in antecessum; & quod de suo dedissent, post excessum iuxtà meritum confirmabatur in iudicio. Itaque spondebat martyr adhuc viuus, si iam proximi candidatus martyrii; sed soluebat fato functus, & martyrii gloriâ coronatus, & copiâ cumulatus meriti. Denique quod ipse soluerat, ratum faciebat in iudicio, in quo patebat meritum ex martyrio. Tertiò, iudicium istud inter sententiam ac misericordiam temperatum, iustitiam inter medium esse ac clementiam. Si quid enim relaxant martyres pœnæ nobis debitæ, si quid

Cyprian. epist.

Cyprian. tract. de bapt. vlt. medium.

Cyprian. vers. fin.

Indulgentia quomodo olim a martyribus concessa.

Cyprian. epist. 45.


in expiandis iuuant peccatis, de residuo quidem pendunt, sed sub arbitrio diuino, & ideò illam quam referunt à Deo, conferunt indulgentiam. [Potest ille, ait Cyprianus, indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere: potest acceptum ferre quicquid petierint martyres, & fecerint Sacerdotes.] Multum igitur per omnem modum Christiano conferunt etiam in sæculo futuro, sed & id totum Christo deferunt. Quod enim & ipsi tantum possunt, non ex seipsis possunt, sed ex Christi meritis; quibus & saluum factum est quod erat perditum; firmatum est quod erat infirmum. [Ego dico tibi, Tu es Petrus. Simon quippe

Cyprian. de lapf. in fine.

Augustin. serm. 13. de

A antea vocabatur. Hoc autem nomen ei, vt Petrus appellaretur, à Domino impositum est: & hoc, vt eâ figurâ significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram quam confessus es, id est, super meipsum Filium Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Quod enim nemo potest in Paulo, nemo in Petro, nemo in vllo alio Apostolorum, hoc potest in Domino.] Ita Augustin. Pro nobis ergo crucifixi sunt & ipsi suo modulo, sed & id Deo referunt & Christo, cui sunt confixi.

verb. Dom. cap. 1. & 5.



PARS ALTERA.

DE COMMENDATIONE CRVCIS.

TEXTVS.

VErbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salui fiunt; id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientiâ non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio & redemptio: vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

EXEGESIS LITTERALIS.

DIxerat non se missum baptizare, sed Euangelizare: non in sapientiâ verbi, ne euacuaretur crux Christi: inde diuinum declarat consilium, quo non per hominis sapientiam saluandi sunt electi, sed per crucis stultitiam.

[Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, &c.] Latenter transiit Paulus à

Tantum demittatur 2 a.

A pietatis laude ad reprehensionem schismatis, à schismatis reprehensione ad commendationem crucis: sed nunc patenter resumit, & inuentionem in exaltationem prouehit. Constitutus sum prædicator, non orator factus: non enim mundanam iacto eloquentiam, nec vanam prædicando affecto sapientiam; ne in tantum attenuetur virtus crucis, quantum apparatus sermonis exquiritur. Sed verbum prædico crucis, virtutis Euangelium: etsi enim Christus ex in-

ci, quantum sermoni additur.

firmitate carnis crucifixus est, sed in virtute potentissimus est diuinitatis. Et reprobi quidem, qui secundùm carnem sapiunt, vanitatem esse dicunt, salutem ab homine sperare crucifixo, idcircò nec audiunt, aut certè non obediunt Euangelio. [Sermonem ergo crucis, ait Athanas. prædicationem designat, quâ Christi affixi patibulo nomen diuulgabatur. Perditis enim & minùs credentibus, quæ à Deo sunt ad salutem concessa, stulta videntur.] Sunt illi perditi seu reprobi, qui pereunt. [Iis autem qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est, &c.] Nobis verò qui saluamur, qui & illuminamur, quod prædicatur de cruce, operatur in virtute. [Non est obscurum, ait Ambrof. quia iis qui credunt, Dei virtus est. Credunt enim non infirmitatem esse crucem Christi, sed virtutem; intelligentes mortem vitam esse in cruce.] Inde virtus, vnde & salus est. [Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.] Cur in Euangelio probanda sit eloquentia mundana, aut humana sapientia, cum sit ab ipso Deo reprobata, exclusa, reiecta? Testimonium ex Isaia depromptum cap. 33. [Cum enim, vt ait Comment. Athanas. infideles sapientes perditos diceret, confirmat id statim scripturæ testimonio. Illam enim, inquit, tollam deperdamque à sapientibus sapientiam, quam ipsi per exteriora hæc iactitant. Hoc est, insipientem illam conuincam, & prudentiam prudentium demam, qui sapere sibi videntur.] Confundam, & vanos, imò & stultos ostendam.

Athanas. in Paulum.

Ambrof. in Paulum.

Comment. Athanas.

[Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? &c.] In vulgatâ nostrâ. [Vbi est litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?] Isa. cap. 33. Pro litterato, in Hebræo, [Vbi scriba?] Pro conquisitore, iuxta Græcum, subrogari potest [Disputator] συζητητής. Vbi sunt illi? Nonne à Deo ipso spreti sunt vt vani, nonne repulsi vt superbi, humanâ scilicet seu mundanâ tumidi sapientiâ? [Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? &c.] Quasi dicat, nonne vt stultam traduxit, ideoque reiecit, vt suo incongruam instituto? Tertullianus ita legit. [Nonne infatuauit Deus sapientiam mundi?] Nonne palam ostendit fatuam esse, ideoque inanem, & veræ inutilem sapientiæ? [Fatuam autem reddidit, ait Athanas. hoc est inertem & nullius momenti esse coarguit mundi sapientiam Deus: vtpote quæ inuenire veritatem nequiuerit.] Quam inanis illa, quàm vana, quàm contemptibilis! quam nec suis rebus adhibere Deus voluit, imò quam euidentibus inussit stultitiæ stigmatibus? [Nam quia in sapientiâ non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, &c.] Mundus seu homo mundanus habet sapientiam suam, Deus suam: illa in apparenti rotatur sæcularium seu visibilium rerum imagine, ista in mirabili versatur mysteriorum dispositione. Quando quidem igitur humanum genus per sapientiam suam, seu mundanarum rerum inuestigationem, per creaturarum contemplationem, non cognouit ipsam Dei sapientiam rebus intentam operibusque; postquam nec Deum deprehendit ex opere illo, tam sapien-

Tertullian lib. 5. adu. Marcion cap. 5.

Athanas. in Paulum.

Sapientia mundana

A ter composito quam & visibiliter exposito: benigno Dei consilio prouisum est, ita Deo tandem visum est, vt per crucem, specie contemptibilem, re mirabilem, vanam castigare & infamare sapientiam: sicut enim nullus per illam quam credidit sapientiam, assequitur veritatem; sic & nullus per illam quæ credidit stultitiam, salutem non consequitur. [Quid est, in Dei sapientiâ? ait Chrysostomus. Quæ apparet per opera, per quæ voluit cognosci. Propterea enim & ea quæ sunt huiusmodi construxit, vt conuenienter ex his quæ cernuntur, in admiratione haberetur effector. Quoniam B ergo per hanc sapientiam noluit Deum cognoscere, persuasit per stultitiam quæ esse videtur prædicationis.]

per diuinâ correcta prouidentiam.

Chrysost. orat. 4.

[Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, &c. Cur stulta videtur prædicatio crucis? Quia Iudæi prodigiis assueti miraculisque, signa petunt, contemnuntque audire, credere, nisi istis inducti testimoniis, renuunt. Græci autem, id est, gentiles omnes, rationem exigunt naturalem: mundanam enim sectati sapientiam, & humanis rationibus, & exquisitis demulceri simul & suaderi volunt orationibus. [Iudæi signa petunt, ait Ambrof. quia non diffidunt potuisse fieri, sed an factum sit quærunt. Græci verò sapientiam quærunt, C quia nolunt audire præterquàm quæ mundi ratione possibilia sunt. Id est, humanâ inuestigatione.] Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.] Nec signa iactamus ac prodigia, nec humanam ventilamus sapientiam. Quamuis enim de Christo crucifixo scandalizati sint Iudæi, quamuis & cæteri meram arbitrati sint stultitiam, id solum dicere, nedum credere: nos tamen non alium prædicamus, imò solum & Græcis annuntiamus & Barbaris. [Ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.] D Iis autem qui prædestinati sunt ad salutem, & inde ad fidem vocati, quicumque sint illi, Christus crucifixus tam pro potentiâ est, quàm pro sapientiâ; ideoque nec signa postulant aut miracula, nec mundanam interrogant sapientiam. [Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, &c.] Quid stultum Dei? Quid & infirmum Dei? Deum incarnatum, passum, crucifixum. At illa Dei stultitia, humanam potentiam vicit; illa Dei infirmitas imbecillitasque humanam suffudit sapientiam. [Crucem appellat insipientem, ait Athanas. E vtpote quæ insipiens sit visa. Hæc tamen est hominibus sapientior, si quidem Philosophos constat frigidis & inutilibus rebus vacasse: crucem verò mundo peperisse salutem: & quod Dei videtur infirmius, quia ex impotentiâ quadam visus est cruci esse affixus, id longè est hominibus fortius. Nec ob id solum, quia quo magis annitentibus multis huius nomen extinguere, eo plurimum pollet & floret: sed quia per hunc qui sit visus infirmior, fortis dæmon ille vinctus est & coercitus.]

Ambrof. in Paulum.

Potentia, signorum est; sapientia, rationum.

Athanas. in Paulum.

[Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, &c.]

Attendite & expendite, quinam ad fidem ac salutem vocati sint. An inter ipsos agnoscitis multos humanâ præditos sapientiâ, multos potentes dignitate perspicitis, illustres genere? [Sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, &c.] Tantum abest vt isti prælati sint, quin & illi qui tam carnali seu sæculari destituti sapientiâ, quàm & potentiâ, non solùm ad suscipiendam fidem electi sunt à Deo, sed & perferendam persuadendamque: sic enim triumphauit, dum his qui gloriabantur, sibique vel potentes videbantur vel sapientes, pudorem imperauit. [Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, vt ea quæ sunt destrueret, &c.] Vbi sapientes, vbi potentes, vbi tandem & nobiles? Imò Deus illos assumpsit, qui obscuri, abiecti, & quasi pro nihilo habiti, vtpote nullius nominis, nullius æstimationis, τὰ μὴ ὄντα, sed per eos idipsum quod magnum carni videbatur, quod honorificum censebatur homini, aboleuit, redegit ad nihilum. [Ignobilia ergo, ait Comment. Ambros. & contemptibilia elegit: non quia verè ignobilia & contemptibilia sunt, sed iudicantur à mundo, quia spernunt rationes mundanas credendo in Christum: vt ea quæ sunt verè ignobilia & contemptibilia destrueret, quia ipsi magis iudicandi & contēnendi sunt qui iudicant.] Humano quidem extolluntur iudicio, sed diuino spernuntur relinquunturque consilio. [Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.] Vt nullus homo coram Deo seu de sapientiâ humanâ, seu de potentiâ, seu de prosapiâ gloriari possit, nullus veram gloriam ex carne, sed ex fide possit auspicari. [Assignat, ait Aquinas, causam dictorum, dicens: Ideò non elegit in sæculo excellentes, sed abiectos, vt non glorietur omnis caro: idest, vt nullus pro quacumque carnis excellentiâ glorietur per comparationem ad Dominum. Hierem. 9. Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, & non glorietur fortis in fortitudine suâ, & non glorietur diues in diuitijs suis. Ex hoc enim quòd Deus mundum suæ fidei subjecit, non per sublimes in mundo, sed per abiectos, non potest gloriari homo, quòd per aliquam carnalem excellentiam saluatus sit mundus.] Carnalem excellentiam vocat humanam, mundanam, sæcularem.

Infirma firmis, stulta sapiētibus, ignobilia nobilibus opposita.

Comment. Ambros.

Aquin. lect. 4.

[Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, &c.] Quid est, Ex ipso? [Hoc, ait Chrysostomus, existimo eum dicere, non de productione ad esse, sed de fide.] Diuinâ gratiâ facti estis Christiani, Christo inserti, Christo incorporati. [Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, &c.] Quomodo Christus factus est nobis sanctificatio & redemptio? quia per illum sanctificati sumus ac redempti. Sic ergo factus est nobis à Deo & sapientia & iustitia, quia veram iustitiam, veramque sapientiam & Dei beneficio consecuti sumus, & Christi merito. [Id est (ita exponit Comment. Athanas.) Sapientes nos, & iustos, & sanctos, ac liberos fecit. Hæc enim præfert redemptio: quippè quæ à seruitute peccati nos reuocauit. Et quemadmodum ignobiles eligens nobiles reddidit,

Chrysost. orat. 5.

Comment. Athanas.

A cum hos in Dei filios adsciuisset, sic & stultos sapientes effecit, ipse nobis sapientia factus, perinde ac si inquiat, seipsum nobis largitus est.] Non enim humanam seu philosophicam, sed suam seu diuinam, homo factus, largitus est nobis sapientiam. [Vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.] Scriptum est Hierem. cap. 9. [In hoc glorietur qui gloriatur, scire, & nosse me.] Nosti Deum, credidisti in Deum? Vnde id habes, nisi à Deo? cui id debes, nisi Christi merito? Gloriare de fide, sed in Deo & Christo gloriare: non enim humano studio, sed gratuito & fidem tenes, & salutem obtines beneficio.

Quomodo Christus nobis omnia factus sit.

B

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

SI vetat conquiri Apostolus, reprobat-ve, nonne & disquiri? Sed dum notam adjunxit, causam distinxit, & auertit infamiam. Sit ergo.

DISQVISITIO PRIMA.

Quis sit conquisitor huius seculi.

C

MAthematicum intellexit Tertullianus, seu astrologum, & inde astrologiam interdixit, maximè iudiciariam; imò nec tam interdixit, quàm interdictam supposuit. [De astrologis, inquit, ne loquendum quidem est.] Tum. [Post Euangelium, nusquam inuenias aut Sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, nisi planè punitos? Vbi sapiens, vbi litterator, vbi conquisitor hujusce æui? Nonne infatuauit Deus sapientiam hujus sæculi? Nihil scis, mathematice, si nesciebas te futurum Christianum. Sin sciebas, hoc quoque scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te de periculo suo instrueret, quæ aliorum climacterica præcanit.] Sunt quidem astra, signa rerum, non tamen spiritalium, alioquin diabolus matheseos peritissimus casum præuidisset suum; imò nec sublunarium omnium, nam quod incongruum de diabolo, repetendum de Adamo: & ipse nimirum, suprà mortales omnes, futurorum scientissimus, malum suum deprehendisset, infœlicem congressum, infœliciorem exitum. Sint igitur astra nonnullarum signa rerum, nullarum tamen sunt principia. Inde dicti sunt illi, nunc, [Stellarum interpretes:] Nunc, [Coniectores.] Quia id quod in stellis, tanquam in signis legunt litteris-ve, exponunt, seu melius, conjiciunt. Certè si agerent, tam adimerent libertatem, quam necessitatem inducerent: sunt enim causæ necessariæ, quæ effectum inuehunt, nec actionem minùs quam lucem; non minùs influxum suspendunt, quàm motum. Ordinarius rerum cursus non ab alio retardari potest quàm à Deo, ideoque & homo malignis impressionibus, peruersis-ve inclinationibus per gratiam quidem diuinam dominari potest, non tamen per mundanam sapientiam. Quid enim timendum est

Tertullian. lib. de Idol. cap. 9.

D

E

Tertullian. ibidem.

A nobis, quod nobis est obnoxium? Sed inde maximè timendum esset, imò & horrendum quia humano subiectum non esset arbitrio. Malè igitur professio ista: [Nomina cœlo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit: quod propterea homines non putant Deum requirendum, præsumentes nos immutabili arbitrio agi.] Dum enim potestatem addicunt, proscribunt libertatem. Itaque, vt concludam ex ipsomet Tertulliano. [Non potest regna cœlorum sperare, cujus digitus aut radius abutitur cœlo.] Vocem accepit Ambrosius & mentem, aitque: [Conquisitor hujus sæculi hic est, qui constellationibus agi mundum, & duodecim signis ortus & occasus fieri decernit calculis, nihil omnino sine horum motu putans posse fieri.]

Astrologia iudiciaria à nostris proscripta.

Ambros. in Paulum.

B Diximus conquisitorem, ex Græco, eundem esse ac disputatorem. Addimus, non omnem, sed eum solùm, qui de hoc mundo, seu superiori, id est cœlesti; seu inferiori ac terrestri, humanâ ratione disputat, mundana-ue dissertatione; ideoque, non illum simpliciter conquisitorem vocat Apostolus, sed conquisitorem hujus sæculi, idest, disputatorem sæcularem, mundanum, Philosophum denique humano sensu, non diuino ductu procedentem. Quod enim ad Romanos, hoc ferè & ad Corinthios: sicut enim illic Mosaïcam legem excludit, vt fidem aduocet; ita & heic humanam proscribit rationem, vt carnem eliminet. Homo quippe post lapsum suum, seu ipse homo intus, totus caro est; & cum anima per peccatum conspurcata sit: tantundem est dicere hominem ac carnem, rationem humanam aut sapientiam, quàm illam definire carnalem, sæcularem, mundanam. Itaque, per me quidem exulabit astrologia, sed per Apostolum Paulum, humana, tanquam vana, tanquam animalis carnalisque vapulabit sapientia. [Quidam Corinthiorum (vti Aquinas notat) gloriabantur de doctrinâ Apostolorum, qui ornatis verbis & humanæ sapientiæ rationibus veritatem fidei corrumpebant. Ostendit igitur hunc modum non esse conuenientem doctrinæ fidei, aitque, Non in sapientiâ verbi, idest, in sapientiâ mundanâ, quæ verbosos facit, inquantum per eam multis vanis rationibus homines vtuntur: potest enim intelligi sapientia verbi, idest humanæ rationis.] Non sic Apostolus disputat, imò sic disputantes dissertantesque denotat. [Qui enim, ait Chrysostomus, quærunt rationibus, ij sunt qui pereunt. Quin & si velimus persuadere rationibus quomodo Deus factus sit homo, & ingressus sit vterum Virginis: ecquid dico de Deo? si in rebus quoque creatis hoc fecerimus, multus sequetur risus. Res autem magnas nec externa sapientia, nec vlla ratio potest ostendere. Est enim crux super rationem, & virtutis ineffabilis. Cum dixisset ergo Apostolus scriptum esse, Perdam sapientiam sapientum, ex re subjunxit demonstrationem, dicens: Vbi sapiens, vbi scriba, vbi inquisitor hujus sæculi? simul Græcos & Iudæos insectans. Quis enim Philosophus, quis ex ijs qui sunt versati in syllogismis, quis ex scientibus Iudæis, salutem dedit, & notam fecit veritatem? Nemo est; sed fuit totum piscatorum.] Habeant Iudæi Scribarum agmina, habeant & Græci Philosophorum collegia: sed dum humano procedunt ingenio, dum & humano studio inquirunt, carnem sapiunt, fidem non exstruunt.

Qui hominem dicit, carnem dicit.

Aquin. lect. 3.

Chrysost. orat. 4.

DISQVISITIO SECVNDA.

Cur Christus nobis factus sapientia & iustitia?

DVo sunt quæ nobis per Christum Deus contulit, redemptionem scilicet ac sanctificationem. Duo etiam quæ Christus attulit, sapientiam ac iustitiam, eam scilicet quæ secundùm Deum, non secundùm mundum; non humanam, sed diuinam. Adamus enim eius factus est sermo, à quo victus est; venundatus sub peccato, addictus diabolo: inde igitur primo redimendus est: seu vt loquitur Tertullianus: [Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quò homo iam damnatus intrauerat.] Dein, quia Adamus ex consortio immundi spiritûs, pollutus erat contaminatusque, sanctificandus est spiritûs diuini commercio. [Factus est igitur nobis redemptio, ait Aquinas, inquantum per ipsum redempti sumus de C seruitute peccati. Factus est pro nobis sanctificatio: Sanctificamur enim per Christum, inquantum per eum Deo coniungimur.] Redemit ergo sanctificauitque populum suum per sanguinem suum. Vndè dicit Apostolus: [Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.] Noluit dicere, vt redimeret, sed, vt sanctificaret; nimirum vt discerneres lytrum humanum ac diuinum, & vtriusque effectum distingueres. Non enim redemptio illa diuina, externa duntaxat denominatio, sed intrinseca sanctificatio: nam sicut captiuitas interna est, sic & libertas: sicut homo venundatus sub peccato, sic & à peccato D liberandus; tantumque proficit liberatio, quantum mundatio crescit seu sanctificatio. Denique sicut pollutio seu inquinatio peccati, duas inficit animæ potentias, mentem scilicet ac voluntatem; ita sanctificatio Christi, ambas reficit; illam nimirum per sapientiam, istam per iustitiam. [Dicitur enim, ait Aquin. Christus nobis factus iustitia, inquantum per eius fidem iustificamur: secundùm illud Rom. 3. Iustitia autem Dei per fidem Christi.] Per doctrinam infusam, veram scilicet sapientiam. [Vide autem, ait Chrysostomus, quemadmodum certâ viâ & methodo procedit Apostolus. E Priùs enim nos fecit sapientes, liberatos ab errore, & tunc iustos, & sanctos, largitus spiritum: & sic ab omnibus malis nos liberauit.] Adamus priùs defecit mente per inaduertentiam seu non intelligentiam, quàm voluntate per iniustitiam: exinde autem ex æquo pollutus, & exinde captiuus sub diabolo. Ille igitur qui & sapientiam perdidit & iustitiam, restituendus est in iustitiâ & sanctitate veritatis: ita demum sanctificatur, sic tandem ab omnibus & erroribus liberatur & criminibus.

Tertullian. lib. de carne Christi cap. 17.

Aquin. lect. 4.

Heb. cap. vlt.

Tantum proficit liberatio quantum crescit sanctificatio.

Aquin. lect. 4.

Chrysost. orat. 5.

Verùm, cum homo & adoptione præcipuâ, & copiosâ liberetur redemptione, delictumque dono superetur, noluit dicere de Christo

Apostolus, Fecit nos sapientes, nos fecit & sanctos iustos-ue: sed, [Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia.] Nempe vt & fontem aperiret, & deriuationem longè lateque spargeret. [Per Filium, ait Chrysostomus, vniuersum attribuens Patri, dixit, à Deo. Quare autem non dixit, Fecit nos sapientes, sed, factus est nobis sapientia? Doni ostendens abundantiam. Perinde ac si diceret, seipsum nobis dedit. Atque alibi quidem dicit nos factos esse iustitiam in ipso. Nunc autem dicit ipsum nobis factum esse iustitiam. Quamobrem licet ei qui velit, abundè eius esse particeps. Non enim hic & ille fecit sapientes, sed Christus.] Nunquid ergo tumultuabitur homo sibi carnem seu infinitatem corruptionem-ve detrahi, sibique Christum reddi, sibi etiam virtutem, diuinamque fieri sapientiam? [Factus est enim omnibus fidelibus sapientia, (vt exponit Aquinas) quia ei inhærendo, qui est Dei sapientia, & participando ipsum per gratiam, sapientes facti sumus: & hoc à Deo, qui nobis Christum dedit,& nos ad ipsum traxit.] An conquestus est Christus subsistentiam sibi subtrahi humanam, diuinam inseri? An conquesta est Virgo Mater se non naturâ, sed gratiâ concipere ac parere: cum & inde ille Deus fit,& illa Deum pepererit? Quid queritur disputator ille, ille conquisitor sibi detrahi libidinem humanæ rationis, quasi corruptæ carnis pruriginem, diuinæque reddi reuelationis certitudinem? Hac ratione tutus, hac & valide securus, disputare potes, non potes aberrare. [Etsi enim, (vti dixit Ambrosius) imperatur vt laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur; Duc in altum: hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre? Quam licet mens non queat humanâ plenè rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.] Cui dicitur, Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum? ei qui dicebatur, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Hæc vera verbi sapientia, sed à verbo ipso, id est, à Christo nobis Christianis indita: non enim auditur quid humana suggerat ratio, sed quid diuina reuelatio decernat, attenditur.

Chrysost. ibidem.

Aquin lect. 4.

Ambros. lib. 4. in Luc. vers. finem

Quomodo quis disputare potest, & nō aberrare.

TROPOLOGIA.

Videte enim vocationem vestram, &c.

CONsiderationem sollicitat nostram Apostolus, attentionem-ue postulat sollicitam. In Græco βλέπετε. Attendite, & videte. Nec tamen intendit sapientes omnes, omnes nobiles excludere, sed prætendit deprimere. Dicendum igitur primò pauperes prælatos: Secundò, nobiles vocatos per pauperes: tertiò: eandem & pauperum mensuram & nobilium.

Quoad 1. In hoc insaniebant Valentiniani, imò iam & in hoc desinebant esse Christiani; quod decernerent principes ac reges sacerdotesque reliquis meliores fieri, & præ cæteris eligi. Nugas reiicit Irenæus, fabulas-ue, & ait: [Si hoc verum est, primus vtique Caiphas summus sacerdos, & Annas, & reliqui summi sa-

Iren lib. 2. aduers hæres cap 34

A cerdotes & legis doctores & principes populi credidissent Domino, & ante hos etiam Herodes Rex. Quoniam autem nec hic, nec summi sacerdotes, nec qui præerant, neque clari de populo accurrerunt ei, sed è contrario qui erant in viis mendici sedentes, surdi & cœci, & à reliquis conculcabantur & contemnebantur, quemadmodum & Paulus ait, Videte enim vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes apud vos, nec nobiles, neque fortes, sed quæ fuerunt contemptibilia mundi, elegit Deus.] Sed quid opus est ad confundendam vanitatem, seu infirmam & instabilem sententiam, cum tam aperta esset experientia, vt in-

Infirma & insana Valentinianorum regula.

B de aduersum nos conclamarent ethnici, nec reclamarent hostri negarent-ue. Minutius in Octauio: [Pars vestrûm & maior & melior egetis, algetis, opere, fame laboratis.] Et apud Tertullianum: [Simplices quique, ne dixerim imprudentes & idiotæ, quæ maior semper credentium pars est.] Nec inde confundetur Christianus, cum & inde Christus glorietur. Quid enim vana superstitio? Vanis nititur, & regum imperio fulcitur, & Philosophorum ingenio. [Puto enim, ait Tertullianus, hæ ipsæ materiæ & statuæ de metallis Cæsarum veniunt, & tota templa de nutu Cæsaris constant.] Quid vera religio? illa est quæ nullis eget, soli enim studet veritati. Ethnici sicut & dij, Cæsarum pote-

Minut. Felix in Octau.

Tertullian. lib. aduers. Prax cap. 3.

Tertullian. in Apolog. cap. 29.

C stati sunt obnoxij, Christiani nusquam meliores, nusquam sanctiores, quàm vbi persecutioni Cæsarum sunt expositi. [Illi, inquit Chrysostomus, imperatores colunt plusquam dominos, & quàm idola ipsamet, quibus non nisi eorum metu assident: ita & pessimi dæmones honorem quo afficiuntur, imperatoribus acceptum ferunt. At non ea est rerum nostrarum conditio, sed planè contraria.] Florent illæ, dum reges fauent & principes: languescunt nostræ dum illi applaudunt. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei: inde enim accrescit, aut exinde deficit. Quinam

Chrysost. lib. cont. Gentil.

D euangelizantur à Chisto? pauperes: nobiles enim diuitesque in ipso faciliùs scandalizantur. Quinam vocantur à Christo? pauperes, debiles, claudi, cœci: nec trahuntur tantùm, sed & compelluntur. Quinam à Christo mittuntur prædicando Euangelio? pauperes, ignobiles, rudes, simplicesque. [Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos, ait Ambrosius, ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei destinaret. Simul aduerte cœleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne

Ambros. lib. 5 in Luc circa medium.

E traduxisse prudentiâ, ne redemisse diuitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos videretur: vt veritatis ratio, non disputationis gratia præualeret.] Rectè ergo Apostolus: [Videte vocationem vestram fratres. Considerate, perscrutamini. Non solùm enim magistros indoctos & imperitos Christus, sed & tales eligit discipulos. Verùm, quòd dogmata adeò sapientia, & omnibus sapientiora susceperint indocti, hoc fert testimonium de maximâ magistri sapientiâ.] Ita Chrysostomus.

Chrysost. orat. 3.

Quoad. 2. Nec omnes nobiles potentes-ue aut sapientes excludit Apostolus, nec omnes

confundit. Non enim ait, Nulli sapientes, nulli potentes, nulli nobiles; sed non multi, id est pauci, rari-ue. Tum & distinguit, non enim potentes abiicit, aut sapientes, sed, [Secundùm carnem.] Isti enim videntur esse, & non sunt; desipiunt, licet mundanâ inflentur sapientiâ. Rarum quidem in primæuo illo & fidei calore, & flore Euangelij, accederent vt principes nobiles-ue & crederent. [Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?] Gloriam magis hominum quærunt quàm Dei, nec possunt credere, quia innatam fidei subiicere non possunt superbiam. Quod de Cæsaribus, hoc & de sapientibus: Serò enim venerunt & isti, nec ingenio minùs aduersùs veritatem fidem-ve abusi, quam illi imperio. Rarum igitur, Cæsares adeo sæculo necessarios credidisse super Christo; mirum & ipsos, sapientesque potuisse Christianos esse fidelesque: sed quod mirum & quod omnem superat admirationem, sapientes per ea quæ stulta sunt mundi confusos: reges, per ea quæ non sunt conuictos deuictosque. [Quomodo ergo Christus, (verba sunt Chrysostomi) quando in orbem terrarum mittebat discipulos, cum eis suam ostendisset potestatem primùm in Palæstinâ, & dixisset, Quando misi vos sine crumenâ, & perâ, & calceis, nunquid vobis aliquid defuit? Tunc de cætero permisit vt haberent & peram & crumenam. Ita hic quoque fecit. Quod quærebatur enim erat, vt susciperetur Christi virtus: non vt per externam sapientiam à fide eiicerentur qui accedebant. Quando ergo Græci accusauerint discipulos tanquam litterarum ignaros & imperitos, nos plusquam illi ipsos accusamus.] Nulli enim sapientes secundùm carnem, nulli potentes, nulli docti, nulli Philosophi, nulli secundùm Platonem eloquentes: & tamen omnium doctores, victoresque, nec Platonicorum duntaxat, sed & regum ac principum. Inde controuersiam retexit Chrysostomus inter Christianum & Græcum, certamque deducit victoriam. [Nam cum esset quæstio de Paulo & Platone, Græcus quidem conabatur ostendere Paulum esse rudem & imperitum: Christianus autem ob simplicitatem studebat probare Paulum esse Platone doctiorem & discretiorem. Ita autem Græcus esset victoriam consecutus, si hæc vinceret oratio. Nam si Platone doctior & eloquentior esset Paulus, consentaneum est multos contradicere, quod non gratia superasset, sed eloquentia. Quamobrem faciebat pro Græco quod dicebatur à Christiano. Faciebat autem pro Christiano quod dicebatur à Græco. Nam si imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara fuit victoria. Acceptis enim omnibus illius discipulis persuasit, & eos ad se adduxit.] Hoc ergo stupendum quod firmi ab infirmis victi; multi, à paucis: sapientes, ab indoctis reducti, ad fidem religionem-ve adducti: nobiles vocati per ignobiles, potentes per contemptibiles subiugati. [Ille, ait Augustinus, qui discipulos suos fecit piscatores hominum, intra retia sua omne genus auctoritatis inclusit. Si multitudini credendum, quid copiosius Ecclesiâ toto orbe diffusâ? Si diuitibus credendum est: attendant quot diuites cepit. Si pauperibus credendum est: attendant pauperum millia. Si nobilibus: intus est iam penè tota nobilitas. Si regibus: videant omnes subditos Christo. Si eloquentioribus, doctioribus, prudentioribus: intueantur quanti oratores, quanti periti, quanti Philosophi huius mundi ab illis piscatoribus irretiti sint, vt ad salutem de profundo attraherentur: cogitantes eum qui magnum malum animæ humanæ, id est superbiam, suæ humilitatis exemplo sanare descendens, infirma mundi elegit, vt confunderet fortia; & stulta mundi elegit, vt confunderet sapientes: non qui essent, sed qui esse viderentur. Et ignobilia huius mundi elegit, & ea quæ non sunt: vt ea quæ sunt euacuaret.]

Ioan. cap. 7. — Chrysost. orat. 3. — Chrysost. ibidem — Ridicula Græcû inter ac Christianû controuersia. — Augustin. serm. 63. de diuers. cap. 3.

Quoad. 3. Iam quidem plenum est rete piscibus innumeris, nec paruis tantùm sed & magnis. Verùm magnitudo non ex nobilitate metienda est, sed ex fide desumenda. Sunt enim ibi sapientes sunt & eloquentes, sed secundùm fidem, non secundùm carnem. Ita Apollo vir doctus & eloquens, imò & potens: [Non tamen, ait Chrysostomus, in vi dicendi confidens, sed quòd potens erat in scripturis, & refellebat Iudæos. Alioqui autem erat, id quod quærebatur, vt qui primas tenebant, & cœperant seminare verbum, non essent docti & eloquentes. Isti enim erant quibus magnâ virtute opus erat, vt à principio expellerent errorem: & tunc in ipso ingressu magnis opus erat viribus. Qui ergo eruditis non opus habuit ab initio, si postea accepit disertos, non fecit tanquam indigens, sed tanquam non discernens, nec vllam ponens differentiam. Quomodo enim non egebat sophistis ad ea rectè gerenda quæ volebat, ita nec inuentos propterea expulit.] Sunt & alij sapientes, docti, eloquentes: sed talis eloquentia qualis & doctrina, talis doctrina qualis & sapientia: inspirata nimirum seu diuina, quæ Christianos docet, & quæ decet sanctos. Videte vocationem vestram fratres: si enim verè fideles, verè Christiani, nulli non nobiles, nulli non sapientes, nulli non potentes; non tamen secundùm hominem carnem-ve, sed secundùm fidem: non fideles estis quia reges aut principes, sed principes regesque, quia fideles. [Ex personis probamus fidem, ait Tertullianus, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo maior, nisi Christianus.] Quid ita? Quia, vti Augustinus. [Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior substantia quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas, & coniugales casto pudore conseruat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æternâ hæreditate cum angelis sanctis communicat.] Quid putas me dicere? Cum dico vocatum, dico ad cœlestem destinatum hæreditatem: dico æterni candidatum imperij: non per carnem, sed per fidem. Itaque quo fides maior, eo spes illustrior: quo magis credis, eo magis accedis. [Crede, ait ille, & venis. Sic tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi venis.] Affirmabat Tertullianus

Chrysost. orat. 3. — Philosophi tandem admissi non ob inopiam sed ob indifferentiã. — Tertullian. lib. de præscript. cap. 3. — Augustin. serm. 1. de verb. Apost. cap. 4. — Augustin. serm. 2. de verb. Apost. cap. 2.

neminem sapientem, nisi fidelem: quidni dicat, fidelem omnem, esse sapientem? [Nemo, inquit, retractat, ne ideò bonus Caius, & prudens Lucius, quia Christianus: aut ideò Christianus, quia prudens & bonus.] Indiuidua istorum omnium sequela est: si enim quis verè prudens est, verè sapiens, benè sanctus, & sanctè bonus, vtique Christianus est. Si verè Christianus, prudens est, sapiensque, bonus, imò & sanctus. Nulli etiam apud sanctos seu Christianos, non potentes, non nobiles: hæc enim excellentia vera, vera potentia: & qui pollet fide, dignitate fulget & genere: Ipsius enim Dei genus sumus, id est summo nati imperio. Vnde Cœlestinus ad Imperatorem Theodosium: [Maior, inquit, debet nobis esse fidei causa, quàm regni.] Nec enim & ipsi reges, imperatores, in regno Christi, existimantur nobiles, nisi fideles? & tantum Dei iudicio sapientes reputantur, quantum fideles. Vna enim omnium apud ipsum mensura est ac regula: & qui maiori pollet fide, maiori etiam potestate, maiori nobilitate, ampliori pollet dignitate.

Tertullian. in Apolog cap. 3.

Cœlestin. ex Con. Ephes.

ANAGOGIA.

Verbum crucis pereuntibus stultitia est.

PVtas quales debeant esse sanctorum cogitationes? Audi Leonem dicentem: [Semper quidem fidelium mentis in diuinorum operum decet admiratione versari, & rationales animos iis maximè cogitationibus inhærere, per quas incrementum fidei consequantur.] Spiras ergo fidem, nec modicam, sed heroïcam. Tria igitur dicenda sunt: quorum primum est, Deum per crucem reddidisse fidem penè incredibilem: secundum, piis sanctis-ue eo magis acceptabilem quo minùs credibilem: tertium, per stultitiam prædicationis, non tam amputatam esse ansam gloriationis, quàm paratam ouationis materiam.

Leo serm. 10. de Pass. Dom. à princip.

Quoad 1. Quis credere valeat, imò quis audeat dicere, Deum passum ac mortuum, nisi Deus ipse dixerit, dicique iusserit & credi? Nulla id patitur humana ratio, imò contranititur vana præsumptio. [Ipse Petrus à petrâ, ait Augustinus, cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatûs principatum tenens; continuò post paululum iam audito quòd beatus esset, iam audito quòd Petrus esset, iam audito quòd super petram ædificandus esset, posteaquam audiuit futuram Domini passionem, displicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confessus fuerat vitæ fontem. Turbatus est, dicens; Absit à te, inquit, Domine, non fiet istud. Denique continuò Christus reprehendit, quem paulò antè laudauerat: & quem beatum dixerat, satanam appellat. Redi, inquit, post me satanas, scandalum mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.] Vnde Petrus satanas, vnde aduersarius? Quia sapit quæ sunt hominum. Cum enim diuino afflatus numine pronuntiauit Christum Dei Filium, dictus est beatus: dum humano subornatus lumine, negauit Deum moriturum, declaratus est aduersarius. Si enim humanam

Augustin. serm. 3. de verb. Dom. cap. 2.

Petrus vnde dictus sit à Christo aduersarius.

A consulat rationem, non negat naturam diuinam esse immortalem, sed Deum pati detrectat & mori. Deus viuit, annuit. Deus moritur, contranititur. [Quid ergo non vult facere, ait ille, ex hoc quod sumus, qui sic culpat quod homines sumus? Vultis scire quid nos velit facere? Audite Psalmum, Ego dixi dij estis, & filij Excelsi omnes. Sed humana sapiendo, vos autem sicut homines moriemini. Idem ipse Petrus paulò antè beatus, postea satanas, in momento vno, infrà pauca verba. Miraris differentiam nominum? Differentias attende causarum. Quid miraris, quia paulò antè beatus, postea satanas? Attende causam quare

Augustin. ibidem.

B beatus. Quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est. Ideò beatus, quia tibi non caro & sanguis reuelauit. Si enim caro & sanguis hoc tibi reuelaret, de tuo: quia verò non caro & sanguis tibi reuelauit, sed Pater meus qui in cœlis est, de meo, non de tuo. Quare ergo illud, quod horrescimus, & repetere nolumus? Quare, nisi quia de tuo? Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.] Si titubat Petrus, si petra cespitat: quid Christianus si infirmus, quid & Iudæus? [Quid enim illud fuit, ait Leo, quod & Iudæis intellectum abstulit, & sapientium mundi corda turbauit, nisi crux Filij Dei, quæ & Philosophiam euanescere prudentium, & Israeliticam fecit caliga-

Leo se. 10. de Pass. Dom. cir. med.

C re doctrinam? omnem namque sensum humanæ mentis excessit diuini altitudo consilij, cum placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, vt mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim & irrationabile videbatur, recipere animo, quod creatorem omnium naturam, in substantiâ veri hominis, virgo intemerata pepetisset, quòd æqualis Patri, Filius Dei, qui impleret omnia, & contineret vniuersa, furentium manibus comprehendi, iniquorum iudicio condemnari, & post dedecora illusionum,

D cruci se permisisset affigi.] Deum fieri hominem, res planè mirabilis: hominem Deum pati, res penè incredibilis. Quid ergo mori, crucifigi? & iniquorum opprimi iudicio, & suppliciorum illudi opprobrio?

Quoad 2. Deus mortuus est, Deus crucifixus est. Quid ethnicus, quid Iudæus, quid & Christianus si nondum obfirmatus? [Turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei Filio, & stultum: propterea quis ita credat?] Ita apud Tertullianum. Sed quid ille. [Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum. Sed circumspice, Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientia. Quænam hæc stulta sunt? conuersio

Tertullian. lib de carne Christi cap. 4.

E hominis ad cultum veri Dei? reiectio erroris? disciplina iustitiæ, pudicitiæ, patientiæ, misericordiæ, innocentiæ? omnia hæc quidem stulta non sunt. Quære ergo de quibus dixerit. Et si te præsumpseris inuenisse, non erit tam stultum, quàm credere in Deum natum, & quidem ex virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit. Dicat hæc aliquis stulta non esse: & alia sint, quæ Deus in æmulationem elegerit sapientiæ sæcularis.] Si indecens, si inconueniens, credere in Deum natum; quid in Deum credere mortuum? adde & crucifixum. [Sunt igitur planè, ait ille, & alia tam stulta,

Tertullian. cap. 5.

Augustin. ibidem.

stulta, quæ pertinent ad contumelias & passiones Dei. Aut prudentiam dicant, Deum crucifixum. Aufer hoc quoque, imò hoc potius. Quid enim indignius Deo? quid magis erubescendum, nasci an mori? carnem gestare, an crucem? circumcidi, an suffigi? educari, an sepeliri? in præsepe deponi, an in monumento recondi? Sapientior eris, si nec ista credideris. Sed non eris sapiens, nisi stultus in sæculo fueris, Dei stulta credendo.] Deridebant Christum Iudæi, maximè qui erant auari, crucis inimici, ventris operarij; dicebantque stultum esse credere in Deum carneū, Deum mortuum; imò impossibile, Deum pati aut mori. Quid porrò Christus? Per stultitiam probauit sapientiam. Per impossibilitatem, possibilitatem demonstrauit. [Quid est enim quod ait: (verba Augustini) Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei? Diuitem hîc appellat cupidum rerum temporalium, & de talibus superbientem. Sensus est autem, facilius Christum pati pro dilectoribus sæculi, quàm dilectores sæculi ad Christum posse conuerti. Cameli igitur nomine se intelligi voluit, quia humiliatus onera sustulit. Per acum autem punctiones significat, per punctiones dolores in passione susceptos. Foramen ergo acûs dicit angustias passionis.] Iam verò, possunt cupidi & superbi esse salui? possunt, sed si diuinâ adiuti gratiâ, cupiditatem deposuerint, inuaserint humilitatem. Tamen & Christo facilius est in assumptâ naturâ pati & mori, quàm superbo & cupido in naturâ peruersâ ac corruptâ conuerti. Facilius credere Christum humilem esse mortuum, quàm superbum hominem in regnum Dei intraturum. Credis hoc? Imò nec impossibile dicis, sed facile. Quanto aliud facilius, quod, etsi dictum non est, certè visum est impossibilius? [Sed iam hinc responde, interfector veritatis. (ita Tertullianus ad Marcionem) Nonne verè crucifixus est Deus? nonne verè mortuus, vt verè crucifixus? Falsò ergo statuit inter nos scire Paulus tantùm Iesum crucifixum. Falsò Christus: Qui mei, inquit, confusus fuerit, confundar & ego eius. Alias enim non inuenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem, & fœliciter stultum. Crucifixus est Dei filius: non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius: prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: certum est, quia impossibile.] Nihil ineptum, nihil pudendum; sicut & nihil impossibile apud Deum, imò nihil & difficile censendum est. Sed quo magis res aliqua difficilis putatur, imò & impossibilis & inepta; eo magis credibilis probatur & certo tenenda, vt verè mira, & planè diuina.

Augustin. lib. 2 quæst. Euang. q. 4.

Leo ser. 10. de Pass. Dom. circ. med.

Omnes homines de se superbi sunt & cupidi.

Tertullian. lib. de carne Christi. cap. 5.

Tertullian. lib de carne Christi cap. 4.

Quoad 3. Equidem vndique humilitati adstricti sumus, vndique admoniti sumus, nullam nobis ansam gloriationis relictam. [Altissimo quippe ac saluberrimo sacramento, (vti Augustinus loquitur) vniuersa facies, atque (vt ita dixerim) vultus sanctarum scripturarum, benè intuentes id admonere inuenitur, vt qui glorietur, in Domino glorietur.] Sed quod nobis in peccato demitur, redditur in patibulo. Crux enim Christi, vt Leo dixit. [Omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.] Planè gloriabitur Paulus, gloriabitur homo, gloriabitur & caro, sed in carne Christi, in cruce Christi gloriabitur. Ibi enim sapientia vera, ibi vera & gloria. [Ait Paulus crucē Christi stultitiam esse perituris, ait Tertullianus, virtutem autem & sapientiam Dei, salutem consecuturis. Et vt ostenderet vnde hoc eueniret, adiicit, Scriptum est enim, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium irritam faciam. Cur apud Dominum optimum, & profusæ misericordiæ, alij salutem referunt, credentes crucem virtutem & sapientiam Dei esse; alij perditionem, quibus Christi crux stultitia reputatur, si non creatoris est aliquam & populi & humani generis offensam detrimento sapientiæ atque prudentiæ multasse? Hoc sequentia confirmabunt, cum dicit, Nonne infatuauit Deus sapientiam mundi? Cumque & hîc adiicit, quare; Quoniam in Dei sapientiâ non intellexit mundus per sapientiam Deum: boni duxit Deus per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Igitur, quia homo in sapientiâ non cognouit Deum, quem cognoscere debuerat, & Iudæus in sapientiâ scripturarum, & omnis gens in sapientiâ operum: ideò Deus idem, qui in sapientiâ non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitiâ repercutere, saluos faciendo credentes quosque in stultam crucis prædicationem. Quid est enim stultum Dei sapientius hominibus, nisi crux & mors Christi? Quid infirmum Dei, fortius homine, nisi natiuitas & caro Dei?] Græci sapientiam affectant, Iudæi signa desiderant, & per ipsa supremam sollicitant potentiam. Nos autem quærimus Christum crucifixum, in quo & potentiam Dei inuenimus & sapientiam. Patibulum erexit Deus, tanquam veræ trophæum gloriæ, quia in ipso tanquam in sacrario, tanquam in arcano thesauro, tanquam in promptuario mystico, & virtutem sub infirmitate, & honorem sub inhonestate recondidit. [Cæterùm, (ita ille absoluit) si nec natus ex Virgine Christus, nec carne constructus; ac per hoc neque crucem, neque mortem verè perpessus est, nihil in illo fit stultum & infirmum; nec iam stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam; nec infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia; nec inhonesta & minima & contemptibilia, quæ non sunt, id est, quæ non verè sunt, vt confundat quæ sunt, id est, quæ verè sunt. Nihil enim à Deo dispositum, est verè modicum, & ignobile, & contemptibile, sed quod ab homine.] Humana tam verè non sunt, quàm verè contemptibilia sunt, nisi quæ lapsa sunt, restaurentur per Christum crucifixum, per patibulum reparentur. Ibi igitur gloriandum de infirmitate, gloriandum de inhonestate: quia eo maior gloriatio est, quo maior confusio; quo humiliatio difformior, eo deiformior exaltatio.

Augustin. cap. 98. Euch.

Leo serm. 8.


Tertullian. cap. 5.

Leo de Pass. Dom. ver. finem.

Tertullian. lib. c. adu. Marcion. cap. 5.

Alia scripturarum, alia operum sapientia.

Tertullian. ibidem.



CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

CHristum crucifixum prædicat Apostolus: sapientiam nihilominùs reuelat in tanto absconditam mysterio. Id vnum & totum, sed in duas partes dissectum.

PARS PRIMA.

DE CHRISTO CRVCIFIXO.

TEXTVS.

ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.

EXEGESIS LITTERALIS.

MAnifestat Corinthiis tremorem suum Apostolus, sed per tremorem, virtutem insinuat. Quid enim sibi aut aliis non promittat, qui Christum & hunc crucifixum portat & glorificat?

[Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi, &c.] Quod aliis, hoc & Corinthiis: imò & faciliùs Corinthiis, lubentiusque quàm aliis, quia pseudapostoli eruditis & exquisitis sermonibus doctrinam adornabant, buccisque concrepantibus suam in Euangelio prædicando ventilabant sapientiam. Quid igitur aliis? [Non in sapientiâ verbi.] Itaque cum prædicaret Corinthiis, sublimem orationem non arripuit, nec mundanam exeruit Philosophiam: sed officio suo functus est simpliciter, confidenter de Christo testificatus est absque sermonis pompâ, absque auris illecebrâ. [Non modò, inquit, (apud Athanas.) Euangelij discipuli sunt insipientes & ignobiles lecti. Quin vel ipse ego Euangelij præco, nullo ad vos concessi verborum apparatu, vel sapientiâ vllâ humanâ, Dei vobis testimonium pronuntiaturus, id est Christi mortem.] Huius Paulus discipulus fidelis, & testis. [Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, &c.] Sic apud vos egi, sic & agendum statui, tanquam nihil scirem, nihil aliud nos-

Quo stylo Paulus de Christo testificatus sit.

Athanas. in Paulum.

A sem præter Christum, & hunc crucifixum. [Illud ergo, iudicaui me scire, dictum est, ait Chrysostomus, vt distinguatur ab externâ sapientiâ, & ei opponatur. Non enim veni connectens syllogismos, nec sophismata, neque aliquid aliud dicens quàm Christum esse crucifixum.] In quo non tam despuit stylum, quàm fastum deprimit: sæcularem eloquentiam, insolentem deiicit arrogantiam.

Chrysost. orat. 6.

[Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos, &c.] Infirmitas propriè significat malam corporis habitudinem, at verò sicut ista ex mortalitate seu corruptibilitate contracta est, exinde & in alias naturæ læsæ ac languidæ miserias effusa; sic non solùm corporis vilitatem, sed & afflictionem mentis denotat. Ita, [Præsentia corporis infirma.] Id est, B vilis, ac contemptibilis. Ita [Iuuenes & virgines, infirmati sunt.] Id est, afflicti. Denique quia præcipuus humanæ naturæ defectus, peccatum est, ex quo labor & dolor, inde peccatores infirmi, quia rebelles & impij. [Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.] Heic autem infirmitas potest esse & carnis & mentis, sicut & timor mentis est, tremor corporis. Verùm & infirmitas pro humilitate conuersationis, sicut timor & tremor pro operis sollicitudine. [Hæc enim commemorat, ait Comment. Athanas. vt Christi potentiam patefaciat: nec minùs vt supercilium Corinthiorum arguat & tumorem, sapientiæ duntaxat & opibus confidentium.] At qualis sermo, talis conuersatio: humilis, ne dicam & vilis: sollicitus enim erat

2. Corinth. cap. 10.

1. Machab. cap. 2.

Psalm 6.

Comment. Athanas.

Paulus in Euangelio prædicando sollicitus.

Paulus ne aut offendiculum daret aut euacuaret Euangelium. [Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis, &c.] Non sum vsus in Euangelio prædicando verbis & argumentis ad mulcendum persuadendumque compositis: sed signis ac miraculis virtute Spiritûs sancti editis. [Vt fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.] Vt, [Quæ verbis infirma, ait Comment. Ambros. iuxta virtutem fortia.] Nolo fidem vestram humanæ niti eloquentiæ, aut mundanæ adscribi sapientiæ: diuinæ enim virtutis opus est, non effectus artis humanæ.

Comment. Ambros.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

NOn prædicauit Paulus in sapientiâ verbi: Sed an potuit? Substitit in doctrina Christi crucifixi: Sed an debuit. Disquirendum est. Sit ergo.

DISQVISITIO PRIMA.

De sapientia verbi.

DVplex causa cur Paulus non prædicarit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, id est, cur ornamentis, verbis-ve vsus non fuerit phaleratis. Vna causa vniuersalis est, specialis altera. Prima est, quia Christum prædicabat, & hunc crucifixum, ideoque repudiabat ornatum. [Ne euacuetur crux Christi.] Nam, vt obseruat Aquinas. [Qui principaliter innititur in docendo sapientiâ verbi, quantum in se est, euacuat crucem Christi. Docere ergo in sapientiâ verbi, non est modus conueniens fidei Christianæ: & hoc est quod dicit Apostolus, vt non euacuetur crux Christi: id est ne si in sapientiâ verbi prædicare voluero, tollatur fides de virtute crucis Christi.] Docendi seu dicendi modus doctrinæ seu materiæ suæ debet esse congruus: est autem congruus, cum astruitur id quod quæritur; incongruus, cum id quod prætenditur, vel in totum, vel modicum etiam destruitur. Sed nota quod obseruat Aquinas: [Qui principaliter innititur in docendo sapientiâ verbi, quantum in se est, euacuat crucem Christi.] Nam sicut ex Pauli monito, attendendum est lectioni; sic &, ex Augustini placito, sermoni studendum est. [Duæ enim sunt res, inquit, quibus nititur omnis tractatio scripturarum: modus intelligendi quæ inuenienda sunt, & modus proferendi quæ intellecta sunt.] Inde & ille toties: [Aderit Deus vt congruè loquar, & vos sufficienter audiatis.] Sed aliud, adhibere verbum congruum velut rei principali accessorium; aliud, in sermone seu in arte præcipuam docendi suadendique fiduciam statuere. Non contemnit sermonem Christianus, vti nec Apostolus; sed arcanam agnoscit virtutem, diuinam suspicit artem, non tam placentem auri, quàm cordi

Aquin. lect. 3. cap. 1.

Modus docendi debet esse doctrinæ congruus.

Augustin. lib. 1. de doct. Christi. cap. 1. & ... epist. lib. 4.

præsidentem. Ita Esther: [Da mihi fiduciam Domine rex deorum, & vniuersæ potestatis: tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, vt & ipse pereat.] Quod & Ecclesia: [Conforta me rex sanctorum principatum tenens, & da sermonem rectum, & benè sonantem in os meum, vt placeant verba mea in conspectu principis.] Sic & Leo: [Infidelitas, inquit, quæ omnium est mater errorum, in multas opiniones, quas arte dicendi necesse habeat colorare; distrahitur. Veritatis autem testificatio, nunquam à suâ luce discedit, & quòd aliis minùs, aliis ampliùs micat, non varietas facit luminis, sed infirmitas contemplationis. Cui secundùm supernæ illuminationis auxilium, etiam meo sermone famulandum est, vt quoniam Dei agricultura, Dei ædificatio estis, ipse & dispensanti & accipienti tribuat sufficientiam, qui largitionum suarum iustam exigere nouit mensuram.] Quis enim voci nostræ dat vocem virtutis, nisi qui nostræ infirmitatis sermonem releuat?

Esther. cap. 14.

Leo serm. 18. de Pass. Dom. post init.

Altera causa specialis est, quia ipsis Corinthiis. [Mihi enim, ait Chrysostomus, videtur cum ipsis loqui humiliùs quàm cum aliis, fastum eorum deprimens. Nihil est ad decertandum Pauli animâ acrius, vel potius non illius animâ: neque enim ipse hæc inueniebat: Sed nihil par in eo operanti gratiæ, quæ omnia vincit. Nam sufficiunt quidem ea quæ priùs dicta sunt, ad deiiciendam eorum arrogantiam & fastum qui se extollebant ob sapientiam, imò verò vel pars eorum quæ dicta sunt. Vt sit autem præclarior victoria, iis etiam, quæ dicta sunt decertabit, prostratis insultans aduersariis. Ostendit quòd id quod est stultum Dei, est sapientius hominibus. Nunc ostendit quòd & ipsum quod prædicabatur, & modus prædicationis, satis erant ad conturbandum, sed non conturbarunt.] Itaque, [Et ego, cum venissem ad vos.] Corinthios scilicet, & humanâ eloquentiâ inescatos, & mundanâ subornatos sapientiâ. [Erat enim Corinthus, vt ille ait, ciuitas oratoribus plena & Philosophis, mercaturæ autem amplam habebat materiam. Diabolus ergo ad struendas insidias accepit occasionem ex diuitiis, & sapientiâ habitantium. Hinc quidam per se & à seipsis electi, in classes & sectas diuisi, præfuerunt plebi. Et alij quidem his, alij verò illis se dispertierunt: illis quidem tanquam diuitibus, his verò tanquam sapientibus, & qui plus possent docere. Qui etiam eis acceptis, contendebant & gloriabantur se plura dicere quàm Apostolus. Neque verò erat hoc paruum, sed omnium perniciosissimum, diuulsam esse Ecclesiam. Hinc autem diuisi fuerant, vt qui hoc ipsum quoque didicissent à Philosophis. Nam & illi sibi inter se aduersabantur, propter imperandi desiderium, & inanis gloriæ studium, contraria inter se tuentes dogmata, & studentes inuenire aliquid præter priores.] Optimè igitur Apostolus, qui iam præmiserat, infirma, stulta & contemptibilia mundi à Deo electa in Euangelij ministerio, & seipsum licet Apostolum inter illa computat. Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ,

Chrysost. orat. 6.

Chrysost. in argum.

Schismata ab antiquis exorta Philosophis.

annuntians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos. Id est, vt exponit Athanas. [Et ipse quidem factu id optimum iudicaui.]

Athanas. in Paulum.

Sed si iudicium ita prædicandi in Apostolo fuit, & in ipso aliter concionandi arbitrium: non enim deliberamus, aut iudicamus, hoc vel illud faciendum, vel istud præ altero eligendum, nisi cum vtrumque possumus; sed vnum volumus aut respuimus, alterum alteri præferimus. Nonnulli statuunt quatuor genera dicendi; copiosum, in quo Cicero; siccum in quo Fronto; breue, in quo Sallustius; pingue & floridum, in quo Plinius. Alij minuunt, tribus contenti characteribus, sublimi, tenui, mixto; id est, supremo, infimo, medio. Quicquid sit, nihil non Paulus percalluit, nullius expers eloquentiæ, sicut & nullius exsors sapientiæ. Cur enim Philosophos & oratores non aliquando consultarit, cum & Poëtas perlectarit? Cur iudicium iniit de doctrinâ, si in conscientiâ nouit sibi non esse liberum? Hilarius in eo psalmi verba, Iudica iudicium meum, & redime me, &c. [Magnæ, inquit, ac securæ conscientiæ vox est, iudicij sui iudicium postulare: vt ad id quod statutum à se sibique complacitum est, etiam diuinæ sententiæ examen exoptet. Ita nec ille quidem iudicij sui iudicium pertimescit, qui ait: Ego autem non iudicaui quicquam scire me, nisi Christum Iesum: & hunc crucifixum.] Non censui aliud docendum, aliterque dicendum. At quomodo vnum elegit, vt aptum ac congruum, si alterum non potuit? Potuit ergo, sed noluit, quia non iudicauit idoneum. [Et hoc quidem tacitè quoque innuens dicebat: Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus: non propter suam scilicet egestatem, sed propter illorum multa audiendi imbecillitatem.] Ita Chrysostomus in diuersum licet, etsi in Paulum propensus. Habuit ergo eruditæ linguæ facundiam, habuit & externæ copiam Philosophiæ; sed tantum abest vt ostentauerit, quin & dissimulauerit. Non ei defuit facultas, sed ei libertas fuit adhibēdi aut subtrahēdi vbi dignū aut indignum censuit. [Quoniam ergo (ita concludit Ambros.) superiùs gradatim formam disciplinæ nostræ ostendit, nunc se non aliter illis tradidisse probat, quàm quæ supra ostendit: quia & in humilitate sermonis, & in stultitiâ prædicationis, sicut mundo videtur, locutus est illis de Christo mysterium.] Placuit Corinthiis, iam isto astu irretitis, imò & fastu corruptis, alta demere: & vt dixit Tertullianus, [Contraria contrariis redarguere.] Illa quidem ornamenta sunt, sed deformi potius fœminæ, quam formosæ virtuti necessaria: & si quando ad decentiam congruentiamque adhibenda sunt, fiducia sperandæ victoriæ non in studio humano, sed in diuino constituenda est auxilio.

Hila. Psal. 118.

Ornamenta virtuti aut veritati non necessaria.

Chrysost. in argum

Ambros. in Paulum.

Tertullian. lib 5. aduers. Mar. cap. 5.

DISQVISITIO SECVNDA.

De doctrinâ Christi crucifixi.

ANnuntiat Paulus testimonium, seu, vti dixit Ambrosius, mysterium Christi, hoc est, Christum & natum & mortuum prædicat. [Ideò enim, ait ille, mysterium vocat, quia quod incarnatum est, occultum erat à sæculis, apud Deum Deus Verbum.] Benè est. Cur ergo iudicat se nihil aliud scire apud Corinthios, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, id est, non aliud præter crucem & mortem apud ipsos prædicat? An igitur totum Christi testimonium cruce absoluitur, aut nihil prorsus de Trinitate, cæteris-ve baptismi ac fidei mysteriis præscribitur? Respondeo primò, Paulum nonnihil commotum indignatumque, Corinthios eleuasse, tractasse vt paruulos. [Animaduertamus, ait Tertullianus, totam epistolam primam, vt ita dixerim, non atramento, sed felle conscriptam, tumentem, indignantem, dedignantem, comminantem, inuidiosam, & per singulas causas, in quosdam quasi mancipes earum figuratam. Sic enim exegerant schismata, & æmulationes, & dissensiones, & præsumptiones, & elationes, & contentiones; vt & inuidiâ onerarentur, & correptione retunderentur, & superbiâ elimarentur, & austeritate deterrerentur. Et qualis inuidia humilitatis aculeus? Deo gratias ago, quòd neminem vestrûm tinxerim, nisi Crispum & Caïum: ne quis dicat quòd in nomine meo tinxerim. Nec enim iudicaui scire aliquid in vobis, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum. De quali contra supercilio pronuntiare compulsus est, Mihi autem in modico est, vt à vobis interroger, aut ab humano die. Cæterùm libertas quàm apertæ obiurgationis, quàm exerta acies machæræ spiritalis? Iam ditati estis, iam saturati estis.] Et ita deinceps totam percurrit epistolam, ostenditque spinis consertam & aculeis. Respondeo secundò. Paulum prædicasse Christum crucifixum, vt doctrinæ Christianæ summarium. [Principale enim (vti Aquinas loquitur) in doctrinâ fidei Christianæ, est salus per crucem Christi facta.] Ita Bernardus: [Hæ, inquit, diuitiæ salutis & gloriæ, sanguis pretiosus quo redempti sumus, & crux Dominica, in quâ cum Apostolo gloriamur. Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi. Et dicebat: Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Ipsa est læua Christus Iesus, & hic crucifixus: nam dextera quidem Christus Iesus: Christum, inquit, Iesum, & hunc crucifixum.] Quasi duobus tantum capitibus contenta sit doctrina Christiana, seu duabus vlnis tota manibus-ve comprehensa.

Ambros. in Paulum.

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 14.

Epistola felle non atramento conscripta.

Aquin. lect. 3. cap. 1.

Bernard. serm. 3 in vigil. natiuit. vlt. med.

Respondeo vltimò. Verba non ex sono sed ex scopo, seu instituto diiudicanda esse Apostolico. Vanitatem enim Corinthiorum demetit Apostolus, humilitatem ingerit. Et ego cum venissem ad vos, non veni in sublimitate sermonis aut sapientiæ. Sermonis, concionando per aliquas sublimes formulas; sapientiæ, ratiocinando per aliquas subtiles vias. [Hoc autem dicit Apostolus, ait Aquinas, quia fidem Christi per huiusmodi sublimitates sermonis aut sapientiæ confirmare nolebat 1. Reg. 2. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. Deinde huius rationem assignat, dicens: Non enim iudicaui me scire aliquid nisi Christum Iesum. Non enim ad hoc opus erat vt sapientiam

Aquin lect. 1.

Verba Pauli ex scopo & instituto diiudicanda.

ostentaret, sed vt demonstraret virtutem, secundùm illud. 2. Corinth. 4. Non enim prædicamus nosmetipsos, sed Iesum Christum. Et ideò solùm vtebatur his, quæ ad demonstrandam virtutem Christi pertinebant, existimans se, ac si nihil sciret, quàm Iesum Christum. Subditque, Et hunc crucifixum. Quasi dicat; Sic vobis me exhibui, ac si nihil aliud scirem, quàm crucem Christi. Quia igitur per sapientiam verbi euacuatur crux Christi, vt dictum est, ideò ipse Apostolus non venerat in sublimitate sermonis aut sapientiæ. Ideoque cum dicit, Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: ostendit quòd non prætenderit apud eos potentiam, sed potius contrarium. Et cum ait, Et sermo meus &c. ostendit quòd non prætenderit apud eos excellentiam eloquentiæ.] Hoc igitur egit Apostolus non solùm quod decuit, sed & quod debuit: vanitatem quippe deiiciebat mentis, crucis humilitatem extollebat. [Non est enim, (vt dixit Hilarius) confidendum in prudentiâ humanâ, vt perfectum se quis putet sapere quod sapiat: & in eo arbitretur absolutæ rationis summam contineri, quòd ipsa mente pertractans, æquabili vndique apud se existimet veritatis opinione constare: Atque ob id imperfectæ naturæ substitutio, perfecti sensûs sapientiam obtinere se glorians, stultæ sapientiæ irridebitur opprobrio, Apostolo dicente: Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare; non in sermone sapientiæ, ne inanis fiat crux Christi. Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.] Quasi contentus Apostolus, [Annuntiate Corinthijs ea quæ erant manifestiora & inferiora in Christo Iesu:] Vt Aquinas loquitur. Nec profunda gratiæ diuinæ mysteria statim enucleare proposuerit, & tamen in Christo, tanquam in recondito thesauro sensim exposuerit.

Hilarius lib. 3. de Trinit. vers. finem.

Aquin. lect.

ALLEGORICA ÆTIOLOGIA.

Vt fides vestra sit in virtute Dei.

ET nos vno contenti erimus, vt Christo addicti crucifixo. [Ætiologia verò, vt definit Aquinas, ea est, cum causa dicti assignatur: allegoria pro sensu spiritali ponitur, & sub sensu allegorico Hugo de sancto Victore etiam anagogicum comprehendit.] Exponemus igitur spiritales Apostolici dicti rationes, partimque litteram ad tropologicam, partim ad anagogicam reducemus intelligentiam.

quin. 1. p. art. 10. ad 2.

Prima ratio. Quia Christiani baptizati sunt in nomine Christi crucifixi. Iam audiuimus Paulum dicentem. [Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?] Ex Græco [In nomen.] Nam vocati sumus ad militiam Dei viui; sed annumerati sumus in familiam Christi crucifixi, cum in Sacramenti verba respondimus. [Interrogatus es: ait Ambrosius, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, credo, & mersisti: ideò & Christo es sepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò interrogatus es: Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti, credo, tertiò mersisti.] In quibus tria subnotanda sunt. Primum est, nos quidem in nomine trium personarum baptizari, sed in ijs solum Christum, Dominum nominari. Quid ergo, Pater non est Dominus? imò, si quæstio baptismi non sit, aut ratio Sacramenti; ideò quippe Christus est Dominus, quia Dei Patris est Filius; ideo Spiritus sanctus est Dominus, quia Patris & Filij Spiritus. [Primò quidem, ait Tertullianus, Patrem Dominum præscribo, non alium agnoscendum, quàm hominis & vniuersitatis creatorem & institutorem. Porrò, Patri etiam Domini nomen accedere ob potestatem, quòd & Filius per Patrem capiat.] At in baptismo, solus pronuntiatur Dominus, quia Christiani in nomen eius baptizantur: id est pronuntiantur sui, dum Christiani nominantur. Secundum, trinam quidem interrogationem fieri, sed eandem repeti mersionem. Res enim semper in crucem recurrit, semper in mortem refluit: ideò enim mergimur, & eodem modo mergimur, quia non per ceremoniam mersionis, sed per passionem & crucem ad eiusdem resurrectionis gloriam perducimur. [Quicumque enim baptizatur, ait Ambrosius, in morte Iesu baptizatur. Quid est in morte? Vt quomodo Christus mortuus est: sic & tu mortem degustes. Quomodo Christus mortuus est peccato, & Deo viuit: ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi.] Christo conformaris in morte, conformaris in resurrectione: sed in morte, per similitudinem; per veritatem verò in resurrectione conformaberis. Tertium denique, Christum olim in baptismo inuocatum & hunc crucifixum. Quid est enim, [Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius?] Nisi, credis in Christum Iesum, & hunc crucifixum? Nescis, quia non solùm nomen Christi geris, sed & speciem crucifixi? [Cum enim mergis, ait ille, mortis suscipis & sepulturæ similitudinem: crucis illius accipis sacramentum, quòd in cruce Christus pependit, & clauis confixum est corpus. Tu cum crucifigeris, Christo adhæres, clauis Domini nostri Iesu Christi adhæres, ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clauus Christi, quem reuocat humanæ conditionis infirmitas.] Hæc ergo prima causa cur Paulus Christum imprimat, cur nec alium sciat quàm crucifixum. In nomen enim Christi baptizati sumus, crucifixi; imò Christi, quia crucifixi. Inde expostulat cum Corinthiis, quasi pro ipsis crucifixus esset: inde exultat nullum prope esse baptizatum, ne quis dicat se in Pauli nomen baptizatum tanquam crucifixi, ne debitam Christo & huic crucifixo gloriam detrahat. Baptismus quippe in nomen Christi datur, in ipso Christus inuocatur crucifixus, quia vis in eo crucis, sed virtus sanguinis operatur.

Ambros. lib. 1. de Sacrament. c. 7.

Tertullian. lib. 5. adu. Marcion. cap. 5.

Ambros. lib. 2. de Sacrament. c. 7.

Christus crucifixus in baptismo olim inuocatus.

Ambros. ibidem.



Secunda ratio. Quia singulare mysterium fidei Christianæ est, imò & vniuersale infirmitatis auxilium. Annuntiat Paulus testimonium Christi, Græcè μαρτύριον τοῦ θεοῦ. Alij μυστήριον, mysterium, Sacramentum. Quodnam illud? [Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum] Hoc nimirum est quod euangelizat Paulus, prædicans Christum & hunc crucifixum, annuntians singulare istud de Deo & Christo mysterium: vnum esse testificans Deum & Christum, & Christum crucifixum. [Non enim, ait Hilarius, alius est moriens & regnans, neque alius est commendans spiritum & expirans: neque alius est sepultus & resurgens, neque non vnus est descendens & ascendens. Audi in hoc Apostolicæ doctrinæ eruditam non carnis sensu, sed dono spiritûs fidem: cum Græcis sapientiam, & Iudæis signa poscentibus loquitur: Nos autem prædicamus Christum Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Iesum Dei virtutem & Dei sapientiam. Nunquid diuisus est Christus: vt alius sit Iesus crucifixus, alius Christus virtus & sapientia Dei? Sed sapientia non mundo cognita, nec intellecta à prudentibus sæculi. Et quàm non intellecta sit, disce, eodem beato Apostolo dicente: Sed loquimur Dei sapientiam, quæ in Sacramento abscondita est. An ne Apostolus ignorat hanc Dei sapientiam in Sacramento absconditam, & esse principibus sæculi ignorabilem. An ne diuidit Christum, vt alius sit Dominus majestatis, alius Iesus crucifixus? Sed stultissimæ huic atque impiissimæ opinioni contradicit, dicens: Non enim iudicaui me quicquam scire in vobis, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Aliud Apostolus nescit, neque aliud se scire indicat.] Nihil enim non scit, qui Christum scit, & hunc crucifixum. [Sciant enim omnes in Christo crucifixo multa homines dicere, (verba sunt Augustini) & maximè quòd vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Proinde attendant & videant: quemadmodum doceatur atque discatur Christus crucifixus, & ad eius crucem nouerint pertinere, quod etiam nos in eius corpore crucifigimur mundo. Vbi intelligitur omnis coërcitio malarum concupiscentiarum: ac per hoc fieri non potest, vt eis qui cruce Christi informantur, professa adulteria permittantur. Nam & Apostolus Petrus de Sacramento ipsius crucis, hoc est, Passionis Christi, admonet, vt qui eâ consecrantur, peccare desistant, ita loquens: Christo ergo passo per carnem, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui mortuus est carne, desijt peccare, vt iam non hominum desiderijs, sed voluntate Domini Dei reliquum in carne viuat, &c. Quibus consequenter ostendit eum pertinere ad Christum crucifixum, hoc est per carnem passum, qui in eius corpore crucifixus carnalibus desideriis, benè viuit per Euangelium. Cum ergo Christus euangelizatur, non solùm quod ad fidem, verum etiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur. Et hoc intelligi potest etiam in eo quod dixit

Hilarius lib. 10. de Trinit. vers. finem.

B

C

Augustin. lib. de fide & operib. cap. 10.

D

E

In Christo crucifixo, non solùm fides, sed & mores.

A Apostolus Paulus: Nihil me duxi scire in vobis nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.] Vides verbum abbreuiatum, illustræ fidei Christianæ mysterium, insigne professionis nostræ symbolum, mirabile infirmitatis nostræ subsidium. [Videte magnum Sacramentum (ait Augustinus.) Ab illo profundo quod non vides, surgit totum quod vides. Quid corde pergis, homo Christiane, per latitudinem terræ, longitudinem temporum, altitudinem cœli, profunditatem abyssi? Confer te ad vitam moresque sanctorum. Ipsum audi Apostolum dicentem tibi: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Et nos in illâ gloriemur, vel quia super illam incumbimus.]

Augustin. serm. 7. de verb. Apost. cap. 3.

B

Tertia ratio. Quia fides nostra non humano artificio exstructa, sed diuino instructa consilio. Non in ostentatione fastûs & vanitatis mundanæ, sed in ostensione spiritûs & virtutis diuinæ. [Vides, ait Chrysostomus, quemadmodum quod stultum est Dei, est sapientius hominibus? & infirmum fortius? Indocti quidem hæc prædicantes, vincti & pulsi superauerunt eos qui persequebantur. Vndenam? An non ex eo quòd fidem fecerint per Spiritum? Quomodo quæso vicerunt? per diuinam virtutem. Est enim hoc certa demonstratio. Sed quoniam sunt etiam fallaces virtutes, cuiusmodi sunt præstigiatorum hanc quoque sustulit suspicionem. Non enim solùm in ostensione virtutis, dixit Apostolus; sed priùs, Spiritûs, & tunc, Virtutis, ostendens ea quæ fiebant esse spiritualia. Quod ergo non per externam sapientiam annuntiata sit prædicatio, non est imminutio, sed maximum ornamentum. Et hoc maximè ostendit eam esse diuinam, & supernè è cœlis agere radices. Quamobrem subiunxit, Vt fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. Vides quemadmodum apertè per omnia ostenderit magnum lucrum imperitiæ, & magnum damnum sapientiæ. Nam illa quidem illius crucem, hæc verò prædicabat Dei virtutem. Persuadebat sapientia vt dogma suspicarentur esse humanum: illa apertè ostendebat esse diuinum, & è cœlis descendisse.] Non placent qui docent doctrinam Euangelicam modo extraordinario fundatam esse, dein ad ordinem rediisse communem, & humanam rationem, sæcularemque tandem admisisse sapientiam. Quasi verò alia sit Apostolica fides & nostra: vel signa & miracula priscis tantùm Christianis, non nobis sint edita. An ergo iam fides nostra in verbis est suasoriis, tam ad illudendum aptis quàm & ad dicendum, & non in ostensione spiritalis virtutis? An in arte humanâ, non in virtute diuinâ? Non est certè mutata nec vnquam mutabitur Christiana doctrina, sed vita. [Res enim in pejus processerunt, ait ille, & nos eorum causa sumus. Nos enim multis frui volumus delicijs, otioque & licentiâ. Et signa quidem apud impudentes & scelestos homines etiam in malam veniunt suspicionem. Vita autem pura vel ipsum os diaboli abundè obstruere poterit.] Signa quidem ad suadendum efficacia, vita etiam sine signis & verbis efficacissima, verba per se inania. Signa nostra non vidimus,

C

Chrysost. orat. 4.

D

Doctrina Christiana mutata non est, sed vita.


E

Chrysost. ibidem.

vitam vestimus Christianam, mundo reconciliati, à crucifixo alieni; ideoque nunc nuda iactamus verba, vanam affectamus sapientiam. [Assumenda igitur nobis est stultitia, ait Hilarius, vt sapientiam sumamus; non in prudentiæ sensu, sed naturæ nostræ conscientiâ: vt quod cogitationis terrenæ ratio non concipit, id nobis rursum ratio diuinæ virtutis insinuet. Omnis tamen infidelitas stultitia est: quia imperfecti sensûs sui vsa sapientiâ, dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur, putat effici non posse quod non sapit. Causa enim infidelitatis de sententiâ est infirmitatis, A dum gestum esse quis non putat, quod geri non posse definiat. Et idcirco Apostolus sciens naturæ humanæ imperfectam cognitionem, hoc solum putare in veri ratione esse quod saperet, ait non in sermone se sapientiæ prædicare, ne prædicationis suæ inanis esset assertio. Ac ne stultitiæ esse prædicator existimaretur, adiecit: Verbum crucis stultitiam esse pereuntibus, quia eam solam infideles prudentiam crederent esse quam saperent.] Vana est illa sapientia, vera stultitia: vt & alia putata stultitia, sed vera sapientia.

Hilarius lib. 3. de Trinit. in fine.

Augustin. serm. 7. de verb. Apost. cap. 3.



PARS SECVNDA.

DE ABSCONDITA SAPIENTIA.

TEXTVS.

Chrysost. orat. 6.

SApientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ absondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrinâ Spiritûs, spiritualibus spiritualia comparentes. Animalis autem homo, non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur. Quis enim cognouit sensum Domini qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Doctrina Christiana mutata non est, sed vita.

EXEGESIS LITTERALIS.

HVc vsque velata Dei sapientia, figuris & signis obumbrata. Nunc ergo ipsam reuelat Apostolus, sed inter perfectos, id est, spirituales, non animales viros eam prædicat.

[Sapientiam autem loquimur inter perfectos, &c.] Poterat Paulo obiici, Tu ergo stultitiæ prædicator es, doctor insipientiæ? Mallem te ignorantiæ doctorem: qui enim ignorat, assensum negat; qui insanit, sensum amisit. Ita [Paulo loquente, & rationem reddente, Festus magnâ voce dixit: Insanis Paule: mul- A tæ te litteræ ad insaniam conuertunt.] Occupat igitur obuiatque, maximè apud Corinthios sapientiæ æternæ insolitos & eloquentiæ. Non abdico sapientiam, imò illam prædico, sed veram, sed diuinam. Nec tamen passim illam omnibus prodigo, hoc enim non tam tradere est quam prodere; Sed capacioribus committo ac dignioribus. [Sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur, &c.] Illa est, quam prædicamus sapientia, non humana, non mundana: multò verò minùs superstitiosa, impia: licet enim vtraque vana, ista tamen vanissimâ; nec enim tam hominum est, quàm dæmonum: quorum

Chrysost. ibidem.

Actuum cap. 23.

insolentia tandem à Christo Domino domita est, deleta potentia. [Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, &c.] Non propalamus, nec indiscretè vulgamus occulta diuinæ sapientiæ consilia; sed eam velut arcanam ac mysticam iis tantùm reuelamus, qui grandiores sunt capacioresque. Illa quippe consilia sunt, quæ Deus statuit decreuitque in sanctificationem glorificationemque exsequenda. [Quam nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, &c.] Tanta Dei sapientia, quâ Deus nostram prædefiniuit gloriam, latuit dæmones, huius sæculi principes: si enim fuisset iis perspecta, nunquam id attentassent, vnde suum præuidissent imperium euertendum; nunquam eum crucifixissent, qui per crucem deleuit mortem, qui nos per ignominiam adduxit ad gloriam. [Si cognouissent, ait Comment. Athanas. futurum crucis splendorem, futuramque ex eâ terrarum orbis salutem, haud sanè gloriæ Dominum cruci adiudicassent.] Christum scilicet, gratiæ auctorem, distributorem gloriæ.

Alia philosophia humana, alia diabolica est.

Comment Athanas.

[Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum, &c.] Loquimur secundùm id quod scriptum est apud Isaiam. [A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.] Cui id venit in intellectum? tantum abest, vt sensum percusserit. Quomodo perspecta oculis, quæ nec animis excogitata sunt? Scrupulosè autem Paulus verbis non adhæret propheticis, quorum & certam sententiam, & veram clarè tenet exhibetque intelligentiam. Sufficit tanta beneficia electis, seu amicis Dei esse præparata: qui enim electus, qui à Deo prædilectus, ita Deum diligit, vt omnia blandientia vincat ac terrentia, & ad æternam tandem vitam perueniat. [Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei, &c.] Iterum occurrit Apostolus, iterumque resoluit. Si id nulli venit in mentem, vnde vos Apostoli id estis commenti? In sapientiâ humanâ, nihil in sensu est, quod priùs non fuerit in intellectu: at in reconditâ diuinaque sapientiâ, est Deus in cœlo reuelans mysteria; Spiritus nimirum ipse Dei, qui & Deus est, penetrãs omnia, etiam quæ sunt Dei intima. [Quia principes sæculi hoc ignorabant, (ita exponit Ambros.) Deus hoc per Spiritum suum reuelauit credentibus: quia res Dei non potest sine spiritu Dei addisci. Quia autem de Deo est hic spiritus, omnia nouit Dei. Profunda autem ideò ait, quia omnem virtutem & præscientiam eius nouit: quod omninò creaturæ impossibile est.] Probat. [Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei, &c.] Non solùm nouit, sed & ille solus nouit. Sicut enim arcana humanæ mentis nemo hominum nouit, nisi ille qui concipit; sic & profunda, seu abdita Dei consilia nemo percipit nisi diuinus

Isaiæ c. 64.

Ambros. in Paulum.

Diuina non possunt addisci sine diuino spiritu.

A ille Spiritus, seu Deus ipse qui intelligit; capit enim secreta, qui & ipsa digerit. Porrò sicut intellectus humanus cogitationis copiam facit pro arbitrio, sic & diuinus ille Spiritus dispositionis suæ pro beneplacito notitiam aperit.

[Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, &c.] Deus nobis reuelauit, dum Spiritum nobis suum communicauit: quo suggerente ac docente, scimus quæ à Deo præparata sunt nobis, & in Christo nobis concessa. [Mundi spiritum, ait Athanas. humanam sapientiam interpretatur Apostolus. Quam haudquaquam, inquit, ac-
B cepimus, vt superuacaneam eius prædicationem arguat & inanem. Sed Dei, inquit, Spiritum ipsi accepimus, hoc est, Deo consubstantialem, qui ex Dei ipsius substantiâ constet, quem ipsi instructorem habemus. Lux quidem est spiritus, hanc ipsi lucem à Spiritu ipso illuminati accepimus, vt ea noscamus quæ nobis sunt à Deo dono concessa: nimirum quæ de Christo sunt per hunc destinata.] Non humanâ instituti sumus sapientiâ, sed diuinâ: nec mysteria redemptionis ac salutis humanitùs nouimus, sed diuinitùs. [Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrinâ Spiritûs, spiritualibus spiritualia com-
C parantes, &c.] Quæ accepimus de mysteriis, hæc & aliis tradimus: non arte humanâ sæcularis sapientiæ, sed solertè disciplinâ cœlestis doctrinæ; spiritualibus spiritualia conferentes, Græcè συγκρίνοντες, consulto, seu adhibito tradentes iudicio. Hoc est, non suasoriis humanæ sapientiæ verbis agere: sed, [Iis, (vt legit & intelligit Comment. Ambros.) qui mundanam prudentiam refutant, spiritalem efficaciam tradere.] Comparatio est, vbi distinctio est ac separatio. [Animalis autem homo, non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia
D spiritualiter examinatur, &c.] Animalis est, non is solùm qui ad sensum agit; sed & is qui vix ipsa quæ suprà sensum sunt, maximè verò quæ secretiora & recondita sunt mysteria, ægrè recipit: spiritualis qui iam non imbecillis altè volat, sed diuina diuinè penetrat. Animalis homo, seu intellectu prægrauatus seu affectu, non assurgit ad capienda diuinæ œconomiæ mysteria; nam ad humanum potius sensum, quàm diuinum ea recipit Spiritum; ideoque capacior aptiorque succensendo, quam cognoscendo est: ipsa enim non oculo carnali, sed spirituali dono diiudicanda sunt: & dum ad intelligentiam reuocatur spiritalem, inanem arbitratur
E sapientiam. [Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur, &c.] Qui perfectus, diuinisque assuetus, non solùm de communibus, sed & de secretioribus ac sublimioribus sapienter iudicat, competenterque ad tale iudicium appellat per spiritale commercium. [Quis enim cognouit sensum Domini qui instruat eum? &c.] Id est, nullus, nisi dante Deo & illuminante. [Nos autem sensum Christi habemus.] Nimirum, interprete Chrysostomo. [Nos ea scimus quæ sunt in mente Christi. Et quæ ipse vult, ea etiam reuelauit.]

Athanas. in Paulum.

Comment. Ambros.

Quis mysteriis diuinis idoneus capiundis.

Chrysost. Hom. 7.

Arcana sapientiæ sacrarium.

NOn minor heic nebula, nec difficilior adeundi ac videndi licentia est, quàm in antiquo Hierosolymitani templi sacrario. Ideoque tenebræ pedetentim discutiendæ sunt, & vmbræ sigillatim remouendæ, circumlatâ vndique luce, & circumfusâ veritate.

DILVCIDATIO PRIMA.

Quinam perfecti?

CAligo inde suboritur, quòd si nulli perfecti sint, nullis etiam omninò reuelanda sit Dei sapientia. Vbi autem heic sancti, vbi perfecti? [Vos ipsi, (ait Optatus Mileuitanus ad Parmenianum) qui sancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, vnde est ista sanctitas, quam vobis licentiùs vsurpatis? Quam Ioannes Apostolus profiteri non audet, qui ait, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reseruauit. Est enim Christiani hominis, quod bonum est, velle: & in Deo, quod benè voluerit, currere: Sed homini non est datum, perficere; vt post spatia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, vbi deficienti succurrat: quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semi-perfecti sumus. Nam & à Christo Saluatore nostro, perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Denique sic ait, Sancti eritis, quia & ego sanctus sum. Solus est sanctus & perfectus. Denique non dixit, Sancti estis: sed, sancti eritis, dixit. Vnde est ergo, quòd vobis perfectam sanctitatem de superbiâ vindicatis? nisi vt appareat, quia vos ipsos decipitis, & veritas in vobis non est. Ioannis socij esse noluistis.] Deus perfectio est, Christus solus perfectus est; soli ergo Christo homini communicanda est sapientia, cæteris, vtpote imperfectis deneganda. [Tenebræ enim (vti dixit Chrysostomus) videntur esse luce aptiores ijs qui laborant oculis, & ideò magis confugiunt ad adumbratam domunculam. Hoc etiam vsuuenit in spirituali sapientiâ. Dei quidem sapientia, externis videbatur esse stultitia. Ipsorum autem sapientia, cum reuera sit stultitia, esse sapientia fuit existimata. Et perinde contingit vt si quis artem gubernandi exercens, profiteretur se infinitum pelagus transmissurum absque naue & velis: deinde tentaret probare rationibus hoc fieri posse: aliquis autem alius omnium imperitus, cum se & naui & gubernatori & nautis tradidisset, tutò nauigaret: hujus enim quæ videtur esse imperitia, est sapientior illius sapientiâ.] Quis enim valeat imperfectis perfectionem committere, quis lippis oculis lucem audeat ingerere? Quis denique diuina, imò ex diuinis ipsis, secretiora & occultiora, ijs qui & capiendi potentiâ, & vtendi industriâ destituti sunt, exponere?

Optat. lib. 2. vlt. med.

Omnes Christiani, non tā perfecti, quàm semiperfecti.

Chrysost. orat. 7.

Verùm sic se ferè habent perfecti & imperfecti in Ecclesiâ, quemadmodum firmi & A infirmi: de quibus Augustinus: [Ecclesia Christi habet firmos, habet & infirmos; nec sine firmis potest esse, nec sine infirmis. Vnde dicit Apostolus: debemus autem nos firmi infirmorum onera sustinere. In vno etiam Apostolo, id est, Petro, in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrumque genus significatum est, id est firmi & infirmi. In eo enim quòd dixit Petrus, Tu es Christus Filius Dei viui, firmos significat: in eo autem quòd trepidat & titubat, & Christum pati non vult mortem timendo, vitam non agnoscendo, infirmos Ecclesiæ significat: quia sine vtroque non est Ecclesia.] Sed B aduerte Paulum non dicere, Firmos; sed, Firmiores. [Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.] Quanquam ex Græcis exprimi possit. [Debemus autem nos potentes infirmitates impotentium portare.] Quanquam idem penè sit: sunt enim potentes, qui firmiores sunt, validioresque: adeò vt non tam perfecta consummatio sit, quàm iusta comparatio. [In pugnâ enim pugilum & gladiatorum, (vti dixit Tertullianus) plerumque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci; sed quia ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeò idem ille victor C benè valenti postea comparatus, etiam superatus recedit.] Sunt ergo perfecti illi qui imperfectos vincunt, & longè relinquunt post se: sed si beatis comparentur tam perfectâ dilectione quàm beatâ visione consummatis, non tam pro perfectis habentur quàm pro semiperfectis. Et in hoc errauit Stoa, imò non tam aberrauit, quàm in suâ perseuerauit disciplinâ: quod non minùs in hac vitâ sapientem consummatum statuerunt, quàm proficientem seu studiosum: nec ijs tam malè, qui spes suas omnes hauserunt in isto sæculo: nisi quod definitiones suas commiserunt scriptis; viris autem perfectis perfectas velle permiserunt, nun- D quam tamen verticem aut perfectionem attingere. Ite vani, ite superbi. [Fingitis enim istud humani ingenij varum decus, & ingentem imaginem falsæ rei concipitis.]

Augustin. serm. 13. de verb. Dom. cap. 1.

Roman. 15.

Tertullian. lib. de præscript. c. 2.

Apud Stoïcos sapiens semper fingitur, nusquam inuenitur.

Apud Sen. lib. de Constant. sap. cap. 7.

DILVCIDATIO SECVNDA.

Cur sapientia inter perfectos viros dispensata.

RAtio contradicendi inde nascitur, quòd si sapientia nusquam imperfectis traditur, non possunt illam addiscere; si non addiscunt, non possunt crescere; sic ergo nunquam de in- E firmis infirmos euadent, nunquam de imperfectis assurgent in perfectos. Sapiens, irrepertus quidem apud Stoïcos, tamen non tantùm apud ipsos descriptus, sed & promissus est: disciplinam instituunt, suam offerunt sapientiam. [Non enim, ait Seneca, dat natura virtutem. Ars est, bonum fieri.] Sed si & istorum iudicio standum esset, nec ipsa Stoïcæ sapientiæ pompa in propatulo exponenda esset, ne dicam & in prostibulo à calonibus etiam prostituenda, cinislonibusque. Animum isti præparant, nec ingenium consummant, nisi arreptis diatribæ suæ, seu Philosophiæ ansis. Sed facessant illi & abeant, sapientem enim suum

Senec. epist. 90.

Sapientia etiam diuina acquiritur, cum addiscitur.

efferunt potius, quàm offerunt, hominemque iam vanum non tam docent quàm demulcent. Quoad nostros, id est Christianos; Christum suum sequuntur, sicque veram assequuntur sapientiam. Quid porrò Christus discipulis suis, ipsis etiam Apostolis? [Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.] Quare? quia adhuc infirmi, adhuc imperfecti. [Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Cum induti fueritis virtute ex alto, cum infirmitatem exueritis, sublimiorem secretioremque capietis veritatem. Tunc magis intelligendo ac capiendo capaces, cum magis spirituales. [Sic enim vtique, ait Augustinus, demonstrat illos ideo quæ habebat dicere, portare non posse: quia nondum ad eos venerat Spiritus sanctus.] Nondum scilicet muniti, nondum erant dispositi.

Ioan. c. 16.

Augustin. Tract. 96. in Ioa. post init.

B

Benè igitur inter perfectos duntaxat loquitur sapientiam Apostolus, id est, profundam doctrinam reconditamque, nec inde vlla, aut vana contradicendi ratio nascitur. [Dicuntur autem, (vti obseruat Aquinas) aliqui perfecti dupliciter. Vno modo, secundùm intellectum. Alio modo, secundùm voluntatem: hæc enim inter potentias animæ sunt propriè hominis, & ideò secundùm eas oportet hominis perfectionem considerari. Dicuntur autem intellectu perfecti illi, quorum mens eleuata est super omnia carnalia & sensibilia, qui spiritualia & intelligibilia capere possunt. Perfecti autem secundùm voluntatem sunt, quorum voluntas super omnia temporalia eleuata, soli Deo inhæret, & eius præceptis. Vnde Matth. 5. præpositis dilectionis mandatis, subditur: Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.] Verùm si Philosophis licuit ethicæ suæ licet humanæ tales præscribere leges, vt eius capaces non iudicentur iuuenes, passionum sectatores, incontinensque; id est, eliminentur omnes ij qui sordidis affectibus, insolitisque valedicere nolint consuetudinibus: multo magis licebit Theologis modum methodum-ue in tradendis diuinæ sapientiæ mysterijs præfigere. Nam quod dicunt Philosophi, tales exigi conditiones ad ethicam, quia moralis est, & quasi experimentalis; transferendum est ad sacram doctrinam, quam non solùm practicam asserunt Theologi, sed & totam in pietate ac sanctitate positam. [Doctrina enim fidei, ait ille, ad hoc ordinatur, vt fides per dilectionem operetur.] Sed id speciale est in nostrâ disciplinâ, quod in alijs quidem discitur vt agatur, intelligitur vt diligatur; in istâ agitur vt discatur, diligitur vt intelligatur. [Quapropter, ait Augustinus, in charitate proficite, vt spiritu feruentes & spiritalia diligentes, spiritalem lucem spiritalemque vocem, quam carnales & animales homines ferre non possunt, interiore conspectu & auditu nosse possitis. Non enim diligitur quod penitùs ignoratur. Sed cum diligitur quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsâ efficitur dilectione, vt meliùs & pleniùs cognoscatur.] Ad oppositionem igitur, responde, arcanam doctrinam non committi quidem nisi perfectis, sed perfectis affectu, nondum intellectu; ideoque & semiperfectis, non quatenus status stabili

Aquin. lect. 2.

C

Alia perfectio secundùm mentē, alia secundùm voluntatem.

D

Aquin. ibid.

E

Augustin. Tract. 96. in Ioan. vlt. med.

A

tui, sed quatenus pars vna seu facultas confertur alteri: & inde aufertur iusta querelæ causa: quia quod imperfecti non addiscunt, illorum est; nolunt enim discere, dum obicem amouere nolunt oppositionemque.

DILVCIDATIO TERTIA.

An sacra doctrina ritè sit per partes tradita?

Occasio reclamandi inde subsequitur, quòd omnia apud nos, maximis verò spiritalia, indiscreta esse debeant, & quasi in communi posita. [Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.] Si sic Christus, quid non Christianus? Inde peruersi peruertunt omnia, nam siue vulgentur, siue celentur mysteria, suam erigere ac statuere sectam student qui aut nullam aut scrupulosam habent disciplinam. Omnes insipientissimi hæretici, ait Augustinus, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque prædicare, quantalibet feratur audacia, spiritus erubescit immundus.] Ita apud Tertullianum, [Valentiniani, frequentissimum planè collegium inter hæreticos; nihil magis curant quàm occultare quod prædicant: si tamen prædicant quod occultant. Cæterùm, tota in adytis diuinitas, tota suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis reuelatur.] Nam tum mysteria occultant, quam vanissima atque turpissima figmenta configurant. Aliunde & alij produnt omnia, dum ostendunt; & si suffusioni locus non relinquitur, adytus tamen aperitur confusioni. [Pariter adeunt, ait ille, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici si superuenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam, lenocinium vocant.] Vter melior, vel potius, vter in malis tolerabilior, non est in promptu dicere, etsi in promptu sit vtrumque respuere. Concreto vultu, & suspenso supercilio, Valentiniani, [Altum est, aiunt.] Quidni pudendum vt infimum. [An enim aliquid magnum, (vti dicam ex Augustino) quia meruit habere secretum?] Alij prostituunt tanquam, quid vanum, & dum simplicitatem simulant, proculcant religionem. [Cum vel ex formâ omnibus mysterijs silentij fides debeatur.] Ita Tertullianus.

Ioan. cap. 15.

B

Augustin. Tract. 97. in Ioan. vers. finem.

C

Tertullian. lib. cont. Valentin. cap. 1.

Inter hæreticos aut suffusioni locus est aut confusioni.

D

Tertullian. lib. de præscript. c. 41.

Augustin. Tract. 97.

E

Tertul. cap. 7. Apol.

Instructissima igitur & sapientissima Ecclesia, quæ nihil quidem negat, sed ex æquo, ex iudicio tamen sua dispensat mysteria. Habet nouitios, habet & professos, omnes quidem Christianos, omnes Deo ac Christo deditos; sed illos vt imperfectos adhuc, istos vt perfectos Dei & Christi seruos. Quin & inter nouitios seu catechumenos, nonnulli adhuc nouitioli, alij iam prouecti. Vnde peruersè apud hæreticos, penes quos peruersa sunt omnia.

Tertul. c. 41. de præſ. [Antè ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti.] Apud nos antè edocti quàm perfecti; nec tamen in totum edocti in quantum catechumeni, quia nec ſtatus fidelium, nec rerum tractatus commiſcendus. [Etſi enim catechumenis fidelium ſacramenta non produntur, non ideò fit, ait Auguſtinus, quod ea ferre non poſſunt: ſed vt ab eis tanto ardentiùs concupiſcantur, quanto eis honorabiliùs occultantur.] Iam verò & ipſorum fidelium, intinctorum-ve diuerſi ſunt gradus, imò & ſtatus; ideoque ſicut alia infantium & virorum alimenta, ſic & alia incipientium & proficientium documenta; alia grandium, alia paruulorum myſteria. [Perfectorum eſt ſolidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent ſenſus, ad ſeparandum bonum à malo. Hîc, ait Auguſtinus, videmus tanquam definitum eſſe quem perfectorum dicit Apoſtolus ſolidum cibum: & hoc eſſe illud, quod ad Corinthios ſcriptum eſt, Sapientiam loquimur inter perfectos. Quos autem perfectos voluerit hoc loco intelligi, ſubiecit atque ait, Qui per habitum exercitatos habent ſenſus, ad ſeparandum bonum à malo. Hoc verò qui inualidâ & inexcitatâ mente non poſſunt, profectò niſi fidei quodam lacte teneantur, vt & inuiſibilia quæ non vident, & intelligibilia quæ nondum intelligunt, credant, facilè ad vanas & ſacrilegas fabulas promiſſione ſcientiæ ducuntur.] Non eſt ergo quod reclament aduerſarij, niſi ſi putent ataxiam in myſterijs non minùs introducendam, quàm anarchiam in officijs. Sed & dum id putant, aberrant.

Auguſtin. Tract. 96. in Ioa. verſ. finem.

Auguſtin. Tract. 97. in Ioa. citemed.

Alia virorũ alimenta ſunt, alia infantium.

DILVCIDATIO QVARTA.

Quænam ſit principum huius ſæculi ſapientia?

DVo ſunt principum huius ſæculi genera, vnum eſt hominum, aliud dæmonum. Et quidem de hominibus nemo eſt qui non videat & ſentiat. De dæmonibus, nullus forſan qui non audierit, forſan & nullus qui attenderit. [Cæterùm, ait Tertullianus, purpura vel cætera inſignia dignitatum & poteſtatum, inſertæ dignitati & poteſtatibus idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis ſuæ maculam: cum præterea ipſis etiam idolis induantur prætextæ, & trabeæ, & laticlaui, faſces quoque & virgæ proferantur; & meritò, nam dæmonia magiſtratus ſunt ſæculi.] Quibus aperit nobis regalia apud ethnicos inſignia ab idolis ad homines tranſiſſe, ornamenta à templis in reges principeſque oſtendit commigraſſe. Vnde coronæ? [Certè, ait ille, Græcos fuiſſe conſtat auctores rei vel illuminatores. Saturnum Pherecydes antè omnes refert coronatum. Iouem Diodorus poſt deuictos Titanos.] Plura quæri poſſunt ac congeri: ſed nec iſta producerem, vel & alia fortean adducerem, ní audirem Auguſtinum nolentem, ſed monentem. [Nec fraudemus ſtudioſos, nec grauemus faſtidioſos.] Nunc audiamus noſtros quid ſentiant de dæmonibus. Norunt principes eſſe ſæculo neceſſarios, dæmones mundo noxios; definiunt tamen ex Apoſtolo noſtro, dæmones eſſe mundi rectores, ſæculi principes, etſi dignitate indignos, ætate tamen præcipuos.

Tertullian. lib. de idolol. cap. 18.

Ornaméta regalia vndenam profecta.

Tertull. lib. de coron. mil. cap. 7.

Auguſt. Tract. 8. in Ioan.

A [Principes huius ſæculi, ait Ambroſ. non ſolùm homines accipiendos Iudæorum ac Romanorum: ſed & hos principes & poteſtates, ad quos verè pertinet dictum hoc, aduersùs quos nobis colluctatio eſt ſpiritalis nequitiæ in cœleſtibus. Nam & ipſe Dominus, Princeps, inquit, huius mundi venit, & in me inuenit nihil.] Nec mirum eos non ſolùm rectores eſſe, cum ſint & doctores. Nam & hæreſes ipſæ: [Sunt doctrinæ hominum & dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiæ ipſius elegit.] Quibus diſtinguit Tertullianus ſapientiam huius ſæculi, & ſapientiam principum huius ſæculi, ſeu dæmoniorum: etſi dum diſtinguit, ſimul & confundit.

Ambroſ. in Paul.

Tertull. lib. de præſcript. c. 7.

B

Sciendum igitur hæreticos ferè omnes tunc fuiſſe magos, vanæ curioſitati, ſeu curioſæ vanitati impensè deditos. [Notata ſunt etiam, ait Tertullianus, commercia hæreticorum cum magis quam-pluribus: cum circulatoribus, cum aſtrologis, cum Philoſophis, curioſitati ſcilicet deditis. Quærite & inuenietis, vbique meminerunt.] Atquin Philoſophi tunc omnes Pythagorici, & iſti vt plurimum magi. Ideò libuit aliquando legere in Tertulliano: [Nota ſunt etiam commercia hæreticorum cum magis compluribus, cum Philoſophis, &c.] Sed etſi non placet aliter legere, placet tamen idem intelligere. Notum eſt, primum omnium, qui ex Euangelio hęretici eſſe voluerunt, fuiſſe Magum, nec-non & Pythagoriſmo imbutum. Inde Menander, Saturninus, Baſilides cum ſuo Abraxa. Inde Ophitæ, Setthoïtæ, Caïnæi, Carpocratiani. Quid memorem Marcum, Colarbaſum, cæteroſque dæmonum non tam aſſectatores quàm rabulas, peſtes inferorum ac purulentias? Varia ſunt nomina, ſed vna eſt omnium nequitia. Quæ ergo ſapientia huius ſæculi? quæ humanâ nititur ratione. Quæ ſapientia principum huius ſæculi? quæ vanâ ſuperſtitione exſtruitur. Sic ergo ad expoſitionem Aquinas. [Loquimur Dei ſapientiam. Dicit ergo primò: Dictum eſt, quod ſapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam verò dico: Non huius ſæculi, ideſt, de rebus ſæcularibus, vel quæ per rationes humanas. Neque etiam principum huius ſæculi, & ſic ſeparat eam à ſapientiâ mundanâ. Primò autem poſſunt dici principes huius ſæculi reges, & potentes ſæculares, à quibus venit ſapientia humanarum legum, per quas res huiuſmodi in vitâ humanâ diſpenſantur. Poſſunt etiam dici principes dæmones, à quibus venit ſapientia culturæ dæmonum, ſcilicet negromantia, & magicæ artes, & huiuſmodi.] Dicti ſunt & nonnulli Philoſophi, aliorum reges, ac principes; ſed hæc ſapientia non alia, quam mundana eſt; quin & ſi mundana præuia eſt, ſequenti tamen non ſolùm proxima eſt, ſed & attigua: parumque intereſt dæmoni an hæreticos alios-ve ratione vanâ an noxiâ ſuperſtitione decipiat, an per dextram vel ſiniſtram in lapſum trahat ac præcipitium. Sed apparuit Chriſtus vt ſerpentis venena, opera diaboli, quę in flexuris ligaturiſque, diſſoluat ac deſtruat: per veram enim ſapientiam, vanam aboleuit philoſophiam.

Tertull. lib. de præſcript. cap. 43.

C

D

Aquin. lect. 1.

E

TROPOLOGIA.

Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

LOquitur de arcanis diuinæ sapientiæ consiliis, ab æterno decretis definitisque, sed sæculo eiusque principibus, Deo volente ac statuente, absconditis. Primò igitur dicendum est, ne dæmonibus quidem cognitum fuisse salutis seu redemptionis consilium. Secundò, Christum Dominum gloriæ declaratum per vexillum infamiæ. Tertiò, sapientiam istam tandem omnibus agnitam.

Quoad 1. Dixi, nequidem dæmonibus, quanto minus hominibus, siue reges ac principes sint regendo vel docendo. [Quamuis enim furentes Iudæi, (vti loquitur Leo) fecerunt in Dominum Iesum quæcunque voluerint, & suscepti hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas diuina subtraxerit: patientia tamen Domini, consilij sui munus impleuit & pertinacia sacrilegæ crudelitatis profecit operi saluatoris, quod non Scribæ, non Pharisæi, nec summi intellexere Pontifices. Si enim cognouissent nunquam gloriæ Dominum crucifixissent.] Nulli fas est dubitandi, cum facinus eleuet Christus, nec id malitiæ deputet Iudaicæ, sed ignorantiæ; licet & hoc quod ignorantiæ est, tam malitiæ sit quàm & peruicaciæ. [Obcæcati enim Iudæi malitiâ suâ, ait ille, in quod prorupissent facinus, nesciebant. Vnde misericors Dominus Iesus, cum etiam interfectores suos vellet suâ morte saluare, pro ignorantiâ sæuientium, de crucis altitudine supplicabat, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nec intellectu enim cordis, nec auditu oris, nec oculorum intuitu sentiebant, quem falsis testimonijs appetiissent, quem adfigi patibulo coëgissent, dum in corpore hominis non agnoscunt substantiam deitatis. Viderunt humilem, & non adorauerunt vniuersitatis auctorem; nec intellexerunt potestatem iudicaturi, despicientes mansuetudinem iudicati: vt persecutores veri Dei, & negatores veri hominis, vna impietas sociaret; dum seruí formam in Christo, & Iudæi æstimant solam, & hæretici asserunt falsam.] Nec mirum ignorasse homines, naturâ suâ ignorantes. Quid porrò dæmones, vel ipso suo nomine scientes? Nam, vti dixit Tertullianus: [Dispositiones etiam Dei, & tunc Prophetis concionantibus exceperunt & nunc lectionibus resonantibus carpunt.] Quomodo igitur nescierunt quod prædictum? quomodo præterierunt quod ita dispositum? Tamen, vti definiuit Leo. [Nec ipse diabolus intellexit, quod sæuiendo in Christum, suum destrueret principatum: qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini sanguine contineret. Sed malitiâ nocendi auidus, dum irruit, ruit; dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in saluatorem.] Itaque, vt ex ipso absoluam [Hoc magnæ pietatis sacramentum sicut Iudaica impietas, ita diabolica superbia nesciebat. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quia hostem humani generis latebat consilium misericordiæ Dei, & opposito carnis velamine, Deus in Christo mundum reconcilians tegebatur, persistit in eum furere, in quo nihil suum poterat inuenire. Nam & malignitati eius hoc magis potuisset prodesse, si parceret, & se ab effusione eius sanguinis abstineret, per quem omnium soluenda erat captiuitas, & reparanda libertas. Sed lucem tenebræ non comprehenderunt, nec mendax cæcitas sapientiam veritatis potuit inspicere.] Nota, [Sapientiam veritatis.] Veram scilicet Dei sapientiam: dispositionem nimirum ac ordinem, quo Deus statuerat hominem reparare, spoliare dæmonem. Hoc enim arcanum Dei consilium, mira est Dei sapientia.

Leo serm. 9. de Pass. Dom. in medio.

Leo serm. 17. de Pass. Dom vlt. med.

Pares Dei persecutores & hominis negatores.

Tertullian. cap. 22. Apolog.

Leo. serm. 9. de Pass. Dom. vlt. med.

Leo serm. 18. de Pass. Dom. vers. fin.

Quoad 2. Si cognouissent diuinam istam œconomiam, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; sed dum crucifigunt Iudæos incitando, Christum vbique reddunt gloriosum, electos sociando. Vides Christum cruce suspensum, felle potatum, probris saturatum & opprobriis? Inde speres vexillum honoris erigi, trophæum decoris, & ignominiam verti in gloriam. [Fauos, ait Tertullianus, post fella gustauit: nec antè rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in cruce; minoratus primò à Patre modicum quid citrà angelos, & ita gloriâ & honore coronatus.] Patibulum quidem non solùm mortis lignum est, sed & signum dedecoris. Nunc verò, vti dixit Augustinus: [Est hoc signum quod in fronte gestamus, signum quo salui sumus. Signum irrisum, vt honoraretur; contemptum, vt glorificaretur. Deus comparet, vt homo deprecetur; & Deus latet, vt homo moriatur. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Hoc sacrificium, vbi sacerdos est victima, redemit nos fuso sanguine creatoris; non tantùm creauit nos cum sanguine, sed redemit sanguine.] Tanta dæmonum insipientia est, quanta est malitia: ipsi malignitate suâ, suâ calliditate decepti sunt; & dum patibuli infamiam cogitant, Christi procurant gloriam. [Tenuit namque dispositâ mansuetudo patientiam, (ita loquitur Leo) & cohibita famulantium sibi angelicarum virtute legionum hausit calicem doloris & mortis, totumque supplicium transtulit in triumphum. Victi sunt errores, subactæ sunt potestates, accepit nouū mundus exordium, vt damnata generatio non obesset, quibus saluandis regeneratio subueniret. Transierunt vetera, & ecce facta sunt omnia noua; vt vniuersorum in Christo credentium, & in sancto Spiritu renatorum, per ipsum & cum ipso vna esset passionis societas, & resurrectionis æternitas, dicente Apostolo: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ.] Hic enim gloriæ nostræ auctor est, hic consummator; qui pro nobis in cruce satisfecit, & æternam nobis gloriam suo sanguine peperit. [Opportunè igitur, ait Chrysostomus, appellauit Christum Apostolus Dominum gloriæ. Nam quoniam crux videtur esse probri & ignominiæ, ostendit crucem esse magnam gloriam: sed magnâ opus erat sa-

Tertullian. lib. de corō mil. cap. 14.

Augustin. serm 8. de nouis initio.

Leo serm. 18. de Pass. Dom. vers. fin.

Chrysost. orat. 7.

pientiâ, non solùm ad Deum cognoscendum, sed etiam ad discendum hanc Dei dispensationem. Vnde, Non cognouerunt, mihi videtur non dictum esse de Christo, sed de ipsâ rei dispensatione. Nempe, nesciebant, quid sibi vellet mors & crux. Nam nec dixit Christus, Me non nouerunt; sed, Nesciunt quid faciunt: hoc est, quæ peragitur dispensationem, & mysterium ignorant. Neque enim sciebant futurum vt ita splenderet Christus, vt totius orbis terrarum esset salus, & Dei cum hominibus reconciliatio.] Ille est verus Ioseph, & verè accrescens, qui dum à suis humiliatus est, & ab exteris est sublimatus.

Christus à suis humiliatus, ab exteris sublimatus.

B Quoad 3. Reuelata tandem ista sapientia, seu diuina œconomia; non tamen omnibus, nec omni modo, sed quibus voluit Deus, & quomodo voluit. [Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.] Quibus? Nobis, Apostolis, Apostolicis viris, benè vereque Christianis. [Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.] An principibus huius sæculi? an huius æui sapientibus? Imò abscondit à sapientibus & prudentibus. [Nemo vos fallat: (ait Augustinus) non nunciatum est alicui genti hoc iudicium Dei, quomodo patiantur iusti & iniusti. Quomodo pro merito omnes damnantur: quomodo in gratiâ Dei; non in suis meritis liberantur ipsi iusti. Non annuntiatum est hoc vniuersæ genti: soli Iacob, soli Israël.] Per quid? [Per Spiritum suum.] Non humanum, sed diuinum. [Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israël.] Spirituali nimirum homini. [Quid est enim Israël? Iam omnes audiamus. Quid est Israël? (ait rursum ille) videns Deum] Nobis reuelauit, qui pertinemus ad Iacob, nec humanâ consideratione, sed diuino lumine; de iustitiis iudiciisque censemus diuinis. [Prorsus quod ad teipsum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid est enim aliud esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? Denique de illis sic ait Apostolus: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Antequam hoc diceret, quid rursum? Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dic quia tu tibi lumen non es. Vt multum oculus es, lumen non es. Quid prodest patens ac sanus oculus, si lumen desit? Ergo dic à te tibi lumen non esse, & clama quod dictum est: Tu illuminabis lucernam meam Domine, lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas. A me nihil nisi tenebræ: tu autem Domine, fugans tenebras, illuminans me, non à me mihi lumen existens, sed lumen non participans, nisi in te.] Multi stulti sunt, qui se putant sapientes; imò dum se putant sapientes, dum dicunt aut præsumunt, stulti facti sunt. [Sicut dicit Philosophus, ait Aquinas, quod Milesij stulti non sunt, sed operantur qualia stulti.] De iudiciis diuinis, de iustitiis humano aut sæculi sensu disseris, non superno Dei spiritu, stultescis, & obscuratum est insipiens cor tuum: talia enim agis, qualia stulti: & dum alios doces, teipsum non doces: imò nec doces, si obscures potius in insipientiâ tuâ, quàm in diuinâ illumines sapientiâ. [Cœlestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur. Paruulis

Psalm. 147.

Augustin. Enarrat. in Psal. 147. in fine.

Augustin. ibidem

Apud Augustin. ser. 33 Append

Multi stulti non sunt sed agunt vt stulti.

Aquin. in 4. dist. 21. q. 4. art. 1.

Apud Aug. serm. 33. App.

malitiâ, non sensu: sapientibus verò stultitia præsumptione, non prudentiæ causis. Factique huius æquitatem Dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat, vt qui designantur paruuli in Deum fieri, stulti deinceps in sapientia suâ fiant. Disce igitur veræ humilitatis exempla, nec temerè discutias supernæ dispensationis consilia. Cum enim intulisset vtrumque, scilicet quòd aliis aduentûs sui sacramenta reuelauerit, ab aliis verò absconderit, non mox rationem reddidit, sed sic. Deo placitum dixit; hoc ostendens manifestè, quia iniustum esse non potest quòd placuit iusto.] Iniustitiam præsumis, vbi summa iustitia est; stultitiam prætendis, vbi suprema est sapientia. Vnde id? quia humanâ tuâ ratione non tam sapis quàm desipis; quia tuo agis lumine, non diuino ageris.

ANAGOGIA.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

ITa scrutatur intima & profunda Dei, vt & nos scrutantes faciat; ita contemplatur altissima, vt nos faciat contemplantes. Si enim C perspecta habet omnia rerum abditissimarum mysteria, tam eorum valet copiam aliis facere, quam ipsorum notitiam modo suo, id est diuino, id est infinito comprehendere. Sed quis modus in nobis? Vnus & trinus. Omnes enim contemplantes quærunt arcanum regis cubiculum; vnum tamen non est, quia non est vnum contemplationis priuilegium.

Primum est in loco quidem quietis, sed nondum quietè. [Ad cubiculum veniamus. (verba sunt Bernardi) Quid est, istud? Et id me præsumo scire quid sit? Minimè mihi tantæ rei arrogo experientiam, nec glorior in prærogatiuâ D quæ soli seruatur beatæ sponsæ, cautus iuxtà illud Græcorum scire meipsum, vt sciam etiam cum Prophetâ, quid desit mihi. Tamen si nihil omninò scirem, nihil dicerem. Dico ergo in theoriæ contemplationis arcano, regis esse quærendum cubiculum: verùm non vnum puto cubiculum regi esse, sed plura. Nam nec vna regina profectò; sed plures, & concubinæ multæ sunt, & adolescentularum non est numerus. Et vnaquæque inuenit secretum sibi cum sponso, & dicit: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Non omnibus vno in loco fruitur gratiâ & secretâ sponsi præsentiâ, sed vt cuique paratum est à patre ipsius. Nos E enim non eum elegimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos; & vbi ab eo quisque positus est, ibi est. Denique mulier vna compuncta secus pedes Domini sortita est locum, cum altera suæ deuotionis locum ad caput inuenerit, si tamen altera. Porrò Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo, secreti huius gratiam sunt assecuti.] Merita sunt ista, an præmia? Quid, & præmia meritorum sunt, & præmiorum merita? [Ne tamen, ait ille, omnia, præterisse quod ipsi nouimus videamur, prior mulier strauit sibi in tuto humilitatis, posterior in solio spei, Tho-

Bernard. serm. 23. in Cant.

Bernard. ibidem.

mas in solido fidei, Ioannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. Sic ergo apud sponsum mansiones multæ sunt, & siue regina, siue concubina, siue etiam de numero sit adolescentularum, congruum quæque pro meritis accipit ibi locum, terminumque quousque liceat sibi contemplando procedere, & introire in gaudium Domini sui, & rimari dulcia secreta sponsi.] Spiritus quidem omnia scrutatur rimaturque, scrutantesque facit ac rimantes, & in omnem deducit veritatem; sed nunc ista, nunc illa, cui vult, & quomodo vult aperit mysteria.

Chrysost. Hom. 7.

[Scrutari, ait Chrysostomus, non indicat ignorationem, sed exactam & accuratam cognitionem. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Non per externam sapientiam. Ipsi enim tanquam contemptæ ancillæ non fuit permissum ingredi, & ad mysteria Domini aspicere. Vides quantum intersit inter hanc & illam sapientiam. Quæ angeli non nouerunt, ea nos hæc erudiit: externa autem fecit contrarium. Non solùm non erudiit, sed etiam prohibuit, & arcuit; & postquam facta erant, ea quæ facta fuerant adumbrauit & obscurauit.] Nisi enim diuinus ille Spiritus erudiat, vani sumus, sani, si prospiciat.

Bernard. ser. 23.

[Est ergo locus apud sponsum, ait Bernardus, de quo sua iura decernit, & disponit consilia ipse vniuersitatis gubernator, leges constituens omni creaturæ, pondus, & mensuram, & numerum. Est locus iste altus & secretus, sed minimè quietus. Nam etsi ipse quantum in se est disponit omnia suauiter, disponit tamen, & contemplantem qui fortè eo loci peruenerit, quiescere non permittit. Sed mirabiliter quamuis delectabiliter rimantem & admirantem fatigat, redditque inquietum.] Ibi quidem dulcedo contemplationis est, sed dispositionis inquietudo. Nam ibi iudicium exercetur, iusto quidem, sed occulto consilio; ibi etsi sanctum nomen Domini, tamen & terribile censetur; idcircò contemplator nunc amore mouetur, nunc timore: scrutator nunc in lectulo seu cubiculo isto quærit quem diligat, nunc quem metuat inuenit. Idcircò etsi quietus lectulus est, spiritus tamen seu animus nondum quietus.

Locus quietus, in quo animus nondum quietus.

Secundum est in loco non solùm quieto, sed & quiescente, in quo placidè quidem ac quietè mystagogus scrutatur contemplaturque mysteria, sed non omnia. Sunt quædam noctes laboriosæ, sunt & dulces ac gratæ. Sunt & contemplationes inquietæ, sunt & delectabiles & placidæ; sed rariores, quia homini febrienti parum congruæ.

Gregorius lib. 8. Moral. cap. 6.

[Ad hoc namque, vti loquitur Gregorius, homo conditus fuerat, vt stante mente, in arcem se contemplationis erigeret: & nulla hunc corruptio à conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quòd ab ingenitâ standi soliditate voluntatis pedem ad culpam mouit, à dilectione conditoris in semetipso protinus cecidit. Conditoris quippe sui contemplationem deserens, salutis suæ fortitudinem perdidit: & quolibet posita mens, semper ægra alium locum quærit.] Audi sponsam ipsam quæ vtrumque pulcrè exprimit, dum & dormire se dicit; & cor

A suum vigilare.

Bernard. ser. 23.

[Nam, (vti aduertit Bernardus) in somno quidem suauissimi stuporis placidæque admirationis sentire quietem, in vigilijs verò inquietæ nihilominus curiositatis ac laboriosæ exercitationis pati se fatigationem significat. Hinc & beatus Iob, Si dormiero, ait, dico, quando consurgam? & rursus expectabo vesperam. Sentisne in his verbis sanctam animam velle interdum molestam quodammodo declinare suauitatem, eandemque rursum suauem molestiam affectare? Non enim dixisset, quando consurgam, si ex toto ei quies illa suæ contemplationis placuisset: sed & si ex toto displicuisset, non denuò expectasset horam quietis, idest, vesperam.

Noctes laboriosæ, vt inquietæ contemplationes.

B Est item locus de quo super rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat secretissima & seuerissima animaduersio iudicis Dei terribilis in consilijs super filios hominum. Cernitur, inquam, à timorato contemplatore hoc loco Deus, iusto sed occulto iudicio suo reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona; insuper & corda indurans, ne fortè doleant, & resipiscant, & conuertantur, & sanet eos. Et hoc non absque certâ & æternâ ratione, quod tanto formidolosius constat esse, quanto immobilius fixum extat in æternitate. Est tamen Dei locus & iste planè non

C aliud quàm domus Dei, & porta cœli. Hic sanctum & terribile nomen eius, & tanquam ingressus gloriæ. Initium sapientiæ timor Domini.] Vbi autem timor ac tremor, ibi agitatio adhuc, ibi & titubatio: tamen & ille timor sanctus, & tremor iustus est; idcircò ad ipsam contendit sapientiam, dum veram, non cognoscendo solùm sed & colendo sapit iustitiam.

Bernard ibidem.

[Ibi quippe, vt & ille ait, in quodam quasi auditorio suo docentem de omnibus magistram audimus sapientiam, hîc & suscipimus. Ibi instruimur quidem, sed hîc afficimur. Instructio doctos reddit, affectio sapientes. Sol non omnes quibus lucet etiam calefacit.

D Sic sapientia multos quos docet quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas diuitias scire, aliud possidere: nec notitia diuitem facit, sed possessio. Sic prorsus sic aliud est nosse Deum, & aliud timere: nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui & afficit. Benè igitur, Initium sapientiæ timor Domini: quia tunc primùm Deus animæ sapit, cum eam afficit ad timendum, non cum instruit ad sciendum. Ibi quidam accessus est ad sapientiam, hîc & ingressus. Porrò nec hîc nec ibi speculanti perfecta est quies: quia illic apparet Deus tanquam

E sollicitus, hîc tanquam turbatus. Non ergo cubiculum quæsieris in his locis, quorum alter auditorium quasi docentis, alter prætorium iudicis apparet. Sed est locus vbi verè quiescens & quietus cernitur Deus, locus omninò non iudicis, non magistri, sed sponsi: & qui mihi quidem (nam de aliis nescio) planè cubiculum sit, quando in illum contigerit introduci.]

Tertium est in loco non solùm quieto & quiescente, sed etiam lato & vbere, in quo sublimes animæ, tanquam aquilæ nobiles eleuantur super omnia, & vniuerso delectabiliter con-

Bernard. ser. 23.

ſtanterque contemplantur diuinæ ſacramenta ſapientiæ. Hoc priuilegium vltimum eſt, ſed rariſſimum. Et quidem de Paulo noſtro, qui etſi œconomiam diuinam didicit cum Angelis, nihil tamen didicit ab Angelis, referri piè poteſt, ac facilè perſuaderi, ſupra omnia ſublimatum tantoque donatum priuilegio. [Paulum enim, (vti loquitur Chryſoſtomus) vt qui legem didiciſſet, & loqueretur ſpiritu, eſt conſentaneum omnia accuratè & exactè ſciuiſſe. Poſt dationem namque Spiritûs, non erat cor hominis, ſed cor ſpirituale, ſicut ipſe quoque dicit, Mentem Chriſti habemus. Hoc eſt autem quod dicit: priuſquam accepiſſet ſpiritum, & didiciſſet arcana, nec ex nobis, nec ex Prophetis vllus ea intellexit. Quomodo enim, cum nec Angeli quidem ea noſſent? Vnde eſt perſpicuum quod priuſquam audiuiſſet, nec in cor quidem hominis aſcenderunt. Nos autem, inquit, habemus mentem Chriſti, hoc eſt, ſpiritualem, diuinam, quæ nihil habet humanum. Adducit enim cauſam facilè principem, quòd hoc maximè modo poſſumus videre, ex quo & alta, & arcana, & quæ ſupra nos ſunt ſcire poterimus.] Alios quidem à conſortio ſuo non ablegat, dum affirmat, nec oculum vidiſſe ea, nec aurem audiſſe, nec in cor hominis aſcendiſſe, quæ amicis Dei, ſeu electis ipſis præparata ſunt: Sed cum doctrinam ſpiritus commendat, non ſolùm illam eſſe præcipuam, ſed & ſuam ſignificat. [Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinâ ſpiritûs.] Quibus innuit ſe doctum Spiritu, imò id ſemel iterumque non ad inculcationem tantummodo, ſed & ad comparationem, ne dicam & prælationem repetit. Nec ille tamen ſolus ſicut nec ſolus Apoſtolus, licet præcipuus; pauci tamen cum ipſo Apoſtoli, pauci & in hanc altitudinem ſublimitatemque cum illo prouecti erectique; vt poſſint omnia etiam Dei profunda contemplari rimarique. [Nunc id noſſe ſufficiat, ait Bernardus, nulli adoleſcentularum, nulli concubinarum, nulli vel reginarum patere omnino acceſſum ad ſecretum illud cubiculi quod ſuæ illi columbæ formoſæ, perfectæ vni vnicum ſponſus ſeruat. Denique & flagitat indicari ſibi vbi paſcat, vbi cubet in meridie. O verè quietis locus, & quem non immeritò cubiculi appellatione cenſuerim, in quo Deus non quaſi turbatus irâ, nec velut diſtentus curâ proſpicitur, ſed probatur voluntas eius in eo bona & beneplacens & perfecta. Viſio iſta non terret, ſed mulcet; inquietam curioſitatem non excitat, ſed ſedat: nec fatigat ſenſus, ſed tranquillat. Hîc verè quieſcitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia; & quietum aſpicere, quieſcere eſt. Tertio enim iſto in loco non planè terribilis, nec tam admirabilis, quàm amabilis apparere dignatur, ſerenus & placidus, ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus intuentibus ſe.] Sic quieſcitur in pace, donec ipſe in ſpecie videatur.

Chryſoſt. Orat. 7.

Noctes laborioſæ, vt inquietæ contemplationes.

Spiritus facit, vt cor iam humanum non ſit, ſed diuinum.

Bernard. dem.

Bernard. ſerm 23. in Cant.

A

COROLLARIVM.

De iudicio ſpiritualis hominis.

Tria remanent diſquirenda, quorum primum eſt quis ſit ſpiritualis homo, ſeu de conditione ſpiritalis hominis: alterum, quænam iudicet: tertium denique, à quo poſſit iudicari. Verùm quia capito ſequenti occaſio recurrit agendi de ſpiritalibus & carnalibus, duo duntaxat agent ſcenam ſuam: vel ſuam potius exponent ſententiam.

B Paulus ergo reiectâ hominis animalis ignauiâ, addit: [Spiritualis autem iudicat omnia.] Quænam omnia? & quomodo ea iudicat? Prius dixerat idem Apoſtolus: [Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.] Quod quidem, vti iam inſinuauimus, duplici modo intelligi poteſt: primò pro Spiritu ſancto, & indicat contextus. [Nobis autem, inquit, reuelauit Deus per Spiritum ſuum.] Sanctum ſcilicet. De quo Chriſtus: [Ille vos docebit omnia.] Et poteſt, [Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiã profunda Dei.] Idem nimirùm Spiritus: Dei ſcilicet, ſanctus-ve. Vnde ſubdit. [Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus C hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi Spiritus dei.] Et hoc modo, reſtrictio nulla debet apponi termino. Spiritus enim, Deus; ſicut & Deus, eſt Spiritus: imò propriè aut ſtrictè loquendo, ſolus Deus eſt Spiritus, ſicut & ille ſolus Veritas, Charitas, &c. Vnde Tertullianus de æternâ Dei Sapientiâ. [Hæc, inquit, ſola cognouit ſenſum Domini. Quis enim ſcit quæ ſunt Dei, & quæ in ipſo, niſi Spiritus qui in ipſo? Sophia autem ſpiritus hæc illi conſiliarius fuit, via intelligẽtiæ, & ſciẽtiæ ipſa eſt.] Vbi quando ſolitarẽ inducit, alietatem naturæ excludit extraneæ. Ideoque D & Spiritus cum ſit æquè Deus, ac ipſe Filius, æquè etiam omnia ſcit, ac æterna Sapientia. [Quis enim ſcit quæ ſunt in Deo, niſi Spiritus qui in ipſo eſt? non qui extrà ipſum.] Ita ille. Secundo modo intelligi poteſt pro Spiritu ſanctificato; non humano iam ſed diuino; & inclinat ſenſus. Præmiſerat enim Apoſtolus: [Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum.] Quibus nobis? Apoſtolis, Apoſtolicis viris, Prophetis, viris ſpiritalibus. [Audierunt Prophetæ, ait Chryſoſtomus, ſed non erat auris hominis, auris Prophetica.] Nihil enim humanum in viris inſpiratis, nihil terrenum; ſed omnia cœleſtia, diuina omnia. Vnde Spiritus E ille ſanctificatus, [Omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.] Non hoc mirum. Sed id durum ſi Spiritus Dei aliquid etiam ſcrutatur, cum omnia comprehendat: niſi quod & Deus ipſe ſcrutatur renes & corda, dum nulla non arcana penetrat.

Quid igitur tandem, omnia? Nam quod creatum eſt, limitatum eſt: quod autem extra Deum eſt, creatum eſt: at Spiritus ſanctificatus extra Deum eſt, ergo iam quid creatum eſt: ſi creatum, limitatum eſt: ſi limitatum, quomodo omnia capit aut ſecernit? Dico capit, aut ſecernit. [Iudicare enim ſeu dijudi-

Ioan c. 14.

Deus ſolus propriè aut ſtrictè eſt ſpiritus.

Tertullian. lib. aduerſ. Hermog. cap. 18.

Tertullian. lib. aduerſ. Prax. c. 19.

Chryſoſt. Hom 7.

Chryſoſt. Homil. 7.

care, (vti dixit Chryſoſtomus) eſt arguere.] A Hîc quippe iudicare, idem eſt ac diiudicare, vt patet ex Græco: diiudicare autem, eſt diſcutere, ſecernere. Vnde ex Irenæo: [Spiritalis examinat omnia, animalis autem non percipit quæ ſunt ſpiritûs.] Debet autem priùs capere vtrumque, qui vtrumque diiudicat: & eodem iure debet omnia capere, qui omnia diiudicat. Sed ſeipſum exponit Apoſtolus, dum ait, [Omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.] Græcè τὰ βάθη. Quibus diſtinguit duo conſiliorum genera diuinorum: quædam, quæ obuia, & quaſi paſſiua: qualia ſunt creatio, gubernatio, &c. Alia, quæ abſtruſa, & quaſi ininueſtigabilia, vt liberatio hominum, ele- B ctorum prædeſtinatio, reproborum abdicatio, &c. Innuit tamen homines ſpiritales, reuelante Deo, iſta penetrare; nec vulgaria tantùm, ſed & abdita habere perſpecta. Sic & cum ait, Iudicat omnia, non ſingula generum, ſed genera ſingulorum intelligit; notatque non terrena tantùm ac mundana, ſed ſuprema & cœleſtia. Priùs dixit. [Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.] Gratuita ſcilicet miſericordiæ diuinæ beneficia. [Spiritus enim huius mundi facit, vt putet ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit. Sed quid ait Apoſtolus contra ſpiritum huius mundi inflatum, ſuperbum, tumi- C dum, elatum, non ſolidum? Quid ait? Nos non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.] Carnalis eſt, qui ſpiritum habet mundi, & de rebus iudicat ſenſibilibus; ſpiritalis eſt qui habet ſpiritum Dei, & de rebus iudicat cœleſtibus. Omnia igitur, id eſt, non humana ſolùm, ſed & diuina; non ſolùm carnalia, ſed & ſpiritalia ἀνακρίνει, diſcernit, diſtinguit, examinat, diiudicat. Probat nimirum quod verè iuſtum, non ſolùm in ſpecie; quod iniuſtum eſt, improbat. [Iudicat ſpiritalis approbando quod rectum, ait idem ipſe Auguſtinus, improbando autem quod perperam inuenerit.] Iudicat quæ ſua ſunt, non vſurpat aliena.

Iren. lib. 1. aduerſ. hæreſ. cap. 1.

Conſilia quædam diuina obuia, alia recondita.

Auguſtin. Hom. 14. ex 50. cap. 6.

Auguſtin. lib. 13. Confeſſ. cap. 23.

D Quid ergo eſt? Nam ſi iudicat omnia, à quo iudicabitur? Vnde Apoſtolus: [Et ipſe à nemine iudicatur.] Illud ergo alterum eſt dubium, quod diſcutiendum eſt. Et primò quidem obſeruandum eſt, Apoſtolum ea verba per modum definitionis profari, non per modum expoſitionis, vel etiam illationis. Vnde ex Græco ita verti poteſt: [Spiritualis diiudicat quidem omnia: ipſe autem à nullo diiudicatur.] Secundò, variari ſuppoſitionem terminorum: nam cum ait Apoſtolus: [Spiritualis autem iudicat omnia.] De rebus loquitur. Cum autem addit. [Et ipſe à nemine iudica- E tur:] Loquitur de hominibus. Tertiò, ſcrupulum diſcuti per verbum Græcum ἀνακρίνει quod diſcretionis eſt, non iuriſdictionis. Qui enim ſpiritu Dei imbutus, ad diiudicanda diuina idoneus eſt: itaque illud iudicium iuriſdictionis non eſt, ſed rectitudinis. Quid enim? ſuccenſebit diuinis myſteriis? Imò cenſebit diuina, ideoque ſupra ſe poſita; quæ adorare quidem debeat, non liceat iudicare. Ita non iudicat de lege quæ diuina eſt; niſi quod in- A ſpirationem diiudicat, ſi verè diuina eſt ac ſancta; & inde piè colendam, ſanctèque iudicat obſeruandam. [Sic enim homo, vti dixit Auguſtinus, licet iam ſpiritalis & renouatus in agnitionem Dei, ſecundùm imaginem eius qui creauit eum, factor tamen legis debet eſſe, non iudex.] Ita reges ſpiritales, terram iudicant, dum terrenam damnant caſtigantque iure ſuo, aut opere æmulo concupiſcentiam. [Inferius enim nobis eſt, ait ille, quicquid iudicamus: quicquid autem infra ſpiritalem hominem eſt, meritò terra nominatur, quia terrenâ labe ſauciatum eſt.] Iam ergo iudicatur potius à rebus diuinis, quàm ipſe eas iu- B dicet; neminemque ipſe iure ſuo iudicat, niſi cui ſupereminet.

Spiritalis non iudicat diuina, vtpote altiora, ſed ab ijs diiudicatur.

Auguſtin. lib. 13. Confeſſ. cap. 22.

Auguſtin. veri. ſue in Enarrat. Pſal. 2.

Sed & nihil obſtat quin & ipſe ſpiritalis homo diiudicetur ab aliquo, modo & iſte ſpiritalis ſit, non animalis carnaliſ-ve. Præmiſerat enim Apoſtolus. [Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritûs Dei: ſtultitia enim eſt illi.] Seu, vt ex Græco, [Stultitia enim ei ſunt.] Ei ſunt abſona, quia ſenſibus ſuis, aut humanis rationibus minimè conſona. [Et non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.] Poteſt dici ex Græco, [Examinantur.] Nimirum ea quæ ſunt ſpiritûs Dei. [Quoniam non nouit quod ſpiritualiter examinatur. Hoc eſt, (vt exponit Chryſoſtomus) C fide indigent quæ dicuntur, & rationibus non liceat ea cōprehendere.] Diuinis diuina diiudicanda ſunt ſicut & probãda, altiora altioribus; ſpiritualia ſpiritualibus. Tum determinat: [Spiritualis autem iudicat omnia: & ipſe à nemine iudicatur.] Qui nimirum carnalis ſit, animaliſ-ve. Si enim non capit ea quæ ſunt ſpiritûs, non poteſt, non ſufficit ijs diiudicandis, qui verè ſunt ſpiritales, mundanam ſcilicet excedentes notitiam. Si autem quis ſpiritualis ſit, ſpirituales etiam diiudicare poteſt: cum non humana tantùm capiat, ſed & ipſa percipiat ſpiritalia. [Vides, ait ille, quemadmodum vndique Apoſtolus inſectetur externam ſapientiam, & eum qui plura nouit, & ſpiritualem D indicet eſſe maiorem.] Sed & inter ſpiritales ſeu maiores, alius alio excelſior, alius alio excellentior & eminentior. Communis quidem eminentia ſpiritalium omnium ea eſt, quia quiuis in Deo eſt, & cum Deo. [Omnia ergo iudicat, ait Auguſtinus, quia ſuper omnia eſt quando cum Deo eſt.] Quomodo autem verè cum illo? [Cum illo eſt, inquit, quando puriſſimè intelligit, & totâ charitate quod intelligit, diligit.] Vt autem ſunt diuerſi intelligentium ac diligentium gradus ſicut & proficientium: ita quiſque ſua quidem iure diiudicare poteſt, ſed ordine debito. Singularis quippe excellentia, vt ille puriùs intelligat, aut iſte E diligat ardentiùs. Laudabilis cuiuſque reuerentia, vt legem diuinam, ſecretam-ve inſpirationem penſet ea iuſtâ notitiâ, & ſecundùm ipſam omnia diiudicet.

Chryſoſt. Homil. 7.

Inter ſpirituales, alij aliis ſunt illuſtriores.

Chryſoſt. ibidem.

Auguſtin. lib. de verâ relig. c. 31.



CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

HOmines vt homines, imò & humanum vt humanum pessundat ministerium: & omnes ad Christum, vt ad præcipuum reuocat fundamentum: Sit ergo.

PARS PRIMA.

De humano ministerio.

TEXTVS.

ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: Sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & rigat, vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Dei enim sumus adiutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet.

EXEGESIS LITTERALIS.

AB hominibus transit ad humanum ministerium, definitque tam illos suo fastu spernendos, quàm & isto suo gradu non tam suspiciendos esse, quàm suscipiendos.

[Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, &c.] Dixerat Apostolus se spiritualibus spiritualia cōparare, id est, hominibus spiritualibus tradere se ea quæ sunt spiritualia, tanquam illis apta & accommodata. Nunc ergo quid faciam vobis, ô Corinthij? Cū enim animales sitis carnalesquè, nondum ea quæ sunt spiritûs percipitis. Idcircò nec ego potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed necesse habui tanquam carnalibus. [Tamquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis, &c.] Adhuc carnales estis, qui

A infantes adhuc, sensu carnis præpediti, & ad altiora capiunda, ad spiritualia, mentis obtutu contemplanda parùm idonei. Temperanda igitur fuit doctrina. Paruuli estis in Christo, factus sum vobis tanquam paruulis loquens, prima tradens fidei elementa; lacte potius vos potando, quàm solidum apponendo cibum, quàm sublimiorem proponendo exponendoque sermonem. Tunc enim alterius rei non eratis capaces, imò ne nunc quidem estis, adhuc enim estis carnales, rationis inopiâ, seu mentis angustiâ laborantes. [Et rectè, ait Athanas. non potui illud, adiecit: ne videatur liuore ductus perfectiora illis nondum prædicasse.

Doctrina Pauli à capaciori auditorum temperata.

Athanas. in Paulum.

B Cum enim carnales essetis, inquit, non potui vt perfectis loqui. Quantum ad ea quæ Christi sunt spectant, infantes estis, & ideò lac vobis in potum, hoc est, simpliciorem quandam doctrinam, non cibum vobis, id est, perfectionem obtuli. Quamobrem? Quoniam nondum poteratis: neque nunc quidem potestis. Nam

A & adhuc quæ carnis ſunt ſapitis. Quod eo intulit Paulus, vt Corinthiorum reprimeret ſupercilium, & inſolentiam tolleret, qui ſuæ plurimum confiderent ſapientiæ.] An hac viâ proficitis? imò deficitis.

[Cum enim ſit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? &c.] Zelus nonnunquam in malo, pro æmulatione, pro vlcerati animi amaritudine, vnde contentiones factioneſque. Cum igitur tam acriter pro ſuo quiſque contendat magiſtro, ne dicam, & pueriliter ludat, id an ex ſpiritu diuino vel humano affectu? Certè conuincimini tam carnales eſſe quàm & infantes, dum ſenſu non ſpiritu ducimini.

Ambroſ. in Paulum.

B [Indignitatis cauſam oſtendit, ait Ambroſ. quia qui de homine ſperat auxilium, carnalis eſt. Qui autem ſpretâ humanitate, de Deo ſperat, ſpiritalis eſt: quia Deus Spiritus eſt.] Pueri ſunt, quà imperfecti adhuc, quà infirmi. [Cum enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; alius autem: Ego Apollo, nonne homines eſtis?] Nonne ſeruitis humanis affectibus, nonne ſtudiis luditis puerilibus?

Miniſteriũ ſerui, Domini imperium.

[Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Miniſtri eius, qui crediſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit.] Qui ſunt illi pro quibus contenditis magiſtri? Miniſtri ad prædicandum miſſi, & ad eum cui crediſtis annuntiandum, C hoc vel illo munere, Deo ſic volente præditi. Sicut vnicuique Dominus voluit dare, diſpenſare placuit.

Ambroſ. ibidem.

[Id eſt, ait ille, ſicut voluit, & ſicut diuiſit ſingulis officia miniſterij. Vt quia miniſtri ſunt, ſpes in his non ſit, ſed in Deo cuius miniſtri ſunt. Illi enim gratiarum actio deferenda eſt, cuius donum eſt: hi verò ſerui, quos etiam inuitos oportet diſpenſare. Numquid non Moyſes coactus eſt ire ad Pharaonem, & Ionas inuitus miſſus eſt prædicare Niniuitis, & Ananias contradicens miſſus eſt Saulo manum imponere?] Eo conſilio miniſtrũ eleuat, vt debitam Deo gloriam aſſerat.

[Ego plantaui, Apollo rigauit: ſed Deus incrementum dedit, &c.] D Ego fundamentum ieci doctrinæ, Apollo ſuperædificauit: ego incœpi, Apollo plantam adhuc nouellã fouit & excoluit: ſed Deus ipſe effecit, vt quod plantatum eſt rigatumque, & creſceret, & fructum faceret. [Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat, Deus.] Dum me dico miniſtrum, ad nihilum redigo. Quid enim plantator, quid & rigator? Extrinſecùs quidem exhibent miniſterium, ſed non præbent intus incrementum. Vnde igitur aliquid? Ab eo, à quo eſt, quicquid viuit aut creſcit. [Qui autem plantat, & rigat, vnum ſunt.] E Vnum vtrique miniſtrant, & eodem ſpectant, nempe ad incrementum à Deo expectandum.

Chryſoſt. orat 8.

[Vnum enim eos eſſe dicit, (verba Chryſoſtomi) ex eo quòd nihil poſſint abſque Deo qui dat incrementũ.] Quaſi ſine illo nihil ſint: in vanum plantent, & in vanum irrigent. [Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.] In Græcis τὸν ἴδιον vbique propriã mercedem recipiet ſecundùm proprium laborem. [Quamuis vnũ enim ſint, ſed quia maior eſt qui euangelizat, quàm qui baptizat: ideo diſcreuit mercedes illorum.] Ita Comment. Ambroſ. Non negat varia eſſe miniſteria: ſed affirmat Deum cuique ſecundùm opera ſua redditurum.

Comment. Ambroſ.

[Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis, &c.] Adiutores Dei, ſunt adminiſtri, cooperarij, Græcè συνεργοί. Plantando ſc. ac rigãdo; ſeu fundãdo, & ſuperædificando: Dominicũ excolendo agrum, diuinum exſtruendo ædificium.

Cooperamur Deo, ſed in id & ab illo adiugamur.

[Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus, fundamentum poſui, &c.] Diuinâ gratiâ vocatus ſũ Apoſtolus, & ideò meum fuit fundare fidem: imperitus enim architectus eſt, qui ædificare tentat aduerſùs artem, putatque fundamentum ſuperponendum potius quàm ſupponendum. [Alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.] Ne primæ diſpoſitioni non congruat, ne quid ſuperaddat tam inſtitutioni Apoſtolicæ diſſentaneum, quàm aut Philoſophiæ ſæculari, aut propriæ acceptum præſumptioni.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

INtermiſimus diſquiſitionem de ſpiritalibus & carnalibus, & in iſtud caput remiſimus. Idcircò ab iſtis cum Paulo ordiendum eſt, & ſi quid ſupereſt, expendendum.

DISQVISITIO PRIMA.

De Carnalibus.

PRiùs agimus de carnalibus, rudimenta enim à rudioribus ordienda. [Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale.] In quo definiendum eſt primò, carnales & animales, licet nomen elatione diſſimiles, re tamen paſſim pro ijſdem ſumi; nec aliter diſtingui quam ſecundùm affectum aut iudicium.

1. Corinth. c. 15.

Ij enim carnales, qui vitio adhuc laborant deprauatæ voluntatis: ij animales, qui iudicio labant inclinatæ mentis. Sed ſicut iudicium redundat affectum, ſic & affectus redundat in iudicium.

Nonnulli carnales affectu, alij intellectu naimales.

Illi igitur carnales dicuntur ſeu animales, qui aliquam adhuc infirmitatem carnis, imò nonnullam mentis patiuntur imbecillitatem. Pro carnali, materialem intrudebant Valentiniani, & trinitatem generum ex trinitate inducebant cauſarum. [Vnum materiale, ait Tertullianus, quod ex paſſione: aliud animale, quod ex conuerſione: tertium ſpiritale, quod ex imaginatione.]

Tertullian. lib. aduerſ. Valentin, cap. 17.

Et apud Irenæum. [Hominum tria genera dicunt, ſpiritalem, pſychicum, choïcum, quemadmodum fuit Cain, Abel, Seth, vt oſtendant & ex his tres naturas, iam non ſecundùm vnumquemque, ſed ſecundùm genus.]

Irenæus lib. 1. aduerſ. hæreſ. cap. 1.

Contradicit Apoſtolus, dum nunc animales dicit ipſos Corinthios, nunc carnales: & iis non alios opponit quàm ſpiritales. Sed in eodem homine aliquid ſpiritale eſt, in quantum innouatus. Dei Spiritum concepit: & aliquid carnale, in quantum vetus Adami ſapit vitium. [Spiritales viri, ait Auguſtinus, qui de omnibus iudicant, & à nemine iudicantur, non diuiduntur in hæreſes & ſchiſmata: quandiu autem carnales ſunt,

Aug. con. 3. in Pſalm. 103. c. 1. med.

diuisibiles sunt.] Definiendum est secundò, carnales sicut & animales, infirmos quidem censeri, posse tamen saluos fieri. [Sunt enim quidam carnales, ait ibidem Augustinus, & tamen Ecclesiæ gremio continentur, viuentes secundùm quendam modum suum, quibus timemus ne seducantur ab hæreticis.] Ita Paulus carnales animales-ve vocat paruulos in Christo, computatque inter fratres, adoptat in filios. Et in eo etiam aberrant Valentiniani, dum putant: [Choïcum quidem in corruptelam abire: animalem verò, si meliora elegerit, refrigeraturum; si verò peiora, transire & ipsum ad similia.] Ita Irenæus. Definiendum tertiò, semper fuisse nonnullos spiritales, aliquos semper fore carnales. [Ecclesia enim quod est populus Dei, (ita loquitur Augustinus) etiam in istius vitæ peregrinatione antiqua res est, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem spiritalem.]

Iren. lib. 1. cap. 1.

Augustin. lib. 1. de bapt. cont. Donat. cap. 15.

Augustin. epist. 150.

Iam ergo: [Quærendum est, (vt & ille ait) quousque appellandus sit animalis homo, vt si eum iam transcendimus, rectè fortasse illa quæ suprà humanam mentem atque intelligentiam incommutabiliter manent, aliquâ ex parte nos attigisse gaudeamus.] Tres autem sunt animalis seu carnalis appellationes. Prima est de ijs qui carni ac sensui sunt dediti. Quinam enim carnales, nisi spiritum non habentes? Ita Iudas in suâ Canonicâ. [Animales, spiritum non habentes.] At ijdem animales, vt vidimus, qui & carnales. Non habere autem spiritum, dici potest trifariàm. Primò per oppositionem. Cum scilicet homo non solùm destituitur spiritu, sed & ei per sensus affectusque opponitur. Ita illi de quibus loquitur ipse Iudas. [In epulis suæ maculæ; conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones.] Græcè *αἰσχύνας*, infames voluptates, infanda dedecora. Quamuis enim peccatum omne, quà summum malum, Deo sit vt summo bono contrarium. Luxuria tamen ac lasciuia, vitia sunt tam Spiritui sancto infensa, quàm immundo spiritui consona. Et in isto opus est vt distinguas carnem & carnalem hominem, sciasque omnem hominem post lapsum carnem dici, non tamen & carnalem isto modo fieri. Illud enim ob infirmitatem, istud ob impuritatem: illud ob concupiscentiam, istud ob incontinentiam. Secunda appellatio de ijs qui spiritum non habent per negationem. [Factus est primus homo in animam viuam.] Id est animalis. Vnde subdit idem Apostolus. [Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale.] Adam enim adhuc animalis erat ex parte corporis, nondum factus erat in spiritum viuificantem: non quòd pœna ob peccatum inferretur, sed quòd gloria differretur ob meritum. Erat adhuc necessitati carnis obnoxius, spiritali dote nondum in corpore præditus. Tertia demum appellatio de iis qui spiritum non habent per priuationem. [Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.] Factus est homo, per peccatum, id est per iustum supplicium animalis, corpore & mente carnalis: & quamuis renouatus sit spiritu mentis suæ, semper

Iudas in ep.

Carnalis per opposi-tionem, per negationē, per priua-tionem.

1. Corinth. cap. 15.

Genes. c. 6.

tamen affectu carnis suæ renouandus est.

Ista autem vltima appellatio duplicis generis est: vna ex parte initij, altera ex parte vitij. Ex primâ parte sunt illi qui incipiunt exuere veterem hominem cum actibus suis, tamen adhuc oppidò rudes sunt in conceptibus suis. Tales sunt nouitioli, quibus rudimenta traduntur disciplinæ, nondum arcana tutò creduntur sapientiæ. [Qui cum maximè, (vti loquitur Tertullianus) incipiunt diuinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incertò reptant.] Ex parte alterâ, sunt illi, qui sensum quidem habent in bonis, diuinis-ue exercitatum, sed aliquid adhuc vitiosi retinent & inordinati. Illi sunt paruuli in Christo, isti nondum perfecti in studio Christiano. Tales erant Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum; vt qui vix Christi mentem caperent, & qui facilè in contentionem, veniabili tamen ignorantiâ potius, quàm lethali malitiâ prorumperent. Quin & post Spiritum acceptum, si nihil iniquitatis remanet, aliquid tamen remanet infirmitatis: secundùm quod & ipse Apostolus Paulus: [Ego autem carnalis sum, venundatus sub lege peccati.] Priùs enim ab omni peccato purgandi, deinde & ab omni malo veteris carnalis-ve seu sensualis hominis liberandi. Purgamur autem ab omni peccato, cum per fidem, inolitam depellimus ignorantiam; & per charitatem, innatam subiicimus concupiscentiam. Sed si per baptismum deleta est omnis iniquitas, non tamen ob morbum insitū ablata est omnis infirmitas. Semper restat aliquid infirmitatis carnalis, & pugnantē etiam, sed nondum triumphantem, opportunè, importunè sollicitat. Carnales igitur vocat Apostolus Corinthios animalesque, & ex parte initii, & ex parte vitii. Ex parte initii. [Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.] Ex parte vitii. [Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?] Adhuc estis paruuli, ideò imbecilles ad audiendum: adhuc imperfecti estis, ideoque & ad humanum sensum mobiles. [Non tamen sunt isti illis æquandi, ait Augustinus, quos omninò ab Ecclesiâ schisma præcidit. Istos quippè idem Apostolus Paulus paruulos dicit esse in Christo, quos nondum escam valentes capere, lacte nutrit tamen illi autem non in filiis paruulis, sed in mortuis & perditis computandi sunt.]

Tertull. lib. de pœnitent. c. 6.

Rom. c. 7.

Carnales ex parte initij & ex parte vitij aniᵹ malesque.

Augustin. lib. 2. Retract. cap. 17.

DISQVISITIO SECVNDA.

De spiritalibus.

NVnc de spiritalibus, qui sic carnalibus animalibus-ve opponendi sunt, vt nec iisdem gradibus, nec diuersis etiam sint affectibus distinguendi. Et primò quidem definiendum est, quamlibet disciplinam aut sectam, titulum aut terminum sortitam esse quo perfectos notet, significetque eos culmen adeptos & apicem. Ita distinguebant Stoïci proficientes & sapientes, illosque dicebant securos sapien-

Sen. lib. de vita beata c. 24.

tiam, istos illa assecutos. [Aliud est, ait Seneca, studiosus sapientiæ, aliud iam adeptus sapientiam.] Sic & alij in sacris seu diuinis suis, secernebant inter signatos sacratos-ve, & consummatos. Sic & Manichæi suos extollebant vt electos, quasi cæteri forent reprobi. [Vsurparunt sibi illud nomen, ait Augustini in Psal. 140. & quasi familiarius sibi applicuerunt.] Definiendum secundò, illam distinctionis notam apud nos, seu verè Christianos, esse spiritalis prærogatiuam. Qui enim spiritalem dicit, tantundem est ac si diceret perfectum, & vitæ magistrum Christianæ. Ita dixit Apostolus: [Sapientiam loquimur inter perfectos.] Græcè τελείοις. Consummatæ viros sapientiæ. Sic & dicit magistros, vt qui cæteros docere possint vt imperfectos, & ad sanctitatem perfectionemque promouere. [Vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi.] Vos qui perfecti estis, docete imperfectos; qui spiritales, eos qui adhuc animales sunt & imbecilles instruite. Inde est, quòd omnes qui de perfectione Christianæ religionis contenderunt, gloriam etiam ambierunt spiritalium, cæteris psychicorum seu animalium notam inusserunt. Apud Irenæum: [Dicunt consummationem futuram, cum formatum & perfectum fuerit scientiâ omne spiritale: idest, homines qui perfectam agnitionem habent de Deo: esse autem hos semetipsos. Erudiuntur autem psychica, idest animalia, psychici, idest animales homines, qui per operationẽ & fidem nudam formantur, & non perfectam agnitionem habent. Esse autem hos, nos qui sumus ab Ecclesiâ, dicunt. Nos enim arguunt quasi idiotas, & nihil scientes, semetipsos extollunt, perfectos vocantes, & semina electionis.] Definiendum tertiò, spiritum à quo spiritales dicti sunt perfecti omnes Christiani, non esse humanum, aut etiam angelicum, sed diuinum, imò & Deum ipsum. Cum enim id intẽderent quod esset perfectissimum, non erat quod in aliquo subsisterent creato; sed & ad Deum ipsum peruenerunt summum & incircumscriptum, cuius imbiberunt sensum, hauserunt spiritum. [Quatuor spirituũ genera nota sunt nobis, ait Bernardus, pecoris, noster, Angelicus, & qui condidit istos Deus, cui omnis tam corporalis quàm spiritualis creatura meritò confitetur, & dicit: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.] Ille pater spirituum est, & inde aliquis tanto magis sibi spiritalis dotem vendicat, quanto magis impressionem lucis participat.

Galat. c. 6.

Iren. lib. 1. cap. 1.

Spirituales dicti sunt à Spiritu Dei.

Bernardus serm. in Cãt. à princip.

Triplex autem est participatio diuinitatis seu immortalis illius lucis, quæ triplici nobis infunditur radio, aut ad quam medio triplici ascenditur. Primum est, charitas huius viæ. Ita iustum & improbum Aquinas comparat tanquam vigilantem ac dormientem; affirmatque, istum ab illo iudicari posse tanquam à spiritali, non illum ab isto vt minimè spiritali. [Homo enim, ait, habens intellectum illustratum, & affectum ordinatum per Spiritum sanctum de singulis, quæ pertinent ad salutem, rectum iudicium habet. Ille autem qui non est spiritualis, habet etiam intellectum obscuratum, & affectum inordinatum circa spiritualia bona, & ideò ab homine non spirituali, spiritualis homo iudicari non potest, sicut nec vigilans à dormiente.] Et alibi. [Homo spiritualis ex habitu charitatis habet inclinationem ad rectè iudicandum de omnibus secundùm regulas diuinas, ex quibus iudicium, per donum sapientiæ pronunciat: Sicut iudex per virtutem prudentiæ pronuntiat iudicium, ex regulis iuris. Iudex enim dicitur quasi ius dicens. Ius autem est obiectũ iustitiæ.] Sed illa participatio communis est iustorum omnium seu sanctificatorum, qui regenerati sunt per Spiritum sanctum, & inde spiritales nominati: licet adhuc paruuli, licet imbecilles, adhuc imperfecti, & inde carnales adhuc animales-ve. Est ergo secunda participatio diuinæ illius naturæ per communicationem alicuius charismatis quo dignatus est Deus maiorem sui copiam facere, prophetiamque, vel arcanam infundere sapientiam [Propter quod, ait Irenæus, & Apostolus ait, sapientiam loquimur inter perfectos. Perfectos dicens eos qui perceperunt Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum & ipse loquebatur. Quemadmodum & multos audiuimus fratres in Ecclesiâ, Prophetica habentes charismata, & per Spiritum vniuersis linguis loquentes, & absconsa hominum in manifestum producentes ad vtilitatem, & mysteria Dei enarrantes, quos & spiritualis Apostolus vocat, secundùm participationem Spiritûs existentes spirituales.] Isti sunt viri Spiritu Dei inundati, seu Deo ipso pleni. [Quos, vti dixit Tertullianus, spiritales meritò dici facit agnitio spiritalium charismatum.]

Aquin. lect. 3. c. 2.

Aquin. 1. 2. q. 6 art. 1. ad 2.

Prophetica charismata olim spiritalibus data

Iren. lib. 5. aduers. hæres. c. 6.

Tertullian. lib. de Monog. c. 1.

Verum cum ista dona sic animam exornent Christianum, vt tamen minimè per se sanctificent. Alio est, & vltima summaque participatio Dei quæ haberi potest in hac vitâ, nempe animæ in ipsum transformatio talis qualis à viatore sperari potest & in comprehensore consummari. [Dupliciter enim dicitur homo spiritualis. Vno modo ex parte intellectûs, Spiritu Dei illustrante. Alio modo ex parte voluntatis, Spiritu Dei inflammante.] Sic Aquinas. At lux omnis illustrat quidem, non tamen & omnis inflammat: & ideò posset quis spiritalis esse quoad mentem, per arcanam sublimium rerum notitiam: nondum tamen quoad voluntatem, per perfectam diuinæ voluntatis, summæque bonitatis consonantiam. [Perfecti igitur, (vti concludit Irenæus) qui & Spiritum in se perseuerantem habent Dei, & animæ & corpora sine querelâ seruauerint: idest, illam quæ ad Deum est fidem seruantes, & eam quæ ad proximum est iustitiam custodientes.] Qui fideliter Deo deseruiunt, nec ea quæ sunt sua, sed quæ Dei & proximi semper & vbique quærunt. Vnde illi maximè notandi, ac culpandi, qui spiritales dici volunt, viuunt tamen non dico, non spiritaliter, imò ne rationabiliter quidem, sed carnaliter. [Nobis quidem, ait Irenæus, necessariam esse bonam conuersationem respondent: aliter enim impossibile esse saluari. Semetipsos autem non per operationem, sed ex eo quòd sunt naturaliter spiritales, omninò saluari dicunt. Nos enim, qui per timorem Dei timemus etiam vsque in mentibus nostris, & sermonibus pec-

Aquin. lect. 3. c. 2.

Iren. lib. 5. c. 1.

Iren. lib. 1. c. 1.

tate, in vsu gratiam accipere dicunt, quapropter & auferri à nobis: semetipsos autem propriè possidere. Quapropter nobis quidem, quos psychichos vocant, & de sæculo esse dicunt, necessariam continentiam, & bonam operationem: sibi autem, spiritalibus & perfectis vocatis, nullo modo. Non enim operatio in pleroma inducit, sed semen. Quapropter & intimoratè omnia quæ vetantur, hi qui sunt ipsorum perfecti, operantur.] Per semen, intellige munus, quod dicunt spiritale, sed quod vanè credunt inamissibile; vaniusque addentes non magis inquinari immunditiis vel alterari, quam aurum sterquiliniis depositum.

Aquin. 1. 2. q. 6 art. 4. ad 2.

Prophetica charismata olim spiritalibus data

Iren. lib. 1. aduers. hæres. c. 6.

B Nec tamen imperfecti inter bonos inde insultent, aut se inter spiritales viros computent. Quamuis enim Deum sincerè diligant, quamuis viuant innoxiè: quandiu tamen paruuli sunt, quamdiu ad capienda spiritalia inualidi, inter carnales potius animalesque, quàm inter spiritales sunt numerandi. Ille quippe verè spiritalis censendus est, qui vtraque animæ facultate, id est, mente & voluntate perfectus est; mente quidem per summum contemplationis gradum; voluntate autem, per supremum dilectionis terminum. Sunt enim & gradus in charitate, nec omnis in perfectione perfectus est, sicut nec in luce illuminatus est integrè ac perfectè. Sed vbi summus est gradus, hominem in tantum spiritalem præstat, in quantum non reformat tantum, sed & totum ipsum transformat in Deum; vnum cum ipso constituens, vnum, inquam, cum Deo commiscens spiritum; tantumque Spiritui reddens vicinum, quantum patri spirituum assimilat, conformatque. Sic vita illa non solum vnitiua est, sed & transformatiua, quæ praiacto actiuæ fundamento, & relicto contemplatiuæ vestigio, tota agitur per amorem, tota per amorem in Deum (quantum scilicet diuina bonitas, & humana patitur infirmitas) vt in principium suum refunditur. [Animæ reditus, (verba iam Bernardi) conuersio eius ad Verbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In charitate. Ait enim: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos. Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipse exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? quâ fit vt humano magisterio non contenta, per temet ô anima fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctique connubij contractus est iste. Parùm dixi contractus; complexus est. Complexus planè, vbi idem velle, & nolle idem, vnum facit spiritum de duobus. Nec verendum ne disparitas personarum claudicare in aliquo faciat conuenientiam voluntatum, quia amor reuerentiam nescit. Ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret sanè qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur, vacant hæc

Vita perfectissima, quæ transformatiua est.

Tertullian. lib. de Monog. c. 1.

Aquin. lect. 3. c. 2.

Bernard. ser. 83. in Cant. cit. med.

Iren. lib. 5. c. 1.

Iren. lib. 1. c. 1.

A omnia penes amantem. Amor sibi abundat, amor vbi venerit, cæteros in se omnes traducit & captiuat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud nouit nihil. Ipse qui honori merito, merito stupori & miraculo est, amari tamen plus amat. Sponsus & sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem vel connexionem; præter amari & amare?] Inde suspensiones, liquefactiones inde, & cætera spiritalium hominum epicheremata.

DISQVISITIO TERTIA.

An alia perfectorum, & alia imperfectorum disciplina.

Disquisitionem difficilem arbitratus est Augustinus, ob resultantem vtrimque oppositionem. [Hæc est autem quæstio, ait ille, vtrum spiritales homines habeant aliquid in doctrinâ, quod carnalibus taceant, & spiritalibus dicant. Quia si dixerimus, non habent: respondebitur nobis: Quid est ergo quod dicebat Apostolus scribens ad Corinthios, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales? Si autem dixerimus, habent: timendum & cauendum est, ne sub C hac occasione in occultis nefaria doceantur, & spiritalium nomine velut ea quæ carnales capere non possunt, non solùm excusatione dealbanda, verum etiam prædicatione laudanda videantur.] Sed & illud operosiorem facit quæstionem, quod quilibet Christianus, ipsâ suâ lege teneatur esse perfectus: nec enim duo sunt Euangelia, vnum pro perfectis, alterum pro imperfectis: nec duo Christi, seu Christianæ vitæ magistri; vnus perfectorum, alter imperfectorum: sed vnus & communis omnium magister est Christus Dominus, qui patrem cœlestem in imitationem perfectionis, seu in perfectionem imitationis proposuit; & D quod vni ex suis dixit, indixit singulis. Vnde & Tertullianus, ad ipsos etiam paruulos seu nouitiolos. [Quid autem, inquit, te à perfecto Dei seruo separat? An alius est intinctis Christus, alius audientibus? num spes alia, vel merces? alia formido iudicii, alia necessitas pœnitentiæ?] An eorum diuersa erunt mysteria, quorum sunt eadem Sacramenta? An diuersa eorum gratia est, quorum vna est gloria? Nonne altissimum omnibus refugium in scopum propositum est, in quo & supremi infimis egeant, infimi supremis studeant?

Augustin. Tract. 98. in Ioa. à princip.

Idem Euangelium ex æquo omnibus propositum.

Tertullian. lib. de pœnitent. c. 6.

E Definiendum est. 1. Apostolos in doctrinâ sacrâ aut proponendâ aut exponendâ nunquam mentitos præuaricatos-vè. [Temporibus enim noui populi, ait Augustinus, à magnis & spiritualibus viris Ecclesiæ Catholicæ alumnis video cautissimè prouideri: ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis vt cum populo agatur intelligunt: alimenta lacteo largè auidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus

Augustin. lib. de verâ relig. c. 28.

verò & animalibus, quamuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum cum quibus societatem vitæ huius inire meruerunt. Hæc est lex diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam, & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eadem puro affectu inferiores adiuuerit.] Quid dico, temporibus noui populi? Immò [Quisquis terreni populi temporibus vsque ad illuminationem interioris hominis meruit peruenire, genus humanum pro tempore adiuuit; exhibens ei quod ætas illa poscebat, & per prophetiam intimans id quod exhibere opportunum non erat: quales Patriarchæ ac Prophetæ inueniuntur ab ijs, qui non pueriliter insiliunt, sed piè diligenterque pertractant diuinarum & humanarum rerum tam bonum, & tam grande secretum.] Et in vniuersum. [Eis, inquit idem ille, scripturarum libris qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si quid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est: vel me minimè intellexisse, non ambigam.]

Apostoli nunquam in doctrina proponéda caullati. — Augustin. ibidem. — Augustin. epist. 19.

Definiendum 2. Apostolos, virosque Apostolicos, magnâ vsos prudentiâ: ne sanctum darent canibus, ne-ve margaritas ante porcos projicerent. Sacrosancta religionis mysteria margaritis comparata: Sicut enim margaritæ cochleis inclusæ, positæ sunt in profundo maris, sic mysteria diuina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensûs sacræ Scripturæ. [Cauendum est ergo, ne quid aperiatur ei, qui non capit: melius enim quærit id quod clausum est, quàm id quod apertum est, aut infestat per odium, vt canis; aut negligit per contemptum, vt porcus. Dominus enim quamuis nihil mentitus sit: Vera aliqua occultauit.] Ita Augustinus apud Aquinatem. Occultandum enim, vbi auditus, nec fructus est: vbi autem sunt qui audiunt, non debent præpediri ab ijs qui culpâ suâ non audiunt; sed debent potius isti argui de incuriâ, quàm illi de turbâ prætermitti. [Et ideo, ait Ambrosius, etiam nos cum aliqui ex gentibus vocantur ad Ecclesiam, ita præceptorum seriem formare debemus, vt primò vnum Deum auctorem mundi omniumque esse doceamus, in quo viuimus & mouemur & sumus, cuius & genus sumus: vt non solum propter munera lucis & vitæ, verumetiam propter cognationem quandam generis diligendus à nobis sit. Cum vnum Deum esse persuaseris, tunc iudicio eius adstrues per Christum nobis salutem datam; incipiens ab illis quæ gessit in corpore, & ea diuina describens, vt plusquam homo fuisse videatur, victam vnius virtute mortem, mortuumque ab inferis suscitatum: paulatim enim fides crescit, vt cum suprà homines fuisse videatur, Deus esse credatur. Nam nisi probaueris quòd facere illa sine diuinâ virtute non potuit, quemadmodum potes probare in eo vim fuisse diuinam? Non in principiis perfecta quæruntur, sed de principiis ad ea quæ perfecta sunt peruenitur.] Hoc se modo gessit Apostolus in Areopago, & propter omnes communia proposuit, nec propter irrisores alia suppressit, quæ sensuit necessaria.

Apud Aquin in c. 7. Mat. — Verum occultandum quandoque, reuelādum. — Ambros. li. 6. in Luc. vers. fin.

Definiendum 3. In Ecclesiâ Catholicâ vnam eandemque annuntiari doctrinam, sed aliter à rudibus, & aliter à spiritalibus concipi.] Scire enim debet charitas vestra, (verba sunt Augustini) quòd ipse Christus est crucifixus: quo velut lacte paruulos aluisse se dicit Apostolus. Ipsa verò caro eius, in quâ facta est vera mors eius & vulnera vera confixi, sanguinisque percussi, non eo modo à carnalibus quo ab spiritalibus cogitatur; & illis est lac, istis cibus; quia & si non audiunt amplius, intelligunt amplius. Non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab vtrisque recipitur. Ita fit vt prædicatus ab Apostolo Christus crucifixus, & Iudæis esset scandalum, & gentibus stultitia, & ipsis vocatis Iudæis & Græcis Dei virtus & Dei sapientia: Sed carnalibus paruulis id tantùm credendo tenentibus, spiritalibus autem capacioribus id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo tanquam lacteus potus, istis tanquam solidus cibus: non quia hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognouerunt: Sed quod eodem modo vtrique cum palàm diceretur audiebant, pro suo modo quique capiebant.] Idem omnibus Christus, & pro omnibus crucifixus: sed paruuli audiunt, & credunt: perfecti profunda Dei scrutantur, & recondita œconomiæ diuinæ contemplantur mysteria. [Hoc igitur primitùs cognito, ait ille, quòd ea ipsa quæ simul audiunt spiritales atque carnales pro suo quique modulo capiunt, illi vt paruuli, isti vt maiores; illi vt lactis alimentum, isti vt cibi solidamentum: nulla videtur esse necessitas, vt aliqua secreta doctrinæ taceantur, & abscondantur fidelibus paruulis, seorsum dicenda maioribus, hoc est intelligentioribus: & hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Hoc ipsum enim quod non iudicauit se scire in eis nisi Iesum Chistum, & hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quia id sicut spiritales capere non valebant. Quicumque autem spiritales inter eos erant, idem quod illi carnales audiebant, spiritali ipsi intellectu capiebant: vt sic intelligatur quod ait, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: ac si diceret, non potuistis quasi spiritales, sed quasi carnales capere quod loquebar.] Vnum & idem proponitur, nec multum diuerso exponitur modo: sed vti dixit Bernardus: [Vnus idemque cibus ex cœlestibus pascuis suauiter quidem & ruminatur à pecore, & manducatur ab homine; & viro vires, & paruulo tribuit nutrimentum.] Qualis captus, talis & fructus est.

Augustin. Tract. 98. in Ioa. post initium. — Eadem doctrina à varriis variè accepta. — Augustin. ibid. — Bernard. ser. ad milit. temp. cap. 6.



TROPOLOGIA.

Dei agricultura estis.

GEorgica sunt ista, nec tamen terrena. In Græcis γεώργιον, agricolatio. Agricultura, artem notat; agricolatio, actionem: mens tamen Pauli vtrunque exuperat. Vult enim primò, nos esse agrum istum, qui certâ arte excolitur: secundò, fructum à Deo solo exspectandum: tertiò, suum esse ministris locum, non contemnendum.

Augustin. Tract. 98. in Ioa. post initium.

Quoad 1. Absoluerat scriptura genesim mundi, cum ad caput redit; etsi non tam aliquid nouum describit, quàm notandum indigitat. [Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.] Tum [Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.] Quis ille sermo de paradiso? Si Ambrosio auscultes: [Sermo adorandus est.] id est, omni acceptione dignus & attentione. [Quis est enim, inquit, qui potuit fingere paradisum, nisi omnipotens Deus? Ipse plantauit paradisum, de quo dicit Sapientia: omnis plantatio quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Bona angelorum plantatio, bona sanctorum. Sancti enim sub ficu & vite dicuntur requiescere in illo pacis tempore, in quibus typus est angelorum.] Plantatio illa in terrâ est, nec tamen terrena: inter temporalia est, & spirat æterna. [Ergo, (ita ille concludit) paradisus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi atque virtutis, ligna semper florentia viriditate meritorum, quæ quasi profluo quodam torrente spiritûs irrigantur. Ergo si paradisus est in quo erant exorta virgulta, videtur paradisus anima esse quæ multiplicat semen acceptum, in quâ virtus vnaquæque plantatur; & quæ expectat regnum cœlorum, quemadmodum creatura expectat reuelationem filiorum Dei.] Dixit Ambrosius, adorandum esse sermonem: dicet Augustinus & horrendum, quasi non acceptione tantùm sed & stupore subnixum. [Nam quia colimus nos Deum, inquit, non opus est vt probetur: omnis enim homo hoc habet in ore, quia homines colunt Deum. Quia verò Deus colit homines, quasi expauescit auditor quando audit, quia non est in vsu hominum vt dicatur, quia Deus colit homines, sed quia Deum colunt homines. Dominus tamen dicit in Euangelio, Pater meus agricola est. Quid facit agricola, interrogo vos qui agricolæ estis, quid facit agricola? Puto quia agrum colit. Si ergo Pater Deus agricola est, habet agrum, & colit agrum suum. Cultura ipsius est in nos, quòd non cessat verbo suo extirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis: sed fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos meliores & beatiores.] Non solùm igitur Ecclesia ipsa, sed & quælibet anima Christiana, ager est quem excolit Deus præceptis suis & institutis, suaque gratiâ perpluit. [Dei agricultura estis.] Aruum, sed diuinum, vtpote Dei manu excultum, nedum diuinâ quadam arte formatum. Ager, sed Dominicus, non vnde ditescat, sed in quo diuitias bonitatis effundat. [Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo?] Quis ille ager? Domini. [Quod in animis credentium seminet.] Vti dixit Hieronymus. Dei agricultura sumus, à Deo instructi, à Deo exculti: à Deo etiam radicitùs plantati, & primitùs rigati.

Genes. c. 2.

Ambros. lib. de paradis. cap. 1.

Eadem doctrina à variis variè accepta.

Ambros. ibidem.

Augustin. ibid.

Augustin. serm. 59. de verb. Dom. cap. 1.

Bernard. ser. ad milit. templ. cap. 6.

Homo reddens fructũ Deo, non ipsum ditat, sed se, dum præstat bonum.

Matth. c. 13. Hierony. in Matth.

Quoad 2. Alij quidem, ordinante Deo & operante, possunt homines aliquid in agro Dominico extrinsecus operari, sed fructus effectus-ve Domino deputandus est. Vocat Deus quos vult in agrum suum, & officium cuique suum delegat: sed sibi incrementum seruat. [Nec enim talis est agricola, vti dixit Augustinus, quales sunt qui extrinsecùs operando exhibent ministerium; sed talis, vt det etiam intrinsecùs incrementum.] Quid Paulus? Plantator. Quid Apollon? Rigator. Quid igitur Apollon, quid & Paulus? ministri per quos verbum audiuimus, per quos & Sacramentum accepimus. [Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Plantare, ait Ambros. est euangelizare, & ad fidem attrahere: rigare verò, baptizare solemnibus verbis: peccata autem dimittere, & spiritum dare, Dei solius. Si ergo effectum salutis Deus dat, nulla gloria in hac re hominis est. Scimus enim & Spiritum sanctum sine manûs impositione datum à Deo, & non baptizatum consecutum remissionem peccatorum. Numquid non hic inuisibiliter baptizatus erat, quando donum baptismatis consecutus est? Itaque neque qui plantat, est quidquam, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Et plantata enim solent emori, & rigata ad effectum fœcunditatis minimè peruenire, nisi det Deus vegetam vitam. Qui enim plantat & qui rigat, vnum sunt. Vnum sunt, quia ambo mercenarij sunt, quamuis diuersa sint illorum officia. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Quamuis enim vnum sint, sed quia maior est qui euangelizat, quàm qui baptizat; ideo discreuit mercedes illorum.] Nihilne igitur minister? nihil ad honorificentiam Dei, nihil ad internam animi gratiam: quam si speras à ministro, Domino iniuriam irrogas. Sit aliquid ad ministrandum & dispensandum verbum, ac Sacramentum; non tamen ad mundandum suâ virtute, non ad verâ sanctitate donandum. Vnde Optatus Donatistarum retundens superbiam: [Cum videatis, inquit, omnes qui baptizant, operarios esse, non dominos; & sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod tantum vobis vindicatis? Quid est, quod apud vos solos munus principale esse dicitis? Quid est, quod Deum muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo præstare quæ sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari, quod diuinum est.] Et nonnullis interpositis, ita resumit. [Si Ecclesia vinea est, & vites sunt homines & ordinati cultores: quid in dominium patrisfamilias irruistis? Quid vobis, quod Dei est, vindicatis? Quid vultis vestrum esse totum, vbi nec partem po-

Augustin. Tract. 80. in Ioan. post initium.

Ambros. in Paulum.

Optat. lib. 5. aduers. Parmen.

Serui ministerium, Domini est imperium.

teritis habere? Nam propter tumorem vestrum A sic ait beatissimus Apostolus : Ego plantaui, Apollo rigauit : id est , de pagano catechumenum feci , ille catechumenum baptizauit : sed vt cresceret quod plantatum aut rigatum est, Deus fecit. Denique, ne se æstimet operarius, aut habere dominium , aut de tanto isto munere particulam sibi aliquam vindicare ; indicans quia totum Dei est, sic ait : Neque qui plantat, neque qui rigat , est aliquid , sed solus Deus, qui ad incrementa perducit. Et ne quis putaret in solis Apostolis aut Episcopis , spem suam esse ponendam, sic ait , Quid est enim Paulus, vel quid Apollo? Vtique ministri eius , in quem B credidistis. Est ergo in vniuersis seruientibus non dominium, sed ministerium.]

Quoad 3. Multa facilè promit humilitas, quæ non facilè credit charitas: illi enim permittitur meritum suum celare , isti iniungitur silentium reuelare ad præmium. Nihilne est Apostolus? nihil nobis prodest? Et quomodo nobis inutilis , si etiam Deo & Christo est vtilis? [Ecce, ait Augustinus, & ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium, qui etiam palmites operarios suos fecit : nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adiumentum.] Ministri quidem sunt, sed & ministri locum sortiti sunt non contemnendum. C [Neque verò, ait Chrysostomus , dixit, Euangelistæ ; sed , ministri : quod quidem plus est. Non enim solùm dicit , euangelizarunt , sed etiam vobis ministrarunt. Nam illud quidem solùm est sermonis, hoc verò est etiã facti.] Tria quidem occurrunt quæ videntur deprimere, sed & ea ipsa conuincuntur attollere. Primum est , quod Apostolus aliena det aut ministret: verbum Dei , Baptismum Christi , &c. Sed quanta sunt illa, quæ planè diuina sunt, & virtutem omnem, naturam totam excedentia? Sufficit in naturalibus plantare ac rigare , si enim viua est planta , coalescit ex interno suo principio, & fructum facit naturæ suæ congruum. D At in supernaturalibus, tantus ille affectus est , vt non solùm naturam fugiat , sed & Angelicam vincat industriam. [Excedit hoc humanam humilitatem , ait Augustinus , excedit Angelicam sublimitatem: nec omninò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem.] Secundum est, ministerium istud non nobis innatum, sed nobis datum. Sed à quonam datum est? [Et vnicuique sicut Christus dedit. Neque enim , ait Chrysostomus, hoc ipsum modicum ex se , sed à Deo qui tradit. Nam ne dicerent , Quid igitur , non contenti erimus iis qui nobis ministrant? Maximè, inquit , sed oportet scire quousque. Neque E enim hoc ipsum est ab ipsis , sed à Deo qui dedit.] Magnam quidem nacti sunt auctoritatem, eximiamque dignitatem : sed eam ab illo sortiti, sine quo nihil disponi potest , nihil fieri. Bona quæ dispensantur , diuina sunt , potestas dispensandi diuina est : grandia omnia , omnia sublimia. Tertiũ denique, quod συνεργοὶ cooperatores seu cooperarii , administri: sed tantũ istud est, vt interpres verterit : [Dei enim sumus adiutores] A Deo scilicet missi, à Deo simul, plàtator scilicet ac rigator , ad operandum dispositi. Non quod Deus adiuuandus sit tanquam infirmus : non quod operâ nostrâ indigeat : sed quòd in Sacramentis suis humanum adhibeat ministerium. [Iam ergo volo quærere, ait Augustinus , vtrum non sit aliquid minister Christi. Quis hoc dixerit? Quomodo ergo verum est, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat , sed qui incrementum dat Deus : nisi quia ad aliud aliquid est , ad aliud non est aliquid? Ad ministrandum & dispensandum verbum ac sacramentum aliquid est: ad mundandum autem & iustificandum non est aliquid : quia non operatur in interiore homine, nisi per quem creatus est totus homo, & qui Deus manens factus est homo.] Imò, [Impendunt quidem adiumentum , sed non de suo, ait ille, quia sine me , inquit Christus, nihil potestis facere. Audi etiam ipsos confitentes. Quid est autem Apollo? Quid autem Paulus? ministri per quos credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui , Apollo rigauit : & hoc ergo sicut vnicuique Dominus dedit , non itaque de suo. Iam verò quod sequitur , sed Deus incrementum dedit : non per illos, sed per seipsum facit.]

Augustin. Tract. 80. in Ioan, cit, med.

Chrysost. Orat. 8.

Aug Tract. 80. in Ioan, in med.

Chrysost. orat. 8.

Adiutores, vt cooperatores, sed & id à Deo accipientes.

Aug lib. 3. cont. litt. Petil c. 54.

Aug. Tract. 80. in Ioa. cit. med.

ANAGOGIA.

Vnusquisque propriam mercedem accipiet.

SI vnusquisq;, non solùm qui euãgelizat, sed & qui euangelizatur: & si recipiet vnusquisque secundùm proprium laborem, non euẽtus, sed opus spectatur. Tamen cum nec euentui seu prouẽtui sua desit gloria : tria sunt ostendenda. Primum est , sedulitas hominis in comparandâ mercede : secundum, Dei bonitas in reddendâ: tertium, varietas in futurâ distributione.

Quoad 1. Homo sciens se esse agrum Dominicum, sedulò à Deo excultum; statim intelligit sedulitatem etiam adhibendam esse, vt non tam congreget messem , quàm mercedem comparet. Arua quidem terrena patiuntur culturam, sed nullam inde gratiam consequuntur . Ingrata tamen dicuntur si colono non parent, si voto non respondent. Quid ergo de homine si ex assiduâ culturâ nullum ferat fructum , maximè cum non tam colenti, quàm sibi prouentum referat? [Deus nos colit, & ipsum fructum, ait Augustinus , in nobis quærit , vt eum colamus. Cum autem istam culturam sic acceperimus in cor nostrum , vt eum benè colamus, non existimus ingrati agricolæ nostro , sed fructum reddimus quo gaudeat.] Dum nos colit ille sicut agricola agrum suum, meliores nos reddit sanctioresque : dum illum colimus vt Dominum nostrum , non illum ditiorem reddimus fœliciorem-ue. Colimur, vt colamus; sed dum colimus, pii euadimus ac religiosi : reddimus fructum, non quo egeat Dominus, sed quo pater gaudeat: non de lucro, sed de officio: non de tanquam seruis fructuosis , sed de filiis disciplinatis. [Operemur dilectissimi , ait ille , in isto agro quod nobis creditum est. Nobis enim datum est plantare , rigare , arare, nouellare: sed Dei est incrementum dare. Apostolus Paulus Doctor Gentium in fide & veritate , per semetipsum & operando & monendo hanc nos docuit Dominicam exercere culturam, dicens,

Aug. ser. 59. de verb. Dom. c. 1.

Augustin. de quarta feria c. 6.

Ego

Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Et paulò post: Dei enim sumus cooperarij, Dei agricultura estis. In istâ itaque agriculturâ Dominicâ, in quâ nos Dominus operari præcepit, sic operemur, vt mercedem promissam dono gratiæ accipere mereamur. Tempus est, operemur, laboremus. Terram durissimam sulcis spiritalibus exaremus, quascumque spinas malarum cupiditatum inuenerimus, euellamus, eradicemus, diuino igne succendamus: vt in tali opere laborantes, Domino Deo nostro fiducialiter dicamus, Domine paterfamilias, quoniam te adiuuante fecimus opus quod iussisti, redde mercedem quam promisisti.] Nunquam otiandum est, sed semper laborandum, vbi continua laboris materia, & tam certa mercedis est fiducia. [Et tu vnaquæque anima quæ accedis ad Christum, terra es spinosa & arida. Vnde probamus, quia talis es? Recole istam sententiam quam in primis parentibus accepisti, & inuenies quid inde traxisti. Spinas, inquit, & tribulos pariet tibi. An respondebis non te esse terram spinosam? Si spinas non haberes, capiti creatoris tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo & tu talis es, spinarum multitudine, id est peccatorum, prægrauata es. Ideò talis tibi cultura impenditur, propterea crucis ligno exararis, propterea cœlesti pluuiæ præpararis, vt cum fœcunda effecta fueris, non gratuleris de tuis quæ nulla sunt meritis, sed reddens bonos fructus Christi prædices gratiam.] Nullus tam perfectus, in quo nullæ repurgandæ sint spinæ: nullus tam vietus effœtusque, qui ingenitas sibi per peccatum spinas, non possit diuino euellere auxilio; nullus qui non teneatur fructum ferre, nullus qui non compellatur meritum conferre in præmium.

Augustin. eodē Tract. cap. 2.

Cōtinua laboris materia sed certa mercedis fiducia.

Quoad 2. Tria sunt miranda in diuino illo diuinæ bonitatis, & infirmitatis humanæ commercio. Primum est, Deum ipsum, agrum suum excolere, & pro culturâ suâ præmium promittere; id est, infirmitates nostras curare, nostras delere iniquitates, & pro curâ gratiam, pro medicinâ gloriam impendere. [In omnibus qui nascuntur, ait Augustinus, infirmis Deus quod bonum est operatur. Genus humanum iusto suo iudicio condemnatum noluit in interitum sempiternum relinquens, sed misit & medicum, misit saluatorem, misit eum qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam beneuolentiam potest. Quis est qui dicat, Sanem te, & do tibi mercedem? Sed sciebat se diuitem venisse ad pauperem: & sanat ægrotos, & sanatis donat.] Si nihil addi potest ad tantam beneuolentiam, potest tamen aliquid recondi in tantam opulentiam. Secundum igitur quod mirum ac mirandum. In commercio humano, damna non minus communia quam lucra: sed in isto, lucra secura sunt homini, damna nulli, nisi non agenti sunt noxia. Laborant homines, & in hoc sæpè infœlices, quod conando & laborando nihil promoueant: sed heic vnusquisque recipit, quantum laborat; tantum metit, quantum seminat. Quid commendatur stabulario? [Curam illius habe.] Curantur multi,

Augustin. ser. 13. de verb. Apost. cap. 2.

A an illi & sanantur? [Curam exigeris habere non curationem.] Non ait, sana, sed, cura; imò nec, cura, sed curam habe. [Et promittitur ei, ait Origenes, quicquid de suo in medelâ semiuiuentis expenderet, illicò esse reddendum.] Quid si non conualescat, quid si pereat? Sibiipsi peribit, non curanti, cujus salua semper sunt præmia. Quid imperatur Apostolis? [Mittite in dexteram nauigij rete.] An & inuenire? an & capere? Id non tam laboris est quàm fœlicitatis, nec tam meriti quàm præmij. Operam exigeris impendere, non capturam spondere, studium non successum repromittere. Quid si nullus inde sequitur

Origen. in c. 10. Luc.

Ioan. c. 21.

B effectus? nihil inde agenti deperditur, quin & pax etiam ipsa ad optantem nec dantem reuertitur. Plantat Paulus aut rigat, alius & seminat: quid si nullus prouentus est? nihil ministranti excidit, nihil deperit seminanti: semper ille metit, semper colligit, quia voluntas spectatur, non imputatur infœlicitas. [Si semen per te iactum, ait Chrysostomus, auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit; tu communicati consilij mercedem feres à Deo: nec minùs accipies præmij non auditus, quàm accepturus eras, si ille obtemperasset.] Tertium, nihil minus quam se totum impendit operanti, nec minus aliquid quàm seipsum reddit laboranti. [Saluator, est adiutorium

Saluator & adiutorium languidi, & præmium sanati.

Chrysost. con. 1. de Lazaro.

C languidi, ait Augustinus, ipse saluator, est præmium sanati.] Parùm est, pestem nostram sibi imponere, quid se in mercedem proponere? [Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnum quippe eos esse dicit, ex eo quòd nihil possint absque Deo qui dat incrementum. Sed quia hoc eos reddebat segniores, quòd omnes existimarentur vnum, tam qui multum laborarant, quàm qui parùm, vide quemadmodum hoc correxit, dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Quasi diceret, Ne timeas quod dixerim esse vnum. Nam si ad Dei opus conferantur, sunt vnum: propter labores autem non sunt vnum: sed vnusquisque propriam

Augustin. ser. 13. de verb. Apost. cap. 2.

Chrysost. Hom. 8.

D mercedem accipiet. Dei enim adiutores sumus.] Quodnam est illud commercium? Deo cooperari? Quodnam præmium? Ipso Deo frui.

Quoad. 3. Præmium quidem suo condignum cooperario: nam, vti dixit Dionysius Areop. [Omnium diuinius, Dei cooperatorem fieri, & ostendere diuinam in seipso actionem relucentem.] Vnde & Daniel. 3. [Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.] Sed dum meminit stellarum, distinctionem indicauit præmiorum: est enim alia claritas solis; &

Dionys. lib. de cœl. hier. cap. 3.

E alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, & stella differt à stellâ in claritate: sic & gloria sanctorum, quæ tanto diuersa est, quanto varia sunt ac differentia operantium merita. [Quamuis enim, ait Aquinas, qui incrementum dat, sit Deus, & ipse solùm interiùs operetur, exteriùs tamen laborantibus mercedem tribuit: quæ quidem est ipse Deus: pro quâ & laborantes mercenarii laudantur, secundùm illud Luc. 15. Quanti mercenarii in domo

Aquin. lect. 2.

Patris mei abundant panibus? Hæc autem merces & communis est omnibus, & propria singulorum: communis quidem, quia idem est quod omnes videbunt, & quo omnes fruentur, scilicet Deus: propria verò, quia vnus alio clariùs videbit, & pleniùs fruetur secundùm determinatam sibi mensuram. Propter quod dicitur hîc, Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm proprium laborem. Non tamen propter hoc designatur æqualitas secundùm quantitatem laboris ad mercedem, sed æqualitatem designat proportionis: vt scilicet vbi est potior labor, ibi sit potior merces. Potest autem intelligi labor esse potior tripliciter: Primò quidem secundùm formam charitatis, cui respondet merces essentialis præmii, scilicet fruitionis & visionis diuinæ: vnde qui ex maiori charitate laborat, licet minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali recipiet. Secundò, ex specie operis, sicut in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in digniori opere laborat, sicut architector, quàm artifex manualis, licet minùs laboret corporaliter: ita etiam in rebus diuinis, ille qui nobiliori opere occupatur, maius præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogatiuam præmii accidentalis, licet fortè minùs corporaliter laborauerit. Vnde aureola datur doctoribus, virginibus, & martyribus. Tertiò, ex quantitate laboris: maior enim labor, maiorem mercedem meretur, præcipuè quantum ad remissionem pœnæ, putà quòd diutiùs ieiunat, vel longiùs peregrinatur: & etiam quantum ad gaudium quod percipiet de maiori labore. Vnde Sap. 10. dicitur, Reddidit Deus, scilicet iustis, mercedem laborum suorum.] Denique si ministri & cooperarij sunt, non solùm promptâ voluntate laborem aggrediendo, sed & optatâ fœlicitate, diuinâ exequendo dispositionem, opus ad suam perfectionem adducendo; inde magis lætabuntur, quod non solùm operibus suis, verùm & laboribus propriis perfruentur. Sed sicut fluuii omnes in mare defluunt, sic & minuta ista gaudia in Deum ipsum, cui & tali modo glorificari placuit, cui & tali ministro vti libuit, tandem desinunt. Hoc est gaudium, à quo fluunt cætera gaudia, & in quod refluunt omnia. Quicquid enim aliud est, caducum est, persusorium est. [Si autem gaudeas in Domino Deo tuo, audies dicentem scripturam, Delectare in Domino. Tanto firmiùs gaudebis, quanto est ille certior in quo gaudebis.] Ita Augustinus.

Non labor per se, sed amor, dat pretium operi.

Augustin. in Expos. Psal. 144. post init.

PARS SECVNDA.

DE PRÆCIPVO FVNDAMENTO.

TEXTVS.

FVNDAMENTVM enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutiâ eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.

EXEGESIS LITTERALIS.

FVndamentum collocat Apostolus, & quod superpositum est, examinat. Porrò inde tam inanem quàm & infœlicem esse ostēdit diuisionem, quod appellādo ad principium, & ad Deum reuocando, omnia esse nostra patefacit. [Fundamentum enim aliud nemo potest po-

nere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, &c.] Dixerat se iure suo, seu munere Apostolico posuisse apud Corinthios fundamentum spiritalis ædificii. Addideratque: [Alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet.] Plantaui, alius rigauit; fundamentum locaui, alius ad formam præstructam, inceptum erexit ędificium. Vnusquisque tamen monendus, qualem infundat aquam, qualem materiam congerat, qualem superaddat doctrinam. Nam quod ad fundamentum attinet, nec aliud locari potest, nec aliter adaptari. Tradenda enim primò omnium de Christo, & hoc crucifixo, doctrina: quæ nisi supponatur, totum periclitatur ædificium. [Sapiens architectus est, ait Ambrof. qui iuxta disciplinam auctoris collocat fundamentum: superædificia autem sunt, quæ post prædicationem Apostolorum à superuenientibus traduntur aut malis aut bonis Doctoribus. Vnusquisque igitur videat quemadmodum superædificet: idest, vt superædificia congruant fundamento; ne si obliqua fuerint & friuola, ruinam faciant, manente incolumi fundamento: quia si malè docuerit, Christi nomen permanet, quod est fundamentum: doctrina autem mala peribit, sicut dicit Dominus, omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.] Non coalescet, quia iam posito non congruet fundamento. [Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, &c.] Hoc opus, in quo laborant doctores prædicatores-ve, dum Christum ipsum aut sincerè annuntiant aut insincerè. [Tria genera posuit præclara in mundo, ait ille, in quibus bonam doctrinam significauit. Tria alia genera posuit, sed friuola. In his corrupta & vana doctrina dignoscitur.] Aut dignoscetur. [Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, &c.] Ex Græco tamen: [Dies enim declarabit, quia in igne reuelatur.] Sed ille dies, Domini est, diuini scilicet iudicij; in quo, lucente igne, reuelanda & examinanda omnia omnium opera.

Ambrof. in Paulum.

Augustin. in Expos. Psal. 140 post init.

Superædificia debent esse fundamento congrua.

Ambrof. ibidem.

[Si cujus opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet, &c.] Si quod superædificatum est tale sit, vt ab igne intactum sit & illæsum: operarius probabitur bonus, promissoque donabitur præmio. [Quia enim, ait Comment. Ambrof. per ignem examinatio fiet, si in aliquo non inuenerit quod exurat, manifestat illum bonum fuisse doctorem. Mala enim & adultera doctrina idcircò in ligno, fœno, & stipulâ significata est, vt ostenderetur ignis esse esca. Cum igitur nihil in illo sordis inuentum fuerit prauæ doctrinæ, vt in bono auro, ita erit vt tres fratres in camino ignis, mercedem vitam æternam cum gloriâ accepturus: quia sicut aurum & argentum, & lapides pretiosi quos ignis non corrumpit, ita & bonus magister incorruptibilis permanebit.] Contra, [Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, &c.] Si quod superædificatum est, fuerit ab igne contactum depastum-

Comment. Ambrof.

Aurum ignis probat, non tamen damnificat.

A que, ædificator laboris sui operis-ve passurus est dispendium. [Damnum autem pati, ait ille, est pœnas perpeti.] En quoad iacturam pœnam-ve. [Ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem, &c.] Ipse tandem saluabitur, quia fundamentum in vitâ retinuit; sed damnificabitur, quia superstructum doctrinâ suâ corrupit ædificium. [Saluum illum futurum dixit, quia non interibit substantia quâ constat: sicut & doctrina mala peribit, quia accidens causa est. Ideò autem dixit, Sic tamen quasi per ignem, vt salus hæc non sine pœnâ fit: ostendit enim saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur, vt ex aliquâ parte operæpretium sit credidisse in Christum.]

Ambrof. in Comment.

B

[Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? &c.] Dixerat, [Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.] Nunc apertiùs, Nescitis quia templum Dei estis? Diuinum estis ædificium, cuius iam, vt doctus architectus, solidum posui fundamentum. Quidni essetis Dei templum, cum Spiritus eius suum in vobis statuerit domicilium? [Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, &c.] Qui subuertit fundamentum, disperdit destruit-ve ædificium. Igitur si quis per falsam doctrinam, fundamentum iam positum de loco suo dimouerit, non se existimet saluum fore, sed æternum expectet supplicium ab ipso Christo quem diruit. Est enim idem verbum ex Græco repetendum. [Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, &c.] Quidni perdatur ille in æternum, cum tantum admiserit sacrilegium? Quidni destruatur, cum templum Deo consecratum, vos nimirum, destruxerit? [Templum Dei nos dicit, vt Deum in nobis habitare sciamus. In templo enim suo habitet necesse est.] Ita ille. D [Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens, &c.] Nemo sibi placeat, aut proprio indulgeat genio. Si quis apud vos mundanâ sapit prudentiâ, si quis de vanâ præsumit sapientiâ: stultitiam potius crucis sequatur, passionis amplectatur ignominiam: aliter enim sapere, desidere est. Sed qui sic sapit, veram percipit sapientiam, non sæculari inflatam fastu, sed cœlesti afflatam spiritu. [Ad eos, ait Athanas. qui ob exteriorem hanc sapientiam efferuntur, habet sermonem, & ait, Nemo se seducat, existimans videlicet aliter se rem habere, ac dixerim. Sed qui sapiens inter vos esse apparet, fiat hic stultior. Hoc est, detrectet, & contemptui habeat humanam hanc sapientiam, vt diuinam assequatur. Nam quemadmodum secundùm Deum inopia & rerum contemptus pro diuitiis sunt, & ignominia in gloriam cedit, sic secundùm Deum insipientiam esse pro sapientiâ constat.] Quod enim falsum est, nullum; & id tantùm est, quod est verum.

C

Violare templum Dei est fundamentum eius euertere.

Ambrof. in Paul.

Athanas. in Paul.

E

[Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum, &c.] Causam reddit cur reprobanda sit mundana illa sapientia, cùm à Deo ipso sit reprobata. [Non solùm, inquit, (ita

Comment. Ambros. Comment. Athanas.) nil prorsus ad diuinam illam & cœlestem sapientiam assequendam conducit, sed impedimento est potius & iacturæ, vt pote quæ à verâ distrahit disciplinâ. Quo fit vt huiusmodi sapientiæ humanæ sectatores, à Deo vesani repudientur.] Nihil conducit, imò & seducit. [Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutiâ eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.] Prima scriptura ex cap. 5. Iob. Sed ex ore Eliphaz amici eius deprompta. Altera, ex Psalmo nonagesimo tertio. Sed pro [Hominum] Paulus, [Sapientium.] Qui humana nimirum sapiunt, qui dum beatam vitam modis quærunt indebitis, euanescunt, desipiunt. [Idem sensus est ait Ambros. Sciens enim vanas cogitationes illorum, vt stultos esse probaret, sapientiam illorum apprehendit, ostendens verum esse quod falsum dicebant, & falsum quod verum putabant.] Concludit. [Nemo itaque glorietur in hominibus, &c.] Illis nimirum magistris secundùm speciem, imò secundùm præsumptionem sapientibus: cum nec gloriandum sit illis etiam bona & vera docentibus. [Omnia enim vestra sunt.] Vti potes, gloriari non debes; sed Deo, sicut & ipso debes frui. [Siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, &c.] Vestri quippe sunt per Iesum serui. [Siue mundus, &c.] Omnia enim propter vos seu electos disposita. [Siue vita, siue mors, &c.] Siue nostra, siue etiam vestra. [Siue præsentia, siue futura, &c.] Seu prospera sint, seu aduersa. [Omnia enim vestra sunt, &c.] Omnia, inquam, ista saluti vestræ, vestræ eruditioni sunt dedita. [Vos autem Christi: Christus autem Dei, &c.] Hucusque procedendum fuit, sed heic sistendum: ad Deum enim omnia per Christum reducenda sunt, illi reddenda omnia, omnia tribuenda.

(Marginal notes: Ambros. in Paul. — Omnia propter electos, electi in Christo, Christus in Deo.)

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

Leui manu scripturam excussimus, quia multa animaduertimus maturiori sensu ad litteram reuocanda. Sed vt ordinatè procedamus, sit

DISQVISITIO PRIMA.

Quid aurum, argentum, lapides pretiosi, &c.

Epistola ad Romanos ponitur prima, & ad Corinthios vna & altera, tanquam secunda supponitur. Nec tamen illa prima, nec ista secunda est. [Nam quæ ad Corinthios scriptæ sunt ambæ, ait Chrysostomus, antè hanc scriptæ fuerunt. Quin & ad Thessalonicenses Epistola videtur mihi præcessisse Epistolam ad Corinthios.] Epistola igitur ad Romanos recensetur prima, quia gratiam tuetur Christianam: idest, illam quâ Christiani sumus, & sine quâ reuera non sumus: & ideo legem redigit in ordinem, idest, salutem non legi tribuit, sed fidei. [Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et hanc iustitiam Dei, ait Augustinus, non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adiutorio gratiæ Christi, constitutam esse, qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus.] Hoc præcipuum religionis salutis-ve fundamentum: & nemo aliud ponere potest, quàm illud quod iam est positum. Quia verò sapientia humana inimica est crucis Christi, & gratiæ Christianæ æmula; succedit ordine illa quæ est ad Corinthios: & hoc agit Apostolus ostenditque in illius fronte: [Externam illam sapientiam (vti Chrysostomus loquitur) superuacaneam: non solùm autem superuacaneam, sed etiam contrariam & noxiam.] Spiritualia enim spiritualibus comparanda sunt, idest, vt ille exponit, non per externum magistrum, sed per Spiritum sanctum adstruenda, per opera diuina, per testimonia spiritalia. [Ista, inquit, spiritualibus spiritualia comparo, & nusquam externâ egeo sapientiâ, neque rationibus neque confirmationibus.] Denique, sicut inter Iudæos Romanorum erant nonnulli, qui legem inducerent ad necessitatem, alij ad congruitatem reducerent: sic & inter magistros Corinthiorum erant alij qui fundamentum subruerent in totum, alij qui saluo fundamento, vana superstruerent & inutilia. Sed sicut illic nusquam legem in partem recipit, sic & istic rationem humanam, seu sæcularem vbique proscribit sapientiam. [Vides, ait Chrysostomus, quemadmodum perquam copiosè & abundanter tulit victoriam: vt qui ostenderit quod non solùm nobis nihil prosit, sed etiam aduersetur. Neque contentus est proprijs probationibus, sed etiam rursus subiunxit testimonium dicens: Scriptum est enim, Qui comprehendit sapientes in astutiâ eorum. Astutiâ, hoc est, suis armis eos subigens.]

(Marginal notes: Chrysost. in proœm. ep. ad Rom. — Aug. lib. de nat. & grat. cap. 1. — Chrysost. orat. 7. — Ab externa sapientia abstinendū tanquam noxia. — Chrysost. orat. 10.)

Iam ergo obseruandum est triplicem esse doctrinam, vnam sanam, alteram hæreticam, tertiam mundanam: primam, Spiritûs sancti; secundam, spiritûs immundi; tertiam huiusce mundi. Quoad hæreticam, eam damnat Apostolus, vt sacrilegam, vt æterno dignam supplicio. Quoad mundanam, eam culpat vt vanam: sed tres eius species constituit, quibus & tres alias opponit sanæ ac Christianæ doctrinæ congruas. Doctores igitur docet, non fideles omnes, monetque ne seipsos fallant, & Liam præ Rachele, philosophiam pro fide eligant: nihil apud se excolant veteris hominis, non secundùm carnem seu secundùm hominem incedant, secundùm humanam rationem, secundùm sæcularem sapientiam. [Considerandum est, ait Aquinas, quòd Apostolus intendens ostendere diuersitatem superædificationis, sex ponit, videlicet tria contra tria. Ex vnâ quidem parte, aurum, argentum, & lapides pretiosos. Et ex aliâ parte, lignum, fœnum, & stipulam: quorum tria: scilicet aurum, argentum, & lapides pretiosi habent quandam inclytam claritatem, simul & inconsumptibilitatem, & pretiositatem. Alia verò tria obscura sunt, & facilè ab igne consumuntur, & vilia sunt. Vnde per aurum, argentum, & lapides pretiosos, intelligitur aliquid præclarum & stabile: per lignum verò, fœnum, & stipulam aliquid materiale & transitorium. Illi igitur qui fidei ab Apostolis fundatæ, per suam do-

(Marginal note: Aquin. lect. 2.)

Tres species doctrinæ sanæ, & tres friuolæ.

ctrinam superædificant solidam veritatem, siue manifestam, & ad ornamentum Ecclesiæ pertinentem, superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos. Illi verò qui fidei ab Apostolis fūdatæ superaddūt in doctrinā suā aliqua vilia, vana, & inania, superædificant lignum, fœnū, & stipulam. Vnde dicitur Hierem. 23. Qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè. Quid paleis ad triticum? Qui verò falsitatem doceret, non superædificaret, sed magis subuerteret fūdamentum.] Illa quippe doctrina, non solùm friuola est, sed & pestifera. Vult ergo sapientiam Paulus, sed Christianam, cui ratio subscribat virtutis diuinæ, cui intentio cedat ratiocinationis humanæ. [Absondita est enim Dei sapientia, ait Ambros. dum non in verbis, sed in virtute est; non humanâ ratione possibilis, sed spiritûs efficaciâ credibilis.]

Ambrof. in cap. 2.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quisnam ignis in die Domini?

TRiplicem in hoc negotio ignem agnoscit scriptura diuina, quem vel in istâ, vel alterâ diuidit. Primus in hac vitâ, ignis tribulationis qui animam afflictam vrit & excoquit. [Est quidem, ait Augustinus, ignis tentatio tribulationis, de quo apertè scriptum est, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Iste ignis in hac interim vitâ facit quod Apostolus dixit.] Probat enim, examinat, eliquat. Alter, in futurâ vitâ, ignis purgationis, qui animam adhuc fœdam purgat, purificatque. Nam, inquit Gregorius, cum Paulus dicat, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vitâ adhibito possit intelligi, est tamen qui hoc de igne futuræ purgationis accipiat.] Tertius & vltimus, ignis est conflagrationis, qui omnia deuastet ac cōsummet. [Igne dato, inquit Tertullianus, vniuersalis resurrectionis censura de libris iudicabitur.] Vltimum dico, & si vis æternum tango: sed nihil ad rem Pauli, seu expositionem loci, in quo non intēditur exitus, sed salus repromittitur. De eo igitur igne locutus est Apostolus, qui erit in die Domini: dies autē Domini nō in hac vitâ, sed in alterâ; in quâ palā declarabuntur omnia; in quâ non solùm coràm Deo, sed etiā vniuerso & hominū & Angelorum omniū concilio omnia bonorū malorumque declarabuntur merita. Ideoque dies ille, non in priuato cuiusque iudicio, sed in publico vtriusque naturæ consistorio: quando venturus est Dominus iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem; idest, omnia hominum negotia extremo clausurus iudicio. Ita Ioannes Christi prodromus, apud Hilarium: [Salutis nostræ & iudicij tempus designat in Domino, dicens: Ille baptizabit vos in Spiritu sancto & igni: quia baptizatis in Spiritu sancto, reliquum sit consummari igne iudicij.] Ita igitur, [Vniuscuiusque opus manifestum erit.] Quare manifestum? [Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.] Hic dies Domini, qui dies vltimi iudicij: vnus quidem, sed omnium decisiuus, omniumper

Aug. in Enchirid. c. 68

Gregor. lib. 4. dial. c. 39

Tertul. lib. de resurrec. carn. c. 25.

Dies Domini, dies extremi iudicij.

Hilarius canon. 2. in Matth.

A ignem relucentem declaratiuus.

Probabit igitur ille ignis omnia & omnium hominum opera, vt quæ bona inuenerit, relinquat intacta; quæ mala senserit, exurat; sed in mediocriter malis, momento consumat; in malis enormiter, æterno puniat incendio. Itaque omnes quidem probabit, examinabitque, sed sanctos recreabit, medios purgabit, impios concremabit. [Deus enim, vti loquitur Augustinus, ab initio mundi in sanctis suis hoc exercuit, quod in beato Iacob cum grandi pietate compleuit: Sed quare hoc sit factum, diligenter attendite. Quando enim serui & amici Dei capitalia crimina vitauerint, & multa opera bona
B fecerint, tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credimus, quia non mentitur ille qui dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Quia ergo sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, volens Deus ipsa parua peccata in hoc sæculo tribulationis igne consumere, implet in eo quod ipse per Spiritum sanctum dixit, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Vt ergo sanctum Iacob Deus noster aurum purgatum in futuro iudicio præsentaret, priùs ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, vt in eo ignis ille arbiter quod exureret inuenire non posset.] Benè, [Ignis arbiter.] Seu, vt alibi dixit,
C [Quædam flammæ rationabilis disciplina.] Flamma est enim, sed flamma iudicij, & iudicij diuini, ignis qui omnes probat fideles, puros & impuros; sed puros, seu expurgatos iam ac purificatos ad regnum delegat, impuros adhuc remediabiles purgat ad momentum; cæteros lethaliter confixos, in æternum destinat exitium. [Cum enim iustos iudicauerit Deus, (verba sunt Lactantii) etiam igni eos examinabit. Tum, quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint, perstringentur igni atque amburentur. Quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum
D non sentient. Habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat ac respuat. Tanta enim est virtus innocentiæ, vt ab eâ ignis ille refugiat innoxius; qui accepit hanc à Deo potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet.]

Aug. ser. 41. de temp. in med.

Supplicium in arbitrio & iudicio ignis positū

Aug. lib. 50. Hom. 16.

Lactant. lib. 7. diuin. instit. c. 21.

DISQVISITIO TERTIA.

Quæ salus per ignem?

VErus ignis, & vera salus est. [Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.]
E Omnia & sanctorum & malorum examinabit opera. In igne enim purgatorio, nec aurum, nec argentum: in isto autem igne conflagratorio, & aurum, & argentum, & lapides pretiosi ex vnâ parte; ex alterâ lignum, fœnum, stipula: sed illa intacta, ista ambusta. Illa sine præiudicio: [Si cujus opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet.] Ille superædificator, vstionem non sentiet, sed intactus & illæsus mercedem recipiet. Ista cum damno, cum iacturâ & noxâ. [Si cuius opus arserit, detrimentum patietur.] Ab igne scilicet comburente. Talis enim est ille ignis, vt iusto procedat iudicio, velut congruum diui-

næ organum iustitiæ; ideoque iustis cedat: insultet autem malis, & iuxta merita discruciet: pium ad modicum vexet, impium in æternum vindicet. Quid ergo pius probatus purgatusque? [Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.] Vbi illud. [Quasi] Nihil minuit, sed exponit. Quomodo saluatus est? quo pacto factus est saluus? Sic saluus, vt per ignem. Græcè ὡσεὶ, ὡς. Vbi [Quasi] Confirmat potius quàm attenuat. Ita Iob cap. 34. [Quasi impios percussit eos in loco videntium.] Ex quâ lectione. [In scripturâ sacrâ, ait Gregorius, Quasi, aliquando pro similitudine, aliquando pro veritate poni consueuit. Pro similitudine enim, Quasi ponitur, sicut Apostolus dicit: Quasi tristes, semper autem gaudentes. Pro veritate verò ponitur, sicut Ioannes ait: Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre.] Quo igitur dixit Apostolus vniuscuiusque opus igne probandum, quo & malum arsurum; addit & de ipso, eum qui probatus & damnificatus fuerit, seu damnum passus detrimentum-ve, salutem tandem consecuturum, sic tamen vt per vstionem, sed salutarem. Transiuit per ignem, in igne non remansit; passus est dispendium, sed eductus est in refrigerium: cruciatus est aliquantum, castigatus est ad ignis iudicium, seu iudicis arbitrium, sed purus exiit, saluus euasit per iustum supplicium.

Quasi, aliquando pro similitudine, aliquando pro veritate.

Gregorius lib. 15. Moral. cap. 10.

Est igitur salus æterna, quæ datur iustis, sed purgatis; & illa in vltimo consummatur iudicio. [Si enim, (vti exponit Aquinas) dies Domini reuelatur in igne, & ignis probat quale sit vniuscuiusque opus, consequens est quòd dies Domini declaret differentiam operum humanorum. Ita cum dicit Apostolus, Si cuius opus, ostendit modum prædictæ manifestationis. Et quantum ad bona opera, cum dicit, Si cuius, id est alicuius: opus, quod ipse superædificauit. : Manserit, scilicet illæsum in igne. Ille scilicet, qui superædificauit, mercedem accipiet. Dicitur autem aliquod opus in igne permanere illæsum, quia scilicet ille qui hoc opus facit, nimirum bonæ doctrinæ, propter huiusmodi opus non punitur, inquantum scilicet non torquebitur igne, qui præcedet faciem iudicis. Quantum autem ad mala opera dicit, Si cuius, id est, alicuius; opus arserit, scilicet per ignem prædictum. Detrimentum patietur: scilicet qui hoc operatus est, non tamen vsque ad damnationem. Vnde subdit, Ipse autem saluus erit, scilicet salute æternâ, secundùm illud Isa. 45. Saluatus est Israël in Domino salute æternâ. Sic tamen quasi per ignem, quem scilicet priùs sustinuit in fine mundi. Vnde dicitur in Ps. 65. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Et Isa. 43. Cum transieris per ignem, non combureris, & flamma non comburet te, quia ego Dominus Deus Saluator tuus. Luit autem igne qui præcedet faciem iudicis, propter friuola & vana quæ docuit.] Est igitur celebris illa & vniuersalis omnium rerũ ecpyrosis, solemniter etiam & generaliter tam ab exteris quàm à Nostris recantata: nisi quod nostri omnia igni reseruant in diem iudicii: illi post exustionem, conuersiones, reuersionesque iterant ad libidinem ingenii. [Incorruptibilem mundum aliquis statuit? ego corruptibilem. Exustionem per vices temporum aduenire? ego semel, & in vniuersum.] Ita Tatianus. Nimirum, vti dixit Tertullianus. [Ille est vltimus & perpetuus iudicii dies, cum tanta sæculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igne haurientur.] Quod enim in illo die factum fuerit, ratum erit in perpetuum: nec vlla amplius vicissitudo erit, aut vlla transmutatio.

Aquin. lect. 2.

Solemnis omnium & hominum & rerum ecpyrosis.

Tatian. aduers. Gent.

Tertullian. cap. 30. de spect.


Sed quos putas præcipuè arsuros in die illo? Malos? non nego, sed & illi pessimi, qui mala in bonis docent, mali & isti qui vana veris admiscent ac friuola. [Proinde, ait Tertullianus, pressioris apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à quâ deuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, in primis ipsius fidei. Quid ergo dicent qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo?] Luent certè illi in æternum, quia fidem virginem constuprarunt impio adulterio. Sed quid facient illi, qui sanctam & puram profano conspurcarunt contagio? Quid lignum, fœnum, palea, stipula; nisi indignæ quædam Poëtarum ac Philosophorum commercia; fœtida, versatilis volatilisque doctrinæ, seu sæcularis sapientiæ recrementa; iucunda, sed infœcunda verborum ac quæstionum artificia? [Quæ tunc spectaculi latitudo? ait ille. Quid admirer, quid rideam? Spectans sapientes illos Philosophos coram discipulis suis vnà conflagrantibus erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras adfirmabant: etiam Poëtas non ad Rhadamanthi, aut ad Minoïs, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes.] Quibus tunc voles sociari, illis, an istis? Imò istos & illos despues, renuesque hinc vel inde nominari. Vis ergo te inueniat dies ille veris vanisque consutum? sanctis ac profanis permistum? [Veniet, ait Augustinus, veniet Dominus: sed vide quomodo te inueniet. Non veniet quod dicunt homines, vbi est, quando est, quomodo est, quando erit, quando venturus est. Certus esto, veniet: nec solùm veniet, sed etsi nolis, veniet. Væ qui non crediderunt: erit enim his magnus tremor, & magnum gaudium eis qui crediderunt. Gaudebunt fideles, confundentur infideles. Fideles dicturi sunt, Gratias tibi Domine, vera audiuimus, vera credidimus, vera sperauimus, vera cernimus. Infideles autẽ dicturi sunt: Vbi est quod non credebamus, vbi est quod illa quæ legebantur mendacia putabamus?] Vis aliquid tibi adhuc profani hæreat, vis & aliquid insideat humani, vbi omnia sancta, diuina omnia, aut arcana, seu diuino igne purganda, cruciandaque? Nunc discute, sed si sapis, nunc ea omnia excute de pectore, vt mens tua seruetur integra, fides tua impolluta in vltimo repræsentetur iudicio. Per gratiam saluatis Christianam, ob vanam denotatis sapientiam.

Tertullian. lib. de præscript. c. 44.

Tertullian. lib. de Spectacul. c. 30.

Augustin. ser. 140. de temp. cap. 3.

Christianus malè sanctis ac profanis consutus.



TROPOLOGIA.

Fundamentum aliud nemo potest ponere.

REuertor ad litteram, non tamen litteralem iam, sed moralem scrutor intelligentiam. [Obscura quidem illa quæstio, vti loquitur Augustinus, sed vt possum breuiter dico.] Et primò quidem quid sit ponere fundamentum: secundò, quid sit superædificare aurum, aut lignum: tertiò, quid saluum fieri quasi per ignem.

Aug. Enarrat. in Psal. 80. vers. fin.

Quoad 1. Audiuimus ab Apostolo, fundamentum esse Christum Iesum, imò nec alium esse posse. [Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.] Hoc enim primum ac præcipuum, imò suo iure, suoque genere, vnicum spiritalis ædificii fundamentum; quo primitùs insistit moles, & sine quo penitus corruit. Quid verò Christum in fundamentum supponere, cum deceat, imò oporteat in fastigium erigere? Non negat Apostolus vtrumque esse Christum: sed in extruendo ædificio, vt peritus architectus, priùs de fundamento cogitat, quàm de fastigio. [Sapientem, ait Chrysostomus, seipsum vocauit, non se extollens, sed seipsum præbens exemplum, & ostendens hoc esse sapientis vnum ponere fundamentum.] Benè, vnum: sunt enim & alia, Prophetarum scilicet, Apostolorumque fundamenta: sed ipsa, si fundamenta dicuntur Ecclesiæ, non tamen animæ; nec fundamenta sunt, si alia sunt: nam & ipsa vnico nituntur Christo, à quo & gratiam hauriunt, & accipiunt gloriam. Vnde & Apostolus, se quidem nouit sapientem architectum, nec tamen fundamenti, imò nec architecti præsumpsit priuilegium. [Nam cum dixisset, ait ille, se esse sapientem, non finit hoc esse suum: sed cum se totum priùs Deo dedicasset & attribuisset, tunc se sic vocauit. Nam secundùm gratiam Dei, inquit, quæ data est mihi. Ita simul ostendit, & quòd totum sit Dei, & quòd id maximè sit gratia, non esse diuisos, sed super vnum positos esse fundamentum. Vide quemadmodum Corinthiis non paruum dederit munus, cùm priùs confirmasset vniuersum esse Dei. Nam quoniam dixit, Plantaui, perstat in metaphorâ: Dei agricultura estis. Si autem estis Dei agricultura, non ab iis qui vos excolunt, sed vt à Deo vocemini æquum est. Non enim ager vocatur agricolæ, sed patrisfamiliàs. Rursus ædificiũ non est ædificantis, sed Domini. In agro quidẽ munimentũ vnius sepis est: in ædificio autem id insuper, quod & lapides sibi inuicem cohærent, & omnes simul vnicum habent fundamentum. Christum igitur ponere in fundamentum, non est ipsum in imum deiicere, sed primum eligere: nec tam supponere rebus omnibus quàm præponere: illi adhærere, imò inhærere intimè; ab ipso assurgere, & in ipso conquiescere. [Super ipsum ergo ædificemus, (ita concludo ex Chrysost.) & fundamento hæreamus vt palmes viti, & inter nos & Christum nihil sit intermedium. Nam si intermedium sit aliquid, statim perimus. Palmes enim, ex eo quòd sit continens, attrahit pinguedinem: & ædificium stat eo quòd sit conglutinatum. Quod si disiunctum sit, perit, vt quod non habeat cui innitatur. Non solùm ergo Christo adhæreamus, sed ei etiam agglutinemur. Considera: ipse est caput, nos autem corpus: inter caput & corpus non potest vllum esse interstitium. Ipse est fundamentum, nos ædificium: ipse est vitis, nos palmites: ipse est sponsus, nos sponsa. Hæc omnia indicant vnitatem, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium, ne minimum quidem. Nam qui parùm abscesserit, multum etiam procedens abscedet. Corpus enim si ab ense accepit disiunctionem, interibit: & ædificium si vel parùm dehiscat, dissoluetur: & palmes si à radice parùm fuerit abscissus fit inutilis. Quamobrem hoc parum non est parum, imò verò est feré totum.]

Chrysost. orat. 8.

Chrysost. ibidem.

Nihil inter Christum & nos debet esse intermedium

A

B

Quoad 2. Nonnulli humanâ subornati beneuolentiâ ad communem fidelium omnium salutem, Apostolico abusi sunt testimonio; quasi nulla mala opera regno excluderent, modo Christi nomen non derelinquerent. [Sed quia, inquit Augustinus, alia Apostolica manifestissima & apertissima testimonia esse falsa non possunt, illud quod obscurè dictum est de iis qui superædificant suprà fundamẽtum quod est Christus, non aurum, non argentum, non lapides pretiosos; sed ligna, fœnum, stipulam: de iis enim dictum est, quòd per ignem salui erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt: sic intelligendum est, vt iis manifestis non inueniatur esse contrarium. Ligna quippe & fœnum & stipula non absurdè accipi possunt rerum sæcularium, quamuis licitè concessarum, tales cupiditates, vt amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor vrit, si Christus in corde fundamenti locum habet, idest, vt ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore vritur, rebus quas ita diligit, magis carere quàm Christo, per ignem fit saluus. Si autem res huiusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quàm Christum, cum in fundamẽto non habuit: quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim de quo locutus eo loco Apostolus Paulus, talis debet intelligi, vt ambo per eum transeant, idest, & qui ædificat suprà hoc fundamentum aurum, argentum, & lapides pretiosos: & qui ædificat ligna, fœnum, stipulam.] Iam ergo sermo de iis non fit, quorum futilis doctrina, & inanis sapientia: sed de duobus, quorum ille soli studeat Christo, iste vxori aut mundo placeat. [Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur. Exuritur autem opus huius, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cùm amore possessa sunt. Sed quoniam alterutrâ conditione propositâ, eis potius carere malit quàm Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamuis doleat dum amittit, saluus est quidem, sic tamen quasi per ignem. Quia vrit eum rerum dolor quas dilexerat amissarum, sed non subuertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.] Ita ille. Aliud igitur ædificare super fundamentũ opera charitatis, quæ pretiosa sunt, & tã digna cœlo, quàm cõgrua fundamento. Aliud superædificare opera cupiditatis, quæ mala, quæ tam supplicio

Aug. in Enchirid. c. 68.

C

D

Aug. ibid.

E

digna, quàm indigna Christiano. Sed interest an ista grauia sint vel leuia. [Nam, vt loquitur Gregorius, cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat: Si quis superædificauerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit: pensandum sollicitè est, quia illum per ignem dixit posse saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, idest, peccata maiora, & idcircò duriora, atque tunc iam insolubilia: sed lignum, fœnum, stipulam, idest, peccata minuta atque leuissima, quæ ignis facilè consumat. De paruis igitur minimisque peccatis res est: sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpâ ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non grauibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vitâ positis minimè fuerint relaxata.] Leuia igitur sunt ista, quamuis alia aliis leuiora; quæ nihilominus omnia veniabilia sunt, quia retento obrepserunt fundamento; nec tam animæ studio proserpunt, quàm naturæ vitio.

Gregorius lib. 4. dial. cap. 39.

Leuia peccata ligno, grauia ferro compa-rata.

Quoad 3. Ibi pœna est vbi culpa, peccat autem qui paleam stipulam-ve aureo superædificat fundamento, ideoque & digno vapulat supplicio. [Fundamentum Christus est in structurâ architecti sapientis: (verba sunt Augustini) hoc expositione non indiget. Apertè enim dictum est. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si autem Christus, proculdubio fides Christi: Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit. Porrò fides Christi illa est vtique, quam definiuit Apostolus, quæ per dilectionem operatur. Non enim fides illa dæmonum, cum & ipsi credant & contremiscant, & Filium Dei confiteantur Iesum, potest accipi in fundamentum. Quare, nisi quia non est fides quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fdes itaque Christi, fides gratiæ Christianæ: idest, ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit.] Hæc gratia Christiana, quæ Spiritu Dei concepta per fidem existit, subsistit per charitatem. Quæ igitur superadduntur, debent eodem affici Dei Spiritu, non autem halitu mundi infici: alioquin superædificium non congruit fundamento, & si non congruit, delinquit; si delinquit, meritum incurrit supplicium. Si quis vendit omnia sua, & pauperibus propter Christum distribuit, aurum auro superaddit, argentum argento. [Si quis autem, ait ille, circa diuitias suas quodam carnali teneretur affectu, quamuis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitium-ve laberetur, alioquin iam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret: sed propter carnalem quem in eis habebat affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud fœnum.] Quid fœno tandem & auro?

Aug. lib. de fide & operib. c. 16.

Superædificium debet esse suo congruum fundamento.

Aug. ibid.

A quid carni & spiritui? quid mundo & Christo? Tam ineptum superædificium est, tam indignum, quam dignum est fundamentum, nec ligno, nec fœno indignè supponendum: & si delictum illud committatur, digno iudicatur castigandum supplicio. Quia enim gratia permansit, non negabitur gloria; sed quia admisit indigna, dignâ etiam pœnâ multabitur. [Cognosce, ait Ambrosius, quia ideò Christus venit, vt virtutis semitis nostros informet affectus, vt aboleretur culpa per gratiam. Fides principium Christiani est, plenitudo autē Christiani iustitia est. Scientes igitur in æternum mansura iudicia omnia iustitiæ Dei, caueamus ne opera nostra displiceant, & in æternum B incipiamus subire iudicium: nec si aliquid boni fecimus, resupino soluamur affectu. Omnes oportet nos ante tribunal Christi assistere, vt recipiat vnusquisque quod gessit, siue bonum sit, siue malum. Caue ne ligna, caue ne stipulam ad iudicium Dei tecum deferas, quæ ignis exurat. Caue ne cum in vno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus operibus deferas quod offendat. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, potest tamen & ipse per ignem saluari. Vnde colligitur quia idem homo & saluatur ex parte, & condemnatur ex parte.] Saluatur enim virtutis merito, condemnatur C operis incendio. [Eluitur enim peccatum, ait ille, & exuritur. Vnde & Apostolus ait. Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.]

Ambros. octon. 11. in Psal. 118.

Ambros. lib. 3. de off. c. 14.

ANAGOGIA.

Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.

ITa præmisit à principio, Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Aliæ enim & longè diuersæ, cogitationes Dei, & cogitationes mundi. Vnde Augustinus: [Relinquite D ergo, inquit, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: vt comprehendatis cogitationes Dei, quæ sapientes sunt.] Vanæ cogitationes mundi, ac stultæ; sapientes, Dei: primò, in institutione religionis: secundò, in erectione humilis: tertiò, in perfectione hominis.

Aug. in Exp. Psal. 93. circ. med.

Quoad 1. Si mundus religionem moliatur, pompam extruet, erigetque in superbiam. [Mentior, ait Tertullianus, si non idolorum solemnia vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidem & auctoritatem sibi extruunt.] Licet stultitiæ reuincatur & insipietiæ: non tamen adeò insipiens in insipientiâ suâ. Scit enim homines humanis capi, vanos vanis affici, sensibiles sensibilibus, elatos grandibus detine-E ri; idcircò pompatiorem eligit suggestum, fastum & speciem obiicit. [Pompa procedit, ait ille, quorum sit, in semetipsâ probans, de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de harmamaxis, de sedibus, de coronis, de exuuiis. Quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius vrbis, in quâ dæmoniorum conuentus consedit.] Quid suggerat mundus, nisi quod suum est; quid sapiat, nisi quod humanum est? Sed sapientia

Tertullian. lib. de bapti. c. 2.

Tertullian. lib. de spect. cap. 7.

pientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Reprobat Deus sapientiam mundanam, tanquam vanam, tanquam & stultam, confutatque æmulis in totum consiliis. Religio Iudaica carnalis erat, ideoque & sensibilis: tamen ideò parùm addicta fastui, vt etiam proxima fuerit contemptui. [Apud creatorem enim etiam vetera, ait Tertullian. stultitiæ, & infirmitati, & inhonestati, & pusillitati, & contemptui deputari possunt. Quid stultius, quid infirmius, quàm sacrificiorum cruentorum, & holocaustomatum nidorosorum à Deo exactio? Quid infirmius, quàm vasculorum & grabatorum purgatio? Quid inhonestius, quàm carnis iam erubescentis alia dedecoratio? Quid tam humile, quàm talionis indictio? Quid ta m contemptibile, quàm ciborum exceptio? Totum quod sciam, vetus Testamentum omnis hæreticus irridet. Stulta enim mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam. Vt qui sapientiam sapientium abstulerit, & prudentiam prudentium irritam fecerit; qui infatuauerit sapientiam mundi, stulta eligens, & disponens in salutem. Hanc dicit Apostolus sapientiam in occulto fuisse, quæ fuerit in stultis & in pusillis & inhonestis; quæ latuerit etiam sub figuris, allegoriis & ænigmatibus, reuelanda postmodū in Christo, posito in lumen nationum à creatore promittente per Esaiæ vocem, Patefacturum se thesauros inuisibiles & occultos.] Sed quomodo reuelabitur? Si consulatur mundus, per oratores; si consulatur Deus, per piscatores prædicabitur. [Ipsa Christi quanta dignatio? ait Augustinus. Petrus iste qui loquitur per Propheticum sermonem, piscator fuit: & modò magnam laudem habet orator, si potuerit ab illo intelligi piscator. Propterea primis Christianis loquens Apostolus Paulus ait. Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem: sed stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & ea quæ non sunt, tanquam sint: vt ea quæ sunt euacuarentur.] Sapientia mundana vellet eloquentes, potentes, nobiles: sed illa, stultitia est apud Deum, qui præfert elingues, ignobiles, contemptibiles, infirmos, ne dicam & stultos: & per istos confundit vincitque oratores, imperatores, senatores.

Tertullian. lib. . aduers. Mar. c. 5. & c. 6.

Sapientia sub figuris & allegoriis abscondita.

Aug. ser. 27. de verb. Apost. c. 5.

Quoad 2. Quibus artibus erigeret mundus humilem, quonā consilio ad honorem dignitatem-ve promoueret? Certè non tam arte quàm fraude, dolo denique non consilio. [Huius enim mundi sapientia, ait Gregorius, est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia vsu à iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur; dum mentis peruersitas, vrbanitas vocatur.] Hac igitur seu arte seu fraude quærunt homines honorum culmina, bonorum agmina congerunt. Sed nouit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. [Nam etsi, inquit Augustinus, tu nescis cogitationes Dei, quoniam iustæ sunt; ille tamen scit cogitationes

Gregor. lib. 10. moral. c. 16.

August expos in Psal. 93 cir med.

A hominum, quoniam vanæ sunt.] Diuersum Deus init consilium, sed solis prodit amicis: Imò sapientum machinamenta dissipat, & infatuat prudentum consilia. [Sæpè enim (vti Gregorius loquitur) nonnulli humanâ sapientiâ inflati, dum desideriis suis diuina iudicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur: & quò ad votum suum vim supernæ dispositionis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt; sed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpè & hoc eius dispositioni aptè militat, quod ei per humanum studium B friuolè resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsâ eorum astutiâ comprehendit, quando eius consiliis humana facta etiam tunc congruè seruiunt, cum resistunt.] Quomodo diuina illa sapientia Iosephum erexit? Deprimendo. Sed iisdem gradibus voluit illum ascendere, quibus coactus fuerat descendere. Quomodo Dauidem erexit? Deiiciendo, sed iisdem manibus euectus est, quibus & deiectus: iniuria tandem cessit iustitiæ, calumnia gloriæ succubuit. Exépla sunt hæc, sed ad exemplar ipsum non tam præuia quàm consona. [Perscrutemur, ait ille, Hebræorum sapientiam, vt videamus quid prouidendo prohibuit, aut quid prouidendo C prouocauit. Certè cum ad redemptoris nostri miracula credentium turba conflueret, cum Sacerdotes populi, inuidiæ facibus accensi, mundum post eum ire cernerent, vt proclamarent dicentes: Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit: vt ab illo vim tantæ concursionis abscinderent, finire eius potentiam morte conati sunt, dicentes: Expedit vt vnus homo moriatur, & non tota gens pereat. Sed redemptoris mors ad coniunctionem sui corporis, idest, Ecclesiæ valuit, non ad separationem. Comprehendit ergò Dominus D sapientes in astutiâ eorum, quando & hoc in vsum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit. Persecutores enim peregerunt hoc quod perniciosè moliti sunt, intulerunt mortem, vt ab eo abscinderent fidelium deuotionem; sed inde fides creuit, vnde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque se æstimant eius miracula persequendo abscindere, hæc nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Vnde miro modo fit vt & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit: quia dum in bonum vsum mala facta vertuntur, eius consilio militant etiam, quæ eius consilio repugnant.]

Greg. lib. 6. moral c. 12.

Iisdem gradibus ascédunt boni, quibus & descendunt.

Greg ibid.

E Quoad 3. Si adeas exteros homines, seu mundanæ caupones sapientiæ, nihil ab ipsis habeas nisi paradoxa, imò paraloga: & quod peius est, imum aut summum semper excedentia. Ille enim censet: [Eum qui verè philosophatur, nusquam aut nunquam se puram sapientiam, quàm apud inferos consecuturum.] Iste docet, [Esse aliquid quo sapiens antecedat Deum, ille enim naturæ beneficio, non suo sapiens est. Res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.] Non magna res ista, sed insolens audacia, quæ & aures læ-

Plat. in Phæd.

Sen. ep. 53.

dat, nec mentes erigat. Iam non quæro, quibus gradibus, quia nec inferno appropinquare cupio, nec Deo superscendere. Iā ad nostros. [Triplici mentis habitu, ait Laurentius Iustinianus, quasi margaritis tribus, proficiens ornatus sit: desiderio videlicet; fortitudine, & cognitione. Desiderium quippe virtutum in acquisitione virtutis necessarium est. Quis enim, nisi amator sapientiæ, efficitur sapiens? Magna victoriæ pars est, vincendi desiderium. Facilè namque animus sui victor efficitur, quum contra se pugnare non veretur.] Hæc prima margarita, quam superædificant illi, qui ædificium virtutis, imò perfectionis cogitant fastigium. Sunt enim nonnulli, qui imperfecti potius quàm mali; de quibus etsi non desperandum, nihilominus formidandum est: etsi enim studio mouentur salutis, magno tamen non tenentur virtutis perfectionisque desiderio. [Lignum, inquit Bernardus, fragile est, fœnum molle, stipula leuis. Sunt igitur etiam inter nos tria genera hominum, ipsaque satis incongrua & ordini, & homini, qui hanc viam ingressus est. Sunt enim qui benè incœperunt, sed statim defecerunt. Et sunt qui nunquam incœperunt, sed in suâ mollitie permanserunt & permanent. Et sunt qui rapiantur spiritu leuitatis, paratissimi cursim enumerare quod faciunt, si quid tamen faciunt.] Noster Sapiens non enumerat, sed desiderat habere quod in

Laurent. Iustin. lib. de casto conn. c. 3.

Bernard. serm. de ligno, fœno, & stipulâ.

Tres perfectorum, tres & imperfectorum ordines.

A thesauro reponat suo, ideoque aurum subinde & argentum fundamento aggerat. Semper insistit, & quod semel cœpit ardenter, constanter perficit. [Vis animi amor est, ait Laurent. Iustin. amor autem legitimus semper fortis est, nescit cedere, aspera non veretur, pati non recusat, aggreditur ardua, aduersa sustinet, dolorem non sentit, semperque ad altiora conscendit proficiendi accensus desiderio. Sed ex ipsius sapientiæ & virtutis cognitione, feruore possessionis illius accenditur animus, necnon roboratur ad tolerantiam arduorum, quæ in acquisitione tolerantur. Est enim in ipsâ sapientiâ spiritus intelligentiæ sanctus: & nulli dubium est, quin qui illi se accommodauerit, & qui illâ dignus fuerit, spiritualis pugnæ victor existat, laureatusque de

B proficientium statu ad perfectorum adscribatur numerum.] Eo igitur spirandum, eò & gratiâ diuinâ conandum est: nec vnquam aut mundo parendum, aut cedendum diabolo. [Sicut enim (ita loquitur Hieronymus) in bonis operibus perfector est Deus: sic in malis atque peccatis, perfectio est diaboli. Cum viderit nos super fundamentum Christi ædificare fœnum, ligna, stipulam, tunc supponit incendium. Ædificemus ergo aurum, argentum, lapides pretiosos, & tentare non audebit.]

Laurent Iustin. ibid.

Hieronym. lib. 2. aduers. Iouinian. post initium.

CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

OStendit quo loco habendi sint prædicatores Euangelij, secernitque veros à falsis, calamitate meliùs quàm vanitate conspicuos. Sit ergo

---

PARS PRIMA.

De ministris Euangelij.

TEXTVS.



SIc nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite antè tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Hæc autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo, propter vos: vt in nobis discatis, ne suprà quàm scriptum est, vnus aduersùs alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acce-

peris? Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis: & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.

EXEGESIS LITTERALIS.

SI non iubet Euangelij prædicatores in tantum honorari, prohibet tamen in totum iudicari: succenseтque iis, qui de alienis, tanquam de suis inflati erant ac gloriabundi.

[Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, &c.] Perstat instituto, dignitatemque & exilitatem æquissimo temperat consilio. Apostoli, ministri sunt, sed Christi: dispensatores sunt, sed mysteriorum Dei. Quid porrò cæteri? an fortè digniores aut meliores, quasi imperent ipsi, & sua, non Domini, humana proinde non B diuina dispensent? [Postquam deiecit eorum arrogantiam, ait Chrysostomus, vide vt rursus eos recreet, dicens: Ministros Christi. Ne ergo dimisso Domino vocetis à ministris, & ab illis qui deseruiunt.] In dispensandis nimirum cœlestis disciplinæ, seu spiritalis sapientiæ mysteriis. [Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, &c.] De cætero, id præcipuum in dispensatoribus requiritur, vt inueniatur aliquis qui fidem seruet, qui rem Domini sui tam fideliter quàm & vtiliter administret. [Cum enim mysteriorum dispensatores appellat, ait Athanas. doctores indicat, qui haud temerè debent Dei sermonem omnibus impartiri. Sed tempus per eos opportunum & modus seruandus est, cum illum impartiunt. Ideo à dispensatore fides exigitur, ne illa quæ Domini sunt faciat sua, neue vt Dominus eadem illa pertractet. Quin potius vt aliena & à Domino possessa dispenset; neque arbitretur propria esse quæ sub Domini sunt potestate, sed contra quæ sua sunt Domini esse arbitretur.] Fidei quidem ista commissa sunt, non voluntati; ministerio, non arbitrio.

Chrysost. Orat. 10.

Athanas. in Paulum.

Modus in tradendis seruandus mysteriis.

[Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, &c.] Quis sim ego & qualis, peior aliis an melior instruendo ac docendo, parùm interest mihi, vt aliis conferar à vobis, aut etiam præferar: nihil enim moror humana iudicia, nec vanos venor rumusculos. [Humanum autem diem cum dicit, significat & diuinum, in quo iudicaturus est Christus: quia sicut Iurisconsulti seu Pontifices, quos vocant sacerdotes, certos dies quibus iudicatur decreuerunt; ita & dies Domini definitus est, quo iudicaturus est mundum.] Ita Ambros. Dies ergo hominis, seu humanus; iudicium hominis est, humanum-ve. [Sed neque meipsum iudico, &c.] Græcè ἀνακρίνω, diiudico, discerno. Eodem sensu. [Hic enim morbus, ait Comment. Athanas. inuaserat Corinthum, vt qui doctorum diuersas tenere partes viderentur, iudicantium loco considerent; assererentque hunc illum-ve potiores esse, & doctrinâ cæteros

Ambros. in Paul.

Comment. Athanas.

A anteire: alios verò pronuntiarent longè inferiores.] Igitur importuni estis, ô Corinthij, ne dicam & audaculi, qui de singulis iudicatis, nec de manifestis tantum dotibus, sed & de occultis conditionibus exertam pronuntiatis sententiam, cum ego meipsum noscam apprimè, nec tamen de me certum feram iudicium. [Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est, &c.] Nullius quidem infidelitatis in administrando doctoris dispensatorisue officio mihi sum conscius: sed an conscientia mea probè ac plenè mihi perspecta est? Itaque discrimen istud & examen tam dignè Christo seruatum, quàm temerè à curioso vsurpatum est. [Itaque nolite antè tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, &c.] Expectate diem Domini, in quo manifesta erunt omnia omnium & opera & consilia, occulta & publica. Tunc enim apparebit, tunc & patebit, quid quisque mereatur laudis à Deo, quid & mercedis consequatur. [Nam laus quæ est apud homines, & diffluit, (ita exponit Chrysostomus) & sæpè non à bono animo proficiscitur. Quæ est autem à Deo, & manet perpetuò, & manifestè C resplendet.]

Nulli sua probè ac plenè perspecta est conscientia.

Chrysost. Hom. 11.

[Hæc autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo, propter vos: vt in nobis discatis, ne suprà quàm scriptum est, vnus aduersùs alterum infletur pro alio, &c.] Hæc quæ dixi de primatibus & doctoribus, ad vos dixi instruendos. Idcircò & meipsum & Apollon expressi, vt sub istâ nominum, hominum-ve vmbrâ, alios intelligatis non nominatos, discatisque in nobis & ex nobis, doctores esse dispensatores, Dei seruos, Christi ministros: ita scripsi, ita & præscripsi. Ideoque nullus magistrum suum extollens, aduersùs alium infletur, nullus vel huius vel illius esse se disD cipulum glorietur. [Hæc autem, scilicet quæ dixi de ministris de quibus gloriamini, & pro quibus contenditis, Transfiguraui, id est, figuraliter loquens, transtuli in me & Apollo. Et hoc propter vos: id est, vestram vtilitatem. Vt in nobis discatis, ne vnus vestrûm infletur, id est, superbiâ aduersùs alium proximum suum: Pro alio, scilicet pro quocumque ministro Christi. Ne suprà quàm scriptum est: id est, vltrà formam vobis in præmissis descriptam.] Ita Aquinas. [Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Si habes aliquid præ cæteris, vnde id haE bes, vnde tibi ipse places? Quis te ab aliis minùs doctis, minùs sanctis discernit? quis te eloquentiorem effecit, quis sapientiorem? Quid enim aliud habes, quàm quod accepisti, nec ab alio quàm à Deo: si autem accepisti, vt &

Aquin lect. 1.

Forma gloriandi à Paulo præscripta.

Athanas. in Paul. alij, cur gloriaris, quasi non acceperis, aut ab alio quam ab ipso Deo? [Rursum, ait Athanas. in Corinthiorum doctores inuehitur, inquiens, Concedatur vt in te aliquid sit laudabile; id tamen haudquaquam dixerim tuum esse, sed Dei dono concessum. Idque non tuo aliquo vel merito, vel officio accepisti. Si itaque accepisti, quid gloriaris & iactabundus intumescis, quasi nihil acceperis, & credis potius ex te illud & propriis laboribus peperisse.] Quasi diligentiâ propriâ, seu humanâ industriâ.

[Iam saturati estis, iam diuites facti estis, &c.] Ironia in doctores, sed præsumptores intorta. [Ironia est, vt dicunt. (ita Ambros.) Irascentis enim verba sunt, non confirmantis.] Ambros. in Paul. Inde &: [Sine nobis regnatis: & vtinam regnetis, vt & nos vobiscũ regnemus, &c.] Mutatus est numerus, quia turba magistellorum illorum numerosa. Abundatis, vestrã vbique & vndecũque ructatis sapientiam; non tam magisterium inter discẽtes, quã inter sequẽtes obsequẽtesq; quasi seclusis nobis regnum exercetis: non inuidemus gloriæ vestræ, modò vera sit non vana: imò nos vouemus socios, ne quâ parte à vobis diuidamur, & vt vnà omnes simul imposito fungamur ministerio. [Vt pius pater, ait ille, etiam ingratis filiis benè optat. Quî enim poterat fieri, vt sine Apostolis regnarent? Quicquid enim non ab Apostolis traditum est, sceleribus plenum est. Sic tamen ordo fuerat dicere, Vt nobiscum regnetis. Sed quia præmiserat, Et vtinam regnetis, aliter dicere non potuit, nisi, Vt & nos vobiscum regnemus.] Ambros. ibid. Quasi socios, & adlectos. [Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.] Hucusque ferè amara ironia, nunc affirmatiua sententia est. Puto igitur, & verum dico, Deum nos produxisse in mundum, vt bestiarios in circum, tanquam extremos hominum, omniumque vilissimos: & cum dico in mundum, dico nos & hominibus persecutoribus & dæmonibus exhibuisse in spectaculum. [Neque nobis cum hominibus solùm est colluctatio, quin etiam est cum iniquorum angelorum potentiâ decertandum.] Ita Comment. Athanas.

Apostoli in mundum vt in circum producti.

Comment. Athanas.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

TRes sunt qui de nobis iudicare possunt aut præsumunt, Deus, proximus, nos ipsi: ille, secundùm veritatem, iste secundum temeritatem, nos ex interno conscientiæ nostræ testimonio. Sed vltimum istud pulsat animum, nec vnum, sed plura simul dubia suscitat.

DISQVISITIO PRIMA.

De interno conscientiæ nostræ testimonio.

PRimum est dubium, An sufficiat priuatum istud conscientiæ nostræ testimonium. Si enim sufficit, alia negligenda sunt; Si non sufficit, iudicium eius non est admittendum. [Sunt

A homines, ait Augustinus, qui putant sibi in benè viuendo sufficere conscientiam, & non valdè curant, quid de illis alter existimet: ignorãtes quia cum homo viderit hominẽ bonæ cõscientiæ negligentiùs viuentem, passim se cuilibet & vbilibet coniungentem, conscientia illius cum sit infirma, ædificatur non ad ea quæ perscrutatur, sed ad ea quæ suspicatur. Neque enim homo pater tuus, frater tuus, intrare potest in conscientiam tuam quam nouit Deus. Conscientia tua coràm Deo est, conuersatio tua coràm fratre tuo.] Quid est ergo quod Apostolus pro minimo, &, vt ita dicam, pro nihilo, humanum iudicium ducit; innuitque sibi apud homines, tam iniquos quàm & temerarios iudices, non adesse solùm, sed & sufficere priuatum conscientiæ suæ testimonium? Non heic distinguendum est de doctrinâ aut vitâ, vtraque enim proximo nostro necessaria est: ideoque sicut sibi nocet qui prodigit conscientiam, sic & alteri nocet qui famam negligit. Quin & vtramque tangit Apostolus, dum suæ administrationis, seu dispensationis suæ meminit; pungitque magistellos quosdam, & pseudapostolos, qui doctrinam ventilabant, vitam non curabant: ingerebant documenta, negligebant exempla: fidem quidem religionemque extruebant variis sapientiæ humanæ lenociniis potius quàm testimoniis, nesciebantque non esse certiora, aut certè euidentiora veræ argumenta iustitiæ, quàm bonæ ac sanctæ vitæ suffragia. [Sunt igitur homines temerarij iudices, ait ille, detractores, susurrones, murmuratores, quærentes suspicari quod non vident, quærentes etiam iactare quod nec suspicantur: contra tales quid remanet, nisi testimonium conscientiæ nostræ?] Vera semper dicenda sunt, bona & benè sunt agenda. [Si enim non aurem solam percutit iracundia criminantis, verumetiam conscientiam mordet veritas criminis; quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuitiantis opprobrium.] Vbi sit officium, sufficit conscientiæ rectæ testimonium. [Propter nos, ait Augustinus, conscientia nostra sufficit nobis: propter alios, fama necessaria est: conscientia, tibi; fama proximo tuo.]

Augustin. lib. de ouib. cap. 9.

B

Conscientia nobis, fama proximis est necessaria.

C

Aug ibid.

Aug. lib. 3. cont. litt. Petil. c. 7.

D

Aug. serm. 1. de vit. com. cleric.

Secundum dubium, Cur homo nihil sibi conscius non in hoc iustificatus sit? Nonne contestatur nobis conscientia nostra, nonne nobis ominatur tanquam domesticum fœlicitatis aut calamitatis oraculum? Nonne interroganti respondet, vt operanti aut frænum paret aut flagellum? [Quod alienum est ab opere, ait Augustinus, alienum est à conscientiâ. Quod alienum est à conscientiâ, alienum videtur à scientiâ.] Sed notandum est ex Bernardo, tria ex verbis Apostolicis distinguenda esse iudicia, proprium, humanum, diuinum. [Et humanum quidem, inquit, potest iudicare de rebus exterioribus, quæ sensibus corporis percipiuntur, de interioribus verò non potest. Hinc enim scriptum est: Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in eo est? Quapropter de his quæ sunt in homine, potest iudicare spiritus hominis qui in ipso est:

E

Aug. conc. 1 in Psal. 34 post init. Bernard. serm. de trip. iudicio.

longè verò præstantius de his ipsis iudicat Deus, cuius necdum fatetur Apostolus euasisse iudicium, qui tamen iam humanum transcendisset & proprium. Porrò humanum contemnebat, qui dicebat: Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque proprium timebat, qui dicebat: Sed neque meipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum. Solum ergo restabat diuinum, de quo ait: Qui autem iudicat me, Dominus est.] Eadem repetit sermone vigesimo nono ex paruis & variis. Itaq; si de humano, seu externo loquamur iudicio, non potest homo de animo alterius iudicare, & quicquid tentat, irritum est & nullum defectu legitimæ potestatis: Si de priuato & interno, potest quidem homo iudicare de animo proprio, sed quicquid iudicat, integrandum est respectu supremæ potestatis. Quocirca primum contemnit Apostolus, quia nullum: secundum non contemnit quidem, quia audiendum: nec tamen in eo sistit, quia non est summum, quia errori vel adulationi obnoxium, ideoque à Deo ipso reformandum. [Quamnam igitur ob causam, ait Chrysostomus, si sibi nihil fuit Apostolus conscius, non fuit iustificatus? Quoniam contingebat vt ab ipso quædam peccata essent admissa, neque tamen ipse sciret hæc esse peccata.] Mihi quidem conscientia mea melius nota quàm alteri, sicut vultus meus alteri melius quàm mihi notus est: sed cum dico mihi & alteri, dico homini, multa ignoranti tam in externis quàm & in internis, vana cogitanti, falsa iudicanti.

Triplex iudiciũ, proprium, humanum, diuinum.

Chrysost. orat. 11.

Tertium dubium, Cur non licuerit Corinthijs iudicare de doctoribus, seu prædicatoribus, cum ipsi viderentur non tam de conscientiâ iudicare, quàm de scientiâ? Est enim iudicium istud discretionis publicæ, non intentionis secretæ: vter eloquentior vel doctior, non vter melior aut sanctior. Respondeo primò etiam in his vanum esse iudicium, ideoque reprobum. [Alibi enim, vti ille loquitur, ne si sint quidem peccata manifesta, permittit alijs iudicare, quoniam tempus hoc postulabat. Quid enim, inquit, iudicas fratrem tuum? Aut cur etiam fratrem tuum nihili facis? Non enim tibi ô homo mandatum est vt alios iudices, sed vt tua examines. Cur Domini partes accipis? Illius est iudicare, non tuum.] Respondeo secundò, Corint. hucusque tolerandos, si de manifestis dũtaxat iudicassent, de notis omnibus, seu dotibus, seu defectibus: quamuis enim nobis imperetur quæ dixerint prædicatores audire, nõ tamen prohibetur nobis quid melius, aut quæ meliora sint discernere. Sed penetrabant illi consilia cordium, & abscondita tenebrarum, id est, intima quæque cogitationum & intentionum secreta: nec de scientiâ duntaxat iudicabant, sed & de conscientiâ. Cum enim dicit Apostolus, nihil sibi esse conscium, innuit vtraque se & actionem expendisse & intentionem, nihilq; quod reprehẽderet, deprehendisse. Nec tamẽ audet seipsum iudicare, seu diiudiare, quia non satis & animi sui sinceritatẽ integritatemq;, nec alieni disparitatem peruidet. [Tribus enim modis prouidemus bona coràm hominibus, (verba sunt Bernardi) idest, habitu, actione, sermone. Habitu, ne sit notabilis: actione, ne sit

Chrysost. ibid.

Quomodo bona coram Deo & hominibus prouidenda.

Bernard. ser. 29. de paruis.

A reprehensibilis: sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coràm Deo, cogitatione, affectione, intentione. Nam cogitatio debet esse sancta, & affectio pura, & intentio recta.] Quis hæc præstet integrè, aut diiudicet? quis hæc verè cernat aut secernat? Respondeo vltimò Apostolum castigare tam iniquum quàm propensum hominibus iudicium, quo plurimùm immusici musicos, indocti doctos iudicant; imò & alios alijs, tanquam aptiores, digniores que diiudicant. Quasi hunc vel illum iudicando, alterum alteri comparando; illum præferendo, succensendo alteri, omnes superarent, vt qui indiscretam de omnibus pronuntiarent sententiam. B Vnde & Apostolus ait, nec se iudicare seipsum, vt abdicato à se iudicio, promiscuam alijs iudicandi libertatem detraheret, Deoque comparandi facultatem intactam relinqueret. [Non enim, ait Chrysostomus, propter seipsum hoc dicit, sed alios volens eripere ab eorum inimicitiis.] Non enim inciuile duntaxat, sed & hostile videtur, non solùm in fratres, sed & in patres insurgere; hunc extollere, illum deprimere, inquisitionem de vitâ & moribus instituere. [Qomodo enim, ait ille, qui mea exactè & accuratè nescio, aliena potero iudicare? Nos autem iudicamus, vt se res repræsentarit.]

Chrysost. orat. 11.

C

DISQVISITIO SECVNDA.

An sit aliquod tempus iudicandi?

CHristiani tam nec iudicare debent, quàm nec vindicare: tam nec præcipitare sententiam debent, quàm nec vindictam præsumere. Sed sicut vltio in futuro sæculo ipsis repromittitur, sic & iudicandi spes eis relinqui videtur in futuro iudicio. Itaque, ait Apostolus, [Nolite antè tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.] Duo requisita sunt in legitimo iudicio. Primum D est, auctoritas: secundum, capacitas. Vnde auctoritas? A Domino. [Qui autem iudicat me, Dominus est.] Ille iudex est omnium, tam viuorum quàm mortuorum: qui propriâ ac supremâ auctoritate iudicat, cæteris iudicandi facultatem delegat. Vnde capacitas? ex certâ & omnimodâ actionum & intentionum notitiâ, quam iure suo anticipat Christus, sed in die suo, seu in extremo iudicio communicat. Itaque non dicit Paulus absolutè, Nolite iudicare, sed cum hac limitatione, [Ante tempus.] Erit enim tempus iudicandi, sicut & vindicandi. [Quoadusque veniat Dominus.] Nondum vindicatus est Christus, sed veniet, & ponet E inimicos suos scabellum pedum suorum. Tunc sicut vindicandi, sic & iudicandi ius sortem-ve restituet, permittet-ve, datâ notitiâ simul cum licentiâ. [Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, (verba sunt Augustini) sine quâ duci ista non potest vita, ita vt Apostolus dicet, Tentatio nos non apprehendat, nisi humana. Quid enim tam humanum quàm non posse inspicere cor humanum: & ideò non eius latebras perscrutari, sed plerumq;

Tempus iudicandi, simul & vindicandi.

August. Tract. 90. in Ioan. circa med.

que aliud quàm id quod ibi agitur suspicari? A Quanquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus; iudicia tamen, id est, definitas firmasque sententias continere debemus: nec antè tempus quidquam iudicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.] Quasi tunc tam iudicare datum, quàm heic denegatum: imò tam laudabile, quàm nunc vituperabile: tunc enim factâ diuini iudicij copiâ, tam rectum quam verum erit iudicium.

Verba tamen Apostoli nihil promittunt homini, sed Domino deferunt non tantùm vt B supremo iudici, sed & vnico. [Qui autem iudicat me, Dominus est.] Aufert quippe iudicium ab alio, aufert à seipso, transfertque in Christum Dominum, cuius, & solius est iudicare, seu definitiuam ferre sententiam. Quod autem addit. [Itaque nolite antè tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, &c.] Tantum abest, vt hinc conferenda sit iudicandi aut diiudicandi licentia, quin penitus auferenda. Primò, quia sicut sumpto supplicio, non vindicabunt sancti priuato odio, quasi vnquam permissa sit vltionis libido, sed iustæ stabunt sententiæ: Sic & prolatâ à Christo Domino sen- C tentiâ, non iudicabunt Christiani priuato arbitrio, sed publicam probabunt sententiam. [Quoadusque veniat Dominus.] Seruate illi diem suum, vitate priuatum iudicem: expectate donec adueniat tempus, debitumque ac legitimum à Christo Domino fiat iudicium. Non permittit iudicium præsentaneum, & futurum ad Christum remittit. Secundò, non erit opus iudicio, vbi quiduis erit in propatulo. Iudicium enim necessarium est, vt constet de facto, nullusque quasi in incerto fluctuet. Christus autem [Illuminabit abscondita tenebrarum; Græcè φωτίσει, & illuminabit consilia cor- D dium.] Omnia in lucem proferet, obscura in illum diem suum non differet solùm, sed & exeret, imprimetque tantâ euidentiâ, vt vana sit extranea sententia. Tertiò, Vnicuique boni facti laudem pollicetur, nulli sortem priuati iudicij; imò, vbi quod exprimendum, suppressum est, censetur denegasse, vel certè non probasse. [Tunc laus erit.] Tunc laudem habebis, si benè egeris; sin malè, pudorem referes, confusionem recipies: priuatum autem iudicium vbique denegatum. [Audi planè, ait Bernardus, qui plantauit aurem, & qui finxit oculum, ipse considerat. Nuda sunt eius oculis omnia, penetrabilior est ancipiti gladio. Ipsas quoque non modò cernit, sed & discernit cogitationum vias, & medullas affectionum. Denique si non totam humani cordis abyssum, & quicquid in ipso latet inspiceret præ ipso, non ille iam nil sibi conscius iudicantis sese Domini sententiam tantopere formidaret: Qui autem iudicat me, Dominus est.]

Vna est & publica actuum omnium sententia.

Bernard. ser. de conuers. ad cler. c. 16.

Scias interim tam humanum spernendum, quàm diuinum verendum esse iudicium. [Tunc enim quis nobis ad cogitationem patet, ait Augustinus, quando eius mores & vita non latent: tanto quippe certiùs quàm notus est alijs ipse se nouit, quanto certiùs interiore conspectu potest videre quod sapit, videre quod cupit, videre quod viuit: quæ cum aperiuntur & nobis, tunc verè fit cognitus nobis. Pertinet autem ad nos ne perniciosâ opinione fallamur, vt quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque scientiam. Hæc est, vt si ille vel ille homo vtrum sit impudicus pudicusque nescimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: vt cum de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod deuitandum est deuitamus, ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imò assiduè non vera sentimus. Quando enim non erratur in rebus, vt recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio: profectò si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Per has tamen humanorum cordium tenebras, res multum miranda & multum dolenda contingit: vt eum nonnunquam quem iniustum putamus, & tamē iustus est, & iustitiam in eo nesciētes diligamus, deuitemus, auersemur. Ita fieri potest vt etiam homo iniustus oderit hominem iustum, & dum æstimat se sui similem iniustum diligere, nesciens diligat iustum: & tamen dum credit iniustum, diligit non ipsum, sed quod putat esse ipsum.] Adeo vana, adeò incerta sunt, non tantùm malorum, sed & bonorum iudicia. Sed nihil ignorat ille, qui omnia & de omnibus iudicat. [Non illius solis, ait Bernardus, arcet radios maceria lapidum, quos ipse creauit; non vel ipse corporis huius paries, veritatis excludit aspectum. Denique si Deum non times, & solos hominum reueretis aspectus, memor esto hominem Christum hominum facta ignorare non posse. Nihil opertum quod non reueletur, vel occultum quod non sciatur. Arguentur à luce in lucem prolata opera tenebrarum: nec modò obscœnitatum abominanda secreta, sed & iniqua vendentium sacramenta, & iudicia subuertentium, qui nouit omnia nota faciet vniuersis.]

Augustin. Tract. 90. in Ioan. cit. & vlt. med.

Incertatam bonorum quàm malorum iudicia.

Bernard. ser. de conuers. ad cler. c. 16.

TROPOLOGIA.

Quis enim te discernit? &c.

MVtatio verbi in Græco: est enim διακρίνει, non ἀνακρίνει. Istud propriè, diiudicare, factâ cum alijs comparatione: illud, discernere, factâ ex alijs separatione. Aliquid habes præ cæteris, vnde habes? Primò ergo statuendum est, Nihil habere nos ex nobis nisi malum. Secundò, bona omnia nobis per Christum Iesum collata. Tertiò, nullo modo in nobis, sed E in solo Deo & Christo gloriandum.

Quoad 1. Quando interrogat Apostolus, Quis enim te discernit? Responsionem non expectat. Adeò de causâ confidit suâ. Et si expectat, certus est securusque responsionem tam interrogantis scopo consonam, quàm titulo veritatis acceptam. Sic & cum ait, Quid autem habes quod non accepisti? eo magis premit, quo minus aut dubij ad soluendum aut spatij ad excurrendum relinquit. Quis te discernit? Nonne Deus? aut quis alius? Sed volui,

alter noluit. Ego consensi, alter renuit. Benè est. Sed, Quid habes quod non accepisti? Nihil habes de tuo nisi peccatum & mendacium; quorum istud vitium mentis est, illud venenum voluntatis. Nihil ergo efficis ex te ipso, sed continò deficis: & si aliis præstas, aut vitiis præstas aut beneficiis, id est, ex propriis, aut ex alienis. [Tunc enim, ait Augustinus, ea quæ dicimus, & nobis & vobis vtilia sunt, si ab ipso sunt. Quæ autem ab homine sunt, mendacia sunt, sicut ipse dixit Dominus noster Iesus Christus: Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.] Non peto quid sis, sed vnde sis: non peto quid habeas in temetipso, sed quid habeas ex temetipso. [Ponamus, ait Chrysostomus, te esse dignum laudibus, & verè habere gratiam, nec esse corruptum hominum iudicium. Ne sic quidem oporteret te efferre & superbire. Nihil enim habes domo allatum, sed à Deo acceptum. Quid ergo te habere præ te fers quod non habes. Si autem non tuum accepisti, quid magnificè ac præclarè de te sentis tanquam habens tuum?] Quid tu, aut vnde? creatus cum multis, iustificatus cum paucis, in isto & in illo factus ex nihilo. [Attendat vnusquisque vestrûm, ait Augustinus, quid habeat Christianus. Quod homo est, commune cum multis: quod Christianus est, secernitur à multis, & plus ad illum pertinet quòd Christianus, quàm quòd homo. Nam quod Christianus, renouatur ad imaginem Dei, à quo homo factus est ad imaginem Dei: quod autem homo, posset & malus, posset & paganus, posset & idololatra. Viuit temporaliter secundùm spiritum vitæ: quo corpus animatur: viuit autem ad æternitatem, secundùm baptisma quod accepit à Domino.] Accepisti esse, quia nihil eras ex teipso: accepisti benè esse, quia nihil poteras ex teipso. [Vt esses, ait ille, quis fecit? Nonne scriptum est, quia sumpsit Deus limum de terrâ, & formauit hominem? Antequam homo esses, limus eras: antequam limus esses, nihil eras. Sed non de isto solo figmento gratias agas artifici tuo. Audi aliud figmentum vbi te fecit. Vnde opereris bona: Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, vt in illis ambulemus. Attendamus ergo gratiam Dei, non solùm quâ fecit nos, verumetiam quâ refecit. Cui ergo debemus, quia sumus, illi debemus, quia & iustificati sumus. Nemo quasi tribuat Deo, quia est: & sibi tribuat, quia iustus est. Melius est enim quod tibi vis tribuere, quàm quod illi. Melius est enim aliquid esse quia iustus es, quàm quia homo es.] Erat aliquando, quando nihil eras omninò: & si quid fuisti tandem quoad naturam, iacuisti tamen sub ipso nihilo quoad gratiam.

Augustin. Tract. 5. in Ioan. init. — *Chrysost. orat. 12.* — *Inter totius bonorum quàm malorum iudicia.* — *Bernard. ser. de conuersi. ad cler. 16.* — *Aug. Tract. 5. in Ioan. vlt. med.* — *Aug. in Expos. Psalm. 144. cir. med.* — *Nihil homo ex seipso tam in natura quàm in gratia.*

Quoad 2. Omnia quidem habes ab alio, si nihil habes, nihil es, nihil potes ex teipso: nec ab alio habes, es, aut potes quàm à Deo, primo ac summo rerum actionũq; principio. Sed aliter habes ea quæ sunt naturæ, & aliter ea quæ sunt gratiæ. Nam illa ex bonitate, ista ex largitate: illa ex thesauris Dei, ista ex Christi meritis. Vnde primò omnium datur fides in Christum, quo, vti declarauit Ambrosius, seu Prosper: [Demonstratur, fidem quâ iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui; sed ad hoc donari, vt principium possit esse meritorum: vt cum ipsa data fuerit, non petita, ipsius iam petitionibus bona cætera conferantur.] Docet enim illa non solùm quid & à quo, sed per quem petendum sit, admonetque nullum in nobismetipsis ex nobismetipsis esse meritum. Et congestis innumeris propemodum, ad ostendendam in diuersitate donorum gratiæ largitatem vtriusque paginæ testimoniis, tandem absoluit. [Multa sunt alia in canonicarum serie scripturarum, quæ vitandæ prolixitatis studio præterimus: quoniam quæ assumpsimus, nec pauca sunt, nec obscura, nec leuia: quibus plenissimè declaratur, omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, sine gratiâ Dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici: & contra omnem electionem de libero arbitrio gloriantem, illam inuictissimè reniti sententiam dicentis Apostoli: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Igitur profunditas illius quæstionis quam secundùm admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non soluitur: quia licet insit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non habet bonum velle; & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.] Christianam scilicet: [Quâ hæc eadem natura in omnibus hominibus antè reconciliationem rea, in omnibus misera; à pereuntibus quadam sui parte discernitur ab eo qui venit quærere & saluare quod perierat: illis enim tribuit gratia stupenda quod voluit, aliis retribuit veritas iusta quod debuit.] Confusio in naturâ damnatâ, discretio ex gratiâ Christianâ. Nec ad id astruendum, aut destruendum errorem contrarium, aliud testimonium euidentius est aut efficacius. [Cyprianus ad Quirinum, (verba sunt Augustini) in quo opere se Pelagius vult eius imitatorem videri, ait in libro tertio: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Cui proposito testimonia diuina subiungens, inter cætera posuit Apostolicum illud, quo istorum maximè ora claudenda sunt: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?] Idcircò & Prosper laudato Pauli testimonio, firmatoq; ex Augustini Magistri suffragio: concludit. [Nunquid hominem ab homine natura discernit, ac non potius gratia ab infideli fidelem? Nunquid potest vllus dicere, habere se, quod non accepit? aut quasi de non accepto, sed proprio gloriari: quod si non accepisset, vtique non haberet. Nunquid dubium est, cum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere: sed cum illdere, alios voluntate non credere: sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est quid veniat de misericordiâ, quid de iudicio. Quis hic locus querimoniæ, nisi apud inimicos gratiæ: qui nisi ad retributionem referatur quod gratis datur, ad iniquitatem volunt pertinere quod redditur?] Si quid igitur habes, tibi gratis per Christum à Deo collatum est, dono datum est, non

Prosper lib. de vocat. Gent. c. 8. — *Vnico testimonio Pelagianismus conuictus est.* — *Aug. lib. 4. ad Bonif. c. 8.* — *Prosper lib. 1 Respons. 4.*

redditum. Quid enim habes quod non accepisti? Nihil habes prorsus: aut si quid habes, accepisti.

Quoad 3. Sicut secunda propositio oritur ex primâ, sic & tertia ex secundâ consequitur. Prima autem fundamentalis est, non tamen aliquo fundata, sed ipso subnixa nihilo. Tamen sicut supra Deum nihil vltra quæritur quoad excellentiam: sic & infra nihilum, nihil vltrà ad insufficientiam suggeritur. Quid es? Nihil es ex teipso: nihil vales ex teipso: igitur quicquid es, quicquid habes, quicquid vales, totum id ab alio est, nec ab alio, quàm ab ipso Deo, præcipuo primoque entium omnium principio. Vnde concludendum est, Deo omnia tribuenda, reddendaque; nihil nobis debitum, deque nullo nobis in nobis, sed in Deo solo & Christo eius gloriandum. Sicut enim omnia inde exorta sunt bona, sic & illò referenda: inde habent exire tanquam à primo & essendi & merendi principio: illò redire debent, tanquam in finem vltimum: & qui aliquid inde surripit sibi ac tribuit, furtum imò sacrilegium committit: quia quod diuinum est, Deo inuito sibi asserit. Dixi, de nullo in nobis, sed in Deo solo & Christo eius gloriandum: non enim gloriam extinguit Apostolus, imò & accendit, dum formā præscribit ac regulam. [Nouerat Apostolus, (verba sunt Bernardi) gloriam propriam esse creatoris, non creaturæ, secundùm illud: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sed considerauit rationalem creaturam adeò affectare gloriam, vt aut vix nunquam ad hoc compesci desiderio possit, quippe quæ ad imaginem facta est creatoris. Propterea secundùm datam sibi à Deo sapientiam, saluberrimum adinuenit consilium, dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino glorietur. Considera igitur quantum superexcedit Pauli philosophia, philosophiam sapientium mundi huius, quæ nimirum stultitia est apud Deum. Cum enim nonnullos viderent Philosophi alienis delectari laudibus, & gloriam ab inuicem quærere: qui inter eos fuere præcipui, prudenter aduerterunt vanam esse huiuscemodi gloriam & penitùs contemnendam. Sed considerantes deinde ac studiosiùs inquirentes quænam appetenda esset gloria sapienti, hîc iam planè euanuerunt in cogitationibus suis, propriam cuique sufficere gloriam arbitrantes: quasi verò anima quæ à semetipsâ esse non potest, à se possit esse beata. Sed vtramque gloriam sublimi veritatis contemplatione transcendens Apostolus: Qui gloriatur, inquit, non in altero, non in se; sed, in Domino glorietur. Et eam quæ veritati videbatur esse vicinior, maiori proinde redarguens sollicitudine, & condemnans certo iudicio veritatis. Non enim, inquit, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.] Prima gloria in totum vana est, imò & vanitas ipsa, vtpote laudis alienæ cupiditas: vulgaris illa & protrita est. Altera summis propria Philosophis, ideoque singularis: quæ etsi propinqua videatur veritati, vt affinis tamen & attigua damnatur vanitati: non enim alieno, aut etiam proprio probamur reprobamurque arbitrio, sed diuino suffragio; diuino testimonio; diuino iudicio. [Meritò proinde Apostolus, ait ille, vanæ & fallacis gloriæ reprobator: Mihi, inquit, pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico. Qui autem iudicat me, Dominus est. In quibus verbis illud quoque diligenter considerandum est, quòd alienum iudicium pro minimo habens, suum quoque nequaquam sequeretur, quamuis non illud adeo pro minimo iudicaret habendum.] Sed iam ad sensum anagogicum.

Bern. ser. de tripl. glo. à princip.

Triplex gloria, aliena, propria, diuina.

Bernard. ibid.

A B C D E

ANAGOGIA.

Quid gloriaris quasi non acceperis?

SVrsum euolandum est, rursumque demonstrādum omnis boni tam temporalis, quàm & æterni principium: vt ex gloriâ gratiam statuamus, aut ex gratiâ conscendamus in gloriam. Primò igitur considerandum est, ipsum omnis entis principium. Secundò, Quid ipse filius ex principio. Tertiò denique, Quid ipsi, in cælo gloriosi.

Quoad 1. Quid est Deus? Hoc ipsum quod est; ideòque quod Deus non est, non est, nihil est. [Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorū misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.] Quid est Deus? Qui est. Græcè ὁ ὢν Participium est, totum ipsum esse comprehendens, Deumque à non esse, id est, ab eo quod ad speciem est, ad veritatem non est, secernens. [Fieri namque omninò non potest, ait Iustinus, vt proprium aliquod Deo nomen attribuatur; propterea quod nomina ad designationem & discretionem subiectarum rerum imponantur, quæ variæ sunt & multæ: Deo autem qui nomen inderet, nemo ante eum existit: neque ipse seipsum nomine aliquo designare opus duxit, vnus & solus existens: quemadmodum de seipso per Prophetas ipse testificatur, dicens: Ego Deus primus, ego postea, & præter me Deus alius non est. Quocirca ad Hebræos ablegans Mosen Deus, nullius meminit nominis, sed per participium quoddam, vnum se & solum Deum esse arcanè docet: Ego enim, inquit, sum existens ille: seipsum videlicet non existentibus opponens; vt, qui antehac seducti in errorem fuerant, intelligerent, non existentibus se, sed minimè prorsus existentibus animum intendisse.] Idest, dijs, sed qui non essent, cum essent putæ putæ creaturæ. Vnus enim, imò vnicus est Deus, nempe, Qui est, Ens ipse, seu, Ille existens, quo non solùm deos ipsos expungit, iam à principio in mundum arte dæmonis patris mendacij intrusos: sed & primam, & quasi vnicam inter Deum verum, & quasuis creaturas, tanquam inter id quod est, & id quod non est, constituit differentiam. Quinimo non vult Dionysius Deum esse ens, cum sit

Exod. c. 3.

Iustin. co-hort. ad Græc. circa med.

Diabolus primus deorum architectus.

sit supra ens omne, tam fluxum ac caducum, quàm consistens ac permanens. Vnde ipsos à mysterijs excludit: [Qui in iis, quæ sunt, detinentur, & nihil super ea quæ sunt, superessentialiter esse imaginãtur; sed præsumũt intelligere cognitione propriâ eum, qui posuit tenebras latibulum suum.] Sed aliud est consistere aliquid in seipso, aliud existere ex seipso. Nihil omninò existit ex seipso, nisi Deus solus: sed & id ipsum qui consistit in seipso, etsi fluxum & caducum non est, existit ex nihilo; dum aliquando fuit nihil, & ex nihilo factum, id est, à Deo creatum. Idcircò & Plato, arcanorum nostrorum conscius, vt Trismegistus noster arbitratus est: [Magnopere Dei ad Mosem dicto delectatus, Ego sum existens ille, atque breuitate per participium prolatæ locutionis cum multâ theoriâ exceptâ, intellexit Deum æternitatem suam Mosi ostendere volentem, Ego sum existens ille dixisse: dictione, Existens, quæ vna Græcis est syllaba, ὤν, non vnum, sed tria significante atque complectente tempora, præteritum, præsens, & futurum.] Qui nimirum ita est, vt non possit non esse; sed semper fuerit, semper sit, semper futurus; imò nec fuerit, nec futurus sit, sed sit semper idem: & ideò verè sit ac propriè; cætera omnia hoc sint, quod ille velit; nihilque sint, nisi velit.

Dionys. lib. de myst. Theol. c. 1.

Iustin. vlt. med.

Quoad 2. Filius Dei, Deus quidem est, idemque cum Patre Deus; sed inquantum filius, Deus de Deo: nam etsi non factus, tamen genitus est natus-ve: id est per viam naturæ processit à Patre, ideoque & ipsammet naturam accepit à Patre. [Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.] Quid est maius omnibus, nisi solus Deus? [Quid dedit Filio Pater maius omnibus? Vt ipse illi esset vnigenitus Filius.] Proprius, & vnicus; cæteri non sunt quidem alieni, sunt tamem adoptiui: id est, non naturâ, sed gratiâ. Et inde triplex differentia emergit inter vnigenitũ, & cæteros filios: Prima est, quod vnigenito pater se totum dedit, ideo non ille diuinitatis particeps est, sed hæres vniuersorum: alij in tantum diuinitatis participes sunt, in quantum huius vel illius dotis hæredes, huius vel illius virtutis. Secunda, quòd fœcunditate naturali vnigenitus editus est, cæteri liberali voluntate prælati. Voluntariè enim genuit vos; id est, genuit quia voluit. Tertia, ab æterno genitus est Filius, tamque æternus est quam ille qui genuit: cæteri quique suo tempore facti suoque ordine. Sequitur triplex illud discrimen ex eo quod Pater dando Filio quod maius est omnibus: dedit illi vt esset Deus, vt esset Filius in eadem naturâ: diuinitatem dedit, nec similem duntaxat, sed & æqualem produxit. [Quid est ergo quod dedit? ait idem Augustinus, Nam si erat cui daret vt Filius esset, aliquando erat, & Filius non erat. Absit vt aliquando Dominus Christus fuerit, & Filius non fuerit. De nobis hoc dici potest: aliquando filii hominum eramus, filii Dei non eramus. Nos enim filios Dei gratia fecit, illum natura, quia ita natus est: nunquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat. Qui sapit capiat, qui non capit credat.] Quicquid tamen capias, & quicquid credas: hoc primum stabiliendum est, Filium omnia à Patre habere, & de Patre esse & posse quicquid est & potest: illi enim naturam suam dando, & essentiam dedit & potentiam. [Pater, ait ille, non de Filio Deus, Filius de Patre Deus: ideo Pater Filio gignendo dedit vt Deus esset, gignendo dedit vt sibi coæternus esset, gignendo dedit vt æqualis esset. Hoc est quod maius est omnibus.] Ille tamen accepit quod maius omnibus est. Vnde ipse. [Mea doctrina, non est mea.] Quibus non negat suam, sed datam acceptamque significat. [A meipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.] Denique, [Verba, quæ ego loquor, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.] Et priùs. [Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.] Nimirum, vti dixit Hilarius. [Sine his natiuitas non erit, quia in se hæc omnia nascendo contineat.] Nam, [Cum ait: verba quæ ego loquor vobis, non à me loquor, non exemit personam, neque se Filium denegauit, nec naturam in se paternæ virtutis abscondit. Nam dum loquitur, ipse, in substantiâ manens loquitur: dum autem non ab se loquitur, natiuitatem in se Dei ex Deo Patre testatur.] Deus est, Filius, sed Dei Filius, ideo totus Patris est gignentis-ve. Quicquid est, quicquid potest; ab illo est, & potest, qui natiuitatem dedit, & per diuinitatem, quam Filio dedit nascendo, & essendi & agendi facultatem ab æterno contulit. Quicquid habet ergo Filius, habet à Patre: quia & si Deus est & vnus idemque Deus, est tamen à gignente.

Ioan. c. 10.

Augustin. Tract. 48. in Ioan. vlt. med.

Aug. ibid.

Trina inter Christum & Christianũ differentia.

Ioan. c. 7.

Ioan. c. 8.

Ioan. c. 14.

Ioan. c. 5.

Hilarius li. 7 de Trinit. cit. med. & vers. fin.

Quoad 3. Si ita se res habet de Domino gloriæ, quid de ipsis beatis gloriosis-ve, qui hereditatem quidem adeunt, sed partem duntaxat accipiunt? Etsi enim sunt in gloriâ Patris, non tamen de ipsâ nec in ipsâ Patris substantiâ: ideoque consummati diuinis muneribus, sicut & in bonis creati operibus. Inde est, quòd coronas submittunt suas, agnoscuntque in ipso gloriæ æternæ fastigio, nihil esse se, nihil posse, nisi aliunde habeant, aliunde accipiant. Non enim alius est Spiritus gloriæ, & alius gratiæ, sed vterque datus, nisi quod ille datus extraneo, iste etiam immerito. [Acceptum enim habes, ait Chrysostomus, non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc rectè facta, sed Dei gratiæ. Etiamsi fidem dicas, ea extitit ex vocatione. Et si dicas remissionem peccatorum, si dona ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti. Quid ergo habes, inquit, quod non habes acceptum? At ipse ex te ipso rectè egisti. Non potes hoc dicere, sed accepisti: & propterea te effers, & tibi places; Propter id ipsum verò oportebat te intra fines modestiæ continere. Non enim tuum quod est datum, sed eius qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem non tuum accepisti, quid

Chrysost. Hom. 14.

id magnificè ac præclarè de te sentis tanquam habens tuum?] Inter nos quidem & beatos id etiam interest, quod nobis, etiam & perfectis multa adhuc desunt, illi iam consummati sunt: sed quo plus recipiunt, plus etiam sese demittunt; agnoscunt enim nihil esse suum, etsi iam suum sentiunt, cum datum est. Vnde sicut Christus completo electorum numero, tunc maximè subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia: sic & illi tunc maximè subiecti, cum omnia compleuerint, absoluerintque: hoc enim non tam absoluere est, quàm omnia recipere. Iam ergo tandem redi mecum ad propositionem. Deus ipse, solus ipse est, qui est, cætera non sunt, nec fuerunt; nec essent, nisi ab ipso essent volente ac faciente. Ipse Dei Filius, suus non est, sed totus est Patris, etsi non facientis, gignentis tamen, producentisque. Ipsimet diui nihil sunt, etsi subsistunt in se, non tamen ex se; sed quicquid sunt, aliunde recipiunt. Quid sentis de te ipso, aut quem te ipsum facis?[Habere quidem quod habere te nescias, ait Bernardus, quam gloriam habet? Porrò nosse quod habeas, sed quia à te non habeas ignorare: habet gloriam, sed non apud Deum. Apud se autem glorianti dicitur ab Apostolo: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Non ait

Sancti quo magis etiam magis sunt subditi.

Bernard. Tract. de dilig. Deo post init.

A simpliciter, Quid gloriaris? sed addidit, Quasi non acceperis: vt adserat reprehensibilem non qui in habitis, sed qui tanquam in non acceptis gloriatur. Meritò vana gloria nuncupatur huiusmodi, veritatis nimirum solido carens fundamento. Veram enim gloriam ab hac ita discernit. Qui gloriatur, ait, in Domino glorietur: hoc est, in veritate. Veritas quippe Dominus est. Vtrumque ergo scias necesse est, & quid sis, & quod à teipso non sis: ne aut omninò videlicet non glorieris, aut inaniter glorieris.] Deus ergo gloriam nobis non inuidet aut prohibet, imò ad ipsam nos creauit, nos ad ipsam vocauit. Idcircò nullus est qui gloriam non quærat, qui laudem & honorem non appetat. Sed ille cupit laudari ab alio, cui ignotus est, & desipit: ille proprio contentus est animi sui arbitrio, & tanquam minus habens euanescit: non enim suo, sed diuino probandus est reprobandus-ve iudicio. [Cum autem, (ita absoluit Bernardus) veritatis ipsius quam
B nihil latet, sententiam de nobis tenere meruerimus, in eâ planè securiùs poterimus gloriari. Interim verò nolite antè tempus iudicare, ait Apostolus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. Illa enim perfecta omninò erit & secura gloriatio, cum erit vnicuique laus à Deo.]


Bern. serm. de tripl. gloria.



PARS SECVNDA.

VERI A FALSIS DISCRETI.

TEXTVS.



NOS stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesiâ doceo. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

EXEGESIS LITTERALIS.

STatum verorum ministrorum exponit Corinthiis,& aduentum promittit suum: illud, vt bonos sedulò moneat; istud, vt malos in officio contineat.

[Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, &c.] Ioco an seriò? Necesse tamen non est Apostolum ludere, vel animum inter ironiam suspendere ac sententiam. Sensus consulit communes, aitque, Nos stulti habemur, tanquam præcipites ac temerarij, vt qui morti propter Christum destinati. Vos autem prudentes habemini, vt qui incommoda vitetis & pericula, vt qui Christo & vitam seruetis ac substantiam. [Hæc quidem prudens loquitur.] Vti dixit Athanas. Non nihil tamen subridens aut subirascens: non enim delicatulæ, elumbi & enerui assentitur prudentiæ. [Nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles, &c.] Eodem sensu, vulgari scilicet ac populari, protrito & obuio. At ille non semper verus, imò vt plurimum veri æmulus: aut enim vanus aut insidiosus est. [Infirmi ideò, quia sine adulatione & cum stultitiâ, sicut videtur mundanis, prædicantes Christum iniuriis subiiciebantur. Vos autem fortes. Ideo enim fortes, ait Ambros. quia sic profitebantur Christum, ne offenderent homines, & essent securi.] Ita, Vos philosophiâ vestrâ clari ac illustres, nos non grandiloquentiâ aut subtiloquentiâ fulti, humiles ac contempti. [Hæc omnia supradicta, ait ille, quæ negare videtur, confirmat: & quæ quasi cõfirmare videtur negat. Irascentis enim verba sunt, quæ negando confitetur, & confitendo negat.] Si ad oculum seu sensum iudicetis, sit ita: si secundùm Deum, id est, si ad spiritum prouocetis; Vos pro certo stulti & ignobiles, licet gloriosi & sapientes in Christo habeamini. [Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, &c.] Verba vltima primis proxima sunt. Penuriam in alimentis patimur vestimentisque, nec iniuriis duntaxat temporum, sed & hominum obiicimur; sedibus vagando incertis, inflictis vapulando vulneribus. Vsquequo? Vsque in hanc horam. Quid ergo tanta passi, tam aduersa, & ad extremam redacti angustiam? Laboramus, operantes propriis manibus, vitam nullius opere, sed labore nostro sustentantes. Lautè viuunt alij & honorificè, dum Christum prædicantes, imò adulterantes Euangelium, cautè sibi prospiciunt: nos qui liberè ac sincerè fidem annuntiamus, qui nec lucrum æstimamus pietatem, nec Christum in flore docemus, sed in cruce, egestatem sustinemus & opprobrium.

Athanas. in Paulum.

Ambros. in Paulum.

Laboriosa, humilis, & quasi proiecta virorum Apostolicorum vita.

[Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, &c.] Parùm sit mala recipere, quantum verò bona reddere? [Quod omnium est præstantissimum, (ita Comment. Ambros.) nihil horum iniquo animo toleramus. Et vnde id liquet? Ex malis nimirum quæ nobis ab om-

Comment. Athanas.

A nibus ingeruntur; cum illa officiosâ quadam compensamus vicissitudine. Ita vt qui in nos maledicta congesserint, benedicto mox prosequamur. Et qui acrioribus nos conuitiis vrgent, blasphemia enim acerbiorem contumeliam præfert, obsecramus. Hoc est, mitioribus & lenientibus verbis illorum in nos conuitia compensamus, eoque Christiani stultitiæ arguuntur, qui pro malis bona pendunt.] Non solùm patienter omnia perferimus, sed & humiliter, quin & bona verba ac vota conuitiis addimus & opprobriis. [Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc, &c.] Nihil vilius, nihil

B abiectius. [Purgamentum enim, (vt & ille exponit) sordes dicitur quædam, quæ ex re aliquâ immundâ, & luridâ tergitur, & repurgatur. Περίψημα enim Græcè, purgamentum significat, ἀπὸ τοῦ περιψᾶν quod abstergere & purgare dici Latinè potest.] Concipe quicquid immundius, nedum inutilius, quod non solùm subtrahatur obtutibus, sed & omnium pedibus proteratur. [Non vt confundam vos, hæc scribo; sed vt filios meos charissimos moneo, &c.] Iam fortè pudet vos, ita negligi, ne dicam & reiici legitimos Christi & Euagelii ministros; dum abundant alij, qui non tam Christi causâ, quàm sui laborant. Non tamen id di-

Comment ibid.

C co, vt pudorem vobis iniiciam, sed vt vos ad fidem muniam: non tam vos suffundens quàm admonens tamquam dilectos filios. [Nam si decem millia pædagogorũ habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui, &c.] Decem millia, imò myriades. Græcè μυρίους. Sint vobis pædagogi innumeri, sed vnus est Pater, cuius amor ingenuus, vtpote natiuus, tantum mercenarios istos exsuperat, quantum artem natura, quantumque simulat astutia veritatem. [His dictis, ait Ambros. ostendit nullum posse eo affectu diligere illos, quo ipse eos diligebat. Quis enim alienos filios suis præponat in amo-

Simulata ac mercenaria pædagogorũ, nõ autẽ patrum beneuolentia.

Ambros. in Paulum.

D re? Ac per hoc monita eius, qui & pro his tanta mala passus est, non debere eos spernere.] Ego, ego vos genui, dum Christianos effeci: cæteri pædagogi sunt, qui vos in eadem Christi & Euangelii doctrinâ instituendos susceperunt; nescio, si pari fructu, sed affectu impari.

[Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi, &c.] Mementote cuius sitis filii, ne dissimiles efficiamini, ne degeneres. Quidni me imitemini, cum ego Christum imitatus sim? [Non enim tantum inter me & vos interest, quantum inter Christum & me.] Ita Chry-

Chrysost. orat. 13.

E sostomus. Ne vitia contrahatis pædagogorum, assentatorum-ve, sed patris vestri, imò Christi insistatis vestigiis. [Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, &c.] Hac de causâ, nimirum vt exemplum accipiatis, discatisque institutum vitæ meæ, destinaui & delegaui ad vos illum quem amo vt pater filium, vtpote perfectum mei imitatorem, & in propagando Euangelio, seu Christo prædicando coadiutorem fidelissimum. [Is itaque, inquit, (verba sunt Athanas.) qui est fidelis in Domino, hoc est cuius fides in his quæ Dei sunt, non huius sæculi bonis fuit

Athanas. in Paul.

perspecta, vel in vestris administrandis se fidum præstabit.] Filius ad filios transmissus, tam Christiano ministerio vtilis, quàm fidelis Christo. [Qui vos cōmonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesiâ doceo, &c.] Tria dicit tribus verbis, Primùm, nihil singulare Corinthios docuisse, sed quod vbique, quod & omnibus: doctrina.n. Christiana, Catholica est, quæ nec coarctatur regione nec tēpore variatur. Secundum, iuuenē præmisisse, sed vt monitorem potius, quàm vt doctorem. Non vobis tradet doctrinam, sed quā obliti estis, & nondum exsecuti, reducet vobis in memoriam. Tertium, vias suas non alias esse quàm ipsa Christi vestigia; eandem prædicationem, eandem & conuersationem. [Non enim vos instructurus est, inquit, (ita & ille) ne id illi ferrent molestiùs, cum nondum esset Timotheus ætate prouectior, sed commonefaciet. Vobis enim denuò recensebit, quæ iam diu tenetis. Nec noui quidpiam est allaturus. Vias autem dicit prædicationis dispensationes & regulam, consuetudines vel leges diuinas.] Quomodo ambulandum conuersandumque.

Doctrina Christiana, quæ omnibus vbique & semper.

[Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam, &c.] Hoc in pædagogos, seu magistellos, gloriosulos prædicatores, inanis professores eloquentiæ, sæcularis sapientiæ sectatores; qui cum accepissent missum Timotheum, suspicati sunt Apostolum non venturum; ideoque cum aduentum non timerent, tumidiores pro genio facti essent, & insolentiores pro fastidio. [Ostendens, ait Chrysostomus, puerilis animi esse arrogantiam. Pueri enim magistri absentiâ fiunt socordiores.] Et magistri, & alij tanquam pueri sub magistris seu pædagogis constituti. [Veniā autē citò ad vos, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem, &c.] Quantum ad me attinet, ire paratus sum, quasi iam ad iter accinctus: & erit statim ac Dominus voluerit. Cum autem venero, vt mihi iam ex voto est, agnoscam conuincamque inflatos illos vtres, seu delicatulos euangelizatores; non ex pompaticâ quâ insaniunt eloquentiâ, sed ex Christianâ quâ deficiunt modestiâ. Probabo non quid dixerint, sed quid promouerint: explorabo, non quam adhibuerint figuram, sed quam in signis edendis potentiam ostenderint. Virtutem. Græcè δύναμιν. [Quippe, ait Athanas. cum non oratione excultâ & tumidâ, sed miraculis Spiritûs sancti virtute editis prædicatum sit cœlorum imperium.] Heic virtus, heic & fructus est. [Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute, &c.] Sic promouetur regnum Dei, sic & exercetur. Quænam virtus sermonis est? Virtus Spiritûs sancti, qui signis verbum Dei instruit, dignisque moribus, seu piis operibus, Christi constabilit imperium. [Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?] Quomodo vultis vt me geram veniendo ad vos? blandientem me vultis, an corripientem? Pater ego sum: sed pater filios suos obsequentes tam dextrâ lenit, quàm virgâ ferit pertinaces. Vtram faciem ostensurus sum, seueritatis an lenitatis; vtram speciem acturus, rigoris an amoris? [Vt sicut regnum Dei, ait Ambros. non splendore verborum commendatur, sed virtute signorum: ita & hi non nudis verbis, sed virtute operum spiritualium dignos se ostenderent ab Apostolo visitari.] Optanda hæc, sed in bonum, non in malum vertenda.

Chrysost. orat. 14.

Athanas. in Paul.

Quomodo stabilitum sit Christi imperium.

Ambros. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

QVantum distant ista, in throno locari, & produci in spectaculo: tantum discordant pati penuriam, & copiam satiari. Quomodo igitur conueniunt ista aut competunt?

DISQVISITIO PRIMA.

De spectaculo.

SPectaculum se, imò & suos, id est, Apostolos, & Apostolicos viros, factos esse mundo & Angelis & hominibus, testatur Apostolus. Si Stoïcâ linguâ loqueremur, & nos testaremur, factos esse Deo in spectaculum, multo magis, & Angelis, nec malis solùm scenam parantibus, sed & bonis etiam spectantibus pugnam, & coronam monstrantibus. Sed nunc ea tantùm dicenda, quæ ad intelligentiam litteralem spectant, tum & addenda, quæ moralem expectant doctrinam. Igitur, spectaculum, Græcè in Paulo θέατρον Latinè. [Visorium.] Aliud tamen spectaculum, aliud theatrum: illud enim ludus, istud locus est. Ex Isidoro enim: [Theatrum ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens.] Idcircò & ex Cassiodoro: [Cum theatrum, quod est hemisphærium, Græcè dicatur: amphitheatrum quasi in vnum iuncta duo visoria, rectè constat esse nominatum.] Iam verò Dio Cassius de Iulio Cæsare. [Multa & varia spectacula edidit, venatorio quodam theatro, quod & amphitheatrum appellatum est, ex eo quod vndique sedilia in orbem habebat, sine scenâ.] Et Ammianus. [Alter in amphitheatrali caueâ, cum adfuturus spectaculis introiret.] Est igitur spectaculum, quod spectandum exhibebatur populo: theatrum, locus in quo exercebatur. Imò melius amphitheatum ad rem Pauli, quàm theatrum, nisi quòd ista nonnunquam confusa sunt, licet aliquo symbolo distinguēda. [Vtraque cauea est.] Vti dixit Tertullianus: quia vtrumque visorium ab interiori parte cauū. Sed cauea amphitheatralis, oualis: theatralis, semicircularis, & cum scenâ; sicut & alia sine scenâ est. Imò & in ipsis caueis, aliæ sunt caueæ; non bestiariorum iam, sed bestiarum. Apud Senecam inter instrumenta iræ, & pœnæ genera: [Lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, & bestiarum immanium caueæ.] Ita apud Liuium. [Caueæ ferreæ.] Quibus nimirum feræ aut inclusæ, aut emissæ. Quicquid sit, Hieronymus, Græcam vocem retinuit. [Theatrum facti sumus mundo, &c.] Tertullianus, licet Græcis assuetus, Latinam dictionem retinuit. [Quoniam spectaculum

Theatrum Græcis, Latinis visorium.

Dio Cass. l. 43.

Ammian. lib. 29.

Tertullian. lib. de Spectacul. cap. vlt.

Sen. lib. 3. de Ira c. 3.

Liuius l. 12.

Hieronym. in Ep. Paul.

Tertullian. c. 14. de pud.

facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus.] Vterque tamen benè, nec extrà rem Pauli. Nam, vt ille dixit apud Senecam: [Alter alteri theatrum sumus.] Id est, spectaculum. Sumus in theatro, non tanquam sedentes, sed tanquam agentes: non ad spectandum vocati, sed spectaculum destinati. Vsurpant igitur ad mentem Pauli pro re quæ spectatur, non pro loco vbi spectatur. Imò & ludum nonnunquàm & locum alternant. Sed hæc quid ad nos?

A

Quid verò nouissimos dixit Paulus Apostolos, tanquam morti destinatos, Tertullianus vertit, [Bestiarios.] Et appositè ex Græco ἐπιθανατίους. Erant & publica reorum supplicia, erant & solemnes Romanorum voluptates. Tanta immanitas dominabatur, & funesta inde quasi per ludum ac iocum bacchabatur lymphabaturque voluptas. [Bonũ est, (inquis) cum puniuntur nocentes. Quis hoc nisi nocens negabit? Et tamẽ innocẽs de supplicio alterius lætari non potest, cũ magis competat innocenti dolere, quod homo, par eius, tam nocens factus est, vt tam crudeliter impendatur. Quis autẽ mihi sponsor est, nocẽtes semper vel ad bestias, vel ad quodcumque supplicium decerni, vt non innocentiæ quoque inferatur, aut vltione iudicantis, aut infirmitate defendentis, aut instantiâ quæstionis?] Rei seu noxii, in id, vt plurimũ addicti: sed & nonnulli innocentes, imò & nobiles, seu ex animi morbo, patrimonii exitio, seu ex vitio iudicii. Locabantur ergo vel adiudicabantur, vel ad cultum, vel ad gladium: vt in ludum procederent, nuncque cum paribus, nunc cum bestiis decertarent. [Manè, ait Seneca, leonibus & vrsis homines, meridie spectatoribus suis obiiciuntur. Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in aliam detinent cædem.] Inde bestiarii, qui ad bestias depugnarent, & suo sanguine parentarent litarent-ve. [Ecce, inquit Tertullianus, in illâ religiosissimâ vrbe Æneadarum piorum est Iupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarii, inquitis. Hoc opinor, minùs quàm hominis? An hoc turpius, quod mali hominis?] Bestiarii namque vt plurimum pessimi. Seneca, inter plures inutilium rerum inuentores. [Num & Pompeium, inquit, primum in Circo elephantorum duodeuiginti pugnam edidisse, commissis more prælii noxiis hominibus, ad nullam rem bonam pertinet? Princeps ciuitatis, memorabile putauit spectaculi genus, nouo modo perdere homines.] Morte scilicet tam inhumanâ.

B

Tertullian. lib. de spec. c. 19.

C

Bestiarij vt plurimum ex reis compositi.

Sen. epist 7.

Tertullian. c. 9. Apol.

D

Seneca lib. de breuit. vitæ c. 13.

Iam verò quinam in theatro seu in spectaculo nouissimi? Ducebantur, traducebantur, nec sine specie & ordine. Apud Apuleium ille. [Dies ecce muneri destinatus aderat, & ad conseptum caueæ, prosequente populo, pompatico fauore deducor.] At ille solus. Lanistæ autem, ludorum præfecti, familiam suam non docebant tantùm, sed & ducebant, producebantque, non sine pompâ & gloriâ, vt qui insigniores illustrioresque procederent vltimi, sicque totum spectaculum non transeundo tantùm, sed & agendo, tanquam nouissimi clauderent. Iam dies aderat, ait Quintilianus, iam ad spectaculum supplicii nostri populus

E

conuenerat, iam ostentata per arenam perituorum corpora mortis suæ pompam duxerant.] Circũducebantur, introducebanturque perituri, id est, bestiarii, seu mortis supplicio destinati, gladiatores-ve, siue sontes, siue innoxii. Inde apud Iulium Firmicum. [Venatores, arenarii, parabolarii, qui sub conspectu populi, in caueis, cum feris pugnent.] Sic autem traducebantur, vt qui eminerent, essentque præcipui, nouissimi incederent. Iam ergo ad Paulum. Puto enim quod Deus nos ostendit, Græcè ἀπέδειξεν, produxit in medium, traduxit ad spectaculum. Nos quippe destinauit ad mortem, tanquam bestiarios, sed tanquam cæteris insigniores, imò miseriores, nouissimos reseruauit. Deplorat igitur sortem suam, humano iudicio, tam infœlicem quàm & probrosam, & cum aliorum magistrorum sorte ac conditione comparat. [Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.] Nam, vti dixit Ambros. [Apostoli spectaculum facti sunt, quia publicè ridebantur, positi ad iniriam & mortem quam passi sunt. Mundum autem, Angelos & homines dixit, quia & Angeli mali sunt, dicente Dauid in Psalmo 77. Vexabat illos per Angelos malos. Et homines mali & increduli, his Apostolorum iniuriæ oblectamento sunt. Mundus autem idcircò infidelitas dicitur, quia visibilia sequitur.] Quid verò extremi seu nouissimi, tanquam vilissimi, & omnium miserrimi? Gloria enim arenariæ pompæ in ignominiâ posita est: & qui insignior, ille proiectior.

Pompa periturorũ in ludis circumducta.

Ambrof in Paul.

Sed & illud addendum est myrmillonum istorum sortem non solùm indignissimam fuisse. Vnde & apud Tertullianum. [Tota gladiatorum ignominia.] Sed & miserrimam: vt quæ non solùm omnibus exponeretur aduersitatibus, sed & vix communibus fruerentur humanæ vitæ necessitatibus. Inde illi dicti Plinio, [Hordearii] Coliphiis nimirum, pane secundario, imò hordeaceo, ad formam ac disciplinam, non tam enutriti, quàm instructi. [Oportet enim, vti dixit Epictetus apud Arrianum, ad præscriptum vesci, abstinere bellariis, frigidam non bibere.] Sagina est, sed gladiatoria: omni fame peior, omni nuditate tetrior. [Nempe enim, vt loquitur Tertullianus, & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent: continentur à luxuriâ, à cibis lætioribus, à potu iucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoriâ spectant.] Audis cogi, cruciari, fatigari? Inde apud Senecam, verba de caueâ. [Occide, vre, verbera.] Pudet tædetque istis insistere diutiùs. [Malo non implere, quàm meminisse.] Iam & Paulum repetamus, sensumque retexamus integrum. [Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.] Nempe, vti dixit Ambros. [Hoc ideò personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones & pressuras vltrà cæteros passus.] Vnde & illi, quasi omnibus iniuriis expositi,

Tertul. lib. de pall cap. vlt.

Tertullian. lib ad Martyr. c. 3.

Sen. ep. 7.

Tertullian. c. 19. de spec.

Ambrof. in Paul.

omnibus opprobriis. [Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur.] Græcè κολαφιζόμεθα. Vrimur, cædimur, verberamus, semilaceri ac penè nudi, tenuissimo contenti cibo, ieiuni plurimùm & algidi, nec penuriâ tantùm laboramus, sed & ab humanâ exulamus gloriâ. [Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema.] Tanquam reiectitiæ vrbis & orbis purulentiæ. [Purgamenta non ciuitatis vestræ, (vti exponit Chrysostomus) sed totius mundi facti sumus. Peripsema, non vestrum tantùm, sed omnium.] En ergo quid Paulus de se sentiat, & quomodo se suosque cum adulterinis magistellis committat componatque. Mos enim in arenâ, paria inter se componere, tum & producere. Sed & hæc mihi nauseam prouocant, si non iuuant intelligentiam.

Quanta Apostolorum & sanctorũ pressura.

Chrysost. orat. 13.

DISQVISITIO SECVNDA.

De regno.

MIraris oppositionem, &, vt dicam ex Seneca, [præcipitem mutationem.] Quid verò amplius miraberis, an è sublimi fastigio in ferculum imponi alienum, quod non rarò; an verò è vili spectaculo in regnum euehi; nec fortuitò tamen, sed ex destinato prouehi? [Hanc episcopatui formam, ait Tertullianus, Apostoli prouidentiùs condiderunt, vt regno suo securi frui possent sub obtentu procurãdi.] Ironia est, fateor; sed quis vetat ridendo dicere verum, & seriò falsum à vero secernere? Regnum pro potentiâ ipsâ positum. [Diues aliquis, ait Seneca, regnum orbæ senectutis exercens.] Nam vti dixit Ammianus: [Credi non potest, quâ obsequiorum diuersitate colantur homines sine liberis.] Sic & Cicero in Paradox. [Hæreditatis spes, quid iniquitatis seruiendo non suscipit? Quem nutum locupletis orbi senis non obseruat?] Illi sunt, quibus seruiant multi, pauci placeant. Sed & reges olim dicebant, quos colebant, & à quibus auxilia sperabant, aut subsidia. Verùm coacta sunt, imò & ementita ista emendicantium aut adulantium obsequia; ideoque caducum illud regnum est, nec tam potestatis argumentum est, quàm infirmitatis opprobrium. Est igitur regnum senioribus quidem delatum, sed non deficientibus: potentia nimirum sacerdotibus, episcopis ac presbyteris collata, tanquam Apostolorum cohæredibus successoribusque. Sunt autem duæ regalis huiusce auctoritatis notæ, sedes pro throno, virga pro sceptro. Antiqui omnes heroes & reges, ligneo vsi solio, ex quo ius dicerent aliis, suumque exererent. Patet ex Apollonio lib. 2. Suggestum dixeris, tribunal, thronum. Cathedra est, & ipsa lignea. Virgâ etiam pro sceptro instructi. Ita de Assuero. [Extendit virgam auream, quam tenebat manu.] Honor in fastigio. [Osculata est summitatem virgæ eius.] Et apud Apostolum. [Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius.] Regis nimirum seu pro-

Sen lib. de vitâ beat. cap. 25.

Tertullian. lib. de fugâ in persec. 11. Sen. lib. de const. sap. cap 5.

Regnum pro præcipua vsurpatum potentia.

Esther cap. 5.

Heb. cap 11.

A regis. Alludit Tertullianus, cum ait. [Et virgam portauit Moyses, si placet ludere.] Regale nimirum insigne, sed non sæculare. Nam, vti dixit Apostolus: [Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei.]

Tertullian. lib. de Idolol cap. 10.

2. Corinth. cap. 10.

Iam & ad ipsum. [Sine nobis regnatis] Græcè ἐβασιλεύσατε, regnastis: regnum estis adepti, thronum conscendistis, regnare cœpistis Non insultat, sed castigat: non enim regnum demit, aut negat, sed fastum adimit & amputat. [Et vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus.] Episcopatus vnus est, vnum & regnum, sed non humanâ extructum formâ, nec mundanâ conditum suffultumque prouiden-B tiâ. [Iam saturati estis, iam diuites facti estis.] Sequitur, [Sine nobis regnatis] Non enim ita regnamus nos, nec tam alios titulis ac diuitiis, quàm frigore ac nuditate superamus. [Cum enim, (ita loquitur Chrysostomus) multâ grauitate implesset orationem, & dixisset, Sine nobis regnauistis, &, Deus nos ostendit, nouissimos tanquam morti destinatos, per ea quæ deinceps sequuntur, ostendit Quomodo morti destinatos, dicens: Nos stulti & infirmi & infames, & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colapsis cædimur, & incertis vagamur sedibus. Quæ quidem erant indicia Doctorum, & Apostolorum germanorum. Sed illi efferebantur & insolescebant propter C contraria, nempe propter sapientiam, propter gloriam, propter diuitias, propterea quòd honorabantur. Cum ergo vellet eorum fastum deprimere, & ostendere quòd propter hæc non solùm non oporteat gloriari, sed etiam pudore affici, primum quidem eos ludificatur, dicens, Sine nobis regnauistis. Nam ego quidem, inquit, dico præsens tempus non esse honoris, neque gloriæ, quibus vos fruimini, sed persecutionis & contumeliæ, quas nos patimur. Nos enim Doctores & Apostoli, tamquam morti destinati, hoc est condemnati, perpetuò degimus in ignominijs, & periculis, & fame, & contumelia affecti tanquam stulti, & perse-cutionem ferentes, & longè grauissima patien-D tes. Porrò hæc dicebat, vt ex ijs ipsos quoque faceret intelligerẽ, quòd quæ sunt Apostolorum deberent æmulari, pericula, probra & contumelias, non honores & glorias: non enim illa, sed hæc postulat prædicatio.]

Chrysost. orat. 13.

Apostoli nõ diuitiis sed meritis præcipui.

Hoc igitur regnum est, quod regnum Dei & Christi: quod in hoc quidem mundo est, sed non est de hoc mundo; quia diuinum est, non humanum: nec satellitio constat, sed ministerio: nec enim stat in sermone, sed in virtute. Regnum est Euangelicum, Christi scilicet prædicatio, annuntiatio Euangelij. Idcirco solium episcopis non minus datum quàm Apo-E stolis, vt ex cathedrâ annunciarent fidem, prædicarent veritatem. [Institutio hæc à senioribus nostris cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apostolorum Petrus, episcopatus cathedram suscepisse referatur.] Ita apud Augustinum. Nec obstat Paulus quin alij sedeant doceantque ex cathedrâ, imò & optat, dummodo vnum constituant regnum, vnum & idem edicant. [Iam satiati estis, iam diuites facti estis Hoc est, (vti exponit Chrysostomus) de cætero nullâ re indigetis: perfecti euasistis; ipsum

In Append. Aug serm. 74.

Chrysost. orat. 12.

teneris fastigium: vos nullius rei egestate laborare existimatis: neque Apostolorum, neque Doctorum. Et cum id dixisset, subiunxit, Sine nobis regnauistis. Sed eos irridens, dicebat, Tam citò ad finem peruenistis? Paucis enim saturari, est animi imbecilli: paucis existimare se ditari, est nauseantis & miseri. Insatiabilis enim res est pietas: & mentis est puerilis arbitrari se totum accepisse.] Non ergo tam succenset Apostolus, quam adauget; & thronum concedit, sed augustum esse cupit, non angustum. En igitur cathedra: vbi tandem est virga? [Quid vultis, in virgâ veniam ad vos? Et multũ terroris, ait ille, & multũ lenitatis habet hæc oratio. Dicere enim, Cognoscam, erat eius qui est paulo contractior & lenior. Dicere autem, Quid vultis, In virgâ veniam ad vos, est eius qui sedem ascendit doctoris, & inde cum eis differit, & omnem accepit potestatem Quid est, In virgâ? In castigatione & supplicio.] In vno vis docendi est, in altero comprimendi: illic vis dirigendi est, istic & cogendi. In his duobus sita est tota regendi agendique potentia. Reges enim, vt & legum tutores, non aliter quàm leges iubent; dum dirigunt, & cogunt, repriminuntque. Est ergo sacerdotium; sed regale: seu regnum, sed sacerdotale: id est, non humano fastu, sed diuino suffultum spiritu.

Chrysost. orat. 14. | Regnum sacerdotale non humano fastu, sed diuino suffultum spiritu.

TROPOLOGIA.

Spectaculum facti sumus.

SI suos spectat Apostolus, certè & nos notat. [Proinde vos, ait Tertullianus, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus viuus est: Xystarches, Spiritus sanctus.] Tria dicit. Primum de agone: secundum de agonothete: tertium de Xystarche.

Tertullian. lib ad martyr. cap. 3.

Quoad. 1. Quod certamen Latinis, hoc ἀγὼν Græcis: isti enim certamina & ludos ἀγῶνας appellant: imò nescio quo gustu Latini, nec exteri duntaxat, sed & nostri, pro certamine passim agonem frequentant. Patet ex Tertulliano, Cypriano, Augustino: qui & rem de nomine proposuit, librumque de agone Christiano integrum composuit. Agon Christianorum, obseruantia fidei est, animi verè religiosa constantia. Non enim sat est Christiano iis adhærere quæ sunt fidei, sed oportet & fideliter constanterque, si non profiteri, saltem confiteri. [Apprehensus enim & traditus loqui debet, ait Cyprianus, siquidem in nobis Dominus positis in illâ horâ loquatur; qui nos confiteri magis voluit quàm profiteri.] Inde & ille: [Armemur, inquit, fratres dilectissimi, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorrupta, fide integrâ, virtute deuotâ. Ad aciem quæ nobis indicitur, Dei castra procedant. Armat enim & præparat nos beatus Apostolus, dicens: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs potestates & principes huius mundi harum tenebrarum, aduersùs spiritus nequitiæ

Cyprian. epist. vit. | Cyprian. l. 4. epist 6.

A in cœlestibus. Propter quod induite tota arma Dei, vt possitis resistere in die nequissimo: vt cum omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate.] Quid non dicant nostri, cum & exteri nonnihil persentiant? [Inter bonos viros, ac Deum, ait Seneca, amicitia est, conciliante virtute. Amicitia dico; imò etiam necessitudo & similitudo: quandoquidem bonus ipse tempore tantùm à Deo differt, discipulus eius, æmulatorque, & vera progenies: quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, duriùs educat. Itaque cum videris bonos viros acceptosque Deo, laborare, sudare, per arduum

Sen lib. de prouid. c. 1.

B ascendere; malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestiâ delectari, vernularum licentiâ: illos disciplinâ tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in delicijs non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat.] Multa heic probanda, nonnulla non improbanda tantùm, sed & damnanda. Itane à Deo tempore tantùm differimus, credimusque hominem Deum esse mortalem, Deum verò hominem immortalem. Sic se habet Stoïca procacia, quæ in Deum assurgit, dum subrigit animum. Meliùs nostri, vt & religio-

Homo charus Deo, sed non proximus.

C siùs. [Deus, inquit Minutius in Octauio, in aduersis vnumquemque explorat, & examinat; ingenium singulorum periculis pensitat. Itaque, vt aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.] Quin & Seneca ipse, dum non altum sapit, deponitque supercilium. [Vt quidam, inquit, sole, & exercitatione, diem ducunt; athletisque vtilissimum est, lacertos suos, roburque, cui se vni dicauerunt, maiore temporis parte nutrire: ita nobis animum ad rerum ciuilium certamen parantibus, in opere esse non longè pulcherrimum est.] Sed illis propositum ciues se orbi si non vrbi vtiles efficere, nobis cælestem & orbem & vrbem in-

Minut. in Octau. | Seneca l. de tranquill. an cap. 3.

D quirere: illic plus futurum est semper quod obstet, quàm quod succedat; heic plus quod succedat, quàm quod obstet: & dum in priuato publicum agitur negotium, assiduo proficitur exercitio.

Quoad. 2. Agon quidem cœlestis est, quia de cœlo venit, nonnulla tamen similitudo sæcularis interuenit. [Ad agonem sæcularem, ait Cyprianus, & exercentur homines & parantur, & magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo, & imperatore præsente contigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & coronæ cœlestis præmio gloriosus, vt spectet nos certantes Deus, & super

Cyprian. l. 4. epist. 6.

E eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens certaminis nostri spectaculo perfruatur, præliantes nos & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant angeli eius, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta fœlicitas præside Deo congredi, & Christo iudice coronari.] Iam ergo sine scrupulo vllo dici potest, nos, seu viros bonos, spectaculum esse factos angelis, non malis tantùm, sed & bonis, verùm tentantibus illis, istis iuuantibus. Quid enim si Deus ipse agonem exhibet, nec liberalitatem duntaxat præbet suam, sed & regiam maiestatem? Peruidit

Seneca l. de prouid c. 2.

& Seneca, aitque. [Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos atque excellentissimos esse vult, fortunam illi quâ exerceantur assignat? Ego verò non miror, si quando impetum capit spectandi magnos viros, colluctantes cum aliquâ calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. Non sunt ista, quæ possunt Dei in se vultum conuertere, sed puerilia, & humanæ oblectamenta leuitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum malâ fortunâ compositus.] Verbum & hoc arenæ. Ita apud Plinium lib. 8. cap. 12. [Naturæ spectaculum, sibi paria componentis.] Naturam iste dixit, quod alter Deum, sed vterque in spectaculum. Meliùs nostri, & meliora; vtpote de nostris, id est, & veris virtutibus, & sanctis agonibus [Quàm pulcrum spectaculum Deo: cum Christianus cum dolore congreditur? cum aduersùs minas, & supplicia, & tormenta componitur!] Sed omnium eloquentissimè Cyprianus & neruosissimè: quod enim prædicauit sermone, hoc & opere consummauit. [O quale illud fuit spectaculum Deo, quàm sublime, quam magnum, quàm Dei oculis sacramento ac deuotione militis eius acceptum, sicut scriptum est in psalmis, spiritu loquente ad nos. Pretiosa in conspectu Domini mors iustorum eius. Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quàm lætus in illis Christus fuit, quàm libens in talibus seruis suis & pugnauit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit. Certamini suo affuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit.] Tanta Deus edit munera, tanta proponit spectacula.

Quodnam spectaculum Deo sit dignum.

Minut. in Octauio.

Cyprian. l. 2. epist. 6.

Quoad. 3. Dura sunt ista certamina, nec in lapidem incurrunt, sed in hominem: si tamen dura sunt & necessaria. [Marcet enim sine aduersario virtus, ait Seneca, tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit. Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, vt totis contra ipsos viribus vtantur: cædi se vexarique patiuntur: & si non inueniunt singulos pares, pluribus simul obiiciuntur. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, vt dura ac difficilia non reformident: & quicquid accidit, boni consulant, & in bonum vertant. Est enim vir bonus omnibus externis potentior: nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit.] Quanta passi sunt martyres nostri? & si passi sunt, certè non fuerunt insensibiles. Non dico igitur, non senserunt ista, sed vicerunt. [Itaque, ait Tertullianus, epistates vester Christus Iesus, qui vos Spiritu vnxit; & ad hoc scamma produxit.] Aspirat ad morem veterem, qui in ceromabe & aphe. [Æquè luctatores, ait Seneca, & totam oleo ac luto constantem scientiam expello

Sen. c. 2. de prouid.

Tertullian. l. ad Marty. cap. 3.

Sen. ep 88.

A ex studiis liberalibus: aut & vnguentarios recipiam, & cocos, & cæteros voluptatibus nostris ingenia accommodantes sua.] Iure expellit & extrudit, non solùm vt molles eneruesque. [Quia, vti dixit Tertullianus, virtus duritiâ exstruitur, mollitiâ verò destruitur.] Alia est vnctio, non quæ sordidat, sed emaculat: non quæ arte constat, sed virtute: non quæ luctam instruat, sed quæ promittat victoriam. [Creuit pugna, ait Cyprianus ad martyres, creuit & pugnantium gloria. Nec retardati estis ab acie tormentorum metu, sed ipsis tormentis magis estis ad aciem prouocati, fortes & stabiles ad maximi certaminis pretium B promptâ deuotione prodiistis. Tales oportet esse in diuinis castris milites Christi, vt incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deuincant; quia maior est qui præest in nobis, quàm qui in hoc mundo est. Nec plus ad deiiciendum potest terrena potentia, quàm ad erigendum tutela diuina.] Breuis, & expedita Christiani definitio est. Christianus enim, iuxta Tertullianum: [Expeditum morti genus.] Citò dicitur, non citò finitur. [Non enim vnius vrbis, (vt & ille loquitur) sed vniuersi orbis iniquam sententiam sustinens pro nomine veritatis; tanto scilicet perosioris quanto plenioris, vt & mortem non de poculo per habitum iocunditatis absorbeat; sed C de patibulo & comburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat.] Quis ad hæc idoneus, nisi Spiritus sanctus oleo lætitiæ certantes inungeret, & doloris sensum per spiritum amoris leniret si non extingueret? Quis ad hæc validus, nisi Christus fideles suâ præmuniret gratiâ, & qui mortem in se vicit, etiam in nobis vinceret? Itaque in isto agone, agonothetes Deus viuus est, qui certamen instituit: Xystarches, Spiritus sanctus, qui mentem erigit: epistates Christus Iesus, qui suos vngit, & in aduersarios producit, nec homines duntaxat, D sed & dæmones. Quale illud spectaculum, in quo tres indiuiduæ Trinitatis personæ non assident tantùm, sed & præsident. Qualis pugna, lucta ista quam insignis, quæ diuinis illustrata est oculis, quæ tantis ac talibus arbitris consignata.

Tertull. ad mart.

Cyprian. l. 2. epist. 6.

Tertullian. l. de Spect. cap. 1.

Tertul. de An. c. 1.

Christianorum lucta, diuino suffulta auxilio.

ANAGOGIA.

Mundo, & Angelis, & hominibus.

HActenus de spectaculo. Quid porrò de brauio seu præmio? Non omisit Tertul- D lianus: scit enim conatum in prælio esse, in præmio solatium. Quid ergo? [Corona, inquit, æternitas: brabium, angelicæ substantiæ politia in cœlis: gloria in sæcula sæculorum.] Tria hæc liberaliter promittuntur, redduntur fideliter.

Tertullian. l. ad Marty. c 3.

Quoad. 1. Inde Marcion captauit verbum Apostoli, quasi Deum mundi nominauerit, cum mundum nominauit. [Certè, inquit, vel hîc mundum Deum mundi interpretatur, dicendo, spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Quia si mundum homines

mines mundi significasset, non etiam homines postmodum nominasset.] Ridet coactam interpretationem Tertullianus, sic tamen ridet, vt diuinam probationem examinationem-ve à Christianis non eliminet spectaculis. [Immò ne ita argumētareris, prouidēria Spiritûs sancti demonstrauit quidnam dixisset, Spectaculum facti sumus mundo; dum angelis qui mundum ministrant, & hominibus quibus ministrant. Verebatur nimirum tantæ constantiæ vir, ne dicam Spiritus sanctus, præsertim ad filios scribens, quos in euangelio generauerat; liberè Deum mundi nominare, aduersùs quem, nisi exertè, non posset videri prædicare.] Stoïcizat hæreticus ille, Deumque & mundum simul in vnum aggerat. Deus ipse mundum spectat, quem gubernat: vnde & accepta Christianis minùs cautis spectandi licentia. [Nouam, ait ille, defensionem suauiludij cuiusdam audiui. Sol, (inquit) immo etiam ipse Deus de cœlo spectat, nec contaminatur. Sanè sol & in cloacam radios suos defert, nec inquinatur. Vtinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, vti omnes iudicia euaderemus. Sed spectat & latrocinia, spectat & falsa, & adulteria, & fraudes, & idololatrias, & spectacula ipsa.] Rursum suauiludius. [Et idcircò ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo qui omnia spectat?] Tandemque Tertullianus. [Comparas homo reum & iudicem: reum, qui quia videtur, reus est: iudicem, qui quia videt, iudex est.] Adstat ergo Deus, spectatque; non solùm editoris nomine, sed & specie iudicis: non solùm pro oblectamento, sed & pro officio. [Ita enim ab æuo, (vt & ille dixit) dignissimum creditum est studiorum experimentum, committere artes, corporum & vocum præstantiam exprimere præmio indice, spectaculo iudice, sententiâ voluptate: quâ nulla sunt prælia, non nulla vulnera. Pugni quassant, calces arietant; cestus dilaniant, flagella dilacerant: nemo tamen agonis præsidem sugillauerit, quòd homines violentiæ objectat. Corona enim premit vulnera, palma sanguinem obscurat; plus victoriâ tumet, quàm iniuriâ. Deum dedecebit artes & disciplinas suas educere in medium, in hoc sæculi spatium, in spectaculum hominibus, angelis & vniuersis potestatibus? carnem atque animam probare de constantiâ atque tolerantiâ dare huic palmam, huic honorem, illi ciuitatem, illi stipendia? etiam quosdam reprobare, & castigatos cum ignominiâ submouere? Nimirum præscribes Deo, quibus temporibus, aut modis, aut locis de familiâ suâ iudicet: quasi non & præiudicare iudici congruat.] Omnes igitur spectat, omnes probat, sed reprobat infideles, fideles coronat [Certantem inspectat, ait Augustinus, deficientem subleuat, vincentem coronat.] Primum hoc igitur præmium omnibus propositum, sed redditum vincentibus: corona. Quæ illa? [Æternitas.] Qui vicerit, non læditur à morte secundâ; qui non euaserit solùm, sed & hostem subegerit, salutem consequetur, libertatemque. [Vt gaudeamus liberati, exultemus etiam coronati.] Ita Tertullianus. Tunc enim coronam assecuti, cum vitam æternam, cum salutē per virtutē adepti.

Tertull. lib. 5. aduers. Mar. c. 7.

Tertullian. l. de spect. c. 20.

Tertullian. l. de Scorp. c. 6.

Deus spectat more iudicis, nedum editoris nomine.

Augustin. in Psal. 32.

Tertullian. cap. 6. de Scorp.

Quoad.2. Omnes decertarunt & singuli antequam coronarentur, nec homines duntaxat, sed & angeli: sed soli coronati, qui legitimè certarunt. Quia verò idem bellum quod apud cœlites exhaustum erat, apud homines instauratum est, idem etiam brabium athletis propositum. Iam Angelorum candidati sumus, ipsorum etiam erimus socij. [Si enim, vti dixit Hieronymus, adhuc in carne positi & renati in Christo, non sumus Græcus & Barbarus, seruus & liber, masculus & fœmina, sed omnes in eo vnum sumus: quanto magis, cum corruptiuum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlis? Quando autem dicit Christus; Non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlis; non natura & substantia corporum tollitur, sed magnitudo gloriæ monstratur. Neque enim scriptum est, Erunt angeli; sed, sicut angeli: vbi similitudo promittitur, veritas denegatur. Erunt, inquit, sicut angeli, id est similes angelorum: ergo homines esse non desinent. Inclyti quidem, & angelico splendore decorati, sed tamen homines.] Cum igitur dico, idem prælium, & idem præmium: id est, prælium, sed, hominum aduersùs malos angelos decertantium: idem & præmium, sed & hominum, eadem sublimitate, & in eadem ciuitate, cum angelis bonis lætantium. [Si enim certaminis nomine, (ita loquitur Tertullianus) Deus nobis martyria proposuisset, per quæ cum aduersario experiremur, vt à quo libenter homo elisus est, eum iam constanter elidat, hîc quoque liberalitas magis quàm acerbitas Dei præest. Euulsum enim hominem de diaboli gula per fidem iam & inculcatorem eius voluit efficere per virtutem: ne solummodo euasisset, verumetiam euicisset inimicum.] Iustum est nimirum, vt sicut angelus malus victum hominem in seruitutem redegerat; ita homo victor angeli, inuaderet victi dignitatem. Hoc brauium nobis præstitutum. Angelicæ substantiæ politia in cœlis. Sicut enim virorum ac mulierum vna sublimitas erit, ita angelorum hominum vna societas. [Illuc habeo deuertere, ait ille, vbi post excessum omninò non obnubitur: vbi superindui potius quam despoliari: vbi etsi despolior sexu meo, deputor angelis; non angelus, non angelo.] Parùm fit non mori: quid verò in angelicam qualitatem, & in tantam transferri sanctitatem? [Angelorum nobis similitudo promittitur, ait Hieronymus, id est, beatitudo illa, in quâ sine carne & sexu sunt angeli, nobis in carne & sexu nostro donabitur. Mea rusticitas sic credit, & sic intelligit sexum confiteri sine sexuum operibus, homines resurgere, & sic eos angelis adæquari. Noli timere eorum nuptias, qui etiam ante mortem in sexu suo sine sexûs opere vixerunt. Quando dicitur: illâ die neque nubent, neque nubentur: de iis dicitur, qui possunt nubere, & tamen non nubent, neque nubentur. Nemo dicit de angelis, non nubent, neque nubentur. Similitudo igitur ad angelos, non hominum ad angelos demutatio, sed profectus immortalitatis & gloriæ est.]

Hieronym. epist. 19.

Idem iustis & angelis prælium est, idem & præmium.

Tertul. lib. de Scorp. c. 6.

Tertullian. lib. aduers. Valent cap. 32.

Hieronym. epist. 61 vlt. med.

Quoad. 3. Id præcipuum, id & maximum, A sine fine vltimum, sine minutione perfectum completumque. [Gloria in sæcula sæculorũ.] Quid enim prodest non mori, quid & angelis ipsis sociari, si gloria denegetur diuina, si vita licet æterna, licet & angelica, splendore non illustretur, nec honoré coronetur? Verùm, vti notauit Tertullianus: [Amauit, qui vocauerat ad salutem, imitare & ad gloriam.] Quidni? nam apud contentiosa solemnia, & superstitiosa Græcarum & religionum & voluptatum certamina: [Quantum liuores illi & cruores & vibices negotiantur? coronas scilicet & gloriam, & dotem, priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare sæculum de famâ æternitatem, de memoriâ resurrectionem.] Quid igitur ille qui non solùm pellexit ad præmium, sed & addidit animum; qui non solùm obtulit gloriam, sed & vincendi ac consequendi gratiam præstitit? [Fidelium suorum, ait Augustinus, visitauit animum, & excitauit affectum, surrogauit auxilium: inspirauit necdum volentibus vt vellent, adiuuit bonæ voluntatis conatum vt facerent; ac per hoc Deus qui operatur in suis & velle & perficere pro bonâ voluntate, omnia ipse cœpit, ipse perfecit. Et quia opera bona in cõspectu suo nunquam esse permittit inania fidelibus suis quibus, operantibus præbuit virtutis suæ fauorem, tribuet condignam pro tantâ operatione mercedem.] Quantum illud prælium, spectaculum quantum istud est? [Quid est enim, ait Chrysostomus, Spectaculum facti sumus mundo? Non in vno angulo, neque in paruâ parte orbis habitabilis ista patimur: sed vbique, & apud omnes. Quid est autem, Et angelis? Licet hominibus quidem esse spectaculum, nequaquam autem angelis, quando vilia & abiecta sunt quæ fiunt. Nostræ autem luctæ & certamina sunt eiusmodi, vt digna sint quæ spectentur ab angelis.] Cur enim aperti sunt cœli certante Stephano, nisi quia patuit angelis spectantibus? Cur Iobo luctante, collecti sunt filij Dei, nisi quia Deus ipsum, velut constantissimum pyctēn, pugilem-ue fortissimum ipsis exhibuit non spectantibus tantùm, sed & B minantibus? Quidni? Cum & Deus ipse non spectaret solùm, sed & spectandum malis etiam angelis, percitis quidem liuore, sed virtute attonitis proponeret? [Quale, ait Tertullianus, in illo viro feretrum Deus de diabolo exstruxit. Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit.] Quantus ille diuinæ operarius victoriæ? Sed quantâ etiam gloriâ, quantâ sublimandus præstantia? [Sic Iob examinatus est, ait Cyprianus, sic probatus est, & ad summum fastigium patientiæ laudis virtute prouectus.] Sic & alij, qui similem inierunt pugnam, similem receperunt gloriã. [Hic est enim agon C fidei nostræ, ait ille, quâ congredimur, quâ vincimus, quâ coronamur. Hic est Agon quem nobis ostendit beatus Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad coronam gloriæ peruenire. Militate fortiter, dimicate constanter: scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare. Qui non sic est, vt seruos suos tantùm spectet; sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur.] Eadem nimirum gloria est, quæ à Deo erit, & ad Deum redit.

Tertullian. l. de Scorp. cap. 6.

Augustin. serm. 156. de temp. in fine.


Chrysost. orat. 11.

Iob non tantùm spectaculo, sed & miraculo.

Tertullian. l. de patien. c. 14.

Cyprian. de patient.

Cyprian. l. 2. epist. 6.



CAPVT QVINTVM.

Epigraphe.


DAmnato incestuoso, ad alios transit facinorosos, quos, si fratres sint, id est fideles, vitari etiam ac separari præcipit. Sit igitur

---

PARS PRIMA.

De incestuoso damnato.

TEXTVS.



OMninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute

Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

EXEGESIS LITTERALIS.

CAput inchoant nonnulli ab his verbis: [Quid vultis? in virga veniam ad vos?] Quod enim minatur, statim exequitur. Alij disparant. Sed nihil diuisio capitum obstat, vbi rerum constat subnexio.

[Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat, &c.] Facinus tam singulare quàm & enorme, commune tamen ac publicum, vt ab omnibus etiam innocentibus toleratum. Fama est nec vulgaris, imò intolerabilis infamia, talem apud vos vagari fornicationem, qualis nec in ethnicis audiatur reperiatur-ve, licet à verâ Dei alienis notitiâ. Quid enim, nouercâ suâ vti; & viuente adhuc patre, vxori eius commisceri? [Omnibus hoc, ait Athanas. etsi vnius sit, imputat scelus, ne illud negligant, perinde ac si ab eo flagitio alieni, & minùs participes: sed omni studio corrigere adnitantur, quod in communem ignominiam credat & dedecus. Nec nouercam expressit, sed patris dixit vxorem, vt acriùs illos ad repetendam genitoris memoriam vrgeat. Honestiùs insuper & habeat intulit, cum eum fornicationis huiusce, vel nominis magis puderet.] Si nec id audiri potest, quomodo potest geri? [Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit, &c.] Inflati erant & magistri & nonnulli discipuli. De illis iam dictum. [Cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem:] Quid nimirum promouerint, quidue effecerint, dicendo potius quàm docendo. De istis: [Ne vnus aduersùs alterum infletur pro alio:] Magistro scilicet tanquam præcipuo. Itane vos inflati estis, fœtente fœdati libidine: & non potius casum indoluistis, animumque addixistis, vt incestuosus ille extruderetur, & de vestro expelleretur commercio. [Superbiam illorum in tantum humiliat, ait Ambros. vt non querulos iam, sed magis supplices faciat. Erant enim & ipsi participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorreptum conuenire. Cognito quippe opere isto, pellendus ille fuit de cœtu fraternitatis: omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant.] Nouerant illum carnalem habuisse, & adhuc habere consuetudinem.

Athanas. in Paulum.

Consentientes aut ferentes, sunt alieni sceleris participes.

Ambros. in Paulum.

[Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, &c.] Absum quidem quoad præsentiam corporalem, adsum tamen quoad paternam sollicitudinem. Idcircò quasi de facto præsens essem, nedum ani-

A mo, iam, inquam, præsens auctoritate, licet absens facie, iudicaui: [Eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, &c.] Remedium adhibet mali, modumque docet procedendi. Hoc ergo iam iudicaui, & apud me ordinaui, eum qui tam nefario se obstrinxerat facinore, & in eo impunitè permanserat: vobis in vnum congregatis, meque consilio ac decreto præsente, imo vnà cum Domini nostri Iesu potestate: vice & auctoritate eiusdem Domini nostri Iesu Christi, tradendum permittendum-ve dæmonis potestati, ad carnalis libidinis exitium.

Paulus absens facie, præsens auctoritate.

B [Vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi, &c.] Vt destructâ carne, seu purgatâ labe carnalis cupiditatis: quod in ipso spiritale succreuerit, aut si quid cœlestè permanserit, saluetur in die iudicij, nec ad æternum adiudicetur supplicium. Ita Græci. [Spiritum, (vti loquitur Chrysostomus) dicunt esse charisma seu donum gratuitum, quod extinguitur nobis peccantibus. Ne hoc ergo fiat, inquit, puniatur, vt eà ratione melior effectus attrahat gratiam: & inueniatur illam saluam exhibens in illo die. Rectè enim & opportunè eos illius diei admonet, vt ipsi promptiori & alacriori animo veniant ad medicinam: & ille melius suscipiat non tanquam verba iræ, sed tanquam Patris curam gerentis prouidentiam.]

Chrysost. orat. 15.

C [Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? &c.] Dixerat, Et vos inflati estis. Quod quidem legi potest cum erotemate, sed non est necesse. Suffundit enim dum deprimit. Turpis illa inflatio, infamis gloriatio. Pudeat potius pigeatque: Si enim modicum fermentum totã farinæ massam conspersione acore suo imbuit, quomodo tantũ ac tã graue scelus non totam Ecclesiæ corrumpit societatem? [Non est bona: hoc est, (ita exponit Comment. Ambros.) mala est gloriatio vestra. Læti enim erant, cum magis contristari debuerint in fratre tam acerbè peccante. Peccatum quippe vnius quod cognitum non arguitur, multos contaminat; immò omnes qui norunt, & non deuitant; aut cum possint arguere, dissimulant.] Non ex prudentiâ, sed ex conniuentiâ.

Comment. Ambros.

D [Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, &c.] Itaque purgando eliminate, & eliminando purgate. Proiicite & remouete à vobis infamem illam veteris hominis turpitudinem, vt sitis populus Dei sanctus, &, ablato contagio, impollutus. Sic enim oportet, ita decet Christianos, innouatos baptismo: labe ac corruptione expurgatos.

Christianũ fermento seu contagio expurgandi.

[Nec purgate, dixit, sed expurgate, vt sitis noua conspersio, nullâ improbitate admixtâ. Et sicut estis, hoc est, quemadmodum vos esse decet sine fermento: & azymi, hoc est, absque vetustâ iniquitate âcidâ illâ & mordenti ob pœnitentiam.] Ita Comment. Athanas. [Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis, & veritatis.] Alludit ad Agnum paschalem, & inde Iudæum spiritualem instruit. Sicut enim Iudæus fermento abstinebat, quamdiu celebrabat: ita Christianus, immolato Christo, continere debet à peccato, studioque pietatis & sanctitatis incumbere, [Hoc est, ait Ambros. vt sinceritas mundam vitam faciat, veritas autem omnem fraudem excludat.]

Comment. Athanas.

Ambros. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

CVm aliquantum confusa, vel plurimum connexa fuerint hæc capita; non mirum etiam si nonnulla hinc inde intexuntur, resumunturque. Sit ergo

---

DISQVISITIO PRIMA.

De virgâ.

INde caput instruit Augustinus, totumque epistolæ Apostolicæ locum latiùs percurrit, & exponit diligentiùs. [Quid vultis? In virgâ veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Iam hîc, inquit, apparet Apostolum loqui de vindictâ, ad cuius significationem virgam nominauit.] Virga est, vindicta est. Sed quænam virga, quænam & vindicta? Non enim omnis plaga lethalis est. Tamen & virgam ferream, & vindictam extremam, & plagam lethiferam indicat Apostolus, dum ad luctum, nedum ad fletum prouocat. Luctus enim de mortuis? cum sit mœror dolor-ve ex alicuius interitu perceptus. Ita concepit Tertullianus, expressitque. [Illic, inquit, magis stabo, vbi Apostolus magis feruet, vbi ipse fornicator aliis quoque negotium fecit. Quid vultis veniam ad vos, in virgâ, an in spiritu lenitatis? Quid enim suberat? Auditur in vobis in totum fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec in gentibus, vt vxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis, & non luxistis potius, vt auferatur de medio vestrûm, qui tale facinus admisit? Pro quo lugerent? vtique pro mortuo. Ad quem lugerent? vtique ad Dominum. Quomodo vt auferatur de medio illorum? non vtique vt extra Ecclesiam detur: hoc enim non à Deo postularetur quod erat in præsidentis officio, sed vt per mortem hanc quoque communem & propriam carnis ipsius, quæ iam cadauer, quæ capulum esset immunditiâ irrecuperabili tabidosum, pleniùs de Ecclesiâ deberet auferri. Et ideò, quomodo interim potuit auferri, iu-

Augustin. lib. 3. cont. ep. Parm. c. 1.

Tertullian lib. de pudicit. cap. 14.

Luctus propriè qui de morte perceptus.

A dicauit dedendum huiusmodi Satanæ in interitum carnis. Maledici enim eam sequebatur, quæ diabolo projiciebatur, vt Sacramento benedictionis exauctoraretur, nunquam in castra Ecclesiæ reuersura.]

Sed ne queraris te austero ac duro premi Tertulliani ingenio, alios audiamus mitiores, nec tamen in Corinthio castigando clementiores. [Quid est, In virgâ? ait Chrysostomus, in castigatione & supplicio. Hoc est, de medio tollam & execem. Quod quidem Petrus fecit in Sapphira: quod ipse in Elyma Mago. Non enim iam hoc dicit, tanquam se ipsum cum illis conferens, sed cum auctori-
B tate.] Duriùs nimirum agendi, & virgâ oris sui percutiendi impium incestuosum-ve. [De tam immani facto videamus, inquit Augustinus, quemadmodum sæuire præceperit. Et vos, inquit, inflati estis, & non potius luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit. Quare luctum potius & non iram, nisi quia si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; & non luctum, quia tollebatur; sed, luctum, inquit, vt tolleretur: id est, vt lugentium dolor ad Deum ascenderet, & ipse tolleret hoc opus de medio illorum, sicut ipse sciret; ne
C fortè illi per humanam imperitiam eradicarent simul & triticum?] Tum & exemplum Ananiæ producit & vxoris eius, id est, in mortem concludit corporalem. Redeo igitur ad Tertullianum, & Apostolicum sensum verbis eius compleo. [Videmus itaque in hoc loco diuisam Apostoli seueritatem in quendam inflatum & in quendam incestum: in alterum virgâ, in alterum sententiâ armatum. Virgâ, quam minabatur, sententiâ quam exequebatur. Illam adhuc coruscantem, hanc statim fulminantem, quâ increpabat, quaque damnabat. Certumque est exinde increpitum quidem sub intentatione virgæ tremuisse, dam-
D natum verò sub repræsentatione periisse. Stetit ille timens plagam, abiit ille luens pœnam.] Ita non durè per Tertullianum explanatur Apostolus, ita & per alium contextum Tertullianus non malè reparatur. Maximè si aliud videatur esse, excommunicari, & aliud tradi Satanæ.

Sed vbi charitas Christiana, si tanta seueritas; imbonitas omnis, omnis insuauitas? [Quid verò? (verba sunt Chrysostomi) in virgâ venire, non erat charitatis? Erat quidem charitatis. Sed quoniam is qui valdè diligit, respuit pœnas sumere, propterea sic dicit. Æquè
E quando dicebat quidem de supplicio, non dixi, Spiritu mansuetudinis, sed virgâ, quamuis illud quoque spiritu fieret: est enim spiritus mansuetudinis, & est spiritus austeritatis & seueritatis. Sed non vult ipsum sic appellare, sed ab ijs quæ sunt benigniora. Propterea Deus quoque etsi puniat, qui sit quidem misericors, lenis & clemens, & diues in misericordiâ & miserationibus, multis in locis dicitur. Quod autem sit puniens & castigans, semel, & bis, & raro, idque causâ vrgente.] Itaque vnus & idem semper spiritus pietatis, idem & charitatis spiritus in Apostolo Paulo: sed nec ijsdem conceptus verbis, nec signis ijsdem expressus. Nam nec pater non amat

Chrysost. orat. 14.

Aug. lib. 3. co t. Parm cap. 1.

Multi Apostolica virgâ de vita sublati.

Tertullian. lib. de pudicit c. 14.

Chrysost. orat. 14.

Vnius spiritus charitatis, sed non vno expressus modo.

filium am castigat, sed castigando pulsandoque iratum non beneuolum demonstrat animum. [Nunquid, ait Augustinus, & virga sine charitate est, quia ita contexuit, In virgâ veniam ad vos, an in charitate? Sed quod sequitur, Spiritu mansuetudinis: admonet intelligi, quia & virga charitatem habet. Sed aliud est charitas seueritatis, aliud charitas mansuetudinis. Vna quidem charitas est, sed diuersa in diuersis operatur.] Nonne Deus quos amat, castigat? quidni idem & Apostolus? [Non defendo, inquit Tertullianus, secundùm legem creatoris displicuisse illum, qui mulierem patris sui habuit. Communis & publicæ religionis secutus sit disciplinam. Sed cum eum damnat dedendum Satanæ, damnatoris Dei præco est. Viderit & quomodo dixerit in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini, dum & de carnis interitu, & de salute spiritûs iudicarit: & auferri iubens malum de medio, creatoris frequentissimam sententiam commemorauerit.] Vnus ergo charitatis ac bonitatis spiritus. Sed non vero expressus modo.

Augustin. lib. 3. cont. Parm. c. 1.

Tertullian. lib. 5. aduers. Mar. cap 7.

DISQVISITIO SECVNDA.

De censurâ.

ALia pœna est, non tam exitialis, quam medicinalis; non quæ vitam abscindit, sed quæ constituit disciplinam: censura scilicet ecclesiastica: imò & diuina. [Ibidem, ait Tertullianus.] Id est, in cœtu nostro seu conuentu Christiano. [Exhortationes, castigationes, & censura diuina.] Primum scilicet bonis, secundum mediocriter malis, tertium facinorosis, seu insigniter malis. Illis nimirum exhortatio, vt de virtute irent in virtutem; istis castigatio, vt redirent ad sanctitatem: his demum damnatio, vt abirent, carne nimirum tabescente, in perditionem. [Nec putent sibi, ait Cyprianus, vitæ aut salutis constare rationem, si episcopis & sacerdotibus obtemperare noluerint, cum in Deuteronomio Dominus Deus dicat. Et homo quicunque fecerit in superbiâ, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit, & non aget impiè etiam nunc. Interfici Deus iussit Sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei seruos cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesiâ ejiciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cum domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesiâ possit.] Apud nos spiritualia sunt omnia, sicut & diuina. Non enim vulgaris ac protrita; sed, vt & ille dixit, [Sublimis ac diuina Ecclesiæ gubernandæ potestas.] Itaque sicut non aliunde quàm à Deo potestatem accepit gubernandi, ita non aliunde quam ab eo auctoritatem sumit castigandi. Duo autem considerandа sunt in administrandâ Ecclesiâ. Primum est, potentia miraculorum: Secundum, disciplina mandatorum. Prima extraordinaria est, nec tam ad gubernandam, quàm ad fundandam Ecclesiam necessaria. Secunda, ordinaria, ideoque perpetua, & ad successores omnes transmissa. [Quid enim magis aut in pace tam aptum, ait Clerus Romanus apud Cyprianum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quàm debitam seueritatem. Diuini vigoris tenere? Idem enim omnes credemur operati, in quo deprehendemur eadem omnes censuræ & disciplinæ consensione sociati.] Potentia, ædificandæ Ecclesiæ organum est, disciplina, administrandæ, ac seruandæ nauis gubernaculum.

Tertullian in Apolog. cap. 39.

Cyp. lib. 1 epistol. 11.

Potentia miraculorũ, & disciplina præceptorũ.

Cyprian. l. 1. epist. 3.

Cyprian. lib. 2. epistol. 7.

Si quid ergo Apostoli in mortem operati sunt corporalem: per potentiam miraculorum operati sunt: cum non sit minus miraculosum & extraordinarium, verbo vitam eripere, quàm reddere. Disciplinam verò præceptorum per ordinationem succedaneam commendarunt, adsignaruntque velut perennem ac perpetuam. Ita Tertullianus. [Certè, inquit, fidẽ sanctis vocibus pascimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus dẽsamus.] Sub disciplinâ nimirum doctrinam comprehendit, vt patet ex l. de pudicitiâ c. 21. asseritque vtramque omnibus, maximè verò præsidibus esse planè necessariam. [Cum enim omnes, ait Cyprianus, disciplinam tenere oporteat, multo magis præpositos curare hoc fas est, qui exemplum & documentum cæteris de conuersatione & moribus suis præbeant.] Porrò, sicut disciplina sine doctrinâ integra non est; sic & censura disciplinæ pars est præcipua; aliquid enim durum sonat & asperum: sed cum illa extrema est, extremi etiam iudicij pœna est præambula. [Nam & iudicatur magno cum pondere, ait Tertullianus, vt apud certos de Dei conspectu: summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentûs, & omnis sancti commercij relegetur.] Leues profectò illi, & sine pondere iudicant, quasi de Dei conspectu incerti; qui summã omnium pœnam leuibus, aut non admodum grauibus adiudicant: nec cogitant supplicium istud extremum & vltimum, vltimi & extremi esse præiudicium: in quo non nisi maledictis anathema infligitur, mediocriter autem malis, pœna etiam mediocris priùs imponitur. Excommunicatio est, id est, à communi sanctorum cœtu, imò & à Dei conspectu separatio; quam semel intonat Deus, nec extremum nisi in extremis probat remedium. Quid igitur de iis censendum, qui omnibus ferè malis paribus aut imparibus, idem ferrum inclamant; omnibus peccatis leuibus aut grauibus idem innodant vinculum? Profectò blenni sunt ac ridiculi, vt qui vel quale sit supplicium nesciant, vel illud tanquam puerile terriculamentum ante pedes pennatorum obiiciant.

Tertul. cap. 39. Apol.

Cyprian. l. 1. ep. 11.

Tertul. cap. 39. Apol.

Censurâ est pœna omnium grauissima.

Virga est, quâ pulsandi contumaces; non machæra, quâ fideles enecandi. Et si mucro est spiritualis est; quo non de morte, sed de salute decernitur; ideoque si oculatus non est, aut errore vagus, aut ebrius furore conuincitur.

August. ser. 252. de tēp. in med. [Considerate, fratres, rogo vos, ait Augustinus, si hodie aliquis à conuentu Ecclesiæ pro aliquo crimine proiiciatur foras, in quanto dolore vel tribulatione erit anima sua? Intolerabilis dolor est de illâ Ecclesiâ foras proiici, etsi ille qui proiiciatur & manducare & bibere & cum hominibus loqui potest, & habet spem vt iterum mereatur ad Ecclesiam reuocari.] Sed cum censura illa vmbra sit & figura extremi illius iudicij: occurrendum est Christo venienti, vt integerrimo iudici. [Cuius, vti Cyprianus dixit, vt gladium spiritualem, & venturum iudicii diem vnusquisque fratrum possit euadere, omni consilio prouidere & elaborare debemus.] Quæ enim vox illa, & quàm tremenda? Ligate illi manus & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores. [Auertat hoc Deus à nobis, fratres carissimi, ait Augustinus, & concedat vt mala aut nunquam velimus admittere, aut si admissa fuerint, sine vllâ morâ pœnitentiâ studeamus sanare, & largioribus eleemosynis festinemus abluere: ne fortè, si cum peccatorum vulneribus ante tribunal æterni iudicis venerimus, ab illâ æternâ Ecclesiâ, & ab illâ cœlesti Hierusalem perpetuâ excommunicatione separemur. Si enim intolerabilis dolor est de istâ Ecclesiâ foras proiici, quantus putatis dolor ille erit, si aliquis pro criminibus suis ab illâ Ecclesiâ quæ in cœlis, à conuentu Angelorum vel Sanctorum omnium congregatione fuerit separatus: cui nec hoc solum sufficiet ad pœnam, quod foris proiicitur, sed insuper in tenebras exteriores æterno incendio concremandus excluditur? Qui enim in illâ cœlesti Hierusalem excommunicari meruerit, non solùm hoc pœnæ habebit, quod nec manducare cum aliis vel bibere poterit, sed etiam flammas infernales sustinebit.] Censura illa diuina extrema est, ideoque tam seuera, quàm & perpetua.

Cyprian. l. 1. epist. 11.

August. ser. 252. de tēp. cit. med.

Excommunicātur qui à sancto- cœtu separantur.

DISQVISITIO TERTIA.

Quanta Pauli sit cautela.

Contacta vua vuam inficit, pecus morbidæ reliquum pecus polluit: ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Mitiores homines in ipsos homines id est in seipsos: segregandi quidem illi ac separandi: si iam pessimi, non sic tamen vt pereant, sed ne alios suo afficiant contagio. Et si tollendi, non ex odio, sed ex consilio. [Si corrigi nequeunt, ait Seneca, nihilque in illis spei bonæ capax est: tollantur è cœtu mortalium, facturi peiores quos contingunt: & quo vno modo possunt, desinant mali esse: sed hoc sine odio. Quid enim est cur oderim eum, cui tum maximè prosum, cum illum sibi eripio? Num quis membra sua odit, tunc cum abscindit? non est illa ira, sed misera curatio. Non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere. Nil minus quàm irasci punientem decet: cum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lata est. Et cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem.] Pœna, medela est. [Corrigendus est itaque qui peccat, ait ille, A & admonitione, & vi, & molliter, & asperè; meliorque tam sibi quàm alijs faciendus, non sine castigatione, sed sine irâ: quis enim cui medetur, irascitur?] Castigandi sunt mali. Quis negat, nisi qui mali auctor est, vel fautor. Sed castigandi, non vt pereant, sed ne & ipsi pereant, nedum alij. Id qui negat, aut verum nescit, aut odit bonum. [Indisciplinatos enim perire, ait Cyprianus, dum non audiunt nec obtemperant consiliis salubribus, testatur diuina Scriptura, quæ dicit: Non diligit indisciplinatus castigantem se. Qui autem oderunt correptiones, consumentur turpiter. Ergo ne B indisciplinati consumantur & pereant, da operam vt quantum potes consiliis salubribus fraternitatem regas, & singulis ad salutem suam consulas.] Singulis, non bonis tantùm, sed & malis, imò & pessimis: de iis enim agit, qui eradicandi sunt, truncandique, id est, excommunicandi.

Sen. lib. 1. de Ira c. 15.

Senec eod. lib. cap. 14

Cyprian. l. 1. ep. 11.

Mali non odio castigandi, sed iudicio.

Virgam intentauit Apostolus, sed & formam demonstrauit, quâ & amputaret malum & reum præseruaret. Vindictam quidem exercuit spiritalem, sed omnibus medicinalem, nulli, ne peccanti quidem exitialem esse voluit. [Omninò auditur inter vos fornicatio, C & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.] Enorme scelus, facinus indissimulabile; adeò notum, adeò publicum, adeò pertinax, adeò contumax. [Et non dixit, perpetratur fornicatio, (verba Chrysostomi) sed auditur. Quæ nec inter gentes quidem nominatur. Semper enim ex gentilibus ingerit fidelibus. Illud igitur, Inter vos, dictum est cum Emphasi. Hoc est, inter vos fideles, qui tanta percepistis mysteria, qui arcanorum fuistis participes.] Quomodo ij cœno fœdati, qui cœlo destinati? Quomodo visum apud fideles monstrum, quod ne apud infideles quidem cognitum? Quis id ferret, cum ne Gentilis quidem suis ignosceret? D Coruscat mucro, iamque ictum parat: Sed si secturus est, non tamen pempturus. [Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu. Id est, (vt exponit Aquinas) affectu & sollicitudine mentis. Et quia sum spiritu præsens, iam iudicaui, id est, sententiam condemnationis ordinaui in eum qui sic operatus est.] Nondum condemnat absentem, licet fornicatione, & tali fornicatione fœtentem, adulterio scilicet incesto; tali rumore, publico nimirum laborantem, sed ordinat, apud se statuit decernitque. Minatur, sed cunctatur, iram vindictamque exercet iustissimam, sed sustinet. [Cum enim, (vti Augustinus loquitur) ad talem E vindictam necessitas cogit, humilitas lugentium debet impetrare misericordiam, quam repellit superbia; nec illius ipsius qui de medio fratrum tollitur, debet negligi salus: sed ita agendum est, vt ei talis vindicta sit vtilis & agendum voto & precibus, si corrigi obiurgationibus non potest.] Virga planè necessaria est, malumque non auferendum duntaxat, sed & puniendum. Verùm, vt & ille ait: [Dilectione seruatâ, non sine spe correctionis vindicandum est, quicquid corrigi vel vindicari necessaria seueritas postulat.]

Chrysost. orat. 15.

Aquin. lect. 1.

Sic exercetur ira, vt speretur misericordia.

Augustin. lib. 3. cont. Parm. c. 13.

Quid porrò indicat Apostolus, ordinatus? Tradendum huiusmodi, Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini: Sani quidem contuendi sunt, monendique vt alienum separent malum, vitentque committendi audaciam, pestilentiam consentiendi, corrigendique, prudentiâ abhibitâ negligentiam. Verùm nec infirmus derelinquendus est, sed adhibitâ curâ, etsi durâ nonnunquam, reducendus. Quomodo igitur tradere huiusmodi, Satanæ? [Per excommunicationis sententiam, ait Aquinas, per quam aliquis separatur à communione fidelium, & à participatione sacramentorum, & priuatur Ecclesiæ suffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem Satanæ: propter quod de Ecclesiâ dicitur Cant. 6. Terribilis vt castrorum acies ordinata, scilicet dæmonibus.] Traditur ergo, dum à tutelâ pastoris, dum ab ordinariâ curâ præsulis abigitur. Quid in interitum carnis? [Vt per pœnitentiam, ait Augustinus, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam.] Nimirum vt homo ille carnalis, abiectus confususque respiceret tandem, ac mentem expiandæ addiceret concupiscentiæ. Vt spiritus saluus sit in die Domini. Excernit enim Paulus quod purum est, quod sanum reducit. [Quamquam enim, (vti dixit Ambros.) omnia peccata carnalem hominem præstent, hoc tamen specialiter desiderium carnis est, quo sordibus maculata anima à libidine carnis fit caro: sicut & corpus rectè gubernatum, spiritale appellatur. Animus tamen aut victus illecebris, totum hominem carneum facit: aut in vigore naturæ suæ manens, carni præstat, vt spiritalis dicatur.] Hoc igitur censebat Apostolus, vt per interitum carnis saluti spiritali consuleret; hoc prouidebat, vt per carnalis hominis exitium, spiritus tali scelere offensus, tali crimine extinctus resurgeret, & in futuro sæculo, seu iudicio extremo saluus fieret. Tantumdem est igitur ac si diceret, vt carnalis homo intereat pereatque per pœnitentiam; spiritualis verò renouetur saluetúrque per gratiam. O sapientem architectum, ô medicum prudentem, ô fidelem Apostolum! [Id est enim magis curam gerentis & medentis, quàm solùm secantis, & temerè & inconsideratè punientis. Est enim lucrum pœnâ maius. Nam pœna quidem est temporalis, lucrum autem perpetuum.] Ita Chrysostomus.

[Aquin. lect. 1.] [Augustin. lib. 1. cont. Parm. c. 1.] [Ambros. in Paul.] [Spiritus carne pereunte, saluus est.] [Chrysost. orat. 15.]

TROPOLOGIA.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?

Massa, Græcè φύραμα, farina, vel similis materia, aliquo liquore macerata. Nam Græcis φυρᾶν, Latinis miscere est, ac subigere. Heic autem pro conspersione, quæ fermento temperatur, alteraturque. Itaque tria inde deducenda sunt. Primum, nullam massam sine fermento conflatam, nullum cœtum sine malo repertum. Secundum, modicum fermentum totam massam corrumpere, vnum malum, cœtum inficere. Tertium, fermentum expurgandum.

Quoad 1. Quis non mirabitur in æuo florenti, in fœlici sæculo, splendente Euangelij luce, calente Christi sanguine, tantum nefas non solùm perpetratum, sed & toleratum: in Ecclesiâ ab Apostolo plantatâ, ab Apollo rigatâ? Scio inflationem scandalo libidinis detumescere, præsumptionem ipso carnis stimulo, nedum peccato concidere. Sed qualis illa mentis insania, quæ curanda tantis non dico libidinum, sed portentorum ac monstrorum furiis, tantâ carnis insolentiâ. Quàm infœlices Christiani, imò quàm parùm fideles, qui infidelibus, qui improbioribus non solùm æquandi non sunt, sed nec comparandi. [Si autem, ait Chrysostomus, quod eadem ipsi peccent est eiusmodi vt non possit ignosci, quòd ethnicos superent, vbinam quæso ponemus? Apud illos enim non solùm nihil perpetratur huiusmodi, sed ne nominatur quidem? Quando autē cernuntur inuenire eos modos libidinis & impudicitiæ, quos non solùm non perpetrant, sed ne norunt quidem infideles, est ineffabilis peccati exuperatio.] In Græco quidem, πορνεία Sed latiùs sensus spargitur quàm sonus, nam fanda etiam & infanda complectitur. Fornicatio est, sed talis fornicatio, id est tam enormis, tam impudens, tamque insolens, vt inter ethnicos, licet omni scelere refertos, omni luce destitutos, non solùm non vsurpetur, sed ne nominetur: id est nō solùm nō sit solita, sed in totū sit incognita. Iā multò amplius miraberis, si adiiciam quod Nostri etiam recognoscunt, & in Apologiis etiam pro religione nostrâ seu fide Christianâ editis palàm concedunt. Nec cœtū sanctorum Christianorum sine consortio malorum, imò pessimorum esse, ipsoque nec modico. [Quod ergo dicitis (verba sunt Tertulliani) Pessimi & probrosissimi auaritiâ, luxuriâ, improbitate. Non negabimus quædam. Sufficit & hoc ad testimonium nominis nostri, si non omnes, si non plures.] Equidem, vt & ille ait: [Necesse est in corpore, & quantum velis integro aut puro, vt næuus aliqui effruticet aut verrucula exurgat, aut lentigo sordescat. Cœlum ipsum nulla serenitas tam colata purgat, vt non alicuius nubiculæ flocculo resignetur. Modica macula in fronte, in parte quadam exemplari visa, quo vniuersitas munda est. Maior boni portio modico malo ad testimonium sui vtitur.] Verùm quodnam illud modicum est, quod maximum nonnunquam exsuperat, quænam illa nubecula, quænam verrucula, quæ deturpat corpus, cœlum obnubilat? Denique esto, inter filios Dei obrepat & Satan, inter sanctos vnus aut alter sordescat: quid verò tot ac tanti, tot ac tantis criminibus obruti, peccatis famosi indissimulabilibus? Non habeo quod dicam de primis illis Christianis, nisi id quod de monachis suis dicit Augustinus: nullos mediocres fuisse, sed omnes mysticis illis ficubus similes, bonos nimirum optimos fuisse, malos verò pessimos. [Simpliciter, inquit, fateor charitati vestræ coràm Domino Deo nostro, qui testis est super animam meā, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quàm qui in monasterio pro-

[Chrysost. orat. 15.] [Cœtus sanctorum nō modico malorum commistus numero.] [Tertul. lib. 1. ad Nation. c. 5.] [Aug. ep. 137.]

fecerunt, ita non sum expertus peiores quàm qui in monasteriis ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: Iustus iustior fiat, & qui in sordibus sordescat adhuc.]

Quoad 2. Fermentum non semper malum, imò sæpè bonum, & tamen facilè diffamatum. [Est enim sciendum, (vti notauit Aquinas) quòd in fermento duo possunt considerari. Primò, sapor quem tribuit pani, & secundùm hoc per fermentum significatur sapientia Dei, per quā omnia, quæ sunt hominis sapida redduntur: & secundùm hoc dicitur Matth. 13. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Secundò, in fermēto potest considerari corruptio, & secundùm hoc per fermentum intelligi potest vno modo peccatum, quia scilicet per vnum hominis peccatum omnia opera eius corrupta redduntur, putà per peccatum simulationis, quod comparatur fermento. Luc. 12. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Alio modo per fermentum potest intelligi homo peccator, & ad hoc inducitur hæc similitudo. Sicut enim per modicum fermentum tota massa postea corrumpitur, ita per vnum peccatorem tota societas inquinatur.] Ex Græco ζυμοῖ faciliùs verti potest fermentari quàm corrumpi. Tamen sicut fermentum acidum est ac penè corruptum, sic & quod fermentat, suo more, id est acore suo commaculat. Idcircò Paulus, Nescitis? Quasi de re familiari ac domesticâ, seu communi ac notâ. [Nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrumpit? Nam etsi illius, inquit, est peccatum, (verba sunt Chrysostomi) si tamen negligatur, potest totum Ecclesiæ corpus corrumpere. Nam quando is qui primus peccauit pœnas non dederit, citò quoque eadem peccata admittent: ostendens quòd non de vno solo, sed de totâ Ecclesiâ agitur, & periculum subitur. Quamobrem fermenti quoque opus habuit imagine ac similitudine. Nam sicut illud, inquit, etiam si sit modicum, totam massam in se transmutat: ita iste quoque si dimissus fuerit impunitus, nec in eius peccatum iustè fuerit animaduersum, corrumpet & perdet cæteros.] Hoc agit malum, quod non agit bonum: sicut enim facilius est vitiare quàm sanare, destruere quàm extruere: ita frequentius malum suo inficit contagio, quàm bonum exemplo suo afficit. Si inimica multorum est conuersatio, quid malorum? [Nemo enim, vti dixit Seneca, non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.] Sermone scilicet, exemplo, conuersatione. Idcircò rem familiarem adhibuit Apostolus, attendi tamen voluit & expendi. Quid enim conspersio, nisi diuersorum cōmixtio, disparium societas quædam ac communitas? [Non dixit enim, (ita Chrysostomus) Cur ille aut isto est fornicatus, sed, Auditur inter vos fornicatio, ne vt qui essent nulli reprehensioni affines, pigri essent ac socordes, sed vtpote communi percusso, & in crimen vocatâ Ecclesiâ, ita essent animi dubij & anxij. Nemo enim dicet, inquit, quod ille aut iste est fornicatus, sed quòd in Ecclesiâ Corinthiorum admissum

Aquin lect. 2.

Fermētum & benè & malè vsurpatum.

Chrysost. orat. 15.

Sen. ep. 7.

Chrysost. orat. 15.

A est illud peccatum.] Corpus est, cuius membra cohærent sibi respondentque. Itaque sicut corruptio vnius membri, cætera commaculat; ita fornicatio istius incestuosi, totam infamabat Ecclesiam.

Quoad 3. Non solum aperuit malum Apostolus, sed & statim remedium adhibuit. [Cum dicit, Expurgate vetus fermentum, ostendit, (ita exponit Aquinas) quid de cætero sit faciendum. Et primò ponit documentum, dum ait, modicum fermentum totam massam corrumpit. Ideo, Expurgate vetus fermentum: id est, fornicarium, qui peccando rediit in vetustatem corruptionis antiquæ, secundùm

B illud Bar. 3. Inueterasti in terrâ alienâ, coinquinatus est cum mortuis. Quod quidem dicit, quia per separationem vnius peccatoris tota societas expurgatur. Vnde & egresso Iuda Dominus dixit Ioan. 13. Nunc clarificatus est filius hominis.] Ex vno omnes in crimen vocantur, nedum in discrimen, omnes si non à bonis, certè ab infirmis, contagionis insimulantur & inquinationis.] Ad quid enim aliud, ait Augustinus, sedent isti, & quid aliud captant, nisi vt quisquis episcopus vel clericus vel monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, iactent, contendant, sed non omnes posse manifestari? Ipsi cum aliqua maritata inuenitur adulterata, nec proiiciunt

C vxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.] Tentatio illa est, sed humana quanquam & diabolica nonnunquam interuenit machinatio, ac seducit. [Quem enim aduersarius diabolus non potest deuorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, vt si fieri potest, opprobriis hominum & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in eius fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei persuadere tentat, vt per maleuolas suspiciones de fratre suo iudicet,

D sic ab illo implicatus absorbeatur.] Tamen quia virus proserpit, & in peius semper proficit; quia contaminat, id est, adhærentes suo fœdat contagio. Idcircò fideles monet Apostolus, vrgetque, dicens: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. [Hoc est, (vti exponit Chrysostomus) hunc improbum & flagitiosum expurgate. Imò verò non de eo solo dicit, sed alios quoque tacitè innuit. Non enim fornicatio solùm est vetus fermentum, sed etiam omne vitium. Neque dixit, purgate, sed, expurgate, hoc est, accuratè & perfectè purgate, vt nulla sit eius vmbra nec reliquiæ. Atque dicendo

E quidem, Expurgate, ostendit apud eos adhuc esse improbitatem & vitium. Dicendo autem, Vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, significat & indicat vitium in multos non tantum obtinere dominatum. Si autem dicit, sicut estis azymi, non hoc dicit omnes esse puros; sed sicut decet vos esse. [Non tam effectum prædicat, quàm demonstrat officium. Vestrum est, puros esse & innoxios, sine labe peccati, sine mali contagione. Ideò, expurgate

Aquin. lect. 2.

Aug. ibid. epist. 137.

Multiformes aduersarij nostri captiones.

Chrysost. orat. 15.

gate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. [Remoto enim fermento à fidelibus, ait Aquinas, id est, peccatore vel peccato, remanent sicut noua conspersio, id est, in puritate suæ nouitatis, secundùm illud Psalmi 101. Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua. Et, Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ.] Oportet vos nouos esse homines, in totum quidem, sed iuxta spiritum innouatos: decet vos puros esse sanctosque, sine veteris erroris fermento, sine carnalis hominis contagio. Hoc sitis quod esse debetis: iam enim & voto estis & debito.

Aquin. l. 2.

ANAGOGIA.

Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

RAtio prædictorum est, cur nimirum Christiani debeant esse azymi, seu puri ac sancti. Deinde & expositorum coaptatio: ita tamen, vt nondum in hoc sæculo, sed in futuro, perfecta & integra sit omnium consummatio.

Quoad rationem, propositum est ipsum crucis, seu Christi crucifixi mysterium: sed sub vmbrâ seu figurâ agni & azymi. [Tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus. Et sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. Est enim Phase (id est transitus) Domini.] Et, [Mementote diei huius in quâ egressi estis de Ægypto & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: vt non comedatis fermentatum panem. Septem diebus vesceris azymis: & in die septimo erit solemnitas Domini. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.] Duplex igitur pascha: vnum Iudaicum, Christianum alterum, id est nostrum: illud in promissione: istud in veritate: illud in vmbra, istud in gratiâ: illud in agno, istud in Christo. [Agnus enim ille legalis, ait Augustinus, cuius immolatione antiquus Hebræorum populus Ægyptiæ seruitutis iugum abiecit, quomodo multimodis sacramentis veriorem sanctæ Ecclesiæ hostiam in figurâ sui contineat, tunc potissimum ipsâ rerum veritate probatum est, quando Pascha nostrum immolatus est Christus: qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coràm tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Iste est agnus qui in altari crucis hostia viua Deo Patri pro nobis in odorem suauitatis oblatus, transitum nobis de regione vmbræ mortis ad terram repromissionis patefecit. Iste est, inquam, qui simul victima & sacerdos, omnem veteris sacerdotij & sacrificij vmbram clarâ luce reuelando figuris & ænigmatibus finem imposuit: nouo autem Ecclesiæ populo, nouum sacerdotium

Exod. cap. 12.

Exod. c. 13.

Duplex pascha, Iudaïcũ & Christianum.

Augustin ser. 151. de temp aprin. cip.

A & nouum sacrificium initiauit.] Vnum compleuit, incœpit alterum. Expurgate ergo vetus fermentum, vt sitis noua conspersio sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. [Quamobrem, ait Chrysostomus, eos valdè vrget, vt expurgent fermentum. Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Non dixit, Est mortuus, sed proposito conuenientius, Immolatus seu sacrificatus est Christus. Ne quæras ergo eiusmodi azyma: quoniam nec talem habes agnum. Ne quæras eiusmodi fermentum quoniam nec tua azyma sunt huiusmodi.] Expurgate quicquid corruptionis est, emundate quicquid veteris est hominis. Etenim Christus, verus agnus sine maculâ, qui Pascha nostrum est, id est Christianum; & pro nobis immolatus est, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: pro nobis oblatus in cruce, vt mente renouati, vitiisque depositis, litemus innocentiæ. Ne iam spectes agnum, sed Christum: nec azyma consideres, hæc enim tua non sunt, cum Iudaïca sint & carnalia. Longè alia tibi expendenda sunt mysteria: vt sicut Iudæus suum Pascha edendo, abstinebat à fermento; sic & tuum recolendo, nuntium peccato remittas, & studio innouato transeas in virum alterum.

Chrysost. orat. 15.

B

C Quoad coaptationem, aperit se Apostolus, cum ait, Itaque. Nam, vti obseruat Aquinas. [Cum dicit, Itaque, concludit propositum. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod sicut legitur Exod. 12. Agnus Paschalis post immolationem manducabatur cum azymis panibus. Sicut ergo agnus figuralis fuit figura nostri Paschæ immolati, ita figuralis obseruantia paschalis debet conformari obseruantiæ noui, ergo quia Christus immolatus est Pascha nostrum. Itaque epulemur, scilicet manducando Christum, non solùm Sacramentaliter: sed & spiritualiter fruendo sapientiâ eius. Deinde determinat modum epulandi,
D secundùm conformitatem veritatis ad figuram, dicens; Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ. Mandabatur enim Exod. duodec. quod omne fermentum non inueniretur in domibus manducantium agnum paschalem. Fermentum autem habet, & vetustatem, & corruptionem. Neque igitur in fermento, vt malitia referatur ad peruersitatem operis, secundùm illud Iacob. 1. Abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ. Per nequitiam verò intelligitur fraudulenta machinatio. Prouerb. 16. Quando sumpserit vocem suam, non credideris ei,
E quoniam septem nequitiæ sunt in corde eius. Excluso ergo modo indebito epulandi, determinat modum conuenientem, subdens: Sed in azymis sinceritatis, & veritatis: id est, sinceritate & veritate, quæ significantur per azyma. Denique ponitur sinceritas contra corruptionem peccati, quod significauit, cum dixit, Non in fermento malitiæ & nequitiæ. Nam sincerum dicitur quod sine corruptione. Veritas verò ponitur contra figuras veteris legis: sicut Ioan. 1. dicitur, Veritas & gratia per Iesum Christum facta est: quia scilicet verum pascha cum veritate, & non cum figuris cele-

Aquin. lect. 2.

Quomodo nequitia & malitia sinceritati opponantur & veritati.

brare debemus.] Quid si contra nequitiam & machinationem fraudulentam, sinceritas: contra malitiam seu vetustam corruptionem, quæ peccato constat & mendacio, gratia & veritas? In hoc enim totus est Paulus, vt vetus homo, seu caro proteratur, nouus renascatur homo, seu spiritus formetur integreturque. Abeant vetera omnia, omnia carnalia, recedantque, & succedant spiritalia. Nihil concupiscentiæ supersit, ad laudem gratiæ; nihil & intersit litteræ, in vicem intelligentiæ. [Nam, vti ait Chrysostomus, quoniam venit veritas, nullus est amplius typis locus ac figuris. Itaque epulemur, non in fermento veteri. Cur porrò vocat vetus? An propterea quòd prior vita nostra esset eiusmodi? An propterea quod id quod est vetus propè sit vt pereat ac aboleatur, sitque fœtidum ac turpe: cuiusmodi est peccatum? Nam neque absolutè malè audit & vituperatur id quod est vetus: neque absolutè laudatur id quod est nouum, sed ratione habitâ ad subiecta. Dicit enim alibi, Vinum nouum: nouus amicus. Sin autem inueterauerit, tunc cum gaudio bibes ipsum: in amicitiâ magis laudans vetustatem quam nouitatem. Quoniam igitur res sunt variæ ex multis compositæ, scriptura iisdem vtitur & in bonis & in malis, non in eodem significato.] Scriptoris scopus in his spectandus est, & iuxta subjectam aptandus materiam. Itaque tam fermentum heic in malam partem, quàm azymi in bonam. Vult enim Apostolus, nos antiquæ seu paternæ conuersationis, tanquam serpentinæ malignitatis spolio exui, & ornamento indui sanctitatis omnis & innocentiæ.

Chrysost. orat. 15.

Quoad consommationem, verbo Græco ἑορτάζειν vsus est Apostolus, quod & gaudium simul sonat & epulum, lætitiam spirat, sed & gloriam. Absoluit, aitque, etaque epulemur, Græcè ἑορτάζωμεν, festum agamus, seu festiuum diem. Ita apud Augustinum. [Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: vt tantæ humilitatis exemplo discerent expurgare vetus fermentum: id est, quicquid in eis superbiæ de veteri homine remansisset. Itaque, inquit, diem festum celebremus, non vtique vnam diem, sed totam vitam.] Quid enim festum celebrare, nisi diem solemnem, festiuum, lætum-ue agere? quod maximè epulis declaratur & conuiuiis. Vnde ille volens hilaritatem seu festiuitatem, &, vt ita dicam, festum indicere domesticum, ait ad seruos suos: [Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: & cœperũt omnes epulari.] Et rationem reddens filio seniori. [Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.] Et hæc parabola simul & figura. Ille enim vitulus saginatus, pinguis & opimus, qui omnibus sufficiat, qui totam pascat Ecclesiam. [Istæ enim epulæ, (vt loquitur Augustinus) atque festiuitas nunc celebrantur per orbem terrarum. Ecclesiâ dilatatâ atque diffusâ.] Sed sensus in veteri testamento statuendus, & ex fini eruendus Apostolico. [Porrò autem, (vti notauit Chrysostomus) ipse persistit in metaphorâ, veterem historiam eis reuocans in memoriam, & Pascha, & panes azymos. Est ergo præsens tempus festi. Nam cum dixisset, festum celebremus, non dixit, Quoniam adest Pascha, nec Pentecoste: sed ostendens quod omne tempus est tempus diei festi Christianis, propter summa bona quæ data sunt.] Sic se res habet, diebus solemnibus, nedum Paschalibus, celebrabatur sacrificium, & inde epulum parabatur. Vnde nunc & diebus Dominicis, & olim in omnibus festis, iniungebatur sacrificium, excludebatur ieiunium. In agno autem Paschali, seu festo celebri, carnes in esum absumptæ, ideoque epulæ illæ solemniores. Itaque parum interest, seu dicas, Epulemur; seu, festum celebremus. Sed interest, vt scias epulum istud æterni esse conuiuij antecœnium. [Etenim, ait Chrysostomus, quod & ciuitas sursum sit & Ecclesia, & celebritas, audi Paulum dicentem: Accessistis ad ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & ad multorum millium angelorum frequentiam.] Idcircò illud obseruandum est, Iudæos agnum suum stantes comedisse ac festinantes, quia festum illud temporarium erat ac transitorium; beatos sedere, ac semper edere, quia festum æternum ac perpetuum. [Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos duodecim.] Mensa nimirum omnibus sanctis proposita, vt vitâ lætentur beatâ, æternâ perfruantur gloriâ. Heic inchoatur festum ac conuiuium per gratiæ participationem, illic consummatur per communicationem gloriæ. [Mensa enim proposita omnibus sanctis ad fruendum, cœlestis est gloria vitæ.] Sic Beda apud Aquinatem.

Augustin. lib. 3. cont. ep. Parm. cap. 2.

Luc. cap. 15.

Augustin. lib. 2 quæst. Euang. c. 33.


Chrysost. orat. 15.


In festo cõcurrunt sacrificium & epulum.

Chrysost. orat. de sancto Philogon.

Luc. cap. 22.

Beda in Catena.





PARS SECVNDA.

DE ALIIS FACINOROSIS.

TEXTVS.

SCripsi vobis in Epistolâ: Ne commisceamini fornicariis. Non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

EXEGESIS LITTERALIS.

DIstinguit inter fideles & infideles: præcipitque illos, si fornicarij sint aut ebriosi, dimoueri & arceri: istos, si tales sint, diuino relinquit iudicio.

[Scripsi vobis in epistolâ: Ne commisceamini fornicariis, &c.] Iam vos monui per litteras meas, nullum vobis esse cum fornicariis vitæ, seu consuetudinis conuersationisue commercium. [Non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus, &c.] Quod scripsi, nolo intelligi de omnibus omninò fornicariis, etiam infidelibus: isti enim sunt fornicarij huius mundi, auari, rapaces, idolis seruientes. [Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.] Si vitandi sunt omnes fornicatores, omnes omninò rapaces: iam iste mundus deserendus est, & nouus quærendus: hic enim quem incolimus, malis plenus est, auaris, fornicarijs. [Hunc in modum, ait Comment. Athanas. construitur & intelligitur orationis huius contextus. Et vtique non fornicariis huius mundi commisceri prohibui, hoc est gentilibus, alioqui alius mundus vobis esset quærendus. Quî enim fieri potest vnâ in ciuitate vel ex maiore parte diuersantibus, qui ex gentibus essent, non his admisceri?] Itaque, de mundo exire, non est decedere, sed secedere. [Nunc autem scripsi vobis non commisceri, &c.] Attendite & intelligite, quæ sit mea mens, quænam sententia. [Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere, &c.] Si quis est de numero fidelium, si quis censetur inter Christianos, & alienæ nihilominus mulieri commiscetur: rem alienam iniustè detinet, nedum extorquet: sacrilegium perpetrat, conuitium importat proximo, vino denique se ingurgitat.

Comment. Athanas.

Totus mundus malis facinorosisque refertus.

A Hunc fugite, neu cõuiuite. [Cum fratre enim, ait Comment. Ambros. prohibet cibum sumere, cum infideli autem non prohibet; quippe qui dicat, Si quis vos vocat ex infidelibus ad cœnam, & vultis ire; omne quod appositum fuerit, manducate.]

Comment. Ambros.

[Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare, &c.] De solis ago Christianis, cum præcipio eos qui fornicarij sunt, aut ebriosi, notari ac deuitari. Virga enim illa seu pœna, quæ domesticos punit ac percutit, non tangit extraneos. [Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? &c.] Prælati subditos, Christiani tamen Christianos iudicant castigantque. [Nã

B eos qui foris sunt, Deus iudicabit, &c.] Nec illi tamen impuniti, sed diuino dimittendi iudicio. [Nam postquam dixit, Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare: ne quis existimaret eos relinqui impunitos, aliud terribile eis statuit iudicium. Hoc autem dicit, illos quidem simul terrens, simul autem hos consolans, & ostendens quòd hæc temporaria castigatio surripit ab immortali & perpetuo supplicio. Quod alibi quoque significans dicebat, Nunc autem iudicati castigamur, ne cum mundo damnemur.] Ita Chrysostomus. [Auferte malum ex vobis ipsis. Græcè τὸν πονηρὸν, hunc malum. Est enim conclusio prædictorum; seu malorum, maximè verò incestuosi, velut omnium

C pessimi, exclusio. Tollatur qui hoc opus fecit, & de medio fratrum auferatur. [Meminit dicti cuiusdam veteris testamenti Deut. 13. verba Athanas. vt arguat à principio legislatori visum id esse, improbos scilicet tollendos è medio esse. Ex vobis ipsis autem, cum inquit, iudicat vtilitatis plurimum his allaturum, si praua demantur.] Sed formâ Christianis ipsis congruâ.

Chrysost. orat. 16.

Pœna ecclesiastica domesticis non extraneis imposita.

Athanas. in Psalum.



DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

SCripsit Apostolus, non commisceri fornicarijs: sed quandonam scripsit, & quid per commistionem illam intelligit?

DISQVISITIO PRIMA.

Quandonam scripserit?

IN promptu est respondere, nunc scripsisse. Si enim hæc prima est ad Corinthios Epistola. Nihil scriptum prius, etsi fortean præscriptum. [Quam dicit epistolam? ait Athanas. Hanc quidem ipsam.] Et ita quidem philosophatus est Chrysostomus. [Nam quoniam Apostolus dixit, Non potius luctum habuistis, vt de medio tollatur qui est huiusmodi, &, Expurgate vetus fermentum: & verisimile erat eos suspicari, quòd oporteat fugere omnes fornicatores. Nam si is qui peccauit, suo malo impetit eos qui non peccauerunt: multo magis oportet externos auersari. Nam si familiari ac necessario non oportet parcere, propterea quòd ab eo talis oriatur noxa, multo magis aliis. Si hoc autem intelligatur, consentaneum esset etiam separari ab omnibus fornicatoribus. Ostendit autem quòd hoc ne possit quidem fieri, etsi maximè velint: oporteret enim alium orbem quærere. Et ideò subiunxit, Alioqui debueratis ex hoc mundo exiisse. Quomodo enim, inquit, fieri potest, vt qui est homo, & præest domui & liberis, & gerit rempublicam, aut est opifex, aut miles, fugiant eos qui sunt vbique fornicatores?] Sed quid necesse est scribenti, dicere, Scripsi vobis, si nihil antehac scripsit; sed adhuc scribat & suam etiam nunc scripturã digerat? ita Ioannes. [Scribo vobis, filioli. Scribo vobis, patres. Scribo vobis, adolescentes. Scribo vobis, infantes. Scribo vobis iuuenes.] Equidē nonnulli inter Latinos etiam & Græcos, in vltimis pericopis, legunt, [Scripsi.] Et apertè nos in eodem capite: [Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.] Sed cum toties dixisset, Scribo, iterumque scribo, potuit tandem dicere, Scripsi. Quid verò Paulus, si nondum scripserat? imò si needum id quod mox dicturus est, & à modò præscripturus, vllo modo in nostrâ epistolâ tetigerat? Iubet enim fornicarium seu incestuosum tradi satanæ: an id idem est, ac mensæ non adhiberi? Ita Paulus in epistolâ sequente cap. 2. [Scripsi vobis.] De priore scilicet epistolâ. Hoc exigit stylus scribentis, & in id venit concipientis animus, vt aliam apprehendat epistolam, & quod iam diu scriptũ indictũque, reducat in memoriam.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. orat. 16.

Ioan. ep. 1. c. 2.

Aliud tradi satanę, aliud mensæ non adhiberi.

Concludendum igitur, istam quam nunc terimus epistolam esse quidem primam ex iis quas legimus: sed non esse primam earum omnium quas Paulus scripsit ad Corinthios. Nam & ipsi Corinthij antè vltimam epistolam. [Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt, & fortes.] Igitur iam plures antè istam secundam quam habemus epistolã; ergo nec vna, nec sola. Nam, ex Tertulliano: [Pos-

2 Corinth. cap 10.

A sum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est. Quod non vnum est, numerus est. Denique post vnum incipit numerus. Vnum autem est, omne quod semel est.] Iam pridem scripsi vobis, seu, iam aliàs scripsi vobis. [Scripsisse, ait Ambros. se significat priùs, vbi commonuit illos ne iũgerent se malæ vitæ hominibus. Et quia non intellexisse fortè ea quæ scripserat, videbantur: nunc in hac epistolâ quid scripserit, interpretatur; dicens, Non vtique fornicarijs huius mundi: sed à fratribus talibus scripsi recedendum.] Quod ergo scripsit Apostolus in aliâ epistolâ, exponit in istâ. Cum enim scripsisset, Non com-

Tertullian. lib. de ex. hort. cast. cap. 7.

Ambros. in Paul.

B misceri fornicarijs, sic accipiebant illi, quasi infideles potius expungeret quàm fideles cum fideles è contra potius quã infideles, proscriberet. Ex prauo igitur intellectu, fornicarium fugiebant infidelem, fidelem ferebant etiam incestuosum. [Igitur, ait ille, intellectum eorum arguit, qui putabant fortè quia ab incredulis prohibuisset, non à fratribus: & ideò illum qui vxorem patris habebat, inter se non ægrè ferebant.] Scripsi igitur vobis in aliâ epistolâ, sed quod de vnis dixi, de aliis accepistis, & ita non diuersam duntaxat, sed & aduersam iniistis sententiam. Nec mirum vnam epistolam quoquo tandem fato periisse, cum cre-

Corinthiis multæ scriptæ sunt epistolæ.

C dant multi, imò vt certum asserant ac liquidum, totam scripturam eodem morbo laborasse [Potuit Noë, ait Tertullianus, abolefactam scripturam violentiâ cataclysmi, in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum.] Vt vt sit, constat reuera, & ipso scripturarum testimonio, scripturas multas desiderari: fortè est & qui dicat alias excidisse Apostolorum epistolas.

Tertullian. lib. de Hab. mul. c. 3.

D DISQVISITIO SECVNDA.

Quid commisceri? &c.

SCripsit igitur Apostolus in epistolâ prædictâ, Non commisceri fornicariis. Primò igitur definiendum est quinam sint fornicarij. Secundò, quid sit iis commisceri. Quoad primum, sunt auctores mundi, sicut & fornicatores mundi. [Quemadmodum loquantur auctores mundi, ait Augustinus, quid ad nos?] Sunt auctores mundi, infideles; sicut & fornicatores mundi: nisi quod illi signantur sermonibus, isti actibus infamantur. Habet mundus auctores suos. De mundo sunt, & de

Aug. lib. de pastorib. c. 11.

E mundo loquuntur, mundanâ linguâ. Habet Christus tractatores suos. De cœlo sunt, & de cœlo loquuntur, & illâ linguâ quæ scripturis diuinis est propria: idcirco dicuntur, [Scripturarum tractatores.] Sensuum diuinorum interpretes. Ita, vt & ille notauit. [Dicitur aliquando in scripturis sapientia pro astutiâ, abusione verbi, non proprietate. Vnde etiam dicitur, Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Quod igitur dicitur sapientia abusione verbi & in malo, consuetudo est scripturarum nostrarum. Habes enim & in

Augustin. ibidem.

Aliud auctores mundi aliud tractatores Euangelij

Genesi, Erat ibi serpens sapientior omnibus bestiis. Iste sapientior omnibus bestiis, astutus & acutus ad decipiendum agnoscitur.] Quid ergo per fornicationem intelligant, imò & an labem istam satis capiant sentiantque exitiosam, quid ad nos? Quid verò vsus habeat Ecclesiæ, quid scripturæ stylus, quid doctores sacri, quid scriptores ecclesiastici: id maximè ad nos. [Habet & fides, ait Tertullianus, quorundam nominum familiaritatem. Ita in omni opusculo vnum custodimus. Cæterùm, & si adulterium, & si stuprum dixero, vnum erit contaminatæ carnis elogium. Nec enim interest nuptam alienam, an viduam quis incurset, dum non suam feminam. Sicut nec locis refert, in cubiculis, an in turribus pudicitia trucidetur. Omne homicidium extra syluam latrocinium est. Ita & vbicunque, vel in quamcunque semetipsum adulterat & stuprat, qui alter quam nuptiis vtitur.] Est ergo mœchia seu fornicatio, omnis vsus carnis illicitus; & illicitus, qui non coniugalis. Fornicarij denique & mœchi, qui sic vsi. [Non mœchaberis.]

Tertul. l. de pudicit. c. 4.

Quoad secundum, sensum suum aperit Apostolus, cum ait, [Cum eiusmodi ne cibum sumere.] Sed id cum determinat, aliud etiam subindicat. Sicut enim per panem, victum omnem intelligimus; sic & per cibum communem capimus conuictum: vt aliud non sit, cibum cum aliquo non sumere, quàm cum illo non conuiuere, nullam habere conuersationem, nullam exercere consuetudinem. Sed cum dicit. [Ne cibum sumere.] Seu, vt ait Chrysostomus: [Cum eo nec vesci quidem.] Innuit duplicem esse victum conuictum-ve, vnum communem ciuilem-ve, ne dicam & profanum; alterum singularem, cœlestem, sanctum; nec humanum iam, sed diuinum. Vult ergo ne quidem in humanis vllum cum fornicariis esse commercium, quanto minus in diuinis? Si enim ne in profanis quidem tolerauerit, in sacris tolerabit? [Hinc igitur informatus & Apostolus, (verba sunt Tertulliani) Scripsi, inquit, vobis in epistolâ, non commisceri fornicatoribus, non vtique fornicatoribus huius mundi, & reliqua. Cæterùm, oportebat vos exire de mundo: nunc autem scribo vobis, Si quis frater nominatur in vobis fornicator, aut idololatres, aut fraudator, & cætera: cum talibus ne cibum quidem sumere, nedum Eucharistiam.] Et est quidem nonnulla excommunicationis species; vel potius non communicationis. Aliud est enim, excommunicatum esse, aliud non communicare. Nam excommunicatum esse, est publicam ferre sceleris sui sententiam, tradi Satanæ, anathemate percuti. [Eiiciebatur nempe à communi fidelium cœtu, (ita loquitur Chrysostomus) abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus, atque ita lupis patebat, & prodebatur incursibus: sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat sancti Spiritus gratia. Ita & Dominus Iudam tradidit Satanæ, continuò enim post buccellam introiuit in illum Satanas.] Publicum istud est Ecclesiæ iudicium, & destinatum culpæ publicæ supplicium,

Chrysost. orat. 16.

Tertullian. lib. de pudicit. c. 18.

Aliud excommunicatum esse, aliud non communicare.

Chrysost. Hom. 5. in epist. 1. ad Timoth.

A cium, quo malus extra castra depulsus, patebat insidiis inimicorum, dæmonum-ve iniuriis; luebatque, donec satisfecisset, & per pœnitentiam publicam, pacem ac reconciliationem redemisset.

Interim alia species excommunicationis erat, seu potius non communicationis, eaque duplex: vel ex parte delinquentis, vel ex parte innocentis. Ex parte delinquentis, vt si quis facinus clanculùm admisisset, abstineret ipse, exularetque, proprio tamen motu, non ritu ecclesiastico: ex facti conscientiâ, non iudiciali sententiâ. [Vnusquisque, ait Augustinus,
B consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, priùs orationibus, ieiunijs vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se à diuino altari subtraxerit, citò ad indulgentiam diuinæ misericordiæ perueniet. Quia sicut qui se exaltat, humiliabitur, ita è contrario, qui se humiliat, exaltabitur. Qui ergo agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit, ab æterno illo & cœlesti conuiuio excommunicari penitùs non timebit.] Nec aliud obstendit Cyprianus, cum de sanctissimo sacramento.
C [Hunc autem, ait, panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes, à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.] Quinam abstenti? non communicantes. Quinam non communicantes? prohibiti, separati; intercedente peccato, non præcedente iudicio; non ordine iudiciario, sed interdicente ac remouente delicto. Ex parte autem innocentis, vt si quis fornicato-
D rem nosset aut furem fraudatorem-ve, obstinatum inexpiatumque, sese subduceret, nihil cum illo commune haberet; nec communionem solùm subduceret Christianam communicationem-ue, sed nec mensam vellet habere communem. Ita sicut delinquens seipsum ligabat obligabat-ve proprio arbitrio, sic & innocens damnabat alligabatque negato consortio: quasi iam non amplius esset frater, sed inter ethnicos veniret & publicanos. [Cœpisti, inquit Augustinus, habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terrâ: sed vt iustè alligas vide: nam iniusta vincula dirumpit iustitia.]
E Sic igitur semetipsum explicat Apostolus, vt tria simul in vnum congerat. Scripsi olim vobis, & præscripsi: [Ne commisceamini fornicariis.] Nunc iterum scribo, sed meipsum expono. Primò ergo, per peccatorem non intelligo, vt putatis, gentilem; sed fratrem, id est, Christianum, non ethnicum. [Si is qui frater nominatur, est fornicator, &c.] Seu, vt legit Tertullianus: [Si quis frater nominatur in vobis fornicator, &c.] Nam Græcè ὀνομαζόμενος. [Si quis frater nominatus aut fornicator, aut auarus, &c.] Vt participium, [Nominatus.] Vel appellet fratrem, vel crimen denotet. Priori sensu. [Si is qui frater

Aug. serm. 1[illegible]. de temp. post initium.

Cyp. Tract. de orat. Dom vir. med.

Abstenti, qui aliquo delicto sunt detenti.

Aug. serm. 16. de verb. Dom. c. 4.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

SCripsit Apostolus, non commisceri fornicarijs: sed quandonam scripsit, & quid per commistionem illam intelligit?

DISQVISITIO PRIMA.

Quandonam scripserit?

IN promptu est respondere, nunc scripsisse. Si enim hæc prima est ad Corinthios Epistola. Nihil scriptum prius, etsi fortean præscriptum. [Quam dicit epistolam? ait Athanas. Hanc quidem ipsam.] Et ita quidem philosophatus est Chrysostomus. [Nam quoniam Apostolus dixit, Non potius luctum habuistis, vt de medio tollatur qui est huiusmodi, &, Expurgate vetus fermentum: & verisimile erat eos suspicari, quòd oporteat fugere omnes fornicatores. Nam si is qui peccauit, suo malo impetit eos qui non peccauerunt: multo magis oportet externos auersari. Nam si familiari ac necessario non oportet parcere, propterea quòd ab eo talis oriatur noxa, multo magis aliis. Si hoc autem intelligatur, consentaneum esset etiam separari ab omnibus fornicatoribus. Ostendit autem quòd hoc ne possit quidem fieri, etsi maximè velint: oporteret enim alium orbem quærere. Et ideò subiunxit, Alioqui debueratis ex hoc mundo exiisse. Quomodo enim, inquit, fieri potest, vt qui est homo, & præest domui & liberis, & gerit rempublicam, aut est opifex, aut miles, fugiant eos qui sunt vbique fornicatores?] Sed quid necesse est scribenti, dicere, Scripsi vobis, si nihil antehac scripsit; sed adhuc scribat & suam etiam nunc scripturã digerat? ita Ioannes. [Scribo vobis, filioli. Scribo vobis, patres. Scribo vobis, adolescentes. Scribo vobis, infantes. Scribo vobis iuuenes.] Equidẽ nonnulli inter Latinos etiam & Græcos, in vltimis pericopis, legunt, [Scripsi.] Et apertè nos in eodem capite: [Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.] Sed cum toties dixisset, Scribo, iterumque scribo, potuit tandem dicere, Scripsi. Quid verò Paulus, si nondum scripserat; imò si necdum id quod mox dicturus est, & à modò præscripturus, vllo modo in nostrâ epistolâ tetigerat? Iubet enim fornicarium seu incestuosum tradi satanæ: an id idem est, ac mensæ non adhiberi? Ita Paulus in epistolâ sequente cap. 2. [Scripsi vobis.] De priore scilicet epistolâ. Hoc exigit stylus scribentis, & in id venit concipientis animus, vt aliam apprehendat epistolam, & quod iam diu scriptũ indictũque, reducat in memoriam.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. orat. 16.

Ioan. ep. 1. c. 2.

Aliud tradi satanę, aliud mensæ non adhiberi.

Concludendum igitur, istam quam nunc terimus epistolam esse quidem primam ex iis quas legimus: sed non esse primam earum omnium quas Paulus scripsit ad Corinthios. Nam & ipsi Corinthij antè vltimam epistolam. [Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt, & fortes.] Igitur iam plures antè istam secundam quam habemus epistolã; ergo nec vna, nec sola. Nam, ex Tertulliano: [Possum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est. Quod non vnum est, numerus est. Denique post vnum incipit numerus. Vnum autem est, omne quod semel est.] Iam pridem scripsi vobis, seu, iam aliàs scripsi vobis. [Scripsisse, ait Ambros. se significat priùs, vbi commonuit illos ne iūgerent se malæ vitæ hominibus. Et quia non intellexisse fortè ea quæ scripserat, videbantur: nunc in hac epistolâ quid scripserit, interpretatur; dicens, Non vtique fornicarijs huius mundi: sed à fratribus talibus scripsi recedendum.] Quod ergo scripsit Apostolus in aliâ epistolâ, exponit in istâ. Cum enim scripsisset, Non commisceri fornicarijs, sic accipiebant illi, quasi infideles potius expungeret quàm fideles cum fideles è contra potius quã infideles, proscriberet. Ex prauo igitur intellectu, fornicarium fugiebant infidelem, fidelem ferebant etiam incestuosum. [Igitur, ait ille, intellectum eorum arguit, qui putabant fortè quia ab incredulis prohibuisset, non à fratribus: & ideò illum qui vxorem patris habebat, inter se non ægrè ferebant.] Scripsi igitur vobis in aliâ epistolâ, sed quod de vnis dixi, de aliis accepistis, & ita non diuersam duntaxat, sed & aduersam iniistis sententiam. Nec mirum vnam epistolam quoquo tandem fato periisse, cum credant multi, imò vt certum asserant ac liquidum, totam scripturam eodem morbo laborasse [Potuit Noë, ait Tertullianus, abolefactam scripturam violentiâ cataclysmi, in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaïcæ litteraturæ per Esdram constat restauratum.] Vt vt sit, constat reuera, & ipso scripturarum testimonio, scripturas multas desiderari: fortè est & qui dicat alias excidisse Apostolorum epistolas.

2 Corinth. cap 10.

Tertullian. lib. de ex hort. cast. cap. 7.

Ambrof. in Paul.

Corinthiis multæ scriptæ sunt epistolæ.

Tertullian. lib. de Hab. mul. c. 3.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quid commisceri? &c.

SCripsit igitur Apostolus in epistolâ prædictâ, Non commisceri fornicariis. Primò igitur definiendum est quinam sint fornicarij. Secundò, quid sit iis commisceri. Quoad primum, sunt auctores mundi, sicut & fornicatores mundi. [Quemadmodum loquantur auctores mundi, ait Augustinus, quid ad nos?] Sunt auctores mundi, infideles; sicut & fornicatores mundi: nisi quod illi signantur sermonibus, isti actibus infamantur. Habet mundus auctores suos. De mundo sunt, & de mundo loquuntur, mundanâ linguâ. Habet Christus tractatores suos. De cœlo sunt, & de cœlo loquuntur, & illâ linguâ quæ scripturis diuinis est propria: idcirco dicuntur, [Scripturarum tractatores.] Sensuum diuinorum interpretes. Ita, vt & ille notauit. [Dicitur aliquando in scripturis sapientia pro astutiâ, abusione verbi, non proprietate. Vnde etiam dicitur, Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Quod igitur dicitur sapientia abusione verbi & in malo, consuetudo est scripturarum nostrarum. Habes enim & in

Aug. lib. de pastorib. c. 11.

Augustin. ibidem.

Aliud auctores mũdi aliud tractatores Euangelij

Genesi, Erat ibi serpens sapientior omnibus bestiis. Iste sapientior omnibus bestiis, astutus & acutus ad decipiendum agnoscitur.] Quid ergo per fornicationem intelligant, imò & an labem istam satis capiant sentiantque exitiosam, quid ad nos? Quid verò vsus habeat Ecclesiæ, quid scripturæ stylus, quid doctores sacri, quid scriptores ecclesiastici: id maximè ad nos. [Habet & fides, ait Tertullianus, quorundam nominum familiaritatem. Ita in omni opusculo vnum custodimus. Cæterùm, & si adulterium, & si stuprum dixero, vnum erit contaminatæ carnis elogium. Nec enim interest nuptam alienam, an viduam quis incurset, dum non suam feminam. Sicut nec locis refert, in cubiculis, an in turribus pudicitia trucidetur. Omne homicidium extra syluam latrocinium est. Ita & vbicunque, vel in quamcunque semetipsum adulterat & stuprat, qui aliter quàm nuptiis vtitur.] Est ergo mœchia seu fornicatio, omnis vsus carnis illicitus; & illicitus, qui non coniugalis. Fornicarij denique & mœchi, qui sic vsi. [Non mœchaberis.]

Tertull. l. de pudicit. c. 4.

Quoad secundum, sensum suum aperit Apostolus, cum ait, [Cum einsmodi ne cibum sumere.] Sed id cum determinat, aliud etiam subindicat. Sicut enim per panem, victum omnem intelligimus; sic & per cibum communem capimus conuictum: vt aliud non sit, cibum cum aliquo non sumere, quàm cum illo non conuiuere, nullam habere conuersationem, nullam exercere consuetudinem. Sed cum dicit. [Ne cibum sumere.] Seu, vt ait Chrysostomus: [Cum eo nec vesci quidem.] Innuit duplicem esse victum conuictum-ve, vnum communem ciuilem-ve, ne dicam & profanum; alterum singularem, cœlestem, sanctum; nec humanum iam, sed diuinum. Vult ergo ne quidem in humanis vllum cum fornicariis esse commercium, quanto minus in diuinis? Si enim ne in profanis quidem tolerauerit, in sacris tolerabit? [Hinc igitur informatus & Apostolus, (verba sunt Tertulliani) Scripsi, inquit, vobis in epistolâ, non commisceri fornicatoribus, non vtique fornicatoribus huius mundi, & reliqua. Cæterùm, oportebat vos exire de mundo: nunc autem scribo vobis, Si quis frater nominatur in vobis fornicator, aut idololatres, aut fraudator, & cætera: cum talibus ne cibum quidem sumere, nedum Eucharistiam.] Et est quidem nonnulla excommunicationis species; vel potius non communicationis. Aliud est enim, excommunicatum esse, aliud non communicare. Nam excommunicatum esse, est publicam ferre sceleris sui sententiam, tradi Satanæ, anathemate percuti. [Eiiciebatur nempe à communi fidelium cœtu, (ita loquitur Chrysostomus) abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus, atque ita lupis patebat, & prodebatur incursibus: sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat sancti Spiritus gratia. Ita & Dominus Iudam tradidit Satanæ, continuò enim post buccellam introiuit in illum Satanas.] Publicum istud est Ecclesiæ iudicium, & destinatum culpæ publicæ suppli-

Chrysost. orat. 16.

Tertullian. lib. de pudicit. c. 18.

Aliud excommunicatum esse, aliud non communicare.

Chrysost. Hom. 5. in epist. 1. ad Timoth.

A cium, quo malus extra castra depulsus, patebat insidiis inimicorum, dæmonum-ve iniuriis; luebatque, donec satisfecisset, & per pœnitentiam publicam, pacem ac reconciliationem redemisset.

Interim alia species excommunicationis erat, seu potius non communicationis, eaque duplex: vel ex parte delinquentis, vel ex parte innocentis. Ex parte delinquentis, vt si quis facinus clanculùm admisisset, abstineret ipse, exularetque, proprio tamen motu, non ritu ecclesiastico: ex facti conscientiâ, non iudiciali sententiâ. [Vnusquisque, ait Augustinus, B consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, priùs orationibus, ieiunijs vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se à diuino altari subtraxerit, citò ad indulgentiam diuinæ misericordiæ perueniet. Quia sicut qui se exaltat, humiliabitur, ita è contrario, qui se humiliat, exaltabitur. Qui ergo agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit, ab æterno illo & cœlesti conuiuio excommunicari penitùs non timebit.] Nec aliud obstendit Cyprianus, cum de sanctissimo sacramento. C [Hunc autem, ait, panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes, à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.] Quinam abstenti? non communicantes. Quinam non communicantes? prohibiti, separati; intercedente peccato, non præcedente iudicio; non ordine iudiciario, sed interdicente ac remouente delicto. Ex D parte autem innocentis, vt si quis fornicatorem nosset aut furem fraudatorem-ve, obstinatum inexpiatumque, sese subduceret, nihil cum illo commune haberet; nec communionem solùm subduceret Christianam communicationem-ue, sed nec mensam vellet habere communem. Ita sicut delinquens seipsum ligabat obligabat-ve proprio arbitrio, sic & innocens damnabat alligabatque negato consortio: quasi iam non amplius esset frater, sed inter ethnicos veniret & publicanos. [Cœpisti, inquit Augustinus, habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terrâ: sed vt iustè alligas vide: nam iniusta vincula dirumpit iustitia.]

Aug. serm. 1... de temp. post initium.

Cyp. Tract. de orat. Dom. vlt. med.

Abstenti, qui aliquo delicto sunt detenti.

Aug. serm. 16. de verb. Dom. c. 4.

E Sic igitur semetipsum explicat Apostolus, vt tria simul in vnum congerat. Scripsi olim vobis, & præscripsi: [Ne commisceamini fornicariis.] Nunc iterum scribo, sed meipsum expono. Primò ergo, per peccatorem non intelligo, vt putatis, gentilem; sed fratrem, id est, Christianum, non ethnicum. [Si is qui frater nominatur, est fornicator, &c.] Seu, vt legit Tertullianus: [Si quis frater nominatur in vobis fornicator, &c.] Nam Græcè ὀνομαζόμενος. [Si quis frater nominatus aut fornicator, aut auarus, &c.] Vt participium, [Nominatus.] Velappellet fratrem, vel crimen denotet. Priori sensu. [Si is qui frater

nominatur, est fornicator, &c.] Si quis talis est apud vos nomine tenus Christianus est. [Rectè enim dixit, Qui frater vocatur. Quippe cui fratris duntaxat nomen sit reliquum; nec enim in veritate est frater, qui hisce sit malis obnoxius.] Ita Athanas. Posteriori sensu: [Si quis frater nominatur in vobis fornicator, &c.] Si quis talis inter vos, id est, Christianos, notus est, si Christianus non Christianè viuere deprehensus est. Quid enim? [Temerariis iudiciis, (vti dixit Augustinus) plena sunt omnia.] Non igitur dat locum Apostolus iudiciis temerariis, nec diuortium in Christianis eiusdem fidei domesticis præcipitat. Sed priùs expectat, postulatque notitiam adeò certam, vt inde notari possit ac nominari. [Hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.] Secundò, per fornicarium seu fornicatorem, intelligo mœchum omnem seu stupratorem, qui muliere vtitur non conugaliter, seu qui labe carnis alienæ generaliter polluitur. Qui enim suam cognoscit, carnem quidem attingit, sed labem non contrahit: qui autem accedit ad alteram, rem vtique committit adulterinam: & dum stuprum cogitat, internum perpetrat adulterium. Si quis portò in verbis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei. Tertiò denique, dico, Ne commisceamini, id est, Ne contaminemini. Ita non dixit Christus, vt notauit Aquinas ex Origene: Sit ethnicus & publicanus: sed sit tibi. [Nos enim, inquit, debemus eum habere,, sicut ethnicum & publicanum, abstinentes ab eo vt confundatur. An vt etiam à Deo quasi publicanus & ethnicus iudicetur, non est nostrum pronuntiare, sed est in iudicio Dei.] Si habes indubiam signatamque stantis sceleris notitiam, si potes, debes te substrahere à consortio, nec eodem manere contubernio.

Athanas. in Paulum.

Augustin. lib de pastorib. c. 11.

Temerariis iudicijs plena sunt omnia.

Aquin. in Matth. c. 18.

DISQVISITIO TERTIA.

Quid, Auferri malum ex nobis ipsis?

De tribus potest quæri. Primò, de quo malo res sit: Secundò, ex quibus auferri iubeat Apostolus, vel de quibus intelligat: postremò quid sit auferri. [Auferte malum ex vobis ipsis.] Quoad primum, diximus ex Græcis, rem claram fieri, & omnem auferri amphibologiam. Idcircò Augustinus, [Cum dissereretur, inquit, quomodo sit accipiendum quod ait Apostolus, Auferte malum ex vobis ipsis, illud quod dixi, vt ex seipso quisque auferat malum, non sic esse intelligendum: sed sic potius vt homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit pro ecclesiasticâ disciplinâ, satis Græca lingua indicat, vbi sine ambiguitate scriptum est, vt intelligatur hic malus, non hoc malum.] Quid ergo malum? Iniquum, malignum-ve. [Meminit enim, ait Chrysostomus, dictionis quæ sita est in veteri testamento, simul quidem ostendens quòd & ipsi magna lucra facient, tanquam à graui peste liberati, simul autem etiam significans quod hoc non sit nouitas. Sed superius quoque in veteri videbatur hoc legislatori, eos qui sunt huiusmodi exscindere.] Dictionis, au maledictionis? [Morietur fur ille: id est, (ita Deuteronomium exponit Augustinus) homo qui furatus est hominem, &, Auferetis malignum ex vobis ipsis. Assiduè hoc dicit scriptura, cum iubet occidi malos. Quâ locutione vsus est etiam Apostolus, cum diceret, Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis? Auferte malum ex vobisipsis. Nam Græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hîc scriptum est. Hoc autem potius malignum solet interpretari, quàm malum. Nec ait τὸ πονηρὸν id est, hoc malignum: sed τὸν πονηρὸν quod est, hunc malignum. Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus.] Notat igitur Apostolus, istum insigniter malum, & enormiter fornicarium, dequo iam prolocutus fuerat: incestuosum scilicet: & dicendo, [Hunc] indice signat, indigitatque.

Augustin. lib 1. Retract. c. 17.

Homo malus ex bonis auferendus est.

Chrysost. orat. 16.

Augustin. quæst. 39. in Deuter.

Quoad secundum, constaret sensus, ni Græcismus obstaret. [Alter enim, ait Augustinus, illud Apostolicum posset intelligi, vt vnusquisque malum vel malignum ex seipso sit iussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, vel hoc malignum, non autem hunc malignum in Græco inueniretur. Nunc verò credibilius est, de homine dictum, quàm de vitio. Quanquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre à se malum hominem, quemadmodum dictum est, Exuite vos veterem hominem; quod exponens ait, Qui furabatur, iam non furetur.] Sed de isto malo dici potest, quod Seneca dixit de malo gaudio. [Cum dicit Virgilius: Et mala mentis gaudia: disertè quidem dicit, sed parum propriè: nullum enim malum, gaudium est.] Nam si elegantem minus tamen propriè. De isto quippe homine iam dixerat Apostolus: [Tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit. [Quid est de medio vestrûm? De medio fratrum. De cœtu, de conuentu Frater è fratribus, fidelis è fidelibus. [Omnino auditur inter vos fornicatio.] Commissa est apud vos fornicatio, & adhuc committitur: nota est actio, nec supprimitur. Nec dico latere inter vos talem incestuosum, sed doleo patere tam infandum hominem. Auferte ergo eum qui sic operatus est, de medio vestrum, de vobis ipsis. Nam quod olim scripsi, Non commisceri cum improbis & sceleratis: malè id accepistis, ac peruersè: quasi de solis ethnicis: & non de fratribus seu fidelibus. [Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare?] Id est, gentiles, infideles-ve. [Qui foris sunt, ait Athanas. gentiles dixit, & idolis deditos. Qui verò interiùs, Christianos. Perindè ac si dicat, Neminem equidem nunc eorum qui exteriores sunt, alloquor, id enim leges meas excederet. Superuacaneum igitur Christi præcepta illis iniungere, qui extrà Christi aulam diuagantur. Quæcumque enim lex differit, his qui sub lege sunt, differit.] Quomodo tollerentur illi de nobis ipsis, qui non sunt in nobis ipsis. Idcirco enim nec cœtum inficiunt, quia in nobis, seu de nostris non censentur. Fideles verò fratresque communicant, idcirco societatem fraternita-

Augustin. ibidem.

Seneca. epist. 59.

Multa disertè dicta sed non propriè.

Athanas. in Paul.

Tertul. lib. de pudicit. cap. 18.

tem-ve inquinant. [Modicum scilicet fermentum totam desipis conspersionem. Ita ad Timotheum, Manus nemini citò imponas, neque communices delictis alienis. Et adhuc pressiùs ad Ephesios, Nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarum, imò & reuincite ea. Si autem & ab otiosè incedente fratre denunciat subduci Thessalonicensibus, quanto magis & à fornicatore?] Ita Tertullianus.

Deniq; quoad tertiũ, auferre, idem est quod tollere: tollere autem, est non solùm de medio delere fidelium: sed & quantum Ecclesiæ fas est, aut disciplinæ, de numero viuentium. Ita Iudæi in Paulum: [Tolle de terrâ huiusmodi: non enim fas est eum viuere.] Equidem, vt obseruat Chrysostomus, scelerati in veteri testamento: [Plectebantur vehementiùs, hîc autem mitiùs: aliter enim illa, hæc verò aliter constituebantur.] Sic tamen mitiùs, & sic aliter: vt quod tunc fiebat corporaliter, nunc fiat spiritaliter. [Hoc enim, vti dixit Augustinus, nunc agit in Ecclesiâ excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.] Quid porro agit interfectio? Vitam intercipit, nec reddit; Sed sententiam in iudicium futurum, seu in generalem remittit resurrectionem. Audi Chrysostomum. [Non dat Apostolus fornicatori spem reditûs: sed iubet eum totâ vitâ esse in pœnitentiâ: ne promissione eum reddat socordiorem. Non enim dixit, Tradite eum Satanæ, vt cum pœnitentiam egerit, tradatur Ecclesiæ. Sed quid? Vt saluus sit in extremo die. Eum enim transmittit ad illud tempus, vt eum reddat animi dubium & anxium: & per exemplum fermenti, ne ipsum quidem sinit sperare reditum, sed ad illud diem eum reseruat, dicens, Expurgate vetus fermentum.] Ita plectebantur nonnullæ libidinum furiæ impiæ, & in corpora & in sexus vitra iura naturæ, quæ non tam delicta videbantur quàm monstra. Nec enim solummodo omni Ecclesiæ tecto submouebantur, sed & perenni ac perpetuæ addicebantur pœnitentiæ. [Causas pœnitẽtiæ, ait Tertullianus, delicta cõdicimus. Hæc diuidimus in duos exitus. Alia erũt remissibilia, alia irremissibilia. Secundũ quod nemini dubiũ est, alia castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit aut pœna: venia, ex castigatione; pœna, ex damnatione.] Et huc redigit mœchiæ & fornicationis statum luctumque indicit pœnitenti, non tam speranti, quàm expiranti. Auferte igitur malum ex vobis ipsis. Delete incestuosum de fratrum numero, quasi de libro viuentium. Lugete illum, tanquam mortuum: amandate miserum extra Ecclesiam, eliminate, & perpetuam ei denuntiate pœnitentiam.

Augustin. quæst. 59. in Deuter. — *Actuũ c. 21.* — *Chrysost. orat. 16.* — *Augustin. quæst. 59. in Deuteron.* — *Chrysost. orat. 15.* — *Quomodo olim puniti libidinum furiæ.* — *Tertull. lib. de pudicit. cap. 2.*

TROPOLOGIA.

Si is qui frater nominatur, est fornicator, &c.

TRes sunt peccatorum species. Sed quis legat patienter, aut simpliciter credat, tot illo seculo facinorosos fuisse, totque sceleratos? [Vides, ait Athanas. quemadmodum non vnus aliquis esset fornicationis scelere inquinatus, sed alii erant plerique eiusmodi, & variis affecti iam vitiis.] Verùm ad rem nostram, seu distributionem Apostolicam.

Athanas. in Paulum.

A

Prima igitur species peccatorum est, quibus homo peccat in seipsum, quibusque seipsum dehonestat. Sunt autem illa duo, tam affinia, quàm & infamia. [Veneri enim, vti dixit Tertullianus, & Libero conuenit. Duo ista Dæmonia conspirata & coniurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis.] Vnde & ille de quadam scripturâ apocryphâ ac falsâ. [Adultera, inquit, & ipsa, & inde patrona sociorum. Cui ille, si fortè, patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani sacramenti, meritò & ebrietatis idolum, & mœchiæ asilum post calicem subsecuturæ.] Hinc igitur censuram suam orditur Apostolus, morumque, non dicam Christianorum, sed deprauatorum picturam aggreditur. [Si is, qui frater nominatur, est fornicator.] Satin'? [Aut ebriosus.] Christianus nominaris, dicisque, non mœchandum, & tamen mœcharis: præclaro sanè, sed vanè tanto gloriaris aut euanescis titulo. [Non dicit, Si is, qui frater est, (ita Aquinas) sed si is qui frater nominatur: quia per peccatum mortale aliquis à charitate recedit, quæ est spiritualis fraternitatis causa. Vnde Heb. vlt. dicitur, Charitas fraternitatis maneat in vobis. Nominatur ergo frater propter fidei veritatem, non autem est verè frater, propter charitatis defectum, qui est ex peccato.] Habes nomen quod viuas, & mortuus es: tenes fidem quâ credas, factis autem ethnicus es; nihilo enim melior, imò & peior. Sed & illud notandum, quod ipse notat. [Notandum est, inquit, quòd Apostolus non numerauit, nisi peccata mortalia, pro quibus solis debet aliquis excommunicari. Ebrietas igitur est peccatũ mortale. Quod .n. aliquis præter delectationẽ vini velit perdere vsum rationis, exponens se periculo multa alia perpetrandi, videtur esse contrarius charitati.] Imò in illo ebrietatis, seu ebriositatis vitio, non tam spectandus est rationis defectus, quàm excessus voluptatis. Quod enim facilè quis vel difficilè de rationis arce deiiciatur, quòd extincto mentis lumine fortiùs capiatur malis, accidentis est, non definientis. At vitia illa quæ Paulus enumerat, non ex accidente fortuito lethalia sunt, sed ex suo genere: nec ex frequentiâ suâ censenda sunt, sed ex propriâ nequitiâ: talia enim sunt, quæ excommunicationi sint obnoxia, id est, non solùm priuationi gratiæ, sed & damnationi Ecclesiæ. Qui enim talia faciunt, regnum Dei non possidebunt: nec habent partem in Ecclesiâ, qui sortem, imò nec spem habent in gloriâ. Pares sunt apud Apostolum comessationes & ebrietates: porro sicut commessationes, non propter animi deliquium, sed propter nimium cibi vsum, sic & ebrietates, propter immodicum immoderatum-ve vini potum sunt damnabiles. Pertinent enim ad gulæ vitium; seu intemperantiæ: & omnes eos intemperantes habent, gulososque, qui potentes sunt ad bibendum vinum, etsi impotentes tandem euadunt, studenteque calicibus epotandis, esto animum non in totum obnubilent. Mirum tamen, vtrunque vitium, gulæ dico

Tertullian. lib. de Spectac. c. 10. — *Tertullian. lib. de pudicit. c. 10.* — B — *Aquin. lect. 3.* — C — *Aquin. ibid.* — D — *Pares apud Apostolum commessationes & ebrietates.* — E

ac luxuriæ, pudendum, nec pudere: infandum, etiam eos, qui ab vtroque temperant vitio, vtrique fauere: monſtrum horrendiſſimum etiam eos, qui ex voto, & vt dicunt, ex profeſſo renuntiant, vtrique gnauiter, imò ignauiter incumbere. [Quod enim ais, quaſdam eſſe virgines tabernarias: ego tibi plus dico, eſſe in his & adulteras: &, quo magis mireris, clericos eſſe caupones, & monachos impudicos.] Ita Hieronymus.

Hieronym. aduerſ. Heluid.

Secunda ſpecies peccatorum eſt, quibus homo nocet proximo. Poteſt autem nocere dupliciter, re nimirum ac ſermone. Et quidem quoad ſermonem: reus eſt, ſi maledicus eſt. [Aut maledicus, aut ebrioſus.] Nimirum, vt exponit Aquinas. [Addit Apoſtolus duo peccata his, quæ ſuprà poſuerat, ſcilicet ebrioſum & maledicum. Refertur autem ebrietas ad genus peccati, quod committit contra ſeipſum, ſub quo continetur non ſolùm luxuria, ſed etiam gula. Maledicus autem refertur ad genus peccati, quod committit contra proximum, cui nocet aliquis non ſolùm facto, ſed etiam verbo, mala imprecando, vel malè diffamando, quod pertinet ad detractionem. Vel mala in faciem dicendo, quod pertinet ad contumeliam: & hoc totum pertinet ad rationem maledici.] Quoad rem verò. [Aut auaris, aut rapacibus.] Nam, vt & ille notat. [Conceperant Corinthij in quadam aliâ epiſtolâ, quæ in canone non habetur, falſum intellectum, quantum ad hoc, quòd putabãt prohibuiſſe Apoſtolum ſolùm de fornicariis, non autem de aliis peccatoribus. Et ideo ad hoc excludendum, ſubdit, Aut auaris, qui ſcilicet iniuſtè detinent aliena. Aut rapacibus qui ſcilicet violenter diripiunt aliena.] Qui ſunt auari Græcè πλεονέκται? Qui plus habent quàm neceſſe eſt, qui congerẽdis ſtudent diuitiis, qui non ſolùm aliena detinẽt fraudulenter, ſed & ſua tenaciter retinent. Ii ſunt, qui diuites ſunt feliceſq; ſecundùm mundũ, non ſecundùm Deum: qui ea quæ ſunt ſeculi cupiunt, qui bona ſeu commoda mũdi etſi non actu, affectu tamẽ congerũt: qui acquiſitis incubant, inhiant acquirendis. Ii ſunt, quorum colluuie totus refertus eſt mundus: vnde cum Chriſtus de iſtis diſſeruiſſet, ſalutemque illis effeciſſet, non difficilem duntaxat, ſed penè impoſſibilem; admirati diſcipuli dixerunt, [Quis ergo poterit ſaluus eſſe?] Omnes enim cupidi, omnes auari. [Cum enim pauci ſint diuites, ait Auguſtinus, in comparatione multitudinis pauperum: intelligendum quòd omnes qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animaduerterint.] Vnde ſtatim Petrus: [Ecce nos, inquit, reliquimus omnia.] Cum diuitias non cuperet, imò nec haberet pecunias. [Nam alii quidem de contrariis gloriantur, dicentes, Ego tot & tot habeo auri talenta, & terræ iugera infinita, & domos & mancipia. Hic autem propterea quòd ſit omnium nudus, non deliteſcit ob paupertatem, quod ſtultis accidit; neque præ pudore vultum tegit, ſed etiam gloriatur. Argentum, inquit, & aurum non eſt mihi. Quid hac voce grauius, quid beatius, quid locupletius?] Sed hoc miſerum, miſerandumque, quòd ij etiam qui Euangelicam paupertatem iactant, humanam palpant cupiditatem.

Aquin. lect. 3.
B
Aquin. ibid.
C
Totus mũdus auaris refertus eſt.
D
Aug. lib. 1. q. Euan. c. 2.
E
Chryſoſt. orat. 15.

A [Nec harum enim opinionum (vt dicam ex Tertulliano.) ſuaſoriæ deſunt.] Et preſſiùs [Scimus quales ſint carnalium commodorum ſuaſoriæ: quum facilè dicatur, Opus eſt de totis præcordiis credam, diligam Deum & proximum mihi.] Atque vtinam vel huic pepercissent virtuti, vel ſoli inter nos, id eſt Chriſtianos, vel cæterorum omnium parenti; vtinam vel illam ſaluam voluiſſent ſine quâ nulla ſalus eſt, & vana eſt virtus. Sed nihil intactum relictum eſt, & cum an quid tutum ſit quæſitum eſt, quiduis intutum permanſit: non enim Euangelio veritatis, ſed vano iam ſubſiſtit rationis apparentis ſimulacro.

Tertul. lib. de anima c. 56.
Tertul. li. de ieiun. c. 1.

B Vltima peccatorum ſpecies eſt, quibus in Deum delinquitur, ſeu quibus diuinitas ipſa, ſuprema maieſtas, in cultu ſuo, ſeu debito ritu læditur. [Aduertendum eſt enim, (vti aduertit Aquinas) quòd per fornicationem quis peccat contra ſeipſum: per auaritiam autem & rapacitatem, contra proximum: per idolorum autem culturam, contra Deum.] Hoc eſt ergo quod ait Apoſtolus. [Aut idolis ſeruientibus.] Græcè εἰδωλολάτραις ſimulacrorum cultoribus. [Verùm, inquit Athanaſ. quo pacto frater cum ſit, inſeruire idolis poterit? Quemadmodum olim contigit in Samaritanis, vt pars dimidia piè colerent Deum, C ſic & inter hos quidam idolis adhuc inhærebant.] Reſponſionem iſtam quis ſumpſit ex Chryſoſtomo, ſed mentem non hauſit integram. [Id olim, inquit, contingebat apud Samaritanos, qui ex dimidiâ parte eligebant impietatem.] Itaque, dimidiatio illa non eſt ex parte colentium, ſed ex parte cultuum rituumve: vt vnum quidem Deum omnes colerent, ſed ſuperſtitionem nonnullam admiſcerent impietatem-ve; ſicque non diuinitatem, ſed religionem diuiderent. Sunt ergo Chriſtiani idolorum cultores, qui de idolothytis ſacrificiorum impiè manducant, vel infidelium ſacris facilè communicant. [Plerique enim, vti dixit Tertul- D lianus, idololatriã ſimpliciter exiſtimant his ſolis modis interpretandam, ſi quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut ſacris aliquibus; aut ſacerdotiis obligetur: quemadmodum ſi quis exiſtimet adulterium in oſculis, & in amplexibus, & in ipſa carnis congreſſione cenſendum: aut homicidium in ſolâ ſanguinis profuſione, & in animæ reputandum.] Capitalia iſta crimina, porriguntur ramis, veniſque diffunduntur innumeris; tanta eſt criminum ſubſtantia, tanta malorũ abundantia. [Sed & alias, ait ille, quum vniuerſa delicta aduersùs Deum ſapiant, nihil autem quod aduerſus Deum E ſapit, non dæmoniis & immundis ſpiritibus deputetur, quibus idola mancipantur; ſine dubio idololatriam admittit, quicumque delinquit: id enim facit, quod ad idolorum mancipes pertinet.] Vides iã multo plus auctum eſſe idololatrarũ numerum: dum tam multi ſunt, qui ſeruiunt creaturæ potius quàm creatori, & opus opifici, etſi non colendo, eligendo nihilominus ac diligendo præferunt. Nec exiſtimes numerum ſceleratis & impiis comprehenſum. Etiam & qui excolunt conſcientiam, in idololatriam incidunt: etſi enim renuntiant diabolo, mundo tamen ſeu mundanæ immolant ſapientiæ,

Aquin. lect. 3.
Athanaſ. in Paul.
Chryſoſt. orat. 16.
Tertullian. lib. de idolat. c. 2.
Tertullian. eodem l. c. 1.
Idololatriã admittit quicumque delinquit.

tiæ. Certè filius hominis aduenieus, plurimam inueniret rationem, sed fidem modicam: imò latuam rationis inueniret vmbram-ve, sed quãtulam fidei lucem sinceritatemque? Multi sapientes secundùm carnem, pauci fideles secũdùm veritatem. Ex quo salus Christiana pulsata est, & Philosophica virtus intrusa: ex quo Rachel posthabita, Liaque tam lippis misera oculis, quam ingenitis superba puerperiis, præmissa est: humanis institerunt vani homines, & quasi infideles Christiani, idolis, seu formulis argutiarum seruierunt, minutiarumque. [Ad hoc, ait Tertullianus, necessaria est vocabuli interpretatio. Εἶδος Græcè formam sonat, ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & seruitus. Inde & omnis idoli artifex, eiusdem & vnius est criminis.] Abite ergo, abite, dum alieni estis, non estis mei.

Tertullian. cap. 3.

ANAGOGIA.

Aut auarus.

NVlli sunt reuera idolis seruientes, pauci sint & in Ecclesiâ fornicatores: sed omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi: etsi enim aliena fortè non rapiunt omnes, maiora tamen & ampliora subinde semper appetunt. Tria igitur inexpectata propono, quæ paradoxa diceret Stoïcus, Chrysostomus vel alius dicet ænigmata.

Primum est, Nihil esse pauperius diuite, nihil ditius paupere. Quid quærit auarus? aurum & argentum. Inde diuitem arbitratur se & locupletem, dum auro suffarcinatur & argento. Imò nihil pauperius illo qui nunquam ditari potest, nec vnquam potest ditari, qui non potest satiari. Quomodo enim copiam consequetur, qui nec assequitur sufficientiam? [Vbi sunt diuites qui numerant vsuras & vsuras vsurarum, (audis Chrysostomum) & qui bona omnium capiunt, & nunquam satiantur? Audiuistis Petri vocem, quæ ostendit paupertatem diuitiarum matrem, quæ nihil habet, & est ditior iis qui sunt redimiti diadematibus. Nam hæc quæ nihil solebat, & mortuos excitabat, & claudi vt recti ambularent faciebat, & dæmones fugabat, & ea donabat quæ nunquam potuerant qui erant induti purpurâ, & magnos & terribiles ducebant exercitus. Sic fieri potest vt qui nihil habet, ea quæ sunt omnium possideat. Sin autem possideamus quæ sunt omnium, priuati sumus omnibus. Ænigma fortè esse videtur quod dictum est: sed non est. At quomodo, inquis, is qui nihil habet, possidet ea quæ sunt omnium: non multo autem magis is qui quæ sunt omnium possidet? Nequaquam, sed totum contrarium. Nam qui nihil habent sicut illi, illis erant apertæ omnes domus, & gratiam habebant qui eis præbebant: & tanquam ad amicos & cognatos veniebant. Venerunt enim ad purpuræ venditricem, & illa tanquam ancilla eis sua apposuit: & ad custodem carceris, & ille totam

Chrysost. orat. 15.

Sancti nihil habent omninò & omnia possident.

A domum suam eis aperuit: & ad mille alios. Sic omnia habebant, & nihil habebant. Nihil enim ex his quæ sunt dicebant esse proprium. Propterea omnia erant ipsorum.] Quantum istud paradoxum, vt qui minus habet, plus habeat; qui plus habet, minus habeat? Hoc tamen docent Stoïci, sic & ipsi censent Epicuræi. [Epicurus, ait Seneca, illam nobilem sententiam scripsit, quâ hortatur vt hominem locupletem non publicâ nec ancipiti viâ faciat. Si vis, inquit, hominem diuitem facere, non pecuniæ adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. Et apertior ista sententia est, quàm

Sen. ep. 21.

B vt interpretanda sit; & disertior, quàm vt adiuuanda. Hoc vnum admoneo, ne istud tantùm existimes de diuitiis dictum: quocumque transtuleris, idem poterit. Si vis hominem honestum facere, non honoribus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis hohominem esse in perpetuâ voluptate, non voluptatibus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum.] Transferamus castra, & ad nostra redeamus: Si vis hominem ingentem facere, dominum, copiosum, non acquisitionibus, non opibus, non facultatibus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. [Nam qui ea quæ sunt, ait Chrysostomus, esse com-

Chrysost. orat. 15.

C munia existimat, non suis tantùm vtetur, sed ijs etiam, quæ sunt aliorum, tanquam propriis. Qui autem abscindit, & se suarum tantùm rerum facit esse dominum, ne earum quidem erit dominus. Hoc est autem exemplo manifestum. Qui nihil omninò possidet, neque domum, neque mensam, neque superfluam vestem, sed propter Deum omnibus est priuatus, communibus vtitur tanquam proprijs, & ab omnibus quæ volet accipiet. Ita quæ sunt omnium habet qui nihil habet. Qui autem habet aliqua, ne eorum quidem erit dominus. Neque enim dabit quispiam ei qui possidet: & latronum &

D furum & calumniatorũ, & mutationis rerum, & omnium magis quàm illius erunt res illis.] Qui enim sibi priuatim vindicat aliquid, statim se priuat; & dum priuat, abdicat.

Secundum est, nihil esse infelicius diuite, paupere nihil felicius. Cur appetit auarus, & nouas subinde congerit diuitias? nempe vt quietem inueniat & felicitatem, statum sibi beatum constituat. Vnde ille in Euangelio. [Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.] Requiesce, scilicet à labore. [Permissus est, ait Basilius, deliberare in omnibus, & manifestare propositum proprium, vt condignam

Luc cap. 12.

Basil. Hom. 6. post. med.

E mereatur sui affectûs sententiam. [Stultus est qui se felicem sperat in hoc seculo, stultior qui felicitatem aut requiem in partis locat diuitiis. Ita sentiunt homines, quia homines sunt. Sed Deus de cœlo reprobat audaciam, & aduersam stulto sententiam denuntiat. [Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.] Nec mora, nec requies: nec petent solùm, sed & repetent; quia ibi series suppliciorum est, vbi congeries est criminum. [Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.] Quis ille qui sibi thesaurizat? Qui non est in Deum diues. Quis ille, qui non est in Deum diues? qui diues est iuxta seculum, diues

Bona, etsi in felicitatem ducũt, nunquam constituunt.

A in mundum. Qui agrum agro iungit, qui vtraque manu colligit: qui de acquisitis cogitat aut acquirendis, & requiem ex ijs expectat, felicitatemque. Hominum non stultissime solùm, sed & insulsissime: nec enim sapientes huius mundi, quanquam variis inter se sectarum libidinibus, & aduersis sententiarum æmulationibus discordes, summum bonum in ijs collocarunt, quæ nec bona, vix etiam iudicarunt commoda. [Multis, ait Seneca, ad philosophandum obstitere diuitiæ: paupertas expedita est, secura est. Quid est ergo, quare tu hanc recuses contubernalem, cuius mores sanus diues imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis.] Si Stoïcum

Seneca. epist. 17.

B recusas vt durum: audias virum, vix virum, & tamen Christianis, nedum Stoïcis condignam erubescendi præbentem, si non docendi; mirandi, si non concionandi materiam. [Is maximè diuitijs fruitur, qui minimè diuitijs indiget. Ede, inquis, auctorem. Vt scias quàm benigni simus, propositum est aliena laudare. Epicuri est, aut Metrodori, aut alicuius ex illâ officinâ. Et quid interest, quis dixerit? omnibus dixit.] Sed Philosophiam externam desero, & transeo in Ecclesiam. [Neque enim, (vti dixit Chrysostomus) Ecclesijs tam prodesse valent diuites illi pompatici, vt pauperes magnanimi. Nemo hoc dictum miretur: nam multæ sunt

Sen. ep. 14.

Chrysost. in illud Salut. Prisc. in med.

C diuitijs molestiæ & negotia. Timet pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex his auferat. Et qui multorum est dominus, idem multorum seruus esse cogitur. Pauper autē nummis parum valens, & curis his omnibus carens, leo est, ignē spirat, generoso & forti animo aduersùs omnes insurgit, facilè omnia agit, quæ prodesse possunt Ecclesijs.] Et cui prosint diuites mundi, qui nec sibi prosint; qui nec sibi diuites sint nec alteri, qui nullibi sint felices? Auarus nunquam sistit cupiditatem: (verba sunt Chrysostomi) non solùm quòd non possit quæcunque sunt aliorum accipere, sed & quod quæcunque apprehenderit

Chrysost. orat. 14.

D ac possederit, se nihil habere putat. Considera illum, qui pecunias concupiscit, & permultas acquisiuit, is est affectus perinde atque si nihil habeat. Hocne morbo potest aliquid esse magis perplexum? Qui autem pecunias contemnit, omnia existimabit superflua: neque infinitis cupiditatibus cruciabit animam.] Quò plus acquirit diues, eò plus concupiscit: igitur tātò plus deficit, quantò plus proficit: & quo maior facultatis acquisitio, maior est paupertatis accessio.

Tertium denique. Ibi virtutum profectus est,

E vbi defectus est terrenorum omnium. [Quid nunc ait Tertullianus, si non certaminis nomine in martyria fidem exposuisset Deus, sed & proprij profectûs: nonne oportebat illam habere aliquem spei cumulum, cui studium suum cogeret, votumque suspenderet, quo eniteretur ascendere, quum terrena quoque officia in gradus æstuent? Aut quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella distabit in gloriâ, nisi pro diuersitate radiorum? Porrò, & si fidei propterea congruebat sublimitatis & claritatis aliqua prælatio, tale quid esse oportuerat illud emolumenti, quod magno constaret labore, cruciatu, tormento, morte.] Repetenda sunt Pauli & verba & certamina: eò enim trahunt, imò & ducunt. Spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus.] Ita planè, ait Bernardus, & & malis & bonis pariter. Illos enim sollicitat inuidiæ passio, istos compassio misericordiæ, vt in nos incessanter intendant: illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes. Nimirum in probatione sumus, inter paradisum, & infernum interim medij, velut inter claustrū & seculum constituti. Diligenter consideratur vtrimque quid agimus: vtrimque dicitur: ô si ad nos transeat! intentione quidem dissimili, sed non dispari forsitan voluntate. Quod si ita omnium oculi in nos: nostri quò abierunt, aut quare ipsi soli recesserunt à nobis? A dextris siquidem & à sinistris tanto studio circumspecti, soli dissimulamus inspicere vitam nostram: soli nosmetipsos negligimus intueri, nec verentes deceptorios, nec administratorios saltem spiritus reuerentes. Me expectant iusti donec retribuas mihi. Et item: Me expectauerunt peccatores, vt perderent me. Hinc mihi gehenna, hinc corona paratur: & inter hanc atque illam medium nugari libet, oscitare delectat? Vsque adeò nec trahor desiderio, nec periculo torreor, nec cupidus planè, nec pauidus, in quibus magis fuerat necessarium.] Ego repertum est tandem in quibus esse cupidus, quomodo & auarus esse valeas, imò debeas. An solus in theatrum ac spectaculum productus est Apostolus? Imò & quilibet sanctus. Quid verò in spectaculum & angelis & hominibus? [Medius, ait Gregorius Nazianzenus, inter homines ac Deū constitutus.] Quasi inter infima & suprema suspensus: infima deserens, & in suprema contendens: ideoque eo magis supremis accedit, quo magis recedit ab infimis: tūcque profectus virtutum summus est, cum omnium defectus terrenorum. [Scopus est, ait ille, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, diuinamque imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare: Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere, atque, vt summatim dicam, eum, qui superni agminis sit, Deum efficere, ac supernam beatitudinem ipsi comparare. Huc magistra lex tendit: huc inter Christum & legem interiecti Prophetæ: huc spiritualis legis perfector & finis Christus.] Spectaculum factus es & mundo & cœlo, inter paradisum constitutus & infernum. Vtrimque spectaris, vtrimque expectaris. Hinc enim insectantur hostes, inde ciues præstolantur. Quid obiicit Plutus ille infernalis argentum, aurum, imò regna omnia mundana terrena-ue promittit, sed fallit. Inde recedendum est, & si regnandum est, summū ambiendum est imperiū. Hîc cupiditati licet, patet ambitioni. Iam decet esse cupidum, decet auarum, imò oportet. Sed nunquam cœlestia tanges, nisi terrena deseras: nunquam in cœlum euades, nisi mundum contemnas. Quo plus in humanis deficies, plus proficies in diuinis: & quo plus recedes ab iis quæ videntur & non sunt, plus ad ea accedes quæ sunt & non videntur.


Tertullian. l. de Scorp. cap. 6.

Bern. ser. 31. ex par. & variis.

Sanctus inter cœlum & terram suspensus.

Gregorius Nazianzen. Apol. 1. circa medium.

Gregor cit. med.



CAPVT SEXTVM.


Epigraphe.

IVdicia forensia ablegat, Christiana corpora sanctificat. Causa igitur & sententia inter nos ipsos, & ea quæ nostra sunt, quasi ex æquo diuisa.

PARS PRIMA.

De iudiciis forensibus.

TEXTVS.



Vdet aliquis vestrûm habens negotium aduersùs alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Secularia igitur si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? Iam quidem omninò delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

EXEGESIS LITTERALIS.

VTinam nullus vnquam litem intendat: sed si permittendum est, si licitum: saltem frater cum fratre apud fratrem contendat: licet multò melius sit digniusque iniuriam pati, quàm sequi auaritiam, vel vindictam assequi.

[Audet aliquis vestrûm habens negotium aduersùs alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? &c.] Litigatores arguit, imprimitque quàm iniquum, quamque Christianis, vtpote sanctis, indignum, coram profanis disceptare, fratresque ad extraneum prouocare iudicium. [Cum de pecuniis creditis & repetundis, causas haberent nonnulli, (ita Comment. Athanas.) ad Gentiles iudices haud secus ac legis Christianæ latores, has deferebant, illorum iudicio terminandas. Id Paulus in medium prodiens castigat & corrigit. Cumque & auaros commemorasset, hos statim vt curet, ardore incenditur, qui talibus in rebus delinquerent. Aduerte autem quemadmodum initiò statim iam prætendat. Quippe qui audaciam rem ipsam appellet & iniustitiam. Neque enim apud infideles, sed apud iniquos intulit. Quandoquidem qui litigat, quod æquum sit assequi concupiscit, quod tamen minus hos posse arguit adipisci. Iniqui enim & iniusti sunt, inquit, Gentilium iudices. Quo ergo pacto, quod æquius sit pro te sunt laturi iudicium? Sanctos verò fideles appellat, & ex ipsis nominibus quantum hi inter se differant patefacit; cum iniquiores sint alteri, alteri sanctimoniâ polleant.] An iusti sunt, qui fide carent, carent religione? At qui verè sunt Christiani, non solùm professione, sed & re

Comment. Athanas.

A

Ab iniquis æquum iudicium sperandum non est.

tam iusti sunt, quàm & sancti. [An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Etsi in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? &c.] Christiani ipsi adeò sancti sunt, adeo iusti, vt digni sint, qui impios reprobos-ve in extremo damnent iudicio, nedum prolatam probent sententiam. Si ergo mundus per vos Christianos iudicandus est. Si de summis iudices constituemini, cur vos de minimis, ne dicam & friuolis incompetentes arbitremini? [Quoniam, ait ille, fideles cum idiotæ essent & legum ignari, haudquaquam digni fortitan viderentur, qui decernerent causas, dignos hos & idoneos reddit, cum sanctos hos nuncupat, tum etiam quòd de mundo cognituri sint asserit.] Quidni dignos & idoneos? Nam, vti dixit Ambros. [Non sunt vtique indigni qui ipsum mundum iudicaturi sunt, ea iudicare quæ mundi sunt.]

Athanas. ibidem.

Ambros. in Paulum.

[Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis secularia? &c.] Quid dixi, mundum à vobis Christianis iudicandum? Parùm est vos constitui iudices hominum iniquorum. Quid verò & angelorum rebellium, spirituumque immortalium vos in præsides erigi? Quis ergo vobis eorum quæ ad mortalem vitam pertinent, humanamque fouent imbecillitatem, arbitrium deneget, aut detrectet iudicium? [Secularia:] Græcè βιωτικὰ. [Addit plus, dicendo, ait Comment Ambros. Angelos iudicabimus: id est, potentias spiritales, quas alio loco tradit in cœlestibus degere, eodem genere iudicandos angelos à nobis, quo & mundus iudicabitur. Quanto magis secularia? Quæ sunt ad corpus pertinentia vel corporea.] Quæ sunt præsentis vitæ, seu secularis œconomiæ. [Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad iudicandum.] Si igitur inter vos de iis quæ ad familiæ victum, ad vsum vitæ necessaria sunt, aut commoda, natæ sint controuersiæ. Constituite, Græcè καθίζετε, facite sedere, ad examinandum scilicet iudicandumque. Quos? Eos qui inter vos postremi sunt, ac contempti. Melius enim certè tolerabilius, tales haberi, quàm infideles adhiberi. [Cum hyperbole, ait Chrysostomus, & exuperatione nos volens docere, quod quicquid sit non oporteat nos externis dare, mota quæ videbatur esse obiectione, antè eam soluit. Nam quod dicit, est eiusmodi. Fortasse dicet quispiam, nullum esse inter vos sapientem, neque qui ad decernendum & diiudicandum sit idoneus. Et quid tum? Nam etsi nullus, inquit, sit sapiens, vos minimis permittite.] Concessio est potius aut permissio, quàm iussio. Vnde. [Ad verecundiam vestram dico. Sic non est, inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre contendit: & hoc apud infideles? &c.] Quod dico de minimis ac contemptis, non sic statuo, ad verecundiam vestram potius & erubescentiam dico, quàm ad meam sententiam. Non est vllus sapiens inter vos? Græcè οὐδὲ εἷς. Ne vnus quidem, qui rem possit inter fratrem & fratrem componere, vt necesse sit iudices consulere infideles? Siccine frater fratrem lacessit, & iudicem insuper gentilem consulite? Cum æquius esset extremos deligi fidelium, quàm adiri primos infidelium.

Comment. Ambros.

Chrysost orat. 16.

Melius est extremos fidelium deligi, quàm primos infidelium consuli.

A [Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, &c.] Dicetis vos iniuriâ affectos à fratribus. Sed an inde inferetis, litigandum esse coràm profanis iudicibus. Imò in eo quòd iudicia, seu disceptationes inter vos admittitis forenses, proculdubio delinquitis. [Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?] Cur non potius illatam sustinetis iniuriam? cur non potius aduersùs damnum aut probrum Christianam exercetis patientiam? Melius est enim in hisce friuolis pati, quàm contentioso experiri iudicio. [Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus, &c.] Sed vos contra facitis, tantùm enim abest vt iniuriam feratis patienter illatam, quin & petulanter inferatis, nec ipsis fratribus parcatis, id est, eiusdem religionis, eiusdem & fœderis consortibus. [Primum, igitur, ait Athanas. quæ apud infideles inibantur iudicia sustulit: tum verò illa prorsus euertit, dicens, omninò delictum est in vobis, hoc est in condemnationem & ignominiam cedit, quia iudicia inter vos exercetis. Inter vosmet autem dixit, quia non minoris, cum Christianissimus, fratres debemus, ac nos ipsos æstimare. Multiplex igitur istorum est crimen: tum quia illatam nesciunt iniuriam ferre, tum quia ipsi sese in alios iniustos exhibent, tum demum, quia in fratres iniquitatem exercent. Satius enim foret, nec inferre nec pati iniurias. Concludit demum, melius esse tolerare, quàm inferre iniuriam.] Ille enim læsus quidem, sed iste iniquus est. [An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? &c.] Iniqui sunt, qui inferunt iniuriam. An verò æquum est, aut Deo ipso dignum, vt qui iniustitiam exercet, speret gloriam? [Hoc dicens, ait Ambros. ostendit illos non nescios peccare, ac per hoc grauius vindicandum. Si enim misericordes rei sunt apud Deum, quanto magis iniqui?]

B

Athanas. in Paulum.

C

Melius est iniuriam ferre quàm facere.

Ambros. in Paulum.

D

[Nolite errare, &c.] Id quidem scire debetis, vos, inquam, apud quos consedi, & tamdiu docui. Sed si obliti estis; aut seducti: insto, & inculco. [Neque fornicarij, &c.] Mœchi. [Neque idolis seruientes, &c.] Simulacris cultum exhibentes, Deo vero debitum: [Neque adulteri, &c.] Fidem violantes coniugalem. [Neque molles, &c.] Pathici, catamiti. [Neque masculorum concubitores, &c.] Incubi. [Neque fures, &c.] Qui surripiunt. [Neque auari, &c.] Qui corradunt. [Neque ebriosi, &c.] Multo indulgentes vino. [Neque maledici, &c.] Conuitiatores. [Neque rapaces, &c.] Qui per apertam auferunt violentiam. [Regnum Dei possidebunt, &c.] Ij omnes filij sunt diaboli, ideoque nusquam hæredes erunt Dei, nec Christi cohæredes. [Et hoc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.] Quidam ex vobis aliquando auari, aliquando ebriosi. Sed quales tandem aliquando fueritis, ab omnibus scelerum sordibus abluti estis in baptismo, veramque san-

E

ctificationem, & integram iustificationem, Christi merito consecuti estis, & Spiritûs sancti beneficio. [Hæc omnia beneficia puritatis, ait Comment. Ambros. in baptismate consequuti noscuntur, quod est fundamentum Euangelicæ veritatis. Illic enim omnibus peccatis depositis abluitur credens, iustificatur in Domini nomine, & per spiritum Dei nostri Deo filius adoptatur.] Videntur Corinthij mundanâ sapientiâ subornati, quasi Deus neminem puniturus esset ob delicta; sed ob fidem regna redditurus cœlestia. [Vnde id agit Apostolus, vt reuocet illos ad veram & primam sententiam, vt recuperarent quod fuerant consecuti.] Ita ille. En quid pariat humana magistellorum Philologia, en quo desinat mollissima & benignissima bellulorum disciplina.

Comment. Ambros.

Quo tandē vehat humana disciplina.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

DE duplici iudicio quæstio est, cœlesti, & seculari De illo, quibus sit concessum? De isto, an alicui sit licitum. Sit ergo

DISQVISITIO PRIMA.

De iudicio cœlesti.

ILlud erit: [Cum venerit filius hominis in maiestate suâ, & omnes angeli cum eo.] In quo apparent angeli, quasi iudicaturi, non quasi iudicandi. Homines verò venient, tanquam iudicandi, non tanquam iudicaturi. Sicut enim ascendet angelis comitantibus, sic & descendet. [Cum gloriâ enim huc reuertetur, ait Origenes, vt corpus eius sit, quale fuit cum transfiguratus fuit in monte.] Vnde & illi: [Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum.] Gloriosum scilicet, circumdatum maiestate, auctoritate conspicuum. Illic angeli soli comites sunt, &, vt ita dicam, collaterales: homines non tam iudicant quàm adstant spectantes expectantesque. [Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hœdis.] Adhibito scilicet angelorum, maximè autem custodum ministerio. Vnde ex Augustino. [Potest illud intelligi, Aduocabit cœlum sursum, aduocabit angelos in supernis & excelsis locis, cum quibus descendat ad faciendum iudicium: aduocabit & terram, id est homines in terrâ vtique iudicandos.] Sed aliud est Christum descendere ad iudicium faciendum comitantibus angelis, aut etiam ministrantibus; aliud, & ipsis iudicantibus. Scimus enim angelos etiam beatos esse Christi venturi ministros, & vt ita dicam, apparitores & satellites: nusquam legimus, fore assessores, aut socios associatos-ue. Scimus eos esse hominum custodes, non legimus fore hominum iudices. Imò legimus, Angelos ab hominibus iudicatos iri; nusquam audiuimus, angelos genus humanum iudicaturos. Quinimò, infimi hominum, supremos iudicabunt angelorum:

Matth. c. 25.

Orig. Ho. 34. in Matt.

Act. cap. 1.

Augustin. lib. 20. de Ciuitat. Dei cap. 24.

Angeli ministrāt nobis, non nos iudicant.

A supremi verò angelorum, nec infimos iudicabunt hominum. Christus enim vt homo constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, & in humanâ formâ, ne dicam & humano modo venturus iudicaturusque. [Manifestus enim veniet, ait ille, inter iustos & iniustos iudicaturus iustè, qui priùs venit occultus iudicandus iniustè.] Ille igitur omninò iudicabit: [Et in voce iudicis euidens apparebit, qui priùs cum venisset occultus, antè iudicem siluit.] Idcircò & competenter homines adlegit, velut adsessores: & quos iudicat tanto dignos officio, ad ceteros delegat iudicandos. Porro cum tres sint classes iudicādorum hominum: primi, qui insigniter mali, alii qui insigniter boni, ceteri denique qui mediocriter, inter illos & istos medij.

Augustin. ibidem.

B

Statuendum est primò, insigniter malos ab omnibus aliis etiam mediocriter bonis iudicandos. [An nescitis quoniam sanctis de hoc mundo iudicabunt?] Quos vocat sanctos? Eos qui iniqui non sunt & impij. [Audet aliquis vestrûm habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?] Quid apud iniquos? Ethnicos, impios. Quibus opponit sanctos, id est Christianos, non solùm præcipuos, sed & minimos; illos qui sunt contemptibiles in Ecclesiâ, nullâ insignes præstantiâ. Græcè τοὺς ἐξουθενημένους. Quorum exigua conditio est, quorum nulla ferè ratio. [Neque enim, (vti Augustinus dixit in hunc locum) illi soli, qui vt sint perfecti, vendunt vel dimittunt omnia sua, & sequuntur Dominum, pertinent ad regna cœlorum: sed huic militiæ Christianæ propter quoddam quasi commercium charitatis subiungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicitur in fine: Esuriui, & dedistis mihi manducare: & cetera.] Illi ergo qui semitam quidem non arripuerunt perfectionis, viam tamen salutis inierunt; illi, inquam, mundum iudicabunt. [An ignoratis quoniam sancti hunc mundum iudicabunt? Nihil otiosè dicit Apostolus. Ideò enim hunc mundum dixit, vt ostendat & alterum: quia & Ioannes Apostolus, Nolite, ait, diligere hunc mundum.] Quid hic mundus? Vulgus infidelium iniquorumque. Quis iudicabit hunc mundum? Vulgus fidelium, sanctorum-ue, id est Christianorum. [An nescitis quòd sancti mundum iudicabunt? Tu ergo qui es eos aliquando iudicaturus, quomodo nunc sustines ab illis iudicari?] Ita Chrysostomus. Nec dixit eum, sed eos: per mundum scilicet, intelligens impios; arguensque Christianos: [Et ostendens esse audax & iniquum facinus] Iuxta Apostolum, sanctos ab iniquis iudicari, cum è contra iniqui sint à sanctis iudicandi.

C

Aug. lib. 5. cont Faust.

D

Ambros. in Paul.

Mundus salnatus indicat mundum perditum.

Chrysost. orat. 16.

E

Porrò cum caput iniquorum sit diabolus, princeps & ipse mundi dictus, rex super omnes filios superbiæ; non solùm inter ceteros, sed & præ ceteris iudicandus est, perpetuoque adiudicandus supplicio. Ideò enim dānatur mundus, quia adhæsit diabolo, & angelis eius: quanto igitur magis damnabitur diabolus cum angelis suis vitiatoribus & corruptoribus? [Nouit scriptura, ait Chrysostomus, etiam malos homines vocare mundum: & tanquam maius

Chrysost. orat. 16.

aliquid dicens, ait Apostolus, Nescitis quod angelos iudicabimus? Nempe de illis dicit angelis, de quibus dicit Christus: Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius: & Paulus, Angeli eius transfigurantur tanquam ministri iustitiæ. Nam quando ipsæ potestates incorporeæ inuentæ fuerint minus habere quàm nos qui carne sumus induti, grauiores dabunt pœnas.] Sed hoc mirum est, supremos spiritus ab infimis & extremis hominibus iudicari. Non enim innocentes duntaxat aut sanctiores, sed & peccatores, modo pœnitentes: id est, non solùm insigniter boni, sed mediocriter iusti, tanto donandi sunt priuilegio. [Doleat, ait Tertullianus, & ingemiscat necesse est peruicacissimus hostis ille, veniâ peccatorum permissâ, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ retro erasos. Dolet, quòd ipsum & angelos eius Christi seruus ille peccator iudicaturus est.] Denique, & illud omnem exsuperat admirationem, quod peccator traditus satanæ, satanæ insultat, carnificem suum iugulat, nedum iudicat; non tam pœnæ tortorem, quàm doctorem nactus pœnitentiæ. [Non enim dixit Paulus, ipsum dedere satanæ, sed tradere; ei aperiens portas pœnitentiæ, & tanquam pædagogo eum tradens.]

Supremi angelorũ iudicandi ab infimis hominum.

Tertullian. lib. de peni. tent. cap. 7.

Chrysost. orat. 15.

Statuendum secundò, mediocriter bonos à perfectis, seu insigniter bonis iudicandos. Ita Iesus ad Petrum. [Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.] In quibus tria connotenda sunt. Primum est, heic maximè de perfectis rationem esse, seu insigniter bonis. Vnde Petrus, quasi bonus athleta, interrogans quæ sint præmia certaminis, ait Christo: [Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.] Nempe, vt ibidem obseruauit Hieronymus: [Quia non sufficit tantùm relinquere, iungit quod perfectum est: Et secuti sumus te. Fecimus quidem quod iussisti, quid ergo nobis dabis præmi? Vnde Christus non dixit: Qui reliquistis omnia. Hoc enim & Crates fecit Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt. Sed qui secuti estis me, quod propriè Apostolorum est atque credentium.] Id est virorum Apostolicorum, perfectorum-ve. Vnde connotandum est secundò, non solos Apostolos ad hanc assumendos dignitatem, sed perfectos quosque sociandos; vt qui eiusdem gratiæ consortes fuerint, consortes sint & eiusdem gloriæ. [Nec enim, vti dixit Augustinus, quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait Christus, duodecim solos homines cum ipso iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero, vniuersa quædam significata est iudicantium multitudo.] Omnes qui vitam imitati sunt Apostolicam, eandem etiam consecuti sunt præstantiam. Præcipuè verò pauperes spiritu, qui cœlesti instinctu, seu spiritali affectu, secularibus ac mundanis abdicarunt sese, solisque vacarunt cœlestibus. Oportet enim iudicem esse ab iis quæ indicat damnatque, immunem: idcirco perfecti seligendi sunt, nullo affectu mundano implicati, nullo

Matth. c. 19.

Hieronym in Matth.

Augustin. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 5.

Perfecti imperfectos seu minus perfectos iudicaturi sunt.

A decolorati actu vitioso. Tertium denique quod connotandum, non solùm infideles iudicandos ab optimis, sed & fideles, tanquam à perfectis imperfectos. Qui enim iudicant, & qui iudicantur ex vno omnes populo, nimirum Iudaico: ideo & Christus alibi: [Filij vestri, iudices vestri erunt.] Filij ex genere, sed iure domini. [Quoniam, ait Augustinus, sancti & iusti rectè cœlum appellantur: quod dictum est, Aduocabit cœlum sursum, hunc videtur habere sensum secundùm rectam fidem, vt cœlum intelligatur in eis, qui cum Christo sunt iudicaturi: & terra, in eis qui indicandi sunt.]

Augustin. eod. lib. cap. 24.

B Æquum enim, vt puri impuros iudicent, seu aliquâ labe terrestri maculatos. Neque enim oculus rectè discernit, quandiu aliquâ sorde infectus est: nec intellectus capit integrè, si iam occupatus.

Statuendũ vltimò, iudiciũ istud siue perfectorũ, siue imperfectorum, nec per comparationẽ duntaxat vitæ futurũ, nec per approbationem sententiæ: sed per concessũ à Christo Domino priuilegium. Et quidem per comparationem vitæ, fideles non solùm iudicabuntur à fidelibus, sed & ab infidelibus condemnabuntur. Vnde Cyprianus, seu quisquis auctor sit libelli, De singularitate clericorum. [Aduersùs illos, inquit, comparatio nulla est facienda de nostris, ne consolentur addicti quibusdam iudiciis Christianis. Peiores sunt & aliqui commemorandi, vt maior pœna sit à dãnato damnari.]

Cyprian. lib. de singul. Cler.

C Quoad probationem verò sententiæ: si qui idonei; maximè angeli boni: cum nec mali improbare audeant, licet laudare non valeant. Vnus erit bonorum omnium electorum-ve de prolato iudicio consensus, non tamen idem in proferendo consessu. Sed nec sufficit consessus, ni accedat auctoritas iudicandi: sicut nec locus sufficit, ni ius potestas-ve accedat occupandi. [Sedebitis & vos, iudicantes.] Sedentes, locum obtinent dignitatis: iudicantes, priuilegium possident imperantis. Neque

D enim titulus ille inanis, sed realis, licet indulto fultus priuilegio. Posset id deprehendi in Apostolo, qui non dixit mundum à bonis iudicandum iri, sed in bonis: modò sola sit non potestatis, sed originis differentia. Est enim eadem iudicandi potestas, sed à Christo, nedum in Christo. Est in illo quippe principalis, in sanctis accessoria: in Christo regalis, in sanctis assessoria. Tamen est iudiciaria potestas, sed originalis in Christo, in sanctis deriuata. Siue enim optimi bonos, siue boni pessimos iudicent, denique siue & boni & optimi ceteros simul damnent, diuersa quidem iudicia sunt, vnum tamen priuilegium est, quatenus ab

Alia potestas principalis, alia quæ assessoria.

E vno Christo deriuatum. Vnde Paulus non dicit, Angelos iudicabitis; sed, iudicabimus. Quâ enim auctoritate boni & optimi pessimos damnabunt, eadem & facultate bonos optimi iudicabunt. Sicut autem boni ad instar optimorum iudicant, sic & optimi ad instar Christi. Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos, cum iudicabit, & vos iudicabitis. Nimirum, vti dixit Aquinas: [Per sententiæ prolationem] Vna auctoritas, vna optimorum optimatum-ve sententia sed in Christo & à Christo ex officio: in aliis ex priuilegio. Vnà

Aquin. l. 1.

omnes eandem proferent sententiam, aut pœnam infligent, aut recipient in gloriam: aut supplicia decernent æterna, aut ad æterna deducent tabernacula. Pondus inerit verbis, vocemque fata sequentur extrema: vi enim summi illius iudicij, aut boni præmia, aut mali tormenta sortientur.

DISQVISITIO SECVNDA.

De iudicio seculari.

SEculare dico, quod de rebus secularibus, seu temporalibus. [Nempe sunt ea, quæ, vti dixit Chrysostomus, ad victum, seu vitam transigendam pertinent.] Mirum si patronis careat ista causa, cum in patronis subsistat. [Quàm sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana! ait Tertullianus, præsertim cum aliquid huiusmodi de gaudiis & fructibus seculi metuit amittere.] Sed magis mirandum, quòd oppositione accrescant crimina; nec ratione euanescant humanâ, sed Apostolicâ inualescant finitione. Verùm antequam audiamus sapientiam mundi, attendamus Pauli prudentiam. [Nam quoniam statim graue erat audire non esse in iudicio disceptandum, (verba sunt Chrysostomi) non hoc statim induxit, sed solùm commutauit iudices, extrinsecùs in Ecclesiam inducens eos qui iudicio contenderent. Quoniam autem videbatur esse contemnendum, ab ijs qui erant intus iudicaturi: & tunc maximè, non erant idonei ad rem intelligendam: neque erant quales externi iudices legum periti & artis dicendi, vtpote quòd complures eorum essent ex priuatis, rudibus, & indoctis: vide quomodo eos facit fide dignos: vt qui primum sanctos appellarit. Sed quoniam hoc eis ferebat testimonium de vitæ puritate, non autem de solertiâ & perfectione in audiendis, vides quemadmodum hanc quoque tractet partem, sic dicens, An nescitis quòd sancti mundum iudicabunt?] Tum [Iam quidem, omninò delictum est in vobis quòd iudicia habetis inter vos. Vidisti, inquit, vbinam id reseruarit, & quàm opportunè hoc sustulerit. Sic enim dicit: Aliquis iniuriam facit, aut aliquis iniuriam patitur. Iam eo ipso quòd iudicio contenditur vterque malè audit, & in hoc non est alius alio melior. An autem iustè aut iniustè iudicio contendat, hoc est alterius disputationis. Ne dicas ergo, Quis fecit iniuriam? Hinc enim te condemno, nempe ex eo quòd iudicio contendas. Si est autem crimen quòd ferre non possit eum qui facit iniuriam: etiam iniuriam facere, quantâ dignum est accusatione?] In quo igitur peccatum? imò crimen. An in eo qui facit iniuriam? Quis negat? Imò & in eo qui contendit iudicio: siue iniustè læsus, siue iustè.

Chrysost. orat. 16.

Tertul. lib. de Spect. c. 2.

Chrysost. orat. 16.

Chrys. ibid.

Peccat qui illatam iniuriam non tolerat.

Duo agenda erant Apostolo. Primum, fideles ab infidelibus distrahere. Cum enim disseruisset de auaris, transit ad iudicia forensia. [Statim iram indicans,] Intolerandamque damnans eorum audaciam, qui infideles adibant, & controuersiarum suarum constituebant iudices. Nam sic ait ore Chrysostomi. [Etsi apud vos nullus esset sapiens, insipientibus magis oportet permittere audientiam, quàm iudicare externis. Quomodo enim non est absurdum, si domi quidem sit contentio, nullum vocare externum, sed erubescere si quæ fiunt spargantur apud externos: vbi est autem Ecclesia arcanorum mysteriorum thesaurus, omnia foras efferri? Sed frater cum fratre contendit, & hoc apud infideles? Duplex ergo est crimen, & quòd iudicio contendit, & quòd apud infideles. Si enim per se est peccatum cum fratre iudicio contendere, etiam apud externos contendere quamnam habet veniam?] Alterum, fideles cum fidelibus obstringere. Idcircò iam non illam vel istam iustitiam sollicitat, sed Christianam excitat patientiam. [Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. Rursus crimen est duplum, ait ille, fortassè autem & triplum & quadruplum. Vnum quidem, nescire ferre, cum iniuriâ sit affectus. Secundum autem, etiam iniuriam facere. Tertium autem, iniquis de his permittere cognitionem. Quartum denique, hoc facere fratrem. Neque enim similiter iudicantur peccata: quando admittuntur in quemlibet, & in membrum proprium: hoc enim à maiore admittitur impudentiâ: & illic quidem est conculcata sola rei natura, hîc autem etiam personæ qualitas.] Quanto in vno facinore sunt crimina? Vbi enim nullum existimabatur esse peccatum, inexhaustus criminum thesaurus computatur.

Chrysost. orat. 16.

Arcana domestica nō sunt externis prouulganda.

Sed vt insistamus in eo quod magis præcipuum, idque definiamus quod minus expectatum. Scias duplicem in Apostolo sese offerre quæstionem, sed iisdem verbis concidere. Prima quæstio est facti. [Omninò auditur inter vos fornicatio.] Quibus verbis, vti dixit Aquinas, [Ostendit peccatum esse notorium.] Illa fornicatio quæ est inter vos, sic nota est, vt nullus de ipsâ dubitet, nullus etiam excuset. [Omnino auditur.] Tanta illius fama est, quanta & infamia. Altera quæstio, iuris est. [Iam quidem omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.] Quæri posset, an sit peccatum Christiano, contendere iudicio remque secularem disceptando ac litigando repetere? Sed id quis negat? imo quis dubitat? [Iam quidem omninò delictum est in vobis.] Non dico iam quòd iudices adhibetis seculares: sed hoc solùm, [Quod iudicia habetis inter vos.] Hoc est, exponente Aquinate. [Dictum est quòd frater cum fratre contendit in iudicio: quod non solùm malum est, quod apud infideles contenditis; sed iam quidem post conuersionem vestram, Omninò delictum est in vobis; id est, ad delictum vobis reputatur, quòd iudicia habetis inter vos: inter quos scilicet debet esse pax: quia vt dicitur 2. Timoth. 2. Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.] Iudæis vt infirmis permittebatur sua in iudicio repetere, vetatur Chistianis, quibus imperatur non resistere malo, omnia etiam

Aquin. lect. 1. cap. 5.

Aquin. lect. 2.

sua anima relinquere. Ita Christus suis. [Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.] Quinimo: [Et qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium.] Non ergo tu perpetras peccatum, qui fratrem tuum in iudicium vocas, licet nocentem? qui de rebus vanis vanè disputas, qui in negotiis secularibus animum tuum & alienum occupas? Ad hoc ergo redactæ sunt res nostræ, vt iam actores sint Christiani & litigatores; cum toti sint & patientiæ addicti & modestiæ, cum paci studere debeant ac charitati, minuta hoc & caduca flocci pendere, pro verbis & æternis contendere? [Iam quidem omninò delictum est.] Græcè ἥττημα, quod quidem si minuit, non tamen absoluit. [Omninò delictum est.] Non illud quidem grande peccatum, quale in incestuoso: sed absimile delictum, quod tamen satis graue est in Christiano.

Luc cap. 5. Matth. ca. 5.

Christianus non debet esse litigiosus.

Sed quid sibi vult Apostolus dum decernit omnino esse peccatum, & tamen omnes promiscuè & quasi indiscretè iudices constituit? [Vidisti, ait Chrysostomus, quomodo ab initio dixit, Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad iudicandum? Sed hoc dicens, Contemptibiles qui sunt, non hoc dicit præcipuè, quòd oporteat eos qui sunt abiecti constituere, sed eos tangens suffundensque. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam. Tanta est, inquit, inopia, tanta apud vos raritas virorum intelligentium?] Vult ergo causas istas sapientibus seu prudentibus permitti, imò committi? Benè. Si cui enim committendæ sunt, maximè intelligenti, qui peritus sit, & ad discernendum dijudicandumque idoneus. Sed ô rem incredibilem! Cum tot apud Corinthios viderentur prudentes in Christo, tot Sapientes crederentur: nullus inueniretur secundùm Christum prudens, nullus sapiens censeretur. Cum igitur deberet præsumi ex publicâ electione, & ex dispositione diuinâ, nullum in Ecclesiâ Christianâ, secundùm Christum prudentiorem antistite, nullum præside sapientiorem: causa tandem illi potius delata est, quàm infideli relicta. [Est enim admodum turpe, ait ille, si ne fratribus quidem Sacerdos esse possit auctor reconciliationis, sed necesse sit currere ad externos. Nam quando frater cum fratre iudicio contendit, intelligentiâ & solertiâ non est opus litis arbitro, cum affectio & cognatio magnam opem afferat ad soluendam huiusmodi contentionem.] Episcopus ergo interueniebat iudicando, seu potius arbitrando, litemque dirimebat, non secundùm legem secularem, sed secundùm charitatem. Sed qui sapiebat, ipse dirimebat litem, hisque fratrem præueniebat verbis. [Ne quæso sit iurgium inter me & te: fratres enim sumus.] Si alter non consentiret, tunc demum Episcopus ex mutuo compacto adeundus, qui dissidentes admoneret esse fratres, paternisque verbis ad Christianam concordiam, controuersiâ ex æquo & bono compositâ, reduceret.

Chrysost. serm. 16.

Episcopi quomodo constituti sunt arbitri.

Chrysost. ibidem.

Genes. c. 13.

TROPOLOGIA.

Quare non magis iniuriam accipitis?

Contendent forsàn aliqui aduersùs Apostolum, dicentque aut nullum omninò esse peccatum, aut admodum leue ac propè nullum. Contendant illi: nec suasorias minùs extendant, quàm controuersias. Interim tria definimus ex patribus, omnibus Apostolicæ adhærentibus sententiæ.

Primum est, non solùm difficillimũ esse, sed & periculosissimum ad decernendum, quidnam peccatum sit; vel non sit: quodnam graue, & quodnam leue. Audiamus Augustinum, quo nullus mitior, nullus doctior, nullus tamen timidior. [Quis iste sit modus, inquit, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt peruentionem ad regnum Dei, vt tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est inuenire, periculosissimum definire. Ego certè vsque ad hoc tempus cum inde satagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigrescat. Quoniam si scirentur quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus nec profectu vitæ melioris absumptis intercessio sit inquirenda & speranda iustorum, eis secura se obuolueret humana segnities, nec euolui talibus implicamentis vllius virtutis expeditione curaret; sed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos sibi de mammona iniquitatis eleemosynarum largitione fecisset. Nunc verò dum venialis iniquitatis etiamsi perseueret, ignoratur modus, profectò & studium in meliora proficiendi orationi instando vigilantiùs adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis sanctos amicos cura non spernitur.] De duobus igitur quæstio esse potest. [Quæ vel qualia sunt delicta.] Primò, an peccatum sit: Secundò, quodnam peccatum. De duobus etiam ratio esse potest. [Inuenire & definire.] Quorum vnum difficillimum est, alterum periculosissimum. Et fors, non adeo difficile inuenire, quid peccatum sit, & quid non sit, imò nonnunquam apertum & obuium. Quis enim de homicidio, de furto, de adulterio, de falso testimonio neget peccata esse, aut quis de ieiunio, de sacrificio, de martyrio, de religioso obsequio affirmet esse peccata, nisi malum lubeat dicere bonum, & bonum malum, id est, placeat contradicere? In his nec difficillimum est inuenire, nec periculosissimum definire. Sed quale sit peccatum, & quàm grande, non solùm ingentis difficultatis est, sed & maximi periculi. Equidem illi, qui rationem humanam, id est, non tam veram, quàm suam ac vanam in legem erigunt, nihil operositatis inueniunt, nihil difficultatis, vel ad inueniendum, vel etiam ad definiendum: id enim pro certâ lege stabit, quod in certâ constabit ratione: eam figet sententiam, quam per nubila vident, aut vidisse putant; quàm per probabilia, seu ementitæ incerta sapientiæ, mouent

Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. vlt.

Quid peccatum, & quantum, diuino definiendum est iudicio.

mouent vel autumant: ita verũ putabitur, quod verè somniabitur. Siccine humana defendũtur iura, vt diuina prodãtur? vana substituuntur, vt æterna inuadantur iudicia? Audiamus rursus Augustinum. [Quæ sint autem, inquit, leuia & quæ grauia peccata non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio.] Iniuriæ sunt, sed in Deum ipsum sunt commissæ. Cur homines, aristarchos agant, & suopte ingenio sese constituant arbitros, in offensis diuinis adeò molles, in suis inexorabiles? Næ, qui sic agit, non est agnus Dei, sed hœdus mundi; nec enim facit vt peccata non sint, sed vt sint irremissibilia. Ecce, augustissimus doctorum, sanctorum pientissimus; in tanto temporum spatio, tanto studiorum cumulo scientiã istam comparare non valuit, nec assecurare voluit conscientiam: ne aut amplius sordesceret, aut segniùs torpesceret. Isti adinuentionum architecti, rationum trutinatores, distinctionum artifices, nihil non attentant, nihil etiam non pessundant, & scientiam maculant & conscientiam. Peccatum non est, stultus confidit & transilit. Leue est, veniale est, pius etiam spernit, & corruit.

Augustin cap. 78. Enchirid.

Secundum est, sæpe putari non esse peccatum, nec tamen inde tolli; aut existimari esse leuissimum, nec tamen minui. [Videmus enim, (verba sunt Augustini) quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est, quod venerabilis Paulus coniugibus ait: Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tẽpus, vt vacetis orationi: & iterum ad idipsum reuertimini, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet vxori non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: vt fornicationis, siue adulterij, siue cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante satanâ libido pertrahere, incontinentium deuitet infirmitas. Posset ergo, vt dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur? Tale quiddam est, vbi dicit, Audet quisquam vestrûm aduersùs alterum negotium habens iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Et paulò post, Secularia igitur iudicia si habueritis, inquit, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesiâ, hoc collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrẽ & fratrẽ iudicare: sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Nã & hîc posset putari iudicium habere aduersùs alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret: Iam quidem omninò delictum est inter vos, quia iudicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, vt diceret iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit à se iudicum sententiâ remoueri: continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Vt ad illud redeatur quod Dominus ait, Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. Et alio loco: Qui abstulerit, inquit, tua, noli repetere. Prohibuit itaque suos de secularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium. Ex quâ doctrinâ dicit Apostolus esse delictum.] Dicit Augustinus ex Apostolo, dicit Apostolus ex Christo, dicit Christus ex Deo: quid amplius expectamus? an vt contradicat homo, dicatque aduersùs Christum & Deum, non esse peccatum? Et quot alia, quæ non putantur esse peccata, nec tamen inde purgantur? cum & rei natura non pendeat ex ignorantiâ, & ira Dei ex iustitiâ permaneat? Quot porrò & alia quæ existimantur leuia, probantur tamen grauissima? [Quis enim, ait ille, dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum sit, dies obseruare & menses, & annos, & tẽpora: sicut obseruãt qui certis diebus, siue mẽsibus siue annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora: nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait, Timeo vos nè fortè sine causâ laborauerim in vobis.] Quot & alia in cogitationum verborumque offensionibus, in actionum commissionibus aut omissionibus, quæ ignorantur aut dissimulantur?

Augustin. c. 78 Enchirid.

Quid peccatum, & quantum diuino dei... iendum iudicio.

Nonnulla secundùm veniã sinit Apostolus, quæ innuit esse contra conscientiã.

Augustin. in Ench. c. 79.

Tertium est, nihil infelicius felicitate litigantium; nihil beatius tranquillitate in domibus suis pacificantium. Quid tu in forum contendis, dum fugis spectaculum? Quasi aut minor audacia sit, aut iniuria secretior. [Illuc, ait Cyprianus, aciem tuam flecte. Plura illic quæ detesteris inuenies, magis oculos tuos inde diuertes. Incisæ sint leges, & publico ære præfixo iura præfixa sint, inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur. Innocentia nec illic vbi defenditur, reseruatur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit insanum. Hasta illic & gladius, & carnifex præsto est, vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum supplicia plura quam membra sunt. Quis inter hæc verò subueniat? Patronus? sed præuaricatur & decipit. Iudex? sed sententiam vendit. Qui sedet, crimina vindicaturus, admittit, & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex. Flagrant vbique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subiicit: ille falsum capitali fraude conscribit: hîc arcentur hæreditatibus liberi; illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, vtrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia; cum interim nocentes, nec cum innocentibus pereunt.] Quid opus est Christiano, aut religioso viro laruam innadere, aut fingere fabulam? An decet senem iam capularem, agere histrionem, iniquitatem ioco traducere, veritatem exstruere mendacio? Nec Religiosa sunt ista nec Christiana: nisi reducamus Aristophanis ranas, Philoxenis quisquilias, verrucas Pacuuij, nœnias Mæuij: &

Cyprian. l. 2. epist. 2.

Æquitas vitio nonnititur, veritas non extruitur mendacio.

pro Christianis tradamus institutis. In tanto lasciuire miseriarum diluuio, ludere in tanto flammarum incendio? Oportet ergo non pœnitentem iam, sed ridentem, non viuere tantùm, sed & excedere. Risus ille indignus est, morderi debet, nedum derideri. Quidni defleamus, audeamusque & dicamus cum ipso Cypriano. [Nullus de legibus metus est, de iudice pauor nullus. Quod potest redimi, non timetur: esse iam inter innocentes innoxium, crimen est: malos quisquis non imitatur, offendit. Consensêre iura peccatis, & cœpit esse licitum quod publicum est. Quis ille rerum pudor? quæ esse possit integritas? vbi qui damnent improbos desunt: soli illi qui damnentur occurrunt.] Quid istis melius, quid & eloquentius? Sed inde quid infelicius litigantium felicitate, quid & tranquillitate in domibus suis pacificantium beatius? Etiam: [Ab Epicuro mutuum sumam. Multis parasse diuitias, non miseriarum finis fuit, sed mutatio. Nec miror: non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo.] Quo ditiores, eo miseriores sunt: & dum statum vertunt, peruertunt animum. At verò Christiani, non opulentiæ viri sunt, sed misericordiæ. [Homines diuites in virtute, pulcritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis.] Isti sunt filij pacis, quos super requiescit illa pax, quam dare non potest mundus: ij verè pacifici, & filij Dei, quorum hæreditas sancta est, & certa felicitas.

Cyprian. ibidem.

Sen. epist. 17.

Ecclesi. 44.

ANAGOGIA.

Quare non magis iniuriam accipitis?

Lex ista perfectorum est, id est, non mollium Christianorum, sed firmiorum spiritualium-ve. Ad hanc tamen tendere debet quiuis Christianus, imò & contendere, adeò vt iam non peccet contendendo, sed peccet non contendendo. Tria ergo proponenda sunt, & exponenda. Vitium, principium, remedium.

Quoad vitium. Multi Christiani, pauci verò perfecti. [Sunt homines, ait Augustinus, omninò contemptores sæculi huius, quibus non est notum quicquid temporaliter fluit, non hærent dilectione aliquâ terrenis opibus, sancti, casti, continentes, iusti, fortassis & omnia sua vendentes & pauperibus distribuentes, aut possidentes tanquam non possidentes, & vtentes hoc mundo tanquam non vtentes. Sunt autem alij qui rebus infirmitati concessis inhærent aliquantum dilectione. Non rapit villam alienam, sed sic amat suam, vt si perdiderit, conturbetur: non appetit vxorem alienam, sed sic inhæret suæ, sic miscetur suæ, vt modum non ibi teneat præscriptum tabulis, liberorum procreandorum causâ. Non tollit aliena, sed repetit sua, & habet cum fratre suo iudicium. Talibus enim dicitur: Iam quidem omninò delictum est in vobis, quòd iudicium habetis vobiscum. Ipsa iudicia in Ecclesiâ iubet Apostolus agi, non ad forum trahi, tamen delicta esse dicit. Contendit enim Christianus pro rebus terrenis amplius quàm decet eum cui promissum est regnum cœlorum. Non totum cor sursum

Aug. enarr. in Psal. 80. versi. fin.

Aliud modestè petere, aliud côtentiosè repetere.

A leuat, sed aliquam partem eius trahit in terram.] Contendit, dum asserit rem esse suam: sed amplius contendit, dum acriùs repetit, dum mentem suam addicit, eoque ducit, vbi & insanis vocibus percutitur, & vanis distrahitur cupiditatibus. [An ille, ait Tertullianus, cogitabit eo tempore de Deo, positus vbi nihil est de Deo? Pacem, opinor, habebit, in animo, contendens pro auriga? Sed & (patrono) vociferante, exclamationes ille alicuius prophetæ retractabit?] Noxia illa libertas, & parùm Christiana, in qua eo maior peccandi cupiditas est, quo minor verecundia. Idcircò Psaltes, Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. [Non ait, faciam: (verba sunt Augustini) sed, scrutabor. Vt ergo perfectè ea diligenterque nouerit, malignos à se declinare desiderat, eosque etiam compellendo à se abligit. Nam maligni exercent ad facienda mandata, à scrutandis autem auocant: non solùm cumpersequuntur, aut litigare nobiscum volunt, verumetiam cum obsequuntur & honorant, & tamen suis vitiosis & negotiosis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur, & eis nostra tempora impendamus, efflagitant.] Quantus illorum est numerus? Sed talis est imperfectorum, qualis & nonnullorum genius infirmorum; qui non solùm valere se putant ac vigere, sed & monenti insultant consulentique. Tamen, [Ne illis quidem qui non aliena rapiunt, ait ille, sed sua cupidè repetunt, dicimus, Cauete ab omni cupiditate, constituentes eis antè oculos hominem cui dictum est, Stulte, hac nocte auferetur à te anima tua, quæ præparasti cuius erunt? quia & quando dicimus, non recedunt nec declinant à nobis: sed instant, vrgent, precantur, tumultuantur, extorquent, vt ipsis potius ad ista quæ diligunt, quam scrutandis Dei mandatis quæ diligimus occupemur. O quanto tædio turbarum turbulentarum, & quanto desiderio diuinorum eloquiorum dictum est, Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei! [At verò quotusquisque est ille, qui non cognouit litteraturam, qui causam non defendit, qui accipit iniuriam? [Quare non magis iniuriam patimini?] Græcè, ἀδικεῖσθε [Iniuriamini.] Rarus est, ac penè nullus, qui velit iniuriari, aut malit damnum pati, quàm per priuatum, vel etiam publicum experiri iudicium.

Quoad principium. Radix quidem malorum istorum, si & omnium, cupiditas est: cessante enim causâ lucrandi, non erit iurgandi necessitas. Sed quod apud perfectos etiam non putatur imperfectum, imò tanquàm & perfectum disputatur, vindicaturque, fecit quidem libido, verum consuetudo obtinuit. Iam notatum est ex Cypriano. [Quod publicum est, cœpit esse licitum.] Sed & ex illo, vel quis alius per Deum sit auctor libelli, de singularitate clericorum, notandum est, nonnunquam imponi, & exemplum non prauè solum, sed & contortè trahi in suffragium. Adeò tunc frequentia clericorum mulierumque commercia, vt crederentur libera, defenderenturque velut innoxia. [Sed aiunt: Si de hac coniunctione clerici denotantur, notandi sunt etiam sancti plerique nobiscum, sicut Helias, qui mansit apud viduam:

B

C

D

E

Tertul. l. de spect. c. 25.

Aug. conc. 22. in Psal. 118 post init.

Aug. ibid.

Cyprian. l. de singul. cler. circ. med.

siue Apostoli, qui mulieres secum comites circumducebant: vt Ioannes, qui matrem Domini assumpsit, eodem Domino delegante: aut ipse Dominus, cui de suis facultatibus alimenta præstabant aliquæ mulieres religiosæ, cui etiam Martha ministrabat ad mensam; & qui singulariter locutus est ad puteum sedens cum alienigenâ muliere Samaritanâ, vel cui recumbenti femina lacrymis pedes lauit, & capillis extersit. Callidi argumentatores & iurisperiti fallaces, qui dum cupiunt præuaricari controuersas actiones, quæ causarum etiam ipsa iura transuertunt; & cum nolunt competentibus coerceri iussionibus legum, ad illudendos iudices inconuenientibus exemplis, velut similes coniecturas iuris obiiciunt, qui per Salomonem ipsius legis sagacitate produntur: Peccator, inquit, homo, euitat correptionem, & ad voluntatem suam inuenit comparationem. Necesse est caducis lapsibus elidantur, qui viam lubricam tenuerunt, de quâ & Salomon sic prædicat, dicens: Est via quæ videtur apud homines recta esse, nouissima autem eius veniunt in profundum inferorum.] Et quidem nonnulla sunt vitia, quæ sic fœtent, vt à conspectu declinent hominum, nec obtentu malum velent, nisi vt supplicium euadant, aut mitius subeant iudicium. Sed alia sunt, quæ admittere non pudet, imò quibus placet insurgere: & cum pallescunt cetera infamiæ metu, ista prospectu insolescunt gloriæ. [Vnde, ait ille, hæc sitis diuitiarum miseris pectoribus assidet, & ambitionis salsugo bibulam animam occupat, vt per fas & nefas ad loca superiora etiam de latebris eremi nonnulli se ingerunt: & de omni gradu vbi aliquis aditus patet, anheli prodeant, discurrant ad iudices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent: vt sedeant cum principibus eo quæstu, vt maledicat Deus quod ipsi benedixerint, & benedicat quod maledixerint.] Dici non potest quanta sit illa tentatio in Ecclesiâ; & quàm periculosa subornatio, Omnes etiam perfecti, etiam spiritales viri: si tamen tales perfecti sunt & spiritales, dum id faciunt. Omnes tamen litigare volunt, disceptare volunt, nec iniquitatē pati, nec fraudem pati.[Hinc quippe accidit, ait Augustinus, quod peccata, quamuis magna & horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parua aut nulla esse credantur: vsque adeò vt non solùm non occultanda, verumetiam iam prædicanda ac diffamanda videantur: quando sicut scriptum est, Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua agit, benedicitur.] Iam vitium non est, sed virtus; quando ipsi qui virtuti student, fauent cupiditati; non solùm nec opponunt murum pro domo Israël, sed & domum ipsam, nemine impunè diruunt resistente.

Exempla ad malum cōtuendum contorta.

Cyprian. prol. de oper. Car. Christi.

Augustin. cap. 80. Enchirid.

Quoad remedium. Non aliunde, quàm ex nobis ipsis quærendum est. [Nonne spes nostra, ait Augustinus, non est de hoc sæculo? Non amemus hoc seculum. Ab amore huius seculi vocati sumus vt aliud seculum speremus & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiscentiis.] Sic spectemus Dominum nostrum Iesum Christum, vt Iesum non separemus & Christum: sic astruamus humanitatem, vt diuinitatem non destruamus: sic descensum eius teneamus temporarium, vt æternum videamus ascensum. [Dominus enim noster Iesus Christus, ait ille, & venit ad homines, & abscessit ab hominibus, & venturus est ad homines. Et tamen hic erat quando venit, nec recessit, quando abscessit; & ad eos venturus est, quibus dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Secundùm ergo formam serui, quam suscepit pro nobis, quodam tempore natus est, & occisus est, & resurrexit: & iam nō moritur, nec mors ei vltra dominabitur. Secundùm diuinitatem autem, quâ æqualis est Patri, in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Ita nos monet Euangelium, cautos nos faciens, & volens esse expeditos & paratos ad expectanda nouissima: vt post nouissima, quæ sunt in hoc seculo metuenda, succedat requies, quæ non habet finē. Ad hanc expectationem & propter hanc spem Christiani facti sumus.] Sunt qui Iesum relinquant solum, sunt qui solum inuadant: dum quiduis permittunt humanitati, nihil diuinitati deferunt. Inde omnia volunt humana: nō quòd veram ament simplicitatem, sed quòd seueram non approbent veritatem. Sunt & qui Verbum colunt incarnatum, nedum increatum: sed nō secundùm carnem norunt, non secundùm infirmitatem carnis, sed secundùm virtutem diuinitatis. Ij veri sunt Christiani, qui & rebus valedicunt & hominibus, qui quod sermone prædicant, demonstrant opere. Ij spirituales viri, ac cœlestes, qui omnibus curis sese abdicant, & negotiis secularibus, qui cœlum spirant, qui Christum in corporibus nedum in mentibus circumferunt, & in hoc solo assiduum quærunt negotium. Ita enim pallium, seu diuinæ sectæ ac disciplinæ commercium. [Ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nulli officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo: canales non odoro, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non milito, secessi de populo. In me vnicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quàm ne curem.] Seueri illi in semetipsos, non tamen in alios duri: imò etsi negotio vitant cupidorum, onera tamen portant infirmorum. [Neque enim, ait Augustinus, vlla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Nunc enim cum in hac vitâ, id est, in hac viâ sumus, onera inuicem nostra portamus, vt ad eam vitam quæ caret omni onere, peruenire possimus. Suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo, de quâ vis alium per te liberari; & sic suscipienda, vt ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat. Quemadmodum se inclinat, qui manum iacenti porrigit. Non enim se proiicit vt ambo iaceant, sed incuruat tantùm vt iacentem erigat.] Tenorem seruant, rigorem temperant: sed etsi harmoniam remittunt nonnunquam, nunquam dissoluunt disciplinam. Mundana fugiunt, sed opera non onera: etsi demittunt humeros, non seipsos deiiciunt.


Augustin. serm. 39. de verb. Dom. cap. 1.

Augustin. ibidem.

Vnicum verì Christiani negotium.

Tertul. li. de Pall. cap. 5.

Augustin. l. 83. quæst. 71.



PARS SECVNDA.

DE CORPORIBVS CHRISTIANIS.

TEXTVS.



OMnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori. Deus verò & Dominum suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretricis, vnum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne vnâ. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

EXEGESIS LITTERALIS.

PErsonam mutat, & causam iam tractat suam. Inde tamen ad alios diuertit, quos instruit, corpora sanctorum membra esse Christi, & templa Spiritûs sancti, ideoque nusquam & nunquam inquinanda.

[Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, &c.] Ea licent quæ non sunt prohibita: ea expediunt, quæ ad finem consequendum, pensatis omnibus, aptiora sunt ac meliora. Ita multa licent quæ non expediunt: nec quæcumque sunt adiaphora, seu prohibita non sunt, etiā sequenda sunt ac præferēda. Itaque, vt notauit Aquinas. [Omnia mihi licent. Non potest absolutè intelligi, sed vt sit accōmoda distributio, sub hoc sensu: Omnia mihi licēt, quæ scilicet diuinâ lege non prohibentur.] Verùm nihil sibi defenderet Apostolus, si id tantùm quod & alteri licitum est, assereret. Quis enim eo sensu non possit dicere: Omnia mihi licent, quæ scilicet diuinâ lege non prohibētur. Occupat igitur obiectionē Apostolus, quā poterat illi dici. Quàm durus & austerus es, qui iubeas damna pati, qui prohibeas nostra repeti. At verò nostri delicatuli, non ita immites & inclementes. Imò concedunt litigare, permittunt vendicare. Nonne & vindicare? [Sed ô pecunias! (exclamat Chrysost.) imò verò ô perditum & scelestum amorem pecuniarum! omnia enim euertit & prosternit: nugæque & fabulæ sunt multis omnia propter pecunias.] Non omnia vestris licent doctorculis, sed solùm quæ animo grata, & accepta palato. Omnia autem mihi licent. Non solùm licent mihi ista, sed & alia multa. Parco tamen aliquando, nec omnem simul effundo potestatem, quia nonnulla sunt quæ non iudico expedire, imò & impedire, ob ingruentes animaduerto difficultates.

Aquin. l. 2.

Chrysost. orat. 16.

A

[Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.] Scitis cur non liceat magistellis vestris fidenter loqui verbum Dei, & audenter officio fungi Apostolico? Stipendiarii vestri sunt, ventris operarii, corporis necessitatibus, forsan & commoditatibus obnoxii. Itaque adulatores cupiditatis vestræ sunt, non Euangelicæ concionatores veritatis. [Et quod rebus quidem, ait ille, ad victum pertinentibus sint addicti, qui in iudiciis molesta exhibent negotia, non est mirum. Quòd autem multi ex iis qui iis renuntiarunt eadem faciant, hoc est quod omni priuatum est veniâ.] Itaque, ait Apostolus, meum est audere & monere, nihil enim à vobis accipio, nihil præter curam debeo, vt ad saliuam loquar vestram non ad meam sententiam. Quicquid accidat, quicquid ingruat, dicam semper quod mihi visum, nec vnquam ob cibum aut potum, sordidum deferam obsequium. Licet & mihi accipere: sed expedit seruare libertatem, auctoritatem-ve. [Esca ventri, & venter escis, &c.] Maior sum, quàm vt ventri meo seruiam, nobilior quàm vt me alicui nisi Christo addicam. Quid enim esca? Græcè βρώματα, escæ, cibi sustinendæ vitæ destinati. Quid venter? locus excipiendis cibis

Nulli tam liberi, quàm qui ventri nō obnoxii.

Chrysost. orat. 16.

B

paratus decoquendisque. [Deus autem & hunc, & has destruet.] Vita quam speramus, & ad quam adspiramus mortalis non est, imò nec animalis; sed angelica, imò & diuina; vbi nullus edendi vsus, aut bibendi: corpus enim hoc animale, resurget spiritale; & misera hæc vita in beatam concedet æternamque. [Corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori.] Ita farciunt ventrem isti beatuli, cibis ingestis, vt ignem accendant; ita accendunt ignem vt ebulliant in libidinem. Excipiunt quidem, & dicunt, se alendo corpori stipendium accipere, alimentum sibi non incendium conquirere. Cur ergo omnino auditur fornicatio inter vos? Primo hæc, quæ communis: dein & alia quæ enormis. Lautè viuunt vestri, & opiparè aqualiculum gerunt, dein & mucum despuunt. An id alendo corpori, vel ventri mulcendo? An igitur corpus ideò factum est, vt vitio succumbat, & non potius vt in omni sanctitate, in omni sobrietate Christo Domino seruiat? Chistus.n.caput nostrum est, vtpote nobis, velut suis incertũ membris. Idcircò pura esse debent mẽbra omnia, & à labe aliena, ne à capite degenerent. [Deus verò & Dominũ suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam, &c.] Dixi ventrem destructum iri, sed quoad vsitatum humanæ vitæ officium. Ipse enim reddetur corpori, & corpus reddetur sibi ipsi, vt vitam ducat angelicam, non solùm à vitio alienam, sed & à vitæ corruptibilis officio. Deus enim qui suscitauit Iesum, eadem virtute ac potestate suscitabit nos, & eadem donabit immortalitate. [Ventrem, ait Athanas. ingluuiem ipsam appellat, non stomachum, corporis nostri membrum. Esca verò ciborum vsus est effusus & immoderatior. Inquit igitur, escam huiusmodi sine modo sumptam, & gutturis indulgentiam, amicitias inter & familiaritatem conciliasse, nec patere nobis per hæc accessum. Sed quemadmodum Deus Christum, qui caput est nostrum, à mortuis excitauit, sic nos suscitabit, qui corpus reliquum sumus.]

Qui ventrẽ farciunt, accendunt libidinem.

Athanas. in Paul.

[Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit, &c.] Si id nescitis, certè debetis scire, corpora vestra, esse membra Christi, qui humanam naturam suscepit integram, seque nobis ac singulis inseruit. Quid ergo? assumens membra Christo sacra, subjiciam meretrici, meque subtrahens ab officio legitimo, seruiam libidini? Propitius sit mihi Deus ne faciam. [An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne vnâ. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem, &c.] Quod vobis dico, manifestum est. Nam qui iungitur mulieri etiam meretrici, ipsâ commixtione, vnum cum illâ corpus efficitur, quasi ex duobus commembris constitutum. Certè legimus in Genesi de Adam & Euâ, Erunt duo in carnem vnam, id est, erunt duo vna caro, quasi in vnum corpus redacti, & ipsâ coitione restituti. At eadem permistio corporum est, licet alia animorum consensio. Ita igitur qui spiritu iungitur Christo, fide scilicet per charitatem operante, vnus quodammodo cum illo

Vnum corpus fornicantium & coniugum, etsi nõ vnus est animus.

A spiritus efficitur. Vtrobique in Græco ἐγκολλώμενος, quod non solùm est sociari quid, sed & agglutinari, ægrè diuelli, adeò firmiter incumbit, tenaciter adhærescit. Itaque vitium adeò improbum prudenter declinate, diligenter auertite. [Hoc dicit, inquit Ambros. quia qui contaminationi se admiscet, vnum fit cum eo cui se admiscet. Fornicatio enim ambos vnum facit, vt quomodo in naturâ, sic & in maculâ vnum sint. Ita in benè agentibus spiritus Dei est communis cum Deo & hominibus. Rectè igitur fugiendam monet fornicationem, per quam filij Dei, fiunt filij diaboli.]

Ambros. in Paulum.

[Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extrà corpus est: qui autem fornicatur, in B corpus suum peccat, &c.] Aliud argumentum fugiendæ immunditiæ, nec tam oppositum quã appositũ. Prius enim ab iniuriâ quam fornicator affert capiti Christo, sequens à contumeliâ quam proprio infert corpori. Quodcumque fiat peccatum, extra corpus perpetratur; qui autem fornicatur, peccati in corpus proprium, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα. Non solùm in corpore suo, quod & gula, sed in corpus suum, quod sola luxuria seu immunditia, polluitur enim obscœnâ ac pudendâ libidine, dum turpitudine, seu fœdo humore, per legem in membris nostris repugnantem menti, rationique C aduersantem, despumante; ignominiosè & infandè conspergitur. [In corpus suum peccat: id est, vt exponit Aquinas, contra corpus suum, corrumpendo & inquinando illud præter vsum rationis. In corpus suum peccat, propter corporalem concupiscentiam: omne autem aliud peccatum quod homo committit, est extra corpus, id est, corporalem concupiscentiam.] Bestialem nimirum libidinem, quâ fœdatur quisquis fornicatur. [An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, quem habetis Deo, & non estis vestri?] Confirmatio argumenti. Quid agis, cum teipsum polluis? Non solùm pec- D cas in corpus tuum, sed & templum contaminas, in quo habitat Spiritus sanctus, dum illud sanctificat. Illud donum à Deo vobis concessum est, corpora enim vestra diuino consecrata sunt beneficio, & inhabitanti Spiritui dedicata. Iam ergo non estis vestri iuris, sed toti sanctimoniæ addicti, non immunditiæ. [Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.] Cur non estis vestri? Quia empti estis, & pretio non vulgari, sed inæstimabili; quo, Deo acquisiti estis, muneribusque insigniti spiritualibus. Statum vertistis, & in Spiritûs sancti habitaculum transiistis. Itaque obseruate vos, & ca- E uete ab omni maculâ, seruate corpora vestra pura ac munda. Gloriam reddite illi, nolite iniuriam: membra vestra illi in obsequium subdite, non in sacrilegium [Libidinantis, ait Athanas. totum inficitur corpus. Vnde qui rem veneream factitant, adire balneas consuescunt, vt corpus sordibus & illuuie conspurcatum abstergant. Templum autem estis & sanctum: quippe quod ex sancto Spiritu esse constat. Nolite ergo hoc quod sanctitate donatum est, impurum & sordidatum efficere. Estis enim sub domino constituti. Nec quic-

Aquin. lect. 3.

Virus humanũ corpus inquinat, dum præter vsũ æstuat.

Athanas. in Paul.

quam habetis quod vestri sit iuris, nec corpus ipsum. Itaque cum empti pretio sitis, Deum vestro in corpore glorificate, operantes quæ sunt rectiora.]

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

MVltæ sunt huius transitionis sententiæ, ne dicam & coniecturæ, dum quisque capitis partes, non tam connectit, quàm conjicit adhærentes. Sed quod Tertullianus de Aristotele, hoc & de conjiciente. [Nescio an sua paratior implere, quàm aliena inanire.] Nostrum est astruere nostra potiusquàm aliena destruere: quanquam & qui sua statuit, euertit aduersa. Sit igitur

Tertul. l. de Anima, cap. 21.

DISQVISITIO PRIMA.

Quænam vera vtriusque sectionis fibula?

DIximus Apostolum objicientem præuenisse, sicque præcedentem non infregisse definitionem, sed compleuisse. Hoc passim obuium in stylo Paulino, imò speciatim imperuium, vt penetret cogitationes, objectiones occupet. Sensit ergo, durum dici posse sermonem, & vix posse audiri; imò credi incredibilem. Dixerat Christus. [Non potestis Deo seruire & mammonæ.] Quid inde? [Audiebant autem omnia hæc Pharisæi qui erant auari, & deridebant illum.] Auarus, irrisor est Christi, parùm, si transgressor sit Euangelij. Definierat Apostolus exertè, & apertè dixerat, Iam quidem omninò delictum est, quòd iudicia habetis inter vosmetipsos. Quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? Præuidit aliquem prolatam sententiam sannis excipientem ac dicteriis, fortean & plures naso suspendentes adunco, dicentesque, Quænam illa sententia, & quæ doctrina hæc noua? Scio quòd ij qui docent vos, non in tantum audent; sed dum aliud sentiunt, sensum suum, id est humanum exponunt, non Euangelium. Dicent, licere sua repetere in iudicio etiam externo, imò & priuato defendere gladio. Addent actum vindictæ, esse actum iustitiæ, totumque tandem non iam in iudicio publico, sed in corrupto læsi ac præoccupati arbitrio constituent. Non est ea doctrina Christi, non est ea doctrina Euangelij. Sed non licet id omnibus prædicare, non licet omnibus propugnare. Quid enim pædagogi vestri, homines mercenarij, prædones, an præcones parùm Christiani? Loquuntur vobis placentia: idcircò libenter audiuntur, gratanterque plausibiliores amplectuntur opiniones, sensui ac carnali homini delectabiles, idcircò cum gustu admittuntur & applausu. Non licet amplius iis, qui pietatem lucrum putant, & inde non tam salutem reportant, quàm comodum, Mihi autem Patri omnia licent: omnia, inquam, & placentia & displicentia, imò displicentia potius licent quàm placentia. Ita dictum olim. [Non licet omnibus adire Corinthum.] Id est, non datur omnibus, non passim

Lucæ c. 16.

Qui loquũtur placentia, libenter audiuntur.

& indiscriminatim permittitur. Itaque licentia illa, non est prohibitioni apposita, sed aut timiditati aut difficultati. Est enim libertas quædam aut facultas, quâ licenter audenterque aliquid proponitur, animosè defenditur & intrepidè. Potest tamen dici, licere quod non prohibetur: Sed tunc opponeretur non quidem Apostolorũ vsui, sed pseudapostolorum abusui. [Omnia, ait Ambros. sibi licere dicit, quæ & coapostolis eius licuerunt. Sed quoniam sciebat pseudapostolos occasionem quærere accipiendi, noluit ab his accipere: ne causâ ventris vigor euangelicæ veritatis torpesceret. Si enim ab ijs acciperet, quos in tantis vitiis arguebat, auctoritatem magisterij concessam sibi à Domino inclinabat. Non enim potest constanter argui à quo accipitur, maximè cum ideò promptus ad dandum sit, vt sibi humiliet præpositum.]

Ambros. in Paulum.

Quibus ergo licet, diuites corripere, magnates etiam arguere? Voluntariis & animosis pauperibus, nihil habentibus, nihil etiam quærentibus. Illorum est, qui vt dixit Tertullianus: [Animam solam in confiscato habent.] Omnia eis licent, audent omnia: nec tamen in audaciam erumpunt, sed causam expendunt: non enim cynicè loquuntur, sed Christianè: nec licentiâ suâ vtuntur quantum instinctus suggerit aut zelus, sed quantum ad gloriam diuinam expedit. [Pauper, ait Chrysostomus, generoso & forti animo aduersùs omnes insurgit, facilè omnia agit; quæ prodesse possunt Ecclesiis, siue opus sit vt arguantur aliqui, siue vt increpentur, siue vt Christi nomine ferantur periculo & inimicitiæ. Quoniam qui semel vitam despexit præsentem, magnâ facilitate conficit omnia. Quid enim timeret, dic obsecro? Num ne opes eius auferantur? Hoc nemo dicere poterit. Num ne quis imminuat ei ministeria & delicias? Sed in omnibus illis gaudere se dicit. Cœli municeps est, & ad futuram festinat vitam. Non deprecabitur etiam si anima impendenda sit, & effundendus sanguis. Hinc est, quòd talis etiam & tyrannis, & regibus, & populis, & omnibus potentior est. Et vt discas, quòd verè hæc, & non adulanter sint dicta: & quòd qui nihil possidet, hic omnium liberrimus est, & maximè liberè loqui audet. Quot diuites erant tempore Herodis, quot potentes? & quis in medium prorupit? quis tyrannum increpauit? quis contemptas leges Dei vltus est? Diuitum quidem nullus, sed pauper ille & inops, qui neque lectum, neque mensam, neque tectum habebat; ille, inquam, solitudinis inquilinus Ioannes, ille solus & primus omni libertate tyrannum arguit, & præsentibus omnibus ac audientibus pronuntiatâ sententiâ eum condemnauit. Et antè hunc magnus quoque Helias, qui nihil præter meloten possidebat, impium & præuaricatorem illum Achab, solus viriliter corripuit. Nihil enim, nihil omninò sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere, & contra captiuitatem satis munitum & fortem facit, vt nihil possidere, & nullis secularibus adobrui negotiis.]

Tertullian. lib. de fug. in persec. c. 12.

Chrysost. Homil. in illud Salutate, &c.

Quo quis pauperior est, eo liberior.

Omnia igitur mihi licent, mihi, inquam,

nihil habenti, nihil & petenti, gloriam, vitam contemnenti mortalem, mortem etiam non timenti. Mihi nihil non licet: Sed magistris vestris, in Christo prudentibus, imò sapientibus de seculo, nihil ferè licet. [Pseudapostoli enim, ait Ambros. qui non vtique religionis causâ, sed quæstûs circumibant, peccantibus amari esse nolebant.] Quanquam autem mihi liceant omnia, non tamen partâ vtor licentiâ. Illa enim solùm amplector, quæ expediunt, quæ ad salutem, quæ ad pietatem conducunt. Licet mihi & à vobis pecunias accipere, sed non decet. Video enim accipientes seruitutem incurrere, libertatem loquendi & arguendi perdere: in potestatem vestram redigi, ideoque & cupiditatem vestram perpeti. [Possum, inquit, (apud Athanas.) & cibo vti & potu. Si me tamen addixerim, mei iuris cum sim, luxûs & intemperantiæ subiisse seruitutem deprehendar. Nolim ergo malorum huiusmodi imperium pati.] Et illi quidem non indulgent vobis gratis; sibi enim etiam, & genio indulgent suo. Inde enim pecunias corradunt ad delicias, inde lautiùs viuunt ac splendidiùs: sed & sibi excidunt faciliùs. Quò enim tendit humanissima illa ac mollissima disciplina, quo & desinit? Ventrem satiat, & despumat in libidinem [Deliciarum enim finis, ait ille, fornicatio est.] Escæ igitur ventri, venter escis: Deus autem & hunc & has destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino. Itaque sto in prolatâ sententiâ, nec aliquid remitto de assumptâ licentiâ. [Et quomodo, inquit, ferre potero iniuriâ affectus? Atqui Christus præcepit quod est eo maius. Non solùm enim iussit iniuriâ affectum ferre, sed ei etiam affatim erogare qui facit iniuriam: & patiendi alacritate superare cupiditatem eius qui malefacit. Non enim dixit, Ei qui vult iudicio contendere, & tunicam tuam accipere, dimitte tunicam; sed, cum illâ da etiam & pallium. Vince enim, inquit, eum malè patiendo, non malè faciendo. Quamobrem procedens quoque dicebat Paulus: Iam enim delictũ est in vobis quòd iudicia habetis inter vos. Et cur non potiùs iniuriam accipitis?] Ita Chrysostomus. An dices illum durum & austerum? Dic & Apostolum, dic & Christum: & tamen verum quod ab illis definitum.

Ambrosf. in Paul.

Athanas. in Paulum.

Lasciuia ex humana nata est disciplina.

Chrysost. orat. 16.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quid sit glorificare & portare Deum?

DE duobus conuenit, quorum primum de se loquitur, alterum inde consequitur. De primo, certum est agi de corpore. [Glorificate & portate Deum.] In quo? [In corpore vestro.] De secundo, obscurum non est, per Deum, Spiritum sanctum intelligi. Dixerat enim Apostolus: [An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui ex vobis est?] Seu ex Græcis: [An nescitis, quòd corpus vestrum templum eius qui in vobis, Spiritûs sancti est?] Tum & determinat, & quasi definitiuam pronuntiat

A sententiam: [Glorificate & portate Deum.] Illum scilicet cuius corpus vestrum templum est. [Quem Deum? ait Augustinus, nisi Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templum. Debetur ergo latria Spiritui sancto. Nam si templum ei facere, sicut Salomon fecit de lignis & lapidibus, iuberemur, vtique faciendo templum latriam exhibere conuinceremur, quanto magis latriam debemus cui non templum facimus, sed sumus.] Membra vestra, seu corpora vestra: &, vt clariùs dicam: corpus vniuscuiusque vestrum, Spiritûs sancti templum est; qui licet tertia sit, seu vltima in Trinitate persona; tamen Deus

B est, & verus Deus; & talis, qualis Pater & Filius, eiusdem potestatis, & eiusdem maiestatis; ideoque vnâ & eadem colendus latriâ, eadem suspiciendus reuerentiâ. [Glorificate & portate Deum.] Illum scilicet, cuius estis templum. In quo? In corpore vestro. Addunt Græci [Et in spiritu.] Nimirum, vti exponit Chrysostomus. [Hæc Apostolus dicit, vt non corpore solùm fugiamus fornicationem, sed etiam in spiritu animæ nihil mali cogitemus, neque gratiam abigamus.] Sensum non deformant, sed potius adiuuant, dum [Ampliorem, (vti loquitur Augustinus) & in corpore & spiritu sanctificationem,] efflagitant. Vtrumque neces-

C sarium est, etsi vtrumque signatis verbis non est expressum.

Iam igitur disquirendum primò quid sit glorificare Spiritum sanctum in corpore suo. Seu, vt vertit Augustinus: [Clarificate Deum in corpore vestro: cum suprà diceretur, Nescitis quoniam corpora vestra templum in vobis est Spiritûs sancti, quem habetis à Deo.] Sed dum vertit vocem, mentem aperit. [Nam, vti dixit Tertullianus, cum omnes templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua & antistes pudicitia est; quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam

D sedem offensus derelinquat.] Templum sumus Spiritui sancto consecratum: id appareat, clareatque per pudicam conuersationem, per castam in omnibus non interioribus solùm sed & exterioribus, actu videlicet & motu, incessu & habitu, sed inaffectatam demonstrationem. [Bonum, ait ille, duntaxat verum & plenum non amat tenebras: gaudet videri, & ipsas denotationes exultat. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verùm & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo ad habitum, & eructet à conscientiâ in superficiem, vt & à foris inspiciat quasi supellectilem

E suam, quæ conueniat fidei continendæ in perpetuum.] Cur ita? [Nam vbi Deus, inquit, ibi pudicitia: vbi pudicitia, ibi grauitas adiutrix socia eius. Quo ergo pacto pudicitiam sine instrumento suo, id est sine grauitate tractabimus? Quomodo autem grauitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis cõtemplatione seueritas circunferatur?] Quid est ergo, Glorificate, seu clarificate Deum in corpore vestro? Demonstrate in opere etiam externo, qualis & quantus sit ille Deus, qui in vobis habitat, vt qui viderit quanta sit in vobis mode-

Augustin. epist. 66. post initiũ.

Spiritus sãctus eadem latria qua Pater adorandus.

Chrysost. orat. 18.

Aug. lib. de bono viduit. cap. 6.

Aug lib. 1. de Trinit. c. 13.

Tertullian lib. de cult. fem. c. 1.

Tertullian. eodem lib. c. vlt.

Vbi vera pudicitia vbique etiã est diffusa. Tertul. c. 8.

stia, quanta administrandæ grauitatis, honestatisque seruandæ cura, Deum non minùs magnum deprehendat suspiciatque quàm sanctum. [Vt quomodo ait Apostolus, (verba sunt Tertulliani) magnificetur Deus in corpore vestro. Magnificatur enim in corpore, per pudicitiam, vtique & per habitum pudicitiæ competentem.] Per vniuersalem scilicet humani, imò diuini templi supellectilem.

Tertul. c. 11.

Benè est, Deum quippe glorificamus, clarificamus, magnificamus, honoramusque, cum seruamus templum eius purum & inattaminatum. Quo sensu dixit Tertullianus. [Serua Deo rem suam inattaminatam.] Sicque & cultu & incestu demonstramus, nobis curæ esse sanctitatem loci, vt quiuis Dei qualitatem agnoscat, colat maiestatem. Sed quomodo portamus illum qui portat omnia? An quia habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, curamusque ne effluat, aut excidat? Exemplo ab iis desumpto, qui pretiosos liquores in vasis deferunt angustis, ideoque attendunt sibi? Sed Apostolus actum definit, non præfinit modum. Relinquit enim disquirendum, quid sit non solùm glorificare, sed & portare Deum Spiritum sanctum in corpore suo. Et quidem quoad glorificationem, sensus liquidus est. Idcircò omnes verbum admittunt & Latini & Græci. [Portate] verò, Græci expungunt, & Latini nonnulli. Non tamen terrere asperitas verbi, imò potius mulcere debet Dei non solùm inhabitantis, sed & insidentis suauitas. Portat enim nos Spiritus sanctus vt infirmos, portamus autem Spiritum sanctum, vt Dominum. Exemplo itaque aliunde desumpto: nimirum à mansuetis animalibus, quæ corpus ascendenti Domino submittunt, & ex eius incedunt arbitrio. Quid est ergo, Portate Spiritum sanctum in corpore vestro? Cogitate Dauidem, qui dicebat Deo, se iumentum factum esse coram eo. Dicam-ne, Estote iumenta? saltem, estote velut mancipia: vel, corpora vestra sint in totum Spiritui mancipata. Membra vestra illi subijcite ascendenti, exhibete obsequium, nec timete dominium. Non enim onus est, sed decus: non tormentum, sed ornamentum: non iugum graue, sed suaue ac delectabile. [Tulisti hoc iugum? ait Augustinus, Tulisti? Sentis te habere sessorem? Tulisti hoc iugum? Dicis, Tuli. Sentis te habere sessorem? Sentis te habere rectorem? Sentio inquis. Illi ergo dic, Gressus meos dirige secundùm verbum tuum. Regit te sub iugo suo, & sub sarcinâ suâ. Vt enim sarcina eius sit tibi leuis, & iugum eius suaue, ille tibi amorem inspirauit. Amanti suaue est: Dominus dedit suauitatem.] Portate ergo Spiritum sanctum in corpore vestro. Illi corpora vestra non tradite solùm, sed & subdite in obsequium, vt insideat regatque ad arbitrium. Ne sessorem excutite, ne rectorem lædite: sed placete per sanctitatem, per humilitatem detinete.

Tertul. lib. de coron. mil. cap. 15.

Portat nos Deus vt infirmos, portamus Deũ vt Dominũ.

Augustin. serm. 13 de verb. Apost. cap. 8.



TROPOLOGIA.

Corpora vestra membra sunt Christi.

NOs parat Apostolus ad fugam, & tamen nos armat: quia per fugam denuntiat victoriam. [Fugite fornicationem] Arma sunt argumenta, quibus nos erudit & instruit: quorum nonnulla præcedunt, succedunt alia, interceduntque. Sunt enim prima à Christo, alia à Spiritu sancto, alia pariter ex vtroque mixta.

Quoad primum argumentum, illud à Christo Domino desumptum est. [Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?] Corpus istud quod dicis tuum, ô Christiane, reuera non est tuum, sed Christi Domini tui, patris tui, capitis tui. [Nam cum terruisset Apostolus, (verba sunt Chrysostomi) tum dicit, Nescitis quòd corpora vestra membra sunt Christi? tanquam cum ingenuis filiis deinceps loquens. Nam quoniam dixit, Corpus autem Domino, ipsum nunc ostendit apertiùs. Hoc ipsum autem alibi quoque facit, dicens: [Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte.] Cui addictus es, Christiane? Nonne Christo tuo, cuius & nomen habes, & tenes speciem? [Malo, ait Tertullianus, in gloriam Christi à Christo deducere disciplinam. Habuerint pristina tempora omnis impudicitiæ si volunt Psychici, etiam potestatem. Luserit antè Christum caro, imò perierit antequam à Domino suo requisita est; nondum erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis, adhuc in Adam, facilè quod speciosum viderat concupiscens, & ad inferiora respiciens & de ficulneis foliis pruriginem retinens. Inhærebat vsquequaque libidinis virus, & lacteæ sordes non ablui idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ lauerant. At vbi sermo Dei descendit in carnem, ne nuptiis quidem resignatam; & sermo caro factus est, ne nuptiis quidem resignanda; quæ ad lignum non incontinentiæ, sed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid, sed amarum aliquid inde gustaret; quæ non ad inferos, sed ad cœlum pertineret; quæ non lasciuiæ frondibus, sed sanctimoniæ floribus præingeretur; quæ munditias suas aquis traderet: exinde caro quæcunque in Christo reliquas sordes pristinas soluit, alia iam res est, noua emergit iam, non ex seminis limo, non est concupiscentiæ fimo; sed ex aquâ purâ, & Spiritu mundo. Quid itaque illam de pristino excusas? Non corpus Christi, non membra Christi, non templum Dei vocabatur, cum veniam mœchiæ consequebatur. Exinde statum vertit, & in Christum tincta induit Christum.] Baptizatus es, Christiane, sed in Christo tuo baptizatus. In virtute illius, in illius nomine baptizatus es. Sed an mente solâ, non etiam & ipsâ carne tinctus ablutusque? Imò prius carne, quàm mente. Cor enim abluitur, sed dum corpus tangitur: caro lauatur, tum & ipsa emaculatur anima. Inde igitur arguit Apostolus, Christianumque reducit ad officium. [Et hoc ipsum exemplum

Chrysost. orat. 18.

Tertullian. lib. de pud. cap. 6.

Christianus statum vertit, cum Christum induit.

plum, (vti Chryſoſtomus) ponit multis in locis, ſed non in iiſdem: ſed aliquando quidem vt oſtendat charitatem, aliquando autem vt augeat timorem. Hîc autem ipſum poſuit terrens, & timorem incutiens: Neſcitis quòd corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. Nihil eſt hac dictione terribilius. Neque verò dixit, Tollens ergo membra Chriſti, coniungam cum meretrice? Sed quid? Faciam membra meretricis? Quod quidem magis pungebat.] Tu Chriſtianus es, id eſt, totus & mente & carne Chriſto tuo deditus. Membra iſta, iam tua non ſunt, ſed illi addicta, vt capiti. [Deus, ait Tertullianus, & Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam; propter corporis ſcilicet nexum cum illo. Et ideò, Scitis corpora veſtra membra Chriſti, quia & Chriſtus Dei templum, Auferens membra Chriſti, faciam membra fornicariæ? Non ſcitis quod qui adglutinatur fornicariæ, vnum corpus efficitur? Erunt enim duo in carnem vnam.] Quid hoc? Membra iſta, membra erant Chriſti: nunc ergo illi ſubſtrahes & trades meretrici? Erunt ergo arma peccati; quæ priùs erant Dei membra? Sanctitatem transferes ad iniquitatem? Sanctimoniam conuertes peruertes-ve in immunditiam? Heu cadit in quenquam tantum nefas!

Tertul. lib. de pudicit. cap. 16.

Quoad ſecundum argumentum, iſtud Spiritui ſancto ſubnixum eſt. [An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs ſancti, qui in vobis eſt: quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?] Hoc quidem de Spiritu ſancto dici poteſt quod de Chriſto: omnes nimirum fideles ac ſingulos, vtrique addictos. [In Eccleſiâ Chriſti, ait Auguſtinus, quique fideles, etiam coniugati, ſine dubio membra ſunt Chriſti.] Omnes etiam fideles, & ſinguli, Spiritui ſancto mancipati ſunt. Sed hoc diſtat, ſi quid diſtat, quod Chriſto adhærent, vt Domino, vt ſponſo, vt capiti, vt principi. Spiritum ſanctum habent vt Deum: illius membra, iſtius templa: illius corpus exſtruunt, iſtius opus ſuſcipiunt: illum confitentur pro beneficio, iſtum in ſuo reuerentur domicilio. [Illud ergo, ait Hieronymus, quod objicitur. Neſcitis, quia corpora veſtra templum eſt Spiritûs ſancti: friuolum eſt; cum ſcriptura diuina ſoleat & vnum pluraliter, & plura ſingulariter appellare: & tamen ſciat in templo quoque ipſo multas eſſe manſiunculas, eſſe exterius atrium, eſſe interius, eſſe veſtibulum, eſſe ſanctum, eſſe ſancta ſanctorum. Sunt & culinæ in templo, ſunt & cellariola, ſunt & torcularia, & vaſorum receptacala. Ita & in templo corporis noſtri diuerſa ſunt merita. Non æquè Deus omnes inhabitat, nec ad eandem menſuram omnibus infunditur. Puto aliam eſſe abundantiam fluminis, aliam fluuiorum. Eliæ ſpiritus Eliſæo duplex datus eſt: vnde & duplex gratia fecit ſigna maiora. Ille viuus mortuum, iſte mortuus mortuum ſuſcitauit, ille famem imprecatus eſt populo, iſte obſeſſæ ciuitati ſub vnâ die hoſtiles copias præbuit. Licet & hoc quod ait: Neſcitis quia corpora veſtra templũ ſunt Spiritûs ſancti, de cunctâ credentium dicat Eccleſiâ, qui pariter congregati, vnum corpus efficiunt. Hîc iam quæritur in corpore, qui pedibus Chriſti dignus ſit, qui capite, qui oculus eius ſit, qui manus.] Tota Eccleſia, vnum eſt corpus Chriſti, ſingula membra ſunt. Tota etiam Eccleſia, vnum eſt vniuerſale templum Spiritûs ſancti, ſinguli autem & templa ſingularia. [Omnibus quippe fidelibus, ait Auguſtinus, dictum eſt, Neſcitis quoniam corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritûs ſancti, quem habetis à Deo. Sancta ſunt ergo etiam corpora coniugatorum, fidem ſibi & Domino ſeruantium.] Credamus Apoſtolo: [Qui, vti dixit Tertullianus, in primâ Corinthiorum, primus omnium templum Dei dedicauit: Non ſcitis vos templum Dei eſſe? & in vobis Dominum habitare? qui & templo ſanciendo, purificandoque æditualẽ legem ſcripſit, Si quis templum Dei vitiauerit, vitiabit illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.] Ita ſanctè conſtituit Apoſtolus, ſed & inde validè arguit. [Nam quoniam omnia facit certo conſilio (verba ſunt Chryſoſtomi) ac diſpenſatione, ijs quæ habuit, amplificauit crimen fornicationis. An neſcitis quòd membra veſtra templum ſunt Spiritûs ſancti? Non abſolutè dixit, Spiritûs; ſed, Qui eſt in vobis? quod quidem erat conſolantis. Sed rurſus exponens ſubiunxit, Quem habetis à Deo. Et eum qui dedit, poſuit; ſimul & ſublimem reddens auditorem, & terrens tam magnitudine depoſiti, quàm magnificentiâ eius qui depoſuit.] Scitis cuius templum ſit corpus veſtrum. Si neſcitis, nihil ſcitis: ſin ſcitis, aram facitis an haram? an habetis in vobis Deum omnis ſanctitatis, & infandum exercetis iniquitatis omnis myſterium? Habitaculum Deo exſtruitis, & polluitis ſacrilegio: id eſt, exſtruitis ſimul & deſtruitis?

Auguſtin. lib. de nup. & concup. cap. 10.

Hieronym. lib. 1. adu. Iouin. verſ. fin.

Plures in vno partes ſunt templo.

Auguſtin. lib. de bono coniug cap. 11.

Tertullian. lib. de pud. cap. 16.

Chryſoſt. orat. 18.

Quoad tertium argumentum, id ex vtroque mixtum eſt. [Empti enim eſtis pretio magno.] Certè pretium non poteſt eſſe modicum: imò nec emptio eſt, vbi non eſt pretium. Dicendum tamen, non ſolùm, [Empti eſtis:] Sed &, [Pretio.] Vt ſcias, non ſolùm te emptitium eſſe, ſed & perſoluto aſſertum pretio. Et hoc tantùm ex Græcis. [Non eſtis veſtri ipſorum. Empti enim eſtis pretio.] Additum tamen [Magno,] Vt cognoſcas, quo res abierit, & quanti Deo conſtiterit. Vnde & Latinorum antiquiores, nunc [Pretio] ſine magno: nunc [Magno,] ſine pretio: quibus, vnum & idem ab Apoſtolo Paulo ſignificatum indicant. [Quod ſciam, ait Tertullianus, non ſumus noſtri, ſed pretio empti: & quali pretio? ſanguine Dei. Lædentes igitur carnem iſtam, cum lædimus de proximo.] Neſcitis iſta? certè non debetis ignorare, vos maximè qui ſapientes eſtis, & in Chriſto prudentes. Eratis aliquando, quidam fornicarij, quidam & adulteri, fœdati, conſpurcati. Sed abluti eſtis aquâ mundâ: collato ſcilicet baptiſmo, in quo & [Iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.] Et, [ſanctificati eſtis in Spiritu Dei noſtri.] Inſerti eſtis Chriſto vt capiti, à quo & diuinam hauſiſtis iuſtitiam: ideoque facti eſtis viua illius membra. Accepiſtis Spiritum Dei ſanctificantem, & inhabitantem in

Tertullian. lib. 1. ad vxor. cap. 3.

Quanta beneficia in baptiſmo collata Chriſtiano.

vobis: ideoque facti estis illius domus: & cum Spiritus sit Deus: & domus Dei, templum sit: facti estis templum Spiritûs sancti, templum Dei. Quid interest de stupro, & adulterio? [Non adulterium est, ait ille, quod prohibitum est? Minùs templum Dei violat, minus membra Christi cum membris adulteræ commiscet?] Profectò, sufficiebat dicere, Vos ablutos à stupro & adulterio, cur iterum inquinamini, cur iterũ contaminamini? An & id ignoratis, omne peccatum quodcumque fecerit homo, extrà corpus esse: qui autem fornicatur, in corpus suum peccare? [Cetera peccata foriensecus sunt (verba Hieronymi) Quicquid enim egerimus, in alios agimus: fornicatio non solùm conscientiam fornicantis, sed & corpus maculat.] Non solùm peccat per corpus, non solùm in corpore, sed & in corpus, dum illud de honestat. Hoc, inquam, sufficiebat. Sed tibi non sufficit fœdum esse, placet esse ingratum & beneficio Christi, & dono Spiritûs sancti, placet vtrique esse contumeliosum: & maculam inferre & iniuriam. [Apostolum audiuimus corripientem & coërcentem humanas libidines, & dicentem, Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Corpora nosta membra Christi esse dixit, quoniam Christus caput nostrum est, eo quod homo factus est propter nos. Si enim Dominus noster Iesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, membra eius non essent nisi animæ nostræ: quia verò & corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex animâ & corpore constamus, profectò illius membra sunt & corpora nostra. Si ergo vnusquisque cupiens fornicari, vilescat sibi, & in seipso contemnat seipsum: saltem non in se contemnat Christum. Quò ibas? Redi. Parce in te Christo, agnosce in te Christum. Contemnitis Christum, nec agnoscitis Dominum vestrum, nec cogitatis pretium vestrum? Qualis ille Dominus, qui seruos suos fecit fratres suos? Sed parùm erat fratres suos, nisi faceret membra sua. Itane tanta dignitas viluit? Quia tam benignè præstita est, non honor ei retribuitur? Si non præstaretur, desideraretur: quia præstita est, contemnitur? Propter corpus Christi, corpora nostra membra sunt Christi: propter inhabitantem Spiritum Christi, corpora nostra sunt templum Spiritûs sancti. Quid horum in te contemnis? Christum, cuius membrum es? an Spiritum sanctum, cuius templum es?] Ita Augustinus. Ergone & Christum & Spiritum sanctum simul abiurabis, tantum conculcabis pretium, quo redemptus es, quo ablutus, quo iustificatus, quo & sanctificatus es?

Tertullian. ibid.

Hieron. ep. 147.

Aug. ser. 18. de verb. Apost. c. 1. & 2.

ANAGOGIA.

Qui autem adhæret Domino, vnus Spiritus est.

VNum est necessarium. [Nisi enim opus tuum in vnitate feceris, ait Bernardus, Deo, qui vnus est, acceptum (teste ipso) profectò non erit.] Sed triplex vnitas est. Vna scilicet malorum, alia bonorum, tertia perfectorum. Illa reformanda ex pretio, ista confortanda ex præmio: tertia Deo solo contenta.

Berd. ser. 5. de Assump. Virg.

A

Quoad primam: habent & mali vnitatem suam, dum suam exhibẽt peruersitatem. [Quos enim, vti dixit Gregorius, similis reatus sociat, concordi pertinaciâ etiam defensio peruersa constipat, vt de facinoribus suis alternâ se inuicem defensione tueantur. Sibi enim quisque metuit, dum admoneri vel corrigi alterum cernit; & idcircò contrà corripientium verba vnanimiter assurgit, quia se in altero protegit. Qui diuisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinaciâ vniti perdurant; & tantò magis quotidie à cognitione iustitiæ separabiliores sunt, quantò à se inuicem nullâ increpatione separantur. Nam sicut esse noxium solet si vnitas desit bonis, ita perniciosum est si non desit malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tanto magis incorrigibiles, quantò vnanimes facit. Et de hac vnitate reproborum per Sapientem dicitur: Stuppa collecta, synagoga peccantium.] Videamus quid in synagogâ, quid & in Ecclesiâ. [De illâ scriptum est: ait Bernardus, Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. De illâ iterum Euangelista: Abeuntes Pharisæi concilium inierunt vt caperent Iesum sermone. Et iterum: Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium. Ad quid hoc? Sicut Ioannes testatur, vt interficerent Iesum. Quàm verò pertinax sit ista reproborum vnitas, docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Iob loquitur, dicens: Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum squammis se prementibus. Vna vni cõiungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.] Iam & de Ecclesiâ: imò & de ijs qui meliores perfectioresque censentur in Ecclesiâ. [Talis vnitas, ait ille, imò verò peruersitas solet esse aliquorum fratrum tepidè ac remissè conuersantium: quibus si quid honestatis, aut insigne cuiusdam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio, ac difficultate grauiori resistere, quàm facili compendio assequi velle quod rectum esse constituerit.] Quæ prima vnitas, de quâ Paulus? [An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?] Vnitas quidem illa est, sed execranda peruersitas. Idcircò improbat, reformatque, admonens & altè imprimens, os esse obstrictos Domino, vtpote non modico, sed immenso acquisitos pretio. [Quid facis de pretio, ait Augustinus, si contemnis quod emptum est. Vide quanti emptum est? Pretium ipsum attende, & cum morte Christi totum mundum appender.] Tuus non es, sed emptori obnoxius, addictus redemptori. [Contemnebas, ait ille, corporale peccatum, contemnis quod peccas in templum? Ipsum corpus tuum in te est Spiritûs sancti. Iam vide quid facias de templo Dei. Si autem contemnis corpus tuum, considera pretium tuum.] Emptus es, & tanto pretio: ideoque non ex arbitrio tuo viuendum est sed ex diuino agendum beneplacito. [Si non sum meus, quomodo, inquies, exigis à me quæ sunt agenda? Sed dixisset Apostolus Non

B

C

D

E

Greg lib. 33 moral. c. 14.

Vnanimitas malorum, peruersa est vnitas.

Bern. serm. 5. de Assumpt.

Bern. ibid.

Aug serm. 6. de verb. Dom. c. 6.

Aug serm. 16. de verb. Dom. c. 10

Chrysost. orat. 18.

estis vestri, non dicit, Subiecti estis necessitati, sed, Empti estis pretio. Cur hoc dicit? Atqui aliunde, dixerit fortè quispiam, oportebat adhortari, ostendendo nos habere dominium. Sed hoc quidem nobis cum alijs quoque est commune. Illud autem, Empti estis pretio, nostrum est proprium & præcipuum: in memoriam enim reuocat magnitudinem beneficij, & modum salutis: ostendens quod cum essemus alienati, empti sumus: & non absolutè, sed pretio.] Ita Chrysostomus.

Quoad secundam vnitatem: ita bonorum est, vt nullus bonus sit, qui non sit vnus. [Scriptum quippe est, ait Bernardus: Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Hinc est quòd in illâ piscinâ mouebatur aqua, & sanabatur vnus. Hinc est quòd decem leprosis mundatis vnus regressus est cum magnâ voce magnificans Deum: cui etiam Dominus, ceteris reprobatis, testimonium laudis ascribit, dicens: Nonne decem mundati sunt & nomē vbi sunt? Nō est inuētus qui rediret & daret gloriā Deo, nisi hic alienigena. Paulus quoque ait: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. His itaque & alijs quàm plurimis scripturarum eloquijs perspicuè docemur quàm vnitas probabilis sit, quæ bona est, & tantùm bonorum est: de quâ scriptum est: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Ipsa est decus suauitatis, quam dulcedine sacrâ insonat Psalmista: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Cuius vnitatis cum descripsisset sermo propheticus pulchritudinem, eius etiam non tacuit vtilitatem. Quoniam illic, inquiens, mandauit Dominus benedictionem & vitam: hîc scilicet benedictionem; & in futuro seculo, vitam æternam.] Vides primos quidem deterreri, pretio præmisso, istos verò mulceri promisso præmio? Qualis benedictio! qualis & deuotio! [Vnde, ait Ambros. in libro qui de Apostolorum Actibus inscribitur, legitur tantam felici illo seculo deuotionem plebis fuisse, tantam in eâ charitatem floruisse, vt post acceptam fidem, nemo domū propriam defenderet, & nemo suū aliquid vendicaret, sed iure fraternitatis essent illis cuncta communia: scilicet vt qui eodem cōsortio tenebantur, eodē consortio fruerentur & vitæ: hoc est, vt quibus erat vna fides, esset & vna substantia: & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas enim putabant religiosi viri eum sibi participem non adsciscere substantiâ, qui particeps esset in gratiâ: atque ideò charitate fraternitatis omnibus communiter vtebantur, nisi quòd maior est fraternitas Christi, quàm sanguinis.] Sed quomodo, inquies, aliquis, vnus simul & vnitus est? Eo modo quo locus vnitati simul relictus est & vnioni. Quidni enim aliquis sibi vnus sit, & vnitus alteri? [Seruatur hoc vnitatis bonum, ait Bernardus, duobus modis ab his qui curam gerunt seruandi. Debet enim quisque perfectus vnitatem habere ad seipsum: debet & ad proximum. Ad seipsum, per integritatem; ad proximum, per conformitatem. Omnis quippe creatura, & maximè rationalis, debet suum principium imitari. Si ergo Deus noster vnus est, dicente Moyse: Audi Israël, Dominus Deus tuus est: sed & ille cum sit vnus & idem, atque in seipso perfectus, nec vllo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex beneuolentiâ in nos veniens: debemus & nos quisque sibi vnus esse per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis.] Parùm sit quod iustus sit sibi vnus, quidni & alteri? [Cur enim, ait Origenes, non omnes vnus dicantur, quorum cor, & anima vna esse describitur? Vnam semper omnes sapientiam meditantur: vnum sapiunt, vnum sentiunt, vnum Deum venerantur, vno Spiritu Dei replentur. Vnde meritò & ipsi omnes non solùm vnum, sed & vnus dicuntur.]


Bernard. serm. 5. de Assumpt. — *Ambros. serm. 84.* — *Quibus cōmunis Christus, communis & sumptus.* — *Bernard. serm. 5. de Assumpt.* — *Orig. Ho. de Elcanâ.*

Quoad tertiam vnitatem: hanc aspirant sperantque omnes sancti: imò in tantum sunt sancti, in tantum & beati, in quantum illam acquirunt: sicut enim iustificat secunda, sic & tertia glorificat: sicut illa spe nutritur præmij, sic & ista Dei visione innititur. Illa multis & variis adhuc distrahitur, ista in Deo vno & solo colligitur. Dionysius Timotheo, [Ego, inquit, reor te comprehendisse quomodo extrema prolixiora sint & plurium verborum, quàm prima. Etenim oportuit Theologicas institutiones, explicationemque nominum diuinorum, breuiori quàm Theologiam symbolicam sermone tractari. Quatenus enim ad sublimiora contendimus, eatenus sermones ipsis intelligibilium conspectibus contrahuntur. Quemadmodum nunc caliginem illam subeuntes, quæ superat intellectum, non solùm in sermonis breuitatem, sed etiam in silentium omninò, vacationemque intelligentiæ protinus incidemus. Atque ibi quidem à summo ad extrema descendens oratio, pro modo descensûs ad proportionatam & congruam latitudinem gradatim extendebatur: nunc verò ab infimis ad summa ascendens, pro modo & mensurâ ascensûs paulatim contrahitur: & post omnem ascensum obmutescet omninò, totaque ineffabili vnietur.] Quo magis receditur à Deo, eo magis discurritur; & eo laciniosior sermo est, quo diffusior cognitio: quo magis autem ad Deum tenditur, magis etiam ad ἀγνωσίαν καὶ ἀλογίαν acceditur. Cumque tandem adhæretur Domino, vnus spiritus efficitur: deficit enim humanus spiritus, & transit in diuinum: non secus ac riuulus qui excurrit in alueo, sed cum in lacum aut abyssum defluit, desinit à seipso, à suo motu scilicet & excursu, & in silentio conquiescit. Idcircò, non dixit Apostolus, Qui adhæret Domino, vnum est spiritu: sed, vnus est spiritus: quasi vna mens, vnus intellectus, vna intelligentia: vt humana luceat quidem & ardeat, sed nec numine suo nec lumine: sicut enim à Deo ipso introducitur in beatam illam caliginem, id est, lucem increatam & ineffabilem, sic & diuinâ luce circumfunditur. [Vnio quippe hæc non secus se habet, ac si duo cerei accensi adeò sibi inuicem propinqui essent, vt eorum totum lumen vnum fiat, licet possint hæ duæ candelæ à se inuicem separari, & eorum lumina discerni: vel si gutta è nube decidat in fontem vel in fluuium, tum enim illa veluti deperditur: aut si minor

Dionys. lib. de myst. Theol. cap. 5. — *Cum fit, tur in Deo, in vno requiescitur.* — *Theres. Mans. 7. c. 2.*

fluuius in oceanum recipiatur, cuius aquis A commixtus & absorptus veluti depereat.] Ita Theresia, quæ digna audiri, vt experiri solita. Intrauit & illa in gaudium Domini sui, & illibatas casti connubij delibauit delicias. Sed & qui adhæret Domino, vnus spiritus est, dum subsidet humanus, eminetque diuinus & præsidet. [Ratio enim, ait Bernardus, sapientiæ conformata, ab inferioribus promota, à superioribus adiuta, pergens in id quod rectum est, erumpere festinat in libertatem spiritûs & vnitatem, vt sicut iam dictum est, fidelis homo vnus spiritus efficiatur cum Deo. Et ipsa est vita Dei, quæ non tam rationis est profectus, quam iam sapientis perfectionis effectus. Hæc enim quia iam sapiunt sapienti, sapiens est: quia factus est vnus spiritus cum Deo, spiritualis est. Et hæc in hac vitâ, hominis perfectio est. Iam enim qui hactenus fuit solitarius vel solus, efficitur vnus, & solitudo ei corporis vertitur in vnitatem mentis. Et impletur in eo quod Dominus pro discipulis in clausulâ omnis perfectionis orauit, dicens: Pater, volo, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & ipsi in nobis vnum sint.] Vnio & vnitas, vnum & vnus est: in sanctis enim & perfectis viris Deus omnia est. Cum enim defluit animus humanus à seipso, & in Deum defluit: sic homo perstat, vt nihil tamen humani persistat: desistit enim quicquid suum est, & vnus, diuinus scilicet fit spiritus.

Bernard. ad Frat. de monte Dei in fine.



CAPVT SEPTIMVM.

Epigraphe.

COniuges sociat, exaltat virgines: illis tradit viuendi disciplinam, istis addit & gloriam non nubendi. Ita caput ex æquo dissectum

SECTIO PRIMA.

De Coniugibus.

TEXTVS.

DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxoré habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex cósensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam: non secundùm imperiú. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri. Ijs autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illâ, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.

EXEGESIS LITTERALIS.

Respondet ad consulta Corinthiorum, & salutaria tam coniugatis quàm & liberis exhibet monita: nunc indulgens, nunc & præcipiens.

[De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere, &c.] Scripserant ad Paulum Corinthij, consulerantque circà vsum matrimonij, & abusum idolothyti. Sic enim castitatem commendabat Apostolus, sic præsentis temporis necessitatem arctabat; vt omnia propter fidem viderentur deserenda, cum omnia dicerentur ad salutem conferenda. Sic solent homines, maximè qui genio ducuntur, aut punguntur scrupulo, vt vel solitas latasque vias inambulent, aut à rectis semitis exorbitent. Inter Corinthios, quidam fidem coniungebant & incestum, alij ne ad salutem legitimum quidem admittebant matrimonium. Quid ad hæc Paulus? Scit Corinthios, (vti notauit Baronius) genio suo esse salacissimos, & insuper studio præ cæteris Græcis, Veneri deditissimos. Idcircò acriùs monstrum comprimit incesti, sed mitiùs vsum digerit matrimonij. Itaque melius est & laudabilius à mulieris etiam suæ amplexu recedere, quàm instinctum implere suum. [Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat, &c.] Vitandarum tamen fornicationum gratiâ, Græcè διὰ τὰς πορνείας, vnusquisque, per me, vtatur vxore suâ, & quælibet mulier viro commisceatur proprio. [Scripserant Corinthij, ait Athanas. rogantes Apostolum, vtrum esset à re vxoriâ abstinendum, an minimè. Itaque, dissensionibus iam, fornicatione, & auaritiâ castigatis, de nuptiis & celibatu iam statuit. Bonum est, inquit, & egregium mortali cuique, non sacerdoti duntaxat, nil prorsus mulierem contingere, sed vitam celibem ducere & castam seruare. Quod tamen fieri si nequeat, matrimonium imbecillitati subueniat. Sed si declinandæ fornicationis gratiâ nuptiæ permittuntur, non tamen his quidam abuti debent per intemperantiam.]

Baron. To. 1. Annal.

Corinthij Græcorum omniũ salacissimi.

Athanas. in Paulum.

[Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro, &c.] Duplex fornicatio vitanda, propria, & aliena: ad declinandam propriam, quisque potest vti suo iure: ad vitandam alienam, & maritus vxori τὴν ὀφειλὴν, & vxor marito, debitum amoris honorisque reddat officium. [Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, &c.] Reddit rationem, cur dixerit τὴν ὀφειλὴν, debitum mutuum: vterque enim sexus sibi mutuo obnoxius est: neuter enim sui iuris est in officio coniugali, sed alter obstrictus deuinctusque alteri. Ostendit igitur, vt exponit Ambros. [Inuicem sibi subiici illos in hac causâ, vt quia vnum corpus sunt, vna eorum sit & voluntas in lege naturæ. Hoc ergo dicit, quòd neque virò neque mulieri liceat corpus suum alij tradere. Inuicem enim sibi debitores sunt in hac causâ, ne peccandi detur occasio.] Paria sunt iura, paria sunt & debita. [Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, &c.] Fraudatur aliquis, cum ei debitum negatur suum. Nunquam debet quis fraudari: tantùm priuari potest volens consentiensque: tunc enim nulla fit iniuria. Itaque cum tempus adest, quo ex solemni ritu orandum adorandumque, ab amplexu carnali recedendum est, & paulisper abstinendum. [Et iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram, &c.] Expleto autem orationis solennitatis-ue officio, solitum familiaritatis repetite commercium, ne propter innatam vobis incontinentiam intemperantiamque, ex diuturnitate tentandi occasionem sumat diabolus, & ex infirmitate resistendi propellat in libidinem. [Quodcumque, ait Comment. Athanas. contra alterius voluntatem fecerit alter, fraudis loco habendum est. Secus tamen se res habebit, cum id fieri contigerit vtrisque assentientibus: videlicet cum opportunum fuerit orationi vacare, hoc est, enixè fuerit orandum. Reuertimini tamen inuicem, non vt legem vobis vllam aut necessitatem imponam, sed ne satanæ præbeatis occasionem in fornicatione vos prætentandi. Ille namque cum vos incontinentes perspexerit, ad luxuriam inuitabit.]

Debitum amoris honorisque inter coniuges fideles officium.

Ambros. in Paulum.

Abstinendum à coniugio, cum diuino vacandum est officio.

Comment. Athanas.

[Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium &c.] Quod dico, Et iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram: non iubeo, sed indulgeo. Græcè κατὰ συγγνώμην, [Secundùm veniam] Non præcipio, sed permitto. [Volo enim omnes vos esse sicut meipsũ &c.] Seu vt legit, exponitque Chrysostomus. [Volo enim omnes homines esse sicut meipsum in continentiâ. Hoc quippe facit multis in locis, quando res suadet difficiles: in medium seipsum adducit, & dicit: Imitatores mei estote.] Votum est, non præceptum: optat enim, non imperat: vellet omnes continentes esse, liberos, nec à mundanis tantùm negotiis, sed & à curis liberatos domesticis. [Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic, &c.] Fideles conuenit Apostolus, definitque non omnia omnibus data, sed illum isto, istum illo dono præditum. [Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, &c.] Dico iis qui liberi sunt à coniugio, dico & illis quæ à viro liberatæ sunt, expedit illis manere, cœlibesque & continentes sicut & ego, id est, sine vllo matrimonio persistere. [Quòd si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri, &c.] Si libidinis æstum non sustinent, difficultatem occupent, infirmitatemque indulto sustentent matrimonio: minus enim malum est & tolerabilius remedium, coniugem accipere, quàm explere libidinem. [Manifestum est, ait Comment Ambros. ideò hoc illum dare consilium, vt fornicationem excludat, non vt ad meliorem vitam tendentibus iter claudat. Volebam autem omnes homines esse sicut meipsum. Quantum ergo ad beneuolum & solicitum magistrum pertinet, omnes tales, si fieri posset, volebat esse sicut seipsum. Sed si impulsu carnis perseuerare se viderint non posse, nubant vtique si vri timent. Vri enim est desideriis agi vel vinci.] Ardorem patiuntur non vstionem, qui sentiunt; vruntur, qui consentiunt,

Chrysost. orat. 19.

Paulus exẽplo castitatis & integritatis propositus.

Comment. Ambros.

[Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, &c.] Hucusque ferè indulsit, nunc & exertè præcipit: sua tamen præcepta distinguit & Dominica, aitque, præceptum Christi Domini, iis denuntio, qui coniugati sunt, vxorem à viro non separari, facto scilicet quoad thorum diuortio. [Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.] Quòd si quacumque tandem causâ separata sit, eligat aut non vti iure coniugii, aut sponte ad priorem reuerti coniugem: sed sic cum viro in gratiam redeat, vt thoro non inferat iniuriam. [Et vir vxorem non dimittat, &c.] Iura enim vtrimque sunt paria: sed vir dimittit, expellendo: mulier autem dimittit discedendo. [Nam cæteris ego dico, non Dominus.] Hucusque verbis Dominicis ac sententiis fultus est Apostolus. Iis enim qui matrimonio iuncti sunt, præcipit Dominus, non Apostolus: de ceteris autem qui matrimonio iuncti non sunt, præcipit Apostolus consulit-ve, non Dominus. Nullum enim Christi Domini expressum de istis præceptum est; sed Dei inspirantis, & Apostoli declarantis consilium. Quid dico? Bonum est illis si sic permaneant, nec tantum subeant periculum. [Dico ego, consulendo, non præcipiendo, vt exponit Aquinas, Non Dominus dixit hoc proprio ore: ac si dicat, & hoc dico ex Deo, licet ipse non dicat hoc ore proprio.] Est ergo nuptorum & innuptorum oppositio, Christique & Apostoli expositio. [Nam, (vti loquitur Tertullianus) & cum de viduis & innuptis definiit vti nubant, si continere non possunt, quia melius sit nubere, quàm vri; conuersus ad alteram speciem, Nuptis autem denuntio, inquit, non quidem ego, sed Dominus. Ita ostendit ex tralatione personæ suæ in Dominum, id quod supra dixerat, non ex Domini personâ, sed ex suâ pronuntiasse, Melius est nubere, quàm vri.]

Distincta Domini præcepta & Apostoli consilia.

Aquin. l. 2.

Tertullian. lib. de Exhort. cast. cap. 3.

[Si-quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.] Nouus conscientiæ casus est, nouus & titulus sententiæ. Accidit vt ex duobus coniugibus infidelibus, vir fidem recipiat, mulier autem in infidelitate remaneat: aut è contra. Si quis igitur frater, id est, si quis factus Christianus, vxorem habet in paganismo suo persistentem: & hæc consentit habitare cum viro pristino, non debet, nec potest dimitti, dum nec fidem lædit, nec coniugem aut in peccatum pertrahit aut scandalum. [Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illâ, non dimittat virum, &c.] Par vtriusque conditio est, sicut & par coniunctio; quæ cum sit ex instituto naturæ, dissolui non debet nisi ex certo gratiæ diuinæ priuilegio. [Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, &c.] Vir infidelis per mulierem fidelem ad fidem præparatur, aptaturque ad veram diuinam-ve sanctitatem: sic & mulier infidelis per virum fidelem: iam enim conueniunt animis, & verbis non multum dissentiunt. [Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, &c.] Priùs de coniuge, nunc & de prole. Si separamini, filii etiam vestri immundi erunt & polluti, vel ex immundis nascendo, vel impurè viuendo. Nunc autẽ sancti sunt & mundi, vel non ex fœdis non nati commixtionibus, vel turpibus immunditiis non fœdati. [Non dixit quidem, ait Athanas. Si quis vult infidelem accipere, sed si quis habet vxorem infidelem. Nec simpliciter infideli fidelem, sed volenti coniungit. Partis namque fidelioris abundanti puritate vincitur infidelis cuiuspiam immunditia. Nam si infidelis, credentis nitore non vinceretur, forent sanè quæ parerent liberi immundiores, vel ex parte dimidiâ mundi. Nunc autem sancti: hoc est, non immundi: demit enim omnem suspicionem fidelis feminæ sanctimonia.] Castitas nimirum ac puritas.

Nouũ Ecclesiæ Corinthiacæ consultum.

Athanas. in Paul.

[Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus, &c.] Casus est quo solutio valeat, nec maneat coniunctio. Dixi, iuxta præceptum Domini, Vxo-

rem non debere à viro discedere, quod & exposui de viro etiam infideli & ethnico, sed in vxorem, ne dicam & fidem propenso. Sed si ille dissentit, receditque, aut si abit mulier ac relinquit, sinat fidelis discedere infidelem, seque in libertatem asserat. Nec enim fideles in talibus obnoxij sunt necessitati, vt aut cœlibes maneant, aut ad priora redeant commercia Nam inde turbatur & bonus animi status, & trãquillus Dei cultus, ideoque nulla seruitus, nulla permanendi importatur necessitas, sed nubendi libertas resignatur.] Propositum religionis custodit, ait Ambros. præcipiendo ne Christiani relinquant coniugia: sed si infidelis odio Dei discedit, fidelis non erit reus dissoluti matrimonij. Maior enim causa Dei est, quam matrimonij: nec debetur reuerentia coniugij ei qui horret auctorem coniugij. Nec oportet litigare cum eo qui discedit, ac per hoc nec dignus habendus est.] Sed benè sperandum, expectandumque. Satis improuidè. [Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? &c.] Vis infidelem detinere discedentem, conuersionis spe, sed cum pacis discrimine: malè facis: nam vnde scis, infidelem, exemplo tuo aut monito, recepturum fidem, tandemque adepturum salutem? Enimuero vbi nullum conscientiæ periculum, nullum & concordiæ dispendium: tunc sperandum est cunctandumque. Quis scit enim, si coniux coniugem non pertrahet ad fidem, & sicut sanctificationis, ita & salutis non faciet participem? [Nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo, &c.] Dixi, improuidè retineri discedere volentem sub spe fidei, & ita est: non tamen adeò improspectè, si cui gratia lucrifaciendi, monitisque aut obsequiis euincendi concessa est: sicut vnicuique diuisit Deus, sicut vnumquemque vocauit Dominus. Si enim res ita procedat, succedatque, si certa spes accedat, non deserat coniugem licet grauem sibi; sed oneri faueat, & abire volentem detineat. Quidni enim conuersio speranda, vbi sancta & religiosa est conuersatio? Ita sentio, ita vbique constituo.

Ambrof. in Paulum.

Coniugium non facile nec mere dissoluendum.

[Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur, &c.] Vult Apostolus fideles, quantum fas sinit aut religio, stabiles esse, nec facilè sub obtentu fidei, statum in quo inuenti sunt, vertere. Iam dixit de coniugiis & coniugibus: nunc agit de cæteris conditionibus. Aliquis ex Iudæis ad fidem vocatus est? non reparet præputium. In præputio aliquis vocatus est? signum, cultum-ve non affectet Iudaïcũ. [Circumcisio nihil est sed obseruatio mandatorum Dei, &c.] Adiaphora sunt hæc, nec ad fidem salutem ve ex se pertinentia: non enim quæritur nunc quis circumcisus aut incircumcisus, sed quis fidelis Dei seruus. [Vnusquisq; in quã vocatione vocatus est in eã permaneat, &c.] Durum videbatur Christianum esse seruum, vt pote liberum liberatumve. Idcircò insistit Apostolus, nec seruilem excipit conditionem, dum fidem non intercipit. [Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere, &c.] Cuius conditionis eras, quando factus es Christianus? Seruilis-ne? In eã patienter permane, imò & libenter. Ideo etsi possis excutere seruitutem, illã potius ad salutem tuam vel alienam vtere. [Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi, &c.] Quid de istis curas, animumque sollicitas, cum apud Christum omnia sint paria? Qui enim seruus vocatus est, à Christo liberatus est; similiter & qui Dominus vocatus est, nihilominus Domino obnoxius est, vt à Christo redemptus. [Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum, &c.] Omnes estis fideles, omnes Christiani, & eodem redempti pretio: neu alium spectate Dominum præter Christum, imò illi, non homini carnali & ministerium præstate & obsequium. [Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum, &c.] Adeo cordi est, vt ter repetat, grauiterque concludat. In eo statu, in quo quisque vocatus est factus-ve Christianus, maneat, quiescatque dummodo saluum sit Dei & Christi obsequium. [Hoc est, (vt exponit Comment. Athanas.) vel si fuerit in seruitute vocatus, in eã hic perstet. Apud Deum autem adiecit, ne fortè improbis dominis obsequendo, deficiamus à Deo. Vtrisque itaque in rebus prouidit, videlicet ne sub Dei prætextu discedant à dominis, quorum in potestate sunt corpora. Et rursum ne à Deo deficiant, cum dominis obsequi vltrà quàm deceat volunt.] Ita nullum lædit, & ostendit quod optimum.

Fideles non tantùm fide, sed & conditione stabiles.

Comment. Athanas.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

NOn solùm ostendit quòd melius & vtilius est, sed & minora quædam mala permitti, ad auertenda maiora. [Nolite errare.] Quòd dixi in iudiciis, dico & in coniugiis. [Omnia enim mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.] Sanè, vti dixit Tertullianus: [Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur quàm Plato Dionysio ventris gratiã venditatur.] At neminem palpat Apostolus, nemini se mancipat, qui se ventri non venditat. Putatis illũ solùm auarũ esse qui aliena concupiscit? est & qui plus iusto appetit, contentiosoque repetit iudicio. Putatis illum solùm esse ebriosum, qui mentem in poculis sepelit? Erratis. Est & qui bibendi vicem gratis repetit. Putatis illum solùm mœchum esse, qui alienã vtitur muliere? Erratis. An igitur ille tandem castus erit, qui minus est incestus? Nolite amplius errare, & iste si cautus malè tamen castus est, dum vxore suã non benè vtitur. Sed in exitiosis grauiter succenseo, in iis autem quæ non sunt tanti, quæ salutis deuoratoria non sunt; etsi Christianis non dissimulanda, iis tamen quoquo donanda titulo, clementer indulgeo. Sit ergo

Tertull. c. 46. Apol.



DISQVISITIO PRIMA.

De Apostolicâ indulgentiâ.

Talis est causa cum vxore, vt non expediat nubere, imò expediat non nubere. Nihil mihi est cum illis qui in suo coniugio aliena satiant desideria, multo minus cum ijs qui aliena maculant connubia. Mihi cum illis res est qui in aruo seminant suo nec aliam quam suam cogitant: & dum non aliam quàm suam cogitant, peccant tripliciter.

Primò, quia solam cogitare coniugem, luxuriæ est. [Et nunc Domine tu scis, ait Tobias, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam coniugem, sed solâ posteritatis dilectione.] Quid est, Et nunc? Potest esse coniunctio, potest esse & ratio. Dixerat, [Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Heuam.] Adam factus sine coniugio, sed Heuæ copulatus à Deo, vt alios deinceps suscitaret ex coniugio: id enim illa virum adiuuat, in id collimat matrimonium. Et nunc Domine coniugium ineo in eum finem, & coniugem etiamsi affinem, non propter coniugem, sed propter prolem accipio. Sed & prius metum exposuerat suum. [Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt, quia dæmonium occidit illos.] Cui angelus: [Hi qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à suâ mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.] Audijt Tobias, dixitque: [Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio coniugem, sed solâ posteritatis dilectione.] Quid ergo? non diligit sororem in coniugem? Quomodo non diligit, quam tanto ardore petijt, tanto sponsore obtinuit? [Ego hodie non manducabo neque bibam, nisi priùs petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.] Quid ergo? Diligit, non carnali sensu, sed affectu coniugali: non ad voluptatem, sed ad posteritatem: ideoque ait: [Solâ posteritatis dilectione.] Quia nec ipsam voluptatem quærere fas est, imò nec admittere propter seipsam; sed etsi per ipsam, vtpote suscipiendæ proli necessariam transire necesse est; non tamen benè est eam appetere, vt explendæ libidini, imò & auertendæ fornicationi idoneam. Nam, vti dixit Augustinus: [Sola excusat nuptias procreandorum causa filiorum.] Sola, &, excusat. Si excusat, aliquod malum est, quod nec probari potest, nec amari. Si sola, non est alia: vel si alia est, accusat potius quàm excusat. Quicumque igitur aliâ, quàm filiorum tollendorum causâ miscetur coniugi, tenetur si non obnoxius crimini, certè reus alicuius delicti: non iam id generationi impedit, sed inseruit libidini. [Quod igitur propter vitandas fornicationes, ait ille, maritis & vxoribus ne fraudent inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt orationibus vacent, secundùm veniam, non secundùm imperium: euidenter dum tribuit veniam, denotat culpam.]

> Tob. c. 8. — Eua data in adiutoriũ, cum in matrimonium. — Tob. c. 6. — Tob. c. 7. — Augustin. ep. 121. c. 16. — Augustin. lib. de pec. orig. c. 38.

Secundò, quia solam etiam prolem cogitare,

A concupiscentiæ est, seu carnalis operis. Idcircò & ille iunior Tobias. [Filij sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.] Loquitur de coniugio legitimo, in quo nec apud Gentes aliud quæritur, quam prolis generatio; nec enim alium matrimonialibus tabulis exprimitur, nec vlla vnquam suggeritur cautio libidinis. Sed filii sanctorum sumus, nec possumus ita coniungi. Nec decet, nec licet. Primum ergo, [Solâ posteritatis dilectione.] Iam & alterum: [In quâ benedicatur nomen tuum in secula seculorum.] Nam & proles quæritur non solùm à gentilibus, sed & ab animalibus, genusque potius quàm virus substituitur: quorum duorum illud est in pecore simile hominis, hoc est in homine simile pecoris: Id igitur homines, pecudesque. Quid verò fideles. Nec libidinem quærunt in coniuge, nec posteritatem duntaxat in prole, sed & pietatem promittunt in fide. [Qod enim ad naturam pertinet nuptiarum, (ita Augustinus) vt mas & femina generandi societate iungantur, & ita inuicem non fraudent, sicut omnis societas fraudulentum socium naturaliter non vult; hoc tam euidens bonum cum infideles habent, quia infideliter vtuntur, in malum peccatumque conuertunt. Eo ergo modo & illam concupiscentiam carnis, quâ caro concupiscit aduersùs spiritum, in vsum iustitiæ conuertunt fidelium nuptiæ. Habent quippe intentionem generandi regenerandos, vt qui ex eis seculi filij nascuntur, in Dei filios renascantur. Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, vt eos ex membris hominis primi, in membra transferant Christi: sed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiamsi tanta sit obseruantia, vt secundùm matrimoniales tabulas, non nisi procreandorum liberorum causâ concumbant, non est in eis vera pudicitia coniugalis. Vera enim pudicitia dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur.] Quærunt homines, filios seculi; quærunt fideles, seruos Christi: incumbunt illi generandis, isti regenerandis: illi prolem volunt carnalem, cœlestem isti progeniem.

> Tob. c. 8. — Augustin. l. 1 de nupt & con. c. 4. — Vera pudicitia, quæ veræ fidei mancipata. — Tertul. l. 2. ad vxo. c. 3.

Tertiò, quia solam sobolẽ cogitare, potest esse intemperantiæ. [Non vt penes sanctos, (verba sunt Tertulliani) officia sexûs cum honore ipsius necessitatis, tamquam sub oculis Dei modestè & moderatè transiguntur.] Reducenda sunt tria hominum genera, Gentilium, ethnicorum-ve, Iudæorum, Christianorum. Ethnici solam prolem memorant in tabulis matrimonialibus. Gentiles enim nunquam pudendam subrogant voluptatem: alioquin non iam inter homines, sed inter pecudes numerandi. Iudæi prolem sanctam expetunt in orationibus: alioquin non inter sanctos veniunt, sed inter profanos & publicanos, Christiani fidem suam ostendunt, aliàs non inter Christianos, sed inter Iudæos recensendi. In bestiis, solus impetus est; in ethnicis, impetus cum contractu, in Iudæis, contractus cum ritu; in Christianis, ritus cum cultu: in illis tota viget concupiscentia, in istis vmbra apparet, in his elucet gratia, nec tantum fœcunditas valet vteri, quantum sanctitas sacramenti. Iam officium pietatis est, non iniquitatis; aut cupiditatis mysterium: ideoque Christianus,

> Apud nos plus sanctitas valet sacramenti, quàm fœcunditas vteri.

Christianus, in thoro decumbit vt in templo. [Et opera liberorum, (vti dixit Hieron.) ante oculos Dei & angelos perpetrare se credit.] Idcircò iam nullus libidini relictus est locus, vbi totus consecratus est sanctitati; nec incontinentiæ indulgendum est, vbi studendum temperantiæ. [Velim scire, ait Augustinus, ille qui vxore suâ incontinenter vtitur, si quotiens eum luxuria victum agnouit, totiens suum agrum in vno anno arauerit vel seuerit, qualem messem colligere possit? Qui ergo se continere nolunt, si totiens terram quandam suam quam iam seminauerant, iterum arent & seminent, videamus qualiter de eius fructu gaudebunt; quia, sicut optimè nostis, nulla terra poterit dare legitimum fructum, in quâ frequenter in vno anno fuerit seminatum. Quod ergo non vult aliquis in agro suo, quare facit in corpore suo?] Hoc ergo quod indulget Apostolus: vellet enim omnes esse continentes: sed quia non omnes omnia possunt, necessitati parcendum est, indulgendum infirmitati.

Hieronym. in cap. 2. ad Tit.

Augustin. ser. 244. de temp. cit. med.

DISQVISITIO SECVNDA.

De munditiâ coniugum, liberorumque.

NOn multum Apostolus matrimonio adulatur, plurimum tamen dehortatur à diuortio. Vellet nusquam contrahi, sed & vellet nunquam distrahi: vellet nunquam obstringi, sed & nunquam dissolui: ideò prohibet fidelem dimittere infidelem, sed sub eodem iubet manere vinculo. [Santificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.] Id est, mundi sunt. Sed quæ illa munditia? Imò quæ illa sanctificatio, aut mundatio? An aliqua esse potest in profanis & immundis? Nec tamen vnica est, sed varia & multiplex: prima ex reformatione, altera ex præparatione, tertia ex initiatione.

Prima est igitur ex reformatione. Ethnici namque, vti obseruauit Iustinus: [Præter naturæ leges modis ominibus per libidines varias voluptatis fructum quærunt] Vnde & Tertullianus. [Gentilem, inquit, obseruando, gentilia exhibebit, formam, extructionem, munditias seculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonii secreta maculosa.] An & sanguinanti parcunt mulieri, an frœnum vel modum æstuanti vndantique imponunt libidini? [Non suffecerat, ait Sapiens, errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes inscitiæ bello, neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt.] Nec plura: quæ enim ab ipsis in occulto fiunt, turpe est dicere: & si de inhonestis cogit nos necessitas loqui, honestas præscribit circumloqui. Prima autem reformatio in Christianis, quæ ipsis etiam ethnicis inclaruit, ab ipsis prohibuit immunditiis. [In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.] Cur admirantur? quia res noua, inaudita, insolita. Cur ergo execrantur? An aliquid stupo-

Iustin. Apolog. 2.

Tertul. lib. 2. ad vxo. cap. 3.

Sapient. c. 14.

1. Pet c. 4.

A ri simul & horrori. Rem vident insolentem, stupent vt miram, horrent quasi inhumanam: malam quippe consuetudinem, imò infandam libidinem, humanam vocabant infirmitatem; ideoque inhumanitati dabant & crudelitati, quod protritæ Veneri repugnabat, quod impermissæ renuntiabat libidini. Sed seuerioribus casti matrimonij legibus paulatim assueti ethnici, purificabantur ab illis immunditijs, sicque infideles sanctificabantur per fideles coniuges. Sciant ergo fideles, quales in sancto debeant esse coniugio. Quod enim dicit Paulus τὴν εὔνοιαν, alij vertunt. [Debitam beneuolentiam.] Alij, [Debitam honorificentiam.] omnes

B tantum honoris esse volunt, quantum & pudoris, præscribuntque non solùm intemperantiam omnem, sed & omnem immunditiam à Christiano eliminandam matrimonio. [Nam, (vti dixit Augustinus) qui vxorem suam in profluuiis positam agnouerit, aut in die Dominico, aut in aliâ qualibet solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortasse dæmoniaci nascentur. Sed quod peius est, sunt aliqui ita luxuriosi, vel ebriosi, qui aliquotiens nec prægnantibus vxoribus parcunt. Et ideò si se non emundauerint, ipsi videant si non peiores animalibus iudicandi sint.]

C Secunda est ex præparatoine. Infideles enim per fideles coniuges præparantur ad fidem, sensimque aptantur ad sanctitatem. Vnde Tertullianus, recensitis fidei periculis. [Hæc, inquit, si illis quoque euenire possint quæ in matrimonio Gentili fidem morantur, tamen excusantur, vt in ipsis deprehensæ à Deo, & iubentur perseuerare, & sanctificantur, & spem lucrationis accipiunt. Si ergo ratum est apud Deum matrimonium huiusmodi, cur non & prosperè cedat, vt pressuris, & angustiis, & impedimentis, & inquinamentis non ita lacessatur, habens iam ex parte diuinæ gratiæ patrocinium? Nam & ad aliquam virtutem cœlestem documentis dignationis alicuius vo-

D cata de Gentilibus, terrori est Gentili, quo minùs sibi obstrepat, minùs sciat, minùs speculetur. Sensit magnalia, vidit experimenta, scit, meliorem factam; sic & ipse candidatus est timoro. Ita faciliùs huiusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit.] Mulierem alloquitur, quia, per castam & pacificam mulierum conuersationem vir infidelis faciliùs proniusque conuertitur. [Non enim absolutè, ait Chrysostomus, habitare facit Apostolus cum infideli, sed cum volente. Et ideò dixit, Et ipse consentit habitare cum eâ, Quid enim quæso, est detrimenti, cum & integra maneat pietas, & de infideli bona sit

E spes, si maneant qui iam sunt coniuncti, & belli superuacanei non afferant occasionem & materiam? Non enim de ijs qui nondum conuenerunt, nunc loquitur, sed de ijs qui iam conuenerunt. Non dicit enim, Si quis vult accipere infidelem, sed, Si quis habet infidelem: vt si quispiam postquam vxorem duxerit, aut si quæpiam postquam nupserit, accepit verbum pietatis, deinde altera pars permansit in infidelitate, & contenta est cum eo habitare, non separetur. Sanctificatus enim, inquit, est

Quomodò aliquid & stupori sit & horrori.

Augustin. ser. 44. de temp. vers. fin.

Tertul. lib. 2. ad vxo. cap. 7.

Chrysost. orat. 19.

Aliud cum coniugem infidelem retinere, aliud ducere.

vir infidelis per vxorem. Tanta est copia tuæ munditiæ. Quid ergo, Sanctus-ne est ethnicus? Nequaquam. Non dixit enim, Sanctus est, sed, sanctificatus est per mulierem. Hoc autem dixit, non vt eum ostenderet esse sanctum: sed vt ex abundantiâ mulieri eximeret metum, & illum adduceret ad desiderium pietatis.] A


Tertia est ex initiatione. Ethnici nimirum ab immunditiâ, seu idololatriâ initiati, prophanis conspurcati ritibus, immundis spiritibus mancipati. [Cui enim hominum, ait Tertullianus, non adhærebit spiritus nequam, ab ipsâ etiam ianuâ natiuitatis animas aucupandus, vel quâ inuitatus totâ illâ puerperij superstitione? Ita omnes idololatriâ obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc vteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur: dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur: dum vltimâ die fatâ scribunda aduocantur: dum prima etiam constitutio infantis super terram, Statinæ deæ sacrum est. Quis non exinde aut totum filij caput reatui vouet, aut aliquem excipit crinem, aut totâ nouaculâ prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentîcâ, pro auitâ, pro publicâ aut priuatâ deuotione? Adeò nulla fermè natiuitas munda est. Vtique ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogatiuâ, quàm ex institutionis disciplinâ. Ceterùm, inquit, immundi nascerentur: quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios; vt huius spei pignore, matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis, Nisi quis nascetur ex aquâ & spiritu, non ibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus.] Sunt igitur multi sanctitatis modi, multiformes & sanctificationis species: sed alia est ex seminis prærogatiua, & alia ex institutionis disciplinâ. Ex illâ quidem mundi filij, dum ex mundis nascuntur nuptiis: ex istâ autem sancti, dum ad fidem erudiuntur sanctitatemque. Multum enim valet femina, non solùm vt virum, sed & prolem exemplo suo inuitet & obsequio: saltem, vt nascentem à consuetis vindicet immunditiis, & ita suo modo sanctificet. [Sicut enim, ait Ambros. quicquid per dicationem idolorum fit, immundum est; ita quicquid sub Dei creatoris professione fit, sanctum est.] Benè ergo Apostolus: [Quod, vt Augustinus loquitur, exempla iam præcesserant, & virorum quos vxores, & feminarum quas mariti lucri fecerant in Christo, & paruulorum ad quos faciendos Christianos voluntas Christiana etiam vnius parentis euicerat.] Ita sancti tandem seu sanctificati sunt.

Tertullian. lib. de anima c. 39. B C

Sanctitas ex seminis prærogatiua, & institutionis disciplina. D

Ambros. in Paul.

Aug. lib. 3. de peccat. mer. & rem. c. 12. E



DISQVISITIO TERTIA.

An probanda inter sanctos Christianos-ve coniugia?

TRes sese opponunt rationes, quæ si probabiles sunt, ostendunt improbandum esse inter sanctos Christianos-ve matrimonium. Prima est, quia per idem fit matrimonium, per quod & adulterium. [Ergo, inquis, iam & primas, id est, vnas nuptias destruis. Nec immeritò, quoniam & ipsæ ex eo constant quo & stuprum. Ideo optimum est homini mulierem non attingere, & ideò virginis principalis sanctitas, quia caret stupri adfinitate.] Ita Tertullianus. Matrimonium est, non adulterium. Aliæ sunt voces, an res sunt diuersæ? Nonne per idem fit adultera, per quod & maritata? [Erunt duo: scilicet vir & mulier (ita exponit Aquinas) In carne vnâ, id est, per mistionem carnalem vna caro efficitur, & sic membra vnius fiunt membra alterius. Sunt hæc verba Adæ de viro & vxore loquentis, quæ Apostolus etiam ad fornicationem refert, quia secundùm speciem naturæ non differunt vtriusque actus. An nescitis quia qui adhæret meretrici, scilicet fornicando: Vnum corpus efficitur, scilicet per immundam commistionem. Et ad hoc probandum, inducit auctoritatem Genesis.] Hoc callere debetis, non potestis ignorare. Secunda ratio. [Bonum est homini, ait Apostolus, mulierem non tangere.] Vnde Hieronymus: [Si bonum est, inquit, mulierem non tangere; malum est ergo tangere: nihil enim bono contrarium, nisi malum.] Sumpsit vocem Tertulliani Hieronymus, sed mentem præsumpsit Apostoli. [Illud tamen amplius dicimus, ait ille, etiamsi totam & solidam virginitatem siue cōtinentiam Paracletus hodie determinasset, vt ne vnis quidem nuptiis feruorem carnis despumare permitteret, sic quoque nihil noui inducere videretur; ipso Domino spadonibus aperiente regna cœlorum, vt & ipso spadone; ad quem spectans Apostolus, propterea & ipse castratus, continentiam mauult. Ideoque superesse inquit, vt & qui habeant vxores sic sint, quasi non habeant; quo magis qui non habent, habere non debeant.] Tertia ratio, Corpus Christianum, sanctum est, vt à Christo Domino in baptismo ablutum & sanctificatum, non debet ergo humore fœdo vltra constuprari, obcœno & pudendo conspurcari opere. Cur ille qui fornicatur, peccat in corpus suum? Quia, vt exponit Glossa ex Augustino ipso desumpta. [Anima totaliter carni in illo actu subiicitur, ita quod non possit aliud ibi cogitare.] At id in omni actu carnis denotatur seu propriæ seu extraneæ, cum homo non minus inueniatur totus caro in vno euentu quàm in altero, non minus insaniat, nec minus totus absorbeatur animus. Vnde (notante Aquinate) cum dixisset Apostolus. [Corpus Domino, & Dominus corpori.] Statim resurrectionis meminit, carnalia pertæsus opera. [Aduertendum est, inquit, quod de escis & ventre loquens, quæ pertinent ad vsum animalis vitæ, dixit eas à Deo destruendas: loquens autem de corpore

Tertul. lib. de exhort. cast. c. 9.

Aquin lect. 3. in c. 6.

Hieron lib. 1. aduers Iouin. post init.

Tertul. lib. de Monog. c. 3.

Animus totus in actu carnis absorptus.

Augustin. apud Glos.

Aquin. lect. 3. in c. 6.

& Domino, facit mentionem de resurrectione, quia scilicet animali vitâ cessante, natura corporis in melius reformabitur. Corpus enim debet esse subiectum Domino, & ei dedicatum.]

Omnes isti auctores graues sunt, iuxta ac doctissimi. Quid enim grauius Tertulliano, quid Augustino acutius, quid doctius Hieronymo, quid Aquinate ipso & subtilius & solidius? Quid ergo est, quod Paulus vetat dissolui matrimonium, imò nec vsum improbat repeti? [Respondebo, si Spiritus dederit. (verba sunt Tertulliani.) Ante omnia allegans Dominum magis ratum habere matrimonium non contrahi, quàm omninò disiungi. Denique diuortium prohibet, nisi stupri causâ, continentiam verò commendat. Habet igitur ille perseuerandi necessitatem, hic porrò etiam non nubendi potestatem.] Quid ergo est? Matrimonium improbandum est? Imò approbandum est, nec approbandum duntaxat inter sanctos Christianos, sed apprimè laudandum, & maximè commendandum: cum inter ipsos & solos non tantùm honorabile sit connubium, sed & venerabile mysterium. Sicut ergo non omne quod verisimile est, verum est; ita nec omne quod est probabile, probandum est. Ad primam igitur rationem, dicendum est, aliud esse speciem naturæ, & aliud sanctitatem animæ. Contrectatio sui & alieni, manducatio & ingurgitatio: in naturâ conueniunt, differunt in conscientiâ. Ad secundam, Bonum esse mulierem non tangere, non tamen malum tangere, si modo fiat legitimo. Malo enim non solùm opponitur bonum: sed & bono, id quod melius est, superponitur. [Bonum est. Græcè καλόν. Quo & sensu Græci dicunt καλῶς ἔχει. Benè se res habet. Quod de re præclarâ & eximiâ dicitur, nec ad exclusionem, sed ad prælationem impenditur. Ad tertiam, pudorem incussit non natura, sed culpa; idcircò, vbi culpa non est, pudorem abstergit: etsi enim non tollitur ob vitium remanens, ob bonum tamen superueniens infringitur. Porrò, nec omnis macula, culpa est; nec omnis qui maculat corpus suum, in corpus suum peccat. Subest enim legitima causa, cur bonum appetendo, malum toleres; cur vnum exprimendo, alterum dissimules. Nec multis suadendum est, vbi quod homines volunt, non tantùm facillimè credunt, sed & lubentissimè. Reuera tamen non solùm id credibile, sed & planè credendum est; nec plausibile duntaxat, sed & manibus plaudendum ac sensibus. [Non enim abnuimus coniunctionem viri & feminæ benedictam à Deo, vt seminarium generis humani, & replendo orbi, & instruendo seculo, excogitatam, atque exinde permissam.] Ita Tertullianus.

Tertullian. lib. 2. ad vxo. cap. 6.

Pudorem incussit non natura, sed culpa.

Tertullian. lib. 1. ad vxo. cap. 2.

Stat tamen semper & territat, quod iam ab initio non solùm edictum est ab Apostolo, sed & proscriptum. [Bonum est homini mulierem non tangere.] Quicquid enim apponas ei quod bonum est, tactum ipsum, vsum-ve depretias. [Nunquam enim (vti docet Hieronymus) subiecisset Apostolus, Vnusquisque vxorem suam habeat, nisi præmisisset, Propter fornicationes autem. Tolle fornicationes, & non dicet, Vnusquisque vxorem suam habeat.

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. post init.

Velut si quis definiat: Bonum est triticeo pane vesci, & edere purissimam similam. Tamen, ne quis compulsus fame comedat stercus bubulum, concedo ei, vt vescatur & hordeo. Num idcircò frumentum non habebit puritatem suam, si fimo hordeum præferatur? Bonum est illud naturaliter, quod comparationem non habet mali, quod prælatione alterius non obumbratur. Quale enim illud bonum est, quod conditione deterioris conceditur?] Matrimonium non potest non esse bonum, vt à Deo institutum, vt sæculo necessarium. [Denique, ait Tertullianus, prohiberi nuptias nusquam omninò legimus, vt bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Quâ ratione vtriusque pronuntiationis inspectâ, facilè dinoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. Quod autem necessitas præstat, depretiat ipsa.] Equidem, tangere mulierem, idem apud Paulum, quod commisceri: sicut & habere vxorem, idem quod vti: tamen conquisitis verbis vsus est Apostolus, vt venenum purgaret, monstraret periculum. [Animaduertenda est, ait Hieronymus, Apostoli prudentia. Non dixit, Bonum est vxorem non habere, sed, bonum est mulierem non tangere: quasi & in tactu periculum sit: quasi qui illam tetigerit, non euadat. Quomodo enim, qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus, & feminæ, sentit naturam suam, & diuersitatem sexûs intelligit. Vnde & noster Ioseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus eius; & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod tetigerat, abiecit.] Corpora ista, ex vno, in duo diuulsa sunt; & ex duobus in vnum redeunt: idcircò & tactus fugiendus est, ne quod benè distractum est, malè redigatur in vnum: & quod discessu consopitum erat, accessu, reducatur in animum, & in actum exeratur.

Tertullian. lib. 1 ad vxo. cap. 3.

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian.

Tactus mulierũ quàm periculosus sit.

DISQVISITIO QVARTA.

Quomodo melius sit nubere, quàm vri?

SI melius est nubere, non solùm est bonum sed & in genere suo, seu ordine debito præferendum. [Si quod bonum est, ait Chrysostomus, & quod valdè excellit, quæris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem. Sin autem id quod est tutum, & quod opem fert imbecillitati, coniungere matrimonio.] Sit ergo excellentiùs ac præclarius mulierem non attingere, tutius tamen ac securius vxorem ducere. [Quod si se non continent, nubant. Vidisti Pauli sapientiam, ait ille, & quomodo meliorem ac præstantiorem ostendit esse continentiam: & non cogit eum qui non assequitur, timens ne fit aliqua prolapsio. Melius est enim nubere quàm vri. Indicauit esse tyrannidem libidinis & cupiditatis. Quod enim dicit est eiusmodi. Si vim vehe-

Chrysost. orat. 19.

Chrysost. ibidem.

A mentem sustineas & æstum libidinis, liberare à laboribus & sudoribus, ne fortè euertaris.] Sed longè aliud est præscribere virtuti, aliud infirmitati consulere: applaudere currenti, aliud labenti succurrere. [Et quousque, ait Tertullianus, infirmitas ista impudentissima in expugnando meliora perseuerabit? Quamdiu causabimur carnem, quæ indulgentem Paulum captat, præscribentem recusat; quæ potiores sententias & perpetuas voluntates eius eludit, quæ non sinit nos hoc Apostolo præstare quod mauult? Rideo cum infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est. B Iterum nubere, est res virium; resurgere in opera carnis de continentiæ otio, substantia est laterum. Talis infirmitas, & tertio, & quarto, & vsque septimo forsitan matrimonio sufficit; vt quæ totiens fortior, quotiens fuerit infirmior; habitura iam non Apostolum auctorem, sed Hermogenem aliquem: plures solitum mulieres ducere, quàm pingere. Materia enim in illo abundat.] Ille est, de quo, & aduersùs quem ait: [Pingit illicitè, nubit assiduè; legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit.]

Tertullian. lib. de monog. c. 14. & 16.

Caro tanto fortior, quanto infirmior.

Tertullian. aduer. Hermog. c. 1.

Quid ergo melius? [Hoc dixit Apostolus (verba sunt Augustini) vt effrenatæ libidinis malum non præcipitaretur in turpiditudinem C flagitiorum, cum exciperetur honestate nuptiarum. Nam diligenter interrogatâ doctrinâ, Christianâ, & primas nuptias iam isto tempore, nisi incontinentia sit impedimento, contemnendas esse respondet. Qui enim dixit, Si se non continent, nubant: potuit dicere, Si filios non habent, nubant. Sed post resurrectionem prædicationemque Christi, quando iam ex omnibus gentibus filiorum spiritaliter gignendorum tanta suppetit copia, tale officium cesset ex carne filios propagare, quale primis temporibus fuit. Et quod alibi dicit, Volo igitur iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliâs esse: nuptiarum bonum Apostolicâ sobrietate & auctoritate commendat, non pro- D creandi officium etiam eis quæ cõtinentiæ bonum capiunt, tanquã ad obsequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cum adiungit, & dicit, Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratiâ. Iam enim quædam conuersæ sunt retrò post Satanam: vt his verbis eius intelligamus, eas quas nubere voluit, melius posse continere quàm nubere, sed melius nubere quàm retrò post Satanam ire: id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo cadere & interire. Proinde quæ se non continent, nubant antequam continentiam profiteantur, E antequam Deo voueant: quod nisi reddant, iure damnantur.] Certè excellentissimus vbique Apostolus, siue præceptum suggerat consilium-ve, siue casum resoluat. Primò enim non tam verbo resoluit quàm facto. [Vellem autem omnes homines esse sicut & meipsum: quia vtique (vti exponit Augustinus) ipse ab omni concubitu continebat.] Secundò, non alium producit, quàm Dominum, aut seipsum, id est, Spiritum sanctum. [Nam ne quæ sunt eius, humana esse existimes, propterea subiunxit; Puto enim quòd & ego Spiritum Dei

Augustin. lib. de bono viduit. c. 8.

Filij non carne sed fide gignendi.

Augustin. lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.

Chrysost. orat. 19.

A habeam.] Ita Chrysostomus. Tertiò denique, semper ostendit quod melius, quod sanctius. [Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint: vtique, ait Augustinus, bonum posuit pro meliore, quoniam omne quod bono comparatum melius dicitur, etiam hoc proculdubio bonum est: nam quid est aliud quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est?]

Augustin. lib. de bon. viduit. c. 5

. Potest ergo fieri duplex comparatio melioris: vna ad bonum, tuncque illud optimum est: alia ad malum, & tunc est modicum. [Quale enim hoc bonum est, oro te, ait Tertullianus, B quod mali comparatio commendat? vt ideò melius sit nubere, quia deterius est vri. At enim quantò melius est, neque nubere, neque vri? Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido in oppidum, quàm comprehensum & distortum negare: at quæ beatitas ista, ideò ne qui neget, beati testimonij confessione excidere? Possum dicere, quod permittitur, non est bonum. Quid enim necesse est mori mihi? Si ploro, bonum est, si timeo. Quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ causam. Quod autem melius est, nemo permisit, vt indubitatum & suâ sinceritate manifestum.] Accepit Hieronymus, nec ex iure tantùm, sed & cum fenore reddi- C dit. [Postquam, inquit, ostenderat Apostolus quid vellet, quidue concederet: reddit causam cur dixerit, Si se nõ continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri: Non tamen dixit, Vnusquisque propter fornicationes ducat vxorem: alioquin hoc excusatione libidini fræna laxasset, vt, quotiescumque vxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur: sed vnusquisque vxorem suam habeat. Suam, inquit, habeat, suâ vtatur, quam habebat antequam crederet. Quam bonum erat non tangere, & post fidem Christi sororem tantùm nosse, non coniugem: nisi fornicatio tactum eius excusabilem redderet. Ideò ergo melius est nu- D bere, quia peius est vri. Tolle ardorem libidinis, & non dicet, Melius est nubere. Melius enim semper ad comparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni. Velut si diceret: Melius est vnum oculum habere, quàm nullum: melius est vno inniti pede, & alteram partem corporis baculo sustentare, quàm fractis cruribus repere. Suspecta est mihi bonitas eius rei, quam magnitudo alterius mali, malum esse cogit inferius. Ego autem non leuius malum, sed simplex per se bonum volo.] Quodnam illud bonum, Melius est nubere, quàm E fornicari: vnicum habere virum, quàm multos pati adulteros? Quæ tanta laus, inter cæcos tanquam monoculũ effulgere, inter ebrios esse madidum: pessimo meliorem esse, incestuoso castiorem apparere?

Tertullian. lib. 1. ad vxo. c. 3.

Hieronym. l. 1 aduers. Iouin. post init.

Duplex melioris comparatio, aut ad malum, aut ad bonum.



ANAGOGIA.

Ad tempus, vt vacetis orationi.

TRibus verbis, tria nobis edisserenda proponuntur, & ad eandem nihilominus rediguntur puritatem. Primum est de tempore, secundum de vacatione, tertium de oratione. Tempus, solennitatis est; vacatio, quietis; oratio, pietatis. Tria simul conspirant, animamque prouocant ad sanctimoniam.

Quoad primum. Errant qui putant, solos sacerdotes ab Apostolo monitos, non omnes Christianos. [Nonnulli quidem, ait Chrysostomus, dicunt hoc dictum esse de sacerdotibus ego autem ex ijs quæ deinceps sequuntur considerans, non dixerim ita habere: neque enim vniuersè & in genere posuisset admonitionem. Si autem sacerdotibus solùm hæc scriberet, dixisset, bonum est doctori seu magistro mulierem non tangere. Nunc autem vniuersè & in genere hoc posuit, dicens, Bonum est homini, non solùm sacerdoti. Et rursus, Solutus es ab vxore: ne quæras vxorem. Non dixit, Tu sacerdos & doctor; Sed, indistinctè: & tota perpetuò sic procedit oratio.] Non consuluerant Corinthij de sacerdotibus, sed de omnibus fidelibus: idcirco, dum respondet Apostolus, non solos monet sacerdotes, sed omnes Christianos. [Inter cetera, ait Hieronymus, Corinthi per litteras quæsierant, vtrum post fidem Christi cœlibes esse deberēt, & continentiæ causâ, quas habebant, vxores dimittere: an si virgines credidissent, inirent matrimonia: &, cum è duobus ethnicis vnus credidisset in Christum, vtrumnam credens relinqueret non credentem.] Equidem si omnes admonentur fideles, multo magis sacerdotes, quorum tanto purior esse debet vita, quanto causa est potior. [Si enim laïcus, ait ille, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.] Verùm admonitio vniuersalis est, ideoque non solos tangit ministros, sed & laïcos constringit. Eò enim Apostolus Christianam perfectionem prouexerat, eo sanctam deduxerat conuersationem, vt multi crederent deserenda omnia, vitamque non humano, sed angelico modo instituendam, ideoque Apostolum consulerent, tanquam magistrum integerrimum. Quid ad hæc Apostolus? [De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere] Id quidem præstantius, præclariusque. [Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum habeat. [Græcè ἰδίαν. Non omnis mulier, vxor; sed vxor omnis, mulier. In muliere tamen vxorem comprehendit, & in vxore permisit mulierem. [Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus.] Separationem non iniungo, sed interpono feriationem. [Ad tempus.] Græcè πρὸς καιρόν. Cum tempus id exigit, cum abstinentiam indicit, præscribit continentiam. Et quænam opportunitas

Chrysost. orat. 19.

Hier. l. 1. adu. Iouin. post init.

Hier. cit. med.

Corinthij omnia deserenda rati.

A manifestior, quàm vbi maior solemnitas? [Quotiens, ait Augustinus, ad Ecclesiam in qualibet solennitate venitis, & Sacramenta Christi percipere volueritis, antè dies plures castitatem seruate, vt cum securâ conscientiâ ad altare Dei possitis accedere. Quam rem etiam per totam quadragesimam, & vsque ad clausulam paschæ fideliter custodite, vt vos solennitas paschalis castos & puros inueniat. Qui enim bonus est Christianus, ante dies plures quàm communicet, castitatem seruat.] Illæ sunt feriæ à Paulo Apostolo indictæ. [Si enim, ait ille, post pollutionem quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non li-
B cet, nisi priùs præcedat compunctio & eleemosyna: [& si infirmitas non prohibet etiam ieiunium, quis est qui potest dicere illud quod vigilantes & volentes faciunt, non esse peccatum?]

Quoad secundum. Non dixit Apostolus, Vt oretis, sed, vt vacetis. Nam, vti notauit Hieronymus. [Iubet idem Apostolus in alio loco, vt semper oremus. Si semper orandum est: nunquam ergo coniugio seruiendum.] Sed cautus vbique Apostolus, nedum castus. [Explanat, ait Athanas. cur ad tempus aliquod dixerit, videlicet cum opportunum sit oratio-
C ni vacare, hoc est, enixè fuerit orandum. Nec simpliciter vt oretis, dixit, sed, vt vacetis orationi. Nam si à simplici oratione arceret concordes, cur alibi indesinenter orandum intulisset.] Percuperet Apostolus omnes omnino fideles esse continentes, sed si peteret, statim audiret. [Si omnes virgines fuerint, quo modo stabit humanum genus?] Quasi ad hoc Christiani fiant, vt non tam angelorum ritu viuant, quàm motu pecudum. [Noli metuere, ait Hieronymus, ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas: & ideo rara, quia difficilis. Si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus diceret: Qui potest capere, capiat.]
D Atque vtinam sic vellent omnes, vt & possent. Si enim aliquando definiendus est mundus, dignius est continentiâ deficere quàm luxuriâ, virtutibus cedere quàm sceleribus. Sed id non imponit Apostolus: non enim ait, Vt oretis, sed, vt vacetis. Id ergo exigit, quando vacandum & videndum quoniam suauis est Dominus. Quando quiescendum ab operibus humanis, diuinis ad studendum muneribus, cœlestium æternorumque incumbendum meditationibus. [Illud est tempus, quo (vti loquitur Augustinus) coniugati ab vxori-
E bus, & nuptæ à suis viris abstinent, vt orationibus vacent: hac enim causâ instituta est quadragesimalis humiliationis solennitas: quamquam & per totum annum certis diebus hoc facere debeant: & quanto crebrius, tanto vtique melius: quia & qui concessa immoderatè appetit, eum qui concessit, offendit. Oratio quippe spiritalis res est, & ideò tanto est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet effectum. Tanto magis spiritali opere funditur, quanto magis animus qui eam fundit, à carnali voluptate suspenditur.] Res probatione non indiget, quæ ipsâ patet non tam argumentatione, quàm experientiâ. [Recogitemus enim ipsam conscientiam nostram, (verba sunt

Aug serm. 144 de tēp. post init.

Augustin. vlt. med.

Hier. adu. Iouin.

Athanas. in Paul.

Dignius mundum continentia occumbere quàm luxuria.

Hier. l. 1. aduers. Iouin. vlt. med.

Aug. serm. 74 de diuers. cap. 6.

Tertul. li. de

Exhort ca.c.10. Tertulliani) quàm alium se homo sentiat, cum fortè à suâ feminâ cessat. Spiritaliter sapit. Si orationem facit ad Dominum, propè est cœlo. Si scripturis incumbit, totus illic est. Si Psalmum canit, placet sibi. Si dæmonem adiurat, confidit sibi. Ideò Apostolus temporalem purificationem orationum commendandarum causâ adiecit; vt sciremus, quod ad tempus prodest, semper nobis exercendum esse, vt semper prosit. Si quotidie, omni momento oratio hominibus necessaria est, vtiq; & continẽtia, quæ orationi necessaria est. Oratio de cõcientiâ procedit: si cõscientia erubescat, erubescit oratio. Debemus enim ita ingredi in disciplinâ Domini, vt dignum est, nonsecundùm calentes carnis concupiscentias.] Cetera perturbant quidem orationem, opera carnis inquinant, vt immunda, vt pudenda. [Spiritus ait ille, deducit orationem ad Deum: si Spiritus reus apud se sit conscientiæ erubescentis quomodo audebit orationem ducere ab illâ, de quâ erubescente & ipse suffunditur sanctus minister?] Cetera mentem distrahunt, opera carnis obruunt. Idcirco, cum seriò, & ex instituto, vacandum est orationi, renuntiandum est carni: indicendumque non solùm vxoriæ rei, sed & familiari curæ, domesticisque iustitium negotiis.

Tertullian. ibidem.

Quoad tertium. Illa perfecta est oratio, in quâ diuinorum participatio est, mysteriorumve. Quando enim domus Dei, domus orationis dicitur, non solùm id de verbis intelligitur deprecatoriis, sed & sacris ministeriis: non solùm quibus oratur Deus, sed & quibus adoratur. Ita Apostoli. [Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus.] Iis enim verbis functiones designat Petrus sacerdotales, seruatque sibi quod condignum, & cœtui pernecessarium. Sic & ille: [Viri cohabitantes secundùm scientiam: vt non impediantur orationes vestræ.] Sciant viri quando accedendum, & quando recedendum, ne solita pietatis religionis-ve interrumpantur officia. Ita igitur religiosi primi illi Christiani, vt si vel nolentes aliquid essent passi, non auderent in cœtum obrepere, timerent inter fratres ad Dominicum conuenire. [Ego, inquit Hieronymus, confiteor timorem meum, ne forsitan de superstitione descendat. Quando aliquid mali in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit; basilicas martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore, & animo pertremisco.] Si nec basilicas martyrum audebant intrare, an eorum sepulcra aras-ve, id est, altaria contingere, an audebant sacrosancta delibare, aut participare mysteria? [Oro te, ait ille, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo continentis: quotiescumque vxori debitum reddo, orare non possum. Petrus Apostolus, experimentum habens coniugaliũ vinculorum, vido quomodo informet Ecclesiam, quid doceat Christianos: Similiter viri cohabitantes iuxtà scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri tribuentes honorem, & sicut cohæredibus multiplicis gratiæ, vt non impediantur orationes vestræ. Ecce eodem sensu, quia eodem & spiritu, impediri dicit orationes officio coniugali. Quod autem ait, Similiter; idcircò ad imitationem prouocat viros, quia iam suprà vxoribus præceperat. Cernis ergo, quale coniugium inter viros vxoresque præcipiat? Cohabitantes iuxtà scientiam, vt nouerint quid velit, quid desideret Deus, vt tribuant honorẽ vasculo muliebri. Si abstinemus nos à coitu, honorẽ tribuimus vxoribus: si non abstinemus, perspicuum est, honori contrariam esse contumeliam. Felix, qui audit Apostolum volentem, non ignoscentem.] Vellent Apostoli omnes, vellent & sancti doctores, non solùm temporariam, sed & perpetuam amari seruarique continentiam: Sed quia non obtinent, saltem sententiam diuidunt, & si quid permittunt humanitati, nullam inferunt maculam sanctitati. [Sed dicet aliquis: (verba sunt Augustini) Homo iuuenis sum, continere non possum. Fortè ideò te non contines, quia plus manducas quàm expedit, & plus vinum accipis quàm oportet. Fortè etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam & luxuriosa verba non solùm libenter, sed etiam frequenter aut ipse dicere, aut alijs dicentibus, audire, nec metuis, nec erubescis. Incipe cum Dei adiutorio gulæ concupiscentias refrenare, castis cogitationibus & honestis sermonibus mentem vel linguam tuam iugiter occupare, & videbis quia Deo auxiliante castitatem poteris custodire.]

Act. cap. 6. — 1. Pet. c. 3. — Hieronym. lib. aduers. Vigilant. vlt. med. — Hieronym. lib. adu. Iouinian. post. init. — Felix qui audit Apostolum volentem, nõ ignoscentẽ. — Aug. serm. 4. de diuers. circa med.

A B C

ANAGOGIA.

Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum.

OPinatus est Hieronymus Paulum vertisse quidem stylum sermonis, non tamen intentionis filum abrupisse. [Quæ enim, ait, consequentia, vt, de maritis & vxoribus disputans, repente transiret ad comparationem Iudæi & ethnici; serui & liberi: & rursum, hac disputatione finitâ, rediret ad virgines?] Seruitutem igitur inducit per imaginem: imò ab illâ abducit, mentemque ad suprema erigit. Est ergo triplex seruitus: prima illicita, ideoque fugienda: Secunda honesta, sed onerosa: Tertia diuina, seu cœlestis spiritalisque, omni præferenda libertati.

Hier. l. 1. aduers. Iouin.

Quoad 1. Inculcat Paulus pretium, commendatque vt magnum: id est, Christiani libertatem expendit, & appendit ad pretij magnitudinem. [Empti enim sumus pretio magno. Planè nullo, ait Tertullianus, si phantasma fuit Christus, nec habuit vllam substantiam corporis, quam pro nostris corporibus dependeret. Ergo Christus habuit quo nos redimeret; & si aliquo magno redemit hæc corpora, in quæ eadem committenda fornicatio non erit vt in membra iam Christi, non nostra; vtique sibi salua præstabit, quæ magno comparauit.] Redemit Christus animas nostras, imò & corpora nostra: corpus enim habuit quod non solùm pro animabus impendit, sed & pro corporibus. Audet igitur Apostolus & dicit: Corpora vestra iam vestra non sunt, vtpote magno empta pretio. Iam illius sunt qui emit nos suo corpore, qui nos acquisiuit suo san-

Tertull. l. 5. aduers. Mar. c. 7.

D E

guine. Quis igitur velit alienæ se tradere potestati? quis porrò ausit impermissæ seruire libidini. [Sed fortè putant aliqui, ait Augustinus, quòd feminis non liceat, sed viris liceat. Sed in fide Catholicâ quicquid mulieribus non licet, omninò nec viris licet. Vno enim pretio, id est, Christi pretioso sanguine redimuntur & viri simul & feminæ. In vnam fidem vocantur, & in vno Ecclesiæ corpore congregantur: simul baptismi sacramenta percipiunt, simul ad altare ad accipiendum Corpus & Sanguinem Christi accedunt, simul vtrique sexui præcepta donata sunt. Cum hæc ita sint, quâ fronte vel quâ conscientiâ quod & viris simul & mulieribus non licet agere, soli viri se credunt impunè committere?] Proinde, & vtrique sexui regerendum istud repetendumque. [Membra Christi estis, & corpus Christi estis. Audite Apostolum & tremite. Non potuit enim grauiùs dicere, non potuit vehementiùs, non potuit acriùs deterrere Christianos ab amore fornicationum, nisi vbi dixit, Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Membra Christi, Christiane attende. Membra Christi noli in altero, in te attende membra Christi, qui emptus es sanguine Christi. Puto, quia si homo coniugatus es, & diligas meretricem; non mittis meretricem in domum tuam, vt habitet cum matronâ tuâ. Puto, quia & adolescens nondum habens vxorem, si diligat meretricem, non eam facit habitare cum sorore suâ, non eam facit habitare cum matre suâ, ne offendat decus sanguinis sui: facis ergo habitare in corde tuo dilectionem meretricis cum dilectione Dei, & offendis decus sanguinis Christi?] Quidni & illud resumendum, cum eodem fultum sit pretio? [Nescitis inquit idem Apostolus: (verba Augustini) quia corpora vestra templum in vobis est Spiritûs sancti, quem habetis à Deo? Contemnebas corporale peccatum, contemnis quòd peccas in templum? ipsum corpus tuum templum in te est Spiritûs sancti. Iam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesiâ facere adulterium intra ipsos parietes, quid te esset sceleratius? Modò autem tu ipse es templum Dei. Templum intras, templum exis. Vide quid agas: vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris. Templum in vobis est Spiritûs sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Si contemnis corpus tuum, considera pretium tuum.]

Augustin. serm. 243. de temp. cit. med.

Quod non licet feminis, æque nec viris licet.

Augustin. serm. 12. de temp. c. 3. & 4.

Augustin. serm. 16. de verb. Dom. cap. 10.

Quoad 2. Seruitus quidem honesta est & licita: seruitus tamen, & seruitus onerosa. [Non habet potestatem.] Græcè ἐξουσιάζει. [Sui corporis] ἰδίου. [Proprij] Nullum habet ius, vel in id etiam quod est sibi maximè proprium; imò iam nihil habet proprium; sed quicquid est, superuenienti obnoxium est potestati. [Nam propterea, ait Chrysostomus, hoc Apostolus appellauit debitum, vt ostenderet nullum esse sui dominum, sed esse inter se alterum alterius seruos. Si autem non oportet corpus habere proprium, multo magis pecuniam.] Illa est igitur seruitus, quam Hieronymus arbitratus est alienis ab Apostolo, & tamen proprijs verbis adumbratam. [Quo-

Chrysost. orat. 19.

A modo enim possit intelligi, Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium. Num, qui semel amputatum habet præputium potest, si velit, rursus illud adducere?] Et fortasse potest. Quid enim vult Scriptura? [Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto.] Sed quicquid id sit, etsi potest quis præputium carnis reducere, non potest coniugis iugum excutere. [Restat igitur, ait ille, vt circumcisio & præputium, seruus & liber, superiori sensui coaptentur, & de superioribus pendeant. Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium. Eo, inquit, tempore, quo vocatus es, & credidisti

Hieronym. lib. 1. adu. Iouin. cit. medium.

Hieronym. ibid.

B in Christum, si circumcisus vocatus es ab vxore, & cælebs eras, noli ducere vxorem; hoc est, noli adducere præputium, ne circumcisionis & pudicitiæ libertatem oneres sarcinâ nuptiarum. Porrò qui vxorem non habēs credidit, & liber à seruitute coniugij vocatus est à Domino: ille verè seruus est Christi. Quanta felicitas, non vxoris seruum esse, sed Christi; non carni seruire, sed spiritui? Qui enim adhæret Domino, vnus spiritus est. Ac ne forsitan in eo, quod suprà dixerat; Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed &, si potes liber fieri, magis vtere: suggillasse continentiam videretur, & in famulatum nos tradidisse coniu-

Christianus non carni seruire debet, sed spiritui.

C gum: infert sententiam, quæ omnem amputet cauillationem. Pretio empti estis: nolite fieri serui hominum. Redempti sumus pretioso sanguine Christi, quibus in baptismate mortuus est Pharao: cur rursus Ægyptum quærimus, & post manna Angelorum cibum, allia, & cepe, & pepones, & carnes varias suspiramus?] In libertatem mentis asserti sumus, cur carnis repetimus seruitutem? Quam durum, quàm & miserum, sic alligatum esse, vt quod semel admiseris, nunquam possis dimittere, etsi velis; nec quod iam oderis, possis relinquere? [Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem

D à viro nō discedere.] Græcè μὴ χωρισθῆναι. [Non separari.] Quid ergo? viuum mortuo agglutinari, nec posse separari? beneuolentiam cogere, & si eruperit, si excesserit, gratiam repetere?

Quoad 3. Nihil vilius emi posset, nihil carius posset impendi. Homo à Christo, & tanto laborum sudorumque impendio? [Quis est nunc, ait Tertullianus, qui aduersùs illum reluctatur, immò depretiat, & mercem eius tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet sanguine, commaculat? Hunc ergo liberum pretio æstimabis, & pretio possidebis, nisi

Tertull. de fug. in persecut. c. 12.

E eodem: quanto, Domino constitit, sanguine suo scilicet? Oportet enim quomodo Christus animam suam posuit pro nobis, ita fieri pro eo & à nobis. Quod si Deo quidem hominem, & sanguinem meum debeo: vtique fraudem, facio id agens, ne quod debeo, soluam.] Quid non illius est, cuius sumus toti, cuius sumus non serui tantùm, sed & liberti, tanto nimirum pretio, de morte, nedum de seruitute ab ipso liberati? [Totum emit, ait Augustinus, qui tantum pretium dedit.] Non solùm totum redemit mundum, sed & totos deuinxit nos, vt in sanctitate & iustitiâ seruiamus illi omnibus

Augustin. Enarrat. in Psal. 97. post. init.

Bern. serm. de trip. cohærent. vincul.

diebus nostris, vt illi firmissimo inhæreamus A gratitudinis amorisque vinculo. [Tria enim, (vti notauit Bernardus) sunt vincula quibus ei adstringimur: & sic tria, vt sola: cum solis istis vel istorum similibus omne quod ligatur ligetur. Et primum accipite, funes: secundum, clauos ligneos vel ferreos: tertium, gluten. Primum astringit fortiter & durè: secundum fortiùs & duriùs: tertium suauiter & securè. Fune quodammodo alligatus est redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. B Durum profectò vinculum & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possit: siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum aut obliuiscimur, aut abrumpimus citò. Est autem qui clauis configitur Domino maiestatis, quem timor Dei ligat, qui non expauescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Duriùs tamen & fortiùs primo imprimitur, quia cum ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit, Tertius verò glutine ei conglutinatur, id est, charitate, qui tam suauiter quàm securè ligatus adhærens Deo, vnus spiritus est cum eo. Iste est qui quæcumque vndecunque, siue quæ facit, siue quæ ei fiunt, ad suum commodū reuocat & retorquet. Beatus huiusmodi homo & abundanti spiritûs influens maiestate, qui suauis & vnctus portat omnes, & neminē onerat ipse: qui terribilius & horribilius ipsâ gehennâ iudicat, in re leuissimâ vultum omnipotentis scienter offendere.] Equidem, vt & ille animaduertit: [Immediate ei coniungi non possumus, sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista coniunctio. Sed & ille misericors oculus qui nouit figmentum nostrum, neminem saluandorum dimittit in primos, sed prouehit ad secundum, & nec ibi deserens de secundo perducit ad tertium. Primò siquidem quia pudet deserere, æstuantes vix sustinemus ad horam, secundò iam timentes & sperantes proficimus, tertiò perficimur amantes. Sic igitur duobus præcedentibus timore pariter & pudore exclusis, in solius amoris reclinatorio commoramur. Ita & Christus priùs quidem ligatur, secundò crucifigitur, tertiò glutinosâ aromatum inunctione linitur. Sed attende quod vix vnius diei spatio in funibus & clauis moratus, cum vnctione victor, qui victurus perenniter, resurrexit.]


Deo astringimur tribus vinculorum generibus.

Bernard. ibidem.

SECTIO SECVNDA.

DE VIRGINIBVS.

TEXTVS.



DE virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt; vt sit sancta corpore, & spiritu Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Do-

minum

minum obsecrandi. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine suâ, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, meliùs facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundùm meum consilium: puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam.

EXEGESIS LITTERALIS.

Virginitatis prærogatiuam effert, eique palmam defert posthabito matrimonio. Viduitatis etiam felicitatem prædicat, neutram tamen ex præcepto commendat, sed ex consilio. Ceteros ita finit liberos, vt si statu multum dissimiles, affectu nihilominus esse velit planè similes.

[De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis, &c.] Redit Apostolus ad id quod intercidente de nuptiis quæstione abruperat. Dixerat enim [Ceteris ego dico, non Dominus.] Quibusnam? Innuptis. Inde nunc resumit, clariusque & vberius differit. Itaque de virginibus, nullum Domini præceptum est, quo imponatur necessitas; consilium tamen Apostoli est, quo dignitas proponatur & vtilitas. Sed ne spernas, quia Apostoli consilium, non præceptum Domini: scias consilium ab eo profectum, qui & Apostolatûs gratiâ si misericorditer à Christo Domino donatus est, sed & in proferendâ spiritûs sententiâ, bonoque suadendo, suum fideliter executus est ministerium.

Aquin. lect. 5. [Consilium à Spiritu sancto inspiratum, ob Apostolatum misericorditer concessum.] Ita Aquinas. Dixi filum quæstione de nuptiis intercidente abruptum. Vnde Athanasius post illa Pauli verba. [Nam ceteris ego dico non Dominus.] Quasi obiectâ remorâ, resumit, legitque: [Sed si quis frater vxorem habet infidelē, &c. Sed si qua mulier, &c.] Quasi nouus ingruat casus, & sermonem intercipiat subnascentem. (Nuptiæ molestiis & incommodis onustæ.) [Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse, &c.] Quæ ergo tua, Paule, sententia? Bonum esse eximium, præcellens, eminens, præferendumque, ad vitandam imminens in sæculo, sed in coniugio ineuitabilis necessitatis molestiam. Et quodnam illud bonum? Sic esse. Cui homini? Vtrique sexui. Nuptiis remittatur nuntius animusque à curis exsoluatur importunis, tam Dei cultum perturbantibus quàm mundi instillantibus lenocinium. (Comment. Athanas.) [Vt sentio, inquit, à nuptiis abstinere conducit homini propter rei vxoriæ difficultates atque molestias] Ita Comment. Athanas.

[Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorē, &c.]

A Vinculum matrimonii iam contractum est? abigendum est consilium diuortii. Sed si ligatus non es, si tui dominus, malim tibi cœlibatum suggeri quàm coniugium. [Præceptum de virginibus, ait Ambros. negat se accepisse, quia non poterat auctor coniugii rem aduersam nuptiis imperare, ne factum suum pristinum accusaret: sed affirmat hoc magis Deo acceptum, & à necessitate liberum, ne quæras vxorem, ita tamen vt à ceteris temperes. Si quo minus, quid prodest desiderium carnis premere hoc est rem licitam spernere, & illicitis subiaceret] (Ambros. in Paulum.) Dixi, Ne quæras vxorem. [Si autem acceperis vxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis

B habebunt huiusmodi, &c.] Sic ergo dixi, vt definiam prohibitum esse coniugium, aut peccatum sit mulierem quærere in vxorem? Non: sed vt ostendam quid melius atque præstantius. Similiter ergo, si virgo coniugium inierit, hoc ipso peccatum non admisit. Tales nihilominus, matrimonio contracto, multas secundùm carnem patientur angustias, plures experientur afflictiones. [Ego autem vobis parco, &c.] Quid est, Ego autem vobis parco? [Matrimonii angores & curas, ait Athanas. tribu-

C lationem appellat: ipse verò haud secus, inquit, ac pater indulgeo, velimque vos & libertate vti & carere tristitiâ, quod præstare de se connubia nequeunt.] (Athanas. in Paulum.) Nolim vos premi vinculis, & incommodis sancto etiam matrimonio intimis abripi. In hoc parco, dum vos vt filios ab his molestiis eximo. [Hoc itaque dico, fratres: Tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint, &c.] Quid vis igitur, & quid dicis? Tempus vitæ nostræ contractum esse breuissimumque: quod si aduerteritis, de morte potius ob-

D eundâ, quàm de ducendâ vxore cogitabitis. Quid igitur agendum est? Nempe id quod sequitur: vt qui iam vincti sunt & alligati, parcant sibi, & ita viuant vt soluti ac liberi: tantum abest, vt qui sunt liberi, vincula appetant & onera. [Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi, &c.] (Fluxa omnia in hoc mundo & apparentia.) Et quibus tristia vel læta accidunt, sic illa habeant, quasi non sint, cum illa breuia, sic ista & inania: illa citò abeant, ista decipiant: & qui acquirunt aliquid, sint tamquam illud non habeant: & qui vtuntur

hoc mundo, sic sint quasi qui non vtuntur. A [Præterit enim.] Græcè παράγει [Decipit.] Quid? [Figura] Græcè σχῆμα, facies ac dispositio. Omnia leuia sunt & auolatura, illudunt, seducuntque, non minus ac in scenis comicis, vbi momento vertuntur omnia, nihiloque, imò & nullâ iam labuntur fabulâ. [Mundi enim eo dixit figuram, ait ille, quia eius bona solo terminentur aspectu, & apparentia sint, & nullo fundamento subsistant.]

Atanas. in Paul.

Volo autē vos sine solicitudine esse, &c.] Græcè ἀμερίμνους. Caussam reddit, cur velit vtētes esse in hoc mundo, tamquam non vtentes. Volo, cupioque vos esse incuriosos, seu ab omni curâ molestiaque liberos: temporalia ista nec amare, nec curare. [Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est, &c.] Quam solicitudinem prohibes, amouesque, omnem? Minimè: sed illam & solam quæ studiis implicat secularium, & à curis cœlestium auocat. Igitur ἄγαμος Qui cœlebs, nihil habet, nisi vt de Deo & Christo cogitet: ei studeat à quo factus est, ei placeat à quo redemptus. Qui autem vxoratus coniugatus-ve, animum si non addicit, certè adjicit, & negotiis mundi, & matrimonii officiis: sicque curis distractus quasi contrariis; dum Christo quidem ad salutem nititur placere, mundo autem ob vxorem seruire cogitur. [Cura enim vxoris & filiorum, ait Comment. Ambros. cogitatio mundi est. Amputatâ autem solicitudine rei vxoriæ, quæ sola in mundo ceteris grauior est, ad Deum promerendum animus eruditur: si tamen hac spe animus his molestiis se exuat, vt Deo magis seruiat.] Quo plus enim demitur mundo, plus Deo impenditur. [Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt; vt sit sancta corpore, & spiritu, &c.] Hoc vtrique commune est sexui. Igitur & illa quæ viro non est obnoxia, maximè autem virgo quæ nihil vnquam carnalis experta est voluptatis: illa, inquam, cogitat, curatque ea quæ Dei sunt ac Domini: & ad hoc curat & cogitat, vt non solùm mente, sed & carne pura sit ac illibata. [Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, &c.] Vtilitati studet ac venustati, rem familiarem promouet. [Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, &c.] Quod dico de innuptis non subiicio strictæ necessitati, sed saluti vestræ consulo. Oportet enim semper orare, & nunquam deficere: deficit autem qui animum ac studiū in curas distrahit extraneas. Itaque pulcrum est præclarumque à nuptiis abstinere, vt totis animis Deo possitis intendere, facilè & expeditè; assiduo orationis & obsecrationis studio incūbere. [Vt coniugii perturbationibus liberi, sine solicitudine supplicare Deo possitis, in eumque curam vestram & omnem transferatis cogitatum.] Ita Athanas. Nonnulla quidem lectionis variatio est, sed eadem sermonis intentio.

Comment. Ambros.

Vera puritas quæ & mentis, & corporis est.

Athanas. in in Paul.

[Si quis autem turpem se videri existimat super virgine suâ, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat, &c.] Sed dicet aliquis. Imò indecorum est & inhonestum, filiam suam tamdiu seruare, nunquam elocare, licet nubilem, & plusquam nubilem. Ita vis? ita sentis? Non dicam te carnaliter sapere, sed lubenter permittam te sensui tuo, & filiam maturam nuptui tradere. Non vbi putas ita fieri debere, non peccas, si tradas. Itaque tibi quidem liberum est facere aut non facere, id est, nulli per se crimini obnoxium. B [Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit.] Dixi quod liberum & innoxium, non tamen quod optimum. Nam qui sapit, vulgi spernit rumores, resque cœli omnibus præponit consuetudinibus. Laudandus igitur ille probandusque, cui cum sit liberum concessum-ve filiam suam tradere vel non tradere, eligit tamen seruare intactam, idque maturo apud se iudicio constituit. [Hoc dicit, ait Comment. Ambros. vt qui virginem habet cui animus ad nuptias non est, seruet illam; nec illi ingerat fomitem nuptiarum, quam C videt nubendi voluntatem non habere. Beneficia enim si præstanda sunt, quanto magis minimè auferenda?] Nihil enim intentâ aut inexploratâ filiâ. [Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, melius facit, &c.] Matrimoniū, malum non est, imò bonum est, vtpote à Deo ipso institutum. Itaque, qui matrimonio iungit filiam suam, benè quidem facit: qui autem non iungit, melius haud dubiè facit ac præstantius. [Non enim nubendo delinquitur: est tamen longè satius nemini filiam connubio iungere.] Ita Athanasius pseudepigraphus.

Necessitas in præcepto, libertas in consilio.

Comment. Ambros.

Comment. Athanas.

D [Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius, liberata est, &c.] Quid putas, cum filiam elocas tuam? Illam certè obstringis, & in vincula, vt ita dicam, coniicis, penè indissolubilia. Nam ex quo mulier nupta est, tanto tempore vincta est, & legi adstricta matrimonij, quanto vir eius viuit: id est iugum ducit, non tam à comparte quàm morte abrumpendum. [Cui vult nubat: tantùm in Domino, &c.] Morte quidem viri intercedente, liberata est, imò & libera, vt cui voluerit, possit nubere, modò meminerit viro nubere Christiano. [Beatior autem erit si sic permanserit, secundùm meum consilium, &c.] Melius tamen E illi est feliciusque, si absque viro maneat, matrimonio non iterato. Hæc mea sententia est, imò nec mea, sed de cœlo lapsa, & à Deo inspirata. [Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.] Humilitatis quidem, sed & auctoritatis est, plusque in intellectu remanet, quàm hæret in sensu. An igitur habent alii Christi Apostoli Spiritum Dei, & ego non habeo? Puto quòd & ego habeo. Itaque sensus, non solo vocis sono, sed & ipso sermonis tono iuuandus est. [Affirmat enim suum consilium pro Dei amplectendum sententiâ.]

Nubere in Domino, est religionis suæ viro nubere.

Athanas. in Paul. Tertul. li. 2. ad Vxo. c. 1.

Ita Athanas. Sic & Tertullianus locum integrum tractans ac retractans. [Proximè, inquit, tibi, dilectissima in Domino conserua, quid feminæ sanctæ, matrimonio quacunque sorte adempto, sectandum sit, vt potui, prosequutus sum. Nunc ad secunda consilia conuersus, respectu humanæ infirmitatis, quarumdam exemplis admonentibus, quæ diuortio; vel mariti excessu, oblatâ continentiæ occasione, non modo abjecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo quidem disciplinæ meminisse voluerunt, vt in Domino potissimum nuberent] Id est, id saltem obseruarent, tanquam præcipuum, vt Christianum acciperent.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

De virginibus agit Apostolus: sed quibusnam? Agit & de viduis à viro liberatis, aut Christiano nubentibus matrimonio. Sit ergo

DISQVISITIO PRIMA.

De quibus virginibus?

Sanctis vtique, seu Christianis. Sed duplex illarum erat genus. Vnum earum quæ nuptui expositæ: alterum earum quæ cultui consecratæ. Illæ, Virgines hominum, quasi humanis congressibus destinatæ: istæ, Virgines Dei, quasi actibus diuinis mancipatæ. Illæ, virgines dicebantur seculares, istæ, sanctimoniales; illæ, Christianæ quidem, sed matrimonio resignandæ; istæ, religiosæ etiam censebantur, vt quæ Deo sacræ. [Ambiunt virgines hominum aduersùs virgines Dei, (verba Tertulliani) nudâ fronte in temerariam audaciam excitatæ. Et virgines videntur quæ aliquid à viris petere possunt, nedum tale factum; vt scilicet æmulæ earum, tanto magis liberæ, quanto Christi solius ancillæ, dedantur illis.] Cur æmulæ? Quia illæ Dei, istæ mundi seu seculi. Tanta autem æmulatio seu oppositio rerum, quanta & auctorum. [Intolerabile est, ait Ambrosius, de Dei Virgine, vel turpe aliquid dici vel credi.] Sunt illæ quæ Deo dicatæ, quæ Christo afflatæ. [Quæ vti dixit Tertullianus, nullâ formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt. Malunt enim Deo nubere: Deo speciosæ, Deo sunt puellæ. Cum illo viuunt, cum illo sermocinantur: illum diebus & noctibus tractant: orationes suas, velut dotes, Domino adsignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familiâ angelicâ deputantur.] Tales erant illæ virgines, de quibus Lucas in Actibus. [Intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quattuor filiæ virgines prophetantes.] Illæ enim Deo afflatæ, Deo plenæ,

Duplex virginum genus, secularium & sanctimonialium.

Tertullian. l. de veland. virg. c. 3.

Ambros. l. ad virgin. laps.

Tertullian. l. 1. ad Vxo. c. 4.

Act. c. 21.

A imò & dignæ, vtpote maritalibus ornatæ muneribus: seu dignationem, vti Tertullianus loquitur, pro virginitate, à Deo consecutæ; sed virginitatem ex munere.

Cum igitur Apostolus nubendi licentiam concedit, non illas comprehendit, quæ professæ sunt sanctimoniam, sed illas & solas, quæ integræ quidem sunt, sed adhuc liberæ. [Vnusquisque enim, (vti definit Augustinus) de loco itineris sui ad quem proficiendo peruenit, & quem vouit Deo, inde respicit retrò, cum ipsum dimiserit. Verbigratiâ, statuit castitatem coniugalem seruare (inde enim incipit iustitia) recessit à fornicationibus, & ab illi-B citâ immunditiâ: quando se ad fornicationes conuertit, retrò respexit. Alius ex munere Dei maius aliquid vouit: statuit nec nuptias pati. Qui non damnaretur, si duxisset vxorem, post votum quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur, cum hoc faciat quod ille qui non promiserat: tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare, nisi quia iste respexit retrò. Iam enim ille antè erat, iste autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo, quæ si nuberet, non peccaret: sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. Respexit enim retrò de loco quò accesserat.] An id solùm de puel-C lis, non & de viris? Audi. [Sic quibus placet relictâ omni spe seculari, & omni actione terrenâ, conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam, vbi non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, & est illis anima vna & cor vnum in Deum: quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur qualis ille qui non intrauit. Ille enim nondum accessit, iste retrò aspexit. Quapropter, quomodo quisque potest, Vouete & reddite Domino Deo vestro quod quisque potuerit, nemo retrò aspiciat, nemo auertatur ab eo quod antè est, ad id quod retrò est: currat donec perueniat.] Et de vtroque sexu Gre-D gorius. [Quisquis bonum maius subire proposuit, bonum minus quod licuit, sibi illicitum fecit.] Speciatim tamen de mulieribus agit Apostolus, vt de corporibus pudori dicatis, vnde & per virgines passim quisque mulieres, sed integras intelligit, incorruptasque. [Ab his autem illicitis, ait Augustinus, valde longè est, quæ voti libertate se astrinxit, & sibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, sed consilio charitatis effecit.] Sed quod fuit liberum ex consilio, iam fit ex voto necessarium: etsi enim non vouere iussum, iussum tamen reddere. [Præceptum est, ait ille, cui non obe-E dire peccatum est: consilium, quo si vti nolueris, minùs boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis.] Quod in libertate positum, sub lege clausum est.

Augustin. Enarrat. in Psal. 83. circ. med.

Quod fuit liberum, fit ex voto necessarium.

Aquin. ibid.

Greg. part. 3 curæ Pastor l. admo. 28.

Augustin. lib. de bono vid. cap. 5.

DISQVISITIO SECVNDA.

De viduis liberatis-ut.

POterat mulier à viro liberari tripliciter. Primo, vti iam dixit Tertullianus, [Diuortio.] Non solùm enim apud Iudæos, sed & apud Romanos, locus erat repudio: & quod mirum: id apud Romanos, quod nec apud Iudæos: etiam feminæ dabant libellum repudij, nonnullæ ad votum nubebant diuortij. [Nunquid iam vlla, ait Quintilian. lib. 7. cap 9. repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles feminæ non consulum numero, sed maritorum annos suos computant? Et exeunt matrimonij causâ, nubunt repudij.] Cum verò repudium sit de repudendâ ac fœdâ eo faciliùs Christiani Romanarum legum vtebantur patrocinio, quo rebantur innocentiùs repudium ob adulterium, Euangelicarum institutionum fultum esse priuilegio. Itaque & feminæ Christianæ, fato non expectato, à viris exibant ob adulterium, & nuptum alijs etiamnum ibant. [Mulier quædam (verba sunt Iustini) cum marito suo homine libidinoso fuit, libidini & ipsa priùs dedita: vbi autem illa mysticam arcanamque Christi professionem perdidicit, cum ipsâ moderatam continentemque vitam est complexa, tum idem quoque vt faceret, marito suasit: doctrinam referens Christianam, & futurum illum æternum ignem, qui impudicis atque voluptuariis paratus est, promissionesque itidem sempiternorum piis destinatorum bonorum proponens. Sed enim cum multa sæpè dicendo nihil apud eum efficeret, atque ille in procaci petulantiâ suâ permaneret, mulierem improbis suis moribus à se reddidit alieniorem. Illa namque impium esse iudicans cum tali deinceps viro consueuisse, qui præter naturæ leges modis omnibus per libidines varias voluptatis fructum quæreret, discedere ab eo voluit. Vt verò illam propinqui, pro auctoritate suâ, ab eo consilio sunt dehortati, spemque ei fecerunt, virum aliquando tandem in melius mutatum iri, manere cum homine est coacta. Postquam verò maritus Alexandriam profectus, multò etiam deterior factus esse dictus est; femina verita, si de cetero eodem cum illo lecto eademque vteretur mensâ, ne impietatis quoque eius fieret particeps, misso illi, qui apud vos dicitur repudij libello, ab eo sejuncta est.]

Iustin. Apol. 1.

Libellus repudij datus etiam à mulieribus.

Duo occurrunt in hac historiâ. Primum, repudij libellum vtrimque datum: nec improbatum à Christianis, fortean & ab ipso tunc probatum. Vnde Tertullianus: [Matrimonio quacumque sorte ad empto.] Fato scilicet vel diuortio. Sic & ille [Diuortio, vel mariti excessu.] Cum mulierem dimittit vir, aut à viro mulier abscedit: cum ille iubebat mulierem habere res suas, mulier autem dimittebat, aut etiam repetebat. Vnde & apud Iustinum. [Mulier citata, supplici quoque libello principi dato, petiit sibi permitti, vt rem familiarem suam primum constitueret, ac deinde accusationi eius respondere posset.] Alterum est, feminas

An matrimonium facto contrahendum diuortio.

A facto ob adulterium repudio, alios sibi iunxisse viros, imò & ethnicos adsciuisse. Quoad ethnicos, improbat acerrimè Tertullianus: quoad alios, nec negat repudium adulterij causâ licitum esse, nec alterum à baptismo matrimonium in Domino denegat. [Vt in Domino, inquit, nubas, secundùm legem & Apostolum.] Tamen, etsi subscribat repudio, non tamen exinde matrimonio contrahendo, aut etiam contracto, suum commodat suffragium. [Illi, inquit, etiam non repudiantes, adulteria committunt: nobis etsi repudiemus, ne nubere quidem licebit.] Licet ergo dimittere: sed viuente coniuge, non licet nubere. [Nec vobis, ait Augustinus, licet habere vxores, quarum
B priores mariti viuunt. Nec vobis feminæ habere viros licet, quorum priores vxores viuunt. Adulterina sunt ista coniugia, non iure fori, sed iure cœli. Nec eam feminam quæ per repudium recessit à marito, licet vobis ducere viuo marito. Solius fornicationis causâ licet vxorem adulteram dimittere, sed illâ viuente non licet alteram ducere. Et vobis feminæ nec illos viros, à quibus per remedium discesserunt vxores eorum, maritos habere conceditur. Non licet. Adulteria sunt, non coniugia. Nolite imitari turbam malorum infidelium: nolite sequi vias latas, quarum finis ad interitum ducit. Qui baptizatus fuerit, aut continentiam
C Deo voueat: aut cum vxore suâ permaneat.]

Tertull. l. de Monog. c. 11.

Tertul. eod. lib. cap. 10.

Augustin. Hom. 49. ex 50. cap. 2.

Secundò, liberabatur mulier à viro, si non solùm infidelis esset, sed & hostis Dei, fideique perduellis. Nam si fidelis esset, nusquam, vel quacumque causâ abruptum vinculum. [Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.] Cur ita? Quia, vt definiuit Christus: [Si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit mœchatur.] Potest quidem dimittere, aut dimitti propter adulterium, sed non potest matrimonium contrahi aut contrahere, quia vinculum non est dissolutum. Sit ergo libera viro
D adultero, nondum tamen ab illo liberata. Imò expedit καταλλαγῆναι, [Reconcilietur viro suo.] Id est conetur concordiâ nectere, redire in gratiam, sicque virum lucretur suum. Si verò infidelis sit, nec permittitur dimittere, imò detinere præcipitur, dummodo grauis non sit, sed docilis. [Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illâ, non dimittat virum.] Quibus verbis, vti dixit Tertullianus: [Manifestum est scripturam istam eos fideles designare, qui in matrimonio gentili inuenti à Dei gratiâ fuerint, secundùm verba
E ipsa: Si quis, inquit, fidelis vxorem habet infidelem. Non dicit, vxorem ducit infidelem; ostendit iam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratiâ Dei conuersum perseuerare cum vxore debere. Scilicet propterea, ne qui fidem consecutus, putaret sibi diuertendum esse ab alienâ iam & extraneâ quodammodo feminâ. Adeo & rationẽ subiicit, In pace nos vocari ad Dominum, & posse infidelem à fideli per vsum matrimonij lucrifieri.] Porrò,

Quâ de causâ abrumpendum sit vinculum.

Mat. c. 10.

Tertul. li. 2. ad vxo. c. 2.

[Si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.] Ideoque deinceps non solùm libera, sed liberata est. [Quid est enim, ait Chrysostomus, Si infidelis discedit aut separatur? Vt si iubet te sacrificare, aut esse sociam impietatis propter matrimonium, aut recedere; melius est vt diuellatur matrimonium, quàm pietas. Si quotidie pugnet, & bellum moueat propterea, melius est discedere: hoc enim tacitè significat, dicens: In pace autem vocauit nos Deus.]

Chrysost. orat. 19.

Tertiò denique liberatur mulier morte viri intercedente, etiam Christiani. [Quòd si dormierit vir eius.] Seu, vt dixit Tertullianus: [Mariti excessu.] Aliud enim discedere, aliud excedere. Sed & excedunt omnes, infideles & Christiani: soli fideles dormiũt, dũ alij ebulliũt in pice, isti in pace requiescunt. [Liberata est.] Nedũ libera. [Quãuis .n. sit mors adulterium, non corporis, sed quod peius est, animæ: non tamen de istâ morte loquebatur Apostolus, cum dicebat, Quòd si mortuus fuerit vir eius, sed de illâ solâ quâ de corpore exitur.] Ita Augustinus. Itaque: [Cui vult, nubat.] Hoc est, id habet in potestate, nec se ex necessitate continet. [Tantùm in Domino.] Hoc est, in Christo, seu religionis suæ, Christianæ scilicet, viro. [Hîc certè, ait Tertullianus, nihil retractandum est: nam de quo retractari potuisset, Spiritus cecinit: Ne quod ait, Cui velit nubat, malè vteremur, adiecit, Tantùm in Domino, id est, in nomine Domini, quod est indubitatè, Christiano. Ille igitur Apostolus sanctus, qui viduas & innuptas integritati perseuerare mauult, qui nos ad exemplum sui hortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum, nisi in Domino, præscribiit huic soli conditioni continentiæ detrimenta concedit: Tantùm inquit, in Domino. Adiecit pondus legi suæ, Tantùm. Quo sono & modo enuntiaueris dictum istud, onerosum est: & iubet, & suadet, & præcipit, & hortatur, & rogat, & comminatur. Districta, expedita sententia est, & ipsâ sui breuitate fœcunda.] Iamque dixerat. [Eò accedit, quod Apostolus de viduis quidem & innuptis, vt ita permaneant suadet, cum dicit: Cupio autem omnes meo exẽplo perseuerare. De nubendo verò in Domino, iam non suadet, sed exertè iubet.] Si igitur repetendum est matrimonium, non solùm sobriè, sed & sanctè repetendum est. [Tantùm in Domino.] Illâ duntaxat lege, eâ conditione, vt iugum non iungatur cum infidelibus, ad membra Christi non admittatur extraneus, sed Christianum expetatur coniugium.

Augustin. l. 2. de adult. coniug. c. 5.

Tertullian. l. 2. ad vxo. c. 2

Tertul. c. 5.

Secundæ nuptiæ concessæ, m. dò Christianæ.

TROPOLOGIA.

Bonum est homini sic esse.

Nimirum in virginitate. [Bonum autem, vti dixit Aquinas, scilicet honestum propter puritatem, delectabile propter libertatem, vtile propter mercedem.] Id est, tres bonorum species simul in vnum conueniunt, virtutemque reddunt præcellentem. Vtilitas, voluptas,

Aquin. lect. 5.

A honestas. Nunc de isto seculo, postea de futuro.

Quoad 1. Est igitur ἀγαμία vtilis, imò vtilissima. Negotiatur illa, & multa lucratur, quæ sunt pretiosissima. Primum est tempus: sine quo nihil fit, & cum quo fiunt omnia. Idcircò Paulus non solùm præcipit redimi, sed & varias subinde causas suggerit. [Tempus redimentes.] Et alibi. [Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.] Sed & hîc aliâ de causâ: [Hoc itaque dico, fratres, Tempus breue est.] Illud ad auctoritatem consiliarij, istud ad necessitatem consulendi. [Reliquum est.] Id est, vt exponit Aquinas: [Hoc solum restat agendum: vt qui habent vxores, sint tanquam non
B habentes. Studendo seruitio Dei, non autem operi carnali, debitum scilicet exigendo. Tempus enim, quo secundùm Glossam, non generatione carnali propagandus est populus Dei, sed regeneratione spirituali colligendus.] Dicit Apostolus. [Hoc itaque dico.] Pondus inest verbis ob auctoritatem præceptoris. [Tempus breue est.] Nec minus in consiliis ob breuitatem. Instant vndique necessitates, & tempus faciendi legem Dei dissipant. Quid ergo propter instantem necessitatem vitandam aut certè temperandam? [Redimentes tempus.] Tembus breue, ὁ καιρὸς συνεσταλμένος. Tempus con-
C tractum, abbreuiatumque. Vnde Tertullianus vertit: [Tempus in collecto est.] Atque ad Marcionem. [Pusillum Deum adfirmas tuum, quem in aliquo coangustat tempus Creatoris.] Tempus à creatore est, qui nobis dedit tempus, & corpus temporum seculum fecit. Sed iam illud collectum est, abbreuiatum, accisum, redactum ad punctum aut momentum ne dicam & nihilum: & tamen ex hoc nihilo fiunt omnia, ab hoc momento æterna proueniunt. Quid habemus perdere de momento, quid de puncto minuere? [Nubamus quotidie, ait Tertullianus, & nubentes à die illo timoris depre-
D hendamur, vt Sodoma & Gomorrha. Nam illic non vtique nuptias & mercimonia solummodò agebant: sed cum dicit, Nubebant & emebant, insigniora ipsa carnis & seculi vitia denotat, quæ à diuinis disciplinis plurimum auocent: alterum per lasciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluntatem. Et tamen illa tunc cœcitas longè à finibus seculi habebatur. Quid ergo fiet, si quæ olim detestabilia sunt penes Dominum, ab ijs nunc nos arceat? Tempus, inquit, in collecto est. Superest, vt qui matrimonia habent, tanquam non habentes, agant. Quod si habentes obliterare debent quod habent, quanto magis non habentes prohibentur repetere quod non habent?] De-
E nique lucraris teipsum: nec iam tempus redimis, sed acquiris dominium. [Ioseph, inquit Chrysostomus, in seruitute erat omnibus hominibus liberior. Dominæ quidem certè non cessit in iis quæ volebat quæ ipsum possidebat. Rursus illa erat libera, & omnibus erat seruilior, vt quæ seruo assẽtaretur, & eum rogaret & prouocaret. Quis seruit, isne qui rogabatur, an quæ rogabat: quæ supplicabat, an qui supplicantem despiciebat?] Quæ misera seruitus, & quàm importuna! Puella vilis te sibi seruum facit. Quàm impotens domina, & quàm iniqua! Profuge, & redime teipsum; imperium

Coloss. c. 4.
Ephes. c. 5.
Aquin. l. 5.
Tertullian. lib. 4. uers. Mar. c. 7.
Tertullian. li. 1. ad vxo. c. 5
A momento nostra pendet æternitas.
Chrysost. orat. 19.

excute, vinculum abige : necessitatem declina : te, te in libertatem vindica. Iam tempus agi res. [Tempus, ait Augustinus, non officio pariendi, sed studio continendi, nec fœtandis visceribus, sed castificandis moribus.]

Aug. lib. de bono. vid. cap. 7.

Quoad 2. Prædixit Apostolus : id tamen dixit, quod cuique certum est, nulli nouum. [Præsentium affert causam, ait Chrysostomus, instantem necessitatem, & tempus contractum & afflictionem. Tribulationẽ autem carnis habebunt huiusmodi. At & voluptatem, inquit. Sed vide quemadmodum eam contraxerit breuitate temporis. Iubemur peregrinari, & deinde excedere. Quanquã etiamsi nihil graue haberet matrimonium, etiam sic oporteret festinare ad futura. Quando autem habet afflictionem, quid opus est onus attrahere? Quid tantam oportet molem suscipere, quando etiam postquam susceperis, eâ vti oportet tanquã non habentem?] Voluptatem dicunt amaritudinem & inundationẽ maris tanquã lac sugunt. [Adiiciunt quidem sibi homines causas nuptiarum de sollicitudine posteritatis, & liberorum amarissimâ voluptate (verba Tertulliani.) Sed id quoque penes nos odiosum est. Nam quid gestiamus liberos ferere, quos cum habemus, præmittere optamus, respectu scilicet imminentium angustiarũ, cupidi & ipsi iniquissimo isto seculo eximi, & recipi ad Dominum? Nimirum necessaria soboles seruo Dei. Satis enim de salute nostrâ securi sumus, vt liberis vacemus : quærenda nobis onera sunt, quæ etiam à Gentilium plerisque vitantur, quæ legibus locantur, quæ parricidiis expugnantur : nobis demum plurimùm importuna, quantum fidei periculosa.] Reuera pœnam pro munere petimus, pro voluptate reperimus angustiam. [Nam Deus miscet tribulationes gaudiis terrenis: vt tribulationem sentientes & amaritudinem, discamus æternam desiderare dulcedinem. Sollicitudo plerosque ad impietatem coëgit, vt obliuiscerentur quòd parentes essent, omnique humanitatis affectu expoliati; exponerent filios suos, vt eos facerent alienos: proiiceret quæ peperit, colligeret quæ non peperit : illa contemneret, illa diligeret: illa frustrà mater carne, illa verior voluntate.] Ita Augustinus. En quò ducunt, imò trahunt carnalia illa desideria, licet aliquando innocentia. Incipiunt per solicitudinem placendi coniugi, proficiunt per solicitudinem consulendi soboli: id est, solicitudinem nectunt solicitudini. Quo tandem desinunt? in impietatem aut desperationem. Delectationem semper quærunt, nunquam perueniunt. At verò ἀγαμία semper læta, semper sanctis fœcunda deliciis. [Qualis enim vita est, inquit Augustinus, non concupiscere? O vita dulcis! Dulcis est quasi voluptas concupiscentiæ : verum est: nec eam homines sequerentur, nisi dulcis esset. Dulcia sunt ista concupiscentiæ. Dulcia planè, suauia, delectabilia : sed audi meliora. Narrauerunt mihi iniusti delectationes suas, sed non sicut lex tua Domine. Felix anima, quæ huiusmodi delectationibus oblectatur, vbi turpitudine nullâ inquinatur, & veritatis serenitate purgatur !] Delectabilia sint illa, sed limo & fimo oblita, cœno & luto conspurcata ; ista pura & incoinquinata. Illa momenta sunt libidinum, quæ citò effugiunt, quæ per vmbram transeunt, & relinquunt pœnitentiam ; ista sunt perpetua gaudiorum fomenta ; nec concupiscentiæ obnoxia, sed gratiæ. [Quem enim, ait ille, delectat, vt omnes delectationes lasciuiæ vincat, non sibi arroget istam delectationem. Dominus dedit suauitatem. Quid dicam? Domine da mihi illam suauitatem, vel illam? Suauis es Domine, & in tuâ suauitate doce me iustitias tuas.] Ibi voluptas omnis, omnis suauitas.

Chrysost. orat. 19.

Tertullian. l. 1. ad vxorem c. 5.

Augustin. Enarrat. in psal. 37. cit. med.

Onera matrimonij sint importuna.

Augustin. ser. 4. de verb. Dom. cap. 8.

Aug. ibid.

Quoad 3. Promittunt nuptiæ quod vtile est, quod delectabile, etsi fallunt: nunquam tamen honesti meminerunt aut decori, quod bonis maximè in pretio est, sed quòd ἀγάμοις in merito. [Duæ species, ait Tertullianus, humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentiâ carnis : sequens, de concupiscentiâ seculi. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumeliâ suâ: dicit virum necessarium sexui, vt auctoritatis, vt solatij causâ, vel vt à malis rumoribus tuta sit. Ceterùm, secularis concupiscentia causas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam, per quas necessitatem nubendi subornat: videlicet cœlestia repromittens, dominari in alienâ familiâ, in alienis opibus incubare.] Quid ergo, [Cœlestia repromittens?] Sarcasmus est, sed amarus : quòd eximia, quòd mirabilia, quòd cœlestia polliceatur, sed mentiatur. [Videlicet cœlestia repromittens.] Vbinam illa? [Dominari in alienâ familiâ, in alienis opibus incubare.] Reuera enim, vti dixit Seneca pater. [Omnes vxores diuites seruitutem exigunt, volunt in suis regnare diuitiis. Si cœperimus esse magis liberi, si parùm blandè fecerimus, relinquunt. Et tunc est tormentum, carere diuitiis, cum illas iam senseris.] En quæ illa cœlestia, & quàm vanè promissa: tam fallacia, quam & inania. Sed vbi quod decorum τὸ πρέπον, quod honestum? Nusquam est. Apostolus verò vtilitatem dissimulat & voluptatem, semper ad honestatem collimat. Primò quidem, & in fronte. [Bonum est homini mulierem non tangere.] καλὸν præclarum, eximium. In medio. [Bonum est illis si sic permaneant.] Bonum pro meliori : seu excellenti & præstanti. Heic verò : [Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem.] Et ne videretur meditari id quod vtile est aut delectabile: statim resumit: [Quoniam bonum est homini sic esse.] Pulcum, decorumque. Denique vt sciretur vbinam vellet immorari, sic absoluit. [Porrò, hoc ad vtilitatem vestram dico.] Vtile cogitas? Sic puta, sed innocuè : vtilitatem scilicet, sed spiritalem : salutem scilicet, sanctificationemque. [Non vt laqueum vobis iniiciam : sed & ad id quod honestum est.] Græcè πρὸς τὸ εὔσχημον. [Quod pulcrum, quod decorum.] Vis vtilitatem, voluptatemque esse in nuptiis? sed turpitudinem defendis fœditatemque? Nihil non habet ἀγαμία decorum & pulcrum, excusatione non indiget aut defensione. Idcircò tantum bonum sub præcepto esse noluit, sed sub consilio. [Audiant virgines, ait Chrysostomus, quòd in eo non

Tertullian. lib. 1. ad vxor. c. 4.

Seneca pat Cont. 6.

In nuptiis decoro & honesto nullus penè locus.

Chrysost orat 19.

est definita virginitas. Nam quæ ea curat quæ sunt mundi, ne fuerit quidem virgo, neque honesta.] Magnum bonum, sed arduum: qui potest capere, capiat, qui non potest capere, desistat. [Quia suasum, ait Tertullianus, impunè quis negligat, quàm iussum: quòd illud de consilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat: & necessitati obligetur: illic libertas, hîc contumacia delinquere videatur.] Delinquis quidem, dum deficis: sed deficis innoxiè, dum in ardua, dum in alta non conscendis intrepidè.

Tertullian. l. 1. ad Vxorem c. 1.

A

ANAGOGIA.

Beatior autem erit, si sic permanserit.

Beatitudo triplicem habet gradum. Primus est, liberum esse ab omni miseriâ liberatum-ve: Secundus, donatum esse omni copiâ, omni præditum lætitiâ: Tertius, non solùm tantis gaudere bonis, sed & felicitatem suam in perfectam societatem contrahere. Hæc omnia cœlibes, maximè verò virgines.

Quoad 1. Quàm beatū curis omnibus absolui, omnibus expediri molestiis, non quidem vt in otio quis viuat, sed vt Deo gaudeat, & in sancto sese exerceat negotio. [Vnde mirabiliter desipiunt, ait Augustinus, qui putant huius continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens seculum: quòd scilicet coniugia terrenis curis pluribus atque arctioribus distenduntur, quâ molestiâ virgines & continentes carent: quasi ob hoc tantùm melius sit non coniugari, vt huius temporis relaxentur angustiæ, non quod in futurum seculum aliquid prosit.] Equidem, vti notauit Basilius. [Quæ mortali connubio coniuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque alterâ adiectâ, geminam in vnâ animâ ex coniuncto sibi corpore solicitudinem necessario sustinet. Nec iam vnius tantùm corporis laborat gratiâ: sed in vnâ (vt dixi) animâ, & ad suum, & ad viri corpus curandum iugiter intenta diuiditur: vbi verò filios post cubiculi solennia, & secreta commercia, parturire atque in lucem edere cœperit: per vnumquemque nascentem animo scinditur: & præsentibus tristibus nascituri cura semper adducitur. Ac si quidem virum bonum blandumque nacta fuerit: perpetuò ne moriatur, metu viduitatis incommoda cruciatusque sustinet: diram quidem, & immitem curam, & præsente illo & absente, propter insperatos casus, animo indesinenter excipiens. Sin verò contrà, duro & immiti fuerit coniuncta: tota quidem vita illi cruciatus est: & cum pudicitiæ ratione neutrum queat eligere: id est, nec viri mortem, propter viduitatis angustias: nec vitam ob molestiam incommodumque conuictûs: ancipiti atque ineuitabili malo, acerrimisque doloribus semper atteritur.] Quantæ sunt & aliæ coniugij etiam sancti molestiæ! Deplorari faciliùs possunt, quàm enarrari: sed melius tantis incommodis obseratur ianua per continentiam, quia infeliciùs doloribus & luctibus paratur tragœdia: faciliùs clauditur officina lacrymarum, quia difficiliùs miseriarum miseria coemitur. [At verò, ait ille, prudens virgo iugum huiusmodi seruitutis abjiciens & totâ intentione ad Dominum currens, vnà dolorem quoque qui ex maledictione intentabatur, abrupit. Effugit quippe portûs angustias, effugit mortalis viri miserum iugum: simulque incommoda omnia, quæ ex nuptiis proueniunt.] Illa est quæ virum spernit, sed vt liberior perueniat ad Deum: quæ vinculum exsoluit, vt felicior euadat in cœlum. [Nec enim nos, ait Augustinus, hoc in virginibus prædicamus quòd virgines sunt, sed quòd Deo dicatæ piâ continentiâ virgines. Nam quòd non temerè dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier quàm virgo nuptura: habet enim iam illa quod ista adhuc cupit. Illa studet vni placere, cui data est; hæc multis, incerta cui danda est: hoc vno pudicitiam cogitationis defendit de turbâ, quòd non adulterum, sed maritum quærit in turbâ. Illa igitur virgo coniugatæ meritò præponitur, quæ nec multitudini se amandam proponit, cum amorem vnius ex multitudine inquirit: nec se vni iam componit inuento.] Beatam ergo prædicat Apostolus, quia liberatam: sed non tam instantem miseriam, quàm cœlestem gloriam considerat. [Quasi, ait ille, præsentis necessitatis rationem haberet Apostolus, non prouidens & consulens in futurum, cum omnis eius dispensatio non nisi ad vitam æternam vocet. Præsens ergo est vitanda necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum.] Felix quæ à viro libera est, vt vacet Deo; quæ mundo exonerata est, vt cœlo approximet.

Quoad 2. Non est miser qui iam liber est: nondum tamen beatus: quia etsi vacuus, nondum tamen repletus: etsi exsolutus est, nondum tamen in statum integrum restitutus. Miseria, terminus est à quo emergimus: gloria, scopus ad quem contendimus. Nondum ille felix est, qui nullum habet malum: sed verè felix, qui bonum omne possidet. Quis autem ille, nisi qui videt Deum? Quis videt Deum, nisi qui mundus est, qui & mente & carne castus est, sanctus est? [Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.] Et quidem iustè, nam, vti dixit Apostolus. [Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.] Parum illi est, esse puram esse sanctam spiritu, esse puram affectu: etiam proposuit vouitque esse sanctam corpore, puram carne. Iam tota angelica facta est, ideoque & videndo Deo assueta. [Virginalis enim integritas, ait Augustinus, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.] Quid mirum quod Virgines fruantur Deo, quem semper meditatæ sunt; quod illud lumen intueatur cominùs, cui contemplando conuersandoque familiariùs consecratæ sunt. [Tripliciter autem, vti dixit Bernardus, in æternâ illâ & perfectâ beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsâ Trinitatem & gloriam

Aug. lib. de san. Virginit. c. 13.

Basil. lib. de ver. virgin. cit. med.

Quantæ sint coniugij etiam sancti molestiæ.

Basil. ibid.

Aug. lib. de san. vir. c. 11.

Aug. c. 13. & 14.

Matth. c. 5.

Augustin. l. de san. vir. c. 13.

Bernard. ser. 4 in fest. san. omn.

B C D E

illam, sine vllo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes.] Sed ad hæc quis iam idoneus, nisi qui purus & castus est? Quis videbit Deum in omnibus creaturis, nisi qui mundum habet oculum corporis? Quis videbit in semetipso, nisi ille in quo affulget resplendetque Deus, tamquam in speculo terso ac polito? Quis denique videbit facie ad faciem, nisi qui inuiolabilem in carne & mente seruauit munditiem?

Bernard. ibidem.

[In hoc enim, ait ille, erit vita æterna & perfecta, vt cognoscamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, & videamus eum sicuti est, id est, non modò sicut inest, nobis videlicet aut ceteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Vnde duo illa velut circumiacentia esse videntur B quæ prædiximus, & quasi cortex tritici: hæc verò cognitio humanæ beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum ciuitas sancta Hierusalem satiatur.] Puræ sunt virgines, & puro pascuntur frumento: sine carne in carne vixerunt, & pane vescuntur angelico.

Basilius lib. de sanct. vir. vlt. med.

[Nam si profectò, ait Basilius, qui virginitatem seruant, angeli sunt: qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur: angelique sunt, non obscuri aliqui, sed sanè illustres atque nobilissimi. Illi enim carneis nexibus liberi, integritatem suam in cœlis seruant, & loco & naturâ inuiolabiles & apud summum regem omnium Deum constituti. C

Virgines angeli humani aut terrestres.

At verò isti in terrâ carnis illecebris & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ exercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ puritati parem virtute præcipuâ antè creatoris oculos custodierunt.] Feminæ viros in hac gratiâ si non superant, certè adæquant: ambo si non naturâ certè præstantiâ æmulantur angelos, ideoque angelorum Domino copulantur. Illum possident, illi adhærent: & dum adhærent & possident; omni donati sunt copiâ, omni sunt lætitiâ prædìti.

Quoad 3. Magnum bonum est, frui summo bono: magnum donum, omni copiâ donari, omni lætitiâ. Sed quicũque beatus est, possessione D summi boni, seu visione Dei beatus est. Quid ergo, nihil amplius virginibus, quibus tanta carnis continentia, tanta virtutis constantia?

Augustin. lib. de san. virg. cap 13.

[Profectò, inquit August. habebunt magnũ aliquid præter ceteros in illâ communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne.]

Augustin. epist 179.

Enimuerò, vt & ille dixit: [Volumina temporum si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare, quanto est maius atque præclarius cordis & corporis integritate transcendere? Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quod sit per diuinum consortium præcipuum in cœlis consecutura sublimitatem, quàm si esset per humanum con- E nubium prolem propagatura sublimem: Eligat illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo; & in carne iam imitari vitam angelorum, quàm ex carne A adhuc numerum augere mortalium. Hæc est vberior fœcundiorque felicitas non ventre grauescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere; non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire. Perseueret vsque in finem, adhærens coniugio quod non habet finem.] Sed dum hortamur, dum & miramur, virginitatis prærogatiua nobis illusit aut excidit. [Per diuinum consortium præcipuam in cœlis consecutura est sublimitatem.] Quàm igitur & qualem adeptura est dignitatem? [Diuinum consortium.] Nempe: [Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati? Virgines enim sunt. Hi sequuntur

Apocal c. 14.

B agnũ, quocũque ierit.] Quò tandũ felicitas, si societas deest, sed quid prodest societas vbi nõ est dignitas? Quæ illa, & quàm magna felicitas, vbi tam digna societas? [Sequuntur agnum quocumque ierit.] Sequuntur Christum quocumque perrexerit. Quid ergo? Nonne vbicumque est Christus, ibi est & minister eius? Nonne vbicumque erit corpus, ibi erunt & aquilæ? Nonne sponsus & sponsa vnam & indiuiduam societatem constituunt, tam inseparabilem, quàm & amabilem? Nonne cœlites omnes in cœlo sunt, imò & in loco quieto, in quo nec discursus nec excursus, nonne in vnum omnes conueniunt, imo in Deo & Christo vnum omnes sunt? Tamen sententia est Spiritûs C sancti, & non potest solui scriptura.

Bernard. Hom 1 in laud. virgin.

[In laudibus virginum, ait Bernardus, singulariter canitur, quòd sequuntur agnum quocumque ierit.] Audi [Singulariter.] Omnes electi, beati omnes admittuntur in societatem, sed isti, id est, virgines, singularitatem eximiam: seu, vti dixit Augustinus: [Præcipuam sublimitatem] consequentur.

In quo sita sit virginum prærogatiua.

Socij sunt indiuidui: sunt & alij: omnes enim non adsunt tantùm sed & adsistunt: verùm illi, id est virgines: [Sine maculâ sunt ante thronum Dei.]

Apocal. c. 14.

Cantant illi, cantant & alij: cantare enim lætantium est ac triumphantium. Sed, [Cantabant quasi canticum nouũ ante sedem, & nemo poterat dicere canticũ.] Canticũ est, sed nouum. [Noua enim D bella elegit Dominus.] Noua etiam distribuit præmia. Nouum & inauditum vt homo in carne vinceret carnem, & in loco corruptionum omnium generationumque incorruptibiliter innocenterque tanquam in cœlo degeret. Cantat igitur virgo, sed cantico nouo; triumphat, sed modo insolito: in cœlo est, non solùm cùm gloria, sed & cum suggestu: coràm agno est, sed cum palmâ in manu. Virgo cum virgine, miles cũ duce, imò comes cum comite.

Aquin. lect. 5.

[Ei, inquit Aquinas, debetur aureola, & fructus centesimus. Supergreditur enim virginitas conditionem humanæ naturæ, per E quam homines angelis assimilantur. Maior tamen victoria virginum, quàm angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines autem in carne triumphant.]

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Epigraphe.

IIs succenset qui passim cibis vescebantur immolatitiis, monetque ne in scandalum aliorum suâ abutantur scientiâ. Ista inscriptio est, sed nulla diuisio.

TEXTVS.

DE ijs autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terrâ (siquidem sunt dij multi, & domini multi:) nobis tamen vnus Deus, Pater ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientiâ vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tuâ scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

EXEGESIS LITTERALIS.

VÆ mundo à scandalis: etsi enim necesse est vt veniant scandala, væ tamen homini per quem scandalum venit, siue committendo, siue etiam permittendo. Hoc igitur cauet Paulus & amouet.

[De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus, &c.] Iam de alio casu, de quo à Corinthiis consultus est Apostolus. Nonnulli enim suâ freti scientiâ, id est, idolum nihil esse rati, passim omnibus vescebantur carnibus, etiam idolothytis, seu immolatitiis: sed libertate suâ potius vtebantur, quàm verâ charitate. [Erant apud Corinthios, ait Athanas. perfectiores nonnulli, qui planè sentirent, nihil hominem posse ex his quæ stomacho admittuntur, coinquinari: & idola haud dubiè scirent è ligno

Athanas. in Paulum.

A constare vel lapide: nec posse cuiquam illa officere. Alioquin indifferenter idolorum huiusmodi templa adeuntes & aras, sese idolothytis ingurgitabant. Quos cum fidei infirmioris spectarent nonnulli, & vnà comedebant, & immolationibus vescebantur. Studet igitur id mali Paulus castigare, & omissis imperfectioribus illis, perfectiores alloquitur, reprimitque in primis illorum, quam ex humanâ scientiâ ceperant, insolentiam, inquiens: Haudquaque vos soli rerum habetis cognitionem, sed cuncti nouimus nihil esse in hoc seculo idola.] De scientiâ ergo loquitur, quâ idolum nihil esse cognoscitur: at illa non erat Corinthiorum propria, sed doctorum omnium perfectorumque. [Scientia inflat, charitas verò ædificat, &c.] Ille scandalizat qui sibi soli studet: ædificat ille qui alienam salutem per fraternam promouet charitatem: ille propriâ inebriatur præsumptione, tanquam meraco,

Scientia moderandum est charitate temperandam.

seu vino meracissimo; iste charitatis admixtione, tanquam cœlestis infusione liquoris temperatur. [Hi scandalo erant fratribus, ait Ambros. charitatem præ oculis non habentes: quia plus erat carnem contemnere, quàm fratribus scandalum; facere. Ideò ait: Charitas ædificat vt saluti fratrum studentes, scientiæ illic legibus non vterentur, ne illis scandalum facerer.] Imperitis scilicet infirmis-ve. [Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire &c.] Aliud scire sicut res est, aliud scire sicut oportet: illud enim per speculationem, istud per ædificationem: cognitionem quidem non spernendo, sed per charitatem ad vtilitatem conferendo. [Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo, &c.] Siquis verò per veram Dei & proximi dilectionem confert, refertque cognitionem suam ad communem ædificationem, hic à Deo iam ab æterno præcognitus dilectusque, approbatus, prædestinatus. [Dum charitatem, ait ille, quæ mater omnium bonorum est, non sectantur: non sciunt sicut oportet. Hic verò diligit Deum, qui charitatis causâ scientiam mitigat, vt prosit fratri, pro quo Christus mortuus est.] Diligit autem quia diligitur: & ita scit, sicut oportet, quia in finem à Deo per charitatem dirigitur.

Ambros. in Paul.

Ambros. ibidem.

[De escis autem, quæ idolis immolantur scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi vnus, &c.] Incœperat Apostolus, sed & stylum interciderat & propositum. [De iis autem quæ idolis sacrificantur.] Dicunt quidem qui sciunt, [Quia idolum nihil est in mundo.] Et id quidem sciunt, quicumque periti sunt & instructi. Occasione autem scientiæ paululùm diuertit, tum & redit. De escis ergo quæ diis falsis immolantur, scimus equidem quòd idolum nihil sit in mundo: si enim dij sunt falsi, vtique nulli sunt. Deus quippe verus vnicus est, ideoque qui cum illo vnus Deus non est, omninò non est Deus verus; & si verus non est, omninò non est, quod esse aut creditur aut fingitur. [Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terrâ (siquidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen, &c.] Non est Deus alius: seu, vt est in Græco ἕτερος [Alter.] Nam etsi multi, vocentur dij: nomine tenus, non numine: appellatione, non veritate. Licet multi honorentur vt dij & domini, siue in cœlo sursum, siue in terrâ deorsum: falsâ scilicet opinione, non legitimâ deuotione. [Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, &c.] Totus igitur mundus, tam superior, quàm inferior diis plenus sit ementitis: nobis tamen qui per fidem viuimus, qui secundùm veritatem sapimus, Deus vnus: est scilicet Deus Pater, ex quo tanquam ex auctore & fonte exierunt fluxeruntque omnia: & nos non solùm ex illo, tanquam ex primo principio eximus, sed & in illum tanquam in finem, seu summum humanæ naturæ bonum per fidem, tendimus. Sicut autem vnus nobis est Deus, sic & vnus nobis Dominus: nimirum Iesus Christus: per quem non solùm creata, sed & reparata sunt

Totus mundus dijs falsis refertus est.

A omnia: & nos per meritum eius redempti sumus, & ad eius contendimus consortium. [Tria tangit, (verba Aquinatis) scilicet essentiam, quia vnus Deus: personam, quia Pater: potentiam, ex quo omnia. Nobis quippe vnus tantùm est Deus essentialiter, scilicet Pater, ex quo omnia secundùm naturam & per paternam auctoritatem. Et nos in illo per gratiam. Et vnus cum Patre Deus, Dominus Iesus Christus. Per quem omnia, scilicet facta sunt secundùm naturam. Et nos per illum, scilicet sumus in Deo per gratiam. Ex quibus elicitur talis ratio: Non est nisi vnus Deus, qui fecit omnia: sed multa sunt idola, ergo non sunt Deus.]

Aquin. L.

B [Sed non in omnibus est scientia, &c.] Habeant maiores illam scientiam, sed non habent minores: illi inde eliciant tantam esse idolothytorum vanitatem, quantam falsitatem idolorum. Si enim nihil sunt idola; nec fallere scientiam possunt idolothyta, nec polluere conscientiam. At non tanta vis argumentandi ratiocinandi-ue in omnibus, maximè in minoribus, aut etiam mediocribus. [Quidā autem cum conscientiâ vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & cōscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur, &c.] Nonnulli minùs

C instructi, idolum aliquid, seu alicuius facultatis arbitrati, nihilominus edunt idolothytum, sicque se proprio constringunt iudicio. Nam cum iudicent vim aliquam esse in idolis, licet non diuinam, & inde cibis participent immolatis; quomodo absoluantur à maculâ, cum à propriâ, erroneâ licet reuincantur conscientiâ? [Adhuc, inquit Chrysostomus, formidant idola. Propter quos dicebat, Quidam autem cum conscientiâ idolothyti. Hoc est, cum eâ mente cum quâ priùs. Et cum conscientia eorum sit infirma, polluitur, cum nondum possit despicere, neque omnino eos irridere. Sed adhuc discernens. Vt si quis eo quòd

Chrysost. orat. 20.

D tangat mortuum, existimans seipsum pollueře ex Iudaicâ consuetudine: deinde videns alios tangentes purâ conscientiâ, non tangens cum eadem mente pollueretur.] Hîc quippe interest, non quid, sed quomodo. [Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus, &c.] Alij paulo instructiores, rati se ex promiscuâ licentiâ reddi commendabiles; quasi Deo creatori deferrent honorem, & animi infirmi errorem quasi ex instituto propellerent. Et istos igitur reprimit Apostolus vt audaculos: quasi verò

Vsus ciborum nec per se gratus nec ingratus.

E vsus cibi cultus sit Dei. Neque enim si manducauerimus, sanctiores erimus, Deoque magis accepti: neque si non manducauerimus, erimus peiores, minusque Deo grati. Escam eleuat, non abstinentiam; negatque excellentiam pietatis sitam in promiscuâ manducandi licentiâ; aut defectum ex quorundam ciborum abstinentiâ colligendum. [Hoc est, (vt exponit Athanas.) neque si comederimus, abundantius quippiam consequemur, vel apud Deum plus aliquid proficiemus: neque si cibo abstinebimus, defectiores futuri sumus, aut imminuemur.] In isto scilicet pietatis salutisue negotio.

Athanas. in Paulum.

A [Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis,&c.] Non nego vos habere libertatem vtendi, edendi potestatem : quid enim idolothyta, & vnde immolati à ceteris cibis secernendi. Sed cauete & prouidete ne fortè hæc licentia vestra Græcè [Ius] Agendi scilicet, & edendi. Videte ergo ne illa facultas potestas-ve infirmos capiat, imperitos obiecto offendat scandalo. [Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta ?] Explanat quod dixerat. Si enim quis viderit eum qui veram de idolis habet sciētiam,
B ideoque non abhorret ab idolothytis, accumbere in loco in quo apponuntur carnes idolis immolatæ, deque ipsis edere : nonne, cum ipse sit infirmus, exemplo illo inducetur ad edendum immolatitia, sicque, scientiâ deficiente, polluetur eius conscientia ? Quomodo autem exstruitur, vnde destruitur? Ædificatio illa mala est, seu opposita, & vt ita dicam, inordinata constructio [Scandalum, ait Tertullianus, non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum.] Et de Marcionitis :[Supercilio stuporem suum ædificant.] Idem & de feminis.[Et peribit infirmus in tuâ scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est, &c.] Dum exemplo tuo, alium prouocas ad edendum, peccato illum illaqueas. Licet enim tu euadas ob
C tuam scientiam, infirmum tamen vt minus instructum, minusque cautum, in ruinam præcipitas. Vis ergo illum perire & excidere à salute, pro quo Christus mortuus est ? [Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, &c.] Si Christus pro illo mortuus est, vtique Dominus eius est; ideò non solùm attendere debes quòd frater tuus sit, sed & quòd Christi seruus : & inde cōcludere potes per latus serui, vulnus infligi Christo Domino. [Non enim, offendentes dixit, (verba Athanas.) sed percutientes, vt horum arguat impietatem: quandoquidem sunt infirmioris conscientiæ percus-
D sores. Cum verò in Christum, inquit, delinquitis ad ipsum iniquitatis apicem peccatum prouexit.] Percutis infirmum : inhumanitas est. Percutis Christum : impietas est. Destruis quod ipse proprio ædificauit sanguine : occidis quod suâ viuificauit morte : immanitas est. [Quapropter si esca scādalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.] Cum ergo tantum sit eum lædere pro quo Christus ipse mori non recusauit : eligam potius abstinere, potius totâ vitâ carere carnibus omnibus, etiam licitis, etiam innocuis, quam vt infirmum offendam, quàm vt scandalum quoquo modo obji-
E ciam. [In tantum, ait Ambros., charitati studendum docet, vt licita pro illicitis habeantur, ne obsint fratri.]

Tertullian. lib. de vel. virg. cap. 3. Tertullian. l. 1. aduers. Mar. cap. 8.

Athanas. in in Paul.

Scandalum actiuū. quātum sit peccatum.

Ambros. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

QVomodo idolum nihil est, cum sit aliquid? Imò plus sit quàm appareat : [Omnes enim dij gentium dæmonia.] Denique, si nihil ? quomodo tam multi sunt, qui dicuntur dij [Siquidem sunt dij multi, & domini multi.] Priùs ergo de idolis edisserendum est, tum & de dijs dominisque.

DISQVISITIO PRIMA.

De idolis

IDolum paucis verbis ab Augustino definitum est. [Dei falsi & alieni simulacrum.] Ex quo omnis statim difficultas euanescit, dum veritas allucescit. Non enim idolum nihil est in totum : sed ideò nullum, quia dei falsi simulacrum est. Vnde ille. [Pagani, inquit, ea colunt quæ sunt, sed pro diis colenda non sunt : sunt enim & idola, sed ad salutem nihil sunt. [Et qui colit arborem, non quidem arando, sed adorando, non id colit quod nusquam est, sed quod ita colendum non est. Ipsa etiam dæmonia, vnde dicit Apostolus, Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo : vtique sunt quibus illos immolare dicit, & quorum nos socios esse non vult. Iam verò cœlum & terra & mare & aër & sol & luna & cetera sidera omnia hæc manifesta occulis apparent, atque ipsis sensibus præsto sunt. Quæ cum Pagani tanquam deos colunt, vel tanquam partes vnius magni Dei : (nam vniuersum mundum quidam eorum putant maximum Deum) ea colunt quæ sunt. Cum quibus quando agimus, vt ea non colant, non eis dicimus quòd nulla sint, sed quòd colenda non sint : eisque colendum horum omnium conditorem, Deum inuisibilem suademus; cuius solius participatione beatus homo fieri potest, quod omnes velle nemo ambigit.] Quid facitis, dum idolum colitis ? Fingitis Deum, aut creditis : & ex illo, tanquam ex summo bono, beatos vos fore confiditis. Sed tam impiè colitis, quàm vanè confiditis. Vnus enim Deus est, extra quem nōn est alius. Itaque dij isti alieni, falsi sunt: & si falsi sunt, nihil ad salutem prosunt felicitatem-ue. [Sed quia nonnulli eorum inuisibilem & incorpoream creaturam colunt, quod est anima mensque humana; tamen quia nec eiusmodi creaturæ participatione fit homo beatus, ille non solùm inuisibilis, verumetiā in commutabilis Deus, id est, Deus verus colendus est : quia solus ille colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor eius: & quo solo non fruens omnis mens misera est, qualibet re aliâ perfruatur.]

Duplex ergo genus idolorum est : vnum quod corporeum est, aliud quod incorporeum. In corporeis, vera sunt corpora, sed vana Dei falsi & alieni simulacra. In incorporeis, purum putum mendacium. Dico duplex esse genus idolorum. [Iesus enim, ait ille, loquens ad populum, ait, Et nunc circumauferte deos

Augustin. l. quæst. super Iud. q. 41.

Augustin. li. 20. cont. Faust. c. 19

Pagani arborem colunt non arando sed adorando.

Augustin. ibid.

Augustin. quæst. 29. in Iosue.

alienos qui sunt in vobis. Non autem credendi sunt adhuc habuisse apud se aliqua gentium simulacra, cum superiùs eorum obedientiam laudauerit. Aut verò si haberent, post tantas leges comminationes, illa eos prospera sequerentur; cum sic in eos vindicatum sit, quòd vnus eorum de anathemate furtum fecerat. Nec tamen putandum est hoc illum inaniter præcepisse: non enim ait, Et nunc auferte deos alienos, si qui sunt in vobis: sed omninò sciens esse, Qui sunt, inquit, in vobis. Proinde Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo, alienas à Deo, & ipsos admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum Deum vtique & falsum in cogitatione portat] Si ratio est de idolo corporeo. [Idolum, vti dixit Tertullianus, aliquandiu retrò non erat. Priusquam huius monstri artifices ebullissent, sola templa & vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere. Nam & hodie extrà templum & sine idolo agi potest. At vbi artifices statuarum & imaginum & omnis generis simulacrorum diabolus seculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis & nomen de idolis consecutum est & profectum.] Nullus est Deus, nisi vnus. Itaque quisquis alius ab vno est, à vero alienus est, ideoque tam falsus quàm & vanus est. Sed dupliciter potest esse, aut in simulacro mẽtis, dum cogitatione alius creditur, aut in simulacro operis, dũ in lapide, ære, aut quauis effingitur materiâ. Rursus & hæc materia seu figura duplici modo spectari aut cogitari potest: vel quatenus diuinitate informata adoratur, vel quatenus aliquâ virtute putatur prędita: id est, quatenus esse deus existimatur, vel aliquid diuinũ cõtinere.

Tertullian. lib. de Idolo. cap. 3.

Idola ferò sunt in mũdũ intrusa.

Quicquid sit, aut esse possit, firmum semper stat perstatque Apostoli argumentum, [Scimus quòd nihil est idolum in mundo. Non id apud vos, inquit, solùm (ita exponit Chrysostomus) sed vbique terrarum hoc est validum & certum dogma. Quodnam? Quod nihil est idolum in mundo: quod non est alius Deus, nisi vnus. Non sunt ergo idola? Non sunt statuæ? Sunt quidem, sed nullam vim habent. Neque dij sunt, sed lapides & dæmones. Ad vtrosque enim nunc dirigit orationem, nempe & ad eos qui ex ipsis sunt crassiores, & ad eos qui videbantur philosophari. Nam quoniam alij quidem ex ipsis nihil plus sciunt quàm lapides: alij verò dicunt in ipsis quasdam habitare virtutes, quas etiam deos etiam deos vocant, illis quidem dicit, quòd nihil est idolum in mundo: His autem quòd nullus est alius Deus, nisi vnus.] Quoquo sensu, semper obtinet Apostolus, dum docet, Deum esse vnicum: & inde elicit, concluditque, nihil esse idolum: nullum idolo, tanquam Deo locum relictum: nullius esse diuinitatis, nulliusque virtutis. Id namque dupliciter concipi potest. [Primò, (vti exponit Aquinas) Idolum nihil est, id est, inter creaturas mundi, quantum ad formam idoli: licet enim materia idoli sit aliquid, scilicet aurum, vel argentum, vel huiusmodi: tamen nil est forma, scilicet quæ credi-

Chrysost. orat. 26.

Aquin. lect. 1.

A tur ibi esse ab idololatris, qui credunt idolum esse Deum. Secundo modo sic: Idolum nihil est: scilicet persona subsistens ex simulacro, & spiritu præsidente. Ex istis enim duobus nihil fit, sicut ab idololatris putatur.] Paucis. Nihil idolum est, nihilque potest. Nihil quidem est, quia vel imago vel imaginatio eius quod non est. Nihil potest, quia tantæ vanitatis est, quanta falsitatis. Ideoque quicquid immolatum est, tam certum est nocere non posse, quàm manifestum est, immutatum permanere: tam nec polluere hominem, quàm nec religionem exstruere. Vana sunt enim omnia ista ac nulla: ideò & mendacia dicuntur, quia confinguntur B ex mentis ludibrio, nunquam inueniuntur, in hoc toto orbis circulo.

Idolum ludibrium mentis & artis inuentum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De diis dominisque.

NOluit Apostolus discernere inter deos & dominos, sed ipsos ethnicos voluit in litem vocare, qui idola dicebant deos, necnon & deos vocitabant dominos. Itaque tanta confusio nominum est, quanta numinum di-C stinctio. Et quidem diabolus Deum verum pro genio suo æmulatus, duo etiam nomina ambiit solemnia, paterque & dominus vocari noluit. [Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?] Cultus diuinus in honore & timore positus est: quia Deus pater est creatione, Dominus gubernatione. Quà nos creat generat-ve, Pater est: quà gubernat & administrat, Dominus. Itaque & diabolus qui quod in cœlis excidit, restaurare in terris conatus est, cultum diuinum ab hominibus obtinere imò extorquere sub duobus istis tentauit nominibus. D Primò igitur dictus est Pater. Ita Christus ipse [Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domesticos eius?] Quod duobus modis potest intelligi: primò de ipso Christo, quẽ sub nomine Beelzebub Iudæi cõuitiati sunt. Secundò de diabolo, quem ethnici vocare patrẽ sunt soliti. Et primus quidẽ sensus magis ad literã, alius magis ad sententiã. [Omnẽ enim Deum (vti loquitur Lactantius) qui ab homine colitur, necesse est inter solennes ritus & precationes, patrem nuncupari, non tantùm honoris gratiâ, verumetiam rationis: quod & antiquior est homine, & quòd vitam, salutem victum præstat vt pater.] Est & alia ratio. Nam qui paternitatem sibi vindicat, aspirat ad vni-E tatem. [Natura enim, vt & ille ait, non patitur, vt sint vnius hominis plures patres, ex vno enim procreatur. Vnus igitur colendus est, qui potest verè pater nominari.] Possunt esse multi pædagogi, nutritij multi, sed non multi patres, nec multi creatores. Itaque qui se patrem dicit non solùm principem se, sed & vnum constituit vnicumque.

Malach. c. 1

Cultus diuinus in honore & timore positus.

Matth. c. 10

Lact. l. 4. diuin. inst. cap. 3.

Quod de patre, hoc & de domino. [Idem enim Dominus sit necesse est, inquit Lactantius, quia sicut potest indulgere, ita etiam coërcere. Pater ideo appellandus est, quia nobis

Lact. ibid.

multa & magna largitur. Dominus ideò, quia castigandi ac puniendi habet maximam potestatem. Dominum verò eundem esse, qui sit pater, etiam iuris ciuilis ratio demonstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi habeat in eos Domini potestatẽ: Nec immeritò paterfamiliàs dicitur, licet tantùm filios habeat. Videlicet nomen patris complectitur etiam seruos, quia familia sequitur: & nomen familiæ complectitur etiam filios, quia pater antecedit. Vnde apparet, eundem ipsum & patrem esse seruorum, & dominum filiorum. Denique & filius manumittitur, tanquam seruus; & seruus liberatus, patroni nomen accipit, tanquam filius. Quod si propterea paterfamilias nominatur, vt appareat eum duplici potestate præditum, quia & indulgere debet, quà pater, & coërcere, quà dominus: ergo idẽ seruus est, qui & filius: idem dominus, qui & pater. Sicut igitur naturæ necessitate non potest esse nisi vnus pater, ita nec dominus nisi vnus: quid enim faciet seruus, si multi domini diuersa imperauerint?] Pater, nomen pietatis est: dominus, nomen potestatis. Sicut autem potestas sine pietate immanis est ac sæua, sic & pietas sine potestate inanis & vana. Debet ergo qui dominus est, esse etiam pater; & qui pater, esse etiam dominus. Sed sicut qui verè pater est, vnus est; sic & qui dominus. Vnde & Christus: [Nemo potest duobus dominis seruire.] Itaque sicut diabolus sub hominum titulis, aut laruis idolorum, vocari pater voluit, vt diceretur Saturnus pater, Ianus pater: sic & dominus, & inde sibi sacrificari iussit, quasi solus esset dominus, qui veram & perpetuam vitæ ac necis haberet potestatem. Ita passim legis apud Græcos, Latinosque δεσπότην Δία [Dominum Iouem] Et [Dominum Herculem.] Quid te lassem in istis, aut exteros, nostros-ve allegem?

Pater indulget, & qua dominus, coercet.

Matth. c. 6.

Sed dij quot multi, & quot domini? Idolis enim totum seculum Satanas & angeli eius repleuerunt, & sub ementitis regum aut mortuorum nominibus, miseris illuserunt hominibus. [Ita Malus circumdedit seculum idololatriâ.] Incinxit, vt nihil elabi possit quod titulum non præseferat prostitutionis, quod immundum ad se spiritum per consecrationis obligamentum non rapiat. Ita apud Tertullianum, [Dionysius Stoïcus trifariàm deos diuidit: vnam vult speciem, quæ in promptu sit, vt solem, lunam: aliam quæ non compareat, vt Neptunum: reliquam quæ de hominibus ad diuinitatem transisse dicitur, vt Herculem, Amphiaraum. Xenocrates Academicus bifariàm facit, Olympios & Titanios, qui de cœlo & terrâ.] Sic & Paulus Apostolus: [Nam & si sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terrâ.] Erant enim cœlestes & terrestres, superi scilicet & inferi. Denique tam in hoc mundo sublunari, quàm in cœlo, seu superiori mundo, dij innumeri. [Si quidem sunt dij multi & domini multi.] Romani enim, vti notat exprobratque Tertullianus: [Non contenti eos deos asseuerare, qui visi retrò, auditi contrectatique sunt, vmbras nescio quas incorporales, inanimales, & nomina de rebus efflagitant, deosque sanciunt, diuidentes omnem

Tertull. l. de idolol. c. 18.

Tertul. lib. 2. ad Nation. c. 6.

Tertullian. lib. 2. ad Nat. c. 11.

A statum hominis singulis potestatibus ab ipso quidem vteri conceptu: vt sit deus Conseuius quidam, qui consationibus concubitalibus præsit: & Fluuionia, quæ infantem in vtero irrige: hinc Vitumnus, & Sentinus, per quem viuiscat infans & sentiat. Dehinc Diespiter, qui puerum perducat ad partum: & Candelifera, quoniam ad candelæ lumina pariebant: & ab effatu, Farinus. Exinde & primi cibi sumptu, Potina & Edula: & staduendi infantis, Statina Abeona, & Domiduca.] Quid vltra lues ista deorum, aut idolorum colluuies?


Quantus olim deorũ exercitus.

Rectissimè autem Paulus Christianos committit & ethnicos, & inde concludit validissimè. Et si sunt qui dicantur dij: Græcè λεγόμενοι θεοί. Ita vocantur, ita nominantur. A quibus? B Ab infidelibus, ab ethnicis. Multi enim illis sunt dij, multi domini, seu cœlestes, seu terrestres: nec dicuntur tantùm, sed & ab ipsis coluntur vt tales. [Nobis tamen.] Fidelibus scilicet seu Christianis: [Vnus Deus Pater, ex quo omnia. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.] Illis multi sunt dij, consequenter plures sunt patres, innumerabiles domini, qui hominem sibi obstringant, nascentem aut viuentem gratitudini subiiciant & seruituti. Nobis autem vnus est Deus Pater, ex C quo est quodcumque est, ideoque illi soli seruimus, & illi insistimus tanquam fini. [Et nos in illum.] Et vnus nobis Dominus, scilicet Christus Iesus, per quem factum est quicquid factum est. Ideoque & nos illi procumbimus, qui & naturam accepimus, & gratiam. Sed ista pluralitas deorum, nullitas deorum est. [Nam contrà rationem, vt ait Lactantius, contraque naturam sunt religiones multorum deorum: siquidem nec patres multi possunt esse, nec domini: deos autem, & patres & dominos nuncupari necesse est. Cultus igitur deorum veri esse non possunt: eodem modo quo matrimonium dici non potest, vbi mulier vna multos viros habet.] Porrò si cultus nullus, D nulla etiam quæ immolata sunt, & vana ista omnia, nec possunt polluere aut nocere, nec enim vim, virus-ve habent quo inquinent. Ita Chrysostomus. [Quoniam dixit quòd nihil est idolum, & nullus Deus alius, erant autem idola, & qui dicuntur dij, ne videatur pugnare cum manifestis, subiungit, dicens: Nam etsi sunt qui dicantur dij, sicut sunt dij, non sunt absolutè dij, sed dicuntur: non in re, sed in verbo hoc habentes. Sed nobis vnus est Deus Pater. Cum priùs posuisset absque patre, & dixisset, Nullus est alius Deus nisi vnus, E nunc hoc quoque adiicit quando illos omninò eiecit.] Illi semine multiplici dubiisque parentibus orti: nos ex vno Patre sumus geniti. Deum enim vnum colimus, cui honorem vt patri, timorem vt Domino impendimus.

Tota natura vni Deo vt principio & fini obstricta.

Lactant. l. 4. diStin. Institut. c. 3.

Chrysost. orat. 20.



TROPOLOGIA.

Scientia inflat, charitas verò ædificat.

CVm ait scientiam inflare, periculum ostendit; cum addit charitatem ædificare, suggerit remedium. Denique, cum & aliud subnectit, legitimum Christianæ vsum aperit scientiæ.

Quoad primum. Cum ait Apostolus scientiam inflare, non solùm scientiam comprehendit mundanam, sed & Christianam: ideoque non id veritati diuinæ imputandum est, sed humanæ dandum vanitati. Omnis scientia, sicut & omnis sapientia à Domino Deo est, cum ipse sit scientiarum omnium Deus ac Dominus: tamque ab illo sit veritas omnis, quàm & omnis bonitas. Non ergo scientia per se inflat, cum naturâ suâ instruat, id est scientem reddat hominem, non arrogantem. A Deo data non est aut angelo aut homini, vt superbiat; sed vt similior fiat auctori suo, & inde dignior. Sed sicut in creaturâ rationali quà rationalis est, nihil fastigio scientiæ excellentius, ita nihil periculo vicinius superbiæ. Nec integræ parco naturæ, nec angelicam excipio præstantiam. Cecidit angelus, & supremus, & per sapientiæ fastum, corruit in exitium superbiæ. [Duo quippe, vt notat Aquinas, in peccato est considerare: scilicet pronitatem ad peccandum, & motiuum ad peccandum. Si ergo consideramus in angelis pronitatem ad peccandum, minus videtur quòd peccauerint superiores angeli, quàm inferiores. Si verò consideretur motiuum ad peccandum, maius inuenitur in superioribus, quàm in inferioribus. Fuit enim peccatum dæmonum superbia: cuius motiuum est excellentia, quæ maior est in superioribus. Et ideò Gregorius dicit, quod ille qui peccauit, fuit superior inter omnes. Et hoc videtur probabilius: quia peccatum angeli non processit ex aliquâ pronitate, sed ex solo libero arbitrio.] Vnde intumuit angelus? ex propriâ excellentiâ. In quo sita est, angelicæ naturæ excellentia? In intelligentiâ. Vnde, vt obseruat Lactantius: [Dæmonas Grammatici dictos aiunt, quasi Δαήμονας, id est, peritos ac rerum scios: & hos putant deos esse.] Errant. Sed supremus omnium voluit esse Deus, seu Dei filius, non per generis transfusionem, sed per vnionem hypostasis. Itaque non potentiam appetiit Patris, sed filij sapientiam exambiit. Quid est .n. angelica natura, nisi pura puta intelligentia? Itaq; quo aliquis sublimior, eo intelligentior; quo intelligẽtior, eo fastui lapsuiq; per inordinatum sapientiæ diuinæ appetitum proximior. Porrò quod sibi induit, hoc impegit & homini: vnde peccauit, inde & tentauit. [Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.] Id est, nihil non scientes, quiduis ex vobis ipsis præfinientes. [Primus enim homo, vti dixit Aquinas, peccauit principaliter, appetendo similitudinem Dei, quantum ad scientiam boni & mali, sicut serpens ei suggessit: vt scilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret sibi

Aquin. 1. p. q. 63. art. 7. in corp.

Quomodo supremus angelorum lapsus sit.

Lactant. l. 2. diuin. institut. c. 16.

Genes. c. 3.

Aquin. 2. 2. q. 163. art. 2. in corp.

A quid esset bonum, & quid malum ad agendum: vel etiam vt per seipsum præcognosceret quid sibi boni vel mali esset futurum.] Quid verò, vbi homo in honore positus non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis? Quid vbi non solùm superbiendi capacitas innata, sed & tanta pronitas insolescendi, vt non solùm de bonis præsumat, sed & de malis ansam gloriæ & materiã accipiat superbiæ: Quid vbi vniuersa vanitas; omnis homo viuens, vbi erigitur humanitatis vitio, vbi vento vanitatis distenditur? Ad auram intumescet scientiæ vel modicæ, nec diuinæ etiam ignoscet sapientiæ. Vndique gloriam captabit, exultabitque vsque ad insaniam: nisi infirmitatis detentus fræno, aut beneficio præuentus charitatis. Vnde & Paulus ipse. [Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.]

B

Quoad 2. Fugienda quidem superbia est, sed non inde contemnenda est scientia. [Sunt enim quidam homines, ait Augustin. qui cum audierint quia humiles esse debent, dimittunt se, nihil volunt discere, putantes quia si aliquid didicerint, superbi erunt: & remanent in solo lacte. Quos reprehendit scriptura, dicens: Et facti estis opus habentes lacte, non solido cibo. Sic enim nos Deus vult nutriri lacte, vt non ibi remaneamus: Sed crescendo per lac, ad solidum cibum perueniamus. Ergo non debet homo extollere cor suum in superbiam, sed debet eleuare in doctrinam verbi Dei. Nam si leuanda anima non esset, non diceretur voce Psalmi: Ad te Domine leuaui animam meam.] Aliud igitur est leuare animã suã ad cognitionẽ Dei, aliud animi cogitationem inflare ad superbiam. Nec enim quod altum, vanum est; cum id quod altum est, tumidum non est, sed magnum & excelsum. Vanitatem abigimus, sed non defugimus magnitudinem. Tamen ne id quod altum est & magnum, dum excellendi priuilegium procurat, etiam & procliuum faciat labendi. Ne tanto minus humilitatis, quo plus sublimitatis sit. Thesaurus scientiæ seruandus est, & superbiæ depellendæ adhibenda custodia. Vinum facilè tentat infirmum caput, sed cum probè adaquatum est, & sobriè temperatum nusquam inebriat. Præcauit nonnulla Apostolus remedia, sed leuiora, donec catharticum in vltimum adhibuit remedium. [Multi apud Corinthios, (verba sunt Chrysostomi) cum didicissent, quòd non quæ intrant per os coinquinant hominem, sed quæ exeunt: & quòd idola sunt ligna & lapides & dæmones, quæ nec possunt lædere, nec iuuare, perfectione cognitionis vsi erant immodicè ad aliorum & suum dãnum. Ingrediebantur enim ad idola, & mensarum quæ ibi, erant participes, & hinc magnum pariebant exitium. Nam qui adhuc habebant timorem idolorum, & ea nesciebant despicere, cœnarum illorum erant participes, quoniam perfectiores videbant hoc facientes, & hinc maximè lædebantur. Neque enim eadem quã illi mente tangebant proposita, sed tanquam idolis immolata: & ea res erat via ad idololatriam. Hîc autem beatus id correcturus, primum exinanit fastum: vt qui

C

D

E

Augustin. Exposit. Ps. 110. vlt. med.

Chrysost. orat. 20.

quod ipsi suum existimant esse præcipuum, nempe, perfectam habere scientiam, hoc esse pronuntiarit commune. Qui enim magnum quid habent & pulcrum, quando id soli habent, magis efferuntur. Sin autem apparuerit eos cum aliis id possidere, hoc eis minus accidit. Deinde cum fecisset commune, non se solum ponit in societate: nam sic quoque eos magis extulisset. Quomodo enim solum habere, extollit, ita vnum & alterum habere socium ex eis qui excellunt, non minus hoc facit. Propterea non se solū ponit, sed omnes. Non enim dixit, Ego quoque habeo scientiam: sed, Scimus quod omnes scientiam habemus.] Sed si malitia illa non est, certè insipientia est, & talis insipientia, quæ offendiculum infirmis objiciat, & pariat exitium. Si scandalum intentet, adhibendum aliquid quod ædificet. Quodnam est illud remedium? [Charitas verò ædificat.] Scientia inflat vsque ad ruinam, charitas plagam curat, dum ædificat ad concordiam. [Etenim, ait ille, diuidere solet arrogantia: charitas autem & conciliare & adducere ad scientiam. Scientia enim non est efficiens charitatis, sed contrà.]

Charitas perfectissimum scandali & exitij remedium.

A

B

Chrysost. ibid.

Quoad 3. Absoluit Apostolus, aitque. [Si quis autē se existimat scire aliquid: nōdum cognouit quemadmodum oporteat eum scire.] Cur ita? quia scientiam habet, non eam habet quæ decet sanctos Christianos-ve. [Quasi dicat, (vt exponit Aquinas) Habetis scientiam, sed non sufficientem: quia si quis vestrûm, Existimat se scire, habens scientiam sine charitate, aliquid scit, scilicet quòd liceat comedere idolothyta: Nondum tamen cognouit, quia non se cognocere facto ostendit: Quomodo oporteat eum scire, id est, qualiter debeat vti scientiâ, quia in ædificationem, non in nocumentum aliorum.] Scire enim contingit dupliciter: scilicet habere scientiam, & vti scientiâ: sicut videre visum, & vti visu. Ad hoc ergo quòd aliquis sciat quemadmodum oporteat scire, nouem sunt necessaria. Primò, humiliter sine inflatione: secundò, sobriè sine præsumptione: tertiò, certitudinaliter sine hæsitatione: quartò, veraciter sine errore: quintò, simpliciter sine deceptione: sextò, salubriter cum dilectione: septimò, vtiliter cum ædificatione: octauò, liberaliter cum communicatione: nonò, efficaciter cum operatione.] Sed quid tam multa & varia iubi vnum sufficit ad omnia, si ad perfectum peruenit? Habes scientiam, thesaurum habes non abscondendum, sed ad vtilitatem effundendum. Quam verò, tui, vel proximi? Et tui quidem & proximi, non vt lucrum captes aut applausum, hîc enim vanitas est, illic cupiditas: sed vt teipsum & proximum ædifices. Porrò, si charitatem habes, vnctionem habes quæ te vsum scientiæ doceat; clauem habes, quæ in profectum aperiat conscientiæ. Probè ergo vteris, si Deum dilexeris: qui enim Deum diligit, diligit & proximum. Qui autem Deum diligit & proximum, perfectè scit; quia scientiam suam in finem tam rectum quàm & legitimum, salutem nimirum dirigit. Igitur, [Scientia inflat, charitas verò ædificat.] Sicut dicet in aliâ Epistolâ. [Littera occidit, spiritus autem viuificat.] Quomodo occidit littera? non malignitate suâ, sed infirmitate nostrâ. Quomodo Spiritus viuificat? dum infirmitatem subleuat, & inspirat charitatem. Itaque sicut littera sine spiritu charitatis, nocet potius quàm promouet ad salutem, sic & scientia: spiritus autem charitatis & ædificat & viuificat, dum & lucem & virtutem ad agendum rectè, & piè viuendum sufficientem subministrat. [Scientia legis, ait Augustinus, sine charitate inflat, non ædificat, secundùm Apostolum apertissimè dicentem: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quæ sententia similis est ei quâ dictum est: Littera occidit, spiritus viuificat. Quale est enim, Scientia inflat; tale est, Littera occidit: & quale est, Charitas ædificat; tale est, Spiritus viuificat.] Vtraque animum inflat, præstatque seu ex occasione seu ex infirmitate superbum: charitas verò & modum tribuit sciendi, & vsum thesauri dirigit. Qui enim diligit Deum, non solùm scit eum, sed & nouit quo fine, quo & ordine dispensanda sit scientia. Ita non solùm Deum cognoscit, sed & cognoscitur, dum laudatur, dum probatur, dum à Deo de dono quod contulit ipse, compensatur.

C

Aquin. lect. 1.

D

Quanta sint ad scientiā Christianā necessaria.

E

2. Cor. c. 3.

Aug. lib. 4. ad Bonif. cap. 5.

ANAGOGIA.

Sunt dij multi & domini multi.

Nec multi tantùm, sed & generis multiplicis. Sunt enim nonnulli per vsurpationem: sunt & alii per participationem: denique sunt & aliqui per transformationem.

Quoad primos. Multa sunt idola, non enim mortua omnia, sed & nonnulla viua. [Non quod idolum sit aliquid (vt Apostolus ait) sed quod quæ faciunt, dæmoniis faciunt, consistentibus scilicet in consecrationibus idolorum siue mortuorum, siue (vt putant deorum) propterea igitur, quoniam vtraque species idolorum conditionis vnius est, dum mortui & dii vnum sunt, vtraque idololatriâ abstinemus.] Ita Tertullianus.. Sed cum idola viua distinguit ac mortua, & homines simul & dæmones congerit. [Si enim, ait ille, mendacium diuinitatis diabolus operatur in hac etiam specie, à primordio mendax, sine dubio & eos ipse prospexerat in quibus id mendacium diuinitatis ageretur. Quale igitur habendum est apud homines veri Dei, quod à candidatis diaboli introductum, & ipsis à primordio dicatum est, quodque iam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, & idolis adhuc viuis? non quasi aliquid sit idolum, sed quoniam quæ idolis alij faciunt, ad dæmones pertinent. Porrò si quæ alij idolis faciunt ad dæmones pertinent, quanto magis quod ipsa sibi idola fecerunt cum aduiuerent.] Hoc vnum est diaboli negotium, miseros aucupari homines, honores diuinos suffurari. Nunc ergo per mortuos, nunc per viuos iniquitatis suæ mysterium operatus est, dum omnigena idola in titulum consecrationis fabricatus. Non vtique quod Dei honor est, (verba Tertulliani) sed quòd eius qui pro Dei huiusmodi officiis honoratur, quantum in manifesto est, saluâ operatione quæ est in oc-

Tertul. l. de Spect. c. 13.

Tertul. l. de coron. mil. cap. 7.

Dæmones in simulacris & monumentis delitescentes.

Tertul. l. de idolol. c. 15.

A culto, ad dæmonia perueniens. Vtique enim scimus, licet nomina inania atque conficta sint, cum tamen in superstitionem deducuntur, rapere ad se dæmonia & omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. Alioquin dæmonia nullum habent nomen singillatim, sed ibi nomen inueniunt, vbi & pignus.] Quid ergo diabolus? Totius olim mundi, (Iudæâ demptâ) deus. [Dominus & ipse dictus sui ordinis: Non potestis duobus dominis seruire. Pater & ipse cognominatus, Vos ex patre diabolo estis.] Dominatio ista vsurpationis est, non proprietatis: nec enim diabolus pater est, sed vitricus, nec dominus, sed tyrannus: nec enim dominatur legitimè, sed tam astutè quàm & impiè suffuratur. [Illud enim quod Dominus ait, Non potestis duobus dominis seruire, ipse interpretatur, dicens; Non potestis Deo seruire, & mãmonæ: Deum quidem confitens Deum, mammonam autem confitens, hoc quod est, non mammonam dominum vocat, dicens; Non potestis duobus dominis seruire: sed discipulos docet seruientes Deo, non subijci mammonæ, neque dominari ab eo. Qui enim, inquit, facit peccatũ, seruus est peccati. Quemadmodum igitur seruientes peccato, seruos peccati vocat, non tamen ipsum peccatum dominum appellat, sic & eos qui mammonæ seruiunt, seruos mammonæ appellat, non dominum appellans mammonam.] Ita Irenæus. Ne quidem igitur appellatione ipsâ honoratus est, sed solâ vsurpatione infamatus.

Tertull. l. de Anim. c. 16.

Irenæus l. 3. aduers. hæres. c. 8.

Quoad alios. Nulla vsurpatio est, nec sola appellatio, sed veritas ac realitas. Primi ab ethnicis, id est, ab insanis dicuntur dij, & non sunt, sunt enim in totũ alieni, & in titulũ impietatis potius quàm diuinitatis erecti. Isti verò dicuntur à Deo, & dij sunt: facit enim ipse quod dicit. [Deus ego sum.] Tantum ausus diabolus. Ipse dixit, ipse se extulit, & mentitus est. [Eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum.] Dixit hominibus. [Eritis sicut dij.] Et mentitus est. Vterque enim de paradiso deiectus est, & addictus exitio. Non possunt illi fieri Dei; ad quos sermo diaboli factus est quia diabolus. [Pater mendacij] dictus est. Promittit diabolus, & decipit. Quomodo enim dabit quod nec naturâ habuit, sed rapinâ. Dicit Deus, & facit. [Nonne scriptũ est in lege vestrâ, quia ego dixi, Dij estis? Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura.] Quid ita? Quia Deus est qui loquitur, veritas est, & tanta creditur, tamque benefica, vt operetur quodcunque pollicetur. [Per sermonem Dei, ait Augustinus, fiunt homines dij: participando fiunt dij.] Cuius est partem dare, nonne illius qui plenitudinem possidet. Cuius est illuminare, nonne eius qui lucem habet interminabilem? [Accedis ad lumen, ait ille, & illuminaris, & inter filios Dei numeraris: si recedis à lumine, obscuraris, & in tenebris computaris. Illud tamen lumen non accedit ad se, quia non recedit à se.] Illa est lux vera, quæ illuminat omnem hominem cœlesti luce, quæ igne inflammat salutari. [Ego dixi. Quis dicit? Deus. Quid dicit? [Dij estis.] Quibus dicit? hominibus. [Id est, vt exponit Augustinus, omnibus vobis promisit felicita-

Ezech cap. 28.

Genes. c. 3.

Ioan. c. 10.

Augustin. Tract. 48. in Ioã. vers. finem.

Illius donũ, cuius st domininium.

Augustin Enarrat. in Psal. vers. finem.

tem cœlestem.] Vobis gloriam promisi diuinam, gratiamque in arrham præmisi. Iam dij estis spe, re eritis. Iam fide inauguramini, visione consecrabimini. [Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.] Vbi potestas est, rapina non est, sed gratia: non vsurpatio est, sed adoptio. Itaque primi in totum alieni sunt & extranei, quia diuinitatem concutiunt; isti filij per Deum, quia hæreditatem accipiunt: illi exulant in æternum, isti iuxta modulum participant. [Quid eis præstitit? ait Augustinus. Magnam beneuolentiam, magnam misericordiam. Vnicus natus est, & noluit manere vnus.] Ioan.cap.1.

Augustin. Tract. 2. in Ioan. vlt. medium.

B Nec diuinitatis gloriam inuidit, nec hæreditatis timuit angustiam. Alij voluntate faciunt, adoptando, quod naturâ non potuerunt, generando: sed si filium habeat vel vnicum, plus de singularitate gaudent, quàm de multitudine. Deus voluntate facit, quod copiâ potuit: habet enim vnde omnes ditet; totque faciat deos, quot adoptat filios. [Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.] Nominantur alij, & non sunt, isti sunt, dum nominantur. Benè ergo & verè. [Nam qui vocantur & non sunt, ait Augustinus, quid illis prodest nomen, vbi res non est? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quã multi vocãtur vigiles, qui totâ noctè dormiunt?] At isti verè sunt, nec titulum ostendunt inanem sed cœlum hereditatemque percipiunt.

1. Ioan c. 3.

Augustin. Tract. 4. in epist. Ioan. cit. med.

C Quoad vltimos. Dicam in vnamquamque Theologiam, seu positiuam, seu moralem, seu mysticam, nouos nonnunquam obrepere, animosque corrumpere. In Theologiâ quidem positiuâ, seu primitiuâ, & in fulcrum & fundamentum aliarum positâ. Si aliud, aut aliter fundamentum ponatur, præter id quod positũ est, quod est Christus Iesus Cum enim Christus sit duabus naturis præditus, in eo solo collecta sunt omnia tam humanitatis quàm diuinitatis

D mysteria. Malè ergo si mysteria diuinitatis humanitùs deprimantur, vel humanitatis mysteria exprimantur diuinitùs: sicut enim totam possedit formam diuinitatis, ita totam humanitatis scenam excurrit. In Theologiâ morali, si mores Christiani, vanâ potius ratione, quàm fide instruantur diuinâ: si Philosophi potius minutiloquio, quàm certo Pauli nitantur eloquio. Disciplina enim nostra cœlestis est, non humana, imò nec angelica est, sed supernaturalis, & humanam excedens rationem, & diuinam legem sibi asserens. In Theologiâ denique mysticâ, si tot mysteria formentur quot contorquentur verba: si tot exurgant sensus, quot

E capita somniant. Dictum retulit Bartholomæi Dionysius, quod & multum extulit. Nimirum [Theologiam multam esse & minimam.] Et de quacumque quidem Theologiâ dici potest, sed maximè de mysticâ, in quâ vnicum mysterium est, scilicet transfigurari in Deum, seu transformari. Et quod mirum est, sententia ista ore peruerso prolata est: sed in corde optimo reponenda. [Eritis sicut dii.] Nouerat ille qui dicebat, ad hoc conditam esse rationalem intellectualemque creaturam, vt auctorem suum imitaretur contemplareturque, & imitatione ipsa ac contemplatione in eandem transformaretur

Dionys. l. de myst. theol. c. 1.

Genes. c. 3.


retur imaginem. Et Filius quidem Dei naturalis non transfiguratur, neque transformatur: quia in formâ Dei est, & figura substantiæ eius. Filij autem adoptiui, sicut electione adoptati sunt, sic & actione transformandi. Reuera Adamus aliquando deus fuisset, si non sibi, suoque defuisset officio. Sed & se & prolem suam præcipitat, [Dum Deus esse festinat.] Contrariam & aduersam inijt viam, & gloriam perdidit. Non est præsumptione contendendum, sed subiectione; non superbiâ, sed gratiâ contingendum est. Sicut enim speculum vt splendescat ignescatque, non debet erigi in solem, sed soli subiici; sic vt anima Deum contingat, imò & in ipsum transeat, extolli non debet; sed deprimi. [Nisi seipsa anima super se effundat, ait Augustinus, non perueniet ad visionem Dei, & ad cogitationem substantiæ illius incommutabilis.] Ex duobus maximè, imò summè dissitis vnum non fit, nisi per commutationem, aut transforma- A tionem, ideoque vnum transire debet in aliud, & illud per id quod similius viciniusque contingere. Deus autem tam nec in alium transire potest, quàm nec seipsum deserere: idcirco debet homo transire seipsum, & ad Deum conscendere. [Intus enim Deus est, ait ille, & spiritaliter intus est, & spiritaliter excelsus est: non quasi interuallis locorum, quomodo per interualla loca altiora sunt. Nam si talis altitudo quærenda est, vincunt nos aues ad Deum. Ergo intus Deus altus est, & spiritaliter altus: nec perueniet anima vt contingat eum, nisi transierit se.] Debes animæ tuæ modulum excedere, debes idolum mentis deiicere, nec aliter quàm ad radium diuinitatis incedere. [Nisi enim homo transierit & modulum animæ suæ, non videbit quia Deus est quod est.] Ita Augustinus. Sic igitur, quotquot ibi sunt, dij sunt, in ipsum scilicet Deum, non habitu duntaxat, sed & actu transformati.

Apud Tertul. l. de Trinit.

Augustin. Exposit. Psal. 130. vlt. med.

Homo debeat seipsum vt in Deum transeat.

Augustin. ibidem.



CAPVT NONVM.

Epigraphe.

ET parcimoniam suam commendat & constantiam: illam, in gratiam Euangelij, istam in brauij gloriam. Illam tamen seruat sibi, istam alteri communicat.

PARS PRIMA.

De Parcimoniâ.

TEXTVS.

NOn sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatûs mei vos estis in Domino. Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est. Nunquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendijs vmquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos. Sed

non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur,, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate meâ in Euangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem. Ijs qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Omnia autem facio propter Euangelium: vt particeps eius efficiar.

EXEGESIS LITTERALIS.

Ostendit nihil sibi non minùs licuisse quàm alteri: sed peperisse. Adeò timuit gloriam excidere suam, aut diuinam languescere. Porrò, vni Christo incumbit, dum soli seruit Euangelio.

[Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi, &c.] Poterant dicere Corinthij: Nonne liberi sumus? nonne possumus vti iure nostro, & carne vesci seu idolothyto, vbi scientia docet contemni, nec edi prohibet conscientia? Durum enim videbatur quod proximè concluserat Apostolus: [Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.] Inde igitur præsumptâ facultate exurgunt Corinthij, & de suâ libertate excipiunt. Quibus & Apostolus: Et ego, [Non sum liber?] Responsum non expectat aut iudicium interrogatio ista, sed tanquam affirmatio indubitata determinat. Nihil vobis impono, quod ego non efficiam, nihil quod ego non exsoluam à vobis exigo. Liberi estis. Estote. Et ego, non sum? Ecquis magis? cum planè sciam idolum nihil esse, & licere mihi cibum indubitatè confidam. Sed si licet, non tamen expedit. Ratio enim infirmorum habenda est, & omni scientiæ, omni etiam confidentiæ præferenda est proximorum dilectio. Inde semel arreptâ libertate, procedit, insistitque in acceptâ potestate. [Non sum Apostolus?] Quid dico, Liberum? Dico & Apostolum. Nec iuris minoris, nec inferioris auctoritatis, quàm ceteros Apostolos. [Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Quid alij habent amplius, quasi-ve ampliores, aut apertiores

Scandalum omni conatu declinandum.

A exhibent missionis seu legationis litteras, quàm vocari à Christo, & in opus ab eo loquente ac mittente destinari? Et ego igitur Apostolus sum, & eodem munere, eodemque iure præditus. In quantum ergo liber, possum vesci omni carne; in quantum Apostolus, vti possum communi iure. Sed nonne iam dixi: [Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri & venter escis. Deus autem & hunc & has destruet.] Quid mihi iactas ac venditas libertatem tuam? Quin potius fratrem recolas, & Christianam excolas charitatem. [Quoniam dixit, (ita Comment. B Athanas.) si cibus fratrem meum offendit, nequaquam carnem manducauerim in æternum. Ne gloriari videatur vel insolescere, cogitur tandem aperire quemadmodum vel à concessis cibatibus cauerit, ne quorundam animum læderet, vel Christo ipso iubente, vt is qui Euangelium prædicaret, de Euangelio, hoc est ab his qui ad fidem instruerentur, sumeret victum. Ipse tamen, si optio detur, malim equidem inediâ confici, quàm vt videar à vobis quidpiam accepisse.]

Comment. Athanas.

C [Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum, nam signaculum Apostolatûs mei vos estis in Domino, &c.] Filius honorat patrem, præceptorem non eleuat discipulus. At ergo pater sum vester, vt qui vos in Christo genuerim. Doctor ac præceptor vester, vt qui primus apud vos seminauerim Dei verbum, Euangelium prædicauerim. Non potestis detrahere dignitati meæ, nisi derogetis vtilitati vestræ. Nonne vos ego feci Christianos? [Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est, &c.] Si probandus esset

Paulinæ litteræ signis & prodigijs obsignatæ.

Apostolatus meus, nihil haberem præsentius, nihil certius responderem aduersus eos qui rem discuterent, & me in quæstionem vocarent, quàm Corinthum mittere, aut vos ipsos in argumentum ostendere. Esto enim non sim aliis Apostolus, aut indubitatus non sim. Esto litteræ commissionis aut missionis meæ, non sint aliis adeò certæ ac manifestæ: tamen apud vos obsignatæ sunt, vtpote signis ac prodigiis confirmatæ. [His enim erat Apostolus, qui viderant in eo virtutis insignia.] Ita Ambros. Et Athanas. [Quærentibus, inquit, certiores fieri, vnde id liqueat me Apostolum esse, vos ipse in meam defensionem propono, quos vt ostendero à me cuncta fuisse edoctos, omnes propulso, qui me eiusmodi rogitant.] Documentum patens, euidens argumentum. [Nunquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? &c.] Cum ergo liqueat me esse Apostolum, maximè verò vestrum: nunquid ego, & coadiutores mei, non possumus necessaria vitæ à vobis sumere, victum vestitumque recipere? [Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? &c.] Cur sororem? quia Christianæ religionis. Cur mulierem? quia prouectæ iam ætatis. Ita Græcè ἀδελφὴν γυναῖκα. Mulieres enim sanctæ, seu venerabiles matronæ, & pio affectu, & ritu Iudaïco, Christum Dominum olim secutæ, Apostolos etiam & Apostolicos viros comitatæ, ministrabant de facultatibus suis, sicque curis eos temporalibus liberabant, vt liberi inseruirent Christo, & toti Euangelio insisterent promouendo. [Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?] Hoc faciunt ceteri Apostoli, sumptus fructus-ve percipiunt fratres Domini, seu propinqui: hoc & ipse Petrus, ceterorum omnium primicerius, sororesque secum ducunt mulieres. An igitur solus ego & Barnabas, qui mihi à Spiritu sancto ad Euangelium prædicandum, adhibitus est socius, non possumus & res necessarias percipere, & mulieres circumducere Christianas? [Pro accipiendi tamen, operandi, ait, vt honestiùs loqueretur.] Ambros. Comment.

Ambros. in Paulum. *Athanas. in Paulum.* *Comment. Ambros.*

[Quis militat suis stipendiis vmquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c.] Ostendit se idem potuisse, nec tamen voluisse. Et primò quidem exempla suggerit humanæ consuetudinis, militum, vinitorum, pastorum, qui ius suum retinent, etiam dum abstinent. Dein & documenta diuinæ legis. [Nunquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti, &c.] An igitur ad id probandum quod dico sola suppetunt argumenta humana, aut mihi diuina desunt testimonia? Nonne & id diuina lex dicit, dum per Moysem præscribit Deut. 25. non infrænari os boui fruges in areâ terenti? [Numquid de bobus cura est Deo? An non propter vos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructûs percipiendi, &c.] Putas ergo eam de

Prouidentia de animalibus, non in animalibus concludenda.

A bobus esse Deo curam; vt hominibus iubeat propter boues, & non potius propter homines bobus prouideat? Si enim id obseruandum ergà bouem; quanto magis ergà hominem? Et si ergà hominem operarium, quid ergà fidelem Christi ministrum & Euangelij? Existimandum igitur litteraliter quidem de iumentis dici, principaliter autem de ministris præcipi. Aranti enim & trituranti in agro Dominico debetur fructus, victus-ve, in labore, sed cum spe vt sustentetur. [Perstat in metaphorâ, ait Chrysostomus, dicens & pronuntians, quòd debet in spe qui arat arare. Hoc est, debet Doctor habere mercedem laborum: indicans B multum laborem Doctorum: nempe quòd & ipsi arant & terunt aream. Seruauit autem symmetriam ac moderationem, quærens solùm id quod est vtile, non quòd superuacaneum: ostendens quod oportet Doctorem paruo solatio esse contentum soloque necessario.] Victus nempe debetur, non excessus; necessitas, non superfluitas: imò nec his tenetur Doctor, aut obstringitur; sed vtitur tanquam ad ministerium suum opportunis. [Ne enim quisquam diceret, Hæc est ergo merces tantorum laborum? Addidit, propter spem: nempe futuram.] Ita ille. Seu, vt dixit Aquinas: [In spe, stipendiorum temporalium, non C tamen propter hanc spem. Debet enim primùm quærere regnum Dei.]

Chrysost. orat. 21. *Aquin. lect. 1.*

[Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus, &c?] Carnalia sunt quæ carnem fouent: spiritualia, quæ ad animam mentem-ve sanctificandam pertinent. Priùs ergo argumentatus est Apostolus ab auctoritate tam humanâ, quàm & diuinâ: nunc à ratione honestum & æquum spectante. Si nos vobis alimenta æternæ vitæ ministrauimus, nihil magnum, nec magni æstimandum si nos à vobis nonnulla tollimus humanæ miseriæ subsidia. [Hoc loco, ait Athanas. rei æquitatem ostendit, perinde ac si dicat. Nequaquam sunt pro nostris collatis in D vos beneficiis paria, quæ ipsi rependitis præmia. Nos enim vobis spiritualia seminauimus, num igitur magnum debet videri, si vos contrà redditis quæ carnalia sunt? cibum videlicet.] Qui seminant, plus reportant quàm seminant. Magna seminamus, modica reportamus. [Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? &c.] Maiorem adhuc ostendit rei æquitatem. Alij parùm laborant apud vos, & multum reportant: nos qui multò plus laborauimus, temporalia saltem ac modica recipere possumus auxilia. [Si enim ij qui per Euangelium patres vestri non sunt, nec eundem affectum habent erga vos, facultatem E habent accipiendi, quanto magis nos? Et subauditur, Vestri Apostoli.] Ita Comment. Ambros. [Sed non vbi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi, &c.] Possumus quidem vti apud vos iure ministrorum Dei, cuius alij, ne dicam extranei, certè multo inferiores sunt apud vos participes, sed noluimus: malumus aduersa omnia pati ac dura, famem, nuditatem ceteraque incommoda, quàm moram aliquam aut remoram pro

Athanas. in Paul. *Spiritalia seminantur dum diuina ministrantur.* *Comment. Ambros.*

mouendo interponere Euangelio, quàm inijcere impedimentum, dispendium incurrere. [Dixerit quispiam, idcircò aliquid non accepisti, quia alienâ ope nihil indiguisti. Quinimò, inquit, vel in magnâ rerum angustiâ constituti, omnia toleramus, ne quod offendiculum demus, quod Græcè ἐγκοπὴν, Latinè significantiùs intermissionem dicere possumus, vel intercisionem.] Ita Comment. Athanas. Sed nec iste, vt vides plus Athanasij est, quàm ille Ambrosij.

Comment. Athanas.

[Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant, &c.] Exemplum appositissimum, è sacris nimirum ministeriis. [Probauit quòd licet sumptus accipere, primò, per auctoritatem; secundò, per rationem; tertiò idem probat per exemplorum multitudinem.] Ita Aquinas. Nescitis quod ij qui offerendis occupantur sacrificiis in templo Hierosolymitano, sacris etiam oblationibus, & carnibus immolatis sustentantur? & quòd ministri qui altari adsistunt, suas etiam partes ex oblatis accipiunt? [Quæ sunt sacerdotum, ait Chrysostomus, quoad eius fieri potest, extollit, dicens, Qui sacra operantur, &, Qui altari assident, perpetuam eorum seruitutem, & tolerantiam volens ostendere.] Deseruire igitur est præsto adesse, semper adsistere. [Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere, &c.] Quod in antiquâ lege statuit Deus, hoc & in nouâ lege Christus Dominus constituit. Ius enim dedit ministris suis, sicut Apostolis, discipulisque, vt prædicando Euangelium, de Euangelio viuant; ministrando verbum, suo agant priuilegio. [Ego autem nullo horum vsus sum, &c.] Infinita sunt argumenta quæ hanc potestatem astruant, & acquirant facultatem. Sed nullum omninò produxi cum essem apud vos, aut quicquam accepi: malui enim egere, quàm vel modicùm esse vobis oneri. [Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet, &c.] Ius quidem meum ostendi, sed nequidem id scripsi, vt sic erga me fiat, aut vel nunc mihi aliquid meliùs cedat ac fœlicius. Melius enim mihi est fame & egestate confici, quàm tantam mihi aduersùs onerosos sumptuosos-ue materiam à quoquam eripi gloriandi. [Dicet enim aliquis, ait Athanas. haud dubiè dolens id Paulus ac mœrens, animo iniquo ferebat, quòd nihil acciperet. Vt itaque suspicionem hanc tollat, tantùm, inquit, à mœrore absum, vt gloriæ ducam.] Nec futilis lætitia, nec inanis de tanto bono est gloria.

Aquin. lect. 2

Chrysost. orat. 22.

Quod in antiquâ lege statutũ est, hoc in nouâ confirmatum.

Athanas. in Paul.

[Nam si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non euangelizauero, &c.] Euangelium prædico, prædicant & alii. Quid ergo mihi amplius vnde possim aduersùs æmulos, maximè pseudapostolos gloriari? Quod enim prædico, non tam est gloriæ causa, quàm materia obedientiæ. Nam si non euangelizauero, maledictionem incurro execrationemque, tanquam præuaricator, & Dominici transgressor præcepti. Mihi enim diuini talentum verbi

A datum est, creditumque Euangelii ministerium: ideoque ministrandum est Christo, nec cessandum ab officio. [Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est, &c.] Dixerat, necessitatem sibi incumbere euangelizandi: an & excidere libertatem? Minimè: illa enim necessitas, fati non est, sed præcepti, cum quo stat libertas. [Si enim volens] Græcè ἑκὼν, [Voluntarius.] Et opponitur ei qui [Inuitus.] Qui coactus, qui timore ducitur non amore. Si igitur bono animo impleo munus meum, mercedem habeo agenti volentique competentem. Si autem cunctanti, aut etiam reluctanti

B voluntate id exequor, quid tandem consequor? Non enim tunc vt filius ago, cui dilectio promissa est; sed vt seruus, cui commissa est dispensatio. Quid igitur obtineo, si non vt vltroneus pareo, sed vt coactus? Quid & consequor, si non voluntate, sed necessitate obsequor? [Si non ex dilectione Dei & proximi hoc faciam, nec liberâ voluntate. Non est mihi gloria, quia non supererogaret. Necessitas enim præcepti, quod non audeo omittere, mihi incumbit. Vnde si solo timore seruili prædico, Væ, id est, æterna damnatio mihi est, si non euangelizauero, sicut mihi iniunctum est. Si autem volens hoc ago, id est, si voluntatem

Aquin. lect. 3.

C adiungo necessitati, mercedem æternam habeo. Si autem inuitus, id est, solo præcepto coactus euangelizo: dispensatio mihi credita est, sicut seruo: vt scilicet dispensem ad aliorum vtilitatem, non meam: quasi dicat, aliis proficio, non mihi. Intelligit enim hoc de dispensatione seruili, non filiali: secundùm illud Augustini: Nemo inuitus benè facit, & si bonum est, quod facit.] Ita Aquinas. Et à bonis & à malis dispensatur, quod vtrisque commendatur: sed illis vtpote volentibus digna redditur compensatio: istis vtpote renitentibus, sola relinquitur dispensatio.

Bonorum digna compensatio est, malorum sola dispensatio.

[Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium

D prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate meâ in Euangelio, &c.] Quæ ergo tandem merces mea: quid-ve faciendo, mercedem accipiam: quodnam meritum meum, quod proferam ad præmium? Si dem gratis, quod gratis accepi; si gratuitum, vt cœpi, prædicem Euangelium: si fungar officio meo grauiter, non seruiliter abutar ministerio. [Hoc est licere, ait Ambros. sed non expedire propter salutem fratrum. Forma enim vult esse ceteris, vt vbi vident non expedire, etiam licitis non vtantur.] Sic enim non tam vti est, quàm abuti. [Nam cum essem li-

Ambros. in Paul.

E ber ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem, &c.] Cum iuris essem mei, meæque potestatis, nec Iudæo obnoxius nec Græco; tã isti tamen quàm & illi me addixi: tantum abest vt potestate meâ vsus sim, aut quæ mea sunt, quæsierim. Communi omnium saluti semper studui, vt quamplurimos Christo acquirerem & Euangelio, facerem que saluos. [Et factus sum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer. [Quid ergo, non erat Iudæus? Erat, sed legi iam Mosaïcæ, seu Iudaïcæ religioni non obnoxius. Obseruabat tamen cum prodesse iudicabat aut expedire.

Paulus omnibus sese accommodat, vt omnes lucrifaciat.

[Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cũ ipse non essem sub lege) vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem, &c.] Iis qui sub iugo legis remanserant, tamquam adhuc prementis & obstringentis, similem me exhibui; quamquam probè scirem me illâ lege amplius non teneri, vt ad fidem Iudæos ipsos adducerem. [Iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant, &c.] Iis quibus scripta lex non est à Deo data, assimilaui me, legem non obseruando. Quid ergo tu ἄνομος? imò ἔννομος. Dei legem seruo, dum Christi Domini legem colo. Sed sicut illud acquirendis Iudæis: sic & istud Græcis inducendis. [Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos, &c.] Factus sum infirmis, tamquam infirmus essem, vt infirmis prodessem. Omnibus tandem me attemperaui, omnibus morem gessi, quantumque permisit Deus, aut Christus annuit, similem me præstiti, vt quoscumque possem, ad salutem adducerem. [Omnia autem facio propter Euangelium: vt particeps eius efficiar, &c.] Hæc semper feci, hæc semper faciam, vt Euangelio disseminato, fructum eius cum aliis colligam, præmium æternum percipiam. [Euangelij appellatione, ait Athanas. fideles exprimit, qui salutem sint per Euangelium assecuti. Quemadmodum & superiùs dixit de Euangelio viuere, id est, ex fidelium ope vitam ducere. Vt igitur, inquit, cum fidelibus queam & palmæ & coronarum portionem sortiri, id ago. Attende ergo Apostoli humilitatem: qui cum inter ceteros fideles primatum teneret, horum numero in bonis cœlestibus participandis adiecerit, qui simplicem sunt fidem adepti.]

Athanas. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

NExus vtriusque capitis non ita apparens, nec contextus ita euidens. Vt ergo vterque pateat, fiatque conspicuus: esto

---

DISQVISITIO PRIMA.

De nexu.

GRæci legunt, imò & ex Latinis nonnulli: [Non sum Apostolus? Non sum liber?] Sed si inuertunt textum, in eundem nihilominùs sensum conueniunt. Primo igitur interrogat Paulus, vt rem faciat certiorem. [Cum negare videtur, ait Ambros. affirmat.] Secũdò, libertatem illam spirare aliquam dignitatem, verosimile est, liberumque, vt Apostolum designare. [Prius, ait Chrysostomus, dicit suam auctoritatem. Non sum Apostolus? Non sum liber?] Plus tamen videtur, Apostolum esse, quàm esse liberum: quicumque enim Apostoli sunt, liberi sunt; non quicumque liberi, sunt Apostoli. Idcircò gradatim: [Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne

Ambros. in Paul.

Chrysost. orat. 21

A Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Non enim parua erat hæc quoque dignitas: (ait ille:) multi enim Prophetæ & iusti desiderarunt, & non viderunt.] Tertiò denique, concludendum est Apostolum non abrumpere filum instituti, sed ad exemplum sui subnectere. [Quoniam cum dixisset (verba sunt Chrysostomi,) Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum: non fecerat quidem, sed pollicitus erat se facturum si opus esset: ne quis diceret, Temerè gloriaris, & oratione philosopharis, & verbis promittis: quod & mihi & isti & illi est facile. Nam B si ex animo hæc dicis, reipsâ ostende quidnam despexeris ne fratrem offendas. Propterea necesse habet deinceps descendere ad ea demonstranda, & ostendendum quemadmodum etiam à concessis abstinuerit ne offenderet, etiamsi nulla lex eum cogeret. Neque enim hoc vtique mirandum, etiamsi sit mirandum, quòd à concessis abstinuerit ne offenderet, sed quòd etiam cum magno labore & periculo. Quid enim, inquit, oportet dicere de ijs quæ sunt immolata idolis? Nam cum Christus statuerit, vt qui Euangelium prædicat, viuat ex ijs quæ docet, ego hoc non feci: sed statui, si opus esset, etiam fame vitam finire, & mortem subire acerbissimam, ne quid acciperem ab iis C qui catechesi instruebantur: non quoniam essent offendendi, sed quoniam essent ædificandi, quod quidem erat longè maius. Atqui temerè fuissent offensi, ipse enim legem implesset, sed ex abundantiâ tamen eis parcebat. Si autem ipse fecit suprà legem, ne offederentur, & abstinuit à permissis ad aliorum ædificationem: quid isti merentur qui non abstinent ab ijs quæ immolantur idolis, idque cum multi ex eo pereant? Ne ergo dicerent, quòd se signanti licet gustare, dicit, quòd etiamsi liceret, non oporteret hoc facere propter damnum fratrum.]

Chrysost. ibidem.

Apostolus quomodo offensionẽ vitet, procuretque ædificationem.

D Ita Tertullianus feminas adhortatus Christianas, vt pompam temperarent, nec præsumptam totis habenis vsurparent licentiam: [Non enim, inquiunt, vtemur nostris?] At ille. [Quis autem prohibet vti? Secundùm Apostolum tamen, qui nos vti monet mundo isto, quasi non abutamur. Præterit enim habitus mundi huius. Et qui emunt, sic agant quasi non possidentes. Cur ita? Quoniam præmiserat dicens, Tempus in collecto est. Si ergo vxores quoque ipsas sic habendas demonstrat, tanquam non habeantur, propter angustias temporum, quid sentiat de vanis instrumentis earum?] Fortè oppositionem expectabas, non inductionem. E Habeas ex ipso Basilio. Nempe de iis, qui non habentes sunt, nihilominùs sunt tanquam habentes: [Qui cum virginitatis voto vxoribus careant, ac si eas habeant se agentes, virginitati contumeliã faciunt.] Sed ad rem Apost. Dicent & Corinthii: Non.n. vtemur nostris? Non licet vti suo iure? Et Paulus: Quis.n. vti prohibet, sed non oportet abuti. Tunc autem non vsus est, sed abusus, cum in perniciem est, aut non est in ædificationem. Videte me, & inde vobis attendite, [Non sum liber, non sum Apostolus?] Et exemplo quidem suo ipsos prouocat, tanquam nouo argumento, sed tantum laudando

Tertul. lib. de cult. femin. c. 9.

Basil. lib de vera virginit.

Chrysost. orat. 21.

modestiam seruat, quantam argumentando solertiam. [Cum enim videret, ait Chrysost. necesse esse vt se laudaret, sic enim corrigebantur Corinthij, & nihil magnum de se vellet dicere, vide quemadmodum vsus est vt oportuit: tantum se laudans, non quantum ipsi sua dictabat conscientia, sed quantum exigebat vsus argumenti propositi. Nam cum posset dicere, Me omnium maximè oporteret accipere, & magis quàm alios, quoniam plus aliis laboraui, hoc quidem non dixit quod habebat exuperationem: sed, Non sum mei iuris? Nonne opus meum vos estis in Christo? Hoc enim est magnum: alia enim absque his nihil iuuant. Nam Iudas quoque erat Apostolus, & liber, & Christum vidit: sed quoniam opus Apostoli non habebat, ne illa quidem ei profuerunt. Sed quoniam magnum erat locutus, vide quomodo id castigat & temperat, dicens, In Domino. Hoc est Dei est opus, non meum.]

Tanta Pauli laudando se modestia est, quanta in argumētando vehementia.

DISQVISITIO SECVNDA.

De contextu.

Poterat circumducere Apostolus mulierem, Græcè γυναῖκα, quod tam vxorem quàm mulierem significat. Vnde nonnulli volunt, Paulum vxoratum fuisse: sed addunt, vsum non fuisse; ideoque dixisse? [Mulierem sororem.] Seu, vt alibi: [Sororem mulierem:] Eo quod abstineret, mulieremque non vxoris loco haberet, sed sororis. Sed loquitur Apostolus de mulieribus, quas ceteri Apostoli circumducebant, at illi etiam proprias, si quas habebant, vxores reliquerant. [Quas enim, (vt desinit Hieronymus) eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant: assumpti postea in Apostolatum, relinquunt. Nam cum Petrus ex personâ Apostolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: respondit ei Dominus: Amen dico vobis, quoniam nemo est, qui dimiserit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non accipiat multo plura in seculo isto, & in seculo futuro vitam æternam. Si autem quis nobis illud opposuerit, ad probandum quod omnes Apostoli vxores habuerint: Numquid non habemus potestatem mulieres, vel vxores circumducendi, (quia γυνὴ apud Græcos vtrumque significat) sicut cæteri Apostoli, & Cephas, & fratres Domini? iungat & illud, quod in Græcis codicibus est: Numquid non habemus potestatem sorores mulieres, vel vxores circumducendi? Ex quo apparet, eum de aliis sanctis dixisse mulieribus, quæ, iuxta morem Iudaïcum, magistris de suâ substantiâ ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc significat: Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi. Vbi de comedendo, & bibendo, & de administratione sumptum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur: perspicuum est non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de suâ substantiâ ministrabant. Aut certè si γυναῖκας vxores accipimus, non mulieres: id, quod additur, sorores, tollit vxores; & ostendit, eas germanas in spiritu fuisse, non coniuges. Quamquam excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quod vxores habuerint: & cum de vno scriptum sit, ac de ceteris tacitum, intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptura significet.] Cur enim diceretur de vno, de altero taceretur?

Hier. l. 1. aduers. Iouin paulò antè med.

Piæ fœminæ apud Iudæos solitæ magistros alere.


Certè si de Paulo quæstio sit, tam ferè certum est, illum à coniugio liberum, quàm Petrum aliquando coniugatum. Quid enim: [Volo omnes vos esse sicut meipsum?] Et, [Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.] Ille igitur ἄγαμος, innuptus, inconiugatus. [Neque enim, ait Hieronymus, audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt; cum de continentiâ disserens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum. Et infra: Dico autem innuptis, & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.] Itaque resumendum ex ipso Tertulliano, dicendumque. [Petrum solum inuenio maritum, per socrum; monogamum præsumo, per Ecclesiam; quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamiâ erat collocatura. Ceteros cum maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Nec enim si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres & vxores, pro consuetudinis facilitate, (ceterùm, est proprium vocabulum vxorum,) ideò Paulum sic interpretabimur, quasi demonstraret vxores Apostolos habuisse. Si enim de matrimonio disputaret, (quod in sequentibus facit, vbi magis Apostolus aliquid exemplum nominare potuisset) rectè videretur dicere, Non enim habemus potestatem vxores circumducendi, sicut ceteri Apostoli & Cephas? At vbi ea subiungit, quæ de victuariâ exhibitione abstinentiâ eius ostendunt, dicentis; Non enim potestatem habemus manducandi & bibendi? non vxores demonstrat ab Apostolis circumductas; quas & qui non habent, potestatem tamen manducandi & bibendi habent: sed simpliciter mulieres, quæ illos eodem instituto, quo & Dominum comitantes, ministrabant.] Cum igitur cæteri Apostoli, & fratres Domini, id est, cognati, seu carne ex matre propinqui, cum & ipse Cephas: [Neque enim, vti dixit Chrysostomus, erat adeò mirandum ostendere alios hoc facere, sicut eum qui stat in primo loco, & cui sunt creditæ claues regni cœlorum.] Cum illi, inquam, omnes, tam inferiores quàm & superiores circumducerent sorores mulieres, & à suis acciperent: idem potuit & Paulus, sed egere maluit quàm accipere.

Hier. hym. ep. 11. circa med.

Tertullian. l. demonog. c. 8.

Petrus per socrum maritus inuentus est.

Chrysost. orat. 21.



ANAGOGIA.

omnia sustinemus ne quod offendiculum demus.

SVstinet Paulus, & suâ gaudet tolerantiâ: nec lætatur tantùm, sed & gloriatur. Imò potuit sine culpâ sese ab angustiâ redimere, nec tamen voluit. Hinc inferas primò, verum Christi seruum non culpam spectare, sed gloriam: secundò, plus illum inopiâ exultare, quàm improbum copiâ: tertiò, frigidum tam à gloriâ exulare, quam à iustitiâ.

Quoad 1. Quantis egit Paulus vt ostenderet sibi licere: & hoc vnum spectauit vt probaret non timere se, culpam incurrere, sed amittere gloriam. [Vides, inquit Chrysostomus, quòd cum per multa priùs probasset, non esse contra leges accipere, postea dixit se non accipere, ne videatur abstinere tanquam à prohibito. Sed non vsi sumus hac potestate. Non enim, inquit, non accipio quia non licet: licet enim: idque ex multis demonstrauimus, ex Apostolis, ex iis quæ quotidie in vitâ fiunt, ex milite, agricolâ, & pastore: ex lege Moysis, ex ipsâ rei naturâ. Sed ne vos percellamus, accipientes, maluimus etiam plusquam iustum erat facere, quàm aliquam offensionem dare Euangelio, hoc est, vestræ catechesi & institutioni. Non dixit, euersionem, sed offensionem; nec absolutè offensionem, sed offensionem aliquam; ne quamlibet, vt ita dicam, protelationem & dilationem afferamus cursui Euangelii.] Rectè Paulus à milite orsus est, & ipse miles. Imò & Apostoli omnes erant milites: [Non bellorum sensibilium, sed ratione præditarum animarum.] Cura, pastoris est; vinitoris seu agricolæ, diligentia; militis, gloria. [Non enim dixit Apostolus, Quis militat, & non est diues? Sed quis militat suis stipendiis vnquam.] Strenuus miles pecuniam non curat, sed aspirat ad gloriam. Pastores, vinitoresque, auari vt plurimum, lucrorum auidi commodorumque: milites ista negligunt, sataguntque vt laudem reportent, sibi honorem vindicent. [Miles, ait Seneca, bellum optat in gloriam: agricolam annonæ charitas erigit.] Gladium miles noster Apostolicus vertit in stylum, nec tamen animum militis strenui deposuit, ne dicam & gloriosi: imò tantò magis auxit, quanto maior victoria est, & gloria dignior. Quid faciet generosus ille miles animosusque? animam potius deponet quàm animum, gloriam obtendet non stipendium: nec enim aspiciet quanta sit fugæ culpa,, sed quanta sit victoriæ gloria. [Ego autem nullo horum vsus sum. Quid tum, inquit, (verba sunt Chrysostomi) si nunc non vsus es, in futurum autem vis vti, & propterea hæc dicis? Apage. Statim enim vsus est correctione, dicens: Non autem scripsi hæc vt ita fiant in me: Vide autem cum quantâ vehementiâ rem negat & remouet: Bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Et non semel, nec bis, sed etiam sæpiùs vtitur hac dictione. Nec mihi dicas præterita: etiamsi possim dicere quòd multa olim propterea sum passus, sed tamen non nitor illis solis. Sed etiam de futuris polliceor, nempe me malle mori fame, quam his coronis priuari. Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Non dixit, Legem meam vt quis soluat aut abroget, sed gloriationem.] Quantus ille Pauli animus, & quàm excelsus: vitam pro laude pacisci, solam pro labore gloriam consequi: mori malle, quam à proposito, quam ab arduo excidere. Cogitat fragile esse corpus & mortale, munusque si in faciem non regerit naturæ, certè contemnit. Spectat gloriam immortalem, immarcessibilem coronam, & illò contendit: & cum vitæ dignitatem nullâ re aliâ permutatam velit, æterni nominis adipiscendi gratiâ, occumbere malit, quàm honorem amittere.

Chrysost. orat. 21.

Miles strenuus non tam reformidat culpam, quam amat gloriam.

Sen. l. 6. de benef. c 38.

Chrysost. orat. 22.

Quoad. 2. Si transire licet in castra aliena, non tanquam transfugæ simus, sed tanquam exploratores. Istud ergo inde diripimus. [Honesta res est, læta paupertas.] Non probat Seneca, quin & castigat. [Illa enim non est paupertas, si læta est. Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est. Non enim qui parùm habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat?] Lis fit Epicurum inter & Stoïcum: sed lætam interim contemplabimur paupertatem in Paulo, imò gloriosam mirabimur egestatem. [Nam, ne quis dicat, ait Chrysostomus, eum quidem hoc facere, sed non lætum, verùm gementem & mœrentem, volens summam ostendere lætitiam, & animi alacritatem, rem appellat gloriationem, Tantum abest vt sit mœstus, vt etiam glorietur, & malit mori quàm amittere hanc gloriationem. Ita quod fiebat, erat ei vitâ dulcius. Vt enim ostendat se lætari, & de medio tollat suspicionem, rem vocauit gloriationem.] Quia semel cœpimus, & id etiam ex alienis hortulis colligamus. [Magnæ diuitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem illa naturæ, scis quos nobis terminos statuit? Non esurire, non sitire, non algere.] Quid verò, si esuriat Apostolus, si sitiat, si algeat, & in his tamen suam constituat lætitiam? Nonne pudorem imperat Philosophiæ, dum se suprà naturæ legem subleuat; paupertatemque suam non iam commodis protectam, sed necessariis etiam destitutam, inter magnas computat diuitias? [Quid fame acerbius, ait Chrysostomus, & aliis laboriosis quæ perpessus est Paulus? Sed exultabat, & lætabatur, & dicebat: Nunc lætor in perpessionibus meis. Quæ est ergo causa? Mentis differentia: alterius quidem voluptatem, alterius verò indicans animi ægritudinem. Auarus nunquam sistet cupiditatem, non solùm quòd non possit quæcunque sunt aliorum accipere, sed & quod quæcunque apprehenderit ac possederit, se nihil habere putat. Qui autem pecunias contemnit, omnia existimabit superflua: neq; infinitis cupiditatibus cruciabit animam. Nihil enim est quod rationem supplicij æquè habeat ac cupiditas, quæ non habet quo fruatur. Qui pecunias concupiscit, & permultas acquisiuit, is est affectus

Seneca epist. 25

Chrysost. orat. 22.

Sen. ep. 4.

Chrysost. orat. 14 in cap. 4. huius epist.

perinde atque si nihil habeat. Cruciatur tan-
quam non habeat: & si omnium bona accepe-
rit, magis angitur: & maior acquisitio, fit ei ma-
ior accessio paupertatis. Nam quò plura acce-
perit, eò plura concupiscit. Quò ergo plura ac-
ceperit, eò magis fit pauper] Mirum hoc & ta-
men verum: vt qui auidiùs acquirit, paupe-
rior sit; qui contemnit generosiùs, fit ditior: in-
de ille etiam copiâ grauatur suâ, iste suâ læta-
tur gloriaturque inopiâ. [Si ergo, inquit ille,
dicis mihi voluptatem quæ ex vitio oritur, co-
gita quòd eam quoque maiorem percipimus
ex virtute. Etenim bonam habere conscien-
tiam, & ab omnibus haberi in admiratione, &
bonam spem expectare, est omnium iucundis-
simum ei qui considerauerit naturam volupta-
tis: quomodo etiam contraria sunt omnium
molestissima ei qui nouit naturam doloris; vt
probris ab omnibus appeti, à seipso accusari,
tremere, & tam futura quàm præsentia formi-
dare. Quomodo enim illum omnes execrantur,
ita huic omnes benè precantur: & quomodo
ille nullum habet amicum, ita hic nullum habet
inimicum. Sed nec vitij dolorē, nec virtutis vo-
luptatem verbis poterimus exprimere, donec eâ
fruamur: tunc enim & felle amarius vitium in-
ueniemus, quando mel virtutis gustauerimus.]

Chrysost. orat. 12.

Iudicium dulcis aut amari non ægroto sed sano committendum.

Quoad 3. Sanum quæro non ægrotum: imò
& feruidum volo, non frigidum. [Si enim fri-
gido loquar, (vti dicam ex Augustino) nescit
quid loquor.] Quid alacer & feruens animus?
Tantum abest vt impediatur prohibitione, vt
ne permissione quidem vtatur semper, ne quan-
do abutatur. [Ne mihi dicas, inquit Chryso-
stomus, Non est hoc aut illud prohibitum
propter quod offenditur, & permittitur. Nam
ego tibi dico maiora, nempe quòd etiam si
ipse Christus permiserit, videris autem lædi
quempiam, desiste, & ne vtere permissione.
Nam hoc quoque fecit Paulus, qui cum lice-
ret accipere concedente Christo, non accepit.
Etenim cum benignus sit Dominus, suis præ-
ceptis admiserit multum mansuetudinis, vt
non solùm ex iussu, sed etiam ex animi libero
faciamus arbitrio. Potuisset enim, si hoc noluis-
set, præcepta magis intendere & augere & di-
cere, Qui non perpetuo ieiunat, puniatur. Qui
non exercet virginitatem det pœnas. Qui se non
omnibus exuit facultatibus, vltimum luat sup-
plicium. Sed non hoc fecit, tibi præbens vt si
velis contendas, vt laudem & honorem conse-
quaris. Propterea & quando disserebat de vir-
ginitate, dicebat, Qui potest capere, capiat.
Et in diuite alia quidem præcepit, alia verò
permisit libero animi arbitrio. Non dixit enim,
Vende quæ habes; sed, si vis esse perfectus,
vende.] Multa permittit, vt amorem exploret
suorum: nonnulla consulit, vt feruorem susci-
tet. [Felicem illum, ait Tertullianus, qui Pauli
similis extiterit.] Quid enim ille? An prohibi-
tionem transiliet? nequidem attinget permis-
sionem. An præcepta transgredietur? imò am-
plectetur & consilia. An quia metuit suppli-
cium? Imò vix attendit ad præmium. Illi Deus
omnia in omnibus; cui parere, imperium est,
placere, præmium. Quid languidus animus
frigidusque? Consilia præterit, vix attingit
mandata: non solùm permissis vtitur immo-

Augustin. Tract. 16. in Ioan. post initium.

Chrysost. orat. 21.

Tertullian. lib. 1. ad Vx. c. 3.

destè, sed & inconcessis improuidè capitur. Si
culpam vitat, magis pœnam reformidat quàm
aspirat ad gloriam. Nihil interest quocumque
tandem modo saluetur, modò non damnetur:
multum est infirma seu peiora fugere, rarum su-
prema ac meliora seu digniora prospicere.
[Nos enim, vti dixit Chrysostomus, non so-
lùm non contendimus vt laudem & honorem
consequamur, neque quæ sunt præcepta exu-
peramus, sed longè etiam abest vt præcepto-
rum mensuram impleamus, Et Paulus qui-
dem esurit, ne offensionem det Euangelio:
nos autem ne quæ nobis sunt recondita aude-
mus attingere, videntes innumerabiles animas
euertendas. Rodat enim, inquit, tinea, & non
rodat pauper: exedat vermis, & non induatur
nudus. Omnia consumantur tempore, & non
alatur Christus, idque esuriens. Et quis hoc di-
xit, inquit? Hoc enim est graue admodum,
quòd hæc non verbis dicantur, sed factis. Quæ
est hæc insania? Est enim insania & manifestum
delirium, arcas quidem implere vestibus: eum
autem qui factus est ad Dei imaginem & simi-
litudinem, nudum & præ frigoris trementem &
vix rectum stantem despicere. Tu ventri indul-
gens, & te impinguans, & ad profundam vsque
vesperam compotationem extendens, & molli-
bus fotus stragulis, non censes te daturum pœ-
nas, adeò prauè & iniquè vtens Dei donis? A
paupere, ab infelice, ab eo qui non meliùs est
affectus quàm mortuus, exactam exigis ratio-
nem: & non times horrendum illud & terribile
Christi iudicium?] Certè si istud graue est in
omnibus fidelibus, in sacerdotibus est intole-
rabile. Illorum enim est, victum metere, non
fructum prodigere, imò nec aurum colligere.
[Edere dicit Apostolus, & viuere, ait ille, non
mercaturam facere, non thesaurizare.] Quo
ergo tot superflua, imò nec superuacanea iam
aut superflua, cum non solùm aliis necessaria
sint, sed & debita? Verùm vt alibi occasio di-
cendi protrahatur, nunc finiatur oratio.

Chrysost. orat. 12.

Christiani frigidi quâ sint Christo suo iniuriosi.

Chrysost. orat. 12.

ANAGOGIA.

Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi?

MVltiplicem Domini legimus visionem:
Primam, corporalem: secundam, spi-
ritualem: tertiam, intellectualem. Hisque tri-
bus modis scimus Paulum vidisse Dominum,
id est, omni modo quo in terris videri potest.
Nam adhuc videbitur in iudicio ad momen-
tum, & in cœlo rursus in æternum videbitur.

Quoad primam visionem, corporalis est,
quia fit oculo corporis: & ad illâ Christus ip-
se: [Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.
Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & re-
ges voluerunt videre quæ vos videtis, & non
viderunt.] Non ad quosuis dicit, sed [Con-
uersus ad discipulos suos.] Viderunt enim ocu-
li Scribarum & Pharisæorum, nec tamen inde
fuerunt beati. [Multi Iudæorum, ait Cyrill.
apud Aquinat. viderunt Christum diuinè ope-
rantē, nec tamen omnibus beatificatio conue-
nit.] Quinam ergo beati? qui vident, quomo-
do reges & Prophetæ videre voluerunt. Quem
enim

Luc. c. 10.

Cyrill. apud Aquin.

enim videre voluerunt Prophetæ, nisi quem prædicabant; & quem reges, nisi per quem regnabant? Deum videre incarnatum, seu, vt ait Paulus, Christum Iesum Dominum nostrum. Vnde dicebat ad discipulos suos, tanti thesauri nondum satis conscios: [Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis.] Vnum scilicet diem illius temporis, quo adhuc conuersabantur cum Christo, dum amissi recordabantur boni, nondum satis cogniti. Viderunt tamen illi, & inde quidem beati. [Et vidimus gloriam eius.] Nam, [Quoniam Verbum caro factum est, potuit dicere, Vidimus gloriam eius. Qualem gloriam? Qualis factus est filius hominis.] Ita Augustinus. Quod aliis Apostolis concessum est, hoc & Apostolo Paulo non fuit denegatum. Vnde fidenter, & quasi ex æquo cum aliis: Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Quonam oculo? quo & alij, nimirum corporali. Vnde Christus ad eum. [Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti.] In Græco ὤφθην. [Visus sum] Verè enim Christus ipse à Paulo visus est, verè Paulus à Christo testis constitutus resurrectionis. Ita ad eum Ananias. [Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in viâ quâ veniebas.] Græcè, ὀφθείς. [Qui visus est.] Reuera enim Dominum vidit in viâ, & corporali specie vidit, & corporali visione. [Hunc & Paulus conspexit, (verba Tertulliani, nec tamen patrem vidit. Nonne, inquit, vidi Iesum? Christum autem & ipse Deum cognominauit, Quorum patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in æuum. Ostendit & ipse visibilem Dei filium, id est sermonem Dei; quia qui caro factus est, Christus dictus est.] Vidit ergo carne Verbum caro factum, & de proximo vidit: non enim cœlis apertis vt contigit in Stephano: Sed oculis subitâ & insuetâ luce contactis, à corpore nimirum Christi dimanante, & obtutum diuerberante. Vnde videns, nec tamen sustinens, statim cecidit, tanquam attonitus; perstrictusque ad solem, in caliginem incidit.

Luc cap. 17.

Augustin. Tract. 2. in Ioan. in fine.

Act. cap. 26.

Act. cap. 9.

Tertul. l. aduers. Prax. cap. 13.

Paulus Christum de proximo cernendo excæcatus est.

Quoad secundam visionem. Iam non fit oculo corporali, sed spiritali radio. [Sicut enim, (vti dixit Augustinus, in istâ luce corporeâ est cœlum, quod super terras suspicimus, vnde luminaria clarent & sidera, quæ corpora longè sunt meliora terrestribus: sic in illo genere spiritali, in quo videntur corporum similitudines luce quadam incorporali ac suâ, sunt quædam excellentia & meritò diuina, quæ demonstrant angeli miris modis. Sunt autem alia visa vsitata & humana, quæ tamen comparata illis angelicis demonstrationibus sic habenda, ac si in istâ naturâ corporum, terrena cœlestibus comparentur.] Percepit ista Apostolus, distinxitque, vtpote vtraque luce potitus. De primâ enim visione: [Non fui (ait) incredulus cœlesti visioni.] Corporis nimirum cœlestis visio fuit illa Christi de cœlo descendentis apparitio. Nam, vt Aquinas determinat. [Mansioni cœlesti non derogat, si ex aliquâ dispensatione Christus quandoque corporaliter ad terram descendat, vel vt ostendat se omnibus, sicut in iudicio; vel vt ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, vt habetur Act. 9.] Ascendit Christus in cœlum, seditque ibi mansurus in æternum, finito peregrinationis cursu, fructuque redemptionis prælibato. Sed ex dispensatione, & in gratiam Pauli, iterum de cœlo in terram descendit, illi sua, imò & seipsum aperuit, specialemque resurrectionis realis corporalis-ue testem constituit. De secundâ: [Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum.] En alia visio, quæ non corporalis iam, sed spiritalis, qualis fuit in Prophetis, qualis & in ipso Abrahamo, de quo Christus ad Iudæos: [Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.] Vidit enim, sed affectu; vidit, sed spiritu. [Non ait, Exultauit quia vidit: sed exultauit vt videret. Credens vtique exultauit sperando, vt videret intelligendo.] Ita Augustinus. Ita viderunt & Prophetæ, qui idcircò, [Videntes] appellati sunt: sed videntes spiritu, spiritalibusque donati charismatibus. [Sic Ioannes, ait Tertullianus, in spiritu Dei factus, animas martyrum conspicit.] Sic ergo & Paulus in spiritu Dei factus, vidit Christum Iesum Dominum nostrum, ideoque non corporaliter, sed spiritualiter, id est, non corporali luce, sed spiritali imagine. [Certum est enim, (vti dixit Augustinus) esse spiritalem quandam naturam in nobis, vbi corporalium rerum formantur similitudines: siue cum aliquod corpus sensu corporis tangimus, & continuò formatur eius similitudo in spiritu, memoriaque reconditur: siue cum absentia corpora iam nota cogitamus, vt ex eis formetur quidam spiritalis aspectus: siue nullâ ex corpore causâ existente sed assumente atque rapiente aliquo spiritu tollitur anima in huiusmodi similitudines corporum, miscens eis visa corporalia, cum simul etiam corporis sensibus vtitur: siue ita spiritu assumente alienatur ab omni corporis sensu, & auertitur, vt solis similitudinibus corporum spiritali visione tenatur.] Multiplices sunt equidem spiritalis visionis species? sed vltima ista omnium perfectissima est, quâ nimirum animus à corporali visu diuellitur, totusque in similitudine seu imagine rei corporalis, spiritali obtutu defigitur: & eo pacto Paulus factus in spiritu Christum vidit corporeum, sed non corporaliter; Iesum vidit, sed spiritaliter.

Aug. l. 12. de Gen. ad litt. c. 30.

Act. cap. 26.

Aquin. 3. p. q. 57 art. 6. ad 3.

Act. cap. 22.

Ioan. cap. 8

Aug. Tract. 44. in Ioan. vlt. med.

Tertullian. l. de Animâ cap. 8.

Aug. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 23.

Multiplices visionis spiritalis species.

Quoad tertiam visionem: modus quidem insolitus est; nec tamen ipsis etiam Philosophis incognitus. [Non potest, ait Seneca, grande aliquid & suprà ceteros loqui, nisi mota mens sedibus suis. Cum vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tum demùm aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Desciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat suum: eoque ferat quo per se timuisset ascendere.] Sed acutiùs, sicut & certiùs philosophatus est Augustinus, dum triplicem visionis, corporalis scilicet, spiritalis, & intellectualis distinxit speciem, & virtutem expressit. [Hæc, inquit,

Seneca lib. de tranq. an. cap. 15.

Augustin. l. 12. de Gen. ad lit. c. 24.

natura spiritalis, in quâ non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur, inferioris generis visiones habet, quàm illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo & ista inferiora diiudicantur, & ea cernuntur, quæ neque sunt corpora, neque vllas gerunt formas similes corporum. Quanquam itaque, in eadem animâ fiant visiones siue quæ sentiuntur per corpus, sicut hoc corporeum cœlum, siue quæ spiritu videntur similia corporum: siue cum mente intelliguntur, quæ nec corpora sunt, nec similitudines corporum, habent vtique ordinem suum, & est aliud alio præcellentius. Præstantior est enim visio spiritalis quàm corporalis, & rursus præstantior intellectualis quàm spiritualis. Quapropter non absurdè neque inconuenienter arbitror spiritalem visionem inter intellectualem & corporalem tanquam medietatem quandam obtinere. Puto enim non incongruenter medium dici, quod corpus quidem non est, sed simile est corpori, inter illud quod verè corpus est & illud quod nec corpus est nec simile corpori.] Dicitur enim spiritualis visio, quæ corpus quidem excedit, sed inuoluit corporis speciem: intellectualis autem omnem omninò similitudinem corporis excludit & imaginem: est enim opus mentis, imò diuinitatis, seu Spiritûs sancti munus est, quo anima supra se attollitur, &

Anima quomodo à consueto agendi modo liberata.

A à consueto agendi intelligendique modo exsoluta, extra se rapitur. Ita igitur Apostolus Christum Dominum spiritu mentis, non interuentu imaginis, vidit, cum audiuit arcana verba; id est, arcano modo vidit & audiuit. [Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini.] Ibi visus est Dominus, sine velo detectus & simulacro, sine specie apertus & imagine: visus quidem, sed ineffabili visione; auditus, sed locutione inenarrabili. [Nisi enim, ait ille, ab hac vitâ quisque moriatur, siue omninò exiens de corpore, siue ita auersus & alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut Apostolus, vtrum in corpore an extra corpus B sit, non in illam rapitur & subuehitur visionem. Quapropter hoc tertium visionis genus, quod superius est non solùm omni corporali, quo per corporis sensus corporalia sentiuntur; verumetiam omni illo spiritali, quo similitudines corporum spiritu & non mente cernuntur, tertium cœlum appellauit Apostolus. Cur autem non credamus, quòd tanto Apostolo doctori gentium, rapto vsque ad istam excellentissimam visionem, voluerit demonstrare vitam, in quâ post hanc vitam viuendum est in æternum?] Hæc visio mortem indicit omnibus corporis sensibus, mentemque in supremum contemplationis gradum euehit.

1. Cor. c. 12.

Augustin. eodem l. 12. c. 28.



PARS SECVNDA.

DE CONSTANTIA.

TEXTVS.



Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

EXEGESIS LITTERALIS.

Mercedis, gloriæ, præmij mentionem fecerat; inde occasionem captat in certamen vocandi, seque ipsum rursus in exemplum producendi non patientiæ tantùm sed & constantiæ.

A [Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauiū, &c.] Dixi, velle me participem Euangelij cum ceteris omnibus, Christianis nimirum seu fidelibus: currimus enim omnes tanquam in stadio, & ad promissum in Euangelio præmium contendimus. Scitis tamen quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed

non omnes brabium accipiunt, sed ij soli qui cursum ritè absoluunt ac legitimè. [Sic currite vt comprehendatis.] Ita & vos, iam in loco estis in quo currendum est, iam & curritis, spatiumque vitæ excurritis Christianæ; sed ita currite vt non excidatis; ita contendite, nimirum constanter perseueranterque, vt præmium vitæ capiatis æternæ. [Perinde ac si inquiat, Nequaquam existimetis, etsi fidem Christi iam exceperitis, & Ecclesiæ stadium ingressi iam sitis, satis id vobis ad salutem futurum. Quemadmodum neque cursoribus ipsis in stadio cucurrisse sat est, nisi ad brauium vsque pertenderint: quod etiam per vos vt attingatur, erit totis viribus annitendum; tametsi in discrimine haud paruo versemini, ne illud vos comprehendatis. Et igitur vobis ineundus est cursus, vt proposita præmia consequamini.] Ita Athanas. [Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam, &c.] Videte illos qui in cursu aut pugillatu certant, nonne per omnia temperant? Et illi quidem sic currunt, sic & faciunt, vt coronam quidem accipiant, sed momentaneam, aut breui perituram: quidni igitur & nos curramus, cur & id non agamus, vt æternam consequamur? Illi φθαρτὸν, nos ἄφθαρτον. Ex illis, vnus accipit comprehenditque, nos omnes promissam assequamur gloriam. [Et in hoc, ait Ambros. multum dispar donum est, ac per hoc vult diligentiores nos esse debere, quibus non terrenis & marcescentibus floribus, sed æternis conserta gemmis in modum regalis diadematis spiritalis corona seruatur.]

Athanas. in Paulum.

Quanta corruptibilis coronæ & incorruptibilis differentia.

Ambros. in Paul.

[Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, &c.] En igitur se in exemplum proponit Apostolus, primusque descendit in prælium. Qui volunt brauium accipere, non diuertunt in cursu, quasi qui nullum habent scopum; sed rectà currunt, quasi ad destinatum tendunt, vt coronam reportent expositam. Ita curro ego, ita contendo. [Sic pugno, non quasi aërem verberans, &c.] Prius, cursorum est; istud autem, pugilum. Græcè πυκτεύω, pugnis ago, pugilum more decerto: pyctes autem seu pugil, sæpè aërem verberat; non sic ego, non sic qui in pugnâ certat Christianâ. [Non temerè & inconsideratè, ait Chrysostomus, habeo enim quem feriam.] Ecquis ille? Audi. [Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c.] Caro aduersatur spiritui, habet ergo spiritus aduersarium, quem verberet, castigetque: quem subigat, subjiciatque. [Seruituti enim subiicitur, ait Ambros. dum non suam perficit, sed spiritûs voluntatem. In Græco δουλαγωγῶ, vt seruum tracto. [Ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar, &c.] Parum est prædicatori, parum doctori, verbis agere, & factis parcere: sic enim dum alios in certamen accendit, ipse in discrimen venit; dum scopum aliis ostendit ac brauium, ipse excidit. Non sic Paulus, qui verbo agit & exemplo, ne cum aliis prædicauerit, quoquo tandem modo indignus inueniatur præmio, & à Deo tanquam reprobus abiiciatur. [Perinde ac si inquiat,

Chrysost. orat 23.

Ambros. in Paul.

Doctor verbis agere debet & exemplis.

A Mea hæc haudquaquam est ad salutem satis vel doctrina vel prædicatio, nisi & insontem me quibusuis præbeam, & prauis liberum facinoribus] Ita Comment Athanas. Sed inde quæstiones nec paucæ nec modicæ.

Comment. Athanas.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

Aliæ spectant litteraturam secularem, aliæ doctrinam singularem: illæ enim litteram illustrant, istæ firmant sententiam. Sit ergo B

DISQVISITIO PRIMA.

De litteraturâ seculari.

Multa sunt, quæ sese offerunt disquirenda; sed pro modulo necessitatis potius, quàm pro genio curiositatis resoluenda: non enim ludum ego ingredior, sed aggredior Apostolum.

Primò igitur, Quid stadium, quid & brauium? Græca sunt στάδιον καὶ βραβεῖον. Sed de isto dicendum, quod Tertullianus de pallio, [Etsi Græcum magis, sed lingua iam penes Latium est.] Romanâ tandem ciuitate donata sunt ista, C & eodem vsurpata iure. E Græciâ enim seu Asiâ aduecta sunt, & in Europam prouecta Libyamque. [Aut ni ita est, ait ille, vnde gentium in prouincijs melius exercitis, quas natura agro potius eluctando commodauit, studia palestræ malè senescentia, & in cassum laborantia? Hæc tota res est Asiæ. Quid tibi cum his Libya & Europa?] Est ergo stadium locus cursui ac luctationi destinatus, viginti quinque passibus supra centum limitatus. Dictum est stadium ἀπὸ τῆς στάσεως, hoc est à statione, quòd Hercules eo spatio. vno spiritu confecto, constitisset; & inde Olympici stadii, quod ipse metatus erat, clarissimum erexisset curriculum. D [Sin & doctrinam secularis litteraturæ, vt stultitiæ deputatam apud Deum, aspernamur, satis præscribitur nobis & de illis speciebus spectaculorum, quæ seculari litteraturâ lusoriam agonosticam scenam dispungũt. Quòd si & Stadium contendas in scripturis nominari, sanè obtinebis. Sed quæ in stadio geruntur, indigna conspectui tuo non negabis. Non probabis vanos cursus, & iaculatus & saltus vaniores.] Stadia, vt plurimum amœna, vtpote arboribus consita; ideoque deambulationi, nedum cursui idonea. Ita apud eundem Tertullianum: [Stadia opaca.] Velut nemora. Et de Susannâ E [Ceterùm, inquit in stadio mariti, non putem velatam deambulasse quæ placuit.] Brauium porrò minùs Latinis vsitatum: tamen & penes Latium est. De agonothete Hieronymus: [Inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium.] Et Tertullianus ad Martyres. [Corona, æternitas: brabium, angelicæ substantiæ politia in cœlis.] Stadium igitur, locus cursui, tum & pugillatui dedicatus. Brauium, certaminis præmium. Inde βραβευταὶ, qui in stadio humi assident palmasque & coronas victoribus seu probis ac legitimis cursoribus exhi-

Tertul. lib. de Pall c. 3.

Tertullian. cap. 3.

Quid stadium, quid sit & brauium

Tertul. l. de Spect. c. 18.

Tertullian. cap. 1. ad Mart. lib. de co. mil. c. 4.

Hieronym. l. 1. adu. Iouin.

Tertullian. c 3. ad Mart.

bent [Et illi quidem , inquit Apostolus , vt coronam corruptibilem consequantur , nos æternam consecuturi.] Ita Tertullianus.

Secundò, Quid currere in incertum ? Quid aërem verberare ? In stadio, duo fines erant, cretâ notati argentariâ : primus & vltimus extremus-ue. Spatium inter carcerem seu limen & metam seu notam extremam interiectam, rapidè & inoffensè excurrendum erat, ideoque finis vltimus semper habendus erat præ oculis. [Quid est autem , Non in incertum ? ait Chrysostomus. Ad scopum, inquit, adspiciens : non temerè & inconsideratè.] Quid ergo Paulus ? [Magnâ spe currere se profitetur, ait Ambros. certum habens quid sit promissum.] Non currebat in incertum, nihil inconsideratè agebat aut temerè in Euangelico stadio seu ministerio Apostolico, cum sibi semper vltimum finem proponeret, & ad ipsum totis viribus contenderet. Porrò, prolusio erat, seu prælusio ; inde arma seu tela lusoria, quibus batuebant, ventilabantque. [Quàm stultum , ait Seneca, cum signum pugnæ acceperis, ventilare ?] Id est, in ventum vires effundere, aërem verberare. Sed id Amphitheatri, non stadij. Attamen & in stadio non solùm cursus, sed & pugillatus ; in quo etiam præluditur, dum inani certamine aër cæditur. Apud Platonem. [Si pugiles essemus, nonne pluribus antè diebus pugnare didicissemus ; omnia facientes, quibus in vero certamine, vbi ad victoriam contenditur, vti oporteat.] Simulacrum erat pugnæ, ludicrumque. Sed cum pugnandum erat, non iam ictus in ventum effundendus, sed in aduersarium. [Imperiti enim, vti dixit Gregorius, aërem potius ferientes quàm corpora, frustrantur præmio.] Et alibi eos omnes exhibet vt similes, ridetque vt insanos. [Exiliunt enim, clamant, puluerem in cœlum mittunt, aërem verberant.] Pugnat ergo Paulus, non aërem verberat, dum non verbo tantùm sed & exemplo ; non sono vocis, sed virtutis telo hostem destinat. [Sic enitor, non quasi aëra cædens. Hoc est, non verbis magis, sed rebus contendo.] Ita Ambrosius Ille enim in cassum laborat, qui verborum strepitu, absque rerum effectu Dei regnum ædificat.

Chrysost. orat. 23.

Ambros. in Paul.

Quid currere in incertum & aërē verberare.

Sen. ep. 117.

Plato. 8. de legib.

Greg. orat. 21. & orat. 19.

Ambros. in Paulum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De doctrinâ singulari.

TImet Paulus ne reprobus efficiatur : sed cur timet si nullus vmquam prædestinatus efficiatur reprobus ? Permanet enim qui ad gloriam à Deo in æternitate destinatus est, & palmam mouet ordine nemo. Quinimò de Paulo timeri poterat, si certus erat : [Quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia :] Poterat illum à charitate Dei separare ? Quid enim reprobari, nisi à Deo vt à summo bono separari ?

Rom c. 8.

Ad primam difficultatem, facilè cum Hieronymo seu Paulino, Ambrosio & Augustino satisfaciet, quisquis leget, [Inueniar.] Non, [Efficiar.] Ita ille : [Vas electionis Paulus, castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur.] Ita & iste passim. Sed quamuis sensus non sit improbandus, alia tamē libera est, Græcis probata Latinisque. Vnde Aquinas: [Ipse reprobus, id est, à Deo reprobatus efficiar, quod turpe esset.] Id autem fit. [Quando euangelizatur ex necessitate timoris, vel ex cupiditate mercedis temporalis. Gratuitus panis ex parte recipientium, quia humiliter, non potestatiuè recipiunt.] Quid si auidè & cupidè ? Sed ad præsentia Apostoli verba. Non ait Apostolus, Ne cum aliis prædicauero, sed, [Ne fortè, &c.] In quo non præiudicat diuinæ immutabilitati, sed suum seruat humanæ libertati locum. [Prædestinatio enim, (vti dixit ille) certissimè & infallibiliter consequitur suum effectum, nec tamen imponit necessitatem, vt scilicet effectus eius ex necessitate proueniat. Prædestinatio enim est pars prouidentiæ : sed non omnia quæ prouidentiæ subduntur, necessaria sunt, sed quædam contingenter eueniunt, secundùm conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus diuina prouidentia ordinauit: & tamen prouidentiæ ordo est infallibilis. Sic igitur & ordo prædestinationis est certus : & tamen libertas arbitrij non tollitur, ex quâ contingenter prouenit prædestinationis effectus.] Certè si prædestinatio & reprobatio non tollunt facultatem benè vel malè agendi, nec in vtroque permanendi facultatem ; salutis etiam aut perditionis libertatem non extingunt : nec in alterutram partem confirmatum est humanum arbitrium, sed ad vtramque tam mutabile, quàm & flexibile. Verùm tantis fortè non eget Paulus : non enim docet, posse fieri, vt quis ex electo efficiatur reprobus, quod impossibile, stante prædestinationis decreto ; sed fieri posse, vt qui ministerio prædicationis functus est, efficiatur reprobus ; id est, qui salutem aliorum promouit, ipse excludatur à salute : qui rem egit bonis sermonibus, actibus prauis, inter malos ac reprobos accenseri, & affici damnatione mereatur.

Quoad secundam difficultatem, nec Paulus ex hoc numero eximendus est, aut alio donandus arbitrio, [Cum enim beatus Apostolus ait, Ne fortè aliis prædicans ipse reprobus inueniar : suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, vbi aries tremit ?] Ita Augustinus. Nec inueniri tantū, sed & effici, vti legit Chrysostomus : additque. [Si autem Paulus hoc timuit qui tam multos docuit, & timuit postquam prædicauit, & factus est angelus, & totus orbis terræ defensionem suscepit & patrocinium, quid nos dixerimus ? Nec enim existimetis, inquit, quoniam credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Nam si mihi prædicasse, docuisse, innumerabiles adduxisse, non satis est ad salutem, nisi meæ quoque actiones sint eiusmodi vt in eas nulla cadat reprehensio, multò magis vobis.] Factus sit angelus, sed nutauit aliquis angelus & periit. Nutauit & Petrus, licet petra fortissima ; ideoque

Hieronym. epist. 14. post med.

Aquin. lect. 5.

Aquin 1. p. q. 23. art. 6. in corp.

An prædestinatus damnari possi & contra.

Aug ser. 19. de verb. Apost. c. 1.

Chrysost. orat. 23.

habuit & ipse vnde timeret, & timuit vt quisque tremeret. [Deus enim ad obediendum sibi, ait Ambros. seu Prosper, ipsum velle sic donat, vt etiam à perseueraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo vmquam fidelium recessisset à fide. Neminem concupiscentia vinceret, neminem tristitia elideret, & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimirum procliuisque descensio est, numquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, quâ Apostolis dicitur: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Si & Petri defectura erat fides nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdubiò mutabilitas, quæ posset in tentatione nutare; & non itaiam perseuerantiæ fuerat virtute solidatus, vt nullis periculis esset obnoxius. Sed hæc stabilitas illius tantummodo propria fuit; qui solus verè potenterq; dicebat: Potestatē habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterū sumere eā. In ceteris verò hominibus, & in præsentis agonis incerto vbi tota vita tentatio est, & ab insidianti superbiâ nec ipsa est tuta victoria, incommutabilis animi firmitudo non potest reperiri, aut carere mutabilitatis periculo.] Quod verò se certum dicit Apostolus, persuasum se innuit, non securum: perfecta enim securitas; sicut & vera felicitas non est huius vitæ sed futuræ; in quâ charitas consummata, & nulla infirmitas.

Ambros. seu Prosper lib. 1. de vocat. Gent. c. 9.

Nullus in hac vita perfectè securus est.

A B C

ANAGOGIA.

Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.

NOn aërem verbero, sed carnem meam, tanquam hostilem & æmulam. Itaque iam in cursu non est, sed in pugillatu: in quo tria consideranda sunt: Impetus nimirum, Modus, & Effectus. In illo, seueritas est; in isto, discretio seu moderatio; in hoc libertas.

Quoad primum. Nec parcunt Philosophi suo corpori, etsi sanitati potius consulunt quàm saluti. [Corpori, ait Seneca, tantum indulgeas, qantùm bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo malè pareat: cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersùs infesta corpori.] Sed suspecta mihi sit ista disciplina, quæ non tam accurata durities sit quàm obdurata mollities. Ita & ille: [Cibus famem domet, potio sitim, libido quâ necesse est fluat.] Timenda sanitas quæ salute coëmitur; tranquillitas fugienda, quæ libidine conquiritur. Quid verò Paulus? [Castigo corpus meum.] Græcè ὑπωπιάζω, liuidum facio, liuore respergo & sanguine. Dixerat priùs: [Sic curro, sic pugno.] Quorum illud cursorum est, istud verò pugilum. πυκτεύω pyctem ago seu pugilem, pugnis percutio: [Non quasi aër[illegible] verberans.] Sed corpus meum, verberans. licet, castigansque, feriens contundensque. [Pugni quassant, ait Tertullianus calces arietant, cestus dilaniant, flagella dilacerant. Pyctes ipse non queritur dolere se, nam vult: corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat; plus victoriâ tumet, quàm iniuriâ.] Nihil illo certamine atrocius, hoc agone nihil durius, in quo, [Liuores, & cruores, & vibices.] Vnde & ille: [Quæ in stadio geruntur, indigna conspectui tuo non negabis, pugnos & calces & colaphos & omnem petulantiam manûs, & quamcunque humani oris, id est, diuinæ imaginis, depugnationem.] Nec enim ostendebant, sed imprimebant vulnera; nec leuia sanè, sed deformia: adeo vt sæuities potius quàm durities videretur, nec tam ictus incuteretur quàm impetus. Audi nunc athletam Christianum, pyctem fortissimum, cogitatus suos, & insensatos sensus ad petram allidentem. [O quoties, inquit, ego ipse in eremo constitutus, & in istâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum! Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, &, si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nudâ humo vix ossa hærentia collidebam. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante, tranquillitas.] Sed qualis ipse, tales & alij monachi, immites sibi ac rigidi, qui non solùm ab omnibus abstinerent, sed & noua subinde conquirerent, tormentorum genera suppliciorumque; sponte se verberibus cruciantes, corpusque iam ieiuniis confectum ac vigiliis, ictibus iterum conficientes. Non enim Petrus Damiani, huiusce vsus auctor, vt etiam agnoscit Baron. etsi propagator propugnatorque. Fortean, etsi non rem ipsam, nomē inuenit; ipsamque verberationē, vocauit. [Disciplinā.] Adeò vt [Disciplinā agere: idem sit ac seipsum flagellis cædere: corpus suum liuidū facere. Habent ergo monachi auctorem Apostolum, Christi Domini imitatorem: ecquid dico, monachi? Illo etiam æuo, imperatores regesque, nedum viri clarissimi, illustresque mulieres reuirescente Euangelij flore, & incalescente Christi sanguine, voluntariam illam exercent pœnitentiam.

Quoad secundum. Mirum quòd athletæ curarent corpus, nec tanquam pinguescerent. [Vnde, ait Tertullianus, & lutea vnctio, & puluerea volutatio, & arida saginatio?] Vsus, & victus athleticus, siccus nimirum ac tenuis, vt arenæ conformis suæ: Inde Seneca: [Illum tu otiosum vocas, qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet, qui athletas nouissimos pascit?] In ceromate, concipe luteam vnctionem, dein & puluerearn volutationem; sed in verbis extremis, aridam saginationem intellige, omni fame prauiorem: non enim ad gustum, sed ad institutum: nec voluptati aliquid indulgebatur, sed quicquid concessum, totum id conferebatur necessitati. Qui porrò. [Nouissimi athletæ?] Qui vltimo producti, & confodiendi de proximo. [Quicquid antè pugnatum est, ait ille, misericordia fuit. Nunc omissis nugis, mera homicidia sunt. Exi-

Sen. ep. 8.

Sen. lib. de tranq. animi cap. 9.

Tertullian. l. de Scorp. cap. 6.

Tertullian. l. de Spect. cap. 18.

Hieronym. epi. 22. cir. med.

Quāta fuit athletarum, tanta & monachorum duritia.

Bar. Tom. 11. ad ann. Dom. 1056.

Tertul. lib. de Pall. c. 4.

Sen. l. de breuit. vitæ c. 12.

Seneca. epist. 7.

D E

tus pugnantium mors est.] Et in hunc sensum relegi possunt Apostoli verba, imò & reduci. [Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos.] Sunt enim hi meridiani, seu nouissimi, qui extremæ necessitati & vltimæ, seu indubitatæ morti sunt destinati. Quomodò verò pascuntur, extrema iam passuri? Pascuntur quidem, sed vt extrema passuri, non tam ad vitam protrahendam, quàm ad perferendum supplicium: nec perimuntur fame, sed morti aluntur; imò nec aluntur morti, sed arti moriendi; vt ex gratiâ viuant, edant ex disciplinâ. [Omnis autem qui in agone cōtendit, ab omnibus se abstinet.] Quid ergo? non edit? Non hoc dico: sed edit ad præscriptum, nec viuit ad placitum. [Medico enim obtemperare oportet, sed & præfecto aut doctori: in ordinem redigi, ad præscriptum vesci.] Ita Epictetus. Ad normam igitur & ad disciplinam Apostolus. [Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.] Nam, vt obseruauit Chrysostomus. [Non dixit, Interimo, sed castigo, & in seruitutem redigo: quod quidem est domini, non hostis: doctoris, non inimici: pædotribæ puerum exercentis, non aduersarij.] Non enim id agit odio carnis, sed virtutis studio; nec animo insurgit hostili, sed salutari consilio. Aduersatur caro spiritui, legi mentis reluctatur? redigenda est, in ordinem, coërcenda est, nec tamen ad necem deducenda. Castiganda est caro, dum delinquit, dum vetita concupiscit, aut superflua: sed domanda, non mactanda: etsi enim locus iustitiæ dandus sit, seruandus tamen modus prudentiæ. [Magnus quidem discretionis labor est, ait Gregorius, huic exactori & aliquid impendere, & aliquid denegare: & non dando gulam restringere, & dando naturam nutrire. Sed discretus vir ac continens & vsque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & à voluptate restringit.] Non viuit vt edat, sed edit vt viuat: mensuram præscribit necessitati debitæ, & immoderatæ, ne dicā & violētæ escam erigit voluptati: legitima procurat, amputat superuacanea. Ne in licitis quidem frænum laxat, sed temperat desiderium. De illicitis verò ne subrepit quidē, sed durum licet ac ingratum remittit nuntium.

Nouissimi, vltimi in spectaculis producti

Epictet. apud Arrian. lib. 3. dissertat.

Chrysost. orat. 23.

Gregor. lib 30. Moral. cap. 14.

Quoad tertium. Seruum comprimit Apostolus, vt sui dominus sit; illum redigit in seruitutem, dum impedit libertatem. Hoc est quod ambiunt omnes, etiam Stoïci, etiam Epicuræi, sed quod plures non inueniunt, imò soli attingunt Christiani. [Adhuc Epicurum replicamus, ait Seneca, cuius hanc vocem hodierno die legi. Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem; qui se illi subiecit & tradidit, statim circumagitur: hoc enim ipsum philosophiæ seruire, libertas est.] Magna promittunt, sed talem reddunt libertatem qualem exhibent philosophiam: non enim veram habenti sed inanem ac marcidam. Scit Paulus vnde pariat libertatem veram, si iniquam opprimat tyrannidem. [Omnia, (inquit apud Chrysostomum) sustinemus: ita hîc quoque multum sustineo laborem, vt moderatè ac temperanter viuam. Nam & si non facilè litigari possit cum cupiditate & ventris

Sen. epist. 8.

Chrysost. orat. 23.

A tyrannide, eam tamen refreno, nec me ei dedo ægritudini: sed omnem sustineo laborem ne ab eâ attrahar. Ne enim existimetis me absque negotio in his me rectè agere: est enim cursus, & lucta, & naturæ tyrannis assiduè insurgens, & se vendicare volens in libertatem. Sed non patior, sed eam coërceo, & cum sudoribus multis eam subjicio.] Libertatem sibi asserit suam, dum alienam opprimit, dum carnem redigit in seruitutem: redigit autem, dum non continet solùm, sed & ab omnibus eius in perpetuum operibus abstinet. [Quid est enim, ait ille, ab omnibus se abstinet? Non ab hoc quidem abstinet, in alio autem peccat:
B Sed & ingluuiem, & liguritionem, & temulentiam, &, vt semel dicam, omnia vincit vitia. Nam hoc fit etiam in externis certaminibus. Iis enim qui decertant, tempore decertationis non licet inebriari, neque scortari, ne vires dissoluant. Sed neque in vllâ re allia versari, sed se omninò ab omnibus abducentes, solis gymnasiis dant operam.] Tanti constat libertas? Etiam tanti. Nec enim fruêris, nisi omnia carnis vitia deuiceris. Nam quid prodest nonnullis exsolutum esse, aliis deuinctum: vel dirumpere vinculum, & iugum non projicere? Habemus quidem & alios aduersarios, mundum scilicet & diabolum, sed domesticis priùs prouidendum est, aliàs enim eos mundus subornat aut diabolus. [Neque enim, vti dixit
C Gregorius, ad conflictum spiritalis agonis assurgitur, si non priùs intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur: quia si non ea que nobis sunt viciniora prosternimus, nimirum inaniter ad ea quæ longiùs sunt impugnanda transimus. In cassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intrà ipsa vrbis mœnia ciuis insidians habetur. Mens quoque ipsa certantis sub graui confusionis dedecore à spiritalis certaminis congressione repellitur, quando infirma in carnis prælio, gulæ gladiis confossa superatur. Nam cum se paruis prosterni conspi-
D cit, confligere maioribus erubescit.] Vis igitur mundi laqueos effugere ac diaboli? à teipso incipe, nodos corporis dissolue, carnem redige in seruitutem: dum enim in ordinem corpus adigis, tibi paris libertatem.

Chrysost. ibid.

Aduersarii nostri carne subacta sunt inuali-di.

Greg. lib. 30 moral. c. 13.

ANAGOGIA.

Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant.

COmponit nos Apostolus cum agonisticis, imò non componit, sed illis omnibus
E præponit: maximè verò in tribus: quorum

Primum est, quòd illi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: non sic in nobis, sed sic currite vt comprehendatis: potestis enim omnes accipere, si vultis omnes constanter perseueranterque excurrere. [Nam, (vti dixit Chrysostomus) sicut illic multis in stadium descendentibus, non coronantur multi, sed vnus id assequitur: nec sufficit in certamen descendere, neque immergi, & luctari: ita hic quoque non sufficit credidisse, ac leuiter ac vtcunque decertasse, sed nisi

Chrysost. orat. 23.

ità curramus vt ad finem vsque nos præbeamus nulli affines reprehensioni, & propinqui simus præmio, nihil ad nos redibit emolumenti. Si tamen illic tanta fiunt, vbi vni vna datur corona, multò magis hîc quoque, vbi pro maiori gloriâ & honore contenditur. Neque enim vnus solus coronatus & præmia quoque superant labores.] Si vita nostra militia est, semper certandum est; si verò tentatio est, semper vigilandum. [Non enim, (vt obseruat Ambrosius) princeps; istius mundi semper quasi apertus hostis ingreditur, sed sunt quædam potestates quæ amorem simulent, gratiamque prætendant, vt paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundant, à quibus oriuntur illa peccata quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt enim aliæ potestates, quæ veluti colluctantur nobiscum. Vnde Apostolus ait, Quia non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, & rectores huius mundi tenebrarum harum, aduersùs nequitiam spiritalium, quæ sunt in cœlestibus. Volunt enim hac quadam contentione nos frangere, & veluti quoddam animæ nostræ corpus elidere. Vnde Paulus quasi bonus athleta non solùm ictus aduersantium potestatum vitare cognouerat, verumetiam aduersantes ferire. Vnde & ait, Percutio pugnis, non vt aëra cædens: & ideò quasi bonus athleta ad coronam meruit peruenire.] Quod de ipso Paulo, hoc & de alio: & quod de militiâ, hoc & de arenâ: cum semper pugnandum sit, semperque repugnandum. [Non semper stadium plenum est spectatoribus, ait ille, non semper certaminibus inquietum, non semper concretum puluere: sed quando certamina, tunc populus in spectaculo, luctator in scammate, puluis in stadio. Vbi decursa certamina, conuentus soluitur, discedit vnusquisque aut victor ad gratiam, aut victus ad opprobrium: vehit corona victorem, victum premit verecundia, angit iniuria. Athletæ sumus, in quodam stadio decertamus spiritali. Denique bonus athleta dicebat, Sic enitor non vt aërem cædens. Athletæ ergo sumus, legitimè certandum est.] Non ille aëra percutiebat; sed aëreas potestates, quibuscum incessanter confligebat, aut quibus constanter resistebat. [Insistendum est enim, ait Cyprianus, & perseuerandum in fide & virtute, & cœlestis & spiritalis gratiæ consummatione, vt ad palmam & ad coronam, possit perueniri. Ita beatus Apostolus vt fides nostra proficiat & crescat, & ad summa perueniat hortatur, dicens: Nescitis quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit coronam. Sic currite vt apprehendatis.] Apprehendit enim quicumque currit legitimè: nullusque omninò qui brauium non accipiat, si ad terminum perueniat: omnes porrò indubitanter comprehendent, si constanter decertent.

Ambrof. l. de Parad. c. 12.

Multiplicia sunt diaboli tentamenta pugnaque Christiani continua.

Ambrof. li. de El. & ieiun. c. 21.

Cyprian. l. de exhort. marty. c. 8.

Secundum est, quòd illi coronam corruptibilem accipiant, nos autem incorruptam. Sanè vt notat Augustinus. [Non vndecumque datur similitudo à scripturis, laudatur ipsa res; sed tantùm inde similitudo trahitur. Non enim laudauit iniquum iudicem, qui nolebat audire illam viduam, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur: & tamen inde similitudinem Dominus traxit. Nec illum laudauit pigrum, qui tres panes, non propter amicitiam dedit petenti, sed tædio victus: & tamen inde similitudinem dedit. Et de rebus ergo non laudandis trahuntur secundùm quendam modum nonnullæ similitudines. Aut si propterea putatis eundem esse ad Marsos, quia auditis in scripturâ Dei vocem incantantium: eundum est & ad spectacula theatri, quia dicit Apostolus: Non sic pugillor, quasi aërem cædens. Pugillari enim est, pancratium facere. Iam quia hinc data est similitudo, spectacula ista delectare nos debent? aut quia dixit, Qui in agone contendit, ab omnibus abstinens est: Propterea agonistica ista vana & ludicra debet affectare Christianus? Attende quid tibi dicatur ad similitudinem, quid moneatur ad prohibitionem.] An iuberet scriptura, imò an sineret nos eniti, fanda & infanda pati, propter coronam gramineam; ne dicam & stramineam? nos propter gloriam tam vanam, quam & momentaneam, angi, cædi, cruciari? Sed similitudo est, admonens virum Dei qui facere debeat; & confundens ni faciat, conferensque seruum diaboli. [Si tantum terrenæ gloriæ licet, ait Tertullianus, de corporis & animi vigore, vt tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ; possum dicere, Modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis & diuinæ mercedis. Si tanti vitrum, quanti margaritum. Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?] Scio non esse vnum stadij præmium: sicut enim multa sunt certamina, sic & multiplicia sunt præmia. [Dare huic palmam, ait Tertullianus, huic honorem, illi ciuitatem, illi stipendia.] Mysticum est. Sed clarè dixerat: [Coronas scilicet, & gloriam, & dotem, priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare seculum de famâ æternitatem, de memoriâ resurrectionem.] Sed quis discriminabit apertè, aut iustè adiudicabit quod proprium est cuique priuilegium? Ambrosius brauium & coronam scrupulosè distinguit. [Multa, inquit, certamina sunt: & qui hodie victus est, cras se reparet. Antè ad brauium contenditur, postea ad coronam.] Ambrosius et confundit cum palma vnde legit, [Vnus accipit palmam.] Additque: [Hoc exemplo ostendit Apostolus quanta sit vtilitas legis nostræ in qua non vni, sed omnibus promissa est palma.] Cyprianus nunc pro palmâ accipit, nunc pro coronâ. Nam modo ita legis: [Vnus tamen accipit palmam.] Modò ita: [Vnus tamen accipit coronam.] Sed si exteri in suis audiendi certum est, coronas inter certantium præmia principem locum obtinuisse, pugilique victori fuisse in præmium. Inde prouerbium: [Coronare, & tanquam ad athletam accedere.] Palma autem non tam in præmium, quàm in ornamentum tandem superaddita. [Victor, ait idem Pollux, pro præmio auferebat coronam, tum etiam ramum palmæ, aut palmam capiebat.] Fauet Apostolus; cum pro brauio coronam subroget non

Aug. Enarr. in Psal. 57 circ. med.

In similitudine non tam res attendenda quam species.

Tertullian. lib. ad Marty. cap. 4.

Tertullian. l. de Scorp. cap. 6.

Ambrof. l. de Elia & ieiun. c. 21.

Cyprian. l. 3. test. c. 26. & de exhortate 8.

Poll. lib. 3.


palmam: nisi fortè velis, aut palmeam fuisse A coronam: aut cursori brauium propositum, coronam pycti pugili-ue repositam. Sed quicquid velis, planum est hæc omnia corruptibilia esse, ideoque vana & nulla: nostra verò incorruptibilia & æterna.

Tertium denique, quòd illi in incertum tenderent, currerentque: [Ego autem sic curro, non quasi in incertum.] Cum dicit, [Ego.] Non ipse solus est, sed & alios comprehendit, perfectos scilicet, qui idem sapiunt, & eodem currunt animo. Illi nimirum sunt, qui omnibus valedicunt, quæ aut impedire cursum possunt, aut etiam retardare. Qui vni insistunt, prioraque obliuiscentes, & ad anteriora sese extendentes, ad destinatum contendunt. Currunt omnes, & omnes ferè in incertum currunt, dum nesciant aut quo tendendum sit, aut quà contendendum. Errant in primo ethnici, in secundo multi Christiani, dum putant B eo magis tutam esse viam quò magis tritam: cum hîc tritissima quæque via & celeberrima maximè decipiat, peregrinantesque ac currentes aut in auiis aut in incertis relinquat. Scit Christianus quo tendendum scit, nempe ad Christum: sed si nescit, ad ipsum per ipsum contendendum est: ipse enim non solùm veritas & vita est, sed & via ipsa. Currit igitur Christianus in certum ac destinatum, dum eandem viam init, quam & Christus excurrit. Viam non rosis, sed spinis consitam; non deliciis, non diuitiis, sed lacrymis intertextam & angustiis. [Si caput ei tuum debes, ait Tertullianus, tale si potes ei repende, quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, si spinis non potes, quia non floribus potes. Serua Deo rem suam inattaminatam. Ille eam, si volet, coronabit. Immò & vult. Denique inuitat: Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ. Esto & tu fidelis, ad mortem. Decerta & tu bonum agonem, cuius coronam Apostolus repositam sibi meritò confidit. Quid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virgâ Iesse, super quem tota diuini Spiritûs gratia requieuit, florem incorruptum, immarcessibilem, sempiternum.] Hæc via secura est, ambulate in eâ: certate constanter, perseuerate fideliter. [Nunquid athleta, ait Ambrosius, otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, vngitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo iustitiæ. Cibus tuus, cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Spectant te archangeli, & potestates, & dominationes, & illa Angelorum multa militia. Sub tantis spectatoribus erubescere considera quàm dedecorosum sit. Nemo nitidus coronatur: puluerulentum decet victoria. Veni ergo Domine Iesu, exeat corona tua, admitte victores in requiem, victos ad compunctionem. Qui nouit spectare quæ inuisibilia sunt, gaudet vt venias, & omnes liberes. Gaudent athletæ qui possunt dicere: Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terrâ.] Amen.

Errant & qui ignorant quò tendendum & quà contendendum.

Tertul. l. de cor. mil. c. 14. & 15.

Ambrof. li. de Elia & ieiun, cap. 21.



CAPVT DECIMVM.

Epigraphe.

EXemplis prouocat antiquorum, à mensis dæmonum auocat. Caput ergo in duas scindimus sectiones: quarum sit

SECTIO PRIMA.

De exemplis antiquorum,

TEXTVS.

NOlo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt; & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petrâ: petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum benè placitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figurâ

figurâ facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vnâ die viginti tria milia. Neque tentemus Christum sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt: & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.

A

EXEGESIS LITTERALIS.

Exponit vitia, quibus implicati fuerunt Iudæi, & per exempla, ad legitimum reducit pietatis sanctitatisque officium.

[Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam omnes patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, &c.] Dixerat, & ita absoluerat: [Ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.] Quidni expauescam, quidni & contremiscam? Videte patres nostros, Hebræos, seu gentis nostræ progenitores, seu religionis nostræ anteambulones & prodromos: omnes quidem sub nube fuerunt, per diem protegente; & iidem omnes per mare rubrum traducti sunt. [Enumerat, ait Athanas. quantis à Deo fuerunt Iudæi dignati muneribus, ostenditque vti ex his plerique, & si tam multis affecti beneficiis, nil tamen fuerint Deo gratificati. Hæc autem inquit, vt planè demonstret, quemadmodum vt Iudæis, etsi donis sint affecti præcipuis, nil tamen sit visa ea res profuisse: vtpote qui nullum ex se benemerenti Deo munus rependerent. Sic vobis, Corinthij, fides ipsa aut collata in vos spiritalium ministeriorum beneficia, nil haud dubiè sunt profutura, nisi vosipsi diuinâ gratiâ dignos exhibeatis.] Multi ex ipsis reprobati sunt, imò plurimi, licet cucurrerint, licet tanta in transitu & excursu receperint beneficia. [Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.] Baptizati in Moyse. Græcè εἰς τὸν μωσῆν, [In Moysen.] Rore nubis ac maris aspergente, & in Moysen tingente, veluti plebis Hebraïcæ principem, diuinæ voluntatis interpretem. [Fuisse autem, ait ille, sub nube omnes hos inquit, sicut & Propheta testatur, Extendit nubem in protectionem eorum. Et omnes mare transierunt: & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Sunt enim hi Moysi & nubis vmbraculo, & maris traiectu, effecti participes. Nam cum priorem Moysem transeuntem spectassent, fluctibus se commiserunt, cuiusmodi rei tum olim gestæ figura & in nobismet contigit. Baptizati itaque in Moyse sunt, quia illi videlicet, ad figuram baptismatis & duce sunt vsi in maris transgressu.] Porrò in Græco, non est, [Nolo enim.] Sed, [Nolo autem.] Potest ergo & redditio esse causæ, potest & expositio esse historiæ. Est enim species quædam initiationis, quæ sub Moyse præcessit, sed in similitudine, id est, quæ dum illos tangit, nos instruit.

Athanas. in Paul.

Hebræi Moysi per speciem cōsecrationis mancipati.

Athanas. ibid.

[Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt, &c.] De visibilibus beneficijs adhuc loquitur, tam malis quàm bonis communibus: & illa tamen sub spiritalibus complectitur, quia sic beneficia sunt, vt sint etiam mysteria, diuinâ voluntate instituta, diuinâ & virtute edita. Esca enim seu manna, corpus Christi; potus de petrâ, sanguinem Christi repræsentat: & vtrumque, Christum ex parte significat. Sicut ergo Hebræi, etsi communia participarint beneficia, etsi spiritalem manducarint escam, & eandem inter se; etsi & eundem potum biberint, non omnes tamen in terram promissionis admissi sunt, imò plurimi, & omnes ferè sūt exclusi: ita & nos timere debemus, nec salutem tutò ac pro certo nobis promittere: licet eadem omnes participemus mysteria. [Manna & aquam quæ fluxit de petrâ, dicit spiritalia: quia non mundi lege parata sunt, sed Dei virtute, habentia in se figuram futuri mysterij, quod nunc sumimus in commemorationem Christi Domini.] Ita Comment. Ambros. [Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petrâ: petra autem erat Christus, &c.] Ex Græco: [Biberunt enim. Vnde? De petrâ, ἐκ πέτρας. Cur ergo spiritalis? quia potus spiritalis, propter mysticam significationem, seu arcanam repræsentationem: Christus enim per illam petram significatus est, seu, petra illa erat Christi figura. Quomodo verò secuta illa petra? Quia deduxit tanquam flumina aquas, populoque affuit, donec in loco fuerit, in quo reperta tandem fontium seu aquarum copia. [Petra dicitur spiritalis propter effectum miraculosum, & propter futuri signum. Petra ergo erat Christus non per substantiam, sed per significationem.] Ita Aquinas. Bibebant igitur de petrâ illâ mysticâ, quæ Christum repræsentabat: & hauriebant etiam remoti ac dissiti, quia longo aderat spatio, aquis vndicumque diffusis: [Sed non in pluribus eorum benè placitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto, &c.] Aqua, bis

B

C

Beneficia Iudaïca nostra sunt mysteria.

Comment. Ambros.

Aquin. lect. 1.

à Moyse, sitienti populo data est, petrâ baculo percussâ. Semel Exod. 17. Iterum Num. 20. Tangit ergo Apostolus primam percussionem petræ, primamque aquæ fluxionem: dicit enim illos in deserto prostratos, eo quod per incredulitatem & murmurationem displicuerint, diuinamque vindictam ferè omnes incurrerint. [Post mannæ escatilem pluuiam, ait Tertullianus, post petræ aquatilem sequelam desperant de Domino, tridui sitim non sustinendo.]

Tertullian. l. de patiēt. c. 5.

[Hæc autem in figurâ facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, &c.] Ad nos ista: cum sint typi quidem eorum quæ circa nos facienda sunt: exempla enim ista nos admonent ne escas illicitas concupiscamus, aut illegitimas, sicut illi concupierunt, cum non contenti cœlesti cibo, nunc carnes, nunc & pepones petierunt per intemperantiam: nos ergo docent ne per gulam delinquamus: alioquin tanto maior sequetur pœna, quanto culpa grandior reuincetur. [Haud secus, ait Comment. Athanas. Iudæorum tormenta præferunt futurorum figuras, ac in eos collata beneficia prætulere. Arguit ergo hoc loco Corinthios, non modò cruciatum iri, sed acrioribus esse quàm Iudæos pœnis afficiendos: quandoquidem horum facta, nostri figuram expresserint. Nos verò rem ipsam veram, certioremque præferamus. Vtque donorum magnitudine alios ipsi excedimus, sic pœnis maioribus afficiemur, si Deum delinquendo offendimus.] Illic vmbra, hîc veritas: illic pictura, istic corporalitas. [Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, &c.] Cauete ab idololatriâ, seu quacumque falsorum deorum culturâ. Scitis enim populum conflasse vitulum, & illum adorasse epulo ex hostiis pacificis exstructo, tripudioque inter saturos & temulentos excitato. [Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vnâ die viginti tria millia, &c.] Per gulam in lasciuiam prolapsi: mixti sunt enim mulieribus Madianitis, ideoque mœchi ad viginti tria millia, vnâ die, sunt interfecti, principes etiam populi, seu illustres viri Domino iubente suspensi. De idololatriâ Exod. 32. de mœchiâ Num. 25. [Hoc illis retributum est, ait Ambros. quando cum Madianitis mulieribus se commacularunt. Ira enim Dei exttitit contra illos, quæ æmulatione. Phinees sacerdotis habentis zelum Dei sopita est, ne plures morerentur.] Suggillat autem Corinthios Apostolus, indicatque iisdem vitiis obnoxios.

Comment. Athanas.

En maior pœna, quo culpa est grandior.

Ambros. in Paul.

[Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt, &c.] Ne tentemus diffidentes promissis, signisque insistentes. [Per hoc, ait Chrysostomus, rursus aliud crimen tacitè significat, quòd etiam ponit in fine, eos accusans quòd de signis depugnarent, & propter tentationes murmurarent, dicentes: Quando venient bona, quando præmia?] Quoties Deum Hebræi tentauerunt in deserto, maximè verò Num. 21.

Chrysost. orat. 13.

A Inde enim & luerunt, à serpentibus vrentibus extincti. [Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & experierunt ab exterminatore, &c.] Et heic notat Corinthios, qui aduersùs præfectos mussitarent, factionesque suscitarent & scissiones, quetimoniis tam iniustè quam & improuidè conquisitis. Murmurauerunt filij Israel contra Moysen & Aaron Num. 11. & ab angelo exterminati sunt, vastati, perditi. [Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt, &c.] Hæc quæcumque dixi nostrarum erant rerum prænuntia, nobis

B enim admonendis conscripta sunt: nimirum vt nos Christiani, qui in vltima mundi tempora incidimus, alieno sapiamus exemplo. [Nam & reliquum exitum populi decursurus, ait Tertullianus, præmittit, Hæc autem exempla nobis sunt facta. Denique & in clausulâ præfationi respondet: Hæc autem quemadmodum euenerunt illis, scripta sunt ad nos commonendos, in quo fines æuorum decurrerunt.] Tanquam hora mundi nouissima. [Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.] Steterunt illi, & tamen ceciderunt. Attende tibi, & caue. Te existimas stare, ne dicam & inter ceteros eminere: ita sit; sed vide ne cadas, prouide, vt alieno saltem exemplo sapias. [Tenta-

Tertullian. lib. 5. adu. Mar. c. 7.


C tio vos non apprehendat nisi humana, &c.] Ex Græco, εἴληφε, reponi potest præteritum tempus. [Apprehendit.] Ne vobis tantum placeatis, nihilque de vobis præsumatis: huc-vsque enim leuia tantùm & modica passi estis, vt gulæ tentationem, tolerabilem humanæ vexationem concupiscentiæ. Si verò [Apprehendat.] Votum est, aut consilium. [Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.] Si tamen grauiora ingruant, si difficiliora accidant, & humanum modulum excedentia: fidite in Deo, qui non sinet vos tentari supra vires

Humana quæ homini attemperata, & modum eius non exsuperantia.

D vestras, supra facultates vestras; sed faciet vt tentatio felicem exitum habeat, cedatque in prouentum vestrum. Dabit enim vires efficaces ad sustinendum perferendumque: constantiam subministrabit ac perseuerantiam. [Prouentum, inquam, ita vt possitis sustinere: ne deficiatis in luctâ, sed vincatis: quod fit per humilitatem. Illi enim non crepant in fornace, qui non habent ventum superbiæ.] Ita Aquinas ex Augustino. Hic ergo prouentus, euentusue, ἔκβασις, cum res feliciter exit, cum de pugnâ fit victoria.

Aquin. l. 3.

E



DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

MVlta disquirenda essent, nisi nonnulla iam essent digesta, alia autem aliò regerenda. Sed quid, Ludere, & Christum tentare?

DISQVISITIO PRIMA.

Quid ludere?

Exod. c. 32.

LOcus Exodi. [Surgentes manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.] Sed quis ille lusus? An ad mœchiam, an ad idololatriam, an ad lasciuiam reducendus? Vt vis. Ad sensum dico, non ad vsum. Primò ergo de mœchiâ seu impudicitiâ. [Manducauit populus & bibit, & surrexerunt ludere.

Tertul. lib. de ieiun. c. 6

Intellige, inquit Tertullianus, sanctæ scripturæ verecundiam: lusum nisi impudicum non denotasset.] Quid ergo ludere? actum exercere impudicum. Ita Lactantius.

Lact. lib. 1. c. 21.

[Cum dij omnes ad festum matris magnæ conuenissent, epulisque satiati, noctem lusibus ducerent.] Cum diem traherent poculis, noctem impudicitiis. Hæc quippe affinia sunt, & quasi consectanea.

Hieronym. ep. 147.

[Sanctus Apostolus (verba sunt Hieronymi) contra luxuriam disputans, cum dixisset, Escæ ventri & venter escis: Deus autem & hunc & illas destruet: consequenter venit ad fornicationem. Etenim luxuria mater libidinis est: ventremque distentum cibo, & vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium sequitur: atque, vt alibi dictum est, pro membrorum ordine, ordo vitiorum est.] Sedit igitur populus manducare & bibere: [Et surrexerunt ludere.]

Quanta sit scripturæ sanctæ verecundia.

Cur mutatus casus? quia lusus mutatus est: quod enim esus est vni, hoc concubitus est generi? singulatim edunt sedendo, sed concumbendo mixtim conueniunt. Ita res inhonesta honesto designatur verbo, seu voluptuosa res, quia pudibunda, grato quidem, sed ambiguo denotatur spectaculo.

Genes. c. 21.

Ita: [Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium eius.] Agnosce iterum scripturæ diuinæ modestiam: lusum enim nisi impudicum non denotasset. Ancilla est Ægyptia, quæ deos tradit patrios filio suo, & natiuam sapit lasciuiam. [Ancillam hanc.] Sacra Ægyptia fœdis initiata, obligata impudicitijs: ideò à Romanis olim proscripta.

Tertullian. in Apol. c. 6.

[Serapidem, ait Tertullianus, & Isidem, & Harpocratem cum suo cynocephalo, capitolio prohibitos, id est, curiâ deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. non vtique Christiani, euersis etiam aris eorum abdicauerunt, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes. Ita ille: [Lusum it Mecœnas, dormitum ego Virgiliusque.]

Augustin. l. 83 quæst. 61.

De idololatriâ, ludit profectò qui idola colit, imò tam vana ibi quàm ludicra sunt omnia. [Quid, ait Augustinus, lusui puerili tam simile est, quàm idola colere? quando & Apostolus

A ad hoc retulit hoc genus superstitionis, cum ait: Neque idolis seruientes, quemadmodum quidam eorum, sicut scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Pueris ergo similes erant, qui sederunt manducare & bibere, & surrexerunt ludere.] Id est ludicra, & vana artificij humani ludibria tam pueriliter quàm inaniter colere.

Tertull. l. de Scorp. c. 3.

[Aberat apud Deum in monte Moyses (ita loquitur Tertullianus) quum populus tam necessariam absentiam eius impatiens, deos sibi producere quærit, quos potius ipse perdiderit. Vrgetur Aaron, & iubet inaures feminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium Dei voces.

B Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, sugillans illic cor habentes, vbi & thesaurum, apud Ægyptum scilicet inter cetera animalia bouis etiam cuiusdam consecratricem. Itaque tria millia hominum à parentibus proximis cæsa, quia tam proximum parentem Deum offenderant, transgressionis & primordia & merita dedicauerunt.] Nullum ferè verbum non sese exerit, animumque reducit & calamum. Aberat Moyses, sed apud Deum. Absentia tam Deo proxima, quàm & populo necessaria. Non tamen tulit absentiam populus, & erupit in impatientiam. Postulat sibi deos fieri, & non cogitat

C non tam defundi idolum, quam aurum perdi. Inaures in ignem conferuntur, quia aures ad Dei vocem redduntur inutiles.

Vitulus populo insensato exhibitus.

Sapiens ignis, quasi ratione ductus ac mente præditus, effigiẽ vituli illis exhibet, quasi exprobret illic animum habere, vbi posuêre thesaurum: in vitulo scilicet Ægyptio, in idolo insensato, cuius & allia ructabant, & celebrabant solennia. Inde qui pueriliter luserunt, prudenter à parentibus vapularunt: puerilibus ritibus, anilibus detenti superstitionibus, castigati sunt, exterminati sunt.

Seneca in Moral.

Pueri sunt, luduntque [Grandibus pupis:] & illudunt.

D De lasciuiâ, saltabat populus, nec choreas solùm sed & lasciuas personabat cantilenas.

Exod. c. 32.

[Audiens Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit. Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros.] Itaque, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: An ad mœchiam? sed caderent potius quàm surgerent: An ad idololatriam? Sed iam peractum erat iniquitatis impietatisue mysterium. [Fecerunt

E sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.]

Choreæ nõ minùs impudicæ quã superstitiosæ.

Quid ergo? Farti ac madidi surrexerũt ad exercendas choreas tam impias quàm & lasciuas. Nam superstitionem complentes, moremque recolentes, circum vitulum idolum-ve motibus incompositis saltitabant, inconditis mixtim personabant vocibus, & omnia penè simul & libidinis & superstitionis opera consummabant. Sic conueniunt ista, sic & malo coeunt consortio.

Tertul. l. de Scorp. c. 3.

[In Arithmis, ait Tertullianus, quum diuertisset Israël apud Sethim, abeunt libidinatum ad filias Moab, inuitantur

ad idola, vt & spiritu fornicarentur : edunt denique de pollutis eorum, dehinc & adorant deos gentis, & Beelphegor initiantur. Ob hanc quoque idololatriam mœchiæ sororem, viginti tria millia, domesticis obtruncata gladiis diuinæ iræ litauerunt.] Lusit ergo populus saltauitque, sed idololatriâ & impudicitiâ conspurcatus. Eo sensu ille:[Non hic qui in crepidis Græcorum ludere gestit.]

DISQVISITIO SECVNDA.

Quid Christum tentare?

QVidam Hebræi Christum tentauerunt, & ipsum diffidentiâ suâ, ad iustam prouocarunt iracundiam. Ita Augustinus in illa verba Psalmi; [Hodie si vocem eius audieritis:] edisserit : [O plebs mea, ô plebs Dei: Alloquitur plebem suam Deus, non solùm illam plebem suam quam non repellit, sed etiam omnem plebem suam. Loquitur enim in angulo vtrique parieti, id est, in Christo prophetia loquitur & populo Iudæorum, & populo Gentium: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Per præconem locutus est, quando obdurastis corda vestra: per se nunc loquitur, mollescant corda vestra. Qui præcones antè se mittebat, ipse venire dignatus est. Ore suo loquitur, qui loquebatur per ora Prophetarum. Hodie ergo si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Quare dixisti, Nolite obdurare corda vestra? Quia meministis quid soleant facere patres vestri. Nolite obdurare corda vestra. Quemadmodum in illâ amaricatione secundùm diem tentationis in deserto. Recolitis certè fratres, quòd ille populus tentauerit Deum, acceperit disciplinam, & rectus sit in deserto tanquam ab optimo sessore, frenis legum, frenis præceptorum, nec sit desertus tamen à Deo etiam indomitus: non solùm beneficiis præsentibus, sed etiam virgâ emendationis non desistente : Nolite ergo obdurare corda vestra vestra, sicut in amaricatione secundùm diem tentationis in deserto : Vbi tentauerunt me patres vestri. Iam tales non sint patres vestri, nolite eos imitari. Tentauerunt me patres vestri : Probauerunt me, & viderunt opera mea. Quadraginta annis viderunt opera mea, quadraginta annis exacerbauerunt me. Ante illos miracula in manu Moysi faciebam, & ipsi magis magisque corda obdurabant.]

Augustin. Enarrat. in Psal. 94. vlt. med.

Deus per præconem priùs, dein & per se locutus est.

Et his obseruo primò, Patres de quibus Paulus loquitur, carnales fuisse : id est, non tam pietate ac fide, quam gente ac genere. His enim verbis : [Patres nostri.] Iudæos maximè complectitur. Designat ergo patres carnales, non spiritales, id est, non pios ac sanctos, quia negat imitandos. [Patres vestri erant : sed si non imitati fueritis, patres vestri non erunt : tamē quia de his nati estis, patres vestri erant.] Apostolus Hebræus ex Hebræis, & ipsis locutus Hebræis: [Patres nostri:] inquit. Non quidem imitatione, sed generatione. [Si gentes venientes ab extremo terræ, sicut dicit Hieremias : Ad te gentes venient ab extremo ter-

Augustin. ibidem.

A ræ, & dicent: Verè mendacia coluerunt patres nostri, simulacra in quibus non est vtilitas. Si gentes dimiserunt simulacra sua, vt venirent ad Deum Israël, quos ipse Deus Israël de Ægypto per mare rubrum duxit, in quo inimicos eorum consequentes operuit, quos in desertum eduxit, manna pauit, nunquam virgam suam ab eorum disciplinâ tulit, nunquam beneficia misericordiæ substraxit: ipsi debent deserere Deū suum, cū gentes venerint ad Deum ipsorum?] Nota, [Per mare rubrum duxit.] Non.n. traduxit. [Nō enim, (vt notat Aquinas) de vnâ ripâ ad ripam oppositam, sed ad eandē.] Propriè ergo per mare duxit, non traduxit : per sinum enim eduxit in desertum. Itaque

Iudæi per mare rubrū ducti non traducti.

Aquin. lect. 1.

B patres nostri, omnes qui tunc egressi de Ægypto mare transierunt, omnes sub nube fuerunt. Ita Moyses ipse ad Deum. [Audierunt quod nubes tua protegat illos, & in columnâ nubis præcedas eos per diem, & in columnâ ignis per noctem.] Sunt ergo illi, qui fuerunt sub nube protegente & obumbrante : Sed obmurmurantes aduersùs Dominum, Christumque tentantes : ideò, etsi patres Iudæorum, non tamen & Christianorum. [Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis : sicut patres vestri, ait & vos.] Vestri, inquit, non nostri.

Num. c. 14.

Act. cap. 7.

C Obseruo secundò, idem esse, tentare Christum, ac tentare Deum, Dominum ve : tentationis enim peccatum, propriè in Deum committitur, inde & tentari se queritur probarique. [Neque tentemus Christum, sicut quidam eorū tentauerunt.] Quē? [Deum vel Christum : ait Aquinas : tangit enim peccatum diuinæ tentationis.] Nihil interest, Christum dicas an Deum; modò Christum, Deum intelligas. Dixit tamen Paulus, Christum, non Deum, vt scias Christum iam ab initio in angelo repræsentatum. [Si enim putas proprietate, (verba sunt Augustini) non figurâ Christum fuisse angelum, qui luctatus est cum Ia-

Aquin. lect. 1.

D cob: potes dicere, proprietate, non figurâ Christum fuisse arietem, quem Patriarcha immolauit Abraham. Potes postremò dicere, proprietate, non figurâ Christum fuisse petram, quæ percussa ligno, sitienti populo potum largissimum fudit. Sic enim dicit Apostolus : Bibebant enim de spiritali consequente eos petrâ, petra autem erat Christus. Figuræ istæ, non res ipsæ fuerunt, quibus figuris præcedentibus res significabantur esse venturæ : quæ figuræ per subiectam Deo creaturam, & maximè per angelorum ministerium, mortalium exhibebantur aspectibus, Dei quidem agente potentiâ, sed tamen latente naturâ.] Tentatus est Chri-

Augustin. l. 3. cont. Maxim. c. vlt.

E stus, sed quà Deus, per angelum tamen ipse repræsentatus. Ita dictus est angelus. [Quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.] Qui populum scilicet ductabat errantem, sed & murmurantem castigabat. Ita & angelus dictus est Dominus, non naturâ, sed figurâ : non proprietate, sed similitudine. [Vnus est enim Dominus Deus noster, (ait ille) de quo dictum est : Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est. Tunc autem dictum est, quando Dominus solus deducebat eos, & non fuit in eis Deus alienus. Neque enim

Christus ab initio repræsentatus in angelo.

Augustin. ibidem.

non eos deducebat & Christus, cum dicat Apostolus: Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt: quibus Christus non est Deus, aut Christus Deus est alienus.]

Obseruo tertiò, Christum eo modo tentatum quo repræsentatum: nam sicut specialiter singulariterque repræsentatus est, sic & speciatim nominatimque tentatus. Sicut enim vt homo conuersatus in eremo quadraginta diebus tentatus est à diabolo, sic vt Deus quadraginta annis in deserto tentatus est à populo. Tentatus est ille in figurâ, qui tentandus erat in humanâ naturâ: sicut & sociandus in similitudine, qui in veritate cruciandus. [Dic Nabuchodonoror, quid in fornace quò tres viros injustè immiseras, (ita loquitur Augustinus) dic, dic quid tibi fuerit reuelatum? Nonne, inquit, tres viros misimus in fornacem ligatos? Et aiunt ei: Verè rex. Ecce, inquit, ego video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis: & aspectus quarti similis est filio Dei. O alienigena, vnde tibi hoc? Quis tibi annuntiauit filium Dei? Quæ lex, quis propheta annuntiauit tibi filium Dei? Nondum quidem mundo nascitur, & similitudo nascentis à te cognoscitur. Vnde tibi hoc? Quis tibi istud annuntiauit, nisi quia sic te diuinus ignis intus illuminauit, vt cum illic apud te captiui tenerentur inimici Iudæi, sic diceres testimonium filio Dei?] Ita vulgatum apud Iudæos, Dei filium in terris visum fore, & cum hominibus conuersaturum. Quatuor ergo viri in camino ignis, sed facies quarti similis filio Dei. Sic apparebat sub hominis facie, qui naturam hominis assumpturus erat; sed maiestate fulgebat numinis, qui formam non erat deitatis relicturus. Ille igitur semper tentatus, semper de signis pulsatus & prodigiis. [Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.] Id est, nunquam. [Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo tentantes eum. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signū quærit?] Sicut patres vestri, ita & vos, semper querulі, sēper cōtumaces, semper diuinam sollicitātes potentiā. Quid patres vestri? [Et tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis: Et malè locuti sunt de Deo; dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?] Quid & vos iisdem insistitis vestigiis, semper signa petitis ac prodigia, semper de diuinâ diffiditis potentiâ.

Augustin. orat. ad Catech. c. 15.

Dei filius sub hominis specie visus est.

Ioan c. 4.

Marc. c. 8.

Psalm 77.

A B C D E

TROPOLOGIA.

Qui se existimat stare, videat ne cadat.

NOn dicit, qui stat, sed qui se stare existimat. Græcè ὁ δοκῶν ἑστάναι. Quasi τὸ δοκεῖν Non enim in Græco est. [Qui se existimat stare.] Sed, [Qui videtur stare.] Certum est igitur primò tam parùm securitatis esse in homine, quàm infirmitatis plurimùm. Secundò, tentationes adeò atroces ingruere, vt nulla vis humana possit subsistere. Tertiò, diuinam misericordiam electos suos nunquam deserere.

Quoad. 1. Quando Paulus ex tot præcedentibus exemplis, &, vt ita dicam, auditis partibus, solemnem sententiam pronuntiat: [Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat.] Neminem non terret, neminem non admonet. Ceciderunt patres tui, ceciderunt cedri libani quem te ipsum facis? Videris stare, sed videris. [Multos enim, ait Augustinus, à perniciosâ elatione reprimit, quod ait Apostolus: Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.] Quis ille, qui videtur stare? Qui cadenti similis, aut non multum absimilis, qui pronus, & lapsui proximus. Reuera enim & qui stant, in casum inclinant; stantque quasi iam lapsuri. Tanta nos impellunt, ne dicam & abripiunt. [Ad casum, ait Aquinas, impellunt nos primò, debilitas virium, sicut cadunt pueri, decrepiti, infirmi. Secundò, onus peccatorum, sicut cadunt asini sub onere. Tertiò, multitudo trahentium, sicut arbor vel domus multis trahentibus deorsum cadit. Quartò, lubricitas viarum, sicut incauti cadunt in lubrico. Quintò, varietas offendiculorum, sicut auis capta in medio laqueorum. Sextò, ignorantia agendorum, sicut cæci cadunt de facili. Septimò, exemplo cadentium, sicut angeli ad exemplum Luciferi. Octauò, ponderositas corporum: corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, sicut lapis in collo natantis.] Absoluisti! Ecquis absoluere posset, quod nec expediret inchoare? Vndique laquei, vndique scopuli. Imò laqueis remotis ac scopulis, hostibus etiam & insidiatoribus otiantibus, habemus in nobis ipsis vnde cadamus, fouemus vnde & in præcipitium ruamus & exitium. Et inde, vti notauit Prosper. [Meritò non solùm ab incipientibus, verumetiam à prouectissimis sanctis vniformiter Domino supplicatur, & dicitur: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Vniuersis enim qui in fide & dilectione permanent, ab ipso donatur ne in tentatione superentur. Sed quamuis auxilio Dei steterint, tamen in se habebant vndè caderent.] An igitur aliqua securitas, vbi tanta est infirmitas? An aliquis aut de victoriâ præsumit aut perseuerantiâ, vbi tantus superuenit infirmo iam & misero malorum exercitus periculorumque? [An fortè, (loquar ex Leone) insolenter quisquam ita superbit, & ita se illæsum, ita immaculatum esse præsumit, vt nullius iam renouationis indigeat? Fallitur prorsus ita persuasio, & nimiâ vanitate veterascit, quicumque inter tentationes huius vitæ ab omni se vulnere credit immunem. Plena omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mendax officium; vt facilius sit vitare discordem, quàm declinare fallacem. Ideò omnes populi renatorum vtiliter sibi & necessariè præsidium sanctificationis adsumunt. Dicente namque Apostolo: Qui stat, videat ne cadat: nemo est tantâ firmitate suffultus, vt de stabilitate suâ debeat esse securus.]

Augustin. l. de dono perseu. c. 8.

Aquin. lect. 3.

Prosper. l. 2. de Vocat. Gent. cap. 9

Leo. serm. 5. de quad. cit. & vlt. med.

Quantus sit malorum periculorumque exercitus.

Quoad 2. Distinxit Paulus tentationes in leues, & graues : dum enim nonnullas dixit humanas, iudicauit humeris humanis non impares, simulque indicauit alias esse omnibus hominibus intolerabiles. [Bonorum enim quorumdam, (ait Tertullianus) sicut & malorum, intolerabilis magnitudo est : vt ad capienda & præstanda ea : sola gratia diuinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum; nec alius id, quàm qui possidet, dispensat, vt cuique dignatur.] Tota quidem sanctorum vita superno fulta est auxilio, diuinisque contexta præsidiis. Sed sunt nonnulla, in quibus vires sufficiunt communes : alia autem, quasi humanum modulum excedentia, gratiam exigunt extraordinariam. [Suprà modum grauati sumus, suprà virtutem.] Supra vires humanas, supra humanas tentationes, quia nulli homini tolerabiles. [Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.] Iam expensum est, iam & expendendum. [Rectè enim dixit, Qui videtur aut qui existimat se stare. Hoc quippe non est stare, vt stare oportet, sibi ipsi confidere. Nam citò cadit is qui est eiusmodi. Quamobrem etiamsi stes, caueas ne cadas. Hîc enim stare non est firmiter stare, donec fuerimus liberati à fluctibus vitæ præsentis, & ad tranquillum portum nauigauerimus. Ne ergo eo quòd stes efferaris & insolescas, sed caue casum. Nam si timuit Paulus qui erat omnium fortissimus, multò magis nos timere oportet.] Ita Chrysostomus. Sed & [Quoniam, ait, Corinthios satis terruit Apostolus veteribus narratis exemplis, & in animi angorem ac perplexitatem iniecit, dicens, Qui stat, videat ne cadat : eorum rursus tumorem comprimens, Tentatio, inquit, non vos apprehendat nisi humana : hoc est, parua, breuis, moderata : humanum enim dicit de paruo : vt quando dicit : Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Ne ergo efferamini, neque vobis ipsi placeatis tanquam qui tempestatem superaueritis. Nondum enim vidistis periculum quod mortem minatur, neque tentationem quæ cædem intentat.] Vide & Petrum Apostolum. [Quis ambigat, ait Prosper, quis ignoret hanc fortissimam petram, quæ ab illâ principali petrâ communionem & virtutis sumpsit & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur ? Verumtamen ita ineuitabilis erat obluctatio trepidationis, vt vir martyrij auidissimus, adepturus quidem denuntiaretur victoriam passionis, sed non sine tentatione formidinis. Si de vigilando tantùm, non etiam de orando discipulos Dominus admoneret, solas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cum addidit : Et orate, satis docuit superni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Licet enim innumeris sanctis suis donet virtutem perseuerandi vsque in finem diuina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, vt in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se velle & nolle decertet. Quam compugnantiam idem beatissimus Petrus etiam in ipsâ palmarum omnium consummatione perpessus est.]

Tertul. lib. de patient. cap. 1.

2. Cor. c. 1.

Chrysost. orat. 23.

Chrysost orat. 24.

Prosper l. 2. de vocat. Gent. c. 9.

In vigilando liberum arbitrium: in orando, diuinum beneficium.

Quoad 3. Si deficit Petri constantia, misericordia Dei non deficit : imò non diruitur illa, quia ab istâ erigitur. Quamuis enim, ait Leo, ædificium nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit conditoris : tamen quia rationabiles lapides sumus & viua materies, sic nos auctoris nostri exstruxit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest esse bona, deficiat. At si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat : qui ideo dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium, dicente Prophetâ : Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipse te nutriet.] Tentatio vos non apprehendat, nisi leuis, sed si & enormis accidat. [Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis.] Quid ergo ? Aliqui supra id quod possunt, tentati sunt? Ecquid potest homo sine auxilio diuino ? Sed si nostra superbia inde profligatur, aliunde etiam diuina humiles mitesque solatur misericordia. [Quoniam eos terruit, ait Chrysostomus, vide quomodo rursus eos erigit, postquam persuasit vt se modestè gerant. Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Sunt ergo tentationes quæ ferri non possunt. Et quæ sunt hæ ? Omnes, vt semel dicam. Quamobrem vt discas & videas, quòd non solùm illæ quæ nostram superant potestatem, sed neque humanas licet facilè ferre absque diuino auxilio subiunxit : Sed etiam faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Nam ne illas quidem moderatas ac mediocres, propriâ virtute feremus: sed in his quoque eius egemus auxilio, vt eas peruadamus, & priusquam peruadamus, feramus. Ipse enim & dat tolerantiam, & citam affert liberationem, adeò vt hac ratione fit tentatio tolerabilis: hoc enim tacitè significauit Apostolus, dicens, Faciet etiam exitum vt possitis ferre: & omnia ei tribuit.] Equidem nec magnum nec paruum sine illo fieri potest, sine quo nihil omninò fieri potest. Sed si nec modica tentatio sine gratiâ vinci potest, quomodo immodica potest, non dico vinci, sed & ferri? Verùm ille qui suos nouit, concussos non deserit : imò sanctum iustum-ve tentari permittit, vt possit coronari. [Firmum fundamentum Dei stat, ait Prosper, & mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat, prætentâ super omnes veritate & misericordiâ Dei : à quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in iis quos promisit, efficitur. Ipse enim operatur omnia in omnibus. Qui sicut præsciuit antè secula quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus vsa donis, vel specialibus adiuta præsidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ ingressura esset latitudinem erroris & mortis : ita semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per seruitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem perueniret : vt nullo excidente

Leo. serm. 5 de Quad. post init.

Chrysost. orat. 24.

Prosper l. 2 de vocat. Gent. c. 9.

Plenitudo promissorũ est eorum quorum est & beatitudo.

de plenitudine promissorum, qui nec prouectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus, quos elegit ex omnibus.] Quorum est plenitudo promissorum, nisi electorum, quorum & beatitudo est? Ipsi enim sunt filij promissionis, hæreditatis candidati; qui sic petũt, vt obtineant; & si fortè excidunt, certissimè ad scopum redeant præstitutum. [Dum electi proficiunt, ait Gregorius, reprobi ad rabiem furoris excitantur: & bona nascentia quia nolunt imitari, persequuntur. Sed tamen inter hæc etiam qui redemit, non relinquit: scriptum quippe est: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari suprà quàm potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.] Tales confidit Corinthios Apostolus quos & constantes vouit.

Gregor. 18. Moral. c. 7.

ANAGOGIA.

Omnes eandem escam spiritalem manducauerunt.

SI omnia contingebant illis in figurâ, τυπικῶς, seu figuratiuè accipi & intelligi desiderant. Primò igitur de omnibus agemus in genere: secundò, de quibusdam in specie: tertiò, figuram traducemus ad anagogiam.

Quoad 1. Vniuersa lex in tantum spiritalis est, in quantum prophetica; & in eo singularis, quòd tota est ænigmatica. [Si Apostolus spiritalem confirmat legẽ, (verba Tertulliani) vtiq; & propheticam, vtique & figuratam. Debeo enim & hinc constituere Christum in legẽ figuratè prædicatum, quo nec à Iudæis omnibus potuerit agnosci.] Sed & pressius, [Ex labore suo vnumquemque docens viuere oportere, (ait ille) satis exempla præmiserat militum, pastorum, rusticorum; sed diuina illi auctoritas deerat. Legem igitur opponit creatoris ingratis, quam destruebat: sui enim Dei nullam talem habebat. Boui, inquit, terenti, os non obligabis. Et adiicit, Nunquid de bubus pertinet ad Dominum? etiam & de bubus propter homines benignum? Propter nos enim scriptum est, inquit. Ergo & legem allegoricam secundùm nos probauit, & de Euangelio viuentibus patrocinantem. Sed noluit vti legis potestate, quia maluit gratis laborare.] Sed obserua legem, vmbram duntaxat & figuram habuisse futurorum bonorum malorumue non ipsam exhibuisse rerum veritatem. Itaque quantum vmbra cedit corpori, tantum figura subseruit veritati. Si vetatur infrenari os boui trituranti, quanto magis homini prædicanti? Si pœna mortis denuntiatur Iudæo inobedienti, quanto magis rebelli Christiano? [Nam sicut dona, inquit Chrysostomus, figuræ ac typi, ita etiam supplicia typi ac figuræ; & sicut baptisma & mensa describebatur, ita etiam per ea quæ sequuntur describitur, quòd etiam punietur qui hoc dono sunt indigni. Ideò eos monet ac terret, finem sæculorum, dicens, & efficit vt expectent maiora iis quæ facta sunt. Nam quòd pœnas quidem sumus daturi, ex iis, inquit, quæ dicta sunt, manifestum est etiam iis qui non credunt quæ dicuntur de gehennâ. Quod autem grauiores & ex eo quòd plura consecuti sumus beneficia, & ex eo quòd illa sunt figuræ. Nam si in donis est exuperatio, est euidens quòd etiam in supplicio. Propterea & figuras vocauit, & propter nos scripta esse dixit: & finis fecit mentionem, vt consummationem reuocaret in memoriam. Non enim talia tunc erunt supplicia, vt & finem accipiant, & dissoluantur, sed pœna erit æterna. Sicut enim quæ hîc sunt pœnæ, simul cum vitâ præsente dissoluuntur; ita quæ illic sunt, manent perpetuo.] Porrò, vt absoluam ex Augustino. [Dico illorum hominum non tantùm linguam, verumetiam vitam fuisse propheticam: totumque illud regnum, gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cuiusdam, fuisse prophetam. Quocirca, quod ad eos quidem pertinet, qui illic erant eruditi corde in sapientiâ Dei, non solùm in iis quæ dicebant, sed etiam in iis quæ faciebant: quod autem ad ceteros ac simul omnes illius gentis homines, in iis quæ in illis, vel de illis diuinitùs fiebant, prophetia venturi Christi & Ecclesiæ perscrutanda est: Omnia enim illa, sicut dicit Apostolus, figuræ nostræ fuerunt.] Aut enim Christum respiciunt, aut erudiunt Christianum.

Tertul. lib. 5. aduers. Mar. c. 13.

Tertul eodem lib. c. 7.

Chrysost. orat 23.

In fine grauē supplicium restat, quia terribile instat iudiciũ.

August. lib. 22. cont Faust. cap. 24.

Quoad 2. En petra, en & manna: inde potus, inde cibus: sed vterque allegoricus ac mysticus. [Quomodo enim, ait Chrysostomus, tu comedis corpus Domini, sic illi manna: & quomodo tu bibis sanguinem, sic illi aquam de petrâ. Nam & si sensibilia erant quæ fiebant, præbebantur tamen spiritualiter, non ex naturæ consequentiâ, sed ex doni gratiâ; & cum corpore animam quoque nutriebant, ad fidem inducentia. Propterea de nutrimento quidem nihil dixit, erat enim mutatum, non modo solùm, sed etiam naturâ, erat enim manna: sed de potu, quoniam solus modus eius suppeditationis erat admirabilis, & præter opinionem & opus habebat confirmatione. Quamobrem cum dixisset, Eundem potum spiritalem biberunt, subiunxit, Bibebant enim ex spiritali consequente petrâ: & addidit, Petra autem erat Christus. Non enim petræ natura, inquit, emittebat aquam: sed alia quædam spiritalis petra totum operabatur, nempe Christus qui est vbique præsens, & omnia facit mirabilia. Propterea enim dixit, Sequente. Qui enim illi illa præbuit, inquit, is hanc quoque mensam construxit. Illis manna & aquam, & tibi corpus præbuit & sanguinem.] Hæc nimirum subsequuntur, dum indiuiduò connectuntur symbolo, proteguntur vmbraculo. Vnde Tertullianus tradit conuincitque Marcionem, tam euidentem ac certam, tamque mirabilem sed necessariam sequelam non aduertentem. [Ecce, inquit, & in petram offendit cæcus Marcion, de quâ bibebant in solitudine patres nostri. Si enim petra illa Christus fuit, vtique Creatoris, cuius & populus. Cuius rei figuram extranei sacramenti interpretatur? An vt hoc ipsum doceret, figurata fuisse vetera in Christum ex illis recensendum. Nam & reliquum exitum populi decursurus, præmittit, Hæc autem exempla nobis sunt facta.] Itaque sicut populi transitus, typus fuit baptismi, sic & potus & cibus, vmbræ ac figuræ facti con-

Chrysost. orat. 23.

Tertul. l. 5. adu. Marc. cap. 7.

uinij: omnia mysterijs grauidos, gratijsque refertos. [Has figuras, ait, nostras fuisse Apostolus dixit, cui nemo fidelis vnquam contradixit. Et cum multa enumeraret, vnam rem solam soluit, quia dixit: Petra autem erat Christus. Soluendo vnum aliquid, cetera proposuit inquirenda: sed ne recedens à Christo inquisitor erraret, vt firmus quærat, in petrâ fundator, petra, inquit, erat Christus. Dixit illas figuras nostras fuisse, & obscura erant omnia. Quis euolueret inuolucra istarum figurarum? Quis aperiret? Quis discutere auderet? In quibusdam quasi, dumetis densissimis, & crassâ vmbrâ lumen accendit: Petra, inquit, erat Christus. Iam ergo lumine illato, quærimus quid cetera significent, quid sibi velint, mare, nubes, manna. Hæc enim non exposuit, sed petra quid esset ostendit. Per mare transitus, baptismus est. Manna de cœlo apertè ab ipso Domino exponitur. Patres vestri manducauerunt, inquit, manna in eremo, & mortui sunt. De cœlo certè manna veniebat, attende quem figurabat: Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cœlo descendi. Sicut studiosi & benè vigilantes verba Dominica attendite, vt proficiatis, & lugere & audire noueritis.] Ita Augustinus.

Augustin. l. 50 Hom. 27 cap. 1.

Mare rubrũ, baptismus, Domini sãguine consecratus.

Quoad 3. Figuram illi habuerunt, non vitam; ideò & mortui sunt, quia figuram carnaliter acceperunt, & in petram, id est, in Christum ipsum infeliciter impingentes, non peruenerunt ad intelligentiam. [In illo, ait Augustinus, scala à terra vsque ad cœlum, à carne vsque ad spiritum: quia in illo carnales proficiendo velut ascendendo spiritales fiunt, ad quos lacte nutriendos, etiam ipsi spiritales descendunt, quodammodo, cum eis non possunt loqui, quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Sic & ascenditur & descenditur super filium hominis: filius enim hominis sursum in capite nostro, quod est ipse Saluator: & filius hominis deorsum in corpore suo quod est Ecclesia. Ad ipsum ergo ascenditur, vt in excelsis intelligatur: & ad ipsum descenditur, vt in membris suis paruulis nutriatur.] A carne igitur ad spiritum, à specie ad intellectum. [Ducitur populus per desertum, ait ille: baptizati

Augustin. l. 12 cont. Faust. c. 26.


Augustin. eod. l. c. 30.

A omnes nondum perfruentes promissâ patriâ; sed quod non vident, sperando, & per patientiam expectando, tanquam in deserto sunt.] Ibi manna absconditum, & nomen nouum: idcircò & quod nemo nouit, nisi qui accipit. Qui enim proficiunt, qui ascendunt, gustum accipiunt, alijs incognitum; imò & sensum percipiunt, tam mirũ aliis, quàm & inauditum. Illustrantur enim excellentiùs in illâ cordis solitudine, inflammantur ardentiùs in illâ mentis celsitudine, quæ & virtutem diuinarum aperit scripturarum, & saporem beatarum aspergit animarum. [Cor illustrat profundius ac latens lumen, ait Macarius, ita vt totus homo absorptus ab illâ suauitate & contemplatione, B perueniat ad perfectum gradum.] Sic nimirum proficit per mysticam scalam, & ad certam diuinæ peruadit intelligentiam sapientiæ. Nihil præter saporem vel odorem in manna, sed omnem continebat saporem, etsi tanquam cibus apparebat leuissimus. Cibus erat & medicina; & quod mirum est, cum medicina vel ipso nomine sit ingrata, tamen & nauseam auertebat parando, & gustando gratiam sapiebat. Verùm sicut panis ille cœlestis datus non est, nisi absumptis Ægyptiacæ paraturæ edulliis: ita non infunditur sapida illa scientia, nisi cum anima ab omnibus mundi oblectamentis, omnibus sæculi illecebris auertitur. [Renuat, ait Bernardus, consolari anima tua C in aliis, si vis in Dei memoriâ delectari. Cum esuris, currere suadet ad panem. At tu potius audi dicentem: Non in solo pane viuit homo. Cur enim tantâ varietate distraheris, vt modò cibum, modò potum, nisi pro solâ corporis sustentatione requiras, qui in vno, id est, in verbo Dei potes hæc omnia inuenire? Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem: & requies est vera & sincera, suauis & salubris, iucunda & sancta. Hæc promissio est vitæ præsentis: nam promissionem futuræ quis explicet? Si expectatio iustorum tanta lætitia, vt omne quod desideratur in sæculo non valeat ei comparari: ipsum quod expectatur, quid erit? oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.]

Macarius Hom. 8.

Bern. ser. 4. in Psal. Qui habitat.


In manna quisque sapiebat quod volebat.



SECTIO SECVNDA.

DE MENSIS DÆMONVM.

TEXTVS.



PRopter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum culturâ: Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus. Videte

Israël

Iſraël ſecundùm carnem : nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum ſit aliquid? aut quòd idolum, ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum : non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum : non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam Domini eſt terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam: conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alienâ conſcientiâ? Si ego cum gratiâ participo, quid blaſphemor pro eo quòd gratias ago? Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quòd multis, vt ſalui fiant.

EXEGESIS LITTERALIS.

ADmonet, quin & iubet, vt menſam fugiant dæmoniorum, omnia faciant ad Dei gloriam, nemini etiam infideli ſcandalum ponant ſeu offendiculum.

[Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum culturâ, &c.] Dixerat : [Neque idololatræ efficiamini.] Et id quidem inculcandum, tanquam præcipuum. [Propter quod.] Non ſolùm declinate, ſed & [Fugite ab idolorum culturâ.] Ita priùs : [Fugite fornicationem.] Nempe & cautelam & diligentiam peccato imperat vitando : non ſolùm ab occaſionibus recedendo, ſed & omnibus attendendo conditionibus. [Propterea, inquit Tertullianus, Apoſtolus inclamat. Fugite idololatriam: omnem vtique & totam. Recogita ſyluam, & quantæ latitant ſpinæ. Nihil dandum idolo, ſi nec ſumendum ab idolo. Si in idolio recumbere alienum eſt à fide, quid in idoli habitu videri? quæ communio Chriſto & Beliæ? Et ideò, Fugite. Longum enim diuortium mandat ab idololatriâ, in nullo proximè agendum.] Cauete prudenter, ſapienter attendito. [Vt prudentibus loquor, vos ipſi iudicate quod dico, &c.] Quod dico, ſcientibus dico & intelligentibus, qui facilè & capere poſſunt ac diſcernere quod propono ; qui & doctores eſſe quærunt, imò & iudices. Nam, vt notat Athanaſ. [Cur crimen in hos grauius conieciſſet, idolorum cultum appellans, quæ hi factitarent, lenit breue id dictum & mitigat, ſonteſque hos ipſos & noxios conſtituit iudices ; quod ſanè propriis verbis, vt certis & veris fidenter affirmat, perinde ac ſi inquiat, Nil aliorum ope indigeo, qui eâ de re ſententiam ferant, quin potius velim voſipſi vt ſapientes iudicetis.] Nunc arguit, nunc & demulcet, caſtigat, ſed & ſolatur ; admonet, præcipit, inſtat, & omnia tam ex congruo operatur quàm ex officio.

Tertullian. l. decor milit. c. 10.

B

Fugere eſt cautelam adhibere ac diligentiã.

C

Athanaſ. in Paul.

[Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? &c.] Redit ad cauſam capite iam octauo expoſitam: ſed noua ſubinde argumenta congerit : vnum ex myſterio Chriſtianorum, alterum ex Iudæorum ſacrificio. Primum, calicis, & panis eſt; ſanguinis & corporis. Præit tamen ſanguis non ſumptionis ordine, ſed ratione diſpoſitionis. Prius enim Apoſtolus calici ſeu ſanguini ſuum diſtribuit myſterium, dein corpori, vt ampliori inſiſtit ſignificationi. Admonui, & dixi: [Videte ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.] Nunc cauſam reſumo ; ſermone intercurrente abruptam. Vos ipſi maiores & ſapientiores iudicate quod dico. Idolothyta paſſim non tangitis tantùm, ſed & editis : ſicque fugitis ab idolorum culturâ, ne dicam & dæmoniorum? Nonne vſum reſpicitis apud nos frequentatum Chriſtianos : calicis ſcilicet benedictionis, quem delibamus, & de quo omnes participamus Chriſti ſanguinem? [Eſt ergo ſua ratio talis. (ait Aquinas) Sicut participans calicem Domini fit vnum cum eo, ſic participans calicem dæmoniorum fit vnum cum eis : ſed dæmoniorum vnitas eſt maximè fugienda, ergo & participatio idolothytorũ in eorum veneratione. Et ideo fugite ab idolorum culturâ.] Illic benedictio eſt, iſtic maledictio : illic ſancta ac diuina ſocietas, iſtic ſacrilega & impia : nec tam ſocietas dicenda, quàm fugienda infœlicitas. [Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?] Et panis ille quem frangimus in myſteriis, dum communicantibus ſeu participan-

Aquin. l. 4.

Qui edit corpus Chriſti, vnum fit cum ipſo.

tibus distribuimus, nonne corpus Christi Domini est, quod vnum & idem fideles omnes sumimus edimusque? [Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus, &c.] Probat quod dixerat: Nos enim qui de vno pane mystico, seu de vno corpore, de vno mysterio communicamus, vnus etiam panis, vnum corpus sumus, licet plures, licet omnes. [Panis quem frangimus: id est, sumptio panis fracti in altari: Nonne participatio corporis Domini est? Faciens nos vnum cum Christo? quia sub specie panis sumitur corpus Christi. Deinde cum dicit, Quoniam vnus panis: ostendit quòd omnes sumus vnum in corpore eius mystico. Vbi proponit vnitatem, tangitque duplicem: primam incorporationis, quâ in Christum transformamur, cum dicit, Vnus panis. Aliam vitæ & sensus, quam à Christo capite accipimus, cum addit, Et vnum corpus. Cum participamus dignâ participatione: scilicet spirituali, non tantùm sacramentali.] Ita Aquinas.

Aquin. ead. lect.

[Videte Israël secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris, &c?] En secundum argumentum. Videte populum Israëliticum, sed secundùm carnem ex Israële progenitum: nonne qui de hostiis edunt immolatis, participes sunt & oblati consortes sacrificij? Sunt planè. Ita & qui de idolothytis edunt, impij consortes sunt sacrilegij. [A crassioribus, inquit, exemplis erudimini: intelligentes, quod per vos geritur, idolorum præfert commercium. [Secundùm autem carnem Israël dixit, vt arguat secundùm spiritum & ipsos constare.] Ita Comment. Athanas. [Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo, &c.] Dicetis, idolum nihil esse, & idcircò illlud quòd idolis est immolatum, nihil esse: quod autem nihil est, non potest inurere maculam, aut conscientiam polluere. Quis negat? Sed quis ignorat dijs à Gentibus immolari, non Deo; ideoque dæmonijs, non Domino: qui autem de sacris participat, ijs quorum illa sunt sacra, sese consociat. Hoc ergo est quod dico, hoc quod prædico. [Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.] Dæmones sacrificiis gentilium interueniunt, gentiles sacrificiis intersunt dæmonum: inde ergo dæmones inter & gentiles societas nectitur: at vos immolata, seu idolothyta participatis, ergo inter vos & illos contrahitur eadem communitas: & eo indignior, eo difformior, quod ethnicos palàm est ignorare quod colunt; ideoque culpandos, quidem, sed miserandos: vos scitis & canitis, omnes deos gentium esse dæmonia, & eorum nihilominùs immolatitia comeditis. Nolo sic fieri, nolo vos dæmonum, dum gentilium, infidelium-ve, socios effici. [Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.] In quo vos dixi socios κοινωνοὺς, communicatores, seu communicantes participantesque: in eo quod editis & bibitis de sacris: nam id agendo, id est vescendo, conuenitis cum ethnicis, imò aliquo tandem modo, licet improspectu potius quàm affectu, consentitis dæmoniis. Quid igitur vobis iam cum Christo, si initum cum diabolo eius æmulo consortium? Non potestis Christi calicem, & calicẽ delibare dæmoniorum, non potestis Christi mensæ dæmoniorum accumbere. [An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? &c.] An ergo ad iracundiam & zelotypiam concitamus Dominum, παραζηλοῦμεν, an illum prouocamus ad pugnam, quasi lacessentes, & beneuolentiam eius spernentes aut potentiam? [Vix fit, ait Ambros. vt humilis zeletur potentem: sed aut æquali inuidetur, aut propè æquali. Zelo tamen Satanas idololatriam inuenit, vt homines negando Deum Dominum, idolis seruiant quasi diis & dominis.] Inde igitur riualis qui & hostis. Inde & maximè irritatur Deus, cum aduersarius adoratur.

Comment. Athanas.

Inter Deum & diabolum hostilitas tanta, quanta corriualitas.

Ambros. in Paul.

[Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, &c.] Sed dices, si nihil est idolum, nihil idolothytum, non est prohibitum; si non est prohibitum, permissum est. Ita sit. Sed quanta sunt quæ licita sunt, nec tamen expediunt? Nec omnia sanè quæ licent, salutem promouent, pietatem-ve: imò impediunt nonnunquam & destruunt. [Omnia dicit licere, ait ille, secundùm legem naturæ, omnia enim munda sunt. De escis enim agebatur, & carne, idolis immolatâ. Licet ergo omnia edere, sed quod idolis immolatur, non ædificat, quia scandalum facit fratri. Ideoque à licitis aliquando temperandum est, vt prosit.] Sic & Paulus ipse accipere noluit, quod sciuit licere quidem, sed non expedire. [Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, &c.] Si charitatem habetis, vt & habere debetis, non quæretis quæ vestra sunt, sed quæ aliorum tanquam proximorum, & studia omnia non in vestram, sed in publicam vtilitatem conferetis. [Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo eius, &c.] Quicquid vanum exponitur in publico, emere potestis & edere, non discutientes, nec inquirentes, an illud immolatum sit. Scientiam enim habetis, & tenetis idolothytum maculare per se non posse conscientiam. Potestis, inquam, edere quod lubet, si lubet emere; Domini enim terra est, non diaboli: ideò bona omnia & munda: & si salubria sunt, non sunt reiicienda. [Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam, &c.] Non solùm quod in foro exponitur, sed & quod in alieno apponitur conuiuio. Si quis igitur infidelium vos inuitat, & placet ire dum decet indulgere: licet vtique vobis absque scrupulo edere, nihil enim vetat amico conuiuere. [Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius, &c.] Si quis autem vobis renuntiauerit, Ecce hoc

Ambros. ibidem.

Omnia in vtilitatem & salutem conferenda.

idolothytum est: nolite manducare, abstinete, rationem habentes illius qui renuntiauit, & eius cuius conscientiæ minus instructa est, infirmitatem sustinentes. [Vides, ait Chrysostomus, quemadmodum & iubet comedere & quando oportet abstinere? Neque enim tanquam à vim habentibus, sed tanquam ab abominandis iubet abstinere.]

Chrysost. orat. 25.

[Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alienâ conscientiâ? &c.] Conscientiam alterius dixi, non tuam: tibi enim licitum est ac liberum edere per conscientiam tuam, sed propter conscientiam alterius factum est illicitum. Cur enim id committam etsi liberum, cur id edam etsi per se licitum, quod alius, infirmus nimirum, damnet & improbet? [Si ego cum gratiâ participo, quid blasphemor pro eo quòd gratias ago? &c.] Si ego comedo cum gratiarũ actione, cur ob id ipsum maledicor pro quo gratias ago? Non id feram: ideoque non edam si aliquis euertitur, aut etiam obloquitur: quanquam alioqui delibaturus cum licentiâ, imò & ex gratiâ participaturus. [Si ego gratiæ Dei communico, quia in ipsius nomine edo: quid opus est arbitrari hoc aliquem quia ego idolo deuotus sum, dum non horreo quæ oblata sunt idolo? Hoc est, blasphemor.] Ita Comment. Ambros. [Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite, &c.] Quid facitis, idolo communicantes, cum aliorum, imò fratrum manducantes scandalo? An id ad gloriam Dei, & non potius iniuriam? Et tamen quicquid facitis, in gloriam eius referre debetis: ideoque malè agitis & inconsultè, si cui tandem offensam facitis. [Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærere quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.] Vult Christianos Chisti sui socios, nulli noxios, cuiuis proficuos; nec domesticis tantùm, sed & extraneis. Tales vos præbetis, sic cauete vt nulli scandalo sitis aut offendiculo: non dico fideli tantùm, sed & infideli, seu Iudæus sit, seu etiam ethnicus. Quod autem inculco verbis, exemplis confirmo. Tantum enim abest, vt offendam aliquos, quin & omnibus, meipsum quantum licet ac decet, per omnia attempero. Non enim quæro vtilitatem meam, sed publicam, seu communem omnium salutem. Sic enim placeo, nec multos lucrifaciam, imò Deo & Christo acquiram. [Nec superbè id dictum existimes, ait Athanas. sed ad se imitandum magis hortari.]

Comment. Ambros.

Christiani debent esse vbique innoxij.

Athanas. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

TRactus iste & mysteriis grauidus est, & sententiis. Vbi autem grandiora sunt mysteria, ibi & maiores difficultates. Inde igitur sit.

DISQVISITIO PRIMA.

Quid calix benedictionis?

INsinuat Paulus, imò & explicat. Cum enim ait: [Calix benedictionis, cui benedicimus.] Ostendit, ideò dici calicem benedictionis, quia benedicitur, seu oratio super eo funditur. [Quid dicis, ô beate Paule? (verba sunt Chrysostomi) Volens auditori pudorem suffundere, & reuerendorum mentionem faciens mysteriorum, benedictionis calicem vocas illum terribilem & maximè formidandum calicem? Certè, inquit. Non est enim paruum quod dictum est. Nam quando dico benedictionem, explico omnem thesaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuoco. Nam nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcunque sumus adepti, ita ipsum offerimus & communicamus, gratias agentes quòd ab errore liberarit hominum genus. Quomodo ergo non contraria, inquit, facitis, ô Corinthij, Deo quidem benedicentes quòd vos liberarit ab idolis, rursus autem ad illorum mensas currentes?] Hic est ergo calix benedictionis; cui nimirum benedicimus: seu, vt ex Græco legit vertit-ue Ambros. [Calix benedictionis, quem benedicimus.] Non enim poculo insistit benedictio, sed ad Deum ipsum ascendit, & in ipsum desinit: non enim tam poculo benedicimus, quàm Domino: [Quòd cum longè essemus propè effecerit: quòd cum spem non haberemus, suos fratres effecerit & cohæredes. Pro his ergo & quæcumque sunt huiusmodi gratias agentes, ita accedimus.] Hucusque Chrysostomus.

Chrysost. orat. 24.

De quibus Deus sit à nobis benedicendus.

Chrysost. ibidem.

Verùm cum Apostolus tradat quod accepit à Domino, referatque quod à Matthæo scriptum, rescriptum à Marco vtriusque testimonium coniungendum est, vt in ore duorum vel trium sit omne verbum. Sic ergo Matthæus. [Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.] Marcus verò: [Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite hoc est corpus meum: Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.] Ex quibus aduertis primò, non minus panem benedici quàm calicem: ideoque tam dici posse à Paulo: [Panis benedictionis quem benedicimus: Quam, [Calix benedictionis quem benedicimus.] Aduertis secundò, aliud esse benedictionem, aliud gratiarum actionem. Paulus quidem benedictionis in calice meminit, non gratiarum actionis: Matthæus necnon & Marcus in pane benedictionis meminit, non gratiarum actionis. Scimus ex Apostolo be-

Matth. c. 26.

Matth. c. 14.

Quod præteritum ab vno, supplendum ab altero.

nedictionem factam in calice, scimus ex Matthæo & Marco gratiarum actionem factam in calice. Vtrumque igitur peractum: & Christus gratias agens, benedixit vtrumque; sed gratias agit Deo Patri, poculo autem benedixit seu calici. Aduertis tertiò tam benedictionem quàm gratiarum actionem præcessisse illa verba. [Hoc est corpus meum.] Et ista: [Hic est sanguis meus.] Ideoque corporis & sanguinis exhibitionem, imò & confectionem consecrationem-ve. Si enim per vltima illa verba, substantia panis conuersa est in substantiam corporis, & substantia vini in substantiam sanguinis: nulla adhuc conuersio erat, quando facta est benedictio.

Augustin. epist. 59. quæst. 5. in med.

Concludendum igitur primò, benedictionem, præparationem esse ad consecrationem: sicut enim consecratum distribuitur mysterium, sic & consecrandum benedicitur. [Omnis, ait Augustinus, vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensâ, incipiat benedici: orationes, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.] Concludendum secundò, benedictionem illam fuisse orationem super panem fusam vel calicem: Deum ipsum orauit Christus, orat & Christi in altari vicarius, & diuinam super creaturam inuocauit ille, & iste inuocat munificentiam.

Iustin. Apolog. 2. vers. finem.

[Ei, ait Iustinus, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini. Quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum vniuersarum Patri, per nomen Filij & Spiritûs sancti offert, & Eucharistiam pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exsequitur.] Concludendum tertiò, in calice sanguinem esse Domini: idcirco enim præparatur, idcirco diuina inuocatur munificentia, vt sanctificetur creatura, & in aliud transmutetur.

Irenæus lib. 5. aduers. hæres. cap. 2.

[Quando & mixtus calix, ait Irenæus, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.] Inde ergo Paulus: [Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne cõmunicatio sanguinis Christi est?] Eius enim quod non est participatio nulla est, nulla communicatio.

Chrysost. orat. 24.

[Valdè fideliter dixit & terribiliter (verba Chrysostomi.) Hoc est autem quod dicit: Id quod est in calice, est id quod fluxit è latere, & illius sumus participes. Et in veteri quidem testamento, quoniam affecti erant imperfectiùs, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse sustinuit suscipere, vt ab illis abduceret: quod ipsum quoque erat amoris ineffabilis. Hîc autem, in eo quod est longè horribilius & magnificentius, sacram constituit operationem; vt qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum, seipsum iussit offerri.]

Toleratum potius sacrificium in Iudæis quã optatum.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quid mensa Domini?

Chrysost. Hom. 60. ad pop. Antioch.

MEnsa Christi, nedum Christiana; mensa Domini, regia, diuina. [Hæc est illa mensa, ait Chrysostomus, & minus nihil ha- A bet. Non enim illam Christus, hanc autem homo perficit: verum & hanc ipse quoque.] Cum autem dico, mensam Christi, nedum Christianam, non solùm volo eandem esse ratione singularis mysterij, sed & vnam ratione communis commercij. [Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?] Græcè κοινωνία [communicatio.] Vnde Chrysostomus:

Chrysost. orat. 24.

[Cur, inquit, non dixit participatio? Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare coniunctionem. Non solùm enim communicamus eo quòd sumus participes & sumimus, sed etiam eo quod vnia- B mur. Quia verò dixit, Communicatio corporis: id autem quod communicat, est alterum ab eo cui communicat, hanc quoque quæ parua esse videbatur differentiam sustulit. Nam cum dixisset, communicatio corporis, quæsiuit rursus dicere aliquid propius. Et ideò subiunxit, Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus. Quid enim, inquit, dico communicationem? Sumus ipsum illud corpus. Quid est enim panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui sumunt? Corpus Christi: non corpora multa, sed vnum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est vnitus, vt nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia C propter coniunctionem, ita etiam inter nos, & Christo coniungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes. Et ideò subiunxit, Omnes enim ex eodem pane participamus.]

Communicatio, communis est multorum vnio.

Duplex vnio seu vnitas in isto conuiuio: prima est, Christiani cum Christo; altera, Christi cum symbolo. Ipse enim cibus est in sacramento, sed spiritalis: est enim cibus non ventris, sed mentis: tamen cum totum sanet hominem; imò cibus sit totius hominis, creaturæ scilicet non solùm spiritalis, sed etiam corporeæ: ideò cibus ille tanquam spiritus infusus D est elemento seu symbolo tanquam integumento, sicque illi vnitus, tanquam animus corpori; vt quamuis vim omnem dignitatemque conferat elemento, ab illo tamen & nomen trahat & sortem. Ita Paulus: [Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?] Quot verba, tot mysteria. Panis est, & tamen corpus Christi est: quomodo enim participatur, nisi dum manducatur? atqui manducatur illud quod verè cibus est, ergo manducatur caro seu corpus Christi, dum participantibus seu communicantibus ministratur.

Ioan. cap. 6. Quis panis mysticus, sanctus & rationalis.

[Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est E potus.] Sicut ergo id quod est in calice benedicto, sanguis Christi est; ita quod est ex pane fracto, corpus est Christi: Duplex quippe fractio potest intelligi, vna antè consecrationem, & tunc nudus panis est, elementaris scilicet materialis-ve: altera post consecrationem, & tunc panis est mysticus seu spiritalis sacramentalis-ve, &, vt Ambrosius dixit: [Panis sanctus, rationabilis.] Vt enim ille resoluit. [Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quòd iam corpus est Christi.] Ita igitur, [Panis quem frangimus.] Id est, vt exponit Aquinas: [Sumptio panis fracti in altari: Nonne participatio corporis Do-

Ambros. li. 4. de Sacrament. c. 4. vide 5. & 6.

Aquin. lect. 4.

mini est? Faciens nos vnum cum Christo: quia sub specie panis sumitur corpus Christi.] Et quidem si intelligatur de fractione ante consecrationem, sic capiatur. [Panis quem frangimus.] Sicut, [Calix quem benedicimus.] Sicut enim benedictio illa calicis, sic & fractio panis, ad consecrationem præparatio est: istic tamen tam participatio corporis est, quam & illic communicatio sanguinis: quia quod præparatione inchoatur, consummatur consecratione. Sicut ergo quod benedictum est in calice, per consecrationem sanguis est Christi; sic & quod fractum est ex pane, post mutationem corpus est Christi.

Porrò meliùs & commodiùs intelligetur de fractione post consecrationem: sed cum ea triplex sit, vna ministerialis, secunda ritualis, tertia vsualis: de primâ verius capietur, quàm de secundâ & vltimâ. Vsualis est, quam ipsi fideles faciebant inter se priuatim, [Accepto, vt loquitur Tertullianus, corpore Domini, & reseruato.] Tunc enim frangebant panem κατ' οἶκον, [Per singulas domos:] cum sibi, aut suis diuidebant, partem tollentes, & communicationem facientes: [Perseuerantes in communicatione & fractione panis.] Ritualis est quam exercet sacerdos in altari, dum commiscet corpus sanguini. Sed in primâ sistendum est, quæ ministerialis est, id est, per ministros facta, & in alios distributa. [Eucharistiæ sacramentum, ait Tertullianus, & in tempore victûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus; nec de aliorum manu quàm de præsidentium sumimus.] Præsidebant mysterio, sed Christo ministrabant; [Nos, ait Chrysostomus, ministrorum tenemus locum: qui verò sanctificat ea & immutat, ipse est.] Itaque sicut benedicebant altaris rectores præsides-ve plebis, ita & frangebant, id est post confectionem consecrationem-ve adstantibus distribuebant seu participantibus. [Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?] Cur panis? Non solùm iam quia ex pane, sed quia & in panis specie, cum quâ vnum constituit, & in quâ integrum absoluit mysterium: eo ferè modo quo conspirant corpus, anima, & toti homini sua communicant idiomata. [Si enim incorporeus esses, ait ille, nuda & incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. Quot sunt qui dicunt: Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas.] Tam verè tangitur, quàm verè editur: quis enim edit quod non tangit? Sed aliud est tangere in specie, & aliud tangere sub specie: reipsa tangitur, sicut & editur, non in specie: sub ipsâ tamen specie: sicut & anima ipsa suo corpore cernitur.

Tertull. l. de orat. c. vlt.

Act. cap. 2.

Tertullian. l. de coron. mil. c. 3.

Chrysost. Homil. 6. ad pop. Antioch.

Chrysost. ibidem.

Christus sub specie vt animus sub corpore.

Vim nutriendi animam habet ex seipso, & ideo dicitur, [Panis rationalis.] Nihil enim nutrire potest spiritum, nisi quod spiritale est: nihil animam fulcire rationalem, nisi quod rationale est. Diuisionem habet ex symbolo, vnde & fractionem pati dicitur. [Hoc enim licet videre fieri in Eucharistiâ: (verba sunt Chrysostomi) in cruce autem non itidem, sed vti-

Chrysost. orat. 24

A que ei contrarium. Os enim, inquit, eius non conteretur. Sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi vt omnes impleat.] Diuidendo scilicet, distribuendoque. Hæc ergo vnio Christi cum symbolo, sed nec minùs singularis, nec minùs mirabilis vnio Christiani cum Christo: hoc enim illud est, quod Chrysostomus vocat, [Mysteriorum miraculum.] Nam, [Vnum corpus efficimur: membra, inquit, ex carne eius, & ex ossibus eius. Vt enim non tantùm per charitatem hoc fiamus, verùm etiam ipsâ re, in illam misceamur carnem: (hoc namque

Chrysost. Hom. 61. ad pop. Anthiochen.

B per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet) propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid simus tanquam corpus capiti coaptatum.] Primam vnionem attigit Paulus, cum ait, [Panis quem frangimus.] Sed mox ad secundam transit, cum addit: [Nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.] Cur omnes, fideles nimirum, etsi multi sumus, licet innumeri, vnus panis; & vnum corpus sumus? Quia omnes de vno pane participamus, & de vno corpore. Ita ex Græco: [Omnes enim de vno

C pane participamus.] Quonam? Rationali scilicet ac spiritali, qui & symbolum vnitatis est, & vinculum charitatis.

Igitur illa dicitur mensa Domini, seu mensa Christi, quia Christus Dominus in eâ tanquam rationalis seu spiritualis panis, & tamen sub specie diuiduus fractus-ve apponitur sumendus & edendus. Inde illa communis vnitas, inde illa singularis societas, quæ contrahitur inter animam & Christum, contiuum & conuiuium. Porrò non aliud est mensa Domini, quàm [Ara Dei.] Vti loquitur Tertullianus. Sed heic melius, Mensa Domini, quàm ara Domini, quia de communicante seu manducante loquitur: &

Tertul. lib. de orat. cap. 14.

D de epulâ non de sacrificio societas seu vnitas trahitur. [Et propter hoc, ait Augustinus, subiunxit, Videte Israel secundùm carnem: Nonne qui de sacrificiis manducant, socij sunt altaris? Vt intelligerent ita se iam socios esse corporis Christi, quemadmodum illi sunt socij altaris.] Sic & de sociis impiis seu sacrilegis: [Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum.] Communicat enim quisquis participat. [Quamobrem si sanguinem cupis, (ait Christus apud Chrysostomum) non aram ido-

Augustin. l. 1. cont. aduers. leg. & Proph. c. 19.

Chrysost. orat. 23.

E lorum, brutorum, cæde sed meum altare meo cruentum sanguine. Quid est hoc horribilius? Quid autem amabilius dic quæso? Hoc faciunt etiam qui amant. Cum viderint eos quos amant aliena concupiscere, & propria despicere, suadentes persuadent vt abstineant ab ijs quæ sunt aliorum. Sed qui amant quidem, in possessionibus, pecuniis & vestibus suam ostendunt liberalitatem & magnificentiam, in sanguine autem nullus vnquam. Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam, ardentem in nos charitatem. Neque

Quanta sit Christi Domini erga suos cura.

enim, inquit, si esses filius regis, deinde mensâ fruens paternâ, illâ relictâ, velles in carcere esse socius mensæ eorum qui sunt in vinculis. Sunt enim isti serui qui offenderunt, infames, damnati, vincti, qui intolerando seruantur supplicio, & sunt obnoxij malis innumerabilibus. Quomodo ergo non erubescis, cum quando rei isti ac damnati mensam apposuerint, tu instar helluonum & virorum illiberalium illuc curris, & es particeps eorum quæ sunt apposita? quomodo dedecore afficis tuam generis nobilitatem, & mensam regalem?] Hæc est ergo mensa Christi Domini, diuina, regia.

TROPOLOGIA.

Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.

DEbet ergo ædificare, quicumqne legitimus Christianus est, id est, publicum Ecclesiæ bonum promouere: nec spectare tantùm debet quid liceat, sed & quid expediat: non enim quicquid permissum est, licitum-ve, est etiam congruum. Habet igitur agendorum vel non agendorum triplicem rationem. Prima est, congruæ dignitatis: secunda, charitatis Christianæ: tertia, vtilitatis publicæ. Tria ista ex Paulo deprompta sunt, & diuino ornanda testimonio.

Quoad congruam igitur dignitatem: multa sunt quæ de se, seu naturâ suâ sunt adiaphora: & licent quidem, sed dedecent, quia viro probo indigna quia viro sunt, incongrua Christiano. Reuoluamus historiam Eleazari, videamusque virum iustum, non tam spectasse quod licitum, quàm quod indecorum deuitasse. [Intuens quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.] Benè est. Sed amoue porcinam carnem, & fac rem esse licitam. [Hi enim qui astabant, tollentes eum secretò rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat: vt hoc facto, à morte liberaretur.] Licet ergo vesci: sed quid faciet? Crudelem reprobabit amicitiam, & iniquam commiserationem reputabit. An quia licitum non est? Imò quia est indignum. [At ille (ita absoluit scriptura) cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuersationis actus: & secundùm sanctæ, & à Deo conditæ legis constituta, respondit citò, dicens; præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere.] Meliùs iudicauit & dignius honestà morte perfungi, quàm aliquid senectute bonâ indignum perpeti. Retexamus & lauream militis Christiani, & expendamus, virum fortem & strenuum, non tam illicitum cogitasse, quàm quod indecorum & inhonestum sibi denegasse. [Proximè, (ita refert Tertullianus) facta est liberalitas præstantissimorum imperatorum: expungebantur in castris milites laureati: adhibetur quidam illic magis Dei miles, ceteris constantior fratribus qui se duobus dominis seruire præsumpserant, solus libero capite, coronamento in manu otioso.

2. Machab. cap 6.

Exempla dignitatem & congruitatem spectantia.

Tertul. l. de coron. milit. c. 1.

A Vulgata iam & ista disciplina Christianorum relucebat. Singuli designare, & ludere eminùs, infrendere cominus in Nostrum. Tribuno defertur: & persona iam ex ordine accesserat. Statim Tribunus, Cur, inquit, tam diuersus habitu? Negauit ille sibi cum ceteris licere. Caussas expostulatus, Christianus sum, respondit, O militem in Deo gloriosum!] Nonnulli sunt, vt & ille notauit. [Quibus ad solatium quæstio est: quasi aut nullum, aut incertum saltem haberi possit delictum, quod patitur quæstionem.] Nimirum exertam quæsitis ratiunculis sententiam remorantur, & suam interim quæstiunculis ingeminatis solantur ignauiam. At ille non hæsitauit, sed citò & sine dubio negauit sibi licitum; quia indecorum, quia milite Christiano, & viro forte iudicauit indignum. Non enim tam spectabat quid liceret, quàm quid expediret; nec considerabat quid imponeret obedientia legis, sed quid temporis exigeret disciplina. Ita Tertullianus, excusso Pauli Apostoli testimonio. [Tantùm in Domino.] Hoc est Christiano. Colligit tandem doctrinam in summam, concluditque. [Hæc sunt quæ Apostoli vox illa sub breuitate intelligenda nobis reliquit. Non licet aliter fidelibus nubere: & si liceret, non expediret.] Iustus seu bonus Christianus, non expectat legem prementem iubentem-ve, sed legem præoccupat: omnia illi licent, quia nihil vult, nisi quod licitum: nec tamen vult omne quod est licitum: quia multa sunt quæ non decent. Licetne manducare idolothyta? Fac licere. Quid enim & idola, & idolothyta? Sed non decet. Et si quidem naturâ suâ licitum, indecorum est, & animâ indignum Christianâ.

Tertullian. ibid.

B

Tertul. lib. 2. ad vxor. cap. vlt.

C

Quoad Christianam charitatem: ea prima agendorum aut non agendorum & vltima regula est, id est vnica, ideoque vnicè audienda & sequenda. Multa licent, sed si non expediunt, relinquenda. Multa licent, sed si non ædificant, imò destruunt potius, aut grauant alios, infirmos-ve onerant; etiam fugienda. [Multa sunt facienda, ait Augustinus, non iubente lege, seb liberâ charitate: & ea sunt in nostris officiis gratiora quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causâ dilectionis impendimus. Vnde prior ipse Dominus cum se tributum non debere monstrasset, soluit tamen ne scandalizaret eos quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. Iam verò Apostolus quemadmodum ista commendet, verba eius testantur, vbi dicit: Cum enim liber sim ex omnibus, omnium seruum me feci vt plures lucrifacerem. Item alio loco de quibusdam quæ ad escam pertinent: omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licita sunt, sed non omnia ædificant. Quod est, omnia licita sunt: ipsum est, omnia quidem munda. Et quod est, Sed non omnia expediunt: ipsum est, sed malum est homini qui per offensionem manducat. Ita ostendit ea quæ licita sunt, id est, nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit potius esse tractanda, non præscripto legis, sed consilio charitatis.] Aliud est id quod licitum est, seu quod non non est prohibitum, & aliud quod probum probatumque: illud quidem malum non est, & ideo

D

Aug. lib. 1. de adulter. coniug. cap. 14.

E

fieri suppetit: istud autem bonum est: & ideò conuenit fieri. Illud quidem non obest, sed istud prodest. [Apostolus exclamat, ait Tertullianus, Omnia licent, sed non omnia prosunt. Quod non prodest, oro te, bonum potest dici? Si licita sint & quæ non pro salute, ergo & quæ non bona sunt, licita sunt. Quid autem magis velle debebis, quod ideo bonum est, quia licet, an quod ideò quia prodest? De bono non dicitur, licet, quia bonum permitti non expectat, sed adsumi. Permittitur autem quod an bonum sit, in dubio est; quod potest etiam non permitti, si non habeat aliquam sui causam primam.] Fortean non deficit, & eatenus bonum est; sed & hoc malum, quod non proficit. Bonum quod non violat legem prohibentem, malum seu non bonum, quod per charitatem non ædificat: pessimum si destruit, aut offendit. Licetne edere idolothyta? Licet, si lex nulla prohibet. Sed si non ædificat fratrem, si charitatem non iuuat: renuendum, dicendumque cum Apostolo: [Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, Vides, ait Chrysostomus, exactam & accuratam prudentiam. Nam quoniam erat verisimile eos dicere. Sum perfectus, & mei iuris, & nullo damno affectus gusto quæ sunt apposita. Certè, inquit, perfectus quidem es, & tui iuris. Verùm ne hoc consideres, sed num id quod fit damnum afferat, aut euersionem. Vtrumque enim dixit: Non omnia conferunt, Non omnia ædificant.]

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 8.

Aliud quod non deficit, aliud quod proficit.

Chrysost. orat. 24.

Quoad publicam vtilitatem: non est incongruum audire dicentem, & intercidentem soluere quæstionem. [Citiùs enim quis dixerit (verba sunt Augustini) omne quod fieri non expedit, peccatum est, omne autem peccatum illicitum est, omne ergo quod non expedit, illicitum est. Sed vbi erunt illa quæ licita esse, sed non expedire Apostolus dicit: si omne quod non expedit, licitum non est?] Quid ergo licitum est, quia non impedit; sed quia non expedit, non est vtique faciendum. [Ea autem, ait ille, mihi videntur licere, & non expedire, quæ per iustitiã quidem quæ coram Deo est, permittuntur, sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur à salute, vitanda sunt. Ea verò non licere, & ideò non expedire, quæ sic ipsâ iustitiâ vetantur, vt facienda non sint, etiamsi ab eis quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur.] Quod si ita est, illic diuinæ auctoritatis obligatio est, istic publicæ vtilitatis consideratio. Illic, oportet, quia iubet aut prohibet maiestas diuina; heic vrget charitas sincera, quæ si perfecta est & integra, non solùm à priuatis offensionibus abstinet, sed & publicis studet commoditatibus. [Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei] Quis sensus? Si non ex verbo, certè ex exemplo eruendus est. [Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.] Quinam illi multi? omnes, Iudæi, Gentiles, Fideles, seu Christiani. [Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire.] Licet quidem, dum nihil prohibet: sed id non sufficit, dum non expedit. [Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.] Potes ire, sed an potes ædificare, potes aut instruere fidelem, aut infidelem lucrifacere? Nam sicut officiũ veræ pietatis, pensum est charitatis Christianæ: sic & Christianam charitatẽ minuit, & dum minuit, lædit, qui publicam vtilitatem non attendit. Non enim sufficit illi, nocere nemini; sed incumbit proficere, publicum promouere bonum, non quod suum est, sed quod alienum est respicere. [Hæc est, ait Chrysostomus, regula perfectissimi Christianismi: hoc est decretum exactissimum & accuratissimum; hoc est summum fastigium, ea quærere quæ in commune conferunt. Nihil enim æquè potest facere imitatorem Christi, atque curam gerere proximorum. Quin etiamsi ieiunaueris, si humi cubueris, si te cinere consperseris, proximi autem tui curam non geras, nihil magni fecisti: sed adhuc longè abes ab hac imagine hæc faciens. Nisi enim adsit vtilitas, & quòd factum sit propter alios, tunc res est damnosa & noxia.] An igitur abstinendum ab immolatis? Quid reuoluis? omninò abstinendum est, nec expectanda auctoritas diuina, sed spectanda publica vtilitas. Illic abstinere oportet aut luere, etiamsi nullus lædatur, nullus offendiculum patiatur aut scãdalum: heic decet insistere officio, aut à scopo deficere: illuc enim tendendum est, contendendũque. Huc nos vocat Paulus verbo & exemplo, imò totam doctrinam ad Christum ipsum reuocat. [Hoc vbique, ait ille, & per totam confirmat epistolam. Et in epistolâ ad Romanos, quando dicit: Etenim Christus, inquit, non sibi placuit: Et rursus: Sicut ego omnibus placeo, non quærens meam vtilitatem. Nequaquam quærit quod suum est, nec suâ libertate ac potestate temerè & inconsideratè vsus: sed ad id quod confert omnibus, omnibus seruiens.] Sed quoniam ista perfectorum sunt Christianorum, excedunt tropologiam, & in anagogiam transeunt.

Augustin. lib. 1. de adult. coniug. c. 16.

Augustin. eodem lib. cap. 17.

Christianus nunquam destruere debet, sed semper instruere.

Chrysost. orat. 25.

Chrysost. orat. 24.

ANAGOGIA.

Omnia in gloriam Dei facite.

ANagogicum dico quod sublime & arduũ; quod præstantiam sapit, quod ad summam euehit gloriam. Et hoc dico in præcepto Apostolico. Imò tria inde elicienda censeo. Primum est, præceptum esse, nedum consilium. Secundum, in minimis etiam habere locum, nedum in maximis. Tertium, rem difficilem esse quidem, non tamen impossibilem.

Quoad 1 Conclusio est Apostolica, & exerta definitio. [Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.] Vbi Aquinas: [Habito, inquit, quando licet de idolothytis, & quando non: hîc ostendit, quid in vtroque debent intendere. Primò, respectu Dei, quia debent quærere eius gloriam. Secundò, quia debent cauere eius offensam, ibi, Sine offensione estote. In primâ, primò inducit actũ multiplicem: secundò, persuadet actuum intentionem debitam, ibi; Omnia in gloriam Dei facite. Cum inuocatione scilicet creatoris, eâ intentione, vt Deus laudetur & glorificetur. Coloss. 3. Omne quodcumque facitis in verbo, aut opere, omnia in

Aquin. lect. 7.

gloriam Dei facite.] Audis debitam actionem, audis & debitam intentionem. Nam sicut cauere offensam proximi, non solùm consilium est, sed & præceptum; ita facere omnia in gloriam Dei, præceptum est, nedum consilium. Sed clariùs ipse ad locum laudatum & expressiùs. [Quidam, inquit, dicunt, quòd hoc est consiliũ: Sed hoc non est verũ. Ponit vsum directionis in opere, dicens, omne quodcumque facitis: quia etiam locutio opus quoddã est. 1. Cor. 10. Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.] Hoc primum & maximum mandatum, quod in corde hominis insculptum est, quod in fronte legis proscriptum. [Sub præcepto enim charitatis, ait ille, continentur, vt diligatur Deus in toto corde, ad quod pertinet vt omnia referantur in Deum; & ideò præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.] Præceptum est, & summum ac præcipuum, tam indispensabile, quàm & inuiolabile. Quiuis enim tenetur Deum amare, & proximum; sed proximum, tanquam seipsum; Deum autem, suprà seipsum: ideoque tenetur & se suaque omnia in ipsum referre, tanquam in auctorem ac principem, primum principium ac finem vltimum. Sicut enim prohibetur iniuriam inferre proximo, ita iubetur gloriam Deo tribuere. [Cum aliquid agitis, ait Augustinus, vel tribuentes aliquid indigentibus, siue domantes perniciosas consuetudines: omnia in gloriam Dei facite qui operatur omnia in omnibus: ipsa est enim actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Dominum.] Multa & mira pauculis verbis comprehensa sunt. Cur enim omnia in Dei gloriam referenda? quia operatur omnia in omnibus: omnia ab ipso sunt, ergo illi debita, & illi tribuenda vt auctori, illi vt fini referenda. Ipsa est actio recti itineris, à quo qui declinat, deuiat; & ideò tenetur semper oculos habere ad Dominum, id est, ipsum semper & vbique respicere. Et hæc eadem mens Apostoli, vt ad charitatem omnia referantur, tamquam ad finem legis, ideoque nec edantur idolothyta, ne præiudicetur diuino honori, ne-ue derogetur bono proximi. Debes omnia in gloriam Dei facere, at non facis dum istam assumis licentiam, imo iniuriam facis, ergo non debes idolothyta contingere.

Aquin. l. 3. in c. 3. ad Coloss.

Aquin. 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2.

Aug. epist. 81. vltra medium.

Omnia Deo tribuenda vt primo principio.

Quoad 2. Sequitur ex primo, si enim nihil non operatur Deus in nobis, nihil etiam referatur ex nobis, quod Deo debitum non sit, siue magnum, siue paruum. Quiduis seu sublime sit, seu humile, seu excelsum seu abiectum, seu grande, seu vile, in auctorem, seu in laudem & honorem eius referendum. [Dicitur omnibus gentibus, non solis nobis (verba sunt Augustini) Laudate Dominum. Et quasi quæreremus quare laudare Deum debeamus, videte quam causam attulit. Laudate Dominum, inquit, quoniam bonus Psalmus. Hæc est merces tota laudantium, Laudemus Dominum. Quare? Quoniam bonus Psalmus. Ipse Psalmus, laus Domini est. Hoc ergo ait, Laudate Dominum, quoniam bonum est laudare Dominum.] Bonum est, & spe sepositâ, mercede non expositâ, persoluendum, quia per se iustum est, vtpote tributum Deo vt Domino debitum. Idcircò Paulus. [Siue manducatis, siue bibitis.] Quid communius, quid & abiectius? [Siue aliud quid facitis.] Quid generalius, imò quid singularius? Audeo dicere, quid & vilius? Quid enim potum sequitur & esum? Natura ipsa loquitur. [Audite, quæso, ait Hieronymus, audite sacrilegum. Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, sputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere; semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate, immò sacrilege, Apostolum prædicantem: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.] Quid omnia? Humanæ necessitatis, etiam & extremæ indignitatis opera. Manducare & bibere: quid aliud? Sputa iacere, purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere. Agnoscit naturæ infamia, sed parcit scripturæ verecundia. Sed cur ingratus Pelagius, cur & sacrilegus, si id neget, imò si dubitet? Ingratus quia Deo non rependit, quod accepit ab illo. Nam, vti dixit Tertullianus, [Quàm iniustũ est, quàm etiã ingratũ, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi per quem consequeris de temetipso non rependere?] Sacrilegus verò, qui furtum committit, bonumque subtrahit Deo suo sacrum. Imò & impius est, dum sibi potius seruit quàm creatori, dum laudem & honorem non tribuit illi, sed sibi relinquit. [Iactet ergo impius opera sua, ait Augustinus, & dicat: Do pauperibus, nihil alicui aufero, non vxorem alienam concupisco, non quenquam occido, nulli fraudem facio, depositum apud me nullo teste repræsento. Hæc omnia dicat. Quæro vtrum pius sit, an impius? Et quomodo sum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi de quibus dictum est, Et seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Ecce quomodo es impius.] Deus vbique & semper laudandus est: in omnibus benedicendus & de omnibus. hoc præcipit maiestas auctoris, hoc pietas exigit hominis. Tu autem quàm ingratus, qui Deo non reddis quod accepisti; qui Deo non omnia reddis, à quo omnia accepisti. Quàm sacrilegus, qui auctoris dona suffuraris; quam impius, qui creatori, non diuinæ operaris gloriæ? Solus Pelagius excusat furtum, solus impius negat esse sacrilegium. At qui pius est, seipsum impendit suaque omnia in gloriam Dei facit; nihilque prorsus excipit, ne gratiam minuat, aut inferat iniuriam.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 146. initio.

Hieronym. epist. ad Ctesiph. circa med.

Tertull. lib. de patient. cap. 4.

Augustin. præf. in Psal. 31. vltra med.

Quomodo Pelagius ingratus, sacrilegus, impius.

Quoad 3. Res quidem difficilis, non tamen impossibilis: imò tam facilis attendenti, quàm & volenti vtilis. Inde enim contrahitur habitus attendendi, in quo non tam actus, quàm virtus ex actu referendi in operante, imò & in otiante relinquitur. Opus namque directum in Deum, iam de se in ipsum tendit, vt emissa in scopum sagitta; nec exigit vt repetatur directio, sed sufficit, si non abrumpatur intentio. [Dicant semper, Magnificetur Dominus. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, totâ die laudem tuam. Et cuius lingua, ait Augustinus, durat meditari totâ die laudem Dei? Totâ die laudare quis durat? Suggero remedium, vnde totâ die laudes Deum, si vis. Quicquid egeris, benè age, &

Augustin. con. 2 in Psal. 34. in fine.

age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum. Lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? In innocentiâ operum tuorum præpara te ad laudandum Deum totâ die.] Conscius tibi es, opus tuum Deo dicasse, munus tuum à næuo purgasse: securus esto: actus enim transit, sed iam habitus, seu virtus operis per se excurrit: sicut rota ictu mouente pulsata, etiam otiante manu, cursum absoluit suum: sed quo fortior actus, aut impetus validior, eo diutius durat virtus, motusque perseuerat. [Cum manducas & bibis, ait ille, psalle: non intermiscendo sonorum suauitates ad aures aptas, sed modestè & frugaliter & temperanter manducando & bibendo. Quia hoc dicit Apostolus, Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo benè agis, & quod manducas & bibis, & ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia: & cibus tuus & potus tuus laudat Deum. Post cibum & potum requiescas vt dormias. Defer in lecto tuo coniugi tuæ honorem, quia membra Christi estis ambo, ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati. Hæc agens laudas Deum, nec omninò cessabit laudatio tua. Quid cum somnus aduenerit? Et cum dormis, non te excitet à quiete mala conscientia tua: & innocentia somni tui laudat Deum. Laudas cum agis negotium, laudas cum cibum & potum capis, laudas cum in


Augustin. Enarrat. in Psal. 146. post. init.

A lecto requiescis, laudas cum dormis.] Nec ille inquietus est ac importunus, qui cum dormiat innoxiè scrupulosè sese excitat, vt actum iteret & somnum commendet. Cœnas? & propter Deum cœnas? Tota cœna, sub ditione Dei constituta est: & laudas Deum cœnando, quia propter ipsum cœnas. Procuras negotium, & propter Deum procuras? Totum negotium sub directione Dei constitutum est; & laudas Deum procurando, quia propter ipsum procuras. Requiescis, dormis, & propter Deum dormis & requiescis? totum id sub beneplacito Dei transigitur, quia id totum, id est, tam operatio, quàm & cessatio, eius arbitrio committitur. Tamen quia & mentis instabilitas & infirmitas mentis, sensim bonum animi propositum exedunt aut distrahunt: bonum est, speciatim in negotijs diuturnis, & in alijs, diuersi, forsan & aduersi generis, filū seu actū fatiscentem retexere, languentem habitum restituere, impressum-ve reducere vestigiū: fouenda enim pietatis scintilla, donec tota charitatis flamma non ardeat solùm, sed & præualeat. [Perficietur enim in nobis laudatio Dei, cum ad illam ciuitatem venerimus, quando effecti fuerimus æquales angelis Dei, quando nos nullâ corporalis necessitas nullâ ex parte sollicitat, non fames, non sitis interpellat, non æstus fatigat, non frigus constringit, non febris deiicit, non mora finit. Ad illam perfectissimam laudem exerceamus nos laudatione istâ in bonis operibus.] Ita Augustinus.

Virtus est operis, cum relictum est ex actu precedente vestigium.

B

Augustin. ibidem.



CAPVT VNDECIMVM.


Epigraphe.

Disciplinam tradit veli, Domini cœnam describit: illam sexui attemperat, istam ritui accommodat & vsui. Erunt igitur huiusce capitis partes duæ.

PARS PRIMA.

De disciplinâ veli.

TEXTVS.



IMitatores mei estote, sicut & ego Christi. Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput verò Christi, Deus. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: vnum enim est ac si decaluetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suum. Vir quidem non

debet velare caput suum : quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est , sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos. Verumtamen neque vir sine muliere ; neque mulier sine viro , in Domino. Nam sicut mulier de viro , ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Vos ipsi iudicate : decet mulierem non velatam orare Deum ? Nec ipsa natura docet vos , quòd vir quidem si comam nutriat , ignominia est illi : mulier verò si comam nutriat , gloria est illi : quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Si quis autem videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus , neque Ecclesia Dei.

EXEGESIS LITTERALIS.

OCcupat beneuolentiam Corinthiorum , dum eorum laudat obedientiam. Tum velum demit meliori sexui, segniori imponit, naturâ volente , constituente disciplinâ.

[Imitatores mei estote , sicut & ego Christi, &c.] Sæpè proponit exemplum suum Apostolus , & iure facit : nam & id pater filijs , id magister discipulis. Ecquid melius ; quid & excellentius? [Nam alij quidem omnes, ait Chrysostomus , bonis suis relictis , elegerunt habere societatem cum malis proximorum : Paulus autem fecit quod est longè maius. Non enim voluit habere societatem cum aliorum calamitatibus , sed ipse elegit esse in extremis ,vt alij essent in bonis. Ceteri omnes sese obijciebant periculis quæ sunt in vitâ præsenti , & omnes illi , vt semel dicam , hanc mortem petebant. Paulus autem optauit etiam à futurâ gloriâ excidere pro aliorum salute. Possum etiam dicere tertiam exuperationem. Quòd illi eorum curam gerebant qui ipsis traditi fuerant gubernandi. Paulus autem volebat pro ijs esse anathema , quorum non erat ei tradita cura & administratio : fuerat enim missus ad gentes. Vidisti animi magnitudinem , & spiritûs altitudinem ipsum cœlum superantem. Eum imitare.] Scito tamen non in illo sistendum, sed per Paulum contendendum in Christum. Vnde & ille & fastum demit, & ostendit scopum , dum ait, Imitatores mei estote , sicut & ego Christi.

Chrysostõ orat. 25.

Tres dotes & præcipuæ Pauli Apostoli excellentiæ.

[Laudo autem vos fratres , quod per omnia mei memores estis : & sicut tradidi vobis , præcepta mea tenetis ,&c.] Dũ laudat Corinthios, ipsos prouocat. Reuera quidã inter ipsos erant boni imò & optimi , ideoque laudandi , quòd omninò fideles essent obedientesq; & institutionum traditionũque Apostolicarũ per omnia memores , non solùm voluerent mente, sed & complerent opere: alij mali & improbi, ideoque castigandi , quòd ab institutis vetisque absisterent,& vanis insisterent. Et id maximè notandum, vbi Apostolus tangit non priuatos excessus , sed conuentus publicos, in quibus quis nescit malos confundi bonis , imò & hos aliquando ab illis abstrahi ? Laudat ergo bonos , & per bonorum laudem , malorum correptionem mitigat. [Præsenti sibi , ait Athanas. paruerunt nonnulli , multi etiam in pertinaciâ perstiterunt. Solet autem Paulus mitioribus verbis lenire , quos à vitijs sperat ad bonum traducere.] Sic solens , alios castigando ; seipsum laudando , nusquam insolens.

Athanas. in Paulum.

[Volo autem vos scire , quòd omnis viri caput Christus est, &c.] Etsi tradita retinuistis , nondum tamen nostis omnia. Sed ad id quod volo dicere, primò statuendum est , omnis viri caput Christum esse, ideoque & Dominum, ob vniuersalem quam in omnes homines accepit potestatem. [Caput autem mulieris , vir : caput verò Christi, Deus, &c.] Sub Christo capite , vir etiam mulieris caput est, rector, directorque. Sed vt originem omnium repetamus , omnium fons & origo Deus est, qui Christi etiam Pater : sicut enim in ordine subiectionis , mulier , ita Deus in supremo apice directionis. [Ad auctoritatem retulit, quia homo à Deo quidem,sed per Christum. Et quamuis mulier per Christum , de viro tamen facta est, ac per hoc subiicitur viro. Dignum est porrò vt filij caput pater dicatur , quasi genitor eius. Vna ergo dictio diuersam habet intelligentiam ; quia & personæ discrepant & substantiæ.] Ita Ambros. [Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum: omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite , deturpat caput suum , &c.] Vir orat & prophetat , idem & mulier. Quidni enim sexus vterque laudet Deum suum, quidni incerta & occulta diuinæ sapientiæ, seu arcana scripturæ sanctæ, per instinctum sacrum penetret mysteria? Sed vir omnis , maximè verò cum orat aut prophetat in cœtu publico , debet esse intecto capite : quia si caput velet, dehonestat caput suum , dum libertatem dignitatemque sui sexus , imposito tegmine dedecorat , deprimit, deiicit. Omnis autem mulier , maximè si oraret aut prophetaret in publico conuentu , debet esse tecto seu velato capite , quia si caput reuelet, deturpat caput suum: inhonestum aliquid perpetrat , sexu muliebri , & instinctu naturali indignum. [Vnum enim est ac si decaluetur, &c.] Quid mulier rasa ac decaluata? quàm id deforme ac turpe? Nollet naturale tegumentum excutere , quidni ergo vellet muliebre velamentum sibi tanquam obedienti imponere ? [Nam si non velatur mulier , tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi aut decaluari , velet caput suum , &c.] Si detrectat mulier velamen quòd suggessit

Ambros. in Paul.

Velum tam segniori sexui congruum , quàm digniori incongruum.

modestia, abiiciat & illud quod natura indidit: sed dedecorosum est ac probrosum tonderi ac radi mulierem: seruet ergo legem, & velamen non detrectet. [Vt capitis decaluatio, ait Comment. Athanas. sic capitis detectio. Quo fit, vt si capitis operimentum sustulerit mulier, & similis ei appareat, quæ comam detraxerit.]

Comment Athanas.

[Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est, &c.] Instat in suâ propositione Apostolus, sed nouâ probat ratione. Vir non debet deiicere se ac demittere, quia à Deo immediatè est, & non est aliud opus in hoc mundo, in quo repræsentetur splendidius, & in quo amplius glorietur: mulier autem à Deo quidem, sed mediante viro, cuius æmulatur formam, mutuatur materiam. [Apostolus de viro dixit, quòd vir imago & gloria Dei est: de muliere autem non dixit, quòd esset imago & gloria viri, sed solùm quòd est gloria viri; vt detur intelligi, quod esse imaginem Dei, commune est: esse autem gloria Dei, immediatè proprium est viri. Non debet ergo vir caput velare, primò, quia velamen quod capiti superponitur, designat potestatem alterius super caput existentis ordine naturæ: & ideo vir sub Deo existens, non debet velamen habere super caput, vt ostendat se immediatè Deo subesse; mulier autem debet velamen habere, vt ostendat se præter Deum alteri naturaliter subesse. Secundò, ad ostendendum, quod gloria Dei non est occultanda, sed reuelanda: gloria autem hominis est occultanda. Vnde in Psalmo 115. dicitur, Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.] Ita Aquinas in quibus notandum primò, naturæ ordinem considerari, non fortunæ conditionem: secundò, sub Deo existere seu immediatè Deo subesse, idem esse ac dominari seu principari, sub Deo principe esse ac domino. In Græco, ὑπάρχων. Tertiò, gloriari Deum de imagine, virum de viragine, sed iure impari: ideo Dei gloriam declarandam, cælandam viri gloriam [Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos, &c.] Dixi ordinem naturæ spectari, seu humanæ institutionem naturæ. Ita vir non ex muliere est, sed mulier ex viro, velut ex quodam principio; & vir principatur gloriaturque in opificio, si non à se, certè ex se formato. Sed & materia propter formam est, & femina in adiutorium data, inde & gloriam vir ampliat, & firmat imperium. Debet igitur signum virilis suprà se potestatis, vel muliebris intra se subiectionis gerere in capite, deiicere se ac summittere. Et si enim obedientiam viri detrectat, saltem angelis deferat reuerentiam; qui cum orationibus præsint, adsint cœtibus, nec immodestiam ferunt, nec admittunt impudentiam. [Debet, inquit, superioribus de causis mulier super caput velamen gestare, id est, seruitutis insigne: etsi aliâ nullâ ratione angelorum tamen pudore ducta, ne in illorum conspectu impudens appareat. Nam vt huiusmodi capitis velamentum, & oculos demittere & af-

Aquin. lect. 2.

Angeli in publicis maximè cœtibus reuerendi.

Athanas. in Paul.

A fici verecundiâ facit, & seruilem speciem seruare cogit, sic & capitis retectio impudentiam arguit, quæ fidelibus ipsis; comitantibus angelis, abominationi est.] Ita Athanas.

[Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino, &c.] Vir quidem principatur, mulier autem subiicitur: verùm quoad rem domesticam, & curam familiarem, vir muliere indiget, sicut & viro mulier, dum sua quisque sexus exequitur officia; quæ profectò debet propter Christum Deum exequi, & tam ille principari, quàm & iste subiici. [Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo, &c.] Si-
B cut enim sexus muliebris initio de viro exortus est, ita nunc virilis per mulierem nascitur, dum de viro per adiutorium transitur ad virum. Sicut autem officia sexûs non minus quàm cetera sunt à Deo, sic & in ipsum sunt referenda. [Interest enim plurimum, quâ causâ, quo fine, quâ intentione quid fiat. Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus est, si fit causâ misericordiæ cum rectâ fide. Sicut concubitus coniugalis, quando fit causâ generandi, si eâ fide fiat vt gignantur regenerandi. Non si iactantiæ causâ pauper pascitur: aut lasciuiæ causâ cum vxore concumbitur: aut filij generantur non vt Deo, sed vt diabolo nutriantur.]
C Ita Augustinus. [Vos ipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum?] Græcè: ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, [In vobis ipsis.] Id apud vos pensate, & recto examinate iudicio: an sit decorum honestum-ve, mulierem capite detecto Deum orare: quanto magis indecorum prophetare? [Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt, &c.] Ad naturam prouocat, nec tam priuatam cuiusque, quàm publicam appellat sententiam. [Quæris igitur legem Dei? ait Tertullianus, habes communem istam in publico mundi, in
D naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet prouocare: vt cum de velamine feminæ, Nec natura vos, inquit, docet? Vt cum ad Romanos, Naturâ facere dicens, Nationes ea quæ sunt legis; & legem naturalem suggerit, & naturā legalē.] Nonne ergo cōmunis sensus & instinctus naturalis, intimat vobis, nedum indicat, quòd vir, si comam alat intonsam sexum suum decolorat, quasi muliebrem iam non virilem: si verò mulier, comam promit-
E tat, inde, sexum commendat suum, tanquam mollem, ideoque protegendum. Quocirca sicut capillitio iam exstructa est, sic & velamento munienda. [Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.] Si quis φιλόνεικος, qui certat vt vincat, qui verbis & argumentis instat, vt gloriam aucupetur, suffuretur victoriam. Si quis ergo contendit, si quis præsumit vincere, aut diuersam defendere sententiam: oppono consuetudinem synagogæ, oppono morem Ecclesiæ: & in hoc sisto. [Post rationem redditam, ait Comment. Ambros. vt contentiosos vincat, auctoritatem interponit: quia neque Iudaïsmus hoc habuit: vnde dicit, Neque nos, neque Ecclesia Dei: vt neque Moy-

Aug. lib. cont. mend. c. 7.

Tertul. l. de coron. mil. c. 6.

Sexu muliebris mollis ac delicatulus, ideoque protegendus.

Comment. Ambros.

ses, neque Saluator sic tradiderit.] In Græco: [Ecclesiæ.] Sed vna est ex multis collecta.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

Chrysost. orat. 23. INdustriam Pauli commendat Chrysostomus, & affirmat modestiam. [Quando enim ad Ephesios scribit, seipsum non interponit, sed statim omnes ad Deum inducit, dicens, Estote imitatores Dei. Hîc autem quoniam verba faciebat cum imbecillis, seipsum interposuit. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Papè quanta est doctoris fiducia, quàm exacta & perfecta est imago, cum alios quoque ad id exhortetur. Non se autem extollens hoc facit, sed ostendens facilem esse virtutem. Alioquin etiam ostendit, quòd sic quoque Christum licet imitari.] Plus distat inter Deum & hominem, quàm inter doctorem & discipulum. Si ergo doctor Christum imitatus est, quidni discipulus doctorem sequetur, & per doctorem assequetur Christum, per Christum imitabitur Deum, seu in perfectam imaginem, & integram similitudinem reformabitur. Sed omissis encomijs sit

DISQVISITIO PRIMA.

Quomodo caput Christi Deus?

IN promptu est respondere, Deum esse caput Christi, secundùm naturam humanam. Cum enim caput excellentiam dicat ac præstantiam: Christus autem secundùm diuinitatem eandem habeat naturam, nec vllam subeat inæqualitatem, tam non videtur pater esse maior, quàm nec filius minor, sicque subiectio seu directio reducetur ad humanitatem. [Sit ergo, ait Ambrosius, iuxtà humanam conditionem caput Christi Deus. Non enim dixit, Caput Christi pater, sed, Caput Christi Deus: quia diuinitas, vtpote creatrix, caput est creaturæ. Et benè dixit, Caput Christi Deus; vt & diuinitatem Christi significaret & carnem: hoc est, incarnationem in Christi nomine, in Deo autem vnitatem diuinitatis & magnitudinem potestatis. Eo vsque autem caput Christi Deus secundùm incarnationem dictum est, vt & caput viri Christus secundùm incarnationem Verbi dictum est. Quod alibi Apostolus euidenter exposuit, dicens: Quoniam vir caput est mulieris, sicut & Christus caput est Ecclesiæ. Et in consequentibus addidit: Qui se tradidit pro eâ. Secundùm incarnationem igitur caput viri Christus, quia secundùm incarnationem facta traditio est. Est ergo caput viri Christus, caput Christi Deus; vbi serui, hoc est hominis, non Dei forma tractatur.] Ita quando Paulus se dicit imitatorem Christi, & alibi proponit imitationem Dei, tam secundùm humanitatem Christum proponit, quàm secundùm diuinitatem: illuc enim collimat perfectio omnis, ideoque omnis imitatio collineat [Est enim notandum, ait Aquinas, quòd non simpliciter dicit, Imitatores mei estote; sed addit, Sicut & ego Christi: quia scilicet subditi prælatos suos imitari non debent in omnibus, sed in quibus illi Christum imitãtur, qui est indeficiens sanctitatis exemplar.] Inde ergo, vt & ille notat. [Considerandum est, quod hoc nomen Christus, significat personam prædicatam ratione humanæ naturæ: & sic hoc nomen, Deus, non supponit solùm personam Patris, sed totam Trinitatem, à quâ in humanitate Christi, sicut à perfectiori omnia bona deriuantur, & cui humanitas Christi subiicitur. Alio modo, potest intelligi secundùm quod hoc nomen, Christus, supponit dictam personam ratione diuinæ naturæ, & sic hoc nomen, Deus, supponit solam personam Patris.] Cum ergo dicitur, Caput Christi Deus: potest, Deus sumi, aut essentialiter, aut personaliter: si essentialiter, refertur ad Verbum incarnatum; si personaliter, ad Vebum refertur increatum.

Marginal notes (left column): Ambrosius lib. 4. de fide c. 2. — Secundùm id imitatio proponenda, secundùm quod assequenda perfectio. — Aquin. lect. 2.

Videtur tamen Deum potius personaliter sumendum quàm essentialiter, ideoque ad increatum potius Verbum, quàm ad incarnatum esse referendum. Vbique enim connaturalitas est, vt viri ac mulieris, cuius vir caput est; Christi & viri: quidni igitur, Dei & Christi: vt eandem habeat Christus cum Deo naturam, secundùm diuinitatem, sicut habet eandem cum viro naturam secundùm humanitatem, & viri cum muliere? Licet enim nonnulla reperiatur inter ista quatuor inæqualitas, omnimoda tamẽ seruatur connaturalitas. [Itaque, ait Ambrosius, si Christum apud Deum patrem ita volunt esse, sicut est mulier apud virum: vnius vtique & Christum & Deum dicunt esse substantiæ, quoniam mulier & vir vnius sunt in carne naturæ. Nam quod distat, in sexu est. Cum verò inter Christum & Deum patrem sexus non interueniat, quod vnum inter filium & patrem in naturâ est, fatebuntur: quod diuersum in sexu est, denegabunt.] Analogia est, sed non tam secundùm rerum proportionem, quàm secundùm conditionem distribuenda personarum. [Hîc enim, ait Chrysostomus, insultant hæretici, ex iis quæ dicta sunt, filio quandam excogitantes diminutionem: sed in seipsos irruunt. Nam si vir est caput mulieris, caput autem est eiusdem essentiæ cuius corpus, caput autem Christi est Deus, filius est eiusdem essentiæ cuius pater, nempe consubstantialis. Sed aliter in muliere & viro accipis caput, & non sic in Christo: ergo & in filio & patre est aliter nobis accipiendum. Nam si vellet Paulus dicere imperium & subiectionem, vt tu dicis, non in medium adduxisset mulierem, sed seruum & Dominum. Nam etsi nobis subiecta est mulier, est tamen vt mulier,, vt libera, & vt quæ est honore æqualis. Filius quoque etsi fuit obediens patri, sed tamen fuit vt filius Dei, sed vt Deus. Nam qui est consiliarius, non est seruus.] Obedientia illa, voluntatis concordia est: consilium autem, mentis consortium. Itaque sicut filius præbendo consilium, non derogat sapientiæ patris, ita pater mandatum præscribendo, nequaquam filio præiudicat. Verba sunt ex humanis desumpta, sed diuinis sic attemperanda, vt & proprietas referatur, nec auferatur diuinitas.

Marginal notes (right column): Ambros. l. 4. de fide cap. 2. — Chrysost orat. 26. — Verba ex humanis desumpta, diuinis attemperanda sunt.

Ille caput, qui fons, origo, auctor, princi-

pium: quæ omnia patri ergà filium compe- A tunt fine vllo æqualitatis præiudicio: ideoque, vt dixit Aquinas: [Persona patris dicitur caput filij non quidem secundùm maiorem perfectionem, vel secundùm aliquam suppositionem, sed solùm secundùm originem, & secundùm conformitatem naturæ.] Filius est perfecta imago patris: ad rationem autem perfectæ imaginis, non solùm requiritur auctoritas, sed & æqualitas, dum alius ex alio cum absolutâ similitudine, & integrâ virtute exoritur. Est autem auctoritas in patre, in filio æqualitas. Nam, vt dixit Apostolus: [Est imago inuisibilis Dei.] Absoluta nimirum, seu perfecta, in B isto autem absoluto, perfecta etiam relatio est, sed relatio originis, quâ filius à Patre est, velut auctore, velut à fonte, velut à capite. Verùm: [Quomodo non omnia sunt similiter accipienda, ita nec omnia sunt penitus eiicienda. Dictus est Christus caput Ecclesiæ, si ex eo quod est humanum nihil accepero, cur hoc mihi dictum est? Rursus si omnia accepero, sequetur aliquid valdè à ratione alienum. Caput enim quod similia patitur atque corpus, iisdem quoque erit obnoxium. Quid ergo oportet dimittere, aut quid accipere? Dimittere oportet aliena omnia: exactam autem & perfectam accipere vnionem, & causam, & primum principium: & neque hoc solùm & C absolutè, sed id etiam quod est ex se maius cogitare, & Deo conueniens: firmior enim & stabilior est vnio, & principium magis honorandum.] Ita Chrysostomus. Similitudo est patris ac filij, virique ac mulieris. [Costa tollitur de Adam, ait Hieronymus, & ædificatur in coniugem: & ipsa rursum coniux in vnam viri carnem redigitur.] Exit filius à Patre, & ad patrem redit, in quo vnum est, tanquam principium de principio, nec tamen aliud principium à suo principio. Sic ergo: [Omnis viri caput Christus est:] secundùm humanam naturam: omnia enim ei subiecta sunt, siue in D cœlo, siue in terrâ: nam & caput angelorum est, sed secundùm præstantiam: caput fidelium, sed secundùm gratiam: caput omnium hominum etiam infidelium, sed secundùm eandem naturam. In caput enim omnium Christus constitutus est, viuorum mortuorumque Dominus. Sicut autem, omnis viri caput Christus, ita vir caput omnis mulieris. Denique vt originem repetamus, & omnium fontem, pronuntiamus patrem esse filij auctorem & principium. [Caput verò Christi Deus.] Quà pater scilicet ac genitor, ideoque non tantùm E secundùm humanitatem, sed & secundùm diuinitatem. Ita nulla est inæqualitas, & omnimoda connaturalitas.

Aquin. lect. 1.

Coloss. c. 1.

Chrysost. orat. 16.

Hieronym. in cap. 5. ep. ad Ephes.

Nulla in patre & filio inæqualitas est, & summa cõnaturalitas.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quomodo mulier viri gloria?

VIr non solùm ad imaginem & gloriam Dei est: sed & imago & gloria Dei. [Mulier autem gloria viri est.] Et homo quidem cum non sit perfecta & integra Dei imago, sed ad imaginem tendat ac similitudinem, id est, imaginis ac similitudinis perfectionem appetat: non est etiam perfecta & integra Dei gloria; sed sicut ad gloriam Dei factus est, sic & ad eandem Dei gloriam & viuere debet & agere; ad eum quippe finem à Deo conditus est, & talis operatio esse debet, qualis & conditio. [Considerandum est enim, ait Aquinas, quòd gloria Dei dupliciter dicitur. Vno modo, quà Deus in se gloriosus est, & sic homo non est gloria Dei, sed potius Deus est gloria hominis, secundùm illud Psal. 3. Tu Domine susceptor meus es, & gloria mea. Alio modo dicitur gloria Dei, claritas eius ab eo deriuata, secundùm illud Exod. vlt. Gloria Domini impleuit illud. Et hoc modo hîc dicitur, quod vir est gloria Dei, inquantum claritas eius immediatè super virum refulget, secundùm illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.] Vera si velimus loqui, Deus in seipso gloriatur, vt pote de seipso gloriosus: tum & in iis gloriatur quæ sibi similia sunt, veluti si dicamus solem gloriari primò in seipso, tum & de radio suo, seu lumine delectari tanquam imagine. Et Deus quidem gloriatur maximè in filio suo, tanquam in imagine absolutâ, & in Spiritu sancto tanquam in perfectâ similitudine: ambo enim non solùm similes sunt, sed & æquales: ideoque vna & eadem trium personarum est gloria. Iam verò & in homine etiam gloriatur, vt in opere suo vtcunque perfecto, vt in qualicumque imagine ac similitudine. [Scias enim, (vt loquar ex Seneca) non esse hominem tumultuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum, natura nihil habet quo magis glorietur, aut certè cui glorietur.] De rebus agitur naturalibus, imò & sublunaribus, quas inter homo principem locum obtinet, & operum diuinorum non solùm sedulum sese exhibet spectatorem, sed & miratorem. Itaque & consilio factus est, & priuato constructus artificio. [Ille, inquit Tertullianus, carnem fecit, iam tunc gloriantem, quòd illa pusillitas, limus in manus Dei, quæcumque sunt, peruenit; satis beatus, si solummodo contactus.]

Sicut autẽ vir gloria Dei est, sic & mulier gloria est viri: illi enim principatur vir, & in illâ, tanquam in suo gloriatur opificio. [Et hæc est alia causa, inquit Chrysostomus: Neque enim solùm quòd Christum habet caput, debet caput aperire, sed etiam quòd imperat mulieri. Nam principem qui ad regem accedit, oportet habere signũ imperij & principatûs. Quomodo ergo nullus ex principibus absque zonâ & læenâ audebit apparere coràm eo qui est redimitus diademate: ita nec tu absque signis imperij & principatûs, quod est esse aperto capite, ora Deum, ne dedecore afficias, & te, & eum qui te honore affecit. Idem etiam dixeris de muliere. Nam illi quoque est ignominiæ, si non habeat signa subiectionis. Mulier gloria viri est. Est ergo naturale viri imperium ac principatus. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Si autem ex aliquo esse, est gloria illius ex quo est, multò magis esse similem.] Quid voluit Apostolus, quando dixit, Caput mulieris est vir? [Caput, ait Tertullianus, ad auctoritatem posuit, auctoritas autem non alterius

Aquin. lect. 2.

Deus in seipso, & de suo gloriosus.

Seneca lib. 6. de benef. cap. 23.

Tertullian. lib. de Res. carn. c. 6.

Chrysost. orat. 16.

Caput ad auctoritatem posuit Apostolus.

Tertullian. lib. 5. adu. Marcion. cap. 8.

erit, quàm auctoris.] Caput mulieris vir, quia auctor: & inde principatur, inde & de proprio gloriatur opificio. Parùm est dominari pecudibus, volatilibus, piscibus; multum verò principari mulieri, vt in totum simili. [Mulier enim est gloria viri, quia claritas mulieris deriuatur à viro, secundùm illud Genes. 2. Hæc vocabitur virago quoniam de viro sumpta est. Ita vir est principium totius vniuersi.] Ita Aquinas. Inde ergo ratio & gloriationis in homine, & subiectionis in muliere. [Caput namque operire, ait Chrysostomus, est subiectionis: efficit enim vt deorsum aspiciamus, & pudore afficiamur, & propriam conseruemus virtutem. Virtus enim eius cui alius imperat, & honor, est manere in obedientiâ.] Sic ergo potestatem habere debet, seu velamen, vt alienam ferat potentiam; &, sicut Tertullianus dixit: [Notam quandam referat de habitu humilitatis, & obscuratione decoris.] Humana enim gloria deprimenda potius quàm erigenda.

Aquin, lect. 2.

Chrysost. orat. 26.

Tertullian. lib. 5. aduer. Mar. c. 8.

TROPOLOGIA.

Ideo debet mulier potestatem habere supra caput, propter Angelos.

QVidam:] Et propter Angelos.] Et textus Ambrosianus. [Propterea debet mulier potestatem habere supra caput, etiam propter Angelos.] Quasi inferat Paulus, addatque, velandam esse feminam, non solùm propter viros, sed & propter Angelos. Denique cum absoluit, aitque: [Nos talem consuetudinem non habemus:] causam subiicit peremptoriam. Tres igitur erunt huiusce obseruationis seu velationis rationes. Prima est ex consuetudine sanctorum: secunda, ex parte hominum: tertia, ex societate Angelorum.

Prima ratio, ex consuetudine sanctorum omnium. Ex quo enim virgines puellæ transitum ætatis suæ fecerant, id est, statum attigerant maturitatis, extrinseco velamine cælabantur ex modestiâ, sicut intrinseco donabantur à naturâ. [Per Græciam, ait Tertullianus, & quasdam Barbarias eius, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est & sub hoc cœlo institutum istud alicubi, ne qui gentilitati Græcanicæ au Barbaricæ consuetudinem illam ascribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt, & puto antè quosdam. Habent igitur & illæ eandem consuetudinis auctoritatem, tempora & antecessores opponunt magis quàm posteræ istæ. Quid obseruabimus, quid deligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, vtpote non extraneam, quia non extraneorum.] Id est fratrum Christianorum-ve: sunt enim extranei, qui extra fidem ac religionem positi. Ita ergo Apostolus: [Si quis, inquit, contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Ostendit contentionem aliquam de istâ specie fuisse, ad quam extinguendam toto compendio vsus est: neque virginem nominans, vt ostenderet dubitandum de velandâ non esse; & omnem nominans mulierem, cum

Tertullian. lib. de veland. virg. c. 2.

Tertull. c. 8.

A nominasset virginem. Sic & ipsi Corinthij intellexerunt. Hodie denique virgines suas Corinthij velant. Quid docuerint Apostoli, qui didicerunt approbantes.] Ita Tertullianus. Repugnabant aliqui mori ac consuetudini, verbisque certabant & argutiis. Quid ergo opponit Apostolus, quoue se protegit clypeo? Illo nimirum moris ac consuetudinis compendio. Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Quid nos? An quia Apostolus? An quia Iudæus? Et id enim apud Iudæos ipsos in more positum. [Apud Iudæos, ait ille, tam solenne est feminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur.] Quid ergo, B Talem consuetudinem? Nos Iudæi ex quibus exorti sunt Christiani, non habemus consuetudinem mulieres reuelandi, imò verò & consuetudinem habemus velandi. Morem hunc, vt legitimum vt sanctum æmulata est Ecclesia, volente naturâ, instituente disciplinâ. Stat ergo, mulierem omnem includi & abscondi oportere. [Ex quo se intelligere cœperit, (vti loquitur Tertullianus) & sensum naturæ suæ intrare, & de virginis exire, & pati nouum illud quod alterius ætatis est. Nam & principes generis Adam & Eua quandiu intellectu carebant, nudi agebant. At vbi de arbore agnitionis gustauerunt, nihil primum senserunt quàm C erubescendum. Itaque sui quique sexûs intellectum tegmine notauerunt. Impone velamen extrinsecùs, habenti tegumen intrinsecùs: tegantur etiam superiora, cuius inferiora nuda non sunt.] Natura docuit, scriptura firmauit, disciplina constituit. Seu, natura consuetudinem inuexit, scripura legem condidit, disciplina exigit. [Dei est scriptura, ait ille, Dei est natura, Dei est disciplina: quicquid contrarium est istis, Dei non est. Si scriptura incerta est, natura manifesta est: & de eius testimonio scriptura incerta non potest esse. Si de naturâ dubitatur, disciplina quid magis Deo D ratum sit, ostendit.]

Iudææ feminæ ex velamine capitis agnitæ.

Tertull. lib. de coron. mil. c. 4.

Tertullian. lib. de vel. virg. c. 11. & c. 12.

Tertul. c. 16.

Secunda ratio, ex parte hominum. Multa discutit Chrysostomus, quæ litteræ consona sentit, etsi nonnulla sint allegoriæ congrua. [Ostendit Paulus, (ita ille) quòd non solùm tempore orationis, sed etiam perpetuò mulierem oportet habere caput apertum. In viro autem, non de capitis tegumento, sed de comâ tractat oratio. Nam tunc solùm iubet caput aperire quando orat: comam autem alere semper prohibet. Propterea sicut dixit in muliere, Si autem non velatur, tondeatur: ita etiam de viro, Si comam nutriat, ignominia est illi. Non E dixit, Si aperiatur; sed, si comam nutriat. Et ideò in initio dicebat, Omnis vir orans aut prophetans super caput habens. Non dixit, operto capite; sed, super caput habens: ostendens quòd etiamsi oret nudo capite, comam autem habeat, perinde est atque si esset aperto capite. Capilli enim, inquit, pro velamine ei dati sunt. Si autem non velatur mulier, tondeatur. Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur. Nam in principio quidem vt nudum habeat caput exigit, procedens autem etiam vt nudum semper habeat tacitè exigit, dicens, Vnũ enim est ac si rasa sit, & quod cum omni studio & diligentiâ. Neque enim dixit solùm, nu-

Chrysost. orat. 26.

Femina telum iacit veneno suo illicitum.

καλύπτηται, id est operiatur; sed κατακαλύπτηται, id est A cooperiatur, vt sit perfectè vndique composita.] Par ratio in viro velamenti ac capillitij, neutrum enim gerit ad formam exstruendam, sed ad dignitatis notam, aut tutelam sanitatis, ideoque volente naturâ, vel causâ non exigente vtrumque respuit. Antiqui quippe, omnes ferè intecti, nisi fortè infirmi milites, aut peregrini: nec multò plus capillitij, quàm integumenti. At in feminis quo plus capillitij, plus velamenti. Debent enim non solùm operire caput, sed vultum circumquaque protegere: nec enim solùm velatæ esse debent, sed & vndique circumdatæ. Femina enim vrit videndo, B

Tert. l. de vel. virg. c. 16.

telumque iacit veneno illitum. [Omnes in te ætates periclitantur. (verba sunt Tertulliani) Oro te, vela caput: indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.] Quidni id agant Christianæ, cum præeant & ethnicæ? [Iudicabunt vos, ait

Tert. c. vlt.

ille, Arabicæ feminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere. Quas propterea infelicissimas ait Romana quædam regina, quòd adamare magis quàm adamari possint: cum sint vel ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris, immunitate felices, C quia facilius adamari quàm adamare feminæ possunt.] Idcircò igitur non velandæ solùm,

Tertullian. ibidem.

sed & vndique cælandæ & occultandæ. [Limites enim & fines tegminis eo vsque porriguntur, vnde incipit vestis, quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, vt ceruices quoque ambiantur: ipsæ enim sunt quas subiectas esse oportet, propter quas potestas suprà caput haberi debet: velamen iugum illarum est.] Ita Tertullianus. Vult enim illas vndique clausas, ne erumpant, & virus in virum expuant.

Tertia ratio, ex societate angelorum. Sunt fratres nostri, sed maiores; conciues nostri, sed nobiliores; socij, sed primores, & duces nostri D rectoresque. Quid ergo Paulus, cum ait, Ideò debet mulier potestatem habere suprà caput, & propter angelos? Debet mulier honestè ac modestè sese vbique gerere, maximè verò in publico conuentu, in quo oratur, in quo & prophetatur. Debet, inquam, non solùm propter viros, sed & propter angelos. Si enim non sufficiunt ista quæ diximus de viris, quibus mulieres obedientiam exhibent: id & de angelis adiicio quibus debent reuerentiam. [Nam si vi-

Chrysost. orat. 16.

rum, inquit, despicis, reuerere angelos.] Ita apud Chrysostomum. Ratio vbique viget tam in priuatis quam in publicis, sed in sacris vrget mysteriis: sunt enim custodes hominum, sed E sacrorum præsides. Dixi custodes hominum, tutores, rectoresque. [Administratorij enim

Bernard serm. 11. & 12. in Psal. Qui habitat.

spiritus sunt, (vti loquitur Bernardus) missi in ministerium propter nos; inde obtentus diuinæ gratiæ, hinc verò custodia viæ nostræ. Si quidem angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus indigentiis tuis, in omnibus desideriis tuis. Alioquin facile est tibi incurrere vias mortis, videlicet aut de necessitate in obstinationē, aut in præsumptionem de cupiditate prorumpas: quæ quidem iam non hominum, sed dæmonum viæ sunt. Ergo mandauit angelis suis Deus, non quidē vt amoueant te à viis tuis, sed vt in eis te custodiant, & quasi per vias suas,

Viæ humanæ, angelicæ, ac diuinæ.

vias tuas dirigant in vias ipsius. Summa ergo maiestas mandauit angelis, & angelis suis mandauit. Illis vtique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domesticis Dei. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem: conferre fiduciā? Reuerentiam pro præsentiâ, deuotionem pro beneuolentiâ, fiduciam pro custodiâ. Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus viis tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo, angelo tuo reuerentiam habe. Vt ne audeas illo præsente, quod vidente non auderes?] Sed si adsunt hominibus priuatis, præsunt & publicis orationibus. [Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.] Cur in medio? tanquam choragi, tanquam præsides: ministri quidem, sed hono-

Augustini Enarrat. in Psal. 67. vlt. med.

rabiles. [Principes in medio adolescentularum tympanistriarum, in ministerio scilicet honorabili: nam ita sunt in medio ministri præpositi Ecclesiarum nouarum. Hoc est enim adolescentularum carne edomitâ Deum laudantium.] Ita Augustinus. Angeli igitur non tantùm adsunt, sed & præueniunt: nec tantùm sociantur psallentibus orantibusque in cœtu publico, sed & concentu suo modulantur, quasi in medio constituti. Vnde Tertullianus. [Si

Tertul. lib. de orat. c. 12.

quidem, inquit, irreuerens est assidere sub conspectu, contraque conspectum eius, quē cū maximè reuerearis ac venereris: quanto magis sub conspectu Dei viui, Angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est?] Agit igitur Apostolus de cœtibus publicis, aitque Christianis mulieribus: Modestiam vbique seruare debetis & reuerentiam, maximè verò in publicis orationibus. Idcircò velamen inuadite, habitum assumite, feminæ omni congruum, sed fideli ac Christianæ necessarium. Si enim viros contemnitis, neu angelos contemnite: si id propter illos non facitis, saltem propter ipsas facite, quibus reuerentia omnis est debita. [Cum ergo dicit, Et propter ange-

Aquin. l. 3.

los, assignat tertiam rationem, quæ sumitur ex parte angelorum: qui conuentus fidelium visitare creduntur, præcipuè quando sacra mysteria celebrantur. Et ideò tam mulieres quàm viri ad reuerentiam eorum honestè & ordinatè se debent habere, secundùm illud Psalm. 137. In conspectu angelorum psallam tibi.] Ita Aquinas.

ANAGOGIA.

Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.

QVid in Domino? Si iam Christum non virum respicias, sed Deum Dominum suspicias: & primò quidem inquantum auctor naturæ est: secundò, in quantum gratiæ largitor: tertiò, in quantum distributor est gloriæ,

[Omnia autem ex Deo.] Nec natura minus, quàm gratia aut gloria.

A

Quoad naturam. Deiecerat sexum infirmum Apostolus, quia dixerat: [Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est.] Quid ergo? Mulier nec imago, nec gloria Dei est? Non ergo ab illo facta, non ad imaginem & similitudinem eius condita? [Sed hoc primò, (secundùm Aquinatem) excludit, dicens: Licet mulier sit gloria viri, qui est gloria Dei: Verumtamen neque vir est in Domino, idest, à Domino productus, sine muliere. Neque mulier sine viro. Vtrumque enim fecit Deus, secundùm illud Genes. 1. Masculum & feminam creauit eos.] Præmisit. [Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum.] Moxque addit: [Masculum & feminam creauit eos.] Vterque ergo sexus ad imaginem & similitudinem Dei conditus est, ideoque vterque etiam gloria Dei est, vt pote maiestatem auctoris referens, & characterem gerens conditoris. Itaque si ordinis habeatur ratio, vir muliere prior est, ideoque superior, non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: si autem conditoris ineatur quæstio, vtriusque anima ex æquo creata est à Deo, vtraque ad imaginem eius & similitudinem facta. Feminæ eodem luto maceratæ, eodem donatæ & genio & animo. [Eadem quippe massâ, (vti loquitur Basilius) quâ & viri, & ipsæ constant: ad imaginem Dei perinde ac isti, & ipsæ conditæ. Est sanè mulier ab opifice creata peræquè ac vir capax virtutis. Quid enim miri est? An non consanguineæ & ipsæ sunt viris per omnia? Non enim ad constituendam mulierem sola est assumpta caro, sed & os ex ossibus: quò fit, vt & ipsæ Domino nihil minùs ac viri redhibere debeât.] Certè nulla dubitatio esse potest, si humana forma spectetur, aut illa, in quâ imago diuina est, consideretur ratio. Quamuis enim dicatur, Faciamus hominem, non animam ad imaginem nostram: inde tamen homo est, quòd humanâ donatus est animâ. [Cognoscimus animam esse ad imaginem Dei, ait Ambros. sed consideremus vtrum de animâ potuerit dici, Faciamus hominem ad imaginem. Audi ergo, quia anima nomine hominis nuncupatur. Scriptum est enim in Genesi: Filij autem Ioseph qui facti sunt ei in Ægypto, animæ nouem. Et multo aptiùs anima vel homo Latinè, vel Græcè ἄνθρωπος dicitur: alterum ab humanitate, alterum ab intuendi habens viuacitate; quæ magis animæ, quàm corpori conuenire non dubium est. Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra quæ libera est, & diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Cognosce ergo te decora anima, quia imago Dei es.] Idcircò & par pari redditum est, vt sors quasi æquata, vt naturæ iura inuenirentur æqualia. [Nam, (vti loquitur Chrysostomus) postquam Apostolus magnam viro dedit excellentiam, vt qui dixerit ex ipso esse mulierem & propterea ipsam ei esse subiectam, ne viros plusquam par esset extolleret, neque illas nimis deiiceret, vide quemadmodum subiungit correctionem, dicens: Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Ne enim, inquit, mihi prima sola examines, neque illam fabricationem. Nam si ea quæ postea secuta sunt quæras, vterque vtriusque est auctor: vel potius nec sic quidem vterque vtriusque, sed Deus est auctor omnium. Et ideo dicit, Neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita vir per mulierem.]

Aquin. lect. 3.

B

Genes. c. 1.

C

Basilius Homil. in san Iulit. post. init.

D

Ambros. lib. 6. Hexam. c. 8.

E

Quomodo æquata sint naturæ humanæ iura.

Chrysost. orat. 26.

Quoad gratiam. Vir quidem principari debet, sed virtute, vt præstantia eius sit in constantiâ: vt eum mulier possit æmulari. [Fecit Deus hominem ad imaginem suam: vt quemadmodum ipse per omnipotentiam suam præest vniuersæ creaturæ, sic homo per intelligentiam quâ etiam creatorem suum cognoscit & colit, præesset omnibus terrenis animalibus. Fecit illi etiam adiutorium feminam: non ad carnalem concupiscentiam, quandoquidem nec corruptibilia corpora tunc habebât, antequam eos mortalitas inuaderet pœna peccati: sed vt haberet & vir gloriam de feminâ, cum ei præiret ad Dominum, seque illi præberet imitandum in sanctitate atque pietate; sicut ipse esset gloria Dei, cum eius sapientiam sequeretur.] Ita Augustinus. Præit igitur vir, dum præire concessum est; mulier imitatur, dum æmulari consultum. Æmulari dico, non subsequi: non enim res sequelæ est, sed concomitantiæ: nam vbi de diuinâ agitur gratiâ, non iam auctoritas viri, sed Dei benignitas requiritur. [Quale iugum fidelium duorum? ait Tertullianus. Vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem seruitutis? Ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritûs carnisue discretio. Atquin verè duo in carne vnâ. Vbi caro vna, vnus & spiritus. Simul orant, simul volutantur, & simul ieiunia transigunt, alterutro dicentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesiâ Dei pariter, in conuiuio Dei, in angustiis, in refrigeriis.] Vbi cum ait: [Alterutro dicentes.] Capio quod dicit: subdit enim. [Non furtiua signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuò prouocant quis meliùs Deo suo cantet.] Nam quod in cœtibus publicis, hoc & priuatis ædibus, quas tanquam domesticas habebant Ecclesias. Alterutrò enim dicebant psalmos hymnosque, mutuo personantes, mutuo prouocantes. Sed dubito an legi non possit: [Alterutrò docentes.] Vel, [Alterutro ducentes.] Sic enim, vel sic legunt nonnulli, & ita doctores ambos, ambos duces in virtute ac pietate constituunt. Quid verò, si crinem dementant, deponant infirmitatem, seseque in libertatem restituant? [Quæ enim se Deo vouerint, ait Hieronymus, &, seculo renunciantes, omnes delicias seculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerunt desecandum, non intecto postea contrà Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato.] Humano exsoluuntur iugo, dum diuino addicuntur obsequio. [Tantò magis liberæ, (vti dixit Tertullianus) quantò Christi solius ancillæ.] Nullam viro mortali debent seruitutem, quæ se vni viro castam virginem exhibent Christo: imò iam se viris imitandas præbent, dum consecrandas

Augustin. lib. de catech. rud. c. 18.

Tertul. lib. 2. ad vxo. c. vlt.

Religiosæ domesticæ Ecclesiæ officia.

Hieronym. ep. 48. circa med.

Tertull. lib. de vel. virg. c. 3.

ſecrandas ſe, & Angelis exhibent ſociandas. A Adnatam abradunt ſubiectionis notam, dum ipſam abiiciunt mulieritatis ſarcinam: iugum aſpernatæ, Deo diuiniſque incumbunt, terrenis exoneratæ, ſeſe cœlo inferunt.

Quoad gloriam. Tanta illa eſt, quanta eſt & gratia: ideoque qui pares ſunt in gratiâ, non ſunt in gloriâ diſpares. Ibi nec infirmitatis notæ, nec mortalitatis reliquiæ: nec ſolatia miſerorum, nec ſeruorum obſequia: non vſus ſexuum, non ſexûs officium: nec tamen vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino. Quid in Domino? omnes Chriſto Domino ſimiles, transfigurati omnes, omnes transformati.

Cyprian. l. de mortal. vlt. med.

[Quis enim non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cœleſtis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? B Paulo Apoſtolo prædicante: Noſtra autem conuerſatio, inquit, in cœlis eſt: vnde & Dominum expectamus Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Tales nos futuros & Chriſtus Dominus pollicetur, quando vt cum illo ſimus, & cum illo in æternis ſedibus viuamus, atque in regnis cœleſtibus gaudeamus, patrem precatur pro nobis: Pater quos mihi dediſti, volo vt vbi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem quam mihi dediſti prius quàm mundus fieret.]

Mulieres æternæ conſortes gloriæ.

Ibi humanitatis nulla ratio eſt, ſed claritatis; nec imparitatis ſuſpicio eſt, vbi eſt ſocietatis communio. Communis vtriuſque ſexûs patria eſt, communis & gloria. Nam etſi Adam primus paradiſum ingreſſus eſt; ipſum tamen Eua ſortita eſt in domicilium.

Cyprian. vers. finem.

[Patriam noſtram, ait ille, paradiſum computamus, parentes noſtros Patriarchas habere iam cœpimus: quid non properamus & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus. Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copioſa turba deſiderat. Illic Apoſtolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus. Triumphantes illic virgines, quæ concupiſcentiam carnis & corporis, continentiæ robore ſubegerunt.] Nulla igitur virorum aut mulierum concertatio eſſe debet, ſi ſumma ſanctorum omnium debet eſſe communio: imò nec vlterior rerum inquiſitio eſſe poteſt, quarum amplior eſſe non poteſt cõprehenſio. Nam, vti notauit Bernardus:

Bernard. ſerm. 4. in feſto ſanct. omnium.

[Quàm magna eſt beatitudo illa, tam abſcondita ab oculis noſtris. Nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quanta claritas, quanta ſuauitas, quanta iucunditas maneat nos in illâ cognitione. Pax Dei eſt illa, quæ exuperat omnem intellectum, quanto magis omnem ſermonem noſtrum? Quod ergo nulli datum eſt experiri, nullus conetur effari. Menſuram ait Dominus, plenam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros. Plenam vniuerſitate creaturarum, confertam in interiore homine noſtro, coagitatam in exteriore, & ſupereffluentem in Deo ipſo. Ibi cumulus felicitatis, ibi ſupereminens gloria; ibi ſupereffluens beatitudo.] Nonne gloria illa ſufficit omnibus, ſi in omnibus reuera ſupereffluit?

PARS SECVNDA.

DE COENA DOMINI.

TEXTVS.

HOc autem præcipio: non laudans, quòd non in melius; ſed in deterius conuenitis. Primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc fa-

cite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quoties-cumque enim enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cetera autem, cum venero, disponam.

EXEGESIS LITTERALIS.

INconditè ac irreligiosè conueniebant Corinthij ad cœnam Dominicam, sumebantque indignè. Castigat Apostolus, & quantâ digni sint pœnâ, denuntiat.

[Hoc autem præcipio: non laudans, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis, &c.] A laude inceperat. [Laudo autem vos fratres, quòd præcepta mea tenetis.] Laudat ergo quod probat; sed quod improbat, non solùm non laudat, sed & culpat. Paræneticum fuit quod præcessit. Nunc dogmaticum est: ideò sic incipit: [Hoc autem præcipio, non laudans.] De quo verò non laudat, de quo culpat? Quòd non in melius, sed in deterius conuenirent, quòd in cœtum coïrent Christianum, sed in detrimentum potius quàm ad profectum; quòd inde ruinam potius exstruerent, quàm perciperent gratiam. [In deterius conuenitis. Hoc est, non conuiuendi gratiâ, sed concertandi.] Ita Comment Athanas. [Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo, &c.] Cum in vnum coïtis, cum cœtum & conuentum facitis: audio, & aliquâ ex parte credo, diuisiones esse inter vos, dissensionesque. Quis hoc ferat? Conuentum religionis agere, nec inde tamen percipere fructum, sed pietatis pati dispendium? In vnum coïre, nec vinculum vnitatis custodire, sed in partes diuidi ac factiones? [Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, &c.] Cum ait Apostolus, se credere ex parte, censuram quidem temperat; sed cum addit, Nam oportet & hæreses esse, culpam comparat. Quidni aliquatenus credam, cum sciam hæreses futuras, nec solùm ob prauas hominum affectiones, sed & ob electorum probationem, manifestationemque bonorum inter vos latentium., non quidem agente fato, sed Deo disponente obuenturas? Plus namque est ac grauius hæreticum esse quàm schismaticum: omnis enim hæreticus schismaticus est, A non omnis schismaticus est hæreticus. Si certum est igitur aliquos etiam in vobis hæreticos fore, quidni schismaticos? maximè vbi dissentiones leuiores sunt, aut non ita graues, ac illæ quæ non solùm maculant disciplinam, sed & Ecclesiam dilacerant? [Cum autem dicit, vt probati, manifesti fiant inter vos: illos significat, qui traditione acceptâ durantes, exemplum probationis erant euangelicæ disciplinæ ad condemnationem cæterorum. Ij sunt quos in capite epistolæ significat, eo quòd dicerent, Nos verò Christi, cum alij dicerent, Ego Pauli, ego Apollo.] Ita Ambros.

Comment. Athanas.

Non omnis schismaticus, hæreticus est; sed omnis hæreticus, est schismaticus.

Ambros. in Paul.

[Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, &c.] Quid ergo est? In vnum quidem conuenitis vt B cœnam celebretis Dominicam: Sed id quod agitis non hoc præstat, imò & ad hoc collimat vt Dominicam cœnam violetis. Et priùs quidem notauit diuisionem tanquam corruptionis originem, tum & ad præcipuum declinauit religionis mysterium. [Vbi enim dissensio est, nihil rectum.] Sic & ille. [Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est, &c.] Quomodo cœnam celebratis Dominicam, cum quisque manducet suam? quomodo publicam probatis, cum quisque propriam sibi disponendo edendoque vendicet, aliisque non expectatis anticipet. Ita dum prius sumunt C alij, cæteri absunt, aut parciùs edunt: illi quidem farti dementire incipiunt, isti verò dilati ab omni fruge vitæ esuriunt. [Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo, &c.] Cur enim in Ecclesiam Dei conuenitis, si cœnam Domini celebrare contemnitis? cur domi non comeditis, si priuatam agere cupitis? Sanè domos habetis ad manducandum priuatim bibendumque: an igitur consessum ac cœtum contemnitis ecclesiasticum, quasi putetis comessationibus collectum & ebrietatibus, aut fratres negligitis tenuiores? Saltem eos con-

Ambros. ibidem.

Suffunduntur paupetes, dum inueniuntur nihil habentes.

funditis & pudefacitis, aut tanquam indignos admitti, quia nihil habent ad conferendum; aut tanquam dignos rejici, dum se ad edendum immiscent. Quid dicam vobis? Rursum laudabo vos? Certè non faciam: non enim mos iste laudabilis, sed error intolerabilis. Quî enim laudare possum quòd in deterius conuenitis, quòd sanctos tanquam profanos inclementiùs despicitis. [Facta est Ecclesia, vt non diuisi simus qui conuenimus, sed vt qui diuisi sumus simus coniuncti, & hoc ostendit conuentus. Et pudore afficitis eos qui non habent. Non dixit, Et fame enecatis eos qui non habent, sed ad suffundendum pudorem multò accommodatiùs, pudore afficitis: vt ostenderet quòd non tantum est ei curæ alimentum, quantum eâ quâ ipsi afficiebantur contumeliâ.] Ita Chrysostomus.

Chrysost. orat. 17.

[Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, &c.] Itane vos ego docui, ita vos institui? Iam dixerat, [Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.] Quod traditam retinetis doctrinam, eamque semper, aut certè frequenter reuocatis in memoriam. Sed excipio in isto mysterio, in quo nec memoriam laudare vestram, nec probare possum obseruantiam. Dicam ergo quod accepi per reuelationem Iesu Christi, quod & vobis tradidi. Sed repetam & litteris alligabo, ne aut elabatur ab animis, aut à malis corrumpatur. Hoc est ergo quod accepi, quod & tradidi: Dominum Iesum, mox tradendum in manus Iudæorum, panem accepisse, remque commendasse in perpetuam passionis ac mortis memoriam. [Et gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, &c.] Cum gratias egisset, Græcè εὐχαριστήσας, [Actis gratijs.] Ab hoc enim auspicatus est Christus, oculos ad cœlum attollendo; tum & bona pani, ritu ad mysterium præuio apprecatus: mox consecrato, distributoque, duodecim Apostolos inuitauit, ad accipiendum corpus suum edendumque: inter dandum enim communicandum-ve, operatorio sermone panem in corpus suum esse conuersum affirmauit, & idem corpus quod pro nobis traditum est in mortem, quod & in mysticâ cœnâ fractum secundùm speciem, idque in perennem passionis ac mortis recordationem fieri, & æuo currente mandauit frequentari. [Memoria enim redemptionis nostræ est, ait Comment. Ambros. vt redemptoris memores, maiora ab eo consequamur.] Ita vitium castigat, dum memorat mysterium. [Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem, &c.] Eodem modo, postquam cœnatum est, eodem & ordine & tempore, mensâ nondum sublatâ, poculum accepit vino mixto plenum, & ex eo sanguinem effecit suum, quo & nouum testamentum sancitum est confirmatumque, & eundem ritum in sui commemorationem instituit fore

Quod Paulus verbo tradidit, scripto consignauit.

Comment. Ambrof.

A perpetuum. [Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat, &c.] Quotiescumque enim panem istum ederitis, & istum biberitis calicem, id eo facitis instituto, vt redemptionis passionisque repetatur memoria, & inde resurrectionis ascensionisque gloria recolatur: donec ipse Dominus veniat, & per vniuersale iudicium resoluat omne mysterium. [Et Christi mortem annuntiabitis, id est, adusque eius aduentum secundum hanc præferetis.] Ita Athanas.

Athanas. in Paulum.

B [Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini, &c.] Iam ergo arguit ex dictis Apostolus, aitque Corinthijs, imò & nobis: Si in Christi memoriam erecta est mensa illa mystica, an in irreuerentiam mysterij? Quis iam ebrius accedet aut profanus impurusque, quis indignè accipiet aut irreligiosè; nisi qui reatum violati subire volet mysterij, meritumque luere supplicium? [Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini &c.] Quid porrò agendum est, & quomodo

Probare est conscientiã discutere, innocentiã excutere.

C accedendum? Vnusquisque semet examinet, conscientiam exploret suam, & iustam sinceramque dignitatis suæ, aut non damnandæ indignitatis sententiam proferens, humiliter, fidenter tamen de pane illo edat, & de calice illo bibat: si enim participet, adhuc sentiens damnandæ iniquitatis conscientiam; iudicium sibimetipsi manducat & bibit, dum id facit edendo & bibendo, vt tremendum incurrat offensi Dei & irati iudicium. Ratio est, quia non diiudicat corpus Domini, quia parui æstimat, quasi contemptim sumendo, nec ab aliis cibis speciatim discernendo. [Condemnationem sibi manducat & bibit, ex eo quòd

D non discernit corpus Domini ab aliis, indifferenter ipsum assumens.] Ita Aquinas. [Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, &c.] En præuia iudicij futuri testimonia. Nam multi inter vos qui indignè accesserunt, aut inualidi sunt, aut diutinâ infirmitate vexati, aut immaturâ etiam morte abrepti. [Quòd si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, &c.] Generalis admonitio est, sed hominis correptio: si enim nosmetipsos probaremus, si indignos nacti, non participaremus, non tanquam læsæ maiestatis, aut vio-

Aquin. lect. 7.

E latæ religionis rei, iustam à Deo reportaremus vindictam. Tamen dum affligimur, dum punimur, tanquam pueri à magistro corripimur; ne cum impiis ac reprobis æternum subeamus supplicium. [Hoc dicit, ait Ambros. quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non à Domino iudicaremur. Et quòd corripimur, tamen pro nobis est, vt timore ipso emendemur.] Agitis quidem tanquam infideles, sed tanquam fideles luitis. [Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate, &c.] Conclusio est: cum igitur conuenitis ad celebrandam cœnam Domini,

Ambros. in Paul.

cam, nullus suam priùs sumat, sed temperanter agat patienterque. [Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis, &c.] Si quis superuenientes fratres expectare non potest, tantam-ve tolerare abstinentiam; malo illum domi aliquid degustare, quàm conuentum in iudicium Dei incidere. [Cetera autem, cum venero, disponam.] Quid plura in breui epistolâ? & tamen plura sunt dicenda: sed cum ero apud vos, vti opto ac promitto, cetera in id spectantia, digeram, constituamque.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

MAlo doctrinam firmare, aut conscientiam formare, quàm agitare controuersiam. Itaque, vt loquar ex Tertulliano: [Hanc magis localem substantiam causæ præsentis adgredior, vt qui ex sollicitudine ignorantiæ quærunt, instruantur: & qui in defensionem delicti contendunt, reuincantur.] Præsens causa, de cœnâ Dominicâ est: delictum, ingens, imò & multa sunt, sed ex æquo proscribenda.

Tertul. l. de cor. milit. cap. 1.

DISQVISITIO PRIMA.

De Cœnâ Dominicâ.

QVid ergo cœna Dominica, quod Apostolus dixit *Κυριακὸν δεῖπνον*. Tertullianus nunc, [Conuiuium Dominicum] Nunc & [Conuiuium Dei] nuncupauit? [In Ecclesiâ Dei pariter, inquit, in conuiuio Dei; in angustiis, in refrigeriis.] In Ecclesiâ Dei pariter, id est in angustiis: in conuiuio Dei, id est in refrigeriis. Erant enim cœtus antelucani, erant & vespertini: in illis, lætitia; in istis, angustia. [Diem solis, ait ille, lætitiæ indulgemus.] Idcircò, vt testatus est Epiphanius in Ancorato. [In die Dominicâ, matutinis horis fiunt communiones.] Non enim perstabant in Ecclesiâ, sed acceptâ Eucharistiâ, ad propria remeabant. Ceteris diebus stabant perstabantque in angustiâ vsque ad vesperam, ieiunantes scilicet, & in Ecclesiâ Dei, id est, congregati in nomine Domini vsque ad stellam demorantes; sed inde postea, conuiuium Dei, seu Dominicum exercentes conuiuiû. Qui ergo perstant in Ecclesiâ Dei pariter, angustiati, afflicti, orantes, ieiunantesque, pariter etiam refrigerant dum cœnam pariter Dominicam participant. Statio illa species erat ieiunij: quia dum orarent illi, isti prophetarent, alij diuinis vacarent pertractandis, dies protrahebatur in vesperam, nec antè cœnam edebatur. Vnde Paulus. [Si quis esurit, domi manducet.] Si quis infirmus tamdiu expectare non potest, & ieiunus perstare, domi prægustet, dein & fratres expectet hinc inde aduentantes. Equidem nondum Dominica, seu dies solis, tunc suis instructa ritibus erat, aut ab aliis diebus, seu libertate gratulationis, seu immunitate stationis distincta. Sic igitur & positis genibus suis

Tertullian. lib. 2. ad vxo. cap 4. & vlt.

Tertullian. c. 16. Apol.

Epiphan. in Ancorat.

Statio non est propriè ieiunium, sed ieiunij portio.

non minùs in Dominicâ orasset Apostolus quàm in Pentecoste, nec minùs in Pentecoste sacrificium vespertinum celebrasset quàm in Dominicâ. [Vnâ autem Sabbati, ait Lucas in Actibus, cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus protraxit sermonem vsque in mediam noctem.] Ita nec tunc discreta erat Eucharistia à cœna Dominicâ, sed sicut Dominus post cœnam instituerat Eucharistiam, iusseratque sumendam: ita multi, quos inter, Corinthij, quasi Christum ipsum imitati, conuiuium actitabant Dominicum, tum & sacra celebrabant mysteria. Ita cœnam duntaxat agitabant, expectabantque vsque ad vesperam. Postea verò res mutata est, & ab ipso forsan Paulo aliter disposita. [Cum cœnamus, ait Cyprianus, ad conuiuium nostrum plebem conuocare non possumus, vt sacramenti veritatem, fraternitate omni præsente celebremus.]

Act cap. 20.

Cyprian. lib. 2. epist. 3.

Quoad cœnam igitur quam celebrabant Christiani, & quam violabant Corinthij, illa quidem debebat esse communis, sed non debebat esse sacramentalis. Communem dico, quæ omnium tam pauperum, quam & diuitum. Sacramentalem nego, in quâ sacra tantùm peragebantur mysteria; heic enim humana cum diuinis, diuina cum humanis miscebantur. Cœnæ rationem & ordinem describit Tertullianus, aitque. [Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, quod dilectio penes Græcos. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine, facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto iuuamus, non quâ penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris, inter contumelias saginandi; sed quâ penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta est caussa conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causâ æstimate quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit.] Hæc cœna, seu potius, vt & ipse dicit, in conueniendo & conuiuendo disciplina: in quâ sub singulari epularentur pietatis symbolo, sed communi sociarentur vinculo charitatis. Vt enim Christus Dominus suos collegit, quibus & postremam cœnam exhibuit; ita liquet primos Christianos Christum Dominum æmulatos, cœnam instituisse, omnesque ad eam fratres admisisse. Charitas enim est, (vti dixit Clemens Alexandrinus) consensio eorum quæ sunt in ratione & vitâ & moribus: aut, vt paucis dicam, vitæ societas, vel amicitiæ & beneuolentiæ extensio.]

Tertullian. in Apol. cap. 39.

Conuiuia charitatis à Christianis olim exhibita.

Clemens Alexand. li. 2. Stromat.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quanta delicta?

APostolus non reprehendit Corinthios quòd cœnam Dominicam celebrarent, imò verò ipsos reprehendit quòd non celebrarent. [Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam celebrare.] In id quidem conuenitis, benè est; sed longè aliud facitis, & id pessimè. [Primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.] Græcè σχίσματα. Primum dicit, præcipuum, & quasi erroris corruptionisve principium. [Non dicit, Audio vos non cõmuniter cœnare: (verba Chrysostomi) audio enim vos seorsum vesci, & non cum pauperibus: sed id posuit quod eorum mentem valdè erat commoturum, nempe nomen schismatis seu sectæ, quod etiam huius erat causa. Sicut enim in tribus millibus quæ ab initio crediderunt omnes communiter finibant conuiuia, & possidebant omnia communia: ita etiam tunc fiebat quando hæc scripsit, sed non adeò exactè & accuratè. Quoniam enim contingebat vt alij quidem essent pauperes, alij verò diuites, sua quidem omnia non proferebant in medium, statis autem diebus mensas faciebant communes: diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus: sed postea fuit etiam hic mos corruptus. Causa autẽ fuit ex eo quòd essent diuulsi, & se abscriberent alij quidem istis, alij verò illis, & dicerent, Ego quidem sum huius, ego verò illius.] Hoc accepit Paulus, & ex parte credit: id est, vt exponit Aquinas. [Quantum ad aliquos, qui erant ad contentionem proni.] Quidni credat quoad dissensiones, cum & hæreses esse oporteat [Si enim dissensiones & schismata increpat, (ita Tertullianus) quæ sine dubio mala sunt, & incontinenti hæreses subiungit, quòd malis adiungat; malum vtique profitetur, & quidem maius: cum ideò credidisse se dicat de schismatibus & dissensionibus, quia sciret etiam hæreses oportere esse. Ostendit enim grauioris mali prospectu de leuioribus se facilè credidisse. Certè non vt ideò de malis crediderit, quia hæreses bonæ essent, sed vti de peioris quoque notæ tentationibus præmoneret non esse mirandum, quas diceret: tendere ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint deprauare.]

Chrysost. orat. 17.

Quomodo à bonis de-fitum, & in deterius itum sit.

Aquin. lect. 4.

Tertullian. lib. de Præscript. c. 5.

Iam ergo delicta inde proficiunt, & proserpunt crimina. [Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.] Hoc ergo vocatis cœnam Dominicam, & vestram ac propriam; non communem iam, vt oporteret, sed singularem, vt dedecet, ἐν τῷ φαγεῖν, vendicatis. [Non dixit, Abstindit, sed præsumit. Non enim dixit, conuenientibus vobis non licet communiter manducare, non licet inter vos conuiuari. Sed alia quidem est, inquit, species conuentus: simul congregamini, mensa verò non est similis conuentui.] Inde & sequitur in Paulo, & ex Chrysostomo [Et alius

Chrysost. orat. 17.

A quidem esurit, alius autem ebrius est. Primum quidem crimen, quòd cœnam ignominiâ afficiunt: secundum autem, quòd ventrem infarciunt & inebriantur, & quod est grauius, etiam pauperibus esurientibus. Nam quæ erant communiter apponenda omnibus, iis isti soli vescentes procedebant ad insatiabilitatem & temulentiam. Et ideò non dixit, Alius esurit, alius verò saturatur, sed, ebrius est. Vnumquodque autem horum etiam per se dignum est reprehensione. Nam inebriari, etiam absque eo quod despiciantur pauperes, est crimen: & despicere pauperes, etiam absque ebrietate, meretur reprehensionem. Quando autem fuerint simul coniuncta, cogita quanta est exu-
B peratio sceleris & iniquitatis.] Ebrium, inebriatum-ve dicunt scripturæ hominem etiam, non solùm mentis inopem, potentem-ve vsque ad deliquium, sed & madidum, repetentem vices, calicesque siccantem, scintillâ rationis etiam residuâ. Sed necdum satis: [Cum enim Paulus ostendisset absurditatem, dein & cum magnâ indignatione eos increpat, dicens: Nunquid domos non habetis ad manducandũ & bibendum, aut Ecclesiã Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Ecce ergo quarta quoque est accusatio, quando non solùm pauperes, sed etiam Ecclesia afficitur contume-
C liâ. Sicut enim Dominicam cœnam facis priuatam, ita etiam rursus locum, vtens Ecclesiâ tanquam domo. Ecce denique quinta accusatio, non solùm despicere esurientes, sed eos etiam pudore afficere.] Ita Chrysostomus.

Quanta sit vno sint criminc facinora.

Chrysost. ibidem.

Sed & alia sunt quæ nec multo plus probaret Apostolus, necdum tamen castigaret, sed in tempus opportuniùs, maximè verò in aduentum protelaret suum. Nempe quod pasti sumerent Eucharistiam, quod & post cœnam, seu in vesperam semper protraherent. [Liquidò quidem apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos
D accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ quòd à ieiunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, (agnosce Augustinum) vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret quàm ceteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Cum verò ait Apostolus de hoc sacramento loquens, Propter quod fratres cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis. Statim subtexuit; Cetera autem cum venero, ordinabo. Vnde intelligi
E datur, quia multum erat, vt in epistolâ totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nullâ morum diuersitate variatur. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectauit, vt vno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipere liceat corpus & sanguinem Domini.] Exceptio illa est, tamen & quà exceptio, firmat regulam, disciplinam confirmat. [At enim non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Non quid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus,

Aug ep. 118. c. 6. & 7.

Eucharistia de more à ieiunis sumenda.

Cypr. lib. 2. epist. 3.

vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat (ita resoluit Cyprianus) circà vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israël ad vesperam. Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus.] Sic ergo non solùm ieiuni, sed & horis matutinis offerimus & sumimus, vt & vmbra discutiatur & incutiatur reuerentia.

TROPOLOGIA.

Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.

POst cœnam accedebant ad mensam mysticam, & vtramque miscebant. [Sic nempe faciebant, ait Augustinus, quos Apostolus arguit & emendat.] Vnde arguit & emendat? Ex eo quòd accepit à Domino, & tradidit. In eo igitur tria subnectenda sunt: veritas, solennitas, pietas: illa est, corporis Christi; ista, corporis mystici; hæc verò cuiuscumque Christiani.

Augustin. ep. 118. c. 6.

Quoad veritatem, tam clara tamque aperta illa propositio, [Hoc est corpus meum.] Ac illa: [Hic est filius meus dilectus.] Prima quidem à tribus Euangelistis, & à Paulo: secunda, à tribus pariter Euangelistis, & à Petro. Nec vlla vsquam variatio est termini, aut rei dissimulatio: idem omnes dicunt, idem omnes repetunt. Ideoque sicut nullus, Christum Dei filiũ per figuram interpretabitur, ita vanus est quicumque corpus Domini per vmbram commentabitur. [Et hæc itaque dispectio tituli, (loquor ex Tertulliano) fidem vtique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, vt si quid pars diuersa turbat obtentu figurarum & ænigmatum, manifestiora quæque præualeant, & de incertis, certiora præscribant. Adeò enim non omnia imagines, sed & veritates: nec omnia vmbræ, sed & corpora: vt in ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clarius prædicarentur. Vtique autem æquum sit, incerta de certis, & obscura de manifestis præiudicari: vel ne inter discordiam certorum & incertorum, manifestorum & obscurorum, fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa diuinitas vt inconstans denotetur: tum quod verisimile non est, vt ea species sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connititur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur.] Quò tandem peruenient imaginarij illi Christiani, qui omnia in imagines & similitudines, in vmbras detorquent figurasque; nec tam mysteria esse censent quàm ænigmata? Ergo & gloria in vmbrâ est, & gratia in figurâ: resurrectio corporum, similitudo est; imago sanctorũ communio? Spes ergo ac merces euanescent, nec omnia Christianis minùs quàm Iudæis in figurâ contingent? [Atque adeò, ait ille, si omnia figuræ, quid erit illud, cuius figuræ? Quomodo speculum obtendes, si nusquam est facies?] Hic est filius meus dilectus: quid clarius, quid & certius? adiungit tamen ne adhuc hæsites, In quo mihi benè complacui.

Tertullian. lib. de resu. carn. c. 19. & cap. 20. & 21.

Tertullian. cap. 20.

A Hoc est corpus meum: quid manifestius, quid & verius? addit tamen ne adhuc dubites, Quod pro vobis datur, Quod pro vobis tradetur. An igitur corpus Christi per vmbrã aut figurã pro nobis datũ est traditũ-ve? an in imagine & pro similitudine redẽpti sumus, aliquando, & nescio quando, in veritate redimendi? Verũ corpus pro nobis & verè passum est, verum corpus non solùm nobis sed pro nobis, & verè datum est & traditum, & si Græca repetas pro nobis fractum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. [Quod pro vobis frangitur.] Nam & eo modo frangitur, quo & calix funditur, τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Effusio illa, sicut & fractio, mystica quidem est ac sacramentalis, realis tamen est & vera. Tale enim mysterium est, vt tam singulare sit quàm & mirabile; ideoque nec exemplum admittere possit, nec ad rationis vulgaris speculum respondere. Corpus est, & verum est corpus; mysterium est tamen, & tam verum mysterium, quàm verum est corpus. Traditur, frangitur, sed traditur sub symbolo, & frangitur in mysterio. [Etenim, ait Chrysostomus, pro omnibus similiter est fractus, & ex æquo factus est corpus pro omnibus.] Verè homo factus pro nobis, tamque verè pro nobis corpus, quam pro nobis homo verè factus est. Vnde enim reatum incurro corporis & sanguinis Domini, si nec corpus nec sanguis est Domini? Vnde supplicium infirmitatis aut mortis subeo, si nulla corporis aut sanguinis iniuria? Vnde arguuntur illi qui non diiudicant, si non est quod diiudicandum sit? Cur & repelluntur illi qui seipsos non probant, qui conscientiam non emundant suam? Quis enim illos arguat, aut repellat vt indignos, si nihil est dignum; quomodo ad iudicium manducant & bibunt, si nec veram carnem manducant, nec verum bibunt sanguinem? Tam vana erunt crimina, quàm vacua mysteria, nisi vanitas veritati cedat, & veritas deferat corpori.

In mysterio & veritatis exhibitio est, & mortis repræsentatio.

B

Chrysost. orat. 17.

C

Quoad solennitatem. Illam habes ex Iustino, Trismegisto Christiano. [Ei qui fratribus præest, offertur panis, & aquæ vinique poculum: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum vniuersarum Patri, per nomen Filij & Spiritûs sancti offert, & Eucharistiam siue gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exsequitur. Atque vbi ille preces & gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus apprecatione lætâ eam comprobauit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratiæ actæ sunt panem vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Christus tradidit viuenti. Non enim vt communem panem, neque communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Iesus Christus saluator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit; ad eundem modum etiam eam in quâ per preces Verbi eius ab ipso profecti gra-

D Iustin. Apolog. 2. pro Christ. sub finem.

E

tiæ sunt actæ, alimoniam, vnde sanguis & A caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratiis actis, dixisse: Hoc est sanguis meus: ac solis ipsis tradidisse.] Multa sunt, sed omnia vsui sunt ac fructui. Primò ergo scias publicum esse Christianæ Ecclesiæ sacrificium. Idcircò adsunt quidem omnes, sed non omnes B præsunt; imò & omnes offerunt, sed non omnes arcana ac mystica verba proferunt. Quale est istud sacrificium? [Meum ac vestrum.] Non solùm quia panis & poculum aquæ & vini à fratribus offertur sacrorum præsidi, sed quia paribus animis à fidelibus offertur vniuersorum patri. [Præsidens, ait ille, vbi preces & gratiarum actionem absoluit, populus qui adest omnis faustâ approbatione acclamat, dicens, Amen. Amen autem voce Hebræâ, Fiat significat.] Ecclesia corpus est, quod per os suum loquitur; respublica est, quæ per populi præfectum ac Dei ministrum sacro fungitur officio. Itaque, [Præpositus, quantum pro virili suâ potest, εὐχὰς ἀναπέμπει, preces sursum C mittit.] Illius quippe est sacrum perficere, nedum facere, sacrificium, [Verbis quibusdam additis] consummare. Secundò, distribui omnibus, nec præsentibus solùm, sed & absentibus. [Distributio, inquit, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per diaconos mittitur.] Si enim publicum sacrificium est, omnibus etiam distribuendum est fidelibus. Tertiò, diebus Dominicis, paribusque profestis offerendum. [Solis, qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit: &, sicut retulimus, precibus peractis, panis offertur, & vinum, & D aqua.] Ita ille sparsim aut collectim.

Iustin. ibidem.

Publicum sacrificium à tota oblatum Ecclesia.

Quoad pietatem. Iam tria audiuimus ad recipiendam Eucharistiam necessaria, fidem sinceram, peccatorum remissionem, vitæ, morum-ve puritatem. Duo tamen addenda sunt, vnum respectu nostri, alterum respectu sacrificij. Primum nos ad vnitatẽ vocat, excitat ad charitatem. [Ad hoc enim, ait Chrysostomus, nos vocat illud terribile & formidandum sacrificium, iubens, curam vt geramus fratrum, & conseruemus eam quæ est nobis cum ipsis vnitatem: iubens vt cum concordiâ maximè ad ipsum accedamus, & ardenti charitate, & inde effecti aquilæ ad ipsum cœlum euolemus. Hoc dico, non vt non accedamus, sed ne temerè & inconsideratè accedamus. Nam sicut temerè accedere, periculum est; ita mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames & mors. Hæc enim mensa est neruus nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hac mensâ illuc excesserimus, cum magnâ fiduciâ sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti.] Quærit ille, cur Paulus meminerit in tanto mysterio & noctis & traditionis, [In quâ nocte tradebatur.] Aitque: [Non abs re, neque sine ratione aliquâ, sed vt suprà modum compungeret etiam à tempore. Nam & si quis sit planè lapis, si illius noctis illi venerit in mentem, quomodo erat tristis cum suis discipulis, quomodo fuit traditus, quomodo vinctus, quomodo abductus, quomodo iudicatus, quomodò cetera omnia quæ sunt secuta passus est, fit terâ mollior. Propterea hæc omnia nobis reuocat in memoriam, per tempus, & mensam, & proditionem, nos pudore afficiens, & dicens: Dominus quidem tuus seipsum pro te tradidit: tu autem fratrem tuum, pro teipso ne cibis quidem impertis. Ille corpus ex æquo dedit: tu autem ne panem quidem communem das ex æquo. Et tu ergo par pari referas, & ne te abscindas à proximo: etenim Christus omnibus ex æquo dedit, dicens, Accipite, comedite. Cogita quantum interesset inter præceptorem & proditorem. Sed tamen ille quoque cum eis accumbebat, & neque eum expulit, sed eum sale impertiit, & sacramentorum fecit participem. Cœnam non sinis esse Dominicam, vt qui non sinas eam esse communem: nam si est Domini, non debes eam tanquam priuatim auellere, sed tanquam quæ sit Domini, communiter omnibus proponere.] Alterum pietatem firmat, consummat sanctitatem. [Sic enim ait Chrysostomus, in pane & calice dixit Christus, Hoc facite in meam commemorationem, nobis aperiẽs causam dationis mysterij, & cum alijs hanc etiam dicens esse sufficientem ad fundandam pietatem. Quando enim cogitaueris quid Dominus tuus passus sit pro te, eris amantior sapientiæ. Quomodo autem illorum verborum maximè meminimus quæ audiuimus vltima ab ijs qui excedunt: ita etiam hic quoque Paulus volens terribilem reddere rationem, Recordemini, inquit, quòd hanc dedit vobis postremam mysterij institutionem: & in ipsâ nocte quâ pro nobis erat occidendus, hæc mandauit, & tradens nobis illam cœnam nihil postea addidit.] Reuocanda igitur, imò & celebranda est memoria eorum omnium quæ Christus Dominus pro nobis & dixit & fecit: maximè verò eorum quæ pro nobis passus est, dum pro nobis flagellatus, spinis coronatus, clauis confixus, denique mortuus.

Chrysost. orat. 24.

Chrysost. orat. 27.

Cur Paulus mortis meminerit & traditionis.

Chrysost. ead. orat.

ANAGOGIA.

Similiter & calicem.

E ILle calix inebrians quàm præclarus est! Illud certè vinum nouum in vtres nouos mittendum erat: & sicut verbis arcanis transmutatum est, ita modis arcanis homines transformare debebat, nec nouos duntaxat, sed & alios in totum facere. Primò, per sanctam ebrietatem: secundò, per spiritalem amentiam seu sapientem insipientiam: tertiò, per transfusionem mysticam.

Quoad. 1. Ebrios Christianos arbitrati sunt non Iudæi solùm, sed & ethnici: illi quidem ioco, isti etiam seriò: quin & Baccho initiatos

(Act. cap. 2.) calumniati, tanquam vino deditos. [Stupebant autem omnes & mirabantur ad inuicem, dicentes: quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.] Quæ verò causa, cur ethnici nos crederent Baccho initiatos? Eâ quâ præsumerent vino addictos, id est, mysteria vini celebrantes, quasi recolentes orgia Bacchi. Vnde illi ad Laurentium Martyrem. [Hunc esse vestris orgijs, (Prudent. in hym. Lau.) moremque & artem proditum est, Libent vt in auro Antistites. Argenteos scyphos ferunt, Fumare sacrum sanguinem.] Orgia Baccho sacra vt ἀπὸ τῆς ὀργῆς, vti docuit Clemens Alexandrinus, (Clemens in Protrep.) Inde bacchari, debacchari, idem quod sine more lymphari, stimulis concitari furiisque. Nec in his moror: auersor enim sacra, quæ non solùm profana sunt, sed & impia. Reuertor ad Iudæos; quos scimus & auream vitem templi sui tholis suspendisse, similemque infamiam Christianis, quasi consecraneis inspersisse. Quid verò ad illos Petrus? [Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.] (Act. cap. 2.) Quibus non negat, suos esse ebrios, sed negat esse eo modo quo existimabant Iudæi, nempe musto æstuanti, seu vino fumanti. Sed aliud vinum est quod ipsi minimè cogitabant. Idcircò Petrus. [Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.] Putatis illos ebrios; ita putate, quia læti biberunt sobriam ebrietatem spiritûs, ideoque intus Deo pleni sunt isti; nec enim sanctam hilaritatem contraxerunt per fumum vini, sed per spiritum Dei. Attendite vix discussam auroram in horam tertiam commigrasse, vix ora ac lumina resignasse, & inde concludite, non illos esse ebrios materiali vino, sed cœlesti afflatos radio: ille enim manè aurem erigit, & mentem præripit: diuino scitote illos igne accensos, musto spiritali affusos, influxu cœli inebriatos, spiritu Dei inundatos. [Cuius rei sacramentum (Cyprian. li. 2. epist. 3.) (ita loquitur Cyprianus) nec in Psalmis tacet Spiritus sanctus, faciens mentionem Dominici calicis, & dicens: Calix tuus inebrians perquam optimus. Calix autem qui inebriat, vtique vino mixtus est. Neque enim aqua inebriare quemquam potest. Sic autem calix Dominicus inebriat, vt & Noë in Genesi vinum bibens inebriatus est. (Ebrietas diuina, sancta sobrietas.) Sed quia ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis est ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus sanctus in Psalmo: Calix tuus inebrians, addidit, perquam optimus, quòd scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriat, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritualem sapientiam redigat, vt à sopore isto seculari ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat.] Hæc est illa diuina ebrietas, imò sancta sobrietas quæ mentem acuit, dum aciem erigit; quæ intellectum suscitat, inflammat animum. Calicem Domini biberunt, & ebrij tam innoxiè quàm & sanctè facti sunt.

Quoad. 2. Non solùm mentem acuit, sed reddit amentem. In hoc concordant profani & sancti, vt insanum dicant, quem putant nimis sanum. [Insanam vatem aspicies.] Id est, admodum sanam. Loquitur enim vates, nec vatem sui similem insequitur. Ita dicebant; [Fatuos] Fatidicos, à fatis canendis: & insanos, qui adeo essent sani, vt etiam excederent. Sed abeant profana, licet Ogygiâ antiquitate subnixa. In sacris: [Eliseus Prophetes (4. Reg. cap. 9.) vocauit vnum de filijs Prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad. Abijt ergo adolescens puer Prophetæ in Ramoth Galaad. Iesu autem egressus est ad seruos Domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te?] Sciebant vatem, quin & audito nuntio, statim paruerunt, tanquam ipsi de cœlo tacti, aut diuinitùs admoniti, insanum nihilominus dicebant quem credebant diuinum, quia sentiebant non humano sensu duci, sed sacro agi instinctu, impetuque diuino. Ita Poëtas vatibus sociant, quòd grandioris sint sermonis, nec aliter sua effundant carmina, quàm vates oracula; id est, non sese efferant, nisi concitati sint & afflati. [Videtur genus poëticum, (Dione teste) (Dio Chrysost orat. 36.) non multũ distare à sacris sermonibus.] Quid ita? Quia & ipsi insani. [Nam, (vti dixit Seneca) (Sen. lib. de tranq. an. cap. 15.) siue Græco poëtæ credimus, aliquando & insanire iucundum est: siue Platoni, Frustra poëticas fores compos sui pepulit.] Sed ad Nostros, & ad nostra. Eandẽ vocem hausit Macarius, (Macarius Homil. 8.) etsi aliam mentem habuit, cum istos vates insanos dixit: [Sui non compotes.] Accepit fortè ab ipso Dionysio, qui amentiam illam dixit ἄνευ νοίας. Est enim diuina ἀναγωγή, excessus, quo mens corripitur, & supra humanum sensum attollitur. [Hanc vim, ait Tertullianus, (Tertul. l. de Anima cap. 45.) ecstasin dicimus, excessum sensus, & amentiæ instar.] Sed illa insania supra modum sana est, amentia ista, insipientia non est, sed veræ causa sapientiæ. [Hanc enim irrationalem, (ita loquitur Dionysius) (Dionys. lib. de diuin. nom. cap. 7.) & mente carentem, & stultam sapientiam supereminenter laudantes dicimus, quia totius est animi & rationis, & totius sapientiæ & intellectûs causâ; & ab ipsa est omne consilium, & ab ipsâ omnis scientia & intelligentia, & ab ipsâ omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi.] Hæc est, quam Paulus vocat stultitiam Dei, quæ apparet homini carnali insana, cum humanam exuperet scientiam, & animam rore cœlesti, & spiritali inebriet. [Idcircò, ait ille, (Dionys. ep. 9.) diuina ac spiritualia eloquia, & rori, & aquæ, & lacti, & vino ac melli meritò assimilantur, quòd & viuificandi atque fœcundandi veluti in aquâ, & ad incrementum perducendi vt in lacte, & recreandi vt in vino, & purgandi simul atque conseruandi veluti in melle, habeant vim. Hæc enim sapientia diuina accedentibus ipsis præstat affluentiam indeficientium dapum inundantiam largiens, superemanans atque supereffluens. Istud nempe veraciter epulari est, atque ideo viuificans simul & paruulos nutriens & renouans atque perficiens celebratur. Iuxta hanc nempe sacram conuiuij expositionem, & ipse bonorum auctor omnium Deus inebriari perhibetur; propter plenissimam, & quæ omnem intelligentiam superet, diuinæ epulationis, siue (vt veriùs loquar) bonitatis perfectissimam atque ineffabilem, immensitatem.] Ita qui de Dei calice bibit, in sanctam

sanctam exurgit amentiam, & in diuinam emergit sapientiam.

Quoad. 3. Mutatus est Saül in virum alterum. Sed quo signo? [Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem. Inuenient te tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.] Vbi præcurrit signum, vinum interuenit. [Et cum ingressus fueris vrbem, obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.] Hic est ille calix Christi qui pro nobis funditur, sed vnde ille qui bibit, in virum alterum transfunditur. [Quemadmodum enim, (vti dixit Cyprianus) vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur: ita & potato sanguine Domini & poculo salutari, exponitur memoria veteris hominis, & fit obliuio conuersationis pristinæ secularis; & mœstum pectus ac triste, quod priùs peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitiâ resoluitur.] Non mutamus Christum in nos, sicut cibum aut potum carnis nostræ, sed in ipsum conuertimur: dum sanctè tamen ac piè manducamus ac bibimus, aliàs enim, etiam & manducando ac bibendo peruertimur. [Saülem denique, (verba Tertulliani) tam Dei spiritus postea vertit in alium virum, id est in prophetem, cùm dictum est, Quid hoc filio Cis? an & Saül in Prophetis? quàm & malus spiritus postea vertit in alium virum, in apostatam scilicet. Iudam quoque aliquandiu cum electis deputatum vsque ad loculorum officium, &, si iam fraudatorem, traditorem, tamen nondum, postea diabolus intrauit.] Quandonam intrauit? Post buccellam: non quia malum accepit, sed quia bonum malus malè accepit: sumpsit quidem Eucharistiam, sed ad iudicium: & dum reatum incurrit violati mysterij, extremum patibuli supplicium meruit. [Oportet igitur: (concludo ex Chrysostomo) eum qui ad hoc corpus accedit esse sublimem, & cum terrâ nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assiduè sursum volare; & ad solem iustitiæ aspicere, acutosque & perspicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non gracculorum hæc est mensa. Vbi autem cadauer, inquit, illic & aquilæ: cadauer corpus vocans propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos nos surrexissemus. Cũ timore ergo & summâ puritate ad ipsum accedamus: & quando ipsum videris propositum, dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis: non sum amplius captiuus, sed liber: propter hoc spero me accepturum cœlos & omnia bona quæ in eis sunt, vitam immortalem, angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem.] Sic enim pius attollitur animus, sic & in Christum ipsum transfunditur. Probet se tantùm homo, mysteriumque seriò diiudicet: sic enim iudicium sibi non bibet, sed spiritum Dei hauriet.

1. Reg. c. 10.

Cyp. l. 2. epist. 3.

Tertul. lib. de Anima cap. 11.

Chrysost. orat. 24.

Quomodo animus in sacramento transfusus.

CAPVT DVODECIMVM.

Epigraphe.

Diuersa sunt Spiritûs sancti charismata Ecclesiæ concessa, sicut & varia corporum membrorum ve officia, animæ inseruientia.

TEXTVS.

De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem Spiritus: Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij

interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno Spiritu potati ſumus. Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes: Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris: Quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore? Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit. Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarij. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt: & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nullius egent: ſed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

EXEGESIS LITTERALIS.

BOna ſunt chariſmata iſta, non ſunt tamen optima, cum ſint alia meliora: excellentia ſunt, ſed & alia ſunt excellentiora: & illa tamen & iſta in myſtico corpore ſunt neceſſaria.

[De ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres, &c.] Spiritualia, dona ſunt à Spiritu ſancto conceſſa. Ignorabant Corinthij, aut certè agebant quaſi neſcirent quis legitimus eorum vſus: idcircò non vult eos ignorare, dum vult eos inſtruere. [Erant itaque inter Corinthios ob huiuſmodi ſpiritus gratiam diſſenſiones obortæ nonnullæ. Nam qui maioribus eſſent donis affecti, ſuperbiâ efferebantur. Qui verò minoribus, his inuidebant qui plus ſpiritûs accepiſſent.] Ita Athanaſ. (Athanaſ. in Paul.) [Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes, &c.] Scitis quia quandò gentilitio ritu viuebatis, ad idola colen-

A da more pecudum accedebatis, non enim ratione, ſed conſuetudine: ducem potius ſequentes, quàm religionem excolentes. Quæ enim religio in quâ tam amentes ſunt cultores, quàm muta & inſenſata ſunt numina. Sic eratis, euntes; ſic ibatis, errantes. Sed quantum nunc Deo debetis, qui non ſolùm vos à tantis erroribus reuocauit, ſed & eximiis cumulauit muneribus? [Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu, &c.] Ieſu, eſt, iuxtà Græca in accuſandi. (Ieſum anathema dicit, cuius quærit exterminiū.) Primò igitur, ſcitote, quod nullus per Spiritum Dei loquens, Ieſum impetit aut maledicit. Hoc facit Iudæus, qui ſe Spiritum habere Dei gloriatur, Chriſtum tamen exſecratur. Dicit Anathema, dum deturbari cupit & exterminari. [Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, &c] Iterum ex Græcis [Dominum Ieſum.] Sed iſta non ſunt tanti: qualiſcumque enim tandem caſus ſit, idem eſt ſenſus. Nemo ergo ſincerè ac piè confiteri po-

test, quòd Iesus sit Dominus, saluator redemptorque generis humani: nemo potest fidem istam profiteri, nisi per infusam vim virtutemve Spiritûs sancti. [Dictum enim ipsum, ait Ambros. quo significatur Dominus Iesus non adulatione hominum, sicut & idola dij vocantur, sed Spiritûs sancti veritate, profusum est.]

Ambros. in Paul.

[Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem, &c.] Græcè,

[Differentiæ donorum.] Quasi dicant, Multitudine differunt & varietate, auctore non differunt. [Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus, &c.] Varia etiam per vniuersam Ecclesiam distributa sunt ministeria: & idem Dominus, cuius merito collata sunt omnia. Multa sunt etiam ac diuersa fidelium, sanctorum-ve energemata: idem autem Deus est, cuius beneficio peracta sunt omnia. Ipse enim est, qui vt primum ac summum principium omnia in omnibus operatur, sine quo nihil inchoatur, nihil & consummatur. Prius meminit Spiritûs, cui ob bonitatem attribuuntur; dein & Christi, cui ob dignitatem referuntur, postremo Patris, à quo ob potestatem oriuntur [Denique, ait Comment. Ambros. operante vno tres operari dicuntur, vt Trinitatis mysterium in vnius Dei naturâ & potestate claudatur.] Patet quidem fons potestatis, sicut & deitatis: sed & vna potestas est, sicut & vna deitas. [Vnicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, &c.] Iam ad species descendit, & per partes expendit. Nec intendit dicere, cuique datum esse Spiritum: sed cuicumque tandem datus sit Spiritus, non ad vanitatem datum, sed ad vtilitatem: ad communem vsum, non ad fastum quæstum ve singularem. Nam huic quidem gratia datur, quâ possit religionis mysteria per supremas caussas edissere, diuini consilij arcana detegere: alij verò per eundem Spiritum datur gratia, quâ doctrinam possit rudibus seu incipientibus attemperare, & per scientiam humanam, carnales adhuc, seu minùs spirituales instruere ac prouehere. [Alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu? alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, &c.] Aliud fides, aliud sermo fidei: sermo enim fidei, res aperit fidei: fides verò de quâ hîc Paulus, non tam credendorum est, quàm agendorum; eo fine data, vt quis edat signa, & per opera miraculosa, fidem inducat, religionem muniat. Quomodo enim operabitur grandia, nisi singulari illustretur lumine, & grandi donetur fide? Inde charismata curationum, inde & prodigiorum efficientia. Inde donum prophetandi, inde & propheticos spiritus diiudicandi: inde donum variis loquendi linguis, inde & eas scitè ac peritè exponendi. [Magni sanè, ait Athanas. apud Corinthios linguarum gratia habebatur, cui eo plurimum confidebant, quo prius fuisset Apostolis tradita; ob idque & aliis præstantior gratiis videbatur, cum esset inferior. Nam doctrinæ gratia longè est excellentior. Et simplex variis linguis loquendi donum, plurimum antecedit linguarum interpretatio.] Ita ille ex Græco.

Comment. Ambros.

Gratiæ non ad vanitatẽ datæ, sed ad vtilitatem.

Athanas. in Paul.

[Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult, &c.] Spiritus sanctus, pro naturâ suâ bonus, communicatiuus, ac profluus: sed si subsistit bonitate, voluntate procedit. Idcircò ad arbitrium suum disponit omnia, nec voto humano, sed suo consilio peculiaria dona distribuit. [Non solùm consolatur, ait Chrysostomus, sed etiam os obstruit contradicenti, hîc dicens, Diuidens singulis prout vult.] Vnde consolatio? ex distributione gratiarum. Vnde summissio? vel ex ipsâ donorum ac gratiarum nominatione. [Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus, &c.] Videte humanum corpus, quomodo se habeat: vnum est, & membra habet plura, sed eidem vnitati seruientia. Tale est & spirituale corpus seu mysticum. Non enim omnia vni data sunt, & tamen omnia vnitati seruiunt, quia in vsum publicum conferenda sunt omnia. [Adaptat similitudinem, dicens; Ita & Christus: scilicet est vnus. Et tamen, ait Aquinas, multa & diuersa habet membra: scilicet omnes fideles, secundùm illud Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo.] Membra capiti suo cohærentia. [Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus, &c.] In Ecclesiâ sunt Iudæi & Græci, sunt serui & liberi, sed vnum & idem corpus constituunt. Ille enim vnus & idem Spiritus qui Christum formauit, reformauit Christianum, & per baptismum, tanquam membrum capiti suo coaptauit. Itaque quicumque baptizati sumus, Christo sumus incorporati, cum ipso coagmentati; & inde in vnum potati spiritum, quem hausimus renascendo, quem & viuendo intriuimus. [Quanto digniùs, ait Tertullianus, fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerũt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt veritatis.] Bibitur Spiritus, dum effunditur; potamur, dum coaptamur. Quanquam & ad aliud trahi potest, vt qui cœpit perficiat, qui genuit nutriat; qui vitam dedit, addat & alimoniam.

Chrysost. Orat. 29.

Aquin. lect. 3.

Spiritus qui Christum formauit, reformauit Christianũ.

Tertullian. c. 39. Apol.

[Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam sum manus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore? &c.] Resumit similitudinem, & ad finem perducit. Quis vnquam vidit corpus vno membro compactum? Nonne tot sunt membra corporum, quot membrorum officia? Nonne tam varia sunt, quàm & necessaria? Iam ergo, si pes animaduertens se non esse manum, dixerit se non esse de corpore, an ideo de corpore excidit? Sic & in corpore mystico, tam diuersa sunt membra, quàm & varia sunt munia. Si quis ergo inferiori, velut contemptibili & loco destinatus & officio, animaduertens alium superiori muneri, & operi

cite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cetera autem, cum venero, disponam.

EXEGESIS LITTERALIS.

INconditè ac irreligiosè conueniebant Corinthij ad cœnam Dominicam, sumebantque indignè. Castigat Apostolus, & quantâ digni sint pœnâ, denuntiat.

[Hoc autem præcipio: non laudans, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis, &c.] A laude inceperat. [Laudo autem vos fratres, quòd præcepta mea tenetis.] Laudat ergo quod probat; sed quod improbat, non solùm non laudat, sed & culpat. Paræneticum fuit quod præcessit. Nunc dogmaticum est: ideò sic incipit: [Hoc autem præcipio, non laudans.] De quo verò non laudat, de quo culpat? Quòd non in melius, sed in deterius conuenirent, quòd in cœtum coïrent Christianum, sed in detrimentum potius quàm ad profectum; quòd inde ruinam potius exstruerent, quàm perciperent gratiam. [In deterius conuenitis. Hoc est, non conuiuendi gratiâ, sed concertandi.] Ita Comment Athanas. [Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo, &c.] Cum in vnum coïtis, cum cœtum & conuentum facitis: audio, & aliquâ ex parte credo, diuisiones esse inter vos, dissensionesque. Quis hoc ferat? Conuentum religionis agere, nec inde tamen percipere fructum, sed pietatis pati dispendium? In vnum coïre, nec vinculum vnitatis custodire, sed in partes diuidi ac factiones? [Nam oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, &c.] Cum ait Apostolus, se credere ex parte, censuram quidem temperat; sed cum addit, Nam oportet & hæreses esse, culpam comparat. Quidni aliquatenus credam, cum sciam hæreses futuras, nec solùm ob prauas hominum affectiones, sed & ob electorum probationem, manifestationemque bonorum inter vos latentium, non quidem agente fato, sed Deo disponente obuenturas? Plus namque est ac grauius hæreticum esse quàm schismaticum: omnis enim hæreticus schismaticus est, A non omnis schismaticus est hæreticus. Si certum est igitur aliquos etiam in vobis hæreticos fore, quidni schismaticos? maximè vbi dissentiones leuiores sunt, aut non ita graues, ac illæ quæ non solùm maculant disciplinam, sed & Ecclesiam dilacerant? [Cum autem dicit, vt probati, manifesti fiant inter vos: illos significat, qui traditione acceptâ durantes, exemplum probationis erant euangelicæ disciplinæ ad condemnationem cæterorum. Ij sunt quos in capite epistolæ significat, eo quòd dicerent, Nos verò Christi, cum alij dicerent, Ego Pauli, ego Apollo.] Ita Ambros.

Comment. Athanas.

Non omnis schismaticus, hæreticus est; sed omnis hæreticus, est schismaticus.

Ambros. in Paul.

[Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, &c.] B Quid ergo est? In vnum quidem conuenitis vt cœnam celebretis Dominicam: Sed id quod agitis non hoc præstat, imò & ad hoc collimat vt Dominicam cœnam violetis. Et priùs quidem notauit diuisionem tanquam corruptionis originem, tum & ad præcipuum declinauit religionis mysterium. [Vbi enim dissensio est, nihil rectum.] Sic & ille. [Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est, &c.] Quomodo cœnam celebratis Dominicam, cum quisque manducet suam? quomodo publicam probatis, cum quisque propriam sibi disponendo edendoque vendicet, aliisque non expectatis anticipet. Ita dum prius sumunt C alij, cæteri absunt, aut parciùs edunt: illi quidem farti dementire incipiunt, isti verò dilati ab omni fruge vitæ esuriunt. [Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo, &c.] Cur enim in Ecclesiam Dei conuenitis, si cœnam Domini celebrare contemnitis? cur domi non comeditis, si priuatam agere cupitis? Sanè domos habetis ad manducandum priuatim bibendumque: an igitur consessum ac cœtum contemnitis ecclesiasticum, quasi putetis comessationibus collectum & ebrietatibus, aut fratres negligitis tenuiores? Saltem eos con-

Ambros. ibidem.

Suffunduntur pauperes, dum inueniuntur nihil habentes.

funditis & pudefacitis, aut tanquam indignos admitti, quia nihil habent ad conferendum; aut tanquam dignos rejici, dum se ad edendum immiscent. Quid dicam vobis? Rursum laudabo vos? Certè non faciam: non enim mos iste laudabilis, sed error intolerabilis. Quî enim laudare possum quòd in deterius conuenitis, quòd sanctos tanquam profanos inclementiùs despicitis. [Facta est Ecclesia, vt non diuisi simus qui conuenimus, sed vt qui diuisi sumus simus coniuncti, & hoc ostendit conuentus. Et pudore afficitis eos qui non habent. Non dixit, Et fame enecatis eos qui non habent, sed ad suffundendum pudorem multò accommodatiùs, pudore afficitis: vt ostenderet quòd non tantum est ei curæ alimentum, quantum eâ quâ ipsi afficiebantur contumeliâ.] Ita Chrysostomus.

Chrysost. orat. 17.

[Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, &c.] Itane vos ego docui, ita vos institui? Iam dixerat, [Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.] Quod traditam retinetis doctrinam, eamque semper, aut certè frequenter reuocatis in memoriam. Sed excipio in isto mysterio, in quo nec memoriam laudare vestram, nec probare possum obseruantiam. Dicam ergo quod accepi per reuelationem Iesu Christi, quod & vobis tradidi. Sed repetam & litteris alligabo, ne aut elabatur ab animis, aut à malis corrumpatur. Hoc est ergo quod accepi, quod & tradidi: Dominum Iesum, mox tradendum in manus Iudæorum, panem accepisse, remque commendasse in perpetuam passionis ac mortis memoriam. [Et gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, &c.] Cum gratias egisset, Græcè εὐχαριστήσας, [Actis gratijs.] Ab hoc enim auspicatus est Christus, oculos ad cœlum attollendo; tum & bona pani, ritu ad mysterium præuio apprecatus: mox consecrato, distributoque, duodecim Apostolos inuitauit, ad accipiendum corpus suum edendumque: inter dandum enim communicandum-ve, operatorio sermone panem in corpus suum esse conuersum affirmauit, & idem corpus quod pro nobis traditum est in mortem, quod & in mysticâ cœnâ fractum secundùm speciem, idque in perennem passionis ac mortis recordationem fieri, & æuo currente mandauit frequentari. [Memoria enim redemptionis nostræ est, ait Comment. Ambros. vt redemptoris memores, maiora ab eo consequamur.] Ita vitium castigat, dum memorat mysterium. [Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem, &c.] Eodem modo, postquam cœnatum est, eodem & ordine & tempore, mensâ nondum sublatâ, poculum accepit vino mixto plenum, & ex eo sanguinem effecit suum, quo & nouum testamentum sancitum est confirmatumque, & eundem ritum in sui commemorationem instituit fore

Quod Paulus verbo tradidit, scripto consignauit.

Comment. Ambros.

A perpetuum. [Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat, &c.] Quotiescumque enim panem istum ederitis, & istum biberitis calicem, id eo facitis instituto, vt redemptionis passionis-ue repetatur memoria, & inde resurrectionis ascensionisque gloria recolatur: donec ipse Dominus veniat, & per vniuersale iudicium resoluat omne mysterium. [Et Christi mortem annuntiabitis, id est, adusque eius aduentum secundum hanc præferetis.] Ita Athanas.

Athanas. in Paulum.

[Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè:
B reus erit corporis & sanguinis Domini, &c.] Iam ergo arguit ex dictis Apostolus, aitque Corinthijs, imò & nobis: Si in Christi memoriam erecta est mensa illa mystica, an in irreuerentiam mysterij? Quis iam ebrius accedet aut profanus impurusque, quis indignè accipiet aut irreligiosè; nisi qui reatum violati subire volet mysterij, meritumque luere supplicium? [Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini &c.] Quid porrò agendum est, & quomodo
C accedendum? Vnusquisque semet examinet, conscientiam exploret suam, & iustam sinceramque dignitatis suæ, aut non damnandæ indignitatis sententiam proferens, humiliter, fidenter tamen de pane illo edat, & de calice illo bibat: si enim participet, adhuc sentiens damnandæ iniquitatis conscientiam; iudicium sibimetipsi manducat & bibit, dum id facit edendo & bibendo, vt tremendum incurrat offensi Dei & irati iudicium. Ratio est, quia non diiudicat corpus Domini, quia parui æstimat, quasi contemptim sumendo, nec ab aliis cibis speciatim discernendo. [Condemnationem sibi manducat & bibit, ex eo quòd
D non discernit corpus Domini ab aliis, indifferenter ipsum assumens.] Ita Aquinas. [Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, &c.] En præuia iudicij futuri testimonia. Nam multi inter vos qui indignè accesserunt, aut inualidi sunt, aut diutinâ infirmitate vexati, aut immaturâ etiam morte abrepti. [Quòd si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, &c.] Generalis admonitio est, sed hominis correptio: si enim nosmetipsos probaremus, si indignos nacti, non participare-
E mus, non tanquam læsæ maiestatis, aut violatæ religionis rei, iustam à Deo reportaremus vindictam. Tamen dum affligimur, dum punimur, tanquam pueri à magistro corripimur; ne cum impiis ac reprobis æternum subeamus supplicium. [Hoc dicit, ait Ambros. quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non à Domino iudicaremur. Et quòd corripimur, tamen pro nobis est, vt timore ipso emendemur.] Agitis quidem tanquam infideles, sed tanquam fideles luitis. [Itaque fratres mei; cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate, &c.] Conclusio est: cum igitur conuenitis ad celebrandam cœnam Domini,

Probare est conscientiã discutere, innocentiã excutere.

Aquin. lect. 7.

Ambros. in Paul.

cam, nullus suam priùs sumat, sed temperanter agat patienterque. [*Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis, &c.*] Si quis superuenientes fratres expectare non potest, tantam-ve tolerare abstinentiam; malo illum domi aliquid degustare, quàm conuentum in iudicium Dei incidere. [Cetera autem, cum venero, disponam.] Quid plura in breui epistolâ? & tamen plura sunt dicenda: sed cum ero apud vos, vti opto ac promitto, cetera in id spectantia, digeram, constituamque.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

MAlo doctrinam firmare, aut conscientiam formare, quàm agitare controuersiam. Itaque, vt loquar ex Tertulliano: [Hanc magis localem substantiam causæ præsentis adgredior, vt qui ex sollicitudine ignorantiæ quærunt, instruantur: & qui in defensionem delicti contendunt, reuincantur.] Præsens causa, de cœnâ Dominicâ est: delictum, ingens, imò & multa sunt, sed ex æquo proscribenda.

Tertul. l. de cor. milit. cap. 1.

DISQVISITIO PRIMA.

De Cœnâ Dominicâ.

QVid ergo cœna Dominica, quod Apostolus dixit *Κυριακὸν δεῖπνον*. Tertullianus nunc, [Conuiuium Dominicum] Nunc & [Conuiuium Dei] nuncupauit? [In Ecclesiâ Dei pariter, inquit, in conuiuio Dei; in angustiis, in refrigeriis.] In Ecclesiâ Dei pariter, id est in angustiis: in conuiuio Dei, id est in refrigeriis. Erant enim cœtus antelucani, erant & vespertini: in illis, lætitia; in istis, angustia. [Diem solis, ait ille, lætitiæ indulgemus.] Idcircò, vt testatus est Epiphanius in Ancorato. [In die Dominicâ, matutinis horis fiunt communiones.] Non enim perstabant in Ecclesiâ, sed acceptâ Eucharistiâ, ad propria remeabant. Ceteris diebus stabant perstabantque in angustiâ vsque ad vesperam, ieiunantes scilicet, & in Ecclesiâ Dei, id est, congregati in nomine Domini vsque ad stellam demorantes; sed inde postea, conuiuium Dei, seu Dominicum exercentes conuiuiũ. Qui ergo perstant in Ecclesiâ Dei pariter, angustiati, afflicti, orantes, ieiunantesque, pariter etiam refrigerant dum cœnam pariter Dominicam participant. Statio illa species erat ieiunij: quia dum orarent illi, isti prophetarent, alij diuinis vacarent pertractandis, dies protrahebatur in vesperam, nec antè cœnam edebatur. Vnde Paulus. [Si quis esurit, domi manducet.] Si quis infirmus tamdiu expectare non potest, & ieiunus perstare, domi prægustet, dein & fratres expectet hinc inde aduentantes. Equidem nondum Dominica, seu dies solis, tunc suis instructa ritibus erat, aut ab aliis diebus, seu libertate gratulationis, seu immunitate stationis distincta. Sic igitur & positis genibus suis

Tertullian. lib. 2. ad vxo. cap 4. & vlt.

Tertullian. c. 16. Apol.

Epiphan. in Ancorat.

Statio non est propriè ieiunium, sed ieiunij portio.

non minùs in Dominicâ orasset Apostolus quàm in Pentecoste, nec minùs in Pentecoste sacrificium vespertinum celebrasset quàm in Dominicâ. [Vnâ autem Sabbati, ait Lucas in Actibus, cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus protraxit sermonem vsque in mediam noctem.] Ita nec tunc discreta erat Eucharistia à cœna Dominicâ, sed sicut Dominus post cœnam instituerat Eucharistiam, iusseratque sumendam: ita multi, quos inter, Corinthij, quasi Christum ipsum imitati, conuiuium actitabant Dominicum, tum & sacra celebrabant mysteria. Ita cœnam duntaxat agitabant, expectabantque vsque ad vesperam. Postea verò res mutata est, & ab ipso forsan Paulo aliter disposita. [Cum cœnamus, ait Cyprianus, ad conuiuium nostrum plebem conuocare non possumus, vt sacramenti veritatem, fraternitate omni præsente celebremus.]

Act. cap. 20.

Cyprian. lib. 2. epist. 3.

Quoad cœnam igitur quam celebrabant Christiani, & quam violabant Corinthij, illa quidem debebat esse communis, sed non debebat esse sacramentalis. Communem dico, quæ omnium tam pauperum, quam & diuitum. Sacramentalem nego, in quâ sacra tantùm peragebantur mysteria; heic enim humana cum diuinis, diuina cum humanis miscebantur. Cœnæ rationem & ordinem describit Tertullianus, aitque. [Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, quod dilectio penes Græcos. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine, facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto iuuamus, non quâ penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris, inter contumelias saginandi; sed quâ penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta est caussa conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causâ æstimate quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit.] Hæc cœna, seu potius, vt & ipse dicit, in conueniendo & conuiuendo disciplina: in quâ sub singulari epularentur pietatis symbolo, sed communi sociarentur vinculo charitatis. Vt enim Christus Dominus suos collegit, quibus & postremam cœnam exhibuit; ita liquet primos Christianos Christum Dominum æmulatos, cœnam instituisse, omnesque ad eam fratres admisisse. Charitas enim est, (vti dixit Clemens Alexandrinus) consensio eorum quæ sunt in ratione & vitâ & moribus: aut, vt paucis dicam, vitæ societas, vel amicitiæ & beneuolentiæ extensio.]

Tertullian. in Apol. cap. 39.

Conuiuia charitatis à Christianis olim exhibita.

Clemens Alexand. li. 2. Stromat.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quanta delicta?

APostolus non reprehendit Corinthios quòd cœnam Dominicam celebrarent, imò verò ipsos reprehendit quòd non celebrarent. [Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam celebrare.] In id quidem conuenitis, benè est; sed longè aliud facitis, & id pessimè. [Primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.] Græcè σχίσματα. Primum dicit, præcipuum, & quasi erroris corruptionisve principium. [Non dicit, Audio vos non cõmuniter cœnare: (verba Chrysostomi) audio enim vos seorsum vesci, & non cum pauperibus: sed id posuit quod eorum mentem valdè erat commoturum, nempe nomen schismatis seu sectæ, quod etiam huius erat causa. Sicut enim in tribus millibus quæ ab initio crediderunt omnes communiter inibant conuiuia, & possidebant omnia communia: ita etiam tunc fiebat quando hæc scripsit, sed non adeò exactè & accuratè. Quoniam enim contingebat vt alij quidem essent pauperes, alij verò diuites, sua quidem omnia non proferebant in medium, statis autem diebus mensas faciebant communes: diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus: sed postea fuit etiam hic mos corruptus. Causa autẽ fuit ex eo quòd essent diuulsi, & se abscriberent alij quidem istis, alij verò illis, & dicerent, Ego quidem sum huius, ego verò illius.] Hoc accepit Paulus, & ex parte credit: id est, vt exponit Aquinas. [Quantum ad aliquos, qui erant ad contentionem proni.] Quidni credat quoad dissensiones, cum & hæreses esse oporteat [Si enim dissensiones & schismata increpat, (ita Tertullianus) quæ sine dubio mala sunt, & incontinenti hæreses subiungit, quòd malis adiungat; malum vtique profitetur, & quidem maius: cum ideò credidisse se dicat de schismatibus & dissensionibus, quia sciret etiam hæreses oportere esse. Ostendit enim grauioris mali prospectu de leuioribus se facilè credidisse. Certè non vt ideò de malis crediderit, quia hæreses bonæ essent, sed vti de peioris quoque notæ tentationibus præmoneret non esse mirandum, quas diceret: tendere ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint deprauare.]

Chrysost. orat. 17.

Quomodo à bonis defitum, & in deterius item sit.

Aquin. lect. 4.

Tertullian. lib. de Præscript. c. 5.

Iam ergo delicta inde proficiunt, & proserpunt crimina. [Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.] Hoc ergo vocatis cœnam Dominicam, & vestram ac propriam; non communem iam, vt oporteret, sed singularem, vt dedecet, ἐν τῷ φαγεῖν, vendicatis. [Non dixit, Abscindit, sed præsumit. Non enim dixit, conuenientibus vobis non licet communiter manducare, non licet inter vos conuiuari. Sed alia quidem est, inquit, species conuentus: simul congregamini, mensa verò non est similis conuentui.] Inde & sequitur in Paulo, & ex Chrysostomo [Et alius

Chrysost. orat. 27.

A quidem esurit, alius autem ebrius est. Primum quidem crimen, quòd cœnam ignominiâ afficiunt: secundum autem, quòd ventrem infarciunt & inebriantur, & quod est grauius, etiam pauperibus esurientibus. Nam quæ erant communiter apponenda omnibus, iis isti soli vescentes procedebant ad insatiabilitatem & temulentiam. Et ideò non dixit, Alius esurit, alius verò saturatur, sed, ebrius est. Vnumquodque autem horum etiam per se dignum est reprehensione. Nam inebriari, etiam absque eo quod despiciantur pauperes, est crimen: & despicere pauperes, etiam absque ebrietate, meretur reprehensionem. Quando autem fuerint simul coniuncta, cogita quanta est exu-

Quanta sit vno sint crimine facinora.

B peratio sceleris & iniquitatis.] Ebrium, inebriatum-ve dicunt scripturæ hominem etiam, non solùm mentis inopem, potentem-ve vsque ad deliquium, sed & madidum, repetentem vices, calicesque siccantem, scintillâ rationis etiam residuâ. Sed necdum satis: [Cum enim Paulus ostendisset absurditatem, dein & cum magnâ indignatione eos increpat, dicens: Nunquid domos non habetis ad manducandũ & bibendum, aut Ecclesiã Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Ecce ergo quarta quoque est accusatio, quando non solùm pauperes, sed etiam Ecclesia afficitur contume-

Chrysost. ibidem.

C liâ. Sicut enim Dominicam cœnam facis priuatam, ita etiam rursus locum, vtens Ecclesiâ tanquam domo. Ecce denique quinta accusatio, non solùm despicere esurientes, sed eos etiam pudore afficere.] Ita Chrysostomus.

Sed & alia sunt quæ nec multo plus probaret Apostolus, necdum tamen castigaret, sed in tempus opportuniùs, maximè verò in aduentum protelaret suum. Nempe quod pasti sumerent Eucharistiam, quod & post cœnam, seu in vesperam semper protraherent. [Liquidò quidem apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunes. Nunquid tamen propterea

Aug. ep. 118. c. 6. & 7.

D calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ quòd à ieiunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, (agnosce Augustinum) vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quàm ceteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur. Cum verò ait Apostolus de hoc sacramento loquens, Propter quod fratres cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis. Statim subtexuit; Cetera autem cum venero, ordinabo. Vnde intelligi

Eucharistia de more à ieiunis sumenda.

E datur, quia multum erat, vt in epistolâ totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nullâ morum diuersitate variatur. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectauit, vt vno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipere liceat corpus & sanguinem Domini.] Exceptio illa est, tamen & quà exceptio, firmat regulam, disciplinam confirmat. [At enim non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Non quid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus,

Cypr. lib. 2. epist. 3.

vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat (ita resoluit Cyprianus) circà vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israël ad vesperam. Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus.] Sic ergo non solùm ieiuni, sed & horis matutinis offerimus & sumimus, vt & vmbra discutiatur & incutiatur reuerentia.

TROPOLOGIA.

Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.

POst cœnam accedebant ad mensam mysticam, & vtramque miscebant. [Sic nempe faciebant, ait Augustinus, quos Apostolus arguit & emendat.] Vnde arguit & emendat? Ex eo quòd accepit à Domino, & tradidit. In eo igitur tria subnectenda sunt: veritas, solennitas, pietas: illa est, corporis Christi; ista, corporis mystici; hæc verò cuiuscumque Christiani.

Augustin. ep. 118, c. 6.

Quoad veritatem, tam clara tamque aperta illa propositio, [Hoc est corpus meum.] Ac illa: [Hic est filius meus dilectus.] Prima quidem à tribus Euangelistis, & à Paulo: secunda, à tribus pariter Euangelistis, & à Petro. Nec vlla vsquam variatio est termini, aut rei dissimulatio: idem omnes dicunt, idem omnes repetunt. Ideoque sicut nullus, Christum Dei filiū per figuram interpretabitur, ita vanus est quicumque corpus Domini per vmbram commentabitur. [Et hæc itaque dispectio tituli, (loquor ex Tertulliano) fidem vtique defendens vocabulorum, illuc proficere debebit, vt si quid pars diuersa turbat obtentu figurarum & ænigmatum, manifestiora quæque præualeant, & de incertis, certiora præscribant. Adeò enim non omnia imagines, sed & veritates: nec omnia vmbræ, sed & corpora: vt in ipsum quoque Dominum insigniora quæque luce clarius prædicarentur. Vtique autem æquum sit, incerta de certis, & obscura de manifestis præiudicari: vel ne inter discordiam certorum & incertorum, manifestorum & obscurorum, fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa diuinitas vt inconstans denotetur: tum quod verisimile non est, vt ea species sacramenti, in quam fides tota committitur, in quam disciplina tota connititur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur.] Quò tandem peruenient imaginarij illi Christiani, qui omnia in imagines & similitudines, in vmbras detorquent figurasque; nec tam mysteria esse censent quàm ænigmata? Ergo & gloria in vmbrâ est, & gratia in figurâ: resurrectio corporum, similitudo est; imago sanctorū communio? Spes ergo ac merces euanescent, nec omnia Christianis minùs quàm Iudæis in figurâ contingent? [Atque adeò, ait ille, si omnia figuræ, quid erit illud, cuius figuræ? Quomodo speculum obtendes, si nusquam est facies?] Hic est filius meus dilectus: quid clarius, quid & certius? adiungit tamen ne adhuc hæsites, In quo mihi benè complacui.

Tertullian. lib. de resu. carn. c. 19. & cap. 20. & 21.

Tertullian. cap. 20.

A Hoc est corpus meum: quid manifestius, quid & verius? addit tamen ne adhuc dubites, Quod pro vobis datur, Quod pro vobis tradetur. An igitur corpus Christi per vmbrā aut figurā pro nobis datū est traditū-ve? an in imagine & pro similitudine redēpti sumus, aliquando, & nescio quando, in veritate redimendi? Verū corpus pro nobis & verè passum est, verum corpus non solùm nobis sed pro nobis, & verè datum est & traditum, & si Græca repetas pro nobis fractum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. [Quod pro vobis frangitur.] Nam & eo modo frangitur, quo & calix funditur, τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Effusio illa, sicut & fractio, mystica B quidem est ac sacramentalis, realis tamen est & vera. Tale enim mysterium est, vt tam singulare sit quàm & mirabile; ideoque nec exemplum admittere possit, nec ad rationis vulgaris speculum respondere. Corpus est, & verum est corpus; mysterium est tamen, & tam verum mysterium, quàm verum est corpus. Traditur, frangitur, sed traditur sub symbolo, & frangitur in mysterio. [Etenim, ait Chrysostomus, pro omnibus similiter est fractus, & ex æquo factus est corpus pro omnibus.] Verè homo factus pro nobis, tamque verè pro nobis corpus, quam pro nobis homo verè factus est. Vnde enim reatum incurro corporis & sanguinis Domini, si nec corpus nec sanguis est Do- C mini? Vnde supplicium infirmitatis aut mortis subeo, si nulla corporis aut sanguinis iniuria? Vnde arguuntur illi qui non diiudicant, si non est quod diiudicandum sit? Cur & repelluntur illi qui seipsos non probant, qui conscientiam non emundant suam? Quis enim illos arguat, aut repellat vt indignos, si nihil est dignum; quomodo ad iudicium manducant & bibunt, si nec veram carnem manducant, nec verum bibunt sanguinem? Tam vana erunt crimina, quàm vacua mysteria, nisi vanitas veritati cedat, & veritas deferat corpori.

In mysterio & veritatis exhibitio est, & mortis repræsentatio.

Chrysost. orat. 27.

Quoad solennitatem. Illam habes ex Iustino, Trismegisto Christiano. [Ei qui fratribus D præest, offertur panis, & aquæ vinique poculum: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum vniuersarum Patri, per nomen Filij & Spiritûs sancti offert, & Eucharistiam siue gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exsequitur. Atque vbi ille preces & gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus apprecatione lætâ eam comprobauit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in quo gratiæ actæ sunt panem vinum & aquam, E & ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Christus tradidit viuenti. Non enim vt communem panem, neque communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Iesus Christus saluator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit; ad eundem modum etiam eam in quâ per preces Verbi eius ab ipso profecti gra-

Iustin. Apolog. 2. pro Christ. sub finem.

tiæ sunt actæ, alimoniam, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratiis actis, dixisse: Hoc est sanguis meus: ac solis ipsis tradidisse.] Multa sunt, sed omnia vsui sunt ac fructui. Primò ergo scias publicum esse Christianæ Ecclesiæ sacrificium. Idcircò adsunt quidem omnes, sed non omnes præsunt; imò & omnes offerunt, sed non omnes arcana ac mystica verba proferunt. Quale est istud sacrificium? [Meum ac vestrum.] Non solùm quia panis & poculum aquæ & vini à fratribus offertur sacrorum præsidi, sed quia paribus animis à fidelibus offertur vniuersorum patri. [Præsidens, ait ille, vbi preces & gratiarum actionem absoluit, populus qui adest omnis faustâ approbatione acclamat, dicens, Amen. Amen autem voce Hebræâ, Fiat significat.] Ecclesia corpus est, quod per os suum loquitur; respublica est, quæ per populi præfectum ac Dei ministrum sacro fungitur officio. Itaque, [Præpositus, quantum pro virili suâ potest, εὐχὰς ἀναπέμπει, preces sursum mittit.] Illius quippe est sacrum perficere, nedum facere, sacrificium, [Verbis quibusdam additis] consummare. Secundò, distribui omnibus, nec præsentibus solùm, sed & absentibus. [Distributio, inquit, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per diaconos mittitur.] Si enim publicum sacrificium est, omnibus etiam distribuendum est fidelibus. Tertiò, diebus Dominicis, paribusque profestis offerendum. [Solis, qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit: &, sicut retulimus, precibus peractis, panis offertur, & vinum, & aqua.] Ita ille sparsim aut collectim.

Iustin. ibidem.

Publicum sacrificium à tota oblatum Ecclesia.

Quoad pietatem. Iam tria audiuimus ad recipiendam Eucharistiam necessaria, fidem sinceram, peccatorum remissionem, vitæ, morum-ve puritatem. Duo tamen addenda sunt, vnum respectu nostri, alterum respectu sacrificij. Primum nos ad vnitatẽ vocat, excitat ad charitatem. [Ad hoc enim, ait Chrysostomus, nos vocat illud terribile & formidandum sacrificium, iubens, curam vt geramus fratrum, & conseruemus eam quæ est nobis cum ipsis vnitatem: iubens vt cum concordiâ maximè ad ipsum accedamus, & ardenti charitate, & inde effecti aquilæ ad ipsum cœlum euolemus. Hoc dico, non vt non accedamus, sed ne temerè & inconsideratè accedamus. Nam sicut temerè accedere, periculum est; ita mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames & mors. Hæc enim mensa est neruì nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hac mensâ illuc excesserimus, cum magnâ fiduciâ sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti.] Quærit ille, cur Paulus meminerit in tanto mysterio & noctis & traditionis, [In quâ nocte tradebatur.] Atque: [Non abs re, neque sine ratione aliquâ, sed vt suprà modum compungeret etiam à tempore. Nam & si quis sit planè lapis, si illius noctis illi venerit in mentem, quomodo erat tristis cum suis discipulis, quomodo fuit traditus, quomodo vinctus, quomodo abductus, quomodo iudicatus, quomodò cetera omnia quæ sunt secuta passus est, fit cerâ mollior. Propterea hæc omnia nobis reuocat in memoriam, per tempus, & mensam, & proditionem, nos pudore afficiens, & dicens: Dominus quidem tuus seipsum pro te tradidit: tu autem fratrem tuum, pro teipso ne cibis quidem impertis. Ille corpus ex æquo dedit: tu autem ne panem quidem communem das ex æquo. Et tu ergo par pari referas, & ne te abscindas à proximo: etenim Christus omnibus ex æquo dedit, dicens, Accipite, comedite. Cogita quantum interesset inter præceptorem & proditorem. Sed tamen ille quoque cum eis accumbebat, & neque eum expulit, sed eum sale impertiit, & sacramentorum fecit participem. Cœnam non finis esse Dominicam, vt qui non finas eam esse communem: nam si est Domini, non debes eam tanquam priuatim auellere, sed tanquam quæ sit Domini, communiter omnibus proponere.] Alterum pietatem firmat, consummat sanctitatem. [Sic enim ait Chrysostomus, in pane & calice dixit Christus, Hoc facite in meam commemorationem, nobis aperiẽs causam dationis mysterij, & cum alijs hanc etiam dicens esse sufficientem ad fundandam pietatem. Quando enim cogitaueris quid Dominus tuus passus sit pro te, eris amantior sapientiæ. Quomodo autem illorum verborum maximè meminimus quæ audiuimus vltima ab ijs qui excedunt: ita etiam hic quoque Paulus volens terribilem reddere rationem, Recordemini, inquit, quòd hanc dedit vobis postremam mysterij institutionem: & in ipsâ nocte quâ pro nobis erat occidendus, hæc mandauit, & tradens nobis illam cœnam nihil postea addidit.] Reuocanda igitur, imò & celebranda est memoria eorum omnium quæ Christus Dominus pro nobis & dixit & fecit: maximè verò eorum quæ pro nobis passus est, dum pro nobis flagellatus, spinis coronatus, clauis confixus, denique mortuus.

Chrysost. orat. 24.

Chrysost. orat. 27.

Cur Paulus mortis meminerit & traditionis.

Chrysost. ead. orat.

ANAGOGIA.

Similiter & calicem.

Ille calix inebrians quàm præclarus est! Illud certè vinum nouum in vtres nouos mittendum erat: & sicut verbis arcanis transmutatum est, ita modis arcanis homines transformare debebat, nec nouos duntaxat, sed & alios in totum facere. Primò, per sanctam ebrietatem: secundò, per spiritalem amentiam seu sapientem insipientiam: tertiò, per transfusionem mysticam.

Quoad 1. Ebrios Christianos arbitrati sunt non Iudæi solùm, sed & ethnici: illi quidem ioco, isti etiam seriò: quin & Baccho initiatos

Act. cap. 2. calumniati, tanquam vino deditos. [Stupebant autem omnes & mirabantur ad inuicem, dicentes: quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.] Quæ verò causa, cur ethnici nos crederent Baccho initiatos? Eâ quâ præsumerent vino addictos, id est, mysteria vini celebrantes, quasi recolentes orgia Bacchi. Vnde illi ad Laurentium Martyrem. [Hunc esse vestris orgijs, moremque & artem proditum est, Libent vt in auro Antistites. Argenteos scyphos ferunt, Fumare sacrum sanguinem.] Orgia Baccho sacra vt τῆς ὀργῆς, vti docuit Clemens Alexandrinus, Inde bacchari, debacchari, idem quod sine more lymphari, stimulis concitari furiisque. Nec in his moror: auersor enim sacra, quæ non solùm profana sunt, sed & impia. Reuertor ad Iudæos, quos scimus & auream vitem templi sui tholis suspendisse, similemque infamiam Christianis, quasi consecraneis inspersisse. Quid verò ad illos Petrus? [Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.] Quibus non negat, suos esse ebrios, sed negat esse eo modo quo existimabant Iudæi, nempe musto æstuanti, seu vino fumanti. Sed aliud vinum est quod ipsi minimè cogitabant. Idcircò Petrus. [Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.] Putatis illos ebrios; ita putate, quia læti biberunt sobriam ebrietatem spiritûs, ideoque intus Deo pleni sunt isti; nec enim sanctam hilaritatem contraxerunt per fumum vini, sed per spiritum Dei. Attendite vix discussam auroram in horam tertiam commigrasse, vix ora ac lumina resignasse, & inde concludite, non illos esse ebrios materiali vino, sed cœlesti afflatos radio: ille enim manè aurem erigit, & mentem præripit: diuino scitote illos igne accensos, musto spiritali affusos, influxu cœli inebriatos, spiritu Dei inundatos. [Cuius rei sacramentum (ita loquitur Cyprianus) nec in Psalmis tacet Spiritus sanctus, faciens mentionem Dominici calicis, & dicens: Calix tuus inebrians perquam optimus. Calix autem qui inebriat, vtrique vino mixtus est. Neque enim aqua inebriare quemquam potest. Sic autem calix Dominicus inebriat, vt & Noë in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed quia ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis est ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus sanctus in Psalmo: Calix tuus inebrians, addidit, perquam optimus, quòd scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriat, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritualem sapientiam redigat, vt à sopore isto seculari ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat.] Hæc est illa diuina ebrietas, imò sancta sobrietas quæ mentem acuit, dum aciem erigit; quæ intellectum suscitat, inflammat animum. Calicem Domini biberunt, & ebrij tam innoxiè quàm & sanctè facti sunt.

Prudent. in hym. Lau.

Clemens in Protrep.

Act. cap. 2.

Cyprian. li. 2, epist. 3.

Ebrietas diuina, sancta sobrietas.

Quoad. 2. Non solùm mentem acuit, sed reddit amentem. In hoc concordant profani & sancti, vt insanum dicant, quem putant nimis sanum. [Insanam vatem aspicies.] Id est, admodum sanam. Loquitur enim vates, nec vatem sui similem insequitur. Ita dicebant, [Fatuos] Fatidicos, à fatis canendis: & insanos, qui adeo essent sani, vt etiam excederent. Sed abeant profana, licet Ogygiâ antiquitate subnixa. In sacris: [Eliseus Prophetes vocauit vnum de filijs Prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad. Abijt ergo adolescens puer Prophetæ in Ramoth Galaad. Iesu autem egressus est ad seruos Domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te?] Sciebant vatem, quin & audito nuntio, statim paruerunt, tanquam ipsi de cœlo tacti, aut diuinitùs admoniti, insanum nihilominus dicebant quem credebant diuinum, quia sentiebant non humano sensu duci, sed sacro agi instinctu, impetuque diuino. Ita Poëtas vatibus sociant, quòd grandioris sint sermonis, nec aliter sua effundant carmina, quàm vates oracula; id est, non sese efferant, nisi concitati sint & afflati. [Videtur genus poëticum, (Dione teste) non multū distare à sacris sermonibus.] Quid ita? Quia & ipsi insani. [Nam, (vti dixit Seneca) siue Græco poëtæ credimus, aliquando & insanire iucundum est: siue Platoni, Frustra poëticas fores compos sui pepulit.] Sed ad Nostros, & ad nostra. Eandē vocem hausit Macarius, etsi aliam mentem habuit, cum istos vates insanos dixit: [Sui non compotes.] Accepit fortè ab ipso Dionysio, qui amentiam illam dixit ἄνοιαν. Est enim diuina ἐκστασις, excessus, quo mens corripitur, & supra humanum sensum attollitur. [Hanc vim, ait Tertullianus, ecstasin dicimus, excessum sensûs, & amentiæ instar.] Sed illa insania supra modum sana est, amentia ista, insipientia non est, sed veræ causa sapientiæ. [Hanc enim irrationalem, (ita loquitur Dionysius) & mente carentem, & stultam sapientiam supereminenter laudantes dicimus, quia totius est animi & rationis, & totius sapientiæ & intellectûs causā; & ab ipsa est omne consilium, & ab ipsâ omnis scientia & intelligentia, & ab ipsâ omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi.] Hæc est, quam Paulus vocat stultitiam Dei, quæ apparet homini carnali insana, cum humanam exuperet scientiam, & animam rore cœlesti, & spiritali inebriet. [Idcircò, ait ille, diuina ac spiritualia eloquia, & rori, & aquæ, & lacti, & vino ac melli meritò assimilantur, quòd & viuificandi atque fœcundandi veluti in aquâ, & ad incrementum perducendi vt in lacte, & recreandi vt in vino, & purgandi simul atque conseruandi veluti in melle, habeant vim. Hæc enim sapientia diuina accedentibus ipsis præstat affluentiam indeficientium dapum inundantiam largiens, superemanans atque supereffluens. Istud nempe veraciter epulari est, atque ideo viuificans simul & paruulos nutriens & renouans atque perficiens celebratur. Iuxta hanc nempe sacram conuiuij expositionem, & ipse bonorum auctor omnium Deus inebriari perhibetur; propter plenissimam, & quæ omnem intelligentiam superet, diuinæ epulationis, siue (vt veriùs loquar) bonitatis perfectissimam atque ineffabilem, immensitatem.] Ita qui de Dei calice bibit, in sanctam

4. Reg. cap. 9.

Dio Chrysost orat. 36.

Sen. lib. de tranq. an. cap. 15.

Macarius Homil. 8.

Tertul. l. de Anima cap. 45.

Dionys. lib. de diuin. nom. cap. 7.

Dionys. ep. 9.

ſanctam exurgit amentiam, & in diuinam emergit ſapientiam.

Quoad. 3. Mutatus eſt Saül in virum alterum. Sed quo ſigno? [Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem. Inuenient te tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.] Vbi præcurrit ſignum, vinum interuenit. [Et cum ingreſſus fueris vrbem, obuium habebis gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum, & tibiam, & cytharam, ipſoſque prophetantes. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.] Hic eſt ille calix Chriſti qui pro nobis funditur, ſed vnde ille qui bibit, in virum alterum transfunditur. [Quemadmodum enim, (vti dixit Cyprianus) vino iſto communi mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis exponitur: ita & potato ſanguine Domini & poculo ſalutari, exponitur memoria veteris hominis, & fit obliuio conuerſationis priſtinæ ſecularis; & mœſtum pectus ac triſte, quod priùs peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitiâ reſoluitur.] Non mutamus Chriſtum in nos, ſicut cibum aut potum carnis noſtræ, ſed in ipſum conuertimur: dum ſanctè tamen ac piè manducamus ac bibimus, aliàs enim, etiam & manducando ac bibendo peruertimur. [Saülem denique, (verba Tertulliani) tam Dei ſpiritus poſtea vertit in alium virum, id eſt in prophetem, cùm dictum eſt, Quid hoc filio Cis? an & Saül in Prophetis? quàm & malus ſpiritus poſtea vertit in alium virum, in apoſtatam ſcilicet. Iudam quoque aliquandiu cum electis deputatum vſque ad loculorum officium, &, ſi iam fraudatorem, traditorem, tamen nondum, poſtea diabolus intrauit.] Quandonam intrauit? Poſt buccellam: non quia malum accepit, ſed quia bonum malus malè accepit: ſumpſit quidem Euchariſtiam, ſed ad iudicium: & dum reatum incurrit violati myſterij, extremum patibuli ſupplicium meruit. [Oportet igitur: (concludo ex Chryſoſtomo) eum qui ad hoc corpus accedit eſſe ſublimem, & cum terrâ nihil habere commune, neque deorſum trahi & ſerpere, ſed aſſiduè ſurſum volare; & ad ſolem iuſtitiæ aſpicere, acutoſque & perſpicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non gracculorum hæc eſt menſa. Vbi autem cadauer, inquit, illic & aquilæ: cadauer corpus vocans propter mortem. Niſi enim ille cecidiſſet, nos nos ſurrexiſſemus. Cũ timore ergo & ſummâ puritate ad ipſum accedamus: & quando ipſum videris propoſitum, dic: Propter hoc corpus non ſum ego amplius terra & cinis: non ſum amplius captiuus, ſed liber: propter hoc ſpero me accepturum cœlos & omnia bona quæ in eis ſunt, vitam immortalem, angelorum conditionem, cum Chriſto conſuetudinem.] Sic enim pius attollitur animus, ſic & in Chriſtum ipſum transfunditur. Probet ſe tantùm homo, myſteriumque ſeriò diiudicet: ſic enim iudicium ſibi non bibet, ſed ſpiritum Dei hauriet.

Marginal notes: 1. Reg c. 10. — Cyp. l. 2. epiſt. 3. — Tertul. lib de Anima cap. 11. — Chryſoſt. orat. 24. — Quomodo animus in ſacramento transfuſus.

CAPVT DVODECIMVM.

Epigraphe.

Diuerſa ſunt Spiritûs ſancti chariſmata Eccleſiæ conceſſa, ſicut & varia corporum membrorum ve officia, animæ inſeruientia.

TEXTVS.

De ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes. Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij

interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno Spiritu potati ſumus. Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes: Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris: Quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore? Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus: vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit. Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarij. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt: & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nullius egent: ſed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

EXEGESIS LITTERALIS.

Bona ſunt chariſmata iſta, non ſunt tamen optima, cum ſint alia meliora: excellentia ſunt, ſed & alia ſunt excellentiora: & illa tamen & iſta in myſtico corpore ſunt neceſſaria.

[De ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres, &c.] Spiritualia, dona ſunt à Spiritu ſancto conceſſa. Ignorabant Corinthij, aut certè agebant quaſi neſcirent quis legitimus eorum vſus: idcircò non vult eos ignorare, dum vult eos inſtruere. [Erant itaque inter Corinthios ob huiuſmodi ſpiritûs gratiam diſſenſiones obortæ nonnullæ. Nam qui maioribus eſſent donis affecti, ſuperbiâ efferebantur. Qui verò minoribus, his inuidebant qui plus ſpiritûs accepiſſent.] Ita Athanaſ. [Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes, &c.] Scitis quia quãdò gentilitio ritu viuebatis, ad idola colen-

Athanaſ. in Paul.

A da more pecudum accedebatis, non enim ratione, ſed conſuetudine: ducem potius ſequentes, quàm religionem excolentes. Quæ enim religio in quâ tam amentes ſunt cultores, quàm muta & inſenſata ſunt numina. Sic eratis, euntes; ſic ibatis, errantes. Sed quantum nunc Deo debetis, qui non ſolùm vos à tantis erroribus reuocauit, ſed & eximiis cumulauit muneribus? [Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu, &c.] Ieſu, eſt, iuxtà Græca in accuſandi. Primò igitur, ſcitote, quod nullus per Spiritum Dei loquens, Ieſum impetit aut maledicit. Hoc facit Iudæus, qui ſe Spiritum habere Dei gloriatur, Chriſtum tamen exſecratur. Dicit Anathema, dum deturbari cupit & exterminari. [Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, &c] Iterum ex Græcis [Dominum Ieſum.] Sed iſta non ſunt tanti: qualiſcumque enim tandem caſus ſit, idem eſt ſenſus. Nemo ergo ſincerè ac piè confiteri po-

Ieſum anathema dicit, cuius quærit exterminiũ.

testf, quòd Iesus sit Dominus, saluator redem- A ptorque generis humani: nemo potest fidem istam profiteri, nisi per infusam vim virtutemve Spiritûs sancti. [Dictum enim ipsum, ait Ambros. quo significatur Dominus Iesus non adulatione hominum, sicut & idola dij vocantur, sed Spiritûs sancti veritate, profusum est.]

Ambros. in Paul.

[Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem, &c.] Græcè,

[Differentiæ donorum.] Quasi dicant, Multitudine differunt & varietate, auctore non differunt. [Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus, &c.] Varia etiam per vniuersam Ecclesiam distributa sunt ministeria: & idem Dominus, cuius merito collata sunt omnia. Multa sunt etiam ac diuersa fidelium, sanctorum-ve energemata: idem autem Deus est, cuius beneficio peracta sunt omnia. Ipse enim est, qui vt primum ac summum principium omnia in omnibus operatur, sine quo nihil inchoatur, nihil & consummatur. Prius meminit Spiritûs, cui ob bonitatem attribuuntur; dein & Christi, cui ob dignitatem referuntur, postremo Patris, à quo ob potestatem oriuntur [Denique, ait Comment. Ambros. operante vno tres operari dicuntur, vt Trinitatis mysterium in vnius Dei naturâ & potestate clauditur.] Pater quidem fons potestatis, sicut & deitatis: sed & vna potestas est, sicut & vna deitas. [Vnicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, &c.] Iam ad species descendit, & per partes expendit. Nec intendit dicere, cuique datum esse Spiritum: sed cuicumque tandem datus sit Spiritus, non ad vanitatem datum, sed ad vtilitatem: ad communem vsum, non ad fastum quæstum-ve singularem. Nam huic quidem gratia datur, quâ possit religionis mysteria per supremas caussas edissere, diuini consilij arcana detegere: alij verò per eundem Spiritum datur gratia, quâ doctrinam possit rudibus seu incipientibus attemperare, & per scientiam humanam, carnales adhuc, seu minùs spirituales instruere ac prouehere. [Alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, &c.] Aliud fides, aliud sermo fidei: sermo enim fidei, res aperit fidei: fides verò de quâ hîc Paulus, non tam credendorum est, quàm agendorum; eo fine data, vt quis edat signa, & per opera miraculosa, fidem inducat, religionem muniat. Quomodo enim operabitur grandia, nisi singulari illustretur lumine, & grandi donetur fide? Inde charismata curationum, inde & prodigiorum efficientia. Inde donum prophetandi, inde & propheticos spiritus diiudicandi: inde donum variis loquendi linguis, inde & eas scitè ac peritè exponendi. [Magni sanè, ait Athanas. apud Corinthios linguarum gratia habebatur, cui eo plurimum confidebant, quo prius fuisset Apostolis tradita; ob idque & alius præstantior gratiis videbatur, cum esset inferior. Nam

Comment. Ambros.

Gratiæ non ad vanitatē datæ, sed ad vtilitatem.

Athanas. in Paul.

doctrinæ gratia longè est excellentior. Et simplex variis linguis loquendi donum, plurimum antecedit linguarum interpretatio.] Ita ille ex Græco.

[Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult, &c.] Spiritus sanctus, pro naturâ suâ bonus, communicatiuus, ac profluus: sed si subsistit bonitate, voluntate procedit. Idcircò ad arbitrium suum disponit omnia, nec voto humano, sed suo consilio peculiaria dona distribuit. [Non solùm consolatur, ait Chrysostomus, sed etiam os obstruit contradicenti, hîc dicens, B Diuidens singulis prout vult.] Vnde consolatio? ex distributione gratiarum. Vnde summissio? vel ex ipsâ donorum ac gratiarum nominatione. [Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus, &c.] Videte humanum corpus, quomodo se habeat: vnum est, & membra habet plura, sed eidem vnitati seruientia. Tale est & spirituale corpus seu mysticum. Non enim omnia vni data sunt, & tamen omnia vnitati seruiunt, quia in vsum publicum conferenda sunt omnia. [Adaptat similitudinem, dicens; Ita & Christus: scilicet est vnus. Et tamen, ait Aquinas, multa & diuersa habet C membra: scilicet omnes fideles, secundùm illud Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo.] Membra capiti suo cohærentia. [Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno Spiritu potati sumus, &c.] In Ecclesiâ sunt Iudæi & Græci, sunt serui & liberi, sed vnum & idem corpus constituunt. Ille enim vnus & idem Spiritus qui Christum formauit, reformauit Christianum, & per baptismum, tanquam membrum capiti suo coaptauit. Itaque quicumque baptizati sumus, Christo sumus incorporati, cum ipso coagmentati; & inde in vnum potati spiritum, quem hausimus renascendo, quem & D viuendo intriuimus. [Quanto dignius, ait Tertullianus, fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerūt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt veritatis.] Bibitur Spiritus, dum effunditur; potamur, dum coaptamur. Quanquam & ad aliud trahi potest, vt qui cœpit perficiat, qui genuit nutriat; qui vitam dedit, addat & alimoniam.

Chrysost. orat. 19.

Aquin. lect. 3.

Spiritus qui Christum formauit, reformauit Christianū.

Tertullian. c. 39. Apol.

[Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam sum manus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore? &c.] Resumit similitudinem, & E ad finem perducit. Quis vnquam vidit corpus vno membro compactum? Nonne tot sunt membra corporum, quot membrorum officia? Nonne tam varia sunt, quàm & necessaria? Iam ergo, si pes animaduertens se non esse manum, dixerit se non esse de corpore, an ideo de corpore excidit? Sic & in corpore mystico, tam diuersa sunt membra, quàm & varia sunt munia. Si quis ergo inferiori, velut contemptibili & loco destinatus & officio, animaduertens alium superiori muneri, & operi

digniori deputatum, questus fuerit de ministerio suo, quasi à corpore extraneo, an ipse alienus erit à corpore? Quis id aut dicat, aut credat? [Et si dixerit auris. Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideò non est de corpore? &c.] Hæc per similitudinem comparationemque. [Pleraque enim (vti notauit Gregorius Nazianzenus) ex his quæ animâ carent, Scriptura per prosopopœiam loquentia inducere consueuit.] Sed eo elegantior personarum fictio, quo comparatio rerum est propinquior. Non dicunt membra, sed alia dicentia ac loquentia referunt. Instrumenta sunt diuersorum sensuum, diuersorum & vsuum, seu vni corpori ministrantia. Si enim corpus humanum est, diuersis partibus ac membris, tamque auribus quàm & oculis debet esse compositum. [Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus mẽbra, vnumquodque eorũ sicut voluit, &c.] Si totum corpus ad oculum redactum est, vbi id per quod audiendum est? Si nihil nisi aures, vbi nares? Ita, si omnes doctores, vbinam discentes. Si & omnes dicentes, vbinam audientes? At verò sicut Deus pro suâ bonitate, liberaque voluntate, humanum corpus distinxit varietate membrorum, sic & mysticum diuersitate instruxit donorum. [Voluntatem Dei, ait Ambros. quia prouida & rationalis est, membra dicit corpori aptasse, vt nihil desit multis membris perfectum.] Non vnius omnia dignitatis, aut vnius operis: & tamen vnum sunt omnia, dum vnum perficiunt.

Gregorius Naziã orat. 36. post initium.

Prosopopœia in scripturis est frequentissima.

Ambros. in Paul.

[Quòd si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus, &c.] Sicut humanum corpus sine diuersitate membrorum non subsisteret, ita nec mysticum; imò nec corporis rationem haberet sine varietate donorum, ministeriorum, functionum. Sed sicut multa membra vnum instruunt corpus, sic & multa officia vnam componunt Ecclesiam. [Non potest autem oculus dicere manui: operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij, &c.] Spectas dignitatem membrorum, & necessitatem non spectas? A seipsis pendent, & mutuis indigent auxiliis. Itaque non potest oculus dicere manui, ego in excelso constitutus, operâ tuâ non indigeo. Nec caput dicere potest pedibus, ego membrorum omnium supremum, mihi vestris non est opus ministeriis. Sic & qui contemplatur illo indiget qui operatur; sic & qui regit, eo indiget quem regit. Itaque tanta seruari concordia debet omnium, quanta est omnium indigentia: retinenda est vnitas, charitasque mutuis fouenda est officiis. [Castigatis qui minoribus essent donis affecti, ad eos diuertit, qui maioribus acceptis, contra inferiores acriùs insolescerent. Nec enim his qui præstantiori donati sunt gratiâ, licet in eos efferri, qui minorem acceperint. Benè autem posuit, Potest. Nam & si id maximè velint, secus tamen natura rei se habet quàm perfici sine alterius ope queat.] Ita Comment. Athanas. [Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem

Comment. Athanas.

A circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent, &c.] Quid dicitis, Non estis mihi necessarij? Quinimò ea corporis membra quæ infirmiora videntur, multò magis necessaria conuincentur ad vitam seruanda, quàm pleraque validiora. Et quæ inter viliora & inhonoratiora reponimus, iis & abundantiorem honorem, tegendo ac protegendo circumponimus. Et quæ inhonesta nostra sunt ac turpia pudendaque, maiorem honestatem per humanam referunt diligentiam. Quot videntur viles ac despicabiles humanis oculis, qui tamen Deo chari ac pretiosi? [Manifestum est, ait Ambros. quia pudenda B nostra, quæ turpia videntur, dum aspectus publicos vitant, honestate se contegunt, ne per irreuerentiam horreant. Simili modo & quidam fratrum cum sint egestate & habitu inhonesti, non tamen sunt sine gratiâ, propter quòd membra sint corporis nostri.]

Inhonesta nostra maiori honore compẽsato.

Ambros. in Paulum.

[Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem solicita sint membra, &c.] Membra autem nostra quæ honesta sunt, huic curæ ac diligentiæ non sunt obnoxia. Sed ita Deus voluit con- C temperare corpus, & ex partibus infirmis & firmis, partim nobilibus & ignobilibus, partim honestis & inhonestis astruere: placuit tamen, ei, cui deerat, abundantiorem honorem, per humanam procurare industriam: vt per illud supplementum vitaretur dissidium: & ex ipsâ iustitiâ seruaretur concordia: dum cura membrorum omnium in quouis corpore solet, sicut & debet esse reiproca. [Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra, &c.] Dixit membra pro inuicem esse sollicita: exponit per sympathiam communem, seu mutuam compassionem. Siue D enim quid patitur vnum membrum, omnia condolent: siue glorificatur vnum membrum, Græcè δοξάζεται, congaudent cetera: si infirmatur, infirmantur, amissâ communi valetudine; si delectatur, condelectantur, restitutâ communi quiete. [Arctior illa membrorum coniunctio, ait Athanas. communes facit, vti aduersa, sic & successus. Sic talo affecto omnia membra condolent. Caput verò si coronetur, & reliquis membris gloria inerit & hilaritas quædam.] At qualis membrorum coniunctio est, talis esse vnio debet animorum. [Vos autem estis corpus Christi, & membra de mem- E bro, &c.] Quod dixi de corpore humano, maximè intelligi debet de corpore mystico. Vos enim fratres, Vos fideles, estis corpus Christi, καὶ μέλη ἐκ μέρους. [Et membra ex parte.] Nec enim illi corpus integrum constituunt, nec membra in totum; non enim secũdùm carnem, sed secundùm mentem subiecta sunt. Si autem legas, καὶ μέλη ἐκ μέλους. [Et membra de membro.] Quasi fideles omnes commembres, sub vno capite Christo, dona omnia in se vno colligente. [Ostendit apertè, ait Comment. Ambros. nostram se causam per membrorum carnalium rationem tractasse, quia non omnes possumus eadem, sed singuli pro qualitate fidei

Tanta debet animorum esse, quanta mẽbrorum est concordia.

Athanas. in Paul.

Comment. Ambros.

A gratiam habemus concessam.] Sic & membra ex parte, tam compositionis, quàm & donationis.

[Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, &c.] Eadem ministrorum causa, quæ & membrorum; in quibus aut dignitas attenditur aut necessitas; sed vbique pro causâ suprema voluntas expenditur. Primum igitur Deus alios in Ecclesiâ suâ posuit Apostolos, sunt fidei duces, patresque primarij, qui religionem fundarunt, fidemque disseminarunt. Secundò, & alios Prophetas, viros Dei spiritu inundatos, & arcana sapientiæ æternæ perscrutatos consilia. Tertiò, alios Doctores, qui sciunt proferre sermonem, fidem munire, doctrinam exponere ab Apostolis & Prophetis traditam. Deinde *δυνάμεις*, eos per quos signa fiunt & miracula. [Exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum, &c.] Exinde & eos, qui signa quidem faciunt, sed minora, ea sunt sanationum charismata. Hæc enim dona Deus alijs distribuit, alijs gratiam opitulationis, ægrotos fouendo, alijs gratiam contulit gubernationis, thesauros Ecclesiasticos administrando dispensandoque. Alijs donum loquendi linguis diuersis, alijs donum linguas ipsas exponendi. [Quid est, opitulationes, ait Chrysostomus, vt pauperes suscipiamus. Et hoc maximè donum Dei, præesse, ac curam gerere, & res administrare spirituales. Genera denique linguarum. Vides vbi posuit hoc donum: & quomodo vbique vltimum ei locum tribuit.] Ita ille & ex Græco. [Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habentes curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? &c.] Non tam interrogatio est, quàm negatio: negat enim interrogando, imò negando interrogat. Si enim omnes magistri, vbi discipuli? Dona ferè omnia recapitulat, & ordinat, exceptis opitulationibus & gubernationibus, quas tanti non facerent Corinthij, quas nec appeterent; donumque linguarum, quod perciperent, depretiat. [Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, &c.] Alia sunt dona, quorum præstantia, non ex vulgi iudicio, sed ex fidei merito pensanda est. Si ergo æmulamini gratias, illas æmulemini, quæ meliores sunt, & Ecclesiæ vel animæ vtiliores. En ego viam vobis aperiam, quæ ad Deum ducit, in cœlum euehit, omnibusque suprà modum præcellit muneribus. [Studium exigit, ait Athanas. & maiorem quandam in comparandis spiritalibus cupiditatem. Nec maiora dixit, sed potiora, hoc est magis vtilia. Post hæc, id enim Adhuc illud significat, si prorsus æmulatores istiusmodi estis donorum: Aperiam equidem vobis præstantioquandam viam & excellentem, quæ vos ad hæc dona perducat charitatem videlicet.]

Prophetæ qui à Deo inspirati, & arcana scrutati.

Chrysost. orat. 32.

Athanas. in Paul.

TRILOGIVM.

TAntæ diuitiæ nec negligi debent, nec vnâ manu valent simul colligi. Vt ergo seruemus ordinem, nec messem quæ multa est ac præclara, tenuemus, trilogium instituendum est, in quo materiæ tribus digerendæ sensibus, seu spicæ tribus funibus colligandæ, vt & littera præsit, nec tropologia desit, aut anagogia.

B

SECTIO PRIMA.

Idololatria quibus subnixa sit viribus?

NIhil euidentius, Deum esse, & vnicum; cum natura id astruat, & applaudat conscientia. Nihil certius idololatriam totum hoc vniuersum (Iudæâ intermissâ) tandem occupasse, veramque Dei vnici obliterasse notitiam: cum id Scriptura clamet, & probet historia. Quomodo igitur in tantum præualuit, vt cum nullâ prorsus ratione, nullâ etiam rationis aut veritatis specie subnixa sit, tamen & totum occupauerit mundum, & tanto perdurarit C annorum; imò seculorum spatio? Eadem diuinitatis, quæ felicitatis caussa est. Nullus est enim qui felicitatem non appetat, nullus & qui diuinitatem respuat. [Quis enim, ait Hilarius, mundum continens, Deum esse non sentiat?] Imò eam omnes diuinitatem colunt, per quam felicitatem suam expetunt: adeò vt si fortè Deum nescirent, ipsum tamen ex summo suo quod quærunt bono, haud dubiè confingerent. Sed cum de conditione aut qualitate felicitatis quæritur, tantum inde quantum à ratione & vnitate diuinitatis disceditur. Quamtis enim vtrumque natura impresserit, iusseritque & felicitatem quærere, & diuinitatem D agnoscere: adeò tamen iam illa corrupta est & infracta, vt cum communem notionem ad singulares applicat conditiones, tot errores ineat, quot cumulat opiniones; tantumque aberrat à viâ certæ veritatis, quantum à publicâ deuiat improbæ consuetudinis sententiâ.

Hæc igitur prima ratio, quæ sine ratione est; mala & inueterata consuetudo, non momento rationum, sed annorum numero; nec auctoritate sapientum, sed multitudine populorum roborata. [Præoccupationes sunt istæ, (verba E sunt Augustini) in quibus delinquitur, dum quid faciendum sit aut ad horam non videtur, aut qui viderit vincitur; vt scilicet fiat peccatum, vel latet peccatum, vel compellit infirmitas.] Et quidem nonnulla sunt peccata, in quibus præoccupationes istæ, seu vanæ rationes, & culpam eleuant, & pœnam temperant: sed si eadem diuinitatis quæ & felicitatis caussa est, tanto præoccupatio ista deterior est, quanto est & indignior consuetudo, & probatio infirmior. Quid est enim cõmunem sectari consuetudinem, quàm passim vagari, popularem amplexari errorem; non ducem sequi, sed fremitum & clamorem dissonum in diuersa vocan-

Hilar. in Psal. 52.

Augustin. li. cont. mend. cap. 9.

Seneca lib. de vit. beat. cap 1.

tium? [Non enim eadem hîc (vti dixit Seneca) quæ in ceteris peregrinationibus, conditio est. In illis comprehensus aliquis limes, & interrogati incolæ, non patiuntur errare: at hîc tritissima quæque via, & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde ista tanta coaceruatio aliorum suprà alios ruentium. Quod in strage hominum magnâ euenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vitâ accidere, videas, licet: nemo sibi tantùm errat, sed alij erroris caussa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum vnusquisque mauult credere, quàm iudicare, nunquam de vitâ iudicatur, semper creditur: versatque nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis.]

Non ad rationem viuere, sed ad similitudinem pessimum est.

Hoc mirum, quod homo, animal rationale, veterem potius errorem consectetur quàm rationem; nec tam per ductorem agitetur, quàm præcipitetur per multitudinem. Sed & illud magis mirandum, ipsummet qui errorem aduertit, incidisse, & qui consuetudinem exclusit, coluisse, [Omnem istam (ait ille apud Augustinum) ignobilem deorum turbam; quam longa superstitio congessit, sic adorabimus, vt meminerimus, cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere. Sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt: tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.] Tantum certat inter auitam consuetudinem; ac propriam voluntatem; vt desit libertas agendo, quæ scribendo non defuit; & religioni vertat, quæ obiecit superstitioni. Tanta vis est institutionis, quanta & voluptatis, vt nec viæ deseri facilè queant, nec abstergi reliquiæ; sed aut per occasionem, aut per dissimulationem præualeant. [Qui status fidei, ait Tertullianus, quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ inter cetera secularium errorum etiam spectaculorum voluptates adimat, Dei serui cognoscite, qui cummaximè ad Deum acceditis; recognoscite qui iam accessisse vos testificati & confessi estis, ne aut ignorando, aut dissimulando quis peccet. Tanest enim voluptatum vis, vt ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem.] Istæ sunt insolitæ veteris consuetudinis maculæ, quæ si vel ab ipsis Christianis exui vix possunt, quanto minus possunt ab ethnicis excuti?

Augustin. lib. 6. de Ciuit. Dei c. 10.

Peccatur aut ignorãdo, aut dissimulando.

Tertullian. lib. de spectacul. c. 1.

Secunda ratio ex voluntate seu auctoritate Regum, Imperatorumque. Siue enim illi aut speciem affectarent religionis, siue subiectionis artem cogitarent; locum idololatriæ dederunt, dum politiæ quæsierunt auctoramentum. [Vt de origine aliquid retractemus, (verba sunt Tertulliani) vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu

Tertull. in Apolog. c. 5.

A probatus. Facit & hoc ad causam nostram; quod apud vos de humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius esse debebit.] Si verò rem altiùs repetamus, & superstitionis omnis recolamus originem. Auctores reges, Ninus apud Assyrios, Ieroboam apud Iudæos. Exinde Græci, ac Romani, deos elegerunt vt bulbos, nec tam pro merito, quàm pro arbitrio, adsciuerunt quosdam, alios excluserunt. [Puto autem, ait ille, hæ ipsæ materiæ de metallis Cæsarum veniunt, & tota templa de nutu Cæsarum constant.] Reges ergo

Tertullian. cap. 29.

B Cæsaresque, idololatriæ non auctores tantùm, sed & fautores, deos suos nõ proponẽtes, tãtùm, sed & imponẽtes; cultũq; partim herili imperio extorquẽtes, partim deformi obsequio. Tertia denique ratio, ex parte dæmonũ. Ex quo .n. illi, ore impuro, primi deos nominarunt, non cessarunt cultum illorum promouere, mundus simulacris seu idolis obruere. [Totum seculum, ait Tertullianus, Satanas & angeli eius idolis repleuerunt.] Habes igitur inueteratam consuetudinem populorum, auctoritatem regum, artem dæmonum: quibus tanquam muta animalia, ad muta ducebantur simulacra, id est, non tanquam homines, sed tanquam pecudes in tanto religionis salutisque agebantur negotio. [Scitis, quoniam cum Gentes

Reges ac dæmones erroris veteris in causa fuere.

Tertullian. lib. de spect. cap. 8.

C essetis: ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes.] Quasi abducti & abrepti, nescientes quid colerent, sed quid ceteri colerent inquirentes. Tales sunt veteris huiusce pestis vires sed quanta Christi gratia, quanta Dei misericordia, quæ vinculum superstitionis abrupit, iugum excussi erroris. Inde ordiendum est, inde progrediendum.

SECTIO SECVNDA.

D *Iudaismus quibus infectus sit sordibus?*

HOc differt ethnicismum inter & Iudaïsmum, quòd ille totus diabolo addictus est, vt pote ab ipso inuentus: iste Deo dicatus, vt pote ab ipso institutus. Verùm sicut Christo aduentante, ethnici ad veram Dei peruenerunt notitiam, sic & Iudæi à paternâ defecerunt gratiâ: nec contenti Christianos insectari tanquam æmulos, Christum ipsum exsecrati sunt, maledictis prosciderunt & opprobriis. [Noua iam, ait Tertullianus, de Deo nostra fama suggessit. Adeò nuper quidam perditissi-

E mus in istâ ciuitate, etiam suæ religionis desertor, solo detrimento cutis Iudæus, vtique magis post bestiarum morsus, ad quos se locando quotidie toto iam corpore decutit, cum incedit picturam in nos proposuit sub istâ proscriptione, ONOCHOETES. Is erat auribus canteriorum, & in togâ, cum libro, altero pede vngulato, & credidit vulgus Iudæo. Quod enim aliud genus seminarium est infamiæ nostræ? Itaque in totâ ciuitate Onochoetes prædicatur.] Si in vrbe, inde & in orbe. Sed illi qui Christianos insectabantur, calumniabanturque tanquam asinarios; secundùm Isaiæ prophetæ vaticinium, & asino rudiores, & bo-

Tertullian. lib. 1. ad Nat. c. 14.

Pictura de Christo, à Iudæo exposita.

ue in agnoſcendo Deo & Chriſto eius craſſiores; dicteriis non contenti nec picturis, legatos in omnem terram deſtinarunt ſuos, & infamem diſſeminauerunt calumniam. [Poſteaquam enim illum vnicum irreprehenſibilem & iuſtum hominem in crucem egiſtis, (ita Iuſtinus Tryphoni) cuius vibicibus ſanitas eis prouenit qui per ipſum ad patrem adeunt: cum eum cognouiſſetis reſurrexiſſe à mortuis, atque in cœlum conſcendiſſe, pro eo atque futurum vaticinia præmonſtrauerant: tantum abeſt vt reſipiſcentes pœnitentiâ de malis commiſſis duceremini, vt etiam viros eximios Hieroſolymis delectos, in terram omnem tunc legaueritis, dicentes, hæreſim ſectamque Chriſtianorum nullius numinis cultricem extitiſſe; atque ea contra nos ſermonibus ſpargentes, quæ cuncti qui nos non norunt, iactant.]

Iuſtin. dial. cum Tryph. cit. med.

Putas completam eſſe Iudæorum malitiam: imò puta vix inceptam: non enim pertinaces ſolùm perſtiterunt in Chriſtianorum damnatione, non ſolùm atrociores & iniquiores extiterunt in eorum vexatione: non ſolùm manus iis intulerunt quotieſcunque potuerunt, non ſolùm Romanos Barbaros-ve immanitate vicerunt & impietate: ſed & Chriſtum non ceſſarunt deuouere diris, maledictis inceſſere. [Ad hæc, ait ille, captâ quoque vrbe veſtrâ, & terrâ vaſtatâ, non reſipiſcitis, diris maledictionis Chriſtũ, & credents in eum vniuerſos, exſecrari audentes. Nos per illũ Deo & Patri rerũ vniuerſarũ credentes, odio proſequimini, & occiditis, quotieſcumque poteſtis: ſine intermiſſione autẽ diris exſecramini & ipſum, & eos qui in nomine eius cenſentur.] Et antea: [Neci dediſtis Iuſtum, & antè illum Prophetas eius: & nunc eos qui ſpem in iſtum collocant, & eum qui ipſum miſit omnipotentem conditorem vniuerſorum Deum aſpernamini, & quantum in vobis eſt ſitum, dehoneſtatis, diris exſecrationibus deuouentes in ſynagogis veſtris eos qui in Chriſtum credunt.] Iam ergo redeamus ad Apoſtolum, comparat ille ethnicum, Iudæum, Chriſtianum, & vnicuique quod ſuum eſt, aſſignat: errorem ethnico, præſumptionem Iudæo, Chriſtiano veritatem. Ethnici quidem, adorant quod neſciunt; & ſi quid differunt de religione, aberrant: ſpiritu enim ducuntur erroris, imò ſenſu deſtituuntur humanitatis; nec plus ſapiunt quàm ea quæ colunt ſimulacra, muta, inſenſata. Iudæi ſciunt quod adorant, ſed blaſphemant quod neſciunt. Illi in ſpiritu diaboli loquuntur, ideò nequidem audiendi: iſti in ſpiritu Dei loquuntur, dum Prophetas adducunt, dum ſacras proferunt ſcripturas: & ideò non in totum reſpuendi. Sed cum Chriſtum in ſcripturis ipſis occultatum non deprehendant, imò verò & maledictis confodiant; non ſolùm ſpernendi ſunt, ſed & deſpuendi. Si enim reuera in ſpiritu Dei loquerẽtur, Chriſtũ Ieſum non auerſarentur, Dei ſpiritu prædicatum, præfiguratumque. Itaque ſola eis remanſit veritatis ſpecies, & ſedes adhæſit iniquitatis: quia, Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. [Quando videris, (ait Paulus apud Chryſoſtomum) non effantem nomen eius, aut etiam anathematizantem, diuinator eſt. Rurſus quando videris alium cum

Iuſtin. vlt. med.

Quomodo ethnici, Iudæi, Christiani, comparandi.

Chryſoſt. orat. 19.

A eius nomine omnia loquentem, cogita eum eſſe ſpiritualem.] Id eſt, verè Chriſtianum.

SECTIO TERTIA.

Quid ſit dicere Dominus Ieſus?

PArum inter eſt, ſiue cum Græcis legas, [Dominum Ieſum.] Siue cum Latinis, (Dominus Ieſus.) Sed id multum intereſt quod ait Apoſtolus, Neminem id poſſe dicere, niſi in Spiritu ſancto. [Quid enim dixerimus de catechumenis? ait Chryſoſtomus. Nam ſi nemo poteſt dicere Dominum Ieſum niſi in Spiritu ſancto, quid de iis dixerimus nominantibus quidem eius nomen, priuatis autem ſpiritu? Quid B verò nullus dæmon Deum nominat? Nonne dicebant dæmoniaci, Nouimus te qui es filius Dei. Nonne dicebant Paulo, Iſti homines ſerui Dei altiſſimi ſunt?] De ſpiritualibus agere aggreditur Apoſtolus, vt exponit Aquinas: [De donis gratiarum, quæ ſunt à Spiritu ſancto.] Quoad ethnicos autem, nihil erat ſpirituale, nihil erat gratiæ: cum enim omnia à ſpiritu eſſent erroris, nihil prorſus erat à ſpiritu veritatis. Apud Iudæos autem, triplex erat illorum genus. Primum, eorum qui dicebant anathema Ieſu. Sed vt dicam ex Auguſtino: [Hæ C inimicitiæ antè anathematizandæ, quàm refellendæ.] Alterum, eorum qui Ieſum inuocarent, nec tamen Dominum Deum crederent. [Tentauerunt quidam & de circumeuntibus Iudæis exorciſtis, inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicentes: Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Iudæi Sceuæ principis ſacerdotum ſeptem filij, qui hoc faciebant. Reſpondens autem ſpiritus nequam, dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illâ.] Poſtremum, D eorum qui & Ieſum dicerent, Dominumque, id eſt, Deum in ſpiritu & veritate colerent. Reſpondit Ioannes, dicens: [Magiſter, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me.] Reuera, vt obſeruat Chryſoſtomus: [Multi credentium chariſmata receperant, nec tamen cum Chriſto erant: qualis erat hic, qui dæmones eiiciebat.] Sequebatur enim mente, etſi non ſequebatur E corpore.

Chryſoſt. orat. 19.

Aquin. lect. 1.

Aug. lib. 11. cont. Fauſt. c. 9.

Actuum c. 19.

Tria Iudæorum genera de Chriſto loquẽtium.

Marc. c. 9.

Chryſoſt. Hom. 19 in Mat. cit. med.

Et quidem de dæmonibus, res acta eſt. Licet enim credant ipſi, imò & contremiſcant, non tamen pio bonæ voluntatis affectu ducti, ſed impulſu ac ſtimulo ſupremæ adacti poteſtatis. [Hoc dicebant, ait Chryſoſtomus, ſed flagellati, ſed coacti: volentes autem, & non coacti nunquam.] Non dicunt rei, quod deponunt inuiti: idcircò reclamant, negantque ſe dixiſſe, ſed ingeminatis ceſſiſſe tormẽtis. [Quomodo ergo, ait Auguſtinus, Nemo dicit, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, niſi quia propriè Apoſtolus poſuit verbum, quod eſt, Dicit, vt ſignificet voluntatem atque intelle-

Chryſoſt. orat. 19.

Aug. lib. 1. de ſer. Do. in mo. c. 25.

ctum dicentis. Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult nec intelligit quod dicit: sed ille propriè dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat.] Quoad catechumenos autem, ex Aquinate: [Dicendum est, quòd dicere aliquid in Spiritu sancto potest intelligi dupliciter. Vno modo, in Spiritu sancto mouente, sed non habito. Mouet enim Spiritus sanctus corda aliquorum ad loquendum quos non inhabitat: sicut legitur Ioan. 11. Quòd Caïphas hoc quod de vtilitate mortis Christi prædixerat, à semetipso non dixit, sed per spiritum prophetiæ. Balaam etiam multa vera prædixit, motus à Spiritu sancto, vt legitur Num. 23. & 24. licet eum non haberet. Alio modo, loquitur aliquis in Spiritu sancto mouente & habito. Et secundùm hoc, etiam potest verificari quod hîc dicitur: ita tamen quod dicere, accipiatur non solùm ore, sed etiam corde & opere. Nemo ergo, nisi habendo Spiritum sanctum, potest dicere Iesum Dominum: ita scilicet quòd non solùm hoc ore confiteatur, sed etiam corde reuereatur ipsum vt Dominum, & opere obediat ipsi quasi Domino.] Non omnis qui dicit illi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris. Potest ergo Iesus dici Dominus tripliciter. Primò, ore: ita dicere possunt impii: sed per communem notionem. Secundò, corde, ita catechumeni. Tertiò, opere, ita sancti. Tam enim illi, quàm & isti, per specialem Spiritûs sancti reuelationem, Iesum rerum omnium Dominum agnoscunt: sed illi per Spiritum sanctum pulsantem adhuc, isti per inhabitantem iam: nec credunt solùm, sed & humiliter fideliterque obediunt.

Aquin. lect. 1.

Iesus dicendus est Dominus, ore, corde, opere

SECTIO QVARTA.

Quales sint gratiarum diuisiones?

CVm lego diuisiones gratiarum intelligo distributiones donorum, donatiuorumve, Græcè Χαρισμάτων. [De spiritalibus dico, hæc quoque in Christum à Creatore promissa. Accipe nunc quomodo & à Christo in cœlum recepto, charismata obuentura pronuntiauit. Ascendit in sublimitatem, id est, in cœlum. Captiuam duxit captiuitatem, id est, mortem, vel humanam seruitutem. Data dedit filiis hominum, id est, donatiua, quæ charismata dicimus.] Ita Tertullianus. Sunt ergo gratiæ illæ, liberales ac gratuitæ donationes, quæ quidem spiritales sunt, dum à Spiritu sancto exortæ sunt, tamen & carnalibus, seu nondum spiritalibus aliquando concessæ. [Quomodo enim, ait Chrysostomus, Corinthios Apostolus vocat carnales? Non potui, inquit, vobis loqui tãquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus. Num ergo dici potest, quòd cum ab initio credidissent, & charismata seu gratuita dona essent assecuti, euaserunt postea negligentiores. Sed quod adhuc haberent charismata, Psalmum, inquit, habet aliquis, reuelationem habet, linguam habet, interpretationem habet.] Istæ quippe gratiæ datæ sunt Ecclesiæ, ad communem vtilitatem proficientium, non

Tertul. l. 5. adu. Marc. cap. 8.

Chrysost. orat. 2.

A ad singularem personalem-ve recipientium sanctitatem. [Sicut de Christo duo sunt, ait Bernardus, vnum nobis incognitum, scilicet generatio diuina, de quâ scriptum est: Generationem eius quis enarrabit? Alterum cognitum, vt generatio vel opera humana. Ita etiam de Spiritu sancto, aliud eius nostris est mentibus occultum, scilicet quomodo procedat à Patre & Filio, cum sit æqualis & coæternus eidem Patri & Filio: aliud verò ipso docente manifestum, videlicet quibus modis operatur gratiam suam in nobis. Duplex quippe est operatio sancti Spiritûs. Operatur enim in nobis B aliud propter nos, aliud propter proximos. Propter nos, id est, propter vtilitatem nostram, operatur in nobis, primò, compunctionem, consumendo peccata: secundò, deuotionem, vngendo & sanando vulnera: tertiò, creando intellectum, tanquam pane confirmat nos & roborat: quartò, hæc ipsa multiplicius augendo, & amorem infundendo quasi vino inebriat. Cetera charismata, id est, sapientia, consilia, & huiusmodi, dantur nobis ad vtilitatem aliorum.]

Bern. serm. 53. ex paruis & variis.

Aliæ gratiæ in vtilitaté communem aliæ ad singularé sanctitatem.

Et id voluit Apostolus, cum dixit: [Vnicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad vtilitatem.] Nam, vti exponit Aquinas. [Pertinet ad gratiam gratum facientem, quòd per eam C Spiritus sanctus inhabitet; quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam, sed solùm vt per eam Spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem. Manifestatur autem per huiusmodi gratias Spiritus sanctus dupliciter. Vno modo, vt inhabitans Ecclesiam & sanctificans eam, putà, cum aliquis peccator quem non inhabitat Spiritus sanctus, facit miracula, ad ostendendum quòd fides Ecclesiæ quam ipse prædicat, sit vera. Alio modo, manifestatur per huiusmodi gratia Spiritûs sancti, vt inhabitans eum, cui tales gratiæ conceduntur. Et ne huiusmodi manifestatio vana videatur, subdit ad vtilitatem, scilicet communem.] D Quid ergo? [Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum.] Rectè, nam, vt notauit Bernardus: [Apostolus cum de distributione donorum loqueretur, cum ait simpliciter: Alij datur sapientia, alij scientia: sed addidit, dicens, sermo scientiæ, sermo sapientiæ: vt ostenderet, quòd huiusmodi dona propter alios dantur, scilicet, vt alii ædificentur.] Reuera, vt obseruauit & Chrysostomus. [Est scientia absque verbo, & est scientia cum verbo. Sunt enim multi qui scientiam quidem habent, verbum autem non habent: vt ij qui non possunt apertè exprimere quæ habent in mente.] Aliud quippe intelligere quod dicitur, E aliud dicere quod intelligitur. Alia illa scientia est, & externa, sed internæ expressiua. Sunt enim aliqui qui sibi sciunt, non alteri; quia quod sciunt, nec congruè exponere possunt, nec aptè dicere. Sunt & qui plus alteri sciunt quàm sibi, plus enim effundunt quàm capiunt, & accommodatis verbis, multa paucis, imò plura in sensu quàm intellectu proferunt. [In iis autem operibus, ait Bernardus, cauendum est duplex periculum, ne vel illa quæ dantur propter nos, diuidamus proximis: vel illa quæ propter

Aquin. lect. 2.

Bernard. serm. 57.

Chrysost. orat. 2.

Bernard. serm. 53.

propter proximos, reseruemus nobis. Si enim quæ pro vtilitate aliorum accepimus, retinemus tantùm nobis, charitatem non habemus, & dicitur nobis, *Sapientia abscondita*, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Rursus si de donis Dei velimus innotescere hominibus non Deo in occultis cordis placere, humiliatem perdimus, & meritò illâ voce increpamur: Quid habes quod non accepisti? Sic vtroque modo periclitamur, hinc humilitatem, hinc amittendo charitatem.]

Duplex periculum in Dei donis vitandum est.

Sunt illa dona quæ Christo indita, promissa Christiano. [Compara, inquit Tertullianus, species Apostoli & Esaiæ. Alij, inquit, datur per Spiritum sermo sapientiæ; statim & Esaias spiritum sapientiæ posuit. Alij sermo scientiæ; hic erit sermo intelligentiæ & consilij. Alij fides in eodem Spiritu; hic erit spiritus religionis & timoris Dei. Alij donum curationum, alij virtutum; hic erit valentiæ spiritus. Alij prophetia, alij distinctio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum; hic erit agnitionis spiritus. Vides Apostolum & in distributione faciendâ vnius spiritûs, & in specialitate interpretandâ, Prophetæ conspirantem.] Alij distinguunt discernuntque quod aliqui diuino spiritu impulsi effuderint; siue arcana detegendo, siue exponendo mysteria: alij digerunt, quod isti linguis peregrinis locuti sunt. Sed, vt absoluam ex Bernardo: [Rectus profectus nostri ordo est, vt illis donis, scilicet compunctione & cæteris studeamus impleri primùm: deinde si per gratiam Spiritûs sancti cetera supercreuerint, id est sapientia & scientia, curemus illa proximis partiri. Ita sanè obtinebimus illud Spiritûs sancti donum, quod vocatur discretio spirituum, si & ea quæ nobis tantùm congruunt, nobis reseruemus: & ea, quæ ad aliorum vtilitatem conferuntur, nobis largiamur & proximo.] Meminisse enim debemus gratias esse, nobis quidem datas, non tamen nobis addictas; nec enim ad pompam ingenij concessæ sunt, sed ad gloriam Dei; nec ad arbitrium relictæ, sed ad iudicium expendendæ. Talenta sunt nobis concredita, quæ nec sub vmbrâ humilitatis celare debemus, nec sub laruâ charitatis ostentare; sed ita consulere charitati, vt non lædatur humilitas quæ virtutis omnis fundamentum est: ita parere humilitati, vt charitas, quæ virtutis omnis complementum est, non conqueratur. Sine humilitate enim ac charitate nulla salus est, & tota in charitate & humilitate est salus: per illam namque, animæ iustitia est; per istam, tutela iustitiæ.

Tertul. lib. 5. aduers. Marc. c. 8.

Bernard. ser. 53.

Tota salus in humilitate & charitate est posita.

SECTIO QVINTA.

Quales ministrationum species?

POst diuisiones charismatum, recenset Paulus diuisiones ministrationum, seu ministeriorum, Græcè διακονιῶν: non enim actiones, sed ipsa recenset officia. [Apostolus, (verba sunt Hieronymi) super diuersis intonans gratiis, loquitur: Diuisiones donationum sunt. idem autem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus.] Et alibi: [Docente, inquit, Apostolo, Spiritûs sancti diuersas gratias nouimus. Scribit enim in primâ ad Corinthios epistolâ: Diuisiones donorum sunt; idem verò Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritûs, ad id, quod expedit.] Ad id nimirum quod vtile est Græcè, πρὸς τὸ συμφέρον. Itaque, ministeria quidem omnia, dona sunt; sed non dona omnia, sunt ministeria. Ita Paulus: [Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores. Deinde virtutes. Exinde gratias curationum. Opitulationes, gubernationes.] Nempe, vt exponit Aquinas? [Primò ponit maiores seu principales administrationes: secundò, ministrationes secundarias. Maiores autem ministri in Ecclesiâ sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent, quorum primum est, auctoritas gubernandi fidelem populum: secundò, facultas docendi: tertiò, potestas faciendi miracula ad confirmationem doctrinæ. In omnibus autem potestatibus, seu virtutibus ordinatis, illud quod est principale, reseruatur supremæ potestati. Alia verò, etiam inferioribus communicantur. Potestas autem faciendi miracula, ordinatur ad doctrinam sicut ad fidem: doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi sicut ad finem. Et ideò primus gradus inter ecclesiastica ministeria est Apostolorum, quibus specialiter competit Ecclesiæ regimen. Et propter hoc dicit, Et Deus posuit, id est, ordinatè collocauit in Ecclesiâ. Quosdam scilicet in determinatis ministeriis. Primùm quidem Apostolos quorum regimini commisit Ecclesiam. Et quamuis ad Apostolos præcipuè pertineat doctrinæ officium, tamen alij in communionem huius officij assumuntur: quorum quidam per seipsos reuelationes à Deo excipiunt, qui dicuntur prophetæ: quidam verò de his, quæ sunt aliis reuelata, populum instruunt, qui dicuntur doctores. Vnde subdit, Secundò, Prophetas, qui etiam in nouo testamento fuerunt. Tertiò, Doctores.]

Hieronym. lib. 1. adu. Pel. vlt. med.

Hieronym. epist. 150. quæst. 9.

Aquin. lect. 3.

Ministeria aut principalia sunt aut infima.

Post illa verò ministeria quæ prima sunt ac principalia; sunt & alia, quæ secundaria, &, vt ita dicam, sunt infima. Et ideò, omnia colligendo, prima quidem repetit vt præcipua, aliud vt inferiora prætermittit: illa iterum recenset, ista subticet. [Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?] Vbi opitulationes? vbi gubernationes? Ministeria sunt, sed infima; quæ nec multum æstimarent Corinthii ipsi, nec supra modum expeterent. Sanè, plurimùm illi linguis delectati, vtpote verbis fœcundi, & humanæ studiosi eloquentiæ. Ideò Paulus id genus plurimum etiam depretiat, dum non solùm in vltimis semper collocat, sed & ipsis confusionem indigitat, dum interpretationem semper expostulat. Quid ergo opitulationes, & gubernationes? [Hæc est, inquit Athanas. sustentare infirmos, & gubernare quæ fratrum sunt. Quod etsi nostræ diligentiæ sit; Dei tamen esse id munus asserit.] Opitulationes er-

Athanas. in Paul.

go, gratiæ sunt, suscipiendis fouendisque infirmis concessæ: vt quibus illa cura commissa est, misericordiam exerceant Christianam, nec fideliter tantùm, sed & hilariter suum impleant ministerium. [Qui miseretur, in hilaritate.] Gubernationes verò, gratiæ, ecclesiasticis bonis, simpliciter prudenterque dispensandis: vt quibus creditum est hoc officium, auaritiam fugiant, liberaliterque ac laudabiliter sacrum impendant ærarium. [Qui tribuit, in simplicitate.] Exercentur quidem circa res corporales, ideoque inter postrema recensentur ministeria: tamen & dona sunt spiritalia, dum à Spiritu sancto data, dum & pio bonæ voluntatis Christianæ-ve charitatis affectu dispensata. [Nam & multa etiam, vti notauit Chrysostomus, ex iis quæ à nobis rectè & ex virtute fiunt, Apostolus appellat dona gratuita; non volens nos despondere animum, sed ostendens quòd vbique & semper Dei egemus auxilio; & nos instruens vt simus grati animi, & nos eâ ratione faciens animo alacriores.]

Rom. 8. 12.

Spiritalia dona etiam ad res corporales data.

Chrysost. orat. 32.

SECTIO SEXTA.

Qualesnam operationes?

NOn vulgares certè, sed illustres & insolitæ. [Diuisiones operationum sunt.] Græcè ἐνεργημάτων. Quo significatur vis & efficacia, quæ solitos excedat terminos, siue à Deo procedat, siue etiam à diabolo. Vnde Tertullianus de Apelle: [In alteram, inquit, feminam impegit, cuius energemate circumuentus, quas ab eâ didicit Phaneroseis, scripsit.] Idcircò Paulus, postquam dixit: [Et diuisiones operationum sunt.] Statim addidit: [Idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.] Vt auctorem agnoscas & originem, sciasque energemata ista à Deo facta, non à diabolo conficta. Quis auctor? Qui & creator. Idem Deus, qui Spiritus sanctus, qui Dominus seu filius, qui pater: seu, vt nos recensemus, qui Pater, qui Filius, qui Spiritus sanctus: quorum primus modus æternam demonstrat processionem, alius perfectam æqualitatem connotat. [Vides, ait Chrysostomus, quòd nullam ostendit differentiam in donis Patris & Filij & Spiritûs sancti: non hypostates seu personas confundens, absit; sed essentiæ ostendens parem in honore æqualitatem? Nam quòd gratificatur Spiritus, hoc & Deum operari, hoc & filium constituere dicit & præbere, Atqui si hoc esset illo minus, aut hoc illud, non id sic posuisset.] Et gratiæ quidem attribuuntur Spiritui sancto, ob bonitatem, ministeria, filio, seu Christo Domino, ob humilitatem: ille enim procedit per voluntatem, cuius est spirare ac spirari: iste, non venit ministrari, sed per humilitatem ministrare. Operationes verò non solùm appropriantur Patri, sed & ad ipsum ob auctoritatem reuocantur tanquam ad primum seu primordiale & originale principium. Possunt etiam ministeria dari filio, tanquam Domino, modò constet Deum ipsum vbique & in omnibus operari. [Ponit Apostolus distinctionem operationum, (verba sunt Aquinatis) dicens, Et diuisiones operatio-

Tertul. l. de præscript. cap. 30.

Chrysost. orat. 29.

Bonitas Spiritui sancto, potestas Filio, Patri auctoritas.

Aquin. lect.

A num sunt, quæ tamen omnes procedunt ab vno principio. Vnde subdit, Idem verò Deus, qui operatur omnia: sicut prima causa creans omnes operationes. Ne tamen aliæ causæ videantur superfluæ, subdit, In omnibus, quia in causis secundariis prima causa operatur. Et notandum est, quòd Apostolus valdè congruè gratias attribuit Spiritui sancto, qui est amor: quia ex amore procedit, quòd gratis detur. Ministeria Domino, cui ministratur. Operationes Deo, sicut primæ causæ mouenti. Possunt & hæc tria attribui Spiritui sancto, qui est Dominus Deus.]

B In illis autem energematis, priùs operandi ratio præmittenda est, tum & ibi subiicienda operatio. Quoad primum Apostolus: [Alteri fides in eodem Spiritu.] Qualisnam fides? quâ res edas mirabiles, quâ etiam montes transferas. [Fidem quippe, (vti monuit Chrysostomus) non eandem dicens eam quæ est dogmatum, sed eam quæ est signorum. De quâ dicit Dominus, Si habeatis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, & transibit. De eâ quoque rogabant Apostoli, dicentes, Adde nobis fidem. Hæc enim est mater signorum.] Quæ tandem proles? Ea duplex est. Minor quidem vna, altera grandior. [Alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum.] Iam & alio ordine, licet eadem mente. [Deinde virtutes: exinde gratias curationũ.] Prima illustrior, secunda decoloratior. Et, [Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum?] Quid ergo gratia curationum; seu, vt ex Græco, sanationum? Donum Dei; quo medelâ aliquâ adhibitâ, curatur morbus, ægrotus sanatur. Ita Tertullianus de feminâ Christianâ. [Videt & audit sacramenta, & quorundam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit.] Quid operatio virtutum ἐνεργήματα δυνάμεων. Dei donum, quo aut dæmon ex corporibus obsessis eiicitur, loquela muto, vel etiam vita restituitur mortuo. Ita de vtroque charismate Comment. Ambros. [Gratia curationum, id est, vt medelam tribuat infirmis, vel ægris. Alij operatio virtutum. Potestatem dari significat in eiiciendis dæmoniis, aut signis faciendis.] Clariùs Aquinas, & expressiùs. [Apostolus, inquit, miracula in duo distinguit. Nam primò dicit: Alij datur gratia sanitatum. Id est, per quam alicuius possit sanare infirmitatem. Secundò autem dicit: Alij datur operatio virtutum: eo quibus persuadetur solùm propter magnitudinem facti.] Miracula, seu signa, diuina sunt opera, tanquam sigilla regia, quibus aut obsignatur doctrina, aut vita alicuius illustratur. Quædam autem ex illis maiora sunt, quædam minora: & in istis, infirmorum inunctio salutaris: in illis, imperialis dæmonum expulsio. Ita Tertullianus, tanquam de re notâ, sed & passim vsitatâ. [Dæmonia expellis, medicinas facis.] Illa enim charismata erant olim in Ecclesiâ frequentissima: nec primoribus dumtaxat Corinthiis, sed & Christianis omnibus familiarissima. Idcircò Paulus vno verbo rem absoluit, cum iis agit, qui sine verbo quotidianis fidẽ habebant experimẽtis; & oculis hauriebant, quod nunc sermone exponi potest, aut mẽte concipi,

Chrysost. orat. 29.

Miracula diuina sunt opera, vt sigilla regia.

Tertullian. l. de anim. cap. 9.

Comment. Ambros.

Aquin. lect. 2.

Tertul. l de Spect. c. 29.

SPICILEGIVM.

INcepimus à tyrannide malæ consuetudinis, necdum absoluimus. Sunt enim & nonnulla quæ suffugiunt aut excidunt, quæ tamen non sunt contemnenda. Dicam igitur primò, Religionem Christianam aduersùs inueteratam opinionem militasse: secundò, non tam sermonibus triumphasse quàm operibus: tertiò, concordiâ profecisse, defecisse discordiâ.

Quoad 1. Militant Apostoli, & desudant in opere. [Non quoniam imbecilli aduersùs fortes, (verba sunt Chrysostomi) nec quoniam pauci aduersùs multos, non quoniam pauperes aduersùs diuites, nec rudes & ignari aduersùs sapientes struebant aciem: sed quoniam magna quoque vis est præoccupatæ opinionis. Scitis enim apud homines nihil esse æquè validum atque tyrannidem veteris consuetudinis. Quamobrem si non fuissent duodecim solùm, neque adeò viles abiectique & tales, sed etiam alius orbis terræ, & ei respondentem secum instructam habuissent multitudinem, aut etiam longè plures, sic quoque fuisset quod fiebat difficile. Nam illis quidem opē ferebat consuetudo, his autem aduersabatur nouitas. Nihil enim adeò conturbat animum, etiamsi id fiat ob aliquid vtile, vt innouare, & peregrinū & externū aliquid facere, & maximè quando hoc factum fuerit de Dei cultu religioneque & opinione. Verisimile namque erat catechumenos ab Apostolis instituendos dicere: Quidnam hoc est? Omnes qui terram habitant, sunt decepti? Et sophistæ, & oratores, & philosophi, & scriptores, & qui nunc sunt, & qui fuerunt antea, & Pythagoras, & Plato, & Imperatores, & Consules, & Reges, & vrbium qui fuerunt ab initio ciues & habitatores, & Barbari & Græci: & duodecim piscatores, & tabernaculorum contextores, & publicani illis omnibus fuerunt sapientiores, & ideò omnes vicerunt?] Tam Græci, quàm Iudæi, infensi erant religioni Christianæ; sed illi, vt religioni; isti, vt Christianæ. Illi namque superstitionem sectabantur auitã, idcircò veram auersabantur religionem: isti, legitimum quidem Dei cultum susceperant, sed verum Dei Chistum respuebant, imò & horrebant. Inde ad illos Apostolus: [Cum Gentes essetis, ad simulacra muta ducebamini.] Ad istos: [Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu.] Poterant Iudæi Græcis dicere, si Deum verum quæritis, Deum nostrum colite, quem & ipsa colit, Christianorum secta: si ætatem, si antiquitatem suspicitis, ad nos contendite, quos & ipsa agnoscit vt magistros, vtpote non aliis quam nostris instrumentis suffulta. Ita sit, sed Deus verus, per Christum verum colendus est. Si ergo in Spiritu Dei loquerentur Iudæi, ipsum etiam Christum Dei sequerentur, tantum abest vt respuerent tantum, vt & exsecrari auderent & abominari. [Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesum.] Vtrobiq; tamē vis vigebat consuetudinis, sed diuersâ causâ: nã apud Græcos, vis veteris erroris; apud Iudæos, vis veteris religionis, quæ eo acriùs vrgebat, quò verisimiliùs sua iura protegebat. Nam si Deus Iudæorum verus est, vtique audiendus, vtique & colendus. Et vtique obtinerent, nisi audirent Moysem legislatorem, duritiam increpantem, damnantem peruicaciam. Quoad ethnicos verò, rescindenda omnia, omnia confringenda, omnia quoad Deum, cultum, ritum abolenda: nec contrà superstitionis anilis errorem duntaxat depugnandum, sed & aduersùs vniuersalis cōsuetudinis repugnandum tyrannidem. [Etenim, ait Chrysostomus, si cum soli decem anni, nedum tantum tempus; & cum pauci homines, nedum vniuersus orbis terræ, præoccupati essent à consuetudine, Apostoli accessissent, sic quoque difficilis fuisset transmutatio. Nunc autem & sophistæ, & oratores, & patres, & aui, & proaui, multis retrò seculis errore erant præoccupati. Adeò tyrannica res est consuetudo, vt dicatur Plato, etiamsi rectè sciret res deorum esse errorem, ad celebrandos tamen eorum dies festos, & ad alia omnia se demisisse, vt qui non posset repugnare consuetudini. Faciliùs denique omnia mutauerit quispiam, quàm quæ pertinent ad religionem.]

Quoad 2. Non solùm nouitas obiiciebatur religioni Christianæ, sed & monstrositas. [Recognosci potest, ait Tertullianus, nihil nos nouum, aut portentosum suscepisse.] Vnde nouitas? Quòd Christiani in extremâ mundi senectute, nouam legem inducerent. Vnde monstrositas? quod illi in summâ ingenii amœnitate portentosam inueherent religionem. [Vel hoc ipsum dogma, inquit Chrysostomus, sufficiebat ad abigendos infideles. Quid enim dicebant, qui prædicabant? Quòd adorare oporteat crucifixum, & eum existimari Deum qui natus esset ex muliere Iudæâ.] Parùm est, crucifixum & mortuum: sed & similiter patiendum moriendumque. [In Apostolis enim, ait ille, & aliis validius erat hoc impedimentum; quod non solùm sic antiquam mutarent consuetudinem, sed etiam cum periculis facerent transmutationem. Non solùm enim trahebant à consuetudine in consuetudinem: sed à consuetudine ab omni metu liberâ, ducebant ad res quæ minabantur pericula. Oportebat enim eum qui credebat, statim pubicari, expelli, à patriâ exulare, extrema mala perpeti, ab omnibus odio haberi, communē esse hostem & suis & alienis.] Non solùm commodis omnibus priuari, sed & omnibus immolari incommodis: non solùm ab assuetis, imò, vt putabant, honestis abstrahi voluptatibus, sed crucibus & viuicōburiis deuoueri: semetipsum abnegare, vanis nuntiū imò & humanis remittere. Quomodo igitur militabãt Apostoli, quomodo triūphabant? Non tam sermonibus quàm operibus: nec tam doctrinâ quàm vitâ. [Nō enim signis solùm, ait Chrysostomus, tunc quoque credebant: sed etiam multi eorum qui accedebant, à vitâ inducebantur. Luceat enim lux vestra, inquit, coràm hominibus, vt videant bona vestra opera, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Nunc quoque si hoc factum fuerit, conuertemus vniuersum orbē terræ, etiam absq; signis. Nam etsi nunc essent signa, quisnā persua-

Chrysost. orat. 7.

Quantum nouitas religionis agitet ac conturbet.

Chrysost. ead. orat.

Tertull. lib. de testim. an. c. 1.

Chrysost. orat. 7.

Chrysost. orat. 6.

deretur, aut quis ex externis nobis animum adhiberet; cũ ita extet aut supereminear vitiũ? Etenim recta vita nostra multis videtur esse magis fide digna. Nam signa quidem apud impudentes & sceleſtos homines etiam in malam veniunt ſuſpicionem. Vita autem pura, vel ipſum os diaboli abundè obſtruere poterit.] Duo habemus in religione, & vtraque à Deo accepta, fidem ſcilicet ac pietatem, ſed per pietatem perſuademus fidem. Nobis arcana ſua commiſit Chriſtus, quod certum eſt magnæ argumentum amicitiæ: ſed & opera inſuper addidit ſua, id eſt, diuina ſpiritualia: vt quod ſermone non probatur, opere demonſtretur; quod non explicatur linguâ, vitâ declaretur. [Huius ergo nos pudeat, ait ille, & vitam optimam oſtendamus: cum pateat Chriſtum non ſolùm per verba credidiſſe myſteria, ſed etiam ea ipſa nobis donaſſe opera. Nec tanquam ſerui mercenarij, ſed tanquam filij & liberi omnia agamus propter amicitiam patris: & ceſſemus omnes eſſe mundo affixi, vt etiam gentes pudore afficiamus: vel ne vincentes ratione & veritate dogmatum, ex vitæ comparatione nobis riſum inferamus.] Eloquentia quidem humana verbis pollet, ſed gratia diuina relucet in factis, quibus illa non conuincitur tantùm, ſed & ſuffunditur.

Vita Angelica confundendis æmulis efficaciſſima.

Chryſoſt. orat. 7.

Quoad. 5. Citò profecit Religio Chriſtiana quia incepit à concordiâ: omnium quippe credentium erat cor vnum, & anima vna: ſicut enim res maximæ diſcordiâ dilabuntur, ſic & minimæ prouehuntur concordiâ. Quid Chriſtiani? [Corpus ſumus, ait Tertullianus, de conſcientiâ religionis.] Audi & Apoſtolum: [Vos autem corpus Chriſti, & membra de membro. Non ſit ſchiſma in corpore: ſed idipſum pro inuicem ſollicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.] Quorſum iſta? quia: [Inter fratres atque conſeruos, (vt loquitur Tertullianus) communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio: quia communis ſpiritus de communi Domino & Patre.] Audi rurſus Paulum commendantem inculcantemque, [Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.] Id eſt, Chriſtiani cum ſint multi, vnum tamen corpus conſtituunt, in quo Chriſtus tanquam caput eminet; vnam componunt familiam, in quâ Chriſtus tanquam ſponſus præſidet. Imò, vti dixit Auguſtinus: [Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Eccleſia, ſponſus & ſponſa, Duo in carne vnâ.] Sed obſerua cum Chryſoſtomo. [Non dixit Apoſtolus, cum membra ſint multa, ſunt vnius corporis, ſed idem corpus: multa ſunt, & illa multa membra ſunt hoc vnum. Si ergo multa ſunt vnum, & vnum multa, vbi eſt differentia? Vbi eſt quod exuperat, & vbi eſt quod eſt minus? Omnia enim, inquit, ſunt vnum: & non temerè & abs re vnum, ſed etiam magis propriè examinata, eò quòd ſint corpus, inueniuntur omnia eſſe vnum. Si autem dicis, Multa ſunt membra, eaque differentia. Diſce quòd idipſum quidem eſt mirabile, & corporis eximium, quando multa & diuerſa vnum fecerint.] Si non eſſent multa, nequidem eſſet corpus: ſi non coïrent, nec vnum facerent. Sed ſi diuerſus eſt membrorum ſitus, idem eſt Chriſtianorum ſpiritus; qui vnitatem ſeruat, dum ſpirat charitatem. [Dominus ergo Deus noſter, qui nouit quid cui tribuat, & vt ſeruetur compago corporis in pace, alloquitur Eccleſiam per Apoſtolum: Non poteſt dicere oculus manui, opus te non habeo: aut iterum caput pedibus, opus vobis non habeo. Oculus videt, & non auris: auris audit, & non videt. Sed in vno corpore ſi ſit ſanitas, & non aduersùm ſe litigent membra, & auris videt in oculo, & oculus audit in aure. Auris dicit, oculus mihi videt: oculus dicit, auris mihi audit. Omnia in vno corpore cooperantur, ſi ibi ſit ſanitas & concordent membra, gaudent & congaudent ſibi: & ſi aliquid moleſtiæ ſit in aliquo membro non ſe deſerunt, ſed compatiuntur ſibi.] Sic omnia conſpirant, & mutuum ſibi præſtant auxilium. [Numquid quia in corpore pes, quaſi longè videtur ab oculis? Illi enim ſunt locati in ſublimitate, illi autem infrà poſiti. Quando fortè pes ſpinam calcauerit, deſerunt oculi: & non ſicut videmus totum corpus contrahitur, & ſedet homo, curuatur ſpina dorſi, vt quæratur ſpina quæ hæret in plantâ?] Quid ergo ſi caput pedi ſubſidium deneget ſuum, aut pes inſultet capiti? Nonne quod concordiâ paritur, diſcordiâ dilabitur; & quod congregatur per illam, per iſtam diſſipatur?

Tertullian. c. 39 Apol.

Tertul. lib. de Pœnit. c. 10.

Auguſtin. lib. de vnit. Eccle. c. 4.

Chryſoſt. orat. 30.

Multa vnâ ſunt, dum in vnum ſimul coeunt.

Auguſtin. Enarrat. in Pſal. 130 cit. med.



CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Epigraphe.

DEmonstrat cetera dona posse esse sine charitate, non tamen & prodesse: tum enumerat insignia tantæ virtutis, quam alijs omnibus maiorem affirmat præstantioremque.

TEXTVS.

SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas numquam excidit; siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.

EXEGESIS LITTERALIS.

PAulum Chrysostomus, dicit: [Factum esse patronum Ecclesiæ.] Adde & charitatis. [Paulus enim (vt & ille ait) de eâ dicere, & præclaram hanc actionem laudare aggressus est.] (Chrysost. orat 7. & orat. 31.)

[Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, &c.] Promisit se demōstraturum viam excellentiorem, Græcè καθ' ὑπερβολήν, supra modum, & per excessum aliis excellentiorem donis eminentioremque. [Nec dixit charisma seu donum, ait Chrysostomus, sed viam, vt magis extollat quod dicturus est: & non absolutè viam, sed viam excellentem.] (Chrysost. orat. 32.) Via est, quia omnibus aperta, saltem omnibus proposita:

A via, quia tam certò per illam tenditur in patriam, quàm piè ac sanctè viuitur. Minus dixi. Via est, quia tam necessariò quàm & tutò per illam incedendum est, aut à scopo recedendum. Idcircò incipit à dono linguarum, quod apud Corinthios erat in pretio: additque supra linguas hominum, etiam linguas angelorum. [Quid est, hominum? (ait ille) omnium gentium quæ sunt vbique terrarum. Neque eâ Paulus contentus fuit hyperbole ac exuperatione: sed aliam quoque ponit longè maiorem, subiungens & dicens, Et Angelorum.] (Chrysost. ibidem.) Dixerat & ille: [Vitam angelicam] quæ sortem supergreditur humanam, quæ conditionem ordinariam excedit: (Chrysost. orat 6.) dic ergo linguam angelicam, humanâ præstantiorem, nostrâ digniorem. Si enim linguam haberent Angeli, haud dubiè alia esset à nostrâ, illustrior nimirum ac præclarior, sicque non solùm augeret nume-

rum, sed & pretium adderet. Concupiscitis linguas ô Corinthij, siue quia primas eas acceperunt Apostoli, tanquam Spiritûs primitias, siue quia stuporem ædificant, admirationem excitãt. Habete linguas omniũ hominũ; habete & angelorum, habete terrestres ac cœlestes, humanas & angelicas: id est tam easquæ sunt, quã & quæ dici possunt aut concipi. Si tamen non habetis charitatem. Quid dico, si non habetis: neminem excipio: si ego ipse charitatem non habeo, homo inanis sum & vanus: etsi enim forsan aliis non sum inutilis, mihi tamen infructuosus sum: velut æra quæ personant, aut cymbala quæ tinniunt; strepitum edunt, fortean & delectant; sed in cassum, ne dicam & in ventum sibi laborant, nisi quòd seipsa, dum crepant, deterunt. [Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, &c.] Veniamus ad ea quæ maioris sunt dignitatis. Prophetiæ quidem donum pluris æstimandum est. Fac igitur me habere prophetiam omnem: adde & alia, nempe per sapientiam comprehendere me arcana omnia cœlestia, per scientiam humana omnia digerere; per fidem promissorum, montes etiam transferre, res facere insolentes: si tamen charitatem non habeam, nullius apud Deum sum meriti, nullius pretij. [Virtutes enim facere, ait Ambros. aut dæmonia per fidem eijcere, ad meritum non proficit, nisi quis bonæ conuersationis fuerit æmulus.]

Linguæ angelicæ, quasi cœlestes, seu humanarum linguarum principes.

Ambros. in Paulum.

[Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, &c.] Magnum est omnia sua in vsus pauperum erogare, maius corpus suum rogo tradere: si quis tamen fidelium hoc faciat, eligatque ardere viuum potius quàm Christum abnegare, charitatem autẽ non habeat, nihil proficit imò & deficit. [Nõ, vt moriar dixit, sed quod omnium est visum grauissimum, vt viuens ardeam, neque id quod aliquam affert sine charitate vtilitatem.] Ita Comment Athanas. [Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, &c.] Ista sunt encomia charitatis, dotes, proprietatesque, insignia, officia. Vis ergo nosse, an habeas eminentissimum ac præstantissimum illud dei donum, vide an patiens sis ac benignus, lenitatem habeas animi comitatemque. Vide si nulli inuideas, si nihil præposterè agas, aut temerariè: vide si fastu non turgeas, si ambitu non insolescas. [Non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, &c.] Non aliis nocet. Parum est. Nec suis etiam studet commodis, sed potius iniuriarum omnium tolerans, nec malum vnquam cogitans, si quando defraudatur, aut ad iram prouocatur; nec enim reputat iniuriam, aut ad vindictam imputat, sed excusat potius aut dissimulat. Nõ gaudet si quem videat iniustè afflictum; sed congaudet, si videt dignè habitum. [Non lætatur iis quibus malè fit, sed & quod est multò maius; Congaudet veritati: gratula-

Comment. Athanas.

Quanta sint veræ charitatis insignia.

Chrysost. orat. 33.

A tur enim iis qui sunt probati & in bonâ sunt existimatione. Quod quidem dicit Paulus, Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Hinc non æmulatur, hinc non inflatur; nam aliena mala sua esse existimat.] Ita Chrysostomus. [Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c] Tolerat, Græcè στέγει, dissimulat benignè ferendo, sobriè tacendo tolerat. Et id quidem quoad proximum: Quoad Deum verò, omnia promptè credit quæ proponit prima veritas, omnia sperat indubitatè quæ promittit summa bonitas: nam etsi tardat promissum, patienter expectat constanterque. Hæc enim virtus, ceteras impellit

B ad officium, exprimit obsequium: dum vel malum non permittit, vel bonum suggerit. [Ostendit, ait Aquinas, quomodo charitas facit operari bonum. Et primò quantum ad proximum: secundò quantum ad Deum: quod quidem fit præcipuè per virtutes theologicas, quæ præter charitatem sunt duæ: scilicet, fides, & spes.]

Aquin. lect. 2.

[Charitas numquam excidit; siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur, &c.] Cetera dona temporalia sunt: siue enim sint prophetiæ, siue linguæ, siue scientiæ sint, abolendæ sunt, destruendæ sunt, cum non sint in futurum sæcu-

C lum transmittendæ, vtpote proximis erudiendis non amplius necessariæ. [Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, &c.] Quod ex parte est, opponitur ei quod perfectum est: ergo quod ex parte est, aliquatenus imperfectum est: sed imperfectio potest esse tam ex parte doni, quã ex parte proximi. Cum enim prophetiæ, ac scientiæ dentur ad vtilitatem, & fidelibus erudiendis, & imbuendis spiritualibus, secundùm aut vulgaria, aut abstrusiora Scripturæ diuinæ mysteria: non erit vnde permaneant ad vtilitatem, in eo statu in quo nihil valeant ad

D charitatem. Cum ergo felicitatem adepti fuerimus, id est, bonorum omnium plenitudinem, cessabit illud omne quod vtilitati seruierit aliorum, quod imperfectioni proximorum succurrerit. [Destructio, ait Comment. Ambros. imperfectionis est, quando id quod imperfectum est, impletur in verum.] Omnes tunc integrè cognoscent veritatem, omnes perfectè sanctitatem excolent. [Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli, &c.] Virum opponit paruulo,

Comment. Ambros.

E seu puero: est enim in Græco νήπιος: status enim præsentis vitæ, pueritia quædam est, imò & infantia, respectu futuræ, quæ congruè virili est statui comparata. Balbutiunt infantes, pueriliter iudicant, quia pueriliter cogitant: aliter autem viri discurrunt & sentiunt. [Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie adfaciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autẽ cognoscam sicut & cognitus sum, &c.] Probat quod dixerat: nec aliâ ratione, sed aliâ similitudine. Per speculum, Græcè ἐσόπτρου, tanquam per cancellos, ἐν αἰνίγματι, velut per ambages: adeò obscura adhuc omnia, adeo difficilia: tunc autem perspicua om-

Status huius vitæ, puerilis; futuræ virilis.

nia & obuia. Egomet, necdum clarè cognoſco, nec omnia abſolutè percipio: tunc autem diſtinctè ac perfectè patebunt omnia, cum omnes electi, ſeu beati omnes diuinam participabunt notitiam. [Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.] Virtutes theologicæ, quæ debent eſſe permanentes etiam in hoc ſeculo, quia non ſolùm vtiles, ſed & ad perfectam iuſtitiam ſunt neceſſariæ. Verùm in his maxima charitas eſt, vt & donorum virtutumque omnium præſtantiſſima. [Cum ait, Manent, trium iſtorum prætendit ſtabilitatem: & inter hæc eadem ſummum tenere locum charitatem.] Ita Athanaſ. ſeu Vulg. in Paulum.

Athanaſ. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

REdimus in viam, ſed eam quam non ſolùm demonſtrat Apoſtolus, ſed & commendat. Via hæc tutiſſima eſt, vtpote regia: ideoque non tam inquiremus incedendo, quàm incedemus diſquirendo. Per illam incedunt ſancti, per illam & angeli, ſed beati. Sit inde

DISQVISITIO PRIMA.

De linguis angelorum.

GRæcia, linguarum non minùs patria eſt, quam officina fabularum. Vnde Apoſtolus, vt Tertullianus obſeruat, Athenas ingreſſus, & [Expertus linguatam ciuitatem, omnes illic ſapientiæ atque facundiæ caupones deguſtauit.] Ratio triplex eſt. Prima, quia Græci naturâ ſuâ, ſeu genio ſuo contentioſi, diſputatores, argutatores. [Inde, vt notat Chryſoſtomus, hæreſes pepererunt innumerabiles. In iis enim quæ fuerunt valde abſurda, conuenerunt: in iis autem in quibus videbantur veri & ſani aliquid tanquam vmbris ſomniare, inter ſe conflixerunt, vt vtrimque irriderentur.] Quid enim in falſis aut inanibus conuenire, in veris autem & vtilibus diſſidere? Secunda, quia Græci admodum pueri, infantes, ideoque loquaces, linguatuli. [Infantes, ait ille, & pueri ſunt omnes Græci: idque dixerunt quidam apud eos, illos ſemper eſſe pueros, neque vllum Græcum eſſe ſenem.] At verò, [Infantes, (vti Tertullianus dixit) linguatuli.] Maximè in Græciâ: [Vbi penes Colytum, (ait ille) pueri menſe citiùs eloquuntur, præcoce linguâ.] Tertia denique ratio, quia linguæ pompam exſtruunt, famam deferunt. Vnde Plinio iuniore, ſeu Secundo, teſte, Apion à Tiberio Cæſare ob loquacitatem dictus eſt. [Cymbalum mundi.] Cum tamen ob dicacitatem, vt ille exprobrat, importunum potius videri poſſet publicæ famæ tympanum. Adeo vana loquacitas, adeò vanitas ſuis etiam exoſa, nedum alienis. Sed hæc eſt fides Græca: [Vanitatibus, (vti Tertullianus dixit) quàm veritatibus dedita.] Inde & ventoſa, verborum amantiſſima ſonorumque. [Thebis, ait & ille, hebetes & brutos naſci relatum eſt; Athenis ſapiendi dicendique acutiſſimos.] Inde igitur Corinthij, Athenienſium æmuli, linguarum etiam cupidiſſimi. [Vide, ait Chryſoſtomus, vndenam Apoſtolus incipiat. Primum ab eo quod apud eos videbatur admirabile & magnum, nempe à linguis.] Oſtenſionem faciunt, pariuntque admirationem, maximè vbi verba ſunt in pretio, nec tam merito ponderata quàm numero.

Tertul. lib. de An. cap. 3.

Chryſoſt. orat. 7.

Cur linguæ tantum à Græcis aſtimatæ.

Chryſoſt. orat. 4.

Tertul. l. 1. ad Nation. cap. 8.

Tertul. l. de Anim. c. 20.

Tertul. l. 1. ad Nat. c. 8.

Tertul cap 20. de an.

Sed attende quomodo creſcat Apoſtolus in exceſſum, & ſuprà modum aſſurgat. Non enim dixit, Si linguis loquar: ſed, Si linguis hominum loquar. [Linguis quippe hominum dicit, ait Athanaſ. qui vbique terrarum ſunt.] Linguis omnium gentium, omnium omninò nationum. Aſcendit, & ſupercreſcit, addens, Et angelorum. Etſi linguas haberent angeli, etſi per linguas eſſent diuiſi. [Angelorum enim linguam hîc dicit, ait Chryſoſtomus, non corpus tribuens angelis, ſed id quod dicit eſt huiuſmodi: Si ita loquar vt angelis conſtitutum eſt inter ſe loqui. Sic & cum alibi dicit: Ei flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, non genua & oſſa tribuens angelis hæc dicit, abſit, ſed intenſam ac vehementem adorationem, per eam quæ eſt apud nos figuram, tacitè vult ſignificare. Ita hîc quoque linguam appellauit, non carneum ſignificans inſtrumentum, ſed eorum mutuam inter ſe conſuetudinem, modo inter nos cognito, tacitè volens ſignificare.] Vno verbo, vt & paucis collegit, expreſſitque Athanaſ. [Non id dixit Apoſtolus quòd angelis linguas habeant, ſed melius quiddam & præſtantius volens exprimere, quod humanas excederet linguas.] Aſſurgit de linguis in linguas, & in ſupremis quæ inter creaturas quoquo tandem modo, angelis vſitato, nobis tamen congruo, concipi poſſunt aut referri, conſiſtit. Omnes omninò linguas concipito, nullas excipito, nec humanas, nec angelicas omnium quæ ſunt aut eſſe poſſunt præſtantiſſimas. Si quis ergo omnia calleat linguarum omnium genera, charitatem autem non habeat, factus eſt velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Hæc enim omnia ad ſonum parata, imo & in ventum iactata. [Neque enim, ait Chryſoſtomus, abſolutè dixit, Nihil ſum; ſed, factus ſum æs ſonans, nullo ſenſu præditum quidpiam & inanimum. Qui enim priuatus eſt charitate, eſt ſimilis rebus inanimis & nullo ſenſu præditis.] Recta igitur comparatio, charitas quippe vita eſt animæ, itaque ſonus vtrobique clarus, ſed mortuus. [Eſt autem differentia, ait Aquinas, inter æs ſonans, & cymbalum tinniens; quia æs cum ſit planum, ex percuſſione ſimplicem ſonum emittit. Cymbalum autem cum ſit concauum ex vnâ percuſſione ſonum multiplicat, quod pertinet ad tinnitum. Æri ergo comparantur qui veritatem ſimpliciter pronuntiant: cymbalo verò qui veritatem multiplicant & pronuntiant, multas rationes & ſimilitudines opponendo, & concluſiones plurimas eliciendo, quæ tamen omnia, ſine charitate, habentur vt mortua.]

Athanaſ. in Paul.

Chryſoſt. orat. 32.

Lingua in angelis per figuram, ſicut & genua.

Athanaſ. in Paul.

Chryſoſt. orat. 32.

Aquin. lect. 1.

Et quidem, vti vult. Ambroſ. [Inter ipſa primordia, ad commendationem fidei, qui baptizabantur, linguis loquebantur.] Certè donum,

Ambroſ. in Paul.

calente fide, aut exoriente religione, non solùm frequentissimum erat, sed & illustrissimum. Sed sicut arbores quæ primæ florent & fructus edunt, primæ etiam disparent & deflorescunt: ita donum istud linguarum quod primum apparuit, primum etiam disparuit. Et in alterâ quidem vitâ, prophetia euacuanda, scientia, sapientia etiam quoad humanum vsum destruenda. Linguæ autem cessarunt etiam in hac vitâ, cesseruntque prophetiâ perseuerante, perstante & scientiâ. Dixi, Calente fide. [Tunc enim, (vti etiam asserit Augustinus) hoc erat signum: quicumque accipiebat Spiritum sanctum, subitò impletus spiritu, linguis omnium loquebatur, non illi solùm viginti. Postea crediderunt homines, baptizati sunt, acceperunt Spiritum sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt. Expauerunt qui aderant, alij admirantes, alij irridentes: ita vt dicerent, Isti ebrij sunt, musto pleni sunt. Ridebant, & aliquid verum dicebant. Impleti enim erant vtres nouo vino. Bulliebant musto, & musto bulliente, linguæ gentium profluebant.] Sed nota, Signum. Id enim erat signum, & signũ propheticũ: adeò vt non minùs figura esset quàm prophetia Quocirca, sicut completâ veritate, figuræ desinunt; ita disseminatâ fide, linguæ cessauerunt. [Numquid modò, ait ille, non datur Spiritus sanctus? Quisquis hoc putat, non est dignus accipere. Datur & modò. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentiũ, sicut loquebatur qui tunc Spiritu sancto implebatur? Quare? Quia quod illud significabat, impletũ est. Quid est illud? Ecclesia tunc in vnâ domo erat, accepit Spiritum sanctum: in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. Ecce quod prætendebat. Nam quod illa Ecclesia parua, linguis omnium gentium loquebatur: quid est, nisi quòd Ecclesia ista magna à solis ortu vsque ad occasum linguis omnium gentium loquitur? Modò impletur, quod tunc promittebatur.] Primum donum vniuersæ Ecclesiæ datum, quia vnitas, prima dos Ecclesiæ. Donum promissiui, promissum in paucis, completum in multis; idcircò cautione solutâ, & exhibitâ veritate, quæ alia dos est Ecclesiæ, cessarunt linguæ, vt & vmbræ cessant fulgente sole: vt & arbores decutiunt flores, cum fructus parturiunt. Sic & signa ista, officio suo functa, cesserunt veritati, cessaruntque, dum fidei subsignarunt ac religioni.

Aug. ser 186. de tẽp. c. 2.

Aug. eod. ser. c. 3.

Quod in paucis promissum, in multis impletum est.

DISQVISITIO SECVNDA.

De cessatione donorum virtutumque.

QVidam sic legunt Paulum: [Siue autem prophetiæ, abolebuntur: siue linguæ, cessabunt: siue scientia, abolebitur.] Tum: [Nunc autem manet fides, spes, charitas.] Quod & de seculo futuro intelligunt. Et de linguis quidem iam actum est: si enim cessarunt fide crescente, multò magis cessabunt regnante visione. Visio enim illa, visio pacis est, non confusio Babylonis. [Ista signa, ait Augustinus, non potuerunt communia esse omnibus gentibus peccato quodam dissensionis humanæ, cum ad se quisque principatum rapit. Cuius superbiæ signum est erecta illa turris in cœlum, vbi homines impii non solùm animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt.] Antea, erat terra labii vnius, & sermonum eorundem. [Vnam sanè linguam, ait ille, primitùs fuisse didicimus, antequam superba illa turris post diluuium fabricata, in diuersos signorum sonos humanam diuideret societatem. Quæcunque autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere?] Quid ergo, vbi tanta vnitas erit, quanta erit & felicitas? [Linguarum enim diuersitas, vt & ille ait, hominem alienat ab homine.] Ibi nulla superbia quæ castiganda sit, nulla quæ curanda sit miseria. Etsi enim linguæ, per superbos homines diuisæ, per humiles Apostolos adunatæ, superbiam purgauerint, mitigarint miseriam: tamen nulla diuersitas esse debet, vbi summa debet esse societas; quæ sicut nutritur animis, sic & verbis proditur. [Distant autem linguæ, ideo Spiritus sanctus diuisis linguis apparuit. Linguæ, inquit, diuisæ velut ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum.] Ita Augustinus. Necesse erat vt Spiritus sanctus descendens in mundum, omnes linguas in paucis colligeret; vt per paucos, omnes instrueret. Vbi autem nullus instruendus, vbi omnes vnum incolent cœlum, & à minimo ad maximum, Dominum cognoscent: nullus etiam erit variis linguis locus: sed sicut Augustino ipso teste ac iudice, [Hebræa lingua,] sicut & [Vnius veri Dei cultus,] in solâ remansit Abrahæ familiâ: sic & dici potest & credi, quòd & ipsa sola remanebit in patriâ. Sicut enim illa in paradiso fuit, sic in cœlo permanebit: denique sicut diuinorum eloquiorum consecrata est dignitati, sic & beatorum resignanda est sanctitati.

Aug lib. 1. de doct. Christ. c. 5.

Aug. lib. 9. de Gen ad lit. c. 14.

Aug lib. 19. de Ciuit. Dei c. 7.

Aug Tract. 6. in Ioan. cit. med.

In cœlis, nullus linguis variis locus est.

Aug. lib 16. de Ciuit. Dei c. 11.

Quoad prophetiam, seu, vt loquitur Paulus, Prophetias; eæ quidem etiam nunc multiplices sunt, tunc tamen & omnes cessabunt. Propheta est ille, qui futura prædicit: est & ille qui secreta nouit conscientiæ alienæ; est, & qui scripturæ sacræ mysteria detegit. Ita Tertullianus de quadam beatulâ. [Est hodie, inquit, soror apud nos, reuelationum charismata sortita, quas in Ecclesiâ inter Dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur: conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit sacramenta, & quorundam corda dignoscit.] Sacramenta, sunt arcana fidei, recondita religionis mysteria. Prophetia quippe in genere: [Est eorum, quæ, (vt resoluit Aquinas) sunt procul à communi hominum sensu, cum quibus propheta conuersatur, & communicat in statu viæ.] Et idcircò licet prophetia non dicat necessariò obscuritatem, vt patet in Christo Domino: importat tamen pro certo remotionem ab humanâ seu ordinariâ hominum etiam sapientum notitiâ. Quid est autem quod nesciunt, qui videntem omnia sciunt? [Prophetia, ait ille, importat visionem quandam alicuius supernaturalis veritatis, vt procul existentis. Quod quidem contingit esse dupliciter. Vno modo, ex parte ipsius cognitionis: quia videlicet veritas supernaturalis non cognoscitur in seipsâ, sed in aliquibus suis effectibus. Et adhuc erit magis procul, si

Tertul. lib. de Anim. c. 9.

Aquin. 3 p. q. 7. art. 8. ad 2.

Aquin. 2. 2. q. 174. art. 5. corp. init.

cul, si hoc fit per figuras corporalium rerum, quàm per intelligibiles effectus, & talis maximè est visio prophetica, quæ fit per figuras & similitudines corporalium rerum. Alio modo visio est procul ex parte ipsius videntis, qui scilicet non est totaliter in vltimam perfectionem adductus: secundùm illud 2. Corinth. 5. Quandiu in corpore sumus, peregrinamur à Domino. Neutro autem modo beati sunt procul: vnde non possunt dici Prophetæ.] Nihil tunc remotum erit ab eorum notitiâ, quorum vna est gloria. Cum enim omnes in vnum consummati sint, omnes in Deum tralati; tam nihil vident procul, quàm omnes simul vident.

Prophetia remotionē dicit ab humana notitia.

De scientiâ autem, idem quod & de sapientiâ: quamuis enim sapientia sit purè contemplatiua, scientia autem possit esse & actiua: tamen quatenus vtraque ad vtilitatem aliorum collata est, vtraque etiam abolenda est: sed & vtraque ad beatorum dignitatem retinenda. [Ad cuius veritatis inquisitionem, (ait Aquinas) considerare oportet, quòd duplex est vis cognitiua: scilicet vis sensitiua, & vis intellectiua. Inter quas est differentia, quia vis sensitiua est actus organi corporalis; & ideò necesse est quòd desinat corpore corrupto: vis autem intellectiua non est actus alicuius organi corporei; & ideò necesse est quòd maneat corpore corrupto. Si ergo aliquid scientiæ acquisitæ conseruetur in parte animæ intellectiuæ, necesse est quòd id permaneat post mortem.] Inde solatur Paulinum Hieronymus, hortaturque, dicens. [Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in cœlo.] Concedamus igitur cessare quidem quoad instructionem aliorum, perstare autem quoad doctorum perfectionem. Sed quantulum est id, vt reputandum sit, aut inter principales beatorum dotes computandum? [Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit id quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.] Quot in scientijs humanis incondita sunt, quot puerilia, quot & absurda? Idcircò, vt Aquinas obseruat. [Videtur Apostolus ordine præpostero hæc tria ponere. Nam locutio præexigit iudicium sapientiæ: iudicium verò præsupponit cogitationes rationis. Et hoc satis congruit imperfectioni puerili, in quo est locutio sine iudicio, & iudicium sine deliberatione.] Non tam sapiunt infantes, quàm desipiunt: loquũtur, antequam iudicent quid enuntiandum sit; iudicant, antequam cogitent quid iudicandum: cum priùs cogitandum sit, dein iudicandum, postremò loquendum. Quamquam, vt & ipse notat, [possit referri quod dicit Apostolus, Loquebar vt paruulus, ad donum linguarum: cum dicit, Sapiebam vt paruulus, ad donum prophetiæ: & quod subdit, Cogitabam vt paruulus, ad donum scientiæ.] Quicquid sit, in eo & scientiæ munus cessabit & sapientiæ, quòd tunc in aliis erudiendis, nec scientiâ opus erit, nec sapiētiâ.

Aquin. lect. 3.

Hieronym. ad Paul.

Aquin. lect. 3.

Scientia humana puerilis & incondita.

Denique quoad virtutes, videntur stabiles cessantibus charismatibus, vt quæ iustis omnibus, nedum imperfectis, & infirmis iudicentur non vtiles tantùm, sed & necessariæ. [Nunc autem manent fides, spes, charitas.] Nec te moueat illud [Nunc autem.] Ex Græco enim, prærogatiua sermonis est, non nota temporis. νυνὶ δὲ, quod vsurpare solet Paulus, cum aut notitiam intimat, aut firmat sententiam. Tantum enim valet, ac, [Atqui.] Seu [At verò.] Sic, [Exhauriuntur linguæ, ait Tertullianus, prophetiæ: permanent fides, spes, dilectio. Fides, quam Christi patientia induxit: Spes, quam hominis patientia expectat: Dilectio, quā Deo magistro patientia comitatur.] Cur verò remaneant? Imò cur non remaneant in æternâ vitâ? [Nemo quippe, vti dixit Augustinus, viuit in quacũque vitâ, sine istis tribus animæ affectionibus, credendi, sperandi, amandi.] Quidni autē à fide verborum prætereuntium, ad fidem rerum præsentium? Quidni de virtute in virtutem, à veritate in veritatem, à minori charitate, in maiorem charitatem, sicut & de minori charitate in maiorem charitatem? Deus enim in illâ vitâ. [Et lux est illuminatorum, (vt & ille ait) & requies exercitatorum, & patria redeuntium, & corona viuentium.] Quidni à fide in fidem? [Et non solùm in hoc seculo, (ita loquitur Irenæus) sed & in futuro: vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo, sicut & Apostolus dixit, Reliquis partibus destructis, hæc tunc perseuerare, quæ sunt fides, spes, & charitas. Semper enim fides, quæ est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseuerans nobis quoniam solus verè Deus, & vt diligamus Deum verè semper, quoniam ipse solus pater: & speremus subinde plus aliquid accipere, & discere à Deo; quia bonus est, & diuitias habens interminabiles, & regnum sine fine.]

Nunc, an prærogatiua sermonis, vel nota temporis.

Tertul. l. de patiēt. c. 12.

Aug. ser. 7. ex nouis.

Aug. lib. 2. qu. Euang. 39.

Irenæus lib. 2. aduers. hæres. c. 47.

Posset ergo dici, fidem, spemque permanere in æternâ vitâ non minùs quàm charitatem, & [Tria hæc,] Ceteris abolitis, euacuatisque, tanquam indiuidua perstare in iustis sanctis-ve. Quomodo enim perstabit scientia theologica, si fides concidit, cum articulis fidei, tanquam principijs suis, subnixa sit? Sicut enim non in totum destruetur scientia, imò perficietur in totum, cum addetur quod perfectum est, & quod imperfectum est, destruetur: sic & fides quoad latentiam obiecti, non perstabit in obscuritate: sed quoad rei constantiam, non solùm non cessabit, sed & in æternum in veritate perseuerabit ad Dei gloriam. [Et quidem euacuari prophetias, ait Chrysostomus, & linguas, nihil mirum: sed de scientiâ. Quid enim? Tunc-ne vitam acturi sumus in ignoratione? Absit, etenim tunc maximè est consentaneum augere scientiā, & ideò dicebat Apostolus: Tunc cognoscam, sicut cognitus sum. Propterea quidem certè, ne similiter atq; prophetiam & linguas, eam quoque euacuari existimes, cum dixisset, Siue scientia euacuabitur, non siluit, sed subiunxit etiam, euacuationis modum ostendens; Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Non euacuatur ergo scientia, sed esse singularem & particularem scientiam, euacuabitur. Non tam multa enim vtique solùm sciemus, sed etiam multò plura. Nunc enim scimus Deum esse vbique, sed quomodo sit, nescimus. Quod quæ sunt,

Chrysost. orat. 34.

Quomodo fides sit in cœlis permansura.

ex nihilo fecerit, scimus: modum autem ignoramus. Quòd ex Virgine natus sit, scimus; quomodo autem, nequaquam. Tunc autem de eis aliquid sciemus amplius & perfectius.] Sic & de fide: nũquid .n. tunc erimus infideles? Absit. Sed sicut conclusiones scientiarum videbimus in suis principiis, sic & positiones articulorum; imò plura & meliora videbimus sine principiis, sed in vnico principio: nimirum in Deo, tanquam in viuo rerum omnium speculo. Ideò tutiùs, & ad sensum Apostolicum aptiùs dicemus, non magis permanere virtutes quàm dona, nec magis dona quàm virtutes. Hoc enim proprium est charitati, & charismatum & virtutum omnium principi, vt nunquam excidat, sed semper persistat. Dona quippe vel ex hoc seculo excidunt, vtpote non absolutè necessaria: virtutes nunc quidem manent, sed non permanebunt in futuro seculo, nisi in quantum aliquid dilectionis seu charitatis retinent. [Amor enim, (vti dixit Aquinas) est quævis vnitiua, & omnis amor in vnione quadam consistit. Ista autem tria coniungunt Deo: alia autem non coniungunt Deo, nisi mediantibus istis. Tunc autem, scilicet in patriâ, Cognoscam sicut & cognitus sum: id est, sicut Deus cognouit essentiam meam, ita Deum cognoscam per essentiam.]

Aquin. lect. 4.

TROPOLOGIA.

Maior autem horum est charitas.

Dona sunt vtilia, virtutes excedunt, dum non solùm illæ sunt vtiles, sed necessariæ: omnium tamen charitas maxima est, quæ vtilitatem charismatum vincit, & necessitatem virtutum: omnium dignissima, quæ in æternum manet, nec in hoc tantùm seculo, sed & in altero principatum obtinet. Tria hæc, Maior vbique chritas.

Quoad vtilitatem, talis est charitas, tamque vtilis, vt cetera, aut nihil sine ipsâ, aut parùm sint vtilia. Idcircò, vt monuit Chrysost. [Postquam Apostolus pronuntiauit, quòd & fidei, & scientiæ, & prophetiæ, & linguarum, & charismatum, & curationũ, & vitæ perfectæ, & martyrij si ea absit, non magna est vtilitas; necessariò deinceps describit immensam eius pulcritudinem, tanquam quibusdam coloribus, virtutis partibus eius exornans imaginem, & omnia eius membra exactissimè componens. Sed examina & rei thesaurum, & artem pictoris. Considera vndenam statim inceperit, & quidnam primum posuerit, quod est causa omnium bonorum. Quid hoc est autem? Lenitas & patientia. Ea est radix totius philosophiæ. Quamobrem dicebat quidam sapiens, Vir lenis ac patiens est multæ prudentiæ. Qui pusilli autem & impatientis est animi, est valdè insipiens. Lenis ac patiens propterea dicitur μακρόθυμος, id est lõganimis, quod longam quandam & magnam habeat animam. Nam quod est longum, dicitur etiam magnum. Sed hoc bonum nascitur à charitate, & iis qui possident, & iis qui acceperunt, magnam adferens vtilitatem.] Non vna est vtilitas: sed multæ & immensæ, quas secum

Chrysost. orat. 33.

A vehit charitas aut promittit. Sed ipsa penè omnes exsoluit promissiones, cum dicitur patiẽs: idcircò Paulus ita exorsus est, [Charitas patiẽs est.] Sicut enim, Tertulliano iudice, omne malum impatientiæ adscribendum est, sic & patientia virtutum omnium administra. [Nam dilectio, inquit, summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritûs commendat, cuius nisi patientiæ viribus eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis est: ita patientiam sumit. Benefica est: malum patientia non facit. Non æmulatur: id quidẽ patientiæ proprium est. Nec proteruum sapit: modestiam de patientiâ traxit. Non

Tertull. lib. de patient. c. 12.

B inflatur, nõ proterit: non .n. ad patientiam pertinet. Nec sua requirit, si offert sua, dum alteri prosit. Nec incitatur. Ceterùm quid impatientiæ reliquisset? Ideò, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat: vtique quia patiens. Meritò ergo nunquam excidet: nam cetera euacuabuntur, consummabuntur.] Sed aduerte summum fidei sacramentũ. Christiani nominis thesaurum. Nam in charitate sunt opes omnes Christianæ, omnes diuitiæ: quid vtilius, quid & pretiosius? [Ne putetis, ait Augustinus, vilem esse charitatem. Quomodo enim vilis est, quãdo omnia quæ dicuntur non vilia, cara dicuntur? Si ergo non sunt vilia, cara sunt: quid est

Quantus in charitate Christianorum thesaurus.

Aug. Tract. 9. in Ioan. cir. med.

C carius ipsâ charitate? Sic autem commendatur charitas ab Apostolo, vt dicat: Supereminentiorem viam vobis demonstro. Quanta est ergo charitas, quæ si desit, frustrà habentur cetera: si assit, rectè habentur omnia.] Quid est, frustra? vana sunt & inutilia, non enim prosunt ad æternam vitam. Quid, rectè? quia cum illâ in gloriam prouehunt. [Dantur enim, ait ille, & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt? Ipsa verò dilectio siue charitas, (nam vnius rei est vtrumque nomen) si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet

Aug. lib. 15. de Trinit. c. 18.

D prophetiam, nec omnia scit sacramenta, omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, nec tradit corpus suum vt ardeat, perducit ad regnum, ita vt ipsam fidem non faciat vtilem nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.]

Quoad necessitatem: vnum, imò vnicum est necessarium, nimirum diligere Deum, & inde proximum. Vnde Augustinus: [Dilige, & quicquid volueris, fac. Ama ex toto corde tuo, & quod volueris exerce in proximo tuo.] Non dicitur, Distribue omnia tua pauperibus, & quod volueris fac. Quid enim si non habeo quod distribuam, aut si distribuendo non dili-

Aug. serm. 42. de temp.

E gam? Non dicitur, trade corpus tuum vt ardeat: nulla enim huius operis iussio est, vbi nulla talis passionis est tentatio. Sed dicitur tibi, & subinde repetitur, Dilige, & fac quod vis. Si enim Deum diligis, scis quando & quomodo corpus tradendum sit; & si non diligis, frustra tradis comburendum: quia martyrium istud, non tam perducit ad Deum, quàm æternum præuenit supplicium. [Charitas quippe est, ait ille, quæ perducit ad Deum, & sine quâ quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum.] Dilige, & fac quod vis, non solùm

Aug. lib. 15. de Trinit. c. 18.

ergà Deum, sed & ergà proximum: quicquid enim diligendo volueris, rectum erit; quicquid volueris non diligendo, si non iniquũ erit, certè vanum erit ac nullum. Ex illâ arbore, ex illâ radice, nullus fructus prodit, qui bonus non sit: etiam si amarus videtur aut acerbus, mitis tamen inuenitur ac suauis. [Si diligendo, irasceris ait Augustinus, dulce est: quia de charitate procedit. Si corrigis, suaue est. Si castigas etiam & flagellas, acceptabile est. Quare hoc? Quia verus amor est, quando corripis & castigas: & quomodo potest fieri, vt aliquis alteri homini malum faciat, si illum sicut seipsum diligat? Amaritudo videtur sæuire in ore, sed dulcedo seruatur in corde. E contrario sunt qui sub falsâ adulatione dulcedinem solent in ore proferre, & dolum vel amaritudinem in corde seruare.] Ecce dulcescunt illi qui diligendo sæuiunt, & amarescunt isti qui blandiendo decipiunt. Illi enim morbum persequuntur, infirmum fouent; isti morbum fouent, ægrotum persequuntur. Quanta est illa virtus & quàm necessaria, vt sine illâ, maxima opera, minima fiant aut nulla; quæ nulla aut minima, fiant maxima. [Nam & apud hæreticos, (verba sunt Augustini) qui propter errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrij se iactant: vt hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire in quo numero habendi sunt, pastorem bonum Paulum Apostolum audite: quoniam non omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus, sed potius contrà oues. Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: Si sciero omnia sacramenta, & habuero omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Magna ergo res est, postremò fides montes transferens. Illa quidem magna sunt: sed si ego hæc sine charitate habeam, inquit, non illa, sed ego nihil sum. Sed adhuc istos non tetigit, qui falso martyrij nomine in passionibus gloriantur. Audite vt eos tangat, imò vt transfodiat. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ita vt ardeam. Iam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur: Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur & ad sanguinis effusionem, venitur & ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: Detrahe charitatem, nihil prosunt cetera.] Illa est quæ planè ad salutem necessaria est, ad cuius necessitatem conspirant cetera, quæ si illam non iuuant, non sunt necessaria.

Augustin. serm. 41. de temp. vers. finem.

Augustin. serm. 50. de verb. Dom. cap. 1.

Sine charitate, maxima sunt minima: cum charitate, minima sũt maxima.

Quoad dignitatem, Charitas si diuina est, hominem supra humanum euehit, & in angelicum prouehit fastigium. Dico, si diuina: nam, vti dixit Augustinus: [Qui credit, sperat, & amat, non continuò saluus dicendus est. Interest enim quid credat, quid speret, & quid amet.] Est fides humana, quæ nihil tentat arduum; est & charitas humana, quæ nihil diuinum sperat. Sed sicut fides diuina, credentes suprà cœlos euehit; sic & diuina charitas, homines transscribit in angelos. [Vide, inquit Chrysostomus, quemadmodum angelum, suum alumnum paulatim faciat charitas. Quando enim fuerit ab irâ remotus, & ab inuidiâ mundus, & liber ab omni tyrannicâ animi perturbatione, traductus est etiam ad ipsam angelorum impatibilitatem. Sed tamen non est his contentus Apostolus: sed habet etiam aliquid quod dicat his maius.] Si enim charitas non solùm diuina est, imò si Deus charitas est; non solùm hominem facit cœlestem, sed & Deo reddit affinem, omnia sufferentem, omnia sustinentem. [Nam quæ sunt fortiora, ait ille, ponit posterius. Et ideò dicit, Omnia suffert.] Tanquam nihil illâ fortius, nihil illâ diuinius. [Quale bonum est charitas ista? ait Augustinus. Quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid vtilius, quid securius? Multa sunt Dei dona quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt: Domine, in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec respondebit ille, Non fecistis. Non enim in conspectu tanti iudicis audebunt mentiri, aut iactare quæ non fecerunt: sed quia charitatem non habuerunt, respondebit omnibus illis, Non noui vos.] Id est, non estis mei, quia filij Dei non estis, sed filij estis diaboli: gehennæ, non gloriæ; inferni, non regni. Quid ita? quia charitatem aut perdidistis, aut nunquam habuistis; qualem prætenditis dignitatem, qui hæreditatem amisistis? imò qualem non contraxistis indignitatem, qui charitatem contempsistis? [Nullum igitur, inquit ille, isto Dei dono excellentius. Solum est quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Nisi enim tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistrâ non transfertur ad dexteram. Nec spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem. Quam qui non habuerit, si linguis hominum loquatur & angelorum, sonans æramentum est & cymbalum tinniens. Et si habuerit prophetiam, & scierit omnia sacramenta, & omnem scientiam, & si habuerit omnem fidem, ita vt montes transferat, nihil est. Et si distribuerit omnẽ substantiam suam, & si tradiderit corpus suum, vt ardeat, nihil ei prodest. Propter quod & Apostolus Paulus, In Christo, inquit, Iesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur. Sic eam discernens ab eâ fide, quâ & dæmones credunt, & contremiscunt. Dilectio igitur quæ ex Deo est & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.] Hoc præcipuum & eminentissimum Spiritûs sancti donum, cuius & nomen gerit, dum similitudinem exprimit.

Augustin. serm. 7. ex xxxxis.

Chrysost. orat. 31.

Chrysost. ibidem.

Augustin. serm. 50. de verb. Dom. c. 3.

Aug. li. 15. de Trinit. c. 18.

Charitas Spiritûs sancti nomẽ gerit, dũ similitudinẽ exprimit.



ANAGOGIA.

Tunc autem facie ad faciem.

TRia dicit Apostolus, quibus sententiam traducit ad anagogiam. Primum est, maximam viæ cognitionem esse adhuc obscurissimam. [Videmus nunc per speculum in ænigmate.] Secundum, minimam seu postremam patriæ visionem fore clarissimam. [Tunc autem facie ad faciem.] Tertium, eam notitiam aliquatenus cum diuinâ conferendam. [Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.]

Quoad primum, aliud est videre aliquid, aut videri per seipsum, aliud per speculum. Vbi .n. res videtur in seipsâ, videtur sicuti est, seu in naturâ, in essentiâ suâ: vbi autẽ videtur in speculo, videtur in alio, in vmbrâ, in figurâ, in repræsentatione, in imagine. Aliud enim est speculum diuinum, aliud humanum. Illud enim excedens est, istud deficiens. Illud quippe, Deus est, speculum sine maculâ; nam in eo omnia repræsentata sunt: sed meliùs ac multò perfectiùs, quàm ipsa sunt in seipsis nihil sint, in Deo autem sint omnia. [Creaturæ quippe in Deo esse dicuntur dupliciter. (ita Aquinas) Vno modo, inquantum continentur, & conseruantur virtute diuinâ, sicut dicimus ea esse in nobis, quæ sunt in nostrâ potestate. Et sic creaturæ dicuntur esse in Deo, etiam prout sunt in propriis naturis: & hoc modo intelligendum est verbum Apostoli, dicentis, In ipso viuimus, mouemur, & sumus: quia etiam nostrum viuere, & nostrum esse, & nostrum moueri à Deo causantur. Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut in cognoscente. Et sic sunt in Deo per proprias rationes: quæ nõ sunt aliud in Deo ab essentiâ diuinâ. Vnde res prout sic in Deo sunt, sunt essentia diuina.] Mirum est illud speculum in quo subsistunt, etiam quæ non sunt; in quo viuunt etiam quæ sunt mortua. [Quod factum est, in illo vita sunt. Quid est hoc? Facta est terra, sed ipsa terra quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsâ sapientiâ spiritaliter ratio quædam, quâ terra facta est: hæc vita est. Ergo quod factum est in illo, vita est.] Ita Augustinus. Illud speculum speculantur & homines & angeli, & sicut creatorem per creaturas diminutè, sic & creaturas per creatorem amplissimè cõtemplantur. In speculo autem creato, mortua, nedum muta sunt, etiam quæ viuunt: deficiunt, etiam quæ perfecta sunt. [Sciendum est enim, quòd sensibile aliquid potest tripliciter videri: scilicet aut per sui præsentiam in re vidente, sicut ipsa lux quæ præsens est oculo: aut per præsentiam suæ similitudinis in sensu immediatè deriuatam ab ipsâ re, sicut albedo quæ est in pariete videtur, non existente ipsâ albedine præsentialiter in oculo, sed eius similitudine, licet ipsa similitudo non videatur ab eo: aut per præsentiam similitudinis non immediatè deriuatæ ab ipsâ re, sed deriuatæ à similitudine rei in aliquid aliud, sicut cum videtur aliquis homo per speculum. Non enim similitudo hominis immediatè est in oculo, sed similitudo hominis resultantis in speculo. Per hunc ergo modum loquendo de visione Dei, dico quòd naturali cognitione solus Deus videt seipsum: quia in Deo idem est sua essentia & suus intellectus. Et ideò sua essentia est præsens suo intellectui. Sed secundo modo fortè angeli naturali cognitione Deum vident: inquantum similitudo diuinæ essentiæ relucet immediatè in eos. Tertio verò modo cognoscimus nos Deum, in vitâ istâ, inquantum inuisibilia Dei per creaturas cognoscimus: & ita tota creatura est nobis sicut quoddam speculum.] Vera sunt ista, sed nescio an sint ad Paulinam mentem satis accommodata. Non enim agit Paulus de cognitione quæ acquiritur per naturam, qualis est Philosophica; sed de cognitione, quæ per gratiam conceditur; qualis est Christiana, & quæ inter charismata, seu dona à Deo ipso indulta comprehenditur. Igitur quiuis, etiam homo primus, etiam & angelus, ea quæ sunt fidei, vidit per speculum in ænigmate, id est, per speculum, sed adhuc obscurum: notitiam habuit, sed adhuc ænigmaticam, & occultam, nondum claram apertamque.

Quoad secundum, [Videmus nunc per speculum in ænigmate] id est subobscurè. [Tunc autem facie ad faciem] Id est, clarè, apertè: non per vmbram, sed per essentiam, non per figuram, sed per præsentiam. [Non tanquam Deus habeat faciem, ait Chrysostomus, sed vt dicat apertiùs & manifestiùs.] Non in similitudine, sed in reipsâ, in ipsâ veritate. Metaphora est, quâ denotatur præsentia rei, seu clara Dei manifestatur notitia. [Cum enim videmus aliquid in speculo, ait Aquinas, non videmus ipsam rem, sed similitudinem eius; sed quando videmus aliquid secundùm faciem, tunc videmus ipsam rem sicut est. Ideò nihil aliud vult dicere Apostolus, cum dicit: Videbimus scilicet in patriâ: Facie ad faciem, quàm quòd, videbimus ipsam Dei essentiam.] Grande aliquid expressit Apostolus, quod exposuit per tropum, quia hoc ipsum indicare voluit, quod nulla verbi proprietas explicare potuit, sicut & nulla poterit animi sublimitas comprehendere. [Incorporalem substantiam, ait Augustinus, scio esse sapientiam, & lumen esse, in quo videntur quæ oculis carnalibus non videntur: & tamen vir tantus tamque spiritalis, Videmus nunc, inquit, per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quale sit & quod sit hoc speculum si quæramus, profectò illud occurrit quod in speculo nisi imago non cernitur. Proinde quantum mihi videtur, sicut nomine speculi imaginẽ voluit intelligi; ita nomine ænigmatis, quamuis similitudinem, tamen obscuram, & ad perspiciendum difficilem. Nemo itaque miretur etiam in isto modo videndi qui concessus est huic vitæ, per speculum scilicet in ænigmate laborare nos, vt quomodocumque videamus. Nomen quippe hîc non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis.] Nunc ergo difficultas cognitionis est: tunc autem tanta visionis facilitas erit, quanta videntis felicitas. Non enim amplius per fidem, sed per speciem: nec prout potest animus, sed sicut Deus est. [Magna res, ait ille, scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus:

Aquin. 1. p. q. 18 art. 4.

Augustin. Tract. 1. in Ioan. vers finem.

Aquin lect. 4.

Quotupliciter aliquid possit cognosci.

Chrysost. orat. 34.

Aquin. lect. 4.

Aug. l. 15 de Trinit. c. 8. & 9.

Aug. Tract. 4. in epist. Ioan. vlt. med.

quoniam videbimus eum sicuti est. Iam illud attendite quid vocatur, est. Nostis quid vocatur, est. Quod vocatur, & non solùm vocatur, sed verè est, incommutabile est: semper manet, mutari nescit, nullâ ex parte corrumpitur: nec proficit, quia perfectum est: nec deficit, quia æternum est. Ergo visuri sumus quandam visionem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Visionem quandam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulcritudinem stellarum, pulcritudinem angelorum: omnia superantem, quia ex ipsâ pulcra sunt omnia. Quomodo potuit, lingua sonuit, cætera corde cogitentur. Quid enim vel ipse Ioannes dixit ad comparationem rei, quæ est, vel à nobis dici potest, hominibus longè imparibus meritis ipsius?] Ita non plus dici potuit à Paulo Apostolo, quàm nos facie ad faciem visuros: id est, quiuis clarè intuebitur & apertè, Deum & quæ Dei sunt, distinctè contemplabitur.

Pulcritudo diuina, ex qua pulcra sunt omnia.

Quoad tertium: aliud est esse Deo similem, aliud esse æqualem: sic & aliud est, ad similitudinem cognoscere, & aliud cognoscere ad æqualitatem. [Quomodo ergo, inquit Augustinus, nos erimus, quando hoc videbimus? Quid nobis promissum est? Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.] Similes dixit, non æquales. Ita Paulus: [Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.] Vtique ad similitudinem dixit, non ad æqualitatem. Nimirum, vt & ipse dixit ex Apostolo: [In eandem imaginem transformamur, vtique in imaginem Dei. Transformamur ergo, id est, de formâ in formam mutamur, atque transimus de formâ obscurâ in formam lucidam; quia & ipsa obscura imago Dei est, & si imago, profectò etiam gloria, in quâ homines creati sumus, præstantes cæteris animalibus. De gloriâ autem in gloriam: de gloriâ fidei, in gloriam speciei: de gloriâ quâ filij Dei sumus, in gloriam quâ similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.] Est igitur comparatio, non exæquatio: tanta tamen perfectio est, quanta cum perfectiori

Augustin. ibidem.

Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 8.

A eminentiorique est collatio. [Quomodo enim ipse me cognouit, prior nunc quoque ad me accurrit: (verba sunt Chrysostomi) sic ergo tunc quoque ad eum accurram multò magis quàm nunc. Etenim qui sedet in tenebris, donec quidem solem non aspicit, non ipse accurrit ad pulcritudinem radij, sed ille se ostendit quando illuxerit. Quando autem eius splendorem susceperit, tunc ipse quoque de cætero lucem persequitur. Hoc ergo est illud, Sicut & ego cognitus sum. Non quòd eum ita simus cognituri, sicut ipse nos: sed quòd sicut ipse nunc ad nos accurrit; ita nos etiam tunc ipsum apprehendemus, & sciemus multa ex iis quæ nunc sunt arcana, & beatissimâ illâ fruemur consuetudine & sapientiâ. Si enim qui

Chrysost. orat. 34.


Aliud Deo assimilari, & aliud coæquari.

B tam multa nouit Paulus est infans ac paruulus, cogita quanta sint illa. Si hæc sunt speculum & ænigma, hinc mihi rursus considera quanta sit facies.] Est igitur collatio potius cognitionis huiusce sæculi ac futuri, quàm hominis ac Dei exæquatio. Nam in hoc sæculo pueri adhuc sumus, infantes, paruuli, balbutiendo in ænigmate, & ex parte cognoscendo. [Quòd enim sit Deus, scimus quidem: (ait ille) quidnam autem sit, quod ad essentiam attinet, nequaquam. Ideo dixit, Nunc cognosco ex parte: & subiunxit, Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.] Tamen & inde tanto dignior cum Deo cum collatio est, quanto felicior associatio, & approximatio vicinior. Erit enim Deus omnia in omni-

Chrysost. ibidem.

C bus, cum ipse se, suaque omnia omnibus indiderit. Itaque iam non oculis suis videbit homo, sed diuinis; id est, iam non suo lumine, sed diuino; nec humano more, sed diuino; id est, non carnali, sed spiritali iudicabit de omnibus, & in omnibus suam æternæ ac immensæ conformabit notitiam. Per eosdem quippe videbit oculos, per quos videt Deus, id est, per eundem videndi seu intelligendi modum: vt sicut ab æterno clarè ac perfectè à Deo cognitus est, sic & in æternum perfectè ac clarè cognoscat Deum: sicut ab illo illustratus, sic & in illo deprehendat ea, quæ & beatum reddunt, & diuinum efficiunt.





CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Epigraphe.

DOnum linguarum subiicit prophetiæ dono, sed vsum vtriusque in publico conuentu rectum esse cupit honestumque. Prælationem facit, & ordinem instituit. Sit ergo

SECTIO PRIMA.

De prælatione.

TEXTVS.

SEctamini charitatem, æmulamini spiritalia: magis autem vt propheteris. Qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & consolationem. Qui loquitur linguâ, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrinâ? Tamen quæ sine animâ sunt vocem dantia, siue tibia, siue cythara, nisi distinctionem sonituum dederint; quomodo scietur id quod canitur aut quod cytharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba; quis parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes. Tam multa, vt puta, genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; & qui loquitur, mihi barbarus. Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, & ædificationem Ecclesiæ quærite vt abundetis. Et ideò qui loquitur linguâ, oret vt interpretetur. Nam si orem linguâ, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Ceterùm si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem benè gratias agis: sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor. Sed in Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quàm decem millia verborum in linguâ. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote: sensibus autem perfecti estote. In lege scriptum est: Quoniam in alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt non

fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent quòd insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd verè Deus in vobis sit.

EXEGESIS LITTERALIS.

Dixerat dari manifestationem spiritûs ad vtilitatem, itaque vbique vtilitatem spirat Apostolus, seu ædificationem Ecclesiæ: quia verò in linguis modica est & ferè nulla, idcircò ipsas non tam commendat quàm deprctiat.

[Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia: magis autem vt prophetetis, &c.] Audistis, quanta sit virtus charitas ipsa, & quàm necessaria: hanc ergo amplectamini, totisque animis prosequamini. Ita tamen, vt alia non negligatis charismata; sed si boni æmulatores estis, & iusti diuinorum donorum trutinatores eligatis potius prophetare, quàm sermonem in aëra per linguarum diuersitatem effundere. [Quoniam, ait Athanas. charitatem grande aliquid esse & immensum ostendit, ad hanc prosequendam nos tandem hortatur. Perinde ac si interiorem quandam diligentiam rà in re, ac studium exigat, dixit, διώκετε. Abscessit illa à nobis, opus ergo ingenti celeritate & cursu, vt hanc contingamus. Ne autem existimarent Corinthij, idcircò Paulum charitatem adeò extulisse, vt Spiritûs dona extingueret, & illud adiecit: Æmulamini autem spiritalia, dona videlicet: & præcipuè vt prophetandi munus adipiscamini.] Præcipuè, non quidem præ ceteris donis, sed præ linguis varijs. Vnde sequitur. [Qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit, Spiritu autem loquitur mysteria, &c.] Qui enim hoc solum habet, vt linguâ peregrinâ vtatur & ignotâ, hoc tantùm habet vt Deo loquatur; sed non hominibus, si nullus est qui audiat dicta, seu qui audita percipiat. Imò nec ipse loquens intelligit quæ dicit, sed arcano inspirationis motu, pioue deuotionis instinctu, occulta quædam, alteri, imò nec sibi satis perspecta effundit. [Hoc est quod dicit, ait Ambros. quia qui loquitur incognitâ linguâ, Deo loquitur, quia ipse omnia nouit: homines verò nesciunt, ideoque nullus est ex hac re profectus. Spiritu autem loquitur mysteria, non sensu: quia ignorat mysteria.] Ita textus, ita & Commentarius, & alter ab altero expositus. [Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem, &c.] Qui verò prophetat, tam hominibus loquitur, quàm ab hominibus intelligitur: sicque omnibus seruit, omnibus proficit, dum alios ad studium virtutis accendit, alios ad præmium laboris erigit.

Athanas. in Paulum.

Prophetia linguarum dono præferenda.

Ambros. in Paulum.

[Qui loquitur linguâ, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat, &c.] Qui linguâ loquitur extraneâ, sibi soli prodest: qui autem prophetat, prodest cœtui. [Quantum autem interest, ait Chrysostomus, inter vnum & Ecclesiam, tanta est huius & illius differentia.] Charitas autem non quærit quæ sua sunt, id est, vt sentit Augustinus: [Communia proprijs, non propria communibus anteponit.] Non ergo priuatis incumbit bonis, sed publicis. [Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat, &c.] Quantum ad me attinet, opto omnes loqui linguis, sed malo prophetare: qui enim prophetat vtilior est imò & dignior eo qui linguis loquitur: nisi fortè cum dono linguarum, simul & donum acceperit interpretationis, sicque non sibi soli prosit, sed & conuentui. [Plerique linguis loquentes, nequeunt plerumque alijs quæ dixerint interpretari. Erat igitur Spiritûs gratia interpretatio, quæ plerisque hominum linguis loquentibus esset concessa, plerisque verò nequaquam: Ecclesia autem obscurioribus interpretatis quæ linguâ explicantur, ædificatur.] Ita Athanas. [Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrinâ? &c.] Ecce egomet, si venero ad vos linguis duntaxat loquens peregrinis, quam vtilitatem vobis afferam? nullam sanè: nisi id quod mihi reuelatum est, modo enuntiem prophetico; vel quod proprio partum studio, vobis ex methodo communicem. Tunc enim proderunt linguæ, si explicem; si inde quid per sapientiam aut scientiam debilem, si spirituales aut rudes adiuuem. [Hæc omnia vnum significant, ait Ambros. Docere enim nemo poterit, nisi intelligatur.]

Chrysost. orat. 35.

Augustin. in regul.

Athanas. in Paulum.

Donum interpretatio. nis non sëper cũ linguis coniunctum.

Ambros. in Paul.

[Tamen quæ sine animâ sunt vocem dantia, siue tibia, siue cythara, nisi distinctionem sonituum dederint; quomodo scietur id quod canitur aut quod cytharizatur? &c.] Sicut plus mouent exempla quàm verba, sic & persuadent faciliùs. A rebus ergo artificialibus, quæ sunt linguæ quædam factitiæ. Igitur, & ipsa instrumenta musica quæ concrepant personantque ad imitationem humanæ vocis; non enim animata sunt, sed animatis similia: tamen seu spiritu inflentur, vt tibia; seu tactu pulsentur, vt cythara: nisi arte tractentur, & distinctè modulentur; quomodo intelligetur aut discernetur, quod tibiæ aut cytharæ sono redditur? [Etenim si incertam vocem det tuba; quis parabit

se ad bellum? &c.] Sic & si tuba, quæ publica A quædam lingua est, confusum quid & incertum perstrepuerit, quis bellum adibit, quis se parabit ad prœlium? [A rebus superuacaneis, ait Athanas. descendit ad necessaria & tubæ meminit, inquitque: vel in eâ modulos quosdam inesse, quorum alteri ad bellum cieant, alteri à prœlio reuocent. Hæc itaque tuba, si minùs clarum, sed subobscurum clangorem eliserit, imparatos milites reddet. Quid igitur commodi potest afferri ex sono aliquo subsurdo atque incerto?] Quem scilicet capiat nullus, nullus intelligat. [Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quòd dicitur? eritis in aëra loquentes, &c.] Sic igitur & vos, linguis loquentes peregrinis, nisi per interpretationem, sermonem vestrum intelligibilem reddideritis; quomodo id quod loquimini capietur ab alijs? imò sermo vester tanquam inutilis & inanis in aërem diffundetur, in ventum difflabitur. [Nisi sermonem significantem dederitis, eritis in aëra loquentes: hoc est, nihil proficientes. Exemplis igitur commendat per quæ facilè assequantur non debere illos in Ecclesiâ loqui linguis, qui interpretari non possunt. Vt quid enim loquatur, quem nemo intelligit.] Ita Ambros. [Tam multa, vt puta, genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est, &c.] Quanta passim in mundo accurrunt vocum genera linguarumque? & illa loquelam sortita sunt ab alijs seu extraneis diuersam. [Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; & qui loquitur, mihi barbarus, &c.] Si vim nesciero vocis, si non concepero quid indicet, quidue significet, nec alius conceperit aut intellexerit, erit alter alteri non intelligenti barbarus, alter alterum barbarum reputabit. [Ille mihi barbarus, & ego illi. Non ex naturâ vocis, ait Chrysostomus, sed ex ignoratione.] Quasi Persæ cum Græcis, aut Scythæ cum Romanis. [Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, & ædificationem Ecclesiæ quærite, vt abundetis, &c.] Sic & vos eritis inuicem vobis barbari si quæ dicitis, non intelligitis. Videte ergo ne id accidat: sed, quandoquidem donorum spiritualium amatores estis; id quisque petat quod Ecclesiam ædificet: vt quod iam habet, redundet in vsum publicum, & donum dono æmulet.

Athanas. in Paulum.

Distinctio vocalis instrumenti in tono est, non in sono.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. orat. 35.

[Et ideò qui loquitur linguâ, oret, vt interpretetur, &c.] Quapropter qui iam habet donum linguarum, à Deo petat, vt & interpretationis donum adjiciat. [Nam si orem linguâ, spiritus meus orat, mens autem sine fructu est, &c.] Quid mihi cum linguis peregrinis, si interpretatio auferatur sermonis, aut nulla prorsus attentis conferatur intelligentia? Nam & ego si Deum oro ignotâ linguâ, si vtor dono linguæ, non habens donum intelligentiæ; affectu quidem, id efficio, intellectu autem deficio; non enim reficior fructu orationis, dum sensu significationis careo; dum non assequor quod dico, ideò nec meditor, quia capere aut reddere ignota verba non valeo. Itaque spiritus ille, pietatis affectus est, qui subrigitur & ipsa loquitur mysteria. Ita dicitur de Apollo Act. 18. [Feruens spiritu.] Mens verò, intellectus hominis: ille enim impellit, iste percipit; & idcircò infructuosus est, si nihil percipit. [Erant nonnulli, ait Comment. Athanas. apud priscos illos Christianos fidei sectatores, qui supplicandi gratiam linguâ exciperent, loquerenturque vel Persicâ linguâ vel Romanâ, cum illorum mens esset earum rerum ignara, quæ linguâ sic ederentur. Dicit itaque Paulus, Spiritus meus, siue animus qui linguam agitat, quantum ad se spectat, vtilitatis plurimum vendicat mens verò mea sine emolumento erit, quia nihil prorsus eorum quæ proferuntur intelligit.] Sic & apud ipsum Basilius. [Quid ergo est? B Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente, &c.] Quid igitur faciendum superest sequendum-ve? Dabo operam, vt non solùm instinctum deuotionis voluntate animo-ve concipiam, sed & sensum orationis mente percipiam. Orare, est necessitates à Deo petere; psallere, laudes Deo canere: vtrumuis faciam, & animum & intellectum conferam. [Ceterum si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem benè gratias agis: sed alter non ædificatur, &c.] Alioquin, si Deum oras, si laudas ex gratâ donorum beneficiorumque memoriâ: quomodo C ille qui pro plebe respondet, dicet, Amen, approbando, confirmandoque laudem tuam, & gratiarum actionem? Cum enim tu linguâ loquaris peregrinâ, à quonam vis vt intelligaris? Et tu quidem benè facis, dum pio voluntatis motu, Deo gratias agis: sed proximus, dum nihil percipit, nihil etiam proficit. [Idiota propriè dicitur, ait Aquinas, qui scit tantùm linguam in quâ natus est. Est ergo quasi diceret: Quis dicet illud quod debet dicere ibi idiota? quomodo consentiet benedictioni à te factæ in personâ ecclesiæ? Amen idem est, quod, Fiat, vel, Verum est. Si ergo non intelligit quæ dicis, quomodo conformabit se dictis tuis?] D Populus omnis acclamabat, Fiat, Fiat: aut vnus, ac singularis, populi locum supplebat, cui & tota consentiebat Ecclesia.

Comment. Athanas.

Spiritus, animus, seu instinctus mouens impelleusque.

Aquin. lect. 3.

[Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor, &c.] Ne putetis me linguas depretiare, aut minus æstimare, quasi ipsas non calleam, aut callenti succenseam: nam & donum mihi linguarum diuinitùs collatum est: & gratias ago Deo meo, quod nullus vestrûm linguâ loquatur, qua ego loqui non valeam; quòd nulla circumferatur lingua, quam ego non intelligam. [Sed in Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruã E quàm decem millia verborum in linguâ, &c.] Scio ergo linguis loqui, sed malo paucis intelligibiliter alios instituere, quàm innumeris inutiliter in conuentu fratrum diffluere. [Sensu meo, hoc est, intelligens & sciens quæ dixerim, potensque vel eadem interpretari, vt & alijs pariam vtilitatem.] Ita Athanas. [Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote, sensibus autem perfecti estote, &c.] Prudenter de rebus iudicate, non pueriliter; nec tanti, ea quæ minùs æstimanda sunt, æstimate. Permitto quidem, quin & opto repuerascere vos, sed quoad innocentiam animi, non

Athanas. in Paul.

non quoad inopiam iudicij. [In lege scriptum est: Quoniam in aliis linguis & labijs aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient, dicit Dominus, &c.] In Isaia scriptum est cap. 28. [In loquelâ enim labij, & aliquâ alterâ loquetur ad populum istum: & noluerunt audire.] Et si non eadem verba, eadem nihilominus est sententia. [Itaque linguæ in signum sunt, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus, &c.] Inde consequitur, donum linguarum Ecclesiæ concessum esse non ad fideles instruendos, sed ad fideles peruincendos, Iudæos præsertim peruicaces ac obstinatos. Donum autem prophetandi, ad fideles admonendos promouendosque communicatum est. [Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent quòd insanitis? &c.] Si tota simul, seu apud vos, seu apud alios conueniat Ecclesia, & omnes loquantur linguis, interpretante nemine: accedant autem linguarum expertes, vel etiam obrepant infideles; nonne vos reputabunt insanos, nonne existimabunt fanaticos? [Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit.] Contra verò, si soli loquantur Prophetæ, intrent autem simplices quique vel etiam infideles, quidni reuincantur? [conuincitur.] Græcè ἐλέγχεται. Non iam arguet infidelis, sed arguetur: non despuet, sed reuincetur. [Pronuntians.] In Græco ἀπαγγέλλων, denuntians, & palàm affirmans, vos reuera non arreptitios esse, sed à Deo vero inspiratos. [Vides, ait idem Comment. quemadmodum maior sit prophetiæ vtilitas. Quippe quæ vel cordis abdita retegat, faciatque hominem infidelem, & Dei habere cognitionem, in faciemque procumbere orandi gratiâ, confiterique Deum nobis inesse, quod sanè in Nabuchodonosor contigit, cum ei Daniel aperuisset somnium.]

Linguæ ad reuincẽdos infideles, prophetiæ ad fideles instruẽdos.

Comment. Ambros.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

HEic maximè de duobus charismatibus dissertatio est, de dono scilicet varijs loquendi linguis, & de dono prophetandi. De iis etiam sit

DISQVISITIO PRIMA.

De dono loquendi.

HOc donum non contemnit Apostolus, quin & de ipso gratias agit Deo suo. [Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor.] Seu, vt est apud Chrysostomum: [Magis quàm vos omnes linguis loquor.] Sed quod ille de se, hoc & omnes Apostoli dicere poterant, nec vlli poterant contemnere. [Videbatur enim, ait ille, hoc donum esse maius, quoniam id primum acceperunt Apostoli: & apud Corinthios plures id possederant.] Et quidem de Apostolis rationem reddit. [Quoniam, inquit, in omnes orbis partes erant peruasuri, & sicut in tempore quo facta est turris, lingua quæ erat vna dissecabatur in multas, ita nunc quæ erant multæ, sæpè ibant ad vnum hominem, & idem & Persarum, & Romanorum, Indorum, & aliis multis loquebatur linguis, ipso insonante spiritu.] Est ergo multiplex Corinthios inter & Apostolos differentia: quarum prima est, quòd nulla esset lingua, quam non callerent Apostoli, vnam fortean & alteram haberent Corinthij. Vnde ex Græco Apostolus: [Gratias ago Deo meo, omnibus vobis magis linguis loquens.] Cum enim in omnem terram, & ad omnem creaturam mitterentur; opus etiam erat vt omnium omninò gentium linguis instruerentur & idiotismis. [Apostolus Paulus (verba sunt Hieronymi) qui de Hierusalem vsque ad Illyricum prædicauit, & inde per Romam ad Hispaniam ire festinat, gratias agit Deo, quòd cunctis magis linguis loquatur. Qui enim multis gentibus annuntiaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam. Vnde & in Lycaoniâ cum audissent Paulum & Barnabam loqui linguis suis, deos in homines conuersos esse credebant.] Et de ceteris Apostolis: [Hæc repromissio Spiritûs sancti die decimo post ascensionem Saluatoris expleta est. Vnde Ioannes Lucasque non discordant; vt, quod ille primo resurrectionis die datum esse significat, hic quinquagesimo die venisse describat: sed profectus Apostolicus est; vt, qui primò remittendorum peccatorum gratiam acceperant, postea acciperent operationes virtutum; &, quod magis necessarium est, diuersitatem linguarum omnium gentium; vt annuntiaturi Christum, nullo indigerent interprete.]

Chrysost. orat. 35.

Chrysost. orat. 35.

Chrysost. orat. 35.

Quanta sit Apostolos inter & Corinthios differentia.

Hieronym. epist. 150 quæst. 9.

Attende, [Quod magis necessarium.] Et expende. Necessitati enim prouisum est, nihil datum superfluitati. Vnde & duo vel tria possunt elici ex eodem Hieron. Primum est, non omnes omninò linguas singulis Apostolis, sed omnibus omnes in commune datas: [Vt iam tunc, inquit, cognosceretur, qui Apostolorum quibus deberent gentibus nuntiare.] Quasi velit, earum tantummodo gentium linguam accepisse, ad quas hi vel illi essent destinandi. Secundum, Paulum, vt ad plures, & ferè omnes nationes destinatum, ampliorem etiam charismatum copiam sortitum, linguarum-ve omnium aut ferè omnium gratiam consecutum. [Cunctis, ait, Apostolis magis linguis loquitur.] Vnde & Chrysostomus erigens auream Pauli imaginem, & per singulas partes excurrens: [Ex linguâ Pauli, inquit, prodibant res quæ cœlos superant. Et ex propitiatorio quidem, solis dabantur responsa Iudæis: hinc autem vniuerso orbi terrarum. Et illic quidem per inanima: hîc autem per animam virtute præditam.] Ille Doctor erat orbis, nedum gentium Græcorum ac Barbarorum, sapientibus & insipientibus debitor; qui vbique verbum Dei prædicarit, in omni mundo, ne dicam & in omni loco seminauerit Euangelium: idcircò necesse fuit, vt gentium omnium etiam linguam specialem acciperet, vt & omnibus nationibus

Linguæ quomodo Apostolis olim datæ.

Chrysost. orat. 13.

spiritalem refunderet gratiam. Tertium, in istâ seu diuersarum seu etiam vniuersarum linguarum copiâ, omnimodam quidem datam fuisse sufficientiam, nullam tamen redundantiam: non enim ornatui linguæ datæ sunt, sed vsui; nec ad ostentationem, sed ad eruditionem. Vnde & eodem arbitro: [Paulus cum in vernaculâ linguâ habeat sermonem disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens inuoluitur. Si autem in Græcâ linguâ hoc ei accidit, quam nutritus in Tarso Ciliciæ à paruâ ætate imbiberat: quid de Latinis dicendum est, qui verbum de verbo exprimere conantes, obscuriores faciunt eius sententias, & veluti herbis crescentibus frugum strangulant vbertatem?] Quicquid sit, prima hæc Apostolos inter ac Corinthios differentia est, quòd Corinthij paucioribus loquerentur linguis, vtpote pluribus non obstricti: Apostoli verò omnibus aut ferè omnibus vterentur, vtpote ad omnes aut ferè omnes nationes destinati.

Hieronym. epist. 151. quæst. 10

Secunda differentia, quòd plerique Corinthiorum donum linguarum accepissent, absque dono interpretationis: nulli autem prorsus Apostolorum, vnum accepissent sine altero. Aliâ quippe fini donum illud Corinthiis concessum, aliâ Apostolis: illis quidem, vt præsentia Spiritûs sancti, aliquo obsignaretur indicio. Vnde: [Cum vidisset Simon, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.] Quomodo vidit, nisi aliquod fuisset signum visibile? Et quid concupiuit, nisi donum aliquod sensibile? Hoc autem erat donum linguarum. [Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.] Proprium est Spiritûs sancti cor immutare, de immundo mundum, de polluto sanctum reddere: lingua autem consonat cordi, vt & vox concordat conceptui. Ita. [Cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.] Græcè ϗ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις [Linguis alijs.] Alius animus, alius homo, vtpote nouus: alius & sermo, qui & nouus, vtpote antea incognitus. Apostolis autem hoc donum concessum est, vt Euangelij doctrina per totum mundum disseminaretur: ad hunc autem finem, necesse erat vt intelligerent quæ dicerent, imò & dicentes contradicentesque eadem linguâ perciperent: quinimo & hac ipsâ linguâ scriberent, si quid non solùm declarandum verbis, sed & litteris demandandum: omnia enim quæ ad ministerium exercendum, seu ad annuntiandum gentibus omnibus Euangelium necessaria erant, sunt eis concessa: nec eis donum linguarum ad dispensationem indultum est, sed ad dispositionem: vt eo nimirum vterentur in tantum, in quantum, seu ad instructionem, seu ad ædificationem seruire arbitrarentur aut expedire.

Act. cap. 8.

Act. c. 10.

Act. cap. 2.

Nouæ linguæ, nouis hominibus sunt concessæ.

A Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quę sub cœlo est. Factâ autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque linguâ suâ illos loquentes.] Quasi facto, non solùm nationum omnium alloquio, sed & linguarum omnium commercio: vt conuenirentur ab omnibus Apostoli, & omnibus satisfacerent: de pluribus interrogarentur & ad omnia, eademque linguâ responderent. [Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguâ nostrâ, in quâ nati sumus?]

Act. cap. 2.

Act. cap. 2.

B Miraris & tu Corinthios ea varijs loquutos linguis quæ non caperent: quidni miraris alios ea in varijs nactos libris quæ non perciperent licet probè legerent, & maturè ac studiosè reuoluerent? Sed & id magis mirandum esset, si quis litteras sciret, nec tamen didicisset; sicque optimè litteras Græcas legeret aut etiam Hebraïcas, nihil tamen exinde perciperet: spiritus, accentus, puncta, cola, distingueret, nihil tamen prorsus intelligeret. Sicut ergo aliud est scientia, aliud sermo scientiæ. [Quid est enim sermo scientiæ? ait Chrysostomus. C Quem habebant multi ex fidelibus, qui scientiam quidem habebant, non poterant autem docere, nec facilè alijs enuntiare quæ sciebant.] Sic & aliud est, donum linguæ, & aliud donum intelligentiæ. Sicut enim illi sciebant ea quæ non poterant aliis exprimere; sic & isti multa dicebant linguis peregrinis, quæ natiuis verbis non poterant reddere: nam sicut in illis noua scientia est, ea quæ iam sciuntur exprimere; sic & in istis, noua intelligentia est, ea quæ dicuntur, reddere; diuersa dona, distincta sunt charismata. Id facilè in nobis & ex nobis exponi potest sine vllo miraculo. Multi enim linguam capiunt peregrinam, nec illam tamen loqui possunt: alij ipsam tenent quoad D interiorem locutionem, non tamen quoad exteriorem: alij scriptis reddere valent, non tamen alloquijs committere. Sic & illi multa poterant pronuntiare, quæ non poterant comprehendere: sed id tantùm significare & exprimere poterant, se à Spiritu sancto motos, se ad Deum magnificandum, ad magnalia dicenda impulsos. [Erant igitur antiquitùs multi, ait Chrysostomus, qui orationis donum habebant cum linguâ, & orabant quidem, & linguâ loquebatur, aut Persarum, aut Romanorum voce orans: mens autem nesciebat quod dicebatur.] Nesciebat, inquam, siue granditatem mysterij non comprehenderet, siue qualitatem non caperet eloquij. [Manifestum est E enim, ait Ambros. ignorare animum nostrum si linguâ loquatur quam nescit: sicut assolent Latini homines Græcè cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant.] Itaque nesciebat non solù quid promeret, verum nec sciebat quid diceret. Hoc vnum sciebat, se spiritali præuentum affectu, specialique impulsum motu ad Deum laudandum: ideoque tam bona dicere, quàm & vera promere.

Chrysost. orat. 29.

Multi multa dicunt, quæ non intelligunt.

Chrysost. orat. 35.

Ambros. in Paul.

Tertia denique differentia, quæ inter Corinthios & Apostolos, ea est, quòd illi vt plurimum sine aliquo publicæ vtilitatis fructu do-

num vsurparent, sicque sua potius quærerent quàm communia. Apostoli autem nusquam diuersis loquerentur linguis, nisi vt eo dono vterentur in bonum commune, nunquam abuterentur ad singulare solatium. [Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero: nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrinâ?] Quærit nempe Paulus vbique & semper aliis prodesse, quacumque id tandem viâ possit, nunquam sua concupiscit. Alij signum istud optabant, ad solatium aut ad testimonium, nec inde aberrabant. [Quia tunc (vt Augustinus loquitur) per miraculum demonstrabatur aduentus Spiritûs sancti, vt linguis loquerentur, quas non didicerant omnes super quos veniebat Spiritus sanctus.] Sed inde aberrare poterant & delinquere: [Quomodo Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat super se, propterea plus illum delectauit potentia Apostolorum, quàm iustitia Christianorum.] Concupiscebat ille quod magnum censebat ac mirabile: quod nec fortean vtile sibi, nec alteri necessarium. [Vbi enim (ait & ille) impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est.] At verò Apostoli nunquam ad fastum, sed ad fructum semper eo dono vsi sunt: nec minùs sobriè, quàm & modestè. [In Ecclesiâ volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem millia verborum in linguâ.] Quoquo tandem modo, perficere cupit Apostolus, cupit instruere nunc quæ per reuelationem accepit, profando: nunc quod per lectionem aut meditationem didicit, communicando: nec de eloquio satagit, sed publico insistit emolumento. Certè ad donum diuinum, studium accedebat humanum: poterat qui linguam acceperat aut scientiam, proficere, talentumque curâ & industriâ in vsum fructumque promouere: vt si comptiùs loquendum deprehenderet, si eruditiùs exponendum, id omne in publicum bonum impenderet. Ideo Paulus nunc per sapientiam instruit, nunc per scientiam: nunc attendit lectioni, nunc orationi: nunc docet per verba persuasibilia nunc abstinet: nunc artem & eruditionem adhibet, nunc remouet, vbi adhibendam videt aut remouendam.

Aug. in expos. psal. 65. post init.

Aug. ibidē.

Donum diuinum, humano non sine suo studio.

Quæ porrò sunt illa quinque verba? Ponderat Bernardus, nedum numerat. [Quinquepartitum verbū: comminationis, promissionis, dilectionis, imitationis, & orationis. Horum quippe verborum latè patens copia in diuinorum reperitur serie scripturarum. Et fortè ipsa sunt quinque verba, quorum meminit Paulus malens quinque verba loqui in sensu, quàm decem millia in linguâ. Præterit enim figura huius mundi: & iuxtà aliud testimonium, Et mundus transit, & concupiscentia eius. Hæc autem verba, transeunte mundo, non modò manent, verumetiam leuigantur magis, dum pertranseuntibus pluribus multiplex est scientia.] Et id quidem benè. Sed ex Aquinate: [Aliis videtur melius: quia doctor debet quinque docere: scilicet credenda, agenda, vitanda, scilicet peccata, speranda, scilicet vitam æternam: timenda, scilicet pœnas æternas.] Quid verò ille? [Hinc, inquit, Ponit se Apostolus

Bern. ser. de Dom. 4. post Pentecost.

Aquin. lect. 4.

A in exemplum. Quasi dicat: Si ego habeo donum linguarum sicut & vos, debetis facere illud quod facio. Sed ego volo, id est, magis volo loqui in Ecclesiâ quinque, id est, pauca verba, Sensu meo, id est intellectu, vt scilicet ego intelligam, & intelligar, & ex hoc instruam alios; Quam decem millia, id est, quamcunque multitudinem verborum in linguâ, quod est loqui non ad intellectum quocunque modo fiat.] Et id tandem optimè. [Quid est enim, Sensu meo loqui? (ait Chrysostomus) Vt & alios instruam, intelligens quæ dico, & quæ possum & aliis interpretari; & cum intelligentiâ dicere, & docere eos qui audiunt, quid decem millia verborum? Vt & alios instruam, inquit. Nam illud
B quidem habet ostentationem, hoc autem multam vtilitatem. Hoc enim est, quod vbique quærit, id quod confert in commune.] Sed animaduerto me diutiùs in his immorari, & inde sentio homines ex his loquaces, nedum inanes effici.

Quid quinque verba, & verborū millia.

Chrysost. orat. 35.

DISQVISITIO SECVNDA.

De dono prophetandi.

C Apostolus vtrumque sæpè donum confert, sed prophetiam semper linguis præfert, maximè verò vbi illæ sunt citrà intelligentiam. [Æmulamini spiritalia, magis autem vt prophetetis.] Vbi Chrysostomus: [Hîc, inquit, de cetero facit charismatum comparationem, linguarum charisma deprimit, neque omninò inutile ostendens, neque per se valde vtile. Valdè enim propter id tumebant, quoniam existimabatur esse magnum charisma: existimabatur autem esse magnum, propterea quòd Apostoli id primum acceperint, & cùm tantâ demonstratione. Non tamen propterea est aliis præstantius. Vide & quomodo idem deprimit & extollit. Nam dicendo, Qui loquitur linguis,
D non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit, depressit, ostendens non esse magnam vtilitatem. Subiungendo autem, Spiritu loquitur mysteria, rursus extulit, ne videatur esse superuacananeum & inutile, & temerè ac frustrà datum. Qui autem prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & ad hortationem, & consolationem. Vidisti vndenam ostendat huius doni excellentiam, ex eo quòd in commune conferat, & quomodo id vbique præponit quòd sit ad multorum vtilitatem?] Rursum
E Apostolus. [Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis.] Vbi rursum & Chrysostomus. [Magis & minus non sunt ex iis quæ sunt contraria, sed ex iis quæ exuperant. Quamobrem hinc quoque est perspicuum quòd donum non vituperat, sed eos ducit ad meliora, ostendens & quam eorum curam gerit, & animum ab omni inuidiâ liberum. Neque enim dixit, Duos aut tres, sed vos omnes volo loqui linguis: & hoc non solùm, sed etiam prophetare: & hoc magis quàm illud: maior est enim qui prophetat.]

Chrysost. orat. 35.

Vtrumque donum à Paulo simul collatum.

Chrysost. ibidem.

Duplicem quidem ob rationem vtrumque

confert donum, sed vnum alteri præfert ob multiplicem. Prima ratio conferendi est ex eo quod aliquid habeant paritatis: secunda, quòd aliquid habeant communitatis. Paritatis quidem. [Non enim, (vt & ille obseruauit) absolutè pronuntiauit Apostolus, sed cum adiectione. Subiunxit enim, Nisi fortè interpretetur: vt potè quòd si hoc possit, interpretari, inquam, est, inquit, par prophetæ.] Communitatis verò, quia, [A spiritu teneri & agitari, est vtrique commune, & ei qui prophetat, & ei qui linguis loquitur.] Ratio denique præferendi, non vna quidem: vna tamen præcipua, vtpote ab Apostolo præcipuè commendata. [In hoc enim ipse, nempe is qui prophetat, est superior, quòd sit etiam vtilis iis qui audiunt. Et hoc maximè obseruandum est: quia hoc per omnia antè alia requirit Apostolus, vt multi sint qui percipiant vtilitatem.] Ita Chrysostomus. In hoc ergo præfert, quod magis ad bonum confert publicum: & in hoc confert, quod in vtrobique aliquid paritatis sit & communitatis: paritatis quidem in superuenienti vtilitatis specie; communitatis autem, in supereminenti vtriusque facultatis origine: nempe à Spiritu sancto teneri, moueri, agitari, inspirari. Exinde igitur dicendum est, illud prophetiæ donum per inspirationem dati, animumque prophetæ, per arcanam, sed extraordinariam operationem suscitari: vt quemadmodum Apostoli primò ad generalem totius Ecclesiæ administrationem extraordinariè vocati sunt, sic & secundò Prophetæ ad ædificationem alicuius Ecclesiæ vocarentur extraordinariè, nuncque ad consolationem animarentur nunc ad exhortationem. [Et quosdam quidem posuit in Ecclesiâ. Primùm Apostolos, secundò Prophetas, genera linguarum. Quod prius dixit, ait Chrysostomus, hoc quoque facit. Nam quoniam sibi placebant & se efferebant ob linguas, id vbique ponit vltimum. Primum enim & secundum non dixit absolutè, sed suo ordine collocans id quod est præstantius, & ostendens id quod est inferius & minus. Quamobrem præposuit Apostolos, qui omnia dona in se habebant. Neque dixit, Quos posuit quidem Deus in Ecclesiâ Apostolos solummodò & absolutè, aut Prophetas: sed primum, & secundò, & tertiò, hoc ipsum quod dixi significans.]

Chrysost. orat. 35. — Chrysost. ead. orat. — In qua linguarum cũ prophetia paritas & cõmunitas. — Chrysost. orat. 32.

Vterque quidem, tam ille qui loquitur linguis, quàm qui prophetat à Deo inspiritatus est, vterque ad ædificationem suscitatus. Vnde potest donum loquenti datum non audienti: non enim donum aurium est, sed linguarum: & qui eo præueniebatur dono, non linguâ maternâ, sed aliis linguis, vt habes ex Græcis, seu, vt expressiùs & clariùs habes ex nostris, linguis variis loquebatur: adeò vt donum seu miraculum loquentis sit, non audientis: & loquentis non vnâ linguâ, sed aliis & variis. Vtrũque donũ spiritale est, & ad ædificationem consolationemque alicuius Ecclesiæ concessum. [Erant in Ecclesiâ Antiochenâ Prophetæ, &c.] Et quod de Anthiochenâ, hoc & de Corinthiacâ, hoc & de aliis Ecclesijs. [Prophetabãt enim, ait Chrysostomus, vt filiæ Philippi, vt Agabus, vt ij qui erant apud Corinthios, de quibus id- A cit Apostolus. Prophetæ autem duo aut tres loquantur. Ad Timotheum quoque scribens, dicebat: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam. Et longè plures tunc erant quàm in veteri. Non enim ad decem & viginti & quinquaginta & centum redactum erat prophetiæ donum, sed abundè effundebatur gratia, & vnaquæque Ecclesia habebat multos qui prophetabant. Si enim dixit Christus, Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, de illis dixit Prophetis qui eius aduentum prædixerunt.] Vtrum esset vulgarius non inde patet, liquet tamen vnum esse altero præstantius. [Donum enim prophetiæ, (vti resoluit Aqui- B nas) excedit donum linguarum tripliciter. Primò quidem, quia donum linguarum refertur ad diuersas voces proferendas, quæ sunt signa alicuius intelligibilis veritatis: donum autem prophetiæ consistit in ipsâ illuminatione mentis ad cognoscendum intelligibilem veritatem. Secundò, quia donũ prophetiæ pertinet ad rerũ notitiã, quæ est nobilior quàm notitia vocum, ad quam pertinet donum linguarum. Tertiò, quia donum prophetiæ est vtilius.] Et hæc vltima ratio principalis est, non solùm quia Apostolica est, sed & quia radicalis; nam & ipsa linguarum gratia in tantum consideranda est, in quantum est vtilis. [Necessarium enim fuit, ait ille, vt sicut gentibus ad idololatriam decli- C nantibus, introducta est diuersitas linguarum, sicut dicitur Genes. 11. ita etiam quando erant gentes ad cultum vnius Dei reuocandæ, contra huiusmodi diuersitatem remedium adhiberetur per donum linguarum.]

Act. cap. 13. — Chrysost. orat. 32. — Aquin. 2. 2. q. 176. art. 2 in corp. In quo prophetiæ donum linguis antistet. — Aquin. ead. q. & q. art. in fin. corp.

Sed quomodo tandem prophetiæ donum vtilius? Quod non solùm ad Deum sit, sed & ad omnes homines. Triplex igitur prophetiæ spiritus aduertendus est: quorum primus, laudationis seu orationis est: secundus, exhortationis aut consolationis: tertius prædictionis seu prænuntiationis. Et omnibus quidem ille spiritibus id commune est, quòd inspiratione diuinâ suscitentur, & quædam occulta vel contem- D plentur, vel perscrutentur, vel præsentur: sed id singulare est quòd se de gradu in gradum excedant, & inde rariores fiant quo sublimiores. Primus igitur gradus est laudationis, seu orationis. Sed nescio an iste satis pateat, & an status potius quàm gradus dici debeat. Statum dico, quomodo dicimus statum religiosum, quo concipimus, si non vates, certè homines tam Deo plenos, quàm & mundo vacuos. Nec id nouum; nam in veteri testamento erant filij Prophetarum: seu cœtus prophetarum: ipsi enim filij prophetarum, qui prophetæ; sicut fi- E lij hominum, qui homines. Sunt ergo illi vates antiqui, qui numine afflati, qui instinctu sacro impulsi prosiliebant ad laudes Deo canendas, preces spiritu diuino, & extemporaneo impetu dicendas, chorosque agebant ac cuneos: [Ecce cuneus prophetarum obuius Saüli: & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.] Et: [Misit Saül lictores, vt raperent Dauid: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem semper eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam & ipsi.] Sunt illi vates, qui & senes, non tam æta-

Triplex prophetiæ spiritus seu gradus aduertendus est. — 1. Reg. c. 10. — 1. Reg. c. 19.

te, quam dignitate: sunt enim & ij senes qui senatores. [Elisæus autem sedebat in domo suâ, & senes sedebant cum eo.] Erant igitur illi seu senes, seu vates, homines diuini, qui afflati & inspirati psallerent, singularesque Deo laudes concinerent. Sic & in Ecclesiâ, in quâ nondum introductus mos alternatim concinendi, nunc ille, nũc iste, diuino instinctu motus assurgebat, & eodẽ impetu, nonnihil spiritale, necnon & singulare accinebat Deo suo. [Omnis vir orans aut prophetans. Omnis mulier orans aut prophetans.] Non enim oratio illa protrita ac vulgaris, sed inspirata ac singularis, qualis spiritualis ac prophetica.

4. Reg. c. 6.

Secundus gradus, exhortationis est, aut consolationis. [Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem & exhortationem & consolationem.] Quibus verbis præmittitur ædificatio, tanquam origo, seu ratio, tum & in exhortationem & consolationem tanquam in duos riuos diuiditur. [Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum: ad ædificationem Ecclesiæ quærite, vt abundetis.] Omnia enim ad ædificationem fieri debent, quanto magis charismata, seu dona spiritalia, debent ad vsum communem & spiritalem prouectum conferri? Id verò fiet vtiliter, feliciterque succedet, vel per exhortationem, vel per consolationem. Duo enim planè necessaria sunt, & ad operis boni studium inducere, quod fit per exhortationem: & tanti laboris præmium proponere, quod fit per consolationem. [Ad hæc autem, ait Aquinas, inducunt prædicantes diuinam scripturam.] Nempe vates isti, seu diuini homines, reconditos scripturarum, maximè verò propheticarum sensus extundunt, piosque affectus ex locis etiam obscuris ac difficillimis eruunt. [Omnis prophetia scripturæ, propriâ interpretatione non fit.] Eo enim exponitur spiritu, quo & suggeritur: non enim prophetia in litterâ est, sed in intelligentiâ. Tertius denique gradus, prædictionis est, seu prænuntiationis. Et primus quidem gradus sat communis, mereturque nomen prophetiæ per appropriationem potius quàm per proprietatem: secundus, specialis quidem, sed nomen prophetiæ per participationem potius meretur, quàm per integritatem: tertius denique singularissimus est, tamque prophetiæ nomen per veram rationem obtinet, quàm & aliis adhibet confirmationem. Quanquam enim prophetæ antiquitùs destinarentur, qui nũc ad bona populum exhortarentur Iudaïcum, nunc inter mala solarentur. Sigillum tamen veræ prophetiæ in prædictione seu prænuntiatione erat. [Quando enim Esaias disserebat cum Iudæis, (verba sunt Chrysostomi) & Dei virtutis præbebat ostensionem, & de vilitate dæmonum in medium adducebat argumentum, hoc quoque diuinitatis maximum esse dixit indicium, futura dicere.] Tamen, vt & ille aduertit. [Prophetia non absolutè in signum, sed ad fidem & vtilitatem est apta & vtilis. Idque etsi non statim, per ea tamen quæ deinceps sequuntur apertiùs interpretatus est Apostolus dicens: Conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: & sic occulta cordis eius fiunt manifesta: & cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod

Aquin. lect. 1.

1. Pet. ep. cap. 1.

Quomodo comparandi tres prophetiæ gradus.

Chrysost. orat. 32.

Chrysost. orat. 36.

A verè Deus in vobis sit.] Arcana enim cordis, inter futura temporis contingentia veniunt, & eandem ostendunt seu diuinitatis seu diuinationis virtutem. Sed & in longinquum nos abducunt linguæ istæ peregrinæ, aut prophetiæ in immensum abripiunt: ideò supersedendum est, aut aliò commigrandum.

TROPOLOGIA.

Sectamini charitatem.

B RVrsus ergo ad charitatem redimus, quam enim feliciorem adibimus regionem? certè nullam omnino chariorem. Ex ipsa autem tria discemus, dicemusque, primò non minùs raram esse quàm charam: secundò, non minùs pretiosam esse quàm raram: tertiò, non peregrinandum in eâ, sed immorandum.

Quoad. 1. Quid est, Sectamini charitatem? Æmulatores estis charismatum, quidni æmulamini charismata meliora? [Ordinat eorum affectum, ait Aquinas, circa prædicta spiritalia dona, dicens, Cum multa sint dona Spiritûs sancti, Æmulamini, id est, desiderate gratias potiores. Et ne in præmissis donis eorum affe- C ctus quiesceret, subdit, Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro: scilicet charitatem; quâ directiùs ad Deum itur.] Æmulatores estis spirituum, seu spiritalium, id est, donorum Spiritûs sancti. Non damno, imò & probo, si modo fiat congruo, si fidei seruiat ac saluti. Atque vtinam omnes linguis loquantur, omnes prophetent; nec delibent solùm hæc dona, sed & gratiam consequantur & copiam. [Sic & vos quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, vt abundetis.] Sic, inquam. In quæ Chrysostomus. [Vides, inquit, quomodo eius scopus D vbique vnum sibi semper proponat, & eò spectet per omnia: nempe quod multis est vtile, & quod iuuat Ecclesiam, veluti quandam ponens regulam. Neque dixit, vt dona possideatis, sed vt abundetis, id est, vt cum magnâ largitate ea habeatis. Tantum enim abest vt nolim vos ea habere, vt velim etiam vos eis abundare, modò ea exerceatis ad id quod est vtile in commune] Desideratis spiritalia, quia amatis: amate & desiderate: per me licet: sed in iis communem spectate vtilitatem, vt id præferatur quod melius iudicatur & vtilius. Super omnia autem charitatem expendite, tanquam digniorem, nobiliorem, imò & vtiliorem, ideoque ipsam non charismatibus omnibus, sed & om- E nibus virtutibus præponite. Hæc est via, ambulate in eâ. Hoc est ergo: [Sectamini charitatem: scilicet viribus.] Vt dixit Aquinas. Non enim prouocat sequi pedibus corporis, sed cordis affectibus: nec inuitat ad cursum, sed ad studium. Sed cum dicimus sectari, aut sequi, duo concipimus: nimirum, aut aliquid specialiter profiteri, aut aliquid ardenter prosequi. In primo, verbum est medium, tam enim ad bonum quàm in malum inflecti potest, tamque in rectam conuerti sententiam, quàm in prauam peruerti. Secta quippe inter abruptam audaciam, & curiam ordinatam posita

Aquin. lect. vlt. in c. 12.

Chrysost. orat. 35.

Quænam regula, à Paulo, donis præstituta.

Aquin. lect. 1.

est: vt vel in coitionem seu concionem proficere possit, vel in factionem seditionem-ve deficere. [Cum iam, vti dixit Tertullianus, & in quæstu habere cœpissent venalem & mercenarium homines violentiæ suæ operam.] Tamen secta faciliùs pro certâ professione, quàm pro contentiosâ factione. Inde ergo frequentius sectæ non solùm Philosophicæ, sed & Christianæ. Ita & apud ipsum Tertullianum. [Ipsa Apostoli secta.] Pro castitatis voto, pro virtutis proposito. Quid est ergo, Sectamini charitatem. Id est, charitatem ex instituto profitemini: illam colite, illam studijs & animis diligite. In secundo, arcanum est, sed reuelandum. In statu innocentiæ, charitas tam communis erat, quàm & connaturalis; vtpote nobiscum nata, & omnibus ac singulis communicata: sed ex quo ipsa læsa est in paradiso, aufugit à nobis, & iam prosequenda est, & rarus est in statu culpæ, qui illam apprehendat, nullus qui illam recipiat integram: [Postquam ergo exactè & accuratè recensuit Apostolus omnem virtutem ipsius charitatis, (verba sunt Chrysostomi) de cetero hortatur alacri & prõpto animi studio eam amplecti ac tenere. Et ideò dicebat, persequimini. Nam qui persequitur, illud solum videt quod persequitur, & ad illud tendit, & non desistit donec cœperit. Qui persequitur, quando per se non potuerit, per eos qui ipsum præcedunt comprehendit fugientem, eos qui properant magno studio adhortans vt detineant, & detentum ei seruent, donec ad eum peruenerit. Hoc quoque faciamus. Quando ipsi non peruenerimus ad charitatem, eos qui sunt propè ipsam iubeamus eam detinere, donec ipsi ad eam peruenerimus, ne nos rursus effugiat. Assiduè enim à nobis resilit, propterea omnia facere oportet, vt eam exactè retineamus.]

Tertullian. cap. 18. Apolog.

Tertul. l de pudicit. c. 14.

Chrysost. orat. 35.

Quoad. 2. Si pretiosa sunt, quæ rara sunt, iam charitas de raritate suâ æstimanda est: tamen cum & nonnulla rara sint, nec tamen suprà modum pretiosa sint, tanta virtus non tam de raritate pensanda est, quàm de dignitate. [Magnæ sunt diuitiæ charitatis, ait Augustinus, sine quâ diues pauper est, & cũ quâ pauper est diues. Nã diues si charitatem non habeat, quid habet? Quamlibet grandis substantia sit, sine charitate inanis & vacua est. Charitas enim si de terrenis facultatibus nihil habeat, plena est. Vnde quãlibet aliquis copiosas diuitias habeat, si charitas in illo non fuerit, nihil boni ex illis facere poterit; sine quâ verâ & cœlestium virtutum matre magistrâ quid facere debeat, & quando vel quantum dare debeat omninò non nouit. Charitas oleo comparatur. Nam quomodo oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus, ita charitas omnibus virtutibus sublimior comprobatur. Nam si aliquis habeat infinitas diuitias, & non habeat charitatem, sic est, quomodo habeat plures lucernas, & multas lampades pinguedinem non habentes. Lucerna vel lampas sine oleo accensa fumare potest de iracundiâ, fumare de superbiâ, fœtere de auaritiâ, sine charitate penitùs non potest lucem habere: & ideò quantum potest, elaboret vt habeat charitatem, vt habeat lucem, vt habeat oleum.] Quanta illa bonarum artium magistra, quanta verarum officina virtutum. [Ea est enim magna magistra, aptaque & idonea ad abducendum ab errore, & ad mores componendos, & ad efficiendum homines ex lapidibus. Et si vis eius vim intelligere, adduc ad me virum timidum, & qui vel solo terreatur strepitu, & ipsas vmbras pertimescat, sitque iracundus, & asper, & sit potius fera quàm homo, salaxque & libidinosus, & qui omni laboret vitio, & trade eum in manus charitatis, & eum adduc in hoc gymnasium; & videbis illum timidum & ignauum, fieri fortem, magnique & excelsi animi, facileque quiduis audere: & quod est admirabile, hæc non fiunt mutatâ eius naturâ, sed in ipsâ timidâ animâ suam vim ostendit charitas: & perinde fit atque siquis ensem plumbeum, non effectum ferreum, sed manentem in eadem plumbi naturâ, quæ sunt ferri operari fecerit. Quod enim audacem, mitem ac benignum, impudicumque ac libidinosum faciat moderatum, nequidem nobis opus est exemplis. Nam hoc est omnibus perspicuum, quod si quis sit quauis ferâ ferior, ex dilectione fit quauis oue mansuetior ac mitior.] Illa colligit virtutes omnes, & in vnum simul thesaurum congerit: simul dico, quia qui tantum habet thesaurum, virtutum omnium originem ac fontem, Deum scilicet ipsum possidet. [Qui habet charitatem, ait Augustinus, Deus in illo manet, & ipse in Deo. Si charitatem habes, Deum habes: Deus enim charitas est. Quid habet diues, si charitatem non habet? Pauper si charitatem habeat, quid non habeat? Tu fortè puras, quod ille sit diues, cuius arca plena est auro: & ille non sit diues, cuius conscientia plena est Deo?]

Augustin. serm 41. de temp. post. initium.

Quantæ sint Christianæ charitatis diuitiæ.

Chrysost. orat. 35.

Aug. serm. 44. de temp. post. init.

Quoad. 3. Prosequimur fugientem charitatem, amplectimur remorantem ditantemque: sed huic vni studendum est incumbendumque: nec enim in eâ amplius peregrinandum est, sed penitùs immorandum. [Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuentâ autem vnâ pretiosâ margaritâ, abiit & dedit omnia quæ habuit, & emit eam. Quæstio est, inquit Augustinus, cur à numero plurali ad singularem transierit, vt cum quærat homo bonas margaritas, vnam inueniat pretiosam, quam venditis omnibus quæ habet, emat. Aut ergo negotiator iste bonos homines quærens, cum quibus vtiliter viuat, inuenit vnum præ omnibus sine peccato, Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum. Aut præcepta iustitiæ quærens, quibus seruatis cum hominibus rectè conuersetur, inuenit dilectionem proximi in quo vno dicit Apostolus omnia contineri: vt, Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, singulæ margaritæ sint, quæ in hoc sermone recapitulantur. Diliges proximum tuum tanquam teipsum.] Quid vagaris, quid vltrà peregrinaris, quærendo multas margaritas. Vna tibi necessaria est, quæ tam pretiosa quã rara est; tam chara quàm & pretiosa: nimirum charitas ipsa, quam qui vel solam, non solùm plures virtutes, sed & omnes possidebit. [Hæc enim, ait ille, omnium arx est virtutum, hæc præmissio regni, hæc præmium sum-

August. lib. quæst. Eua. in Matth 13.

Vna margarita ceteris præferenda.

mum est sanctorum in cœlo: quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei. Quem quia præsentem vident, suauiùs diligunt, & dulciùs fruuntur ipso bono.] Quid ergo amplius quærendum est, vt vlterius procedendum: si illic tandem conquiescendum est consistendumque? [O quàm felix & beata est anima, (vt absoluam ex eodem Augustino) quæ charitatem in se habere meretur? Charitas sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitiâ constitutis vera & grata consolatio, fluctuantibus portus, errantium via, peregrinantium patria. Hanc tenete, hanc totâ auiditate diligite. Si amatores estis, amate charitatem. Si fortes, vincite cupiditatem. Si peregrini, desiderate patriam. Ipsa enim charitas, si illam tenere volueritis, & gubernat in hoc seculo, & perducit ad regnum.] Hoc est sectari charitatem, non solùm illam in viâ; sed & in patriâ consectari.

Augustin. serm. 41. de temp. in fine.

ANAGOGIA.

Orabo spiritu, orabo & mente.

TRia sese offerunt, quæ & sensum aperiunt, animam efferunt. Primum est, orare spiritu: secundum, orare mente: tertium, spiritu & mente simul orare.

Quoad primum: nihil tam varium, quàm nomen spiritûs: adeo genus diuersum est. [Quatuor spirituum genera nota sunt nobis, ait Bernardus, pecoris, noster, angelicus, & qui condidit istos. Nec ex omnibus, cui siue propter se, siue propter alium, siue propter vtrumque necessarium corpus non sit, corporis-ve similitudo, excepto duntaxat illo, cui omnia tam corporalis quàm spiritualis creatura meritò confitetur & dicit: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et primum quidem ita corpore egêre constat, vt nec subsistere absque illo vtcunque possit. Simul quippe & viuificare desinit & viuere ille spiritus, quando moritur pecus. Nos viuimus quidem post corpus: sed ad ea quibus beatè viuitur, nullus nobis accessus patet nisi per corpus. Senserat hoc qui dicebat: Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur. Iam quòd & supercœlestes spiritus opus corporibus habeant, illa maximè certos nos faciat vera & verè diuina sententia: Nonne omnes, ait, administratorij spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Quonam enim modo implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viuentes in corpore? Ita inferior superiorque spiritus propriis corporibus egent, sed tamen quibus iuuent, non etiam iuuentur. At verò pecus ex debito seruitutis, & ad vsus tantùm temporalium corporaliumque necessitatum iuuando seruit: ideoque ille spiritus & cum tempore transit, & cum corpore deficit. Porrò autem supercœlestis spiritus absque adiutorio corporis, & absque intuitu horum, quæ per corpus sentiuntur solâ profectò suæ vicinitate ac viuacitate naturâ sufficit apprehendere summa, & intima pene-

Bern. ser. 5. in Cant. à princip.

Varia & multiformia spirituum genera.

A trare. Annon hoc Apostolus intellexit, qui cum diceret: Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: adiecit protinus. A creaturâ mundi: nimirum quoniam à creaturâ cœli non ita.] Sed & in nobis sunt quatuor, alii spiritus, quorum tamen duo mera sunt tempora, alii puri puti sunt spiritus. Primũ ex corporibus: aër quẽ spiramus. [Os meum aperui, & attraxi spiritum.] Et, [Qui facit angelos suos spirtus.] Nimirum, spiritus procellarum tempestatumque, quos in humanæ punitionem destinat iniquitatis, vel ad annuntiationem suæ voluntatis delegat. Secundum ex corporibus, spiritus per quem respiramus: sunt

Psalm. 118.

B enim in nobis lucida corpora, sed tenuissima, ideoque nomen spiritum non minùs quàm ventus & aër consecuta. Quin & ἀγγέλους vocant, & in influentes insitosque disterminant. Sed hæc ad medicos aut physicos. Primus ex meris spiritibus, ille est, per quem cogitamus: idcircò, [Cogitatorium animæ,] dicitur à Tertulliano: exponiturque: [Neque enim spiritus ideò insitus corpori, vt fraudium, vt iniquitatum cogitatorium fieret.] Alter denique ex meris spiritibus, ille est per quem amamus: ille enim, intellectus; iste, affectus est: ille cogitatorius, ille incitatorius est: & ideò spiritus,

Tertull. lib. de resur. carn. c. 15. Tertul. lib. de spect. c. 2.

C quia impellit, mouet, concitat. Ita de Paulo dicitur: [Incitabatur spiritus eius in ipso.] Et à Christo: [Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.] Quid ergo Spiritus, de quo Paulus loquitur? Ille postremus, spiritus nimirum affectiuus, seu affectus intellectiuus; cuius est animum mouere ad agendum, piumque accendere desiderium. Pius est ille affectus voluntatis, seu voluntatis motus, in Deum erectus, subitaneus cordis impetus, expeditusque in cœlum ascensus.

Actuum 17.

Matt. c. 26.

Quoad secundum: mens notitiam importat, signat intelligentiam. [Proinde, ait Tertullianus, & animum, siue mens est Νοῦς apud

Tertull. lib. de anim. c. 12. & c. 13.

D Græcos, non aliud quid intelligimus quàm suggestum animæ ingenitum & insitum, & natiuitatis proprium, quo agit, quem secum habens ex semetipsâ se commoueat in semetipsâ, atque ita moueri videatur ab illo tanquam substantia alia, vt volunt qui etiam vniuersitatis motatorem animum decernunt. Nos autem animum ita dicimus animæ concretum, non vt substantiâ alium, sed vt substantiæ officium.] Pars est illa, si pars est in re indiuisibili: facultas est animi superior, quæ intellectiua est, & comprehensiua: potentia rationalis, intellectualis, spiritualis, ideoque tam intellectus

Mens, potentia intellectiua animæ humanæ.

E quàm & spiritus dicitur, non quòd substantia, sed quod animæ humanæ, seu substantiæ rationalis potentiæ. [Hoc etiam (teste Tertulliano) Aristoteles denotauit, nescio an sua paratior implere, quàm aliena inanire.] Ita accepit Apostolus, cum ait: [Qui loquitur linguâ, oret vt interpretetur.] Quid ita? [Nam si orem linguâ, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.] Quid est, Spiritus meus orat? Rectus quidem est affectus, & rectà ascendit in cœlum, dum in Deum tendit: sed intellectus remanet vacuus, cum sine notitiâ hæret & intelligentiâ. Nullus loquenti fructus est, nullus & audienti: cum neuter verba capiat peregri-

Tertul. c. 12.

na, licet vterque ignita quædam desideria persentiat. [Si barbarorum voce benedicas nesciens quid dicas, (ita ex Chrysostomo) neque valeas interpretari, Qui supplet locum idiotæ, non audiens illud, In sæcula sæculorum, quod est finis, non dicit, Amen. Sed ne videatur donum valde vilipendere: quod superius dicebat eum loqui mysteria, & Deo loqui, & seipsum ædificare, & orare spiritu, ex his non paruam excogitans consolationem, hoc iterum facit, dicens: Nam tu quidem benè gratias agis, spiritu enim motus loqueris: sed ille nihil audiens, neque sciens quæ dicuntur, stat non magnam accipiens vtilitatem.] Quæ enim vtilitas, quis fructus in mente audientis, vel etiam loquentis, si neuter percipiat quæ dicuntur; etsi loquens vtrumque proficiat, si sciat bona & sancta esse quæ dicuntur? Sed illa vtilitas, seu pietas, si qua est, affectûs est, non intellectûs; voluntatis, non mentis.

Chrysost. orat. 35.

Quoad tertium: conclusio est Apostoli, & propositi definitio. Quid igitur faciendum, quid concludendum est? [Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.] Vtroque modo orandum est, vt & cordis adsit affectio, & mentis non desit comprehensio. Ita Dauid apud Hilarium: [Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Declaratio.n. verborum mysticorum per Euangelia præstatur, ex quibus primũ fides discitur. Hæc declaratio legis occultorũ & occultorũ propheticorũ, hæc verborum Dei intelligẽtia paruulis præstita, huius temporis & ætatis est: vt Dominus in Euangelio demonstrat, dicens: Confiteor tibi Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & intelligentibus: & reuelasti ea paruulis. In his diebus hæc declarantur, & declarata illuminant, & illuminata intelligentiam paruulis subministrant: fiunt enim per hanc intelligentiam sancti Spiritûs iam capaces. Denique id ipsum sequens sermo subiecit, dicens: os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua concupiscebam. Non de hoc vtique humani corporis ore dixit, quod per labia concluditur ac patet. Nam spiritum officio narium magis quàm oris haurimus. Sed os scriptura non labiorum tantum, sed & cordis solita est nuncupare. Corde enim per fidem patente, & per desiderium ad hauriendum hiante intelligentiâ doctrinæ cœlestis accipitur. Hoc ergo os suum Propheta pandens, attraxit spiritum. Non enim vltrò

Hilarius in illo verbo Psal. 118.

Littera in sensum traducta mysticum & anagogicũ.

A ingruit, expetendus est, attrahendus est. Ideò enim os aperuit, quia meminerit sibi in Psalmo altero dictum: Dilata os tuum, & implebo illud. Vt enim per os in alimoniam corporis cibos sumimus, ita per cor ad viuificandam animam escas doctrinæ cœlestis accipimus: quæ nisi amplificato & patente corde attracta quodammodo fuerint, non iuuabunt.] Ita spiritum flabilem seu spirabilem ad mysticum intellectum traduxit Hilarius, vt & litteralem sensum Paulus induxit ad angelos designandos: Sed id voluit quod Dominus docuit. [Sunt namque (vti L. Iustinianus loquitur) qui prolixas obsecrationes vocales faciunt, & quid

Laur. Iust. lib. de profect. c. 12.

B proferant, nequaquam intelligunt. Insinuat ergo Dominus, vt quemadmodum in oratione mouentur labia, verba formantur, & sancti Spiritûs promuntur eloquia: ita intendat mens, affectus vigilet, & alienæ excludantur cogitationes, quatenus tam interior homo, quàm exterior, laudabiliter diuinis occupetur in laudibus, valeatque cum Apostolo dicere: Psallam spiritu, psallam & mente: orabo spiritu, orabo & mente. Quasi dicat: Linguâ promulgabo cœlestia verba: sensus verò latentes in litterâ, & sacra mysteria mentis intelligentiâ gustabo.] Hoc proposuit Paulus, quod & Bernardus exposuit. [Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium. Dicamus angelis: Psallite Deo nostro, psallite: atque audiamus eos vicissim respondentes. Psallite regi nostro, psallite sapienter. Laudem


Bern. serm. 7. in Cant. vlt. mediũ

C ergo cum cœli cantoribus in commune dicentes, vtpote ciues sanctorum & domestici Dei, Psallite sapienter. Cibus in ore, Psalmus in corde sapit. Tantum illum terere non negligat fidelis & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ, ne si fortè integrum glutiat, & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili & dulciori super mel & fauum. Alioquin littera occidit, si absque Spiritûs condimento glutieris. Si autem cum Apostolo, Psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis quem dixit Iesus: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et item quem legimus, dicente Sapientiâ: Spiritus meus super mel dulcis.] Verba etsi sa-

D cra transilias, sensum etiam etsi mysticum transcendas: & ad ipsum ascendas Deum: vt eius spiritum imbibas: corde diligas, mente reuoluas: nec tam oneres memoriam, quàm patriam recogites.



SECTIO



SECTIO SECVNDA.

DE ORDINE.

TEXTVS.



QVid ergo eſt, fratres? cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrûm pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue linguâ quis loquitur, ſecundùm duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſiâ, ſibi autem loquatur, & Deo. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri diiudicent. Quòd ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: vt omnes diſcāt, & omnes exhortentur: & ſpiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſiâ. An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos peruenit? Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque, fratres, æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant.

EXEGESIS LITTERALIS.

QVæritur non qui abundè fruatur diuinis donis, ſed qui rectè vtatur ac legitimè: idcircò viris vſum præſcribit Apoſtolus: feminis verò imponit ſilentium.

[Quid ergo, fratres? cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrûm pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant, &c.] Quid igitur agendum eſt, quid tandem reſoluendum? Tria in cœtu ſeu conuentu quærenda ſunt, vtilitas, honeſtas, regularitas: tria & proſcribenda, inutilitas, ne infructuosè: inhoneſtas, ne immodeſtè; irregularitas, ne inordinatè. [De iſto, ait Tertull. quis dubitare poſſit ignoro, niſi planè friuola & frigida fides, deprehēdens eos qui timidè conueniūt in Eccleſ. Dicitis enim, quoniam inconditè conuenimus, ſimul cōuenimus & cōplures concurrimus in Eccleſiam.] Cum ergo cōuenitis, dum in vnum omnes coitis locum, aut dum complures in vnum cœtum concurritis, ad canendam Deo laudem, ad rem diuinam faciendam; quiſque quod habet, in medium promat, & ſecundùm id quo pollet, donum in communem

Tertul. l. de fug. in perſecut. c. 3.

Dona in vtilitatē communem impendenda.

A ſeruiat vtilitatem. Exempli gratiâ, habet, quis canticum aliquod ſpirituale, alius ſcientiæ ſermonem ex ſubtilioris meditatione ingenij; aut ſapientiæ, ex ſecretioris reuelatione myſterij: alius denique linguas callet peregrinas, alius linguis interpretandis idoneus; chariſmata iſta reddite vtilia, & ad Eccleſiam promouendam impendite. Ideò enim in vnum conuenitis, vt mutuo iuuare poſſitis, & tam exemplo ædificare quàm verbo. [Pſalmos, ait Comment. Athanaſ. ex priſcis illis nonnulli per ſpiritalem gratiam componebant; & donum pleriſque alios inſtruendi concedebatur. Reuelationem autem prophetiam appellat, à ſpecie genus denominans. Linguæ autem mentionem facit, ne prorſus vel abiectior hæc videatur, vel ſpernenda, neue non in gratiarum ordine non computetur. Hæc itaque omnia, inquit, ad ædificationem fiant: id enim eſt Chriſtiani hominis proprium, vt aliis proſit, & vtilitatem impartiatur.]

B

Comment. Athanaſ.

[Siue linguâ quis loquitur, ſecundùm duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur, &c.] Incipit à dono linguarum, aitque, Si dono iſto vtendum eſt, duo aut ad ſummum tres loquantur, quiſque tamen ſeorſum, alternatim, viciſſimque: & dum

vnus linguâ locutus fuerit peregrinâ, adsit interpres qui explicet quod alius dixit, ne fructu vacet, sed charismata ista cum profectu in vsum vertantur publicum. [Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesiâ, sibi autem loquatur, & Deo, &c.] Quid prodest loqui linguis, audienti, imò & dicenti incognitis? ideo si desit interpres, qui possit intelligere, & quod capit reddere; taceat alter in conuentu, aut, ne sine profectu aliquo maneat; aut, ne pio careat affectu; apud se loquatur, dum Deum ipsum tacito motu, & sacro deprecatur instinctu. [Si quis laudem Dei per canticum eloquitur, si sensuum per spiritalem prudentiam habet expositionem; si subest ei prophetia occultorum, quæ ad omnium mentem perueniat fauente Spiritu sancto. Sed vt eos qui linguâ loqui poterant non contristaret, permisit eos loqui linguis; ita tamen vt interpretatio sequeretur. Duo ergo aut tres, non plus, loquantur linguis, & particulatim seu singuli, non simul omnes, ne insanire videantur: aut ad summum tres, ne occuparent diem linguis loquentes. Quòd si non fuerit interpres, intra se tacitè oret, loquaturque Deo, qui audit muta omnia.] Ita ferè Ambros. [Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri diiudicent, &c.] Nunc transit ad donum prophetiæ, tanquam præcipuum, & eundem nihilominus ferè ordinem instituit: ferè, dixi: parem enim designat numerum, sed alium, ampliorem-ve non amputat. Duo ergo vel tres prophetent alternatim, alij verò qui eodem dono sunt præditi, maximè verò ij qui gratiam discretionis spirituum sunt sortiti, de dictis, vera sint an vana, maturè examinent, rectè diiudicent. [Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat, &c.] Aliquis Apocalypsim habebat, & ita præuiâ inspiratione afflatus, piâ etiam meditatione saturatus, verbum bonum eructabat. Sed interdum contingebat, vt illo prophetante, subito instinctu corriperetur alius, & diuino impulsu exurgens, verbum Domini ex tunc factum loqueretur. Eo euentu, ex tunc etiam audiatur iste, & iustum priori illi loquenti imponatur silentium. [Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur, &c.] Si necesse est, vt plures quàm tres prophetent, potestis per vices prophetare, vt omnes, etiam prophetantes, discant, & omnes exhortationē accipiant; omnes hauriant intellectum, & affectum concipiant. [Seruandus ordo in vtēdo dicto dono, (ita exponit Aquin.) vt si alteri illorum qui sedebant, & tacebant, & diiudicabant, fuit aliquid melius reuelatum, quàm illi qui exhortabatur, & stat prior: tunc ille qui stat, debet sedere, & ille cui melius reuelatum est, debet surgere & exhortari. Et hoc est quid dicit, Quòd si alij, sedenti, reuelatum fuerit, scilicet per Spiritum sanctum: Prior stans, taceat, & cedat ei: Et ratio huius est, quia secundùm hunc modum, Potestis successiuè prophetare.] Potes, exhortari, interpretari actiuè, sed debes passiuè. [Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, &c.] Quare cæteri diiudicent? quia charismata ista spiritalia discretioni spirituum, seu examini aliorum prophetarum

Ambros. in Paulum.

Varia variis dona olim concessa.

Aquin. lect. 6.

A sunt obnoxia. [Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo, &c.] Quid ita? quia qui bono afflatus est spiritu, pro suis inordinatè non contendit, sed quæ accepit, aliis pacificè submittit. Ita in omnibus fidelium Ecclesiis ad curam meam pertinentibus, statuo seruari pacem, nec perturbari ordinem.

[Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit, &c.] Hucusque vtilitas, ac regularitas: nunc & honestas. Volunt & mulieres dicere, volunt & in publico conuentu
B prophetare: sed nolo ego: imò non ego, sed scriptura diuina, quæ vocem in publico adimit, dum etiam in priuato imponit subiectionem: ideò non datur eis dicere seu docere, sed silere imperatur. [Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiâ.] Tanta est prurigo mulieribus loquendi, maximè inter fratres, vt malint interrogare, quàm tacere; id est, inscitiam malint prodere suam, quà linguam continere. Sensit technam Apostolus, & ansam proripuit. Quid ergo, si dubium emergat, si ingruat
C dissidium, semper auscultabimus, nunquam interrogabimus? Quis vetat? Sed viros proprios non alienos etsi fortè doctiores, etsi fortè paratiores consulite, & domi consulitè: inhonestum enim, vt & inuerecundum est, mulierem, aut viritim loqui, aut vicatim euagari. [Si loquendi facultas mulieri adimatur, quo pacto poterit edoceri, quod nesciat? Dicit itaque, domi velim hæc instruatur à viris. Id enim & fœminis decori est, & viros reddit attentiores, vt qui ea quæ in Ecclesijs audiendo perceperint, debeant rogantibus fœminis renuntiare. Sed si hæc viro, vt subsit, iniungitur, longè magis & spiritalibus
D Ecclesiæ præceptoribus subiiciatur & pareat, necesse est.] Ita Athanas. [An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? &c.] Tertullianus auctores eos vocat, à quibus Dei verbum exiuit, & in alios processit. Si contendere vultis aut contradicere, auctoritatem ac originem prouocandum est, ad antecessores, prioresque remeandum. Certè enim nec ij estis, à quibus exierit doctrina Euangelica; imò nec soli estis, ad quos deuenerit. [Si quis videtur propheta esse, aut spiritalis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata, &c.] Si quis se prophetam existimat, si quem etiam inter
E veros prophetas, inter verè spiritales & perfectos Ecclesia vestra computat, ille sciat agnoscatque, ea quæ scribo vobis ac statuo, non tam à meipso, quàm à Christo Domino constituta, vt principijs nimirum ab ipso traditis, congrua. [Si quis autem ignorat, ignorabitur, &c.] Ex Græco. [Si quis ignorat, ignoret.] Permitto, non contendo. Sed ad nos: Si quis negligit aut renuit agnoscere illa esse Christi instituta; ignorabitur ab illo & reprobabitur. [Rectè, ait Comment. Ambros. quia qui nescit Domini esse quæ loquitur Apostolus, & ipse à Domino ignorabi-

Athanas. in Paul.

Doctrina Euangelica ad suum reuocanda est principium.

Comment. Ambros.

tur in die iudicij, dicente Domino, Amen dico vobis, quòd nescio vos.] Id est, improbo. [Itaque, fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant.] Conclusio est: Quoniam æmulatores estis spirituum: non dico, vt donum linguarum rejiciatis tanquam vanum & in totum inutile; sed vt prophetiæ donum tanquam præstantius & vtilius præferatis. Porrò non solùm vtiliter omnia fiant apud vos, sed decenter, ac regulariter. Vtilitatem in omnibus spectate, sed & honestatem etiam & ordinem in omnibus obseruate.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

TRia notauimus, regularitatem, vtilitatem, honestatem: vbi irregularitas est, nulla est vtilitas: vbi enim confusa & inordinata sunt omnia; & qui dicit, in ventum ea quæ dicit, effundit; & qui audit ventosa, audit in cassum. Ordo igitur primariò spectandus est venandusve, vt & formetur auditus, & fructus speretur. Et primò quidem in generali, dein & in speciali.

DISQVISITIO PRIMA.

De ordine in generali.

ECclesia sicut & scriptura, inter spiritum & litteram, inter ritum & gratiam constituta est, est enim tota fide & sacramentis composita. Cum enim medio sit inter synagogam Iudæorum & beatorum curiam; per fidem ad beatorum aspirat charitatem; per sacramenta verò, seu signa sacra, Iudæorum connotat seruitutem. Idcirco sicut in lege noua, sacramenta facta sunt pauciora, sic & alia signa, quæ vel sacramentalia nominantur, ob similitudinem virtutis, vel sacramenta comitantur, ob necessitatem ordinis, non debent in infinitum protendi, sed ad numerum breuissimum contrahi. [Quod enim instituitur præter consuetudinem, vt quasi obseruatio sacramenti sit, (verba sunt Augustini) approbare non possum, etiā si multa huiusmodi propter nonnullarum, vel sanctarū vel turbulentarum personarū scandala deuitanda, liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauiùs corripiatur qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiā sepelierit. Omnia itaque talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in cōciliis episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur: ita vt vix aut omninò vnquam inueniri possint causæ, quæ in eis instituendis homines secuti sunt: vbi facultas tribuitur,

Augustin. ep. 119. c. 19.

A sine vllā dubitatione resecanda existimo. Quāuis enim neque hoc inueniri possit quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque Zizania constituta, multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat.] Inter plurimos ritus militat & nullos, qui non ignorat,

Ecclesia tolerat multa quæ nō approbat.

B nullos habere, beatorum esse, qui iam liberi sunt, nec ritu viuunt, sed spiritu: plurimos habere, Iudæorum esse, qui serui conditione; qui carne gloriosi: nonnullos porrò habere ac legitimos, Christianorum, qui filij quidem sunt conditione, sed adhuc in carne constituti; qui non cute, sed corde Deo seruiunt; qui spiritum delibant, vt liberi, sed adhuc vt serui ritum obseruant; qui fidem præferunt vt principalem, sed obseruationem velut accedentem adjiciunt; qui interiorem excolunt hominem, exteriorem tamen non negligunt. Sunt igitur tria in istis obseruanda.

C Primum est, Ipsos etiam Apostolos, nonnullas ceremonias instituisse, & ipsa etiam sacramenta aliis signis communiisse: [Ideò enim (vti aduertit Augustinus) non præcepit Christus quo deinceps ordine sacramentum sumeretur corporis & sanguinis sui, vt Apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset. Cum verò ait Apostolus, de hoc sacramento loquens, Propter quod fratres, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis. Statim subtexit: Cetera autem, cum venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistolā totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diuersitate variatur.] Certè, vt & ille obseruauit. [Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, nos eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ quòd à ieiunis semper accipiatur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quàm ceteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur.] Benè, [Ad honorem tanti sacramenti.] Nam [Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à ceteris cibis veneratione singulariter debitā. Continuò quippe cum dixisset, Iudiciū sibi manducat & bibit, addidit vt diceret, Non diiudicans corpus Domini.] Nec illud tantùm sed &, vt ipsemet definit. [Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem tototerrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel ple-

Aug. ep. 118. cap. 6.

D (beside "tis. Statim subtexit")

Aug. ibidē.

Sacramentū altaris à ieiunis sumendum.

E (beside "ni prius Dominicum")

Aug. eadem ep. c. 3.

August. c. 1.

narlis conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.] Dixi, Nonnullas ceremonias, id est paucissimas. [Hoc enim primò tenendum est, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse & sarcinæ leui.] Noluit enim suos onerari, quos liberauerat; noluit Iudæos instaurari, quos commutauerat.

Alterum, Demptis pauculis ceremoniis, quæ ab ipsis Apostolis aut conciliis plenariis institutæ sunt, tantam ferè in ecclesijs rituum diuersitatem fuisse, quantam locorum aut temporum. Nonnullæ enim locales erant, quæ nonnullis duntaxat in locis seruabantur; aliæ temporales, quæ in vsu ferè vbique erant, tandemque tempori cesserunt, & alteri non tam locum quàm regnum reliquerunt consuetudini. Quoad locales. [Nolo interim, ait Tertullianus, hunc morem veritati deputare: consuetudo sit tantisper, vt consuetudini etiam consuetudinem opponam.] Distinguit inter veritatem ac morem seu consuetudinem, aitque veritatem audiendam necessariò, consuetudinem permissam arbitrio: illam, inuariabilem; istam iuxta temporum spatia, patrocinia personarum, priuilegia regionum variabilem. Quoad temporales: nefas olim, etiam ex Apostolico concilio, sanguine vesci, nec minus quàm thure abuti. [Erubescat, ait ille, error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculeatis habemus; qui propterea quoque suffocatis, & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admouetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis.] Sensim tamen ritus ille aliquantum Iudaïcus cessauit in Ecclesijs, & nouissimè per Aurelianense concilium, è Gallis in totum exulauit. Nudis olim manibus viri sumebant corpus Domini,, mulieres Dominicali linteolo: nunc nullus priuilegio relictus est locus. [Non est graue nec laboriosum, ait Augustinus, quod suggero: hoc dico, quod frequenter facere aspicio. Omnes viri quando communicare desiderant, lauant manus suas: & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant.] Nunc vsus quidem & lauandi, non tamen ritus contrectandi. Nec plura de istis: sicut enim varietas opinionum ignorantiam prodit; sic & mutabilitas obseruationum, suspectam facit constantiam.

Tertium denique, Etiam temporales & locales ritus cuique seruandos, sed in officium potius spectandos quàm in scrupulum. Dixi locales ac temporales. [Quid enim horum sit faciendum, ait Augustinus, si diuinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non est dubitandum quin ita facere debeamus vt legimus: vt iam non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.] Distinguit ergo & ille veritatem inter & consuetudinem, aitque: [Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alij ieiunant sabbatho, alij verò non: alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi sabbatho tantùm, & Dominico, alibi tantùm Dominico: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes: nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate, seruandum est.] Sicut enim consuetudinum diuersitas, abrumpere non debet communicationis vinculum; ita contrarietas altercantium, parere potest inobseruationis scandalum. Vnde & ille concludit. [Miror sanè quid ita volueris, vt de ijs quæ variè per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua conscriberem; cum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus; non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit.] Sicut enim corde fideles credunt ad iustitiam, sed fidem quam omnes tenent eandem diuersis linguis exprimunt; sic & eadem habent mysteria, sed aliis vestiunt ceremoniis. Verùm sicut fides eâ linguâ exprimitur quæ in illis vel istis regionibus vsitata est; sic & Religionis est iis ritibus in mysteriis celebrandis vti, quibus ista vel illa vtitur Ecclesia.

Tertull. l. de veland. virg cap. 2.

Ceremoniæ, aliæ locales aliæ temporales.

Tertull. in Apol. c. 9.

Augustin. serm. 252. de temp. vers. finem.

Augustin. epist. 118. cap 5.

Aug. ead. epist. cap. 2.

Aug. epist. 119 cap. 18

Quæ regula in varietate rituum obseruanda.

DISQVISITIO SECVNDA,

De ordine in speciali.

IAm ad ordinem & ritus qui obseruati olim in conuentibus seu, publicis Christianorum cœtibus, sanctisque congregationibus. Et circa id, tria etiam adnotanda sunt.

Primum est, Conuentus illos in quatuor partes passim distributos. Aut enim, vt loquitur Tertullianus, [Scripturæ loquuntur, aut psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur aut petitiones delegantur.] Ordine processit, & ex serie, Dominica exposuit solemnia. Sed antequàm exponamus & nos, adhibendus est Augustinus, vt in ore duorum testium sit omne verbum. [Quando, inquit, non est tempus, cum in Ecclesiâ fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur, aut disputatur, aut antistites clarâ voce deprecantur?] Primò igitur omnium, congregatis in Ecclesiâ Christianis, diuinæ legebantur scripturæ, tum & exponebantur ab Antistite. Id enim ex synagogâ transierat in Ecclesiam, vt quis sacram paginam perlegeret, dein præsul concionem de his

Tertul. lib. de Anim. c. 9.

Aug. epist. 119. cap. 18.

haberet, seu sermonem faceret. [Solis, qui dicitur, die, (ita Iustinus) omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit: & Commentaria Apostolorum, aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, præsidens sermonem, quo populum instruit, & ad imitationem tam pulcrarum rerũ cohortatur, habet.] Benè, [Quoad tempus fert.] Diutius enim protrahebatur lectio in publicis stationibus, quàm in festiuis solemnitatibus; imò difficiliùs contrahebatur, si tota nondum collecta in vnum ecclesia. Antistes iubebat lectorem aliquid seligere, aut secundùm tempus, aut secundùm munus, & inde sermonem imposito resumebat silentio. [Incipiam, ait Leo, dicamque quod lectum est: Ecce nunc acceptabile, ecce nunc dies salutis.] Et apud Augustinum. [Psalmus gratiæ Dei & iustificationis nostræ, nullis præcedentibus meritis nostris, sed præueniente nos misericordiâ Domini Dei nostri, commendatus maximè ore Apostolico, sicut præcedens hunc psalmum lectio nobis intimauit, à nostrâ tenuitate susceptus est, cum vestra charitate tractandus.] Hæc pars igitur continebat lectionem: & addebat expositionem. Quid enim lectio prodest, si deest expositio? [Iam psalmus incipit, ait ille, & incipit intellectus.] Sicut autem lectio fiebat ad arbitrium præsidis, sic & concio, vix tamen horam excedebat ista, vel petebat veniam. Inde toties in Augustino: [Hora iam transiit.] Spatium namque aliis reseruandum erat negotiis. Sequitur cantatio, quâ in commune occinerent, & ad cantoris signum, omnes psallerent. [Communis oratio, ait Augustinus, voce diaconi indicitur.] Tertiò, adlocutio, seu collatio, quâ casum aliquem, pausâ interpositâ proponerent conscientiæ, aut aliquem scripturæ locum euoluerent. Quartò denique, delegata petitio, seu solemnis ac publica antistitis deprecatio. [Sub hæc, ait Iustinus, consurgimus omnes, & precationes profundimus. Et præpositus itidem preces fundit.] εὐχὰς ἢ εὐχαριστίας ἀναπέμπει. Oblato scilicet altaris sacrificio: Hæc enim specialis delegatio est, seu præsulis functio.

Iustin Apolog. 2. vers. finem. — Tempora ecclesiastiçis deputata negotijs. — Leo ser. 4. de Quadrag. — Aug. præfat. in psal. 31. à limine. — Aug. Enar. in psal. 31. à princip. — Aug. epist. 119. c. 18. — Iustin Apol.

Secundum, Psalmos aliquando recitatos, aliquando decantatos: vel enim id lectoris erat, vel cantoris: & antistes resumebat etiam quod cantatum, & ad institutum inflectebat. Ita passim Augustinus: [Quod consonâ voce cantauimus, sereno etiam corde nosse ac videre debemus.] Et, [Hunc Psalmum sicut vobiscum cum exultatione cantauimus, ita nobiscum cum attentione consideretis peto.] Idest, mandetis cordi: [Quod non ibi vacet, sed germinet.] Simul canebant, simul intelligebant; sed si intelligentiam expectabant plures, omnes amabant psalmodiam. Sed duo erant Psalmorum genera; primum, ex eloquio diuino; alterum, ex proprio cuiusque genio. [Sine dubitatione, ait Augustinus, faciendum est, maximè illud quod etiam de scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta & exempla & præcepta. De hac re tamen tam vtili

August. in psalm. — Augustin. epist. 119. cap. 18.

A ad mouendum piè animum, & accendendum diuinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est, & pleraque in Africâ Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita vt Donatistæ nos reprehendant, quòd sobriè psallimus in Ecclesiâ diuina cantica prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad cãticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment.] Et illi quidem ex imitatione mimicâ, alij verò ex piâ meditatione. Ita Tertullianus: [Postquam manualem & lumina, vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio

B potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit.] Illi ebrietatem propalabant, isti probabant sobrietatem. Omnes tamen cantabant. [Alijs enim particulis temporum, vti dixit Augustinus, quid melius à congregatis Christianis fiat, quid vtilius, quid sanctius, omninò non video.] Hæc pars si non præcipua, certè nominatissima, vt quæ exteris etiam cognita, nec à nostris tantùm, sed & adulteris etiam nostris vsurpata. [Nobis quoque, ait Tertullianus, ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatæ & hæretici, & Platonici Valentini: sed sanctissimi & receptissimi Prophetæ Dauid.] Priusque tangit, [Psalmos Valentini, quæ cum magnâ impudentiâ, quasi idonei alicuius au-

C ctoris interserit.]

Psalmi aut ex eloquio diuino, aut ex proprio ingenio. — Tertul. c. 39. Apolog. — Aug. epist. 119. c. 16. — Tertul. l. de carne Christi. cap. 20. — Tertul. c. 17.

Tertium, Singula Pauli verba, ad aliquam ex his quatuor partibus reducenda. Iam à limine Psalmorum meminit, non qui ex eloquio diuino, sed quid ex proprio modulo. [Cum conuenitis: vnusquisque vestrûm Psalmum habet.] Quem scilicet commentus fuerit, quem proprio composuerit ingenio. Ita Tertullianus: [Nemo inter effeminati histrionis modos, Psalmum secum comminiscetur.] Primò Psalmorum meminit Apostolus, non quòd pars prima, sed quòd celeberrima & frequentissima: non enim in conuentibus solùm, sed & in domibus, psalmos canebant, & ex

D modulo dicebant alterutro. [Sonant inter duos Psalmi & hymni, ait ille, & mutuo prouocant quis melius Deo suo cantet.] Si quis ergo ex vobis canticum habet spiritale, si quis donum habet speciale, hymnos psalmosque construendi, promendique in medium. [Doctrinam habet, Apocalypsin habet.] Qui docet, in doctrinâ. At illa duplex est, vna popularis & vulgata, & pertinet ad scientiam: alia singularis & arcana, & pertinet ad sapientiam: quia verò prophetiam redolet reuelationis, nedum inspirationis, nomen & laudem retinet. [Etenim, vti dixit Chrysostomus, Psalmos olim faciebant ex charismate seu dono

E & docebant ex dono. Sed tamen hæc omnia, inquit, ad vnum respiciant, nempe ad propinquorum correctionem, nihil fiat temerè & inconsideratè.] Nihil ferè fiebat in conuentibus, nisi ex inspiratione: ne tamen crederent omni spiritui, aut nulli cederent inspirationi: optat quidem dona in medium proferri, sed in profectum temperat, vetatque ea vanè produci & infructuosè. [Vnusquisque vestrûm Psalmum habet, doctrinam habet, reuelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Vidisti, ait ille, Christianis-

Tertul. l. de Spect. cap. 25. — Tertul. l. 2. ad Vxo. c. vlt. — Chrysost. orat. 36. — Chrysost. ibidem.

mi fundamentum & regulam. Quomodo enim est artificis officium ædificare, ita etiam Christiani proximis prodesse per omnia.] Ad vates ergo, seu diuinorum secretorum interpretes; vt si quid eis reuelatum fuerit, aperiant ad ædificationem; si aliis sedentibus quiescentibusque, ad dicendum docendum-ve imparatis, gratiâ reuelatum fuerit extemporaneâ, priores sedeant taceantque ad summissionem. Ita interlegendum, erumpebat nonnunquam spiritus eructabatque. Sicque triplex erat doctrina: prima & ordinaria, quæ præsulis: alia, extraordinaria, sed meditata; tertia, repentina & subitanea, quæ viri spiritalis, vt vatis extemporanei. Quando autem addit: [Mulieres in Ecclesiis taceant.] Non solũ has excludit à docendi officio, sed & à discendi, seu proponendi ac conferendi priuilegio. [Quàm enim fidei proximum videretur, ait Tertullianus, vt is docendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit? Taceant, inquit, & domi maritos suos consulant.] Si enim virorum cohibuit impetum, quomodo garrulum non continebit mulierum ingenium? [Et si ijs qui habent charismata, ait Chrysostomus, non permittitur temerè loqui, neque quando velint, idque cum moueantur à spiritu, multò magis illis inconsideratè & vanè nugantibus?] Vult omnia honestè & secundùm ordinem fieri: sed id inordinatum, & indecorum; in quo nec vtilitas sit, nec regularitas. Taceant igitur, nec pro conditione, aut præ pudore, proponere aut interrogare audeant: non eas damnat ad inscitiam, cum permittat audire doctos, aut viros consulere, sed imperat modestiam. Porrò, de sacrificio nihil dixit apertè, tum quia iam ritum istum explicuit tanquam præcipuum; cum quia sub accessoriis istis principale comprehendit, & quasi sub nube inuoluit.

Triplex doctrina vario modo dispensata.

Tertul. l. de bapt. cap. 17.

Chrysost. orat. 37.

TROPOLOGIA.

Cum conuenitis, omnia ad ædificationem fiant.

Conueniunt Christiani, sed donis illis destituti sunt: quia in Ecclesiis, ædificationis minimum, plurimum dissolutionis. Quomodo conueniebant illi? Cum diligentiâ, cum reuerentiâ, cum perseuerantiâ. Quomodo nos? Viis, modisque oppositis. Quomodo igitur eandem inuenient gratiam, qui viam tenent oppositam?

Quoad diligentiam. Vin' scire quale fuerit crimen patrum nostrorum, etiam inimicorum iudicio, ipsomet inquisitorum persecutorumque testimonia? [Plinius secundus, (referente Tertulliano) cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis; ipsâ tandem multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo vt Deo, & ad confœderandam disciplinam.] Non reprobo: [Et ad confœderandã disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera scelera prohibentes.] Fortean Tertullianus fauet causæ suæ, idcircò vitia subticet ac crimina. Audiatur ergo Plinius ipse, credaturque. [Perseuerantes, inquit, duci iussi: neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, peruicaciam certè & inflexibilem obstinationem debere puniri. At illi soliti stato die antè lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, cursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.] Ita illi fœderati, ita sacramento ad bonum adacti. Sed cur transit ad promiscuum cibum & innocuum? Audi rursus Tertullianum. [Ita saturantur, inquit, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.] Et ad Vxorem: [Latebisne tu, cum per noctem exurgis oratum?] Nec credas id rarò, imò scias id perpetuò factitatum. [Sacrificia, ait ille, sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento.] Antè lucem, seu per noctem exurgebant, conueniebant, coibantque in cœtum, alios præuenientes, & quotidianâ suâ pigros acuentes diligentiâ. Sunt enim matutinæ illæ preces, de quibus Augustinus. [Rogo vos, inquit, fratres charissimi, ad vigilias maturiùs surgite, ad tertiam, ad sextam, ad nonam antè omnia conuenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica vtilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum. Nec solùm vobis sufficiat, quòd in Ecclesiâ diuinas lectiones auditis: sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite.] Miraris hæc? Iterum ergo mirare. [Lectiones diuinas, ait ille, & in Ecclesiâ, sicut consuestis, audite, & in domibus vestris relegite. Si aliquis ita fuerit occupatus, vt antè refectionem scripturæ diuinæ non possit insistere, non eum pigeat in conuiuiolo suo aliquid de diuinis scripturis relegere: vt quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo; vt totus homo, id est, & exterior & interior, de sancto & salubri conuiuio satiatus exurgat.] Satin' mirari? Et hoc mirareris, solos monachos inter omnes Christianos, dici nunc religiosos, quasi verò sint aliqui veri Christiani, qui non sint verè religiosi. Quidni potius, quòd auitam religionem apud se receperint, quod veram restituerint Christianitatem. Vbi nunc conuentus, vbi animorum concentus & vocum? Vbi cœtus antelucani, vbi diligentia quotidiana, vbi solita Christianæ disciplinæ negotia? Vix in Ecclesiâ Dei conuenire, vix horis iam pomeridianis missam non tam excerpere, quàm decerpere, diem magis conterere, lectionem fabulis impendere, nihil non alienum à sanctis, nihil Christianis dignum agere?

Quoad reuerentiam. Qui oppidò diligentes erant, non minus erant reuerentes. [Vbi metus in Deum, ait Tertullianus, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & apparitio deuota, & processio modesta.] Quid est attonita diligentia? illa, quã de cœlo quis tactus sit, nedum Deo plenus; qui numen

Tertullian. cap. 2. Apol.

Plin. ep. ad Traian.

Quales olim fuerint matutinæ preces.

Tertul. cap. 39. Apol.

Tertull. lib. 2. ad Vxor. cap. 5.

Tertul. cap vlt.

Aug. serm. 55. de temp. post. init.

Augustin. serm. 56. de temp. vers. fin.

Tertull. lib. de præscrip. cap. 41.

stupeat quasi præsens, qui inuisibilem quasi videns sustineat. [Ille enim, vti Augustinus dixit, bonus Christianus est, qui quando ad Ecclesiam venit, & oblationem quæ in altari mittatur exhibet; & pauperibus secundùm quòd vires habet, argentum porrigit, aut buccellam. Ille bonus Christianus est, qui quoties sanctæ solennitates veniunt, vt securiùs communicet, antè plures dies castitatem cum propriâ vxore custodit, vt sincerâ & securâ conscientiâ ad altare Domini casto corpore & mundo corde præsumat accedere. Ecce audistis, quales sint Christiani boni. Et ideo quantū possumus, cū Dei adiutorio laboremus, vt nomen Christianū non sit falsum in nobis, nec in nobis Christi sacramenta patiantur iniuriam, sed semper opera Christiana & cogitemus in corde, & impleamus in opere. Nam ille Christianus qualis est qui vix aliquando ad Ecclesiam venit: & quando venerit, non stat vt oret pro peccatis suis, sed vt causas dicat, aut lites & rixas concitet.] Quid ergo? [Omni, inquit, die Dominicâ ad Ecclesiam conuenite. Si enim infelices Iudæi tantâ deuotione celebrant sabbatum, vt in eo nulla opera terrena exerceant: quanto magis Christiani soli Deo vacare, & pro animæ suæ salute debent ad Ecclesiam conuenire? Quando ad Ecclesiam conuenitis, pro peccatis vestris orate. Nolite rixas committere, nolite lites & scandala concitare. Qui ad Ecclesiam veniens hæc fecerit, ibi se litigando vulnerat, vbi se orando sanare poterat. In Ecclesiâ stantes nolite verbosari, sed lectiores diuinas patienter audite. Qui enim in Ecclesiâ verbosari voluerit, & pro se & pro aliis redditurus est rationem, dum verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit.] Qui accedit ad domum Dei, cogitare debet, domum orationis esse ac sacrificij; ideoque aut stare debet vt Deum laudet, aut procumbere, vt veniam postulet ac misericordiam. [Siquidem, ait Tertullianus, irreuerens est assidere sub conspectu, contraque conspectum eius, quem quammaximè reuerearis ac venereris: quanto magis sub conspectu Dei viui, angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est. Eo apponitur, & irreuerentiæ crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent intelligendum.] Et quoad Augustinum, distinxit quidem dies obligationis ac deuotionis, aut potius dies solennitatis ac libertatis, non tamen in solo præcepto modum posuit aut terminum. Pietati relinquitur, quod non imponitur necessitati: ex quo concluditur modicam aut nullam deuotionem esse, vbi ad solam obligationem respicitur: præiudicium esse pietatis, vbi vnicum prætenditur necessitatis vinculum. Sed si diligentiam commendat, multo magis desiderat reuerentiam. Quid enim? properare ad delictum potius quàm ad officium? maturare non tam gradum quàm exitium; festinare ad Ecclesiam, & irreuerentiam perpetrare? Sermones serere inutiles, forsan & turpes, aliis spectaculo esse, fortean & scādalo: misericordiam Dei quærere, & Ecclesiam Dei contemnere? oculis venari lasciuis, & in conuentu sanctorum indigniùs irreuerentiusque, quàm in mercatorum cœtu conuersari?

August. ser. 116 de tēp. circa med.

August. ser. 251 de tēp. in med.

Tertull. lib. de orat. c. 12.

Non minor reuerentia in sacris requiritur tā quàm diligentia.

Quoad perseuerantiam. Præueniebant lucem primi illi Christiani, & inde vsque ad auctoritatem stellæ demorantis protrahebant orationem. Quid enim statio, nisi constans perseuransque oratio, quâ nimirum starent vsque ad vesperam, disciplinam orandi protraherent, nec antè sepulturam Domini, clausulam imponerent. [Venit enim statio de exitu Domini, ait Tertullianus, quem etsi semper commemorari oportet sine differentiâ horarum, impressiùs tamen tum ei secundùm ipsum stationis vocabulum addicimur. Nam & milites nunquam immemores sacramenti, magis stationibus parent. Itaque in eam vsque horam celebranda pressura est, in quâ à sextâ contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium, vt tunc & nos reuertamur ad iucunditatem, cum & mundus recepit claritatem. Hoc si magis ad religionem sapit Christianam, dum magis gloriā Christi celebrat, possū æquè ferę stationis ex eodem rei ordine statum figere, expectantes tempus Dominicæ sepulturæ, cum Ioseph postulatū detulit corpus, & condidit. Inde & irreligiosum est antè famulorum carnem refrigerari, quàm Domini.] Tum patrocinio ex scripturâ sacrâ desumpto. [In Exodo, inquit, habitus ille Moysis aduersùs Amalech orationibus præliantis vsque ad occasum perseuerans, nonne statio fuit sera? Iesum Naue debellantem Amorrhæos, instantem tandiu in officio, stationem fecisse videmus etiam serâ longiorem. Certè Saül & ipse in prælio constitutus, manifestè munus istud indixit. Sed & Daniel, anno primo regis Darij, cum ieiunus in sacco & cinere exomologesin Deo ageret; Et adhuc, inquit, loquente me in oratione, ecce vir quem videram in somnis: initio, velociter volans adpropinquauit mihi quasi horâ vespertini sacrificij. Hæc erit statio sera, quæ ad vesperam ieiunans, pinguiorem orationem Deo immolat.] Ita Nostri spatium excurrendis solitæ pietatis functionibus destinabant latissimum, perstabātque in orationibus defixi vltra diem integram. Quid nos, qui de orationis longitudine queruli, qui etiam in die solemnitatis, accedendo vltimi, primi recedendo? [Nisi, vti dixit Tertullianus, exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigauerit.] Certè si non exprobramus Deo quòd nos fatiget oratio, omninò tamen comprobamus quòd nos non delectet. [Nonne, ait Augustinus, aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & planè nulla; imò omninò interdum ita nulla, vt neque hoc in nobis cum dolore aduertamus; quia si vel hoc dolemus, iam oramus.] Vbi nunc illi qui pernoctent in oratione Dei, qui super omnem laudem adijciant, qui soli redeunti obiiciant celeritatem, qui opus Dei cum delectatione pertractent? Quia non delectat nos, cito fatigat oratio. Sed cur non delectat, nisi quia tardi ad conueniendum, inuerecundi ad petendum; nisi quia pigri, aut tumidi; negligentes, aut præsumentes; aut quia nostram non sentimus indigentiam, aut quia de meritis nostris præsumimus. Ideo delectationem auertit Deus, quia segnitiem reperit, aut præsumptionem. [Cum enim nos ea delectant, ait ille, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ

Tertull. lib. de ieiun. cap. 10.

Statio solēnis fidelisque oratio.

Tertul. ibid.

Tertull. lib. de orat. c. 12.

August. l. 1. ad Simpl. quæst. 2.

Augustin. sub finem.

Dei, non nutu nostro & industriâ aut operum meritis comparatur: quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studii, vt sint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur: propterea petere iubemur vt accipiamus, & quærere vt inueniamus, & pulsare vt aperiatur nobis,] Petamus, quæramus, pulsemus, & tam humiliter perstemus quàm & constanter: sic & auxilium diuinæ obtinebimus bonitatis, & debitæ pietatis implebimus officium.

ANAGOGIA.

Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.

CVm dicit spiritus prophetarum subiectos, spiritum tangit propheticum, non Spiritum sanctum, qui vnus est, & nulli subiectus. Quid ergo spiritus prophetarum? Instinctus ipse seu impetus, quo animatur quis inspiraturque seu ad loquendum, seu ad agendum. Quomodo subiectus? Triplici modo. Quoad fructum, vsum, & iudicium.

Primus ergo quoad fructum. Ille namque in omnibus prætendi debet, & secundum ipsum spiritus propheticus dirigi. Ita Paulus apud Chrysostomum. [Si non accedis fratrem ædificaturus, cur accedis? Non magna à me habetur ratio charismatum differentiæ. Vnum est mihi curæ, & vnum est in quod meum pono studium, nempe vt omnia ad ædificationem fiant. Ita etiam qui paruum habet donum, eum qui magnum habet superabit ac præteruehetur, si hoc adsit. Propterea enim sunt dona, vt vnusquisque ædificetur. Si hoc enim non factum fuerit, erit donum ei qui accepit ad condemnationem. Quid enim, dic mihi, prodest prophetare? quid verò mortuos excitare, cum nullus sit qui lucretur. Non igitur ideò, inquit, conuenitis, vt vos dona habere ostendatis: sed vt eos qui audiunt, ædificetis. Quod etiam dixit in initio, omnia ad ædificationem fiant.] Donum habes prophetandi, donum habes interpretandi: in his fructus spectandus est profectusque: non enim ad ostentationem collata ista charismata, sed ad ædificationem. [Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.] Accepisti spiritum propheticum? at ille, etsi minimè seruituti, directioni tamen obnoxius est; vt vbique vtilitatem spectet, & vberiorem expectet dignationem. Vnde, [Si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.] Cedat digniori. [Quid est quod dictum est? ait ille, Si te, inquit, prophetante & loquente, vlterius spiritus eum excitauerit, tace de cetero. Quod enim dixit de linguis hoc hîc quoque exigit vt fiat vicissim, sed hîc diuinius. Non dixit enim Sigillatim, sed, Si alij sit reuelatum. Quid enim adhuc opus esset, cum hic moueatur ad prophetiam illum dicere? An oporteret vtrosque? Sed res esset absurda & confusa. At priorem? Et hoc quoque absurdum. Propterea enim illo dicente, hunc mouebat spiritus, vt hic quoque diceret aliquid. Si autem eum qui linguis loquitur, omninò prohibet dicere, quando non habeat interpretem propter inutilitatem; meritò etiam prophetiam, si non habeat vtilitatem, iubet cohibere. Spiritus enim prophetarum prophetis subiectus est.] Non homini, qui vniuersam continet vanitatem subditus est, sed prophetanti qui solam vtilitatem prospectet. Sic sunt oracula, quomodo & miracula. Accepisti donum curationum, sed per sanitatem corporum, salutem procurare debes animarum. Accepisti donum Interpretationum? [Propheta enim, ait Chrysostomus, interpres est Dei.] Spiritus ille sedulæ cautioni, sicut & reddendæ rationi obnoxius est. Vide & attende an inde fructifices, an & ædifices. Solam debes gloriam Dei spectare non tuam: ideoque si alteri reuelatum fuerit, etiam minori, quiesce & sede, licet tu prior, licet superior: quia maiorem & præsentiorem vtilitatem indicat ille, qui subitaneum suscitat spiritum. [Nec arbitror, ait Augustinus, beatum Cyprianum propter aliud contra consuetudinem quid sentiret liberiùs exprompsisse, prioremque dixisse, nisi vt alium si fortè existeret, cui esset meliùs reuelatum, gratissimè acciperet, & ostenderet imitandam, non solùm docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam.] Si charisma recepisti, vanum esse non debet & infructuosum: datum est ad fructum, non ad apparatum: sed si maiorem perspexisti aliunde nasci vtilitatem, cedat diligentia docendi, succedatque discendi modestia. [Potestis enim omnes per singulos prophetare, vt omnes discant & omnes exhortentur.] Vicissim nimirum nunc discant, nunc doceant.

Secundus quoad vsum. Aliud quippe pietatis fructus, aliud vsus libertatis. [Si ergo aliquis dicat, (verba sunt Aquinatis) ô Apostole, ego non possum tacere dum alius prophetat, vel cedere sedenti ex quo incepi, quia non possum retinere spiritum, qui in me loquitur, secundùm illud Iob 4. Conceptum sermonem tenere quis potest? Ideò Apostolus hoc remouet, cum dicit: Et spiritus prophetarum, prophetis subiecti sunt.] Aliud reuelatio, aliud enuntiatio. Nam quoad reuelationem, spiritus prophetarum non est prophetis subditus, vt prophetent ad arbitrium, vt spiritum aduocent, aut eliminent ad libitum. Donum istud, vt ille obseruat: [Non est habitus sicut scientia; cum non semper spiritus prophetiæ adsit prophetis. Sic enim sequeretur, quòd etiam quantum ad cognitionem eis subiectus esset spiritus, & possent eo vti quando vellent, & non vti: sed est quædam vis aut impressio à Deo, illuminans & tangens corda prophetarum; & tunc solùm quando sic tanguntur, cognoscunt. Vndenam est sic eis subiectus, nec secundùm hoc intelligitur verbum Apostoli, sed spiritus prophetarum sunt subiecti prophetis quantum ad pronuntiationem: quia scilicet in eorum potestate est pronuntiare ea, quæ reuelantur eis, quando volunt, & non pronuntiare. Et sic nihil valet excusatio, quia nō cogit te spiritus, quin tacere possis.] Et quidē quoad reuelationem seu inspirationem. [Si prophetiæ spiritus, (vti Gregorius notat) prophetis semper adesset, nimirum Helisæus propheta non diceret: Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit

Chrysost. orat. 35.

Chrysost. ibidem.

Per sanitatem corporum, salus procuratur animarum.

Aug. l. 2. de bapt. cont. Don. c. 2.

Aquin. lect. 6.

August. ib.

Gregor. lib. 2. Moral. cap 17.

celauit à me verbum. Si prophetiæ spiritus prophetis semper adesset, inquisitus Amos propheta non diceret. Non sum propheta, vbi & subdidit: Neque filius prophetæ, sed armentarius puer ego sum, vellicans sycomoros. Quomodo autem propheta non fuit, qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo propheta fuit, si de se in præsenti vera denegauit? Sed quia eadem horâ quâ requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit, de semetipso testimonium veraciter intulit, dicens, Non sum propheta. Qui tamen secutus adiunxit: Et nunc audi verbum Domini. Quibus prophetæ verbis apertè ostenditur: quia dum de se illa loqueretur, impletus est: & mox habere prophetãtem spiritum meruit, quia se prophetam non esse humiliter agnouit.] Transitorius ille spiritus est, non mansorius; & qui haberet spiritum non solùm descendentem, sed & permanentem, donum excederet. Diuinare, Deum agere est: ideò non eodem semper modo Deus spiritum propheticum esse voluit in aliquo, ne de se præsumeret, sed beneplacitum dantis agnosceret. Prolationem nihilominus dantis in prophetico constituit arbitrio, ne & suo prophetia destituta esset merito. Mouet quidem spiritus Dei ad loquendum, imò & vrget homines Dei. Ita [Paulus cum Athenis expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso.] Sed si impellit, non tamen & cogit. Vnde ille indignationis potius œstro percitus, quàm dono afflatus vaticinationis. [Plenus sum sermonibus & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus tanquam mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit.] Nimirum vti dixit Gregorius: [Plerumque mentem ad loquendi impetum, vanæ gloriæ anxietas nequaquam se intra silentium capiens quasi zelus charitatis inflammat, atque appetitæ ostensionis vis ad effrenationem locutionis impellit, & quasi sub studio consulendi libido erumpit apparendi.] Inde illos pungit potius quàm instruit. [Et Eliphas, ait ille, ex quo sit ordine ostenditur, qui conceptum sermonem retinere se non posse testatur. Hac in re enim & illud innotuit, quòd se loquendo offensurum nouit.] Diabolus quidem ita suos adigit ariolos, vt quid dicant, nesciant. Deus autem sic spiritum infundit, vt vsum relinquat liberum, nec cogat in eloquium.

Nullus præter Christũ propheta est ad arbitriũ.

Act. c. 17.

Gregorius in c. 32. Iob lib 23. c. 5.

Gregor. lib. 5. Moral. cap. 11.

Tertium quoad iudicium. Eminens quidem spiritus prophetiæ, non tamen ita excellens ac status gloriæ, in quo & angeli angelis, archãgeli subiecti sunt archangelis. [Ecclesia, ait Chrysostomus, locus est angelorum, locus archangelorum, regnum Dei, ipsum cœlum.] Maximè verò primaria illa Ecclesia. [Conueniebant enim olim omnes, ait ille, & psallebant communiter. Tunc etiam domus erant ecclesiæ: nunc autem etiam ecclesia est domus, vel potius quauisdomo deterior. Nam in domo quidem benè constitutum videmus ordinem, hîc autem multus est tumultus. Sed quomodo si quis diductum cœlum illuc introduxisset, etiam si patrem videres, etiamsi fratrem, ne auderes quidem alloqui: ita hic ne aliud quidé loqui oporteret præter spiritualia: nam hîc quoque in cœlum.] Vult Christianos in officio stare, sicut angelos in cœlo, nedum in ministerio; eundemque seruare ordinem, seu eandem subordinationem. [Etenim, inquit, Ecclesia tunc est cœlum, Spiritu sancto omnia regente, & vnumquemque ex ijs qui præsunt mouente, & Deo afflante.] Omnes angeli Deo pleni, & à Deo moti: nullus tamen qui alteri nõ sit subditus, qui superiori non sit obnoxius. Sicut autem angeli aliorum angelorum imperio subiecti sunt, sic & prophetæ aliorum prophetarum iudicio sunt subditi. [Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent.] Græcè ἄλλοι, [Alij.] Qui nimirum eodem dono sunt præditi. [Et spiritus prophetarum.] Id est, nam spiritus prophetarum alijs prophetis subiecti sunt, aliorum vatum & iudicio discutiendi & arbitrio dirigendi. [Non enim est dissensionis Deus.] Græcè ἀκαταστασίας, confusionis, inordinationis. [Si quis videtur propheta esse aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis. His verbis, ait Augustinus, coercens, & ad pacificum ordinem reuocans inquietos, tanto ad seditionem faciliores, quanto sibi videbantur spiritu excellere: cum superbiendo cuncta turbarent.] Sicut ergo angelus ab angelo, sic & vir spiritalis à spiritali viro iudicandus est, vates à vate, Apostolus ab Apostolo. Ita Petrus; vt Cyprianus monuit: [Non despexit Paulum, sed facile consensit; documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus: sed quæ aliquando à fratribus, & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsos potius amplectamur. Paulus quoque prospiciens concordiæ, & paci fideliter consulens, in epistolâ suâ posuit, dicens: Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & ceteri examinent. Si autem alij reuelatum fuerit sedenti, ille prior taceat. Quâ parte docuit & ostendit, multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemque non pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi; sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maximè in his quæ ad Ecclesiæ vnitatem pertinent, & spei ac fidei nostræ vnitatem.] Cypriani meminit Augustinus, additque. [His vtique verbis non solùm eos admonuit sibi consentire, qui melius aliquid non videbant; sed etiam hortatus est, si qui possent afferre aliquid, quo prior consuetudo seruanda potius firmaretur: vt si tale esset quod refelli non posset, etiam ipse ostenderet quàm veraciter dixerit, debere vnumquemque non pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi; sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti.] Aduertant ergo viri spiritales, & primò quidem, si quod acceperunt charisma, ad vtilitatem conferant aliorum: secundò, non se credant inuitos abstrahi, seu trahi tanquã furiosos: tertiò, sese aliorum etiam spiritalium iudicio libenter subijciant; & si à Deo alijs fuerit reuelatum, humiliter conticescant.

Chrysost. orat. 33.

Chrysost. ibidem.

Chrysost. ead. orat.

Augu. epist. 101. post initium.

Cyprian. ad Quirin.

Melius est humiliter cedere quàm arroganter contendere.

Augst. l. 2. de bapt. cont. Don. c. 8.

PVNCTVM PRIMVM.

De certitudine.

VIam sibi sternit per Euangelij notitiam: dein per resurrectionem Christi, nostram quæ à Corinthijs concussa, nedum discussa, constituit.

[Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, &c.] Doctrinam Euangelicam in memoriam Corinthijs reuocat, vt sciant non esse nouam; allegatque fuisse ab eis receptam; in eâ ipsos permansisse, ex eâ fidem concepisse, salutemque præcepisse, vt aduertãt perperàm concuti, nec minus contra spem contendi salutis, quàm contrà veritatis certitudinem. [Quâ ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustrà credidistis, &c.] Græcè τίνι λόγῳ. Inde Textus Ambrosianus: [Euangelium, per quod & salui efficiemini, quod & sermone annuntiaui vobis, debetis tenere: nisi fortè sine causâ credidistis.] Recurrendum est ad principium: [Notum vobis facio.] Græcè γνωρίζω. Notitiã imprimo, in memoriam reuoco, quâ ratione, & quo sermone, vobis euangelizauerim, quomodo doctrinã explanauerim Euãgelicã, quibus argumẽtis, quibus testimonijs cõfirmauerim: si fortè retinetis quæ dixi, quæ probaui; nam si nõ retinetis, frustrà auidistis, frustrà credidistis. [Ostẽdit illis quia si in hac causâ quæ subiecta est, à traditione eius seducti sũt, perdiderũt quod crediderunt. Omnis .n. spes credentiũ in hoc sensu est, quia mortui resurgent.] Ita Commentarius titularis Ambrosij. [Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas, &c.] Si autem obliti estis, nunc quæ dixi & adstruxi repeto & inculco. Inter prima igitur ac præcipua Euangelicæ doctrinæ capita, prædicaui vobis quod à Deo & Christo accepi: nimirum, Christum ipsum & Deum, pro purgandis expiandisque mortalium omnium peccatis esse mortuum. Durum quidem dictum, sed creditu necessarium. Id enim clamant scripturæ propheticæ, id figuræ & vmbræ antiquæ prædicant. [Hoc & Esaïas (ait Tertull.) prior pronuntiauit, Et Dominus tradidit eũ pro delictis nostris.] Itaque simul & duritiam emollit verbi, dũ dicit, [Pro peccatis nostris:] non enim pro suis, sed pro alienis: & constantiam munit fidei, dum addit, [Secundùm scripturas.] Ita ille: [Sufficiat, inquit, Christum filium Dei mortuum dici: & hoc, quia ita scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronuntians Christum mortuum, adiecit, Secundùm scripturas; vt duritiam pronuntiationis scripturarum auctoritate molliret, & scandalum auditori euerteret.]

Comment. Ambros.

Quænam primaria doctrinæ Euangelicæ capita.

Tertul lib. adu. Prax. c. 30.

Tertul. eod lib. cap 29.

[Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertiâ die secundùm scripturas.] Dixi mortuum, addo & sepultum; tam certò mortuus est Christus: nullus quippe à mortuis resurgit, nisi qui verè est mortuus: sed sicut verè mortuus est, imò & sepultus; ita verè resurrexit, & die tertiâ suscitatus est. Et hoc creditu difficillimum, sed apprimè necessarium; & ad quod

A præcipuè contendit Apostolus, ideoque addit, Secundùm scripturas. [Et quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim, &c.] Superædificata est fides nostra, suprà fundamentum non prophetarum duntaxat, sed & Apostolorum. Ideo præmissis prophetis, nũc Apostolos ipsos subiungit, & incipit à principe, tanquã teste auctoritatis irrefragabilis. [Ponit in primis, quod ceteris est dignius fide. (verba Athanas.) Tametsi enim Euangelium asserat Christum primò Mariæ apparuisse, sed ex viris priùs Petro est visus, vt qui ceteros discipulos anteiret. Oportuit enim vt qui fuerat prior Christum confessus, prior spectaret & resurgentem. Et

Athanas. in Paulum.

B quia eum negasset, neganti priùs apparuit, vt ostenderet eum haudquaquam ab se fuisse reiectum.] Minùs legitima maximè apud incredulos mulierum testimonia. Primò igitur inter viros, apparuit Petro, dein & reliquis Apostolis. [Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul; ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt, &c.] Sicut inter vndecim vel duodecim numerandus est Petrus, ita inter quingentos fratres seu fideles, numerandi sunt discipuli. [Ite, ait Christus Math. 28. nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam: ibi me videbunt] Et, [Vn-

Minus legitima mulierum inter homines testimonia.

C decim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus.] Primus ergo Petrus, & solus: dein & cum aliis Apostolis, tum & cum fidelibus innumerabilibus: quorum nonnulli quidem mortui sunt, & dormiunt suscitandi: multò autem plures adhuc viuunt, quorum testimonium etsi verius non est, certè est vocalius. [Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium tamquam abortiuo, visus est & mihi, &c.] Sicut præmisit Petrum solum, sic addit & Iacobum non solùm ob dignitatem Apostolicam, sed & ob præcipuam auctoritatem: dictus est enim iustus, & primus Hiero-

D solymorùm creatus est episcopus. Sed qui vnum & alterum disiunxit, nunc omnes in vltimâ apparitione, nempe, in ascensione Domini colligit, omnibusque præponit fidelibus. [Eduxit eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis, benedixit eis.] Luc. vlt. Nouissimè autem omnium non Apostolorum tantùm sed fidelium, Christus Paulo visus est, tanquam abortiuo. [Hîc enim, vti dixit Chrysostomus, modestè loquitur.]

Chrysost. orat. 38.

[Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, &c.] Nouissimè

E visus est Christus Paulo tanquam nouissimo, & post ascensionem vocato ab ipsomet Christo, quem realiter conspexit, quem vidit corporaliter. Vocatus est non solum ad fidem Christianam, sed & ad Apostolicam dignitatem. Tum reflectit Paulus: Egon' Apostolus! Imò abortiuus. Græcè ἔκτρωμα. Quod imperfectum, quod defectuosum. Egon' tantâ dignus visione, tãtâ apparitione dignandus! Minimus sum sanctorum omnium & indignissimus: nam si merita recenseantur mea, seu vitæ in Iudaïsmo ipso actæ discutiantur facinora, quomodo tali nomine dignandus sim ac munere, cum fideles Christi sine more persecu-

Paulus indoneus ex opere, idoneus ex munere.

ius fuerim, fame ac cæde vexauerim? [Gratiâ autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me, vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum: Siue enim ego, siue illi; sic prædicamus, & sic credidistis, &c.] Nouit humiliari, nouit & releuari; ita tamen vt humilitas, humanæ infirmitatis sit; sublimitas diuinæ sit potestatis. Non equidem dignus sum, ἱκανὸς, idoneus, sed quicquid sum, id meo merito non sum, sed diuino beneficio: tantum autem beneficium in me non fuit otiosum, sed nullus ex Apostolis tanta Euagelij causâ executus est, nullus ex illis tanta passus est. Vocauit me Deus ad Apostolatum: vbi grande munus, tale & opus, ideo non sum ego passus officium manere irritum & inutile. Quid ego? Imò & ipsa vbique iuuit gratia, locumque tenuit primarium. Itaque, Græcè οὖν, siue ego, siue alij Apostoli, eâdem resurrectionis doctrinam prædicamus, & vos eandem excepistis fidem; idem annuntiamus, idem credidistis. [Hoc est, inquit Ambros. quid suprà significauit, quia non inferiorem gratiam in prædicatione accepit quàm ceteri Apostoli, sed vnâ atque eandem.] Sic prædicatur, sic & creditur.

Ambros. in Paul.

[Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?] Si ita prædicatur, si ita creditur, quomodo quidam inter vos dicunt resurrectionem non esse? Cum enim Christus resurrexerit in exemplar resurrexionis electorum, tam certum est mortuos esse resurrecturos, quam resurrectionem Christi præcessisse. [Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra, &c.] Christus tanquam caput resurrexit, ergo membra resurgent: si membra non resurgunt, ergo nec caput resurrexit. Si autem non resurrexit Christus, in vanum prædicamus, & in vanũ credidistis. [Inuenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersùs Deum quòd suscitauerit Christum; quem non suscitauit, si mortui non resurgunt, &c.] Plus est quod non solùm inanes, sed mendaces deprehendimur; imò impij arguimur ac sacrilegi, falsitatem Deo imponentes, eiusque verbo ad errorem abutentes, dicentesque Deum suscitasse Christum, cum non suscitauerit, si resurrectio non sit mortuorum. [Minùs, inquit apud Athanas. religiosi nos deprehendemur, vtpote qui Deum calumniantes resurrexisse affirmemus qui non resurrexit. Id enim eueniat necesse est, si mortui resurrecturi nõ sunt, quod quia vt ita futurum sit, est plenè absurdius.]

Athanas. in Paul.

[Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris, &c.] Si Christianus non resurgit, nec resurrexit Christus, vnum enim corpus est. Si Christus non resurrexit, fides vestra inanis & vana est. Cum enim Christus resurrexit propter iustificationem nostram, si non resurrexit, nondum estis iustificati, nondum estis à peccatis vestris liberati, sed æterno adhuc obnoxij supplicio. Credidistis resurrectionem, perdidistis fidem; iam cassa namque

A fides, si resurrectio falsa: sicut autem falsa resurrectio veram non promittit, sic & cassa fides animam non abluit. [Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, &c.] Si fides cassa, & spes nulla; ergo credimus perijsse, quos in fide resurrectionis, & in spe salutis dicimus obdormijsse? Sed dices, fidem in hac vitâ non esse inutilem, spem non inanem. Verùm, si spes quam in Christo fixam tenemus, si fides quam de illo habemus certam, hac vitâ concluditur, si non in futurum extenditur sæculum, infelicissimi sumus, & mortalium omnium miserrimi. [Hîc ostendit, ait Aquinas, quòd inconueniens sit, si fides illorum esset inanis. Et hoc ostendit per tria inconuenientia, quæ sequuntur inde. Primum est, quia constat, quòd falsitas non habet virtutem purgandi, sed constat quòd fides purgat peccata: si ergo fides vestra est inanis, adhuc estis in peccatis vestris. Sed quia posset aliquis dicere, licet fides non purget peccata, possunt tamen purgari ab eis per bona opera: ideo adiecit secundum inconueniens, scilicet quòd mortui, qui non possunt purgari in aliâ vitâ perierunt absque spe salutis, quia in aliâ vitâ nulla sunt opera meritoria. Sed quia posset adhuc dicere, Non curo de peccatis, non curo de mortuis, dummodo habeam in istâ vitâ quietem & tranquillitatem, addit tertium inconueniens, cum dicit, Si in hac tantùm vitâ sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, qui ad minus perfruuntur huius mundi bonis.] Christiani omnibus opprimentur malis, nullis perfruentur bonis.

Aquin. lect. 2.

B C

[Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.] Cum vitanda sint ista inconuenientia, statuendum est, Christum à mortuis resurrexisse, & ad instar primitiarum, dormientes quiescentes-ve præcessisse. Quia enim Adamo peccante, omnes homines infaustam incurrerunt mortem; ideo & Christo resurgente, fideles omnes ad beatam euadunt resurrectionẽ: sicut enim per Adamum mortales omnes perierunt, sic & per Christum fideles seu qui Christi sunt, vitam acquirunt æternam. [Sic autem, ait Ambrosius, probat Christum à mortuis resurrexisse, quia homo fuit, vt dubium non sit hominem à Deo à mortuis excitatum.]

Sicut Adam suis nocuit, sic & Christus suis profuit.

D E

Ambros. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

CVm Paulus perductus esset Cæsaream, vt Acta narrant Apostolorum: [Circumdederunt eum, qui ab Hierosolymâ descenderant Iudæi, multas & graues causas objicientes Paulo rationem reddere.] Et adhuc circumstamus Paulum, non accusando, sed interrogando, multasque & graues causas aggerando. Sed si instamus, rationem reddet, & ad omnem satisfaciet quæstionem. Sic ergo

Actuum. c. 25.

DISQVISITIO PRIMA.

De Christi redivivi apparitionibus.

QVæri potest primò, de apparitionum serie: secundò, de testium multitudine: tertiò, in quonam numero Paulus ipse recensendus sit.

Quoad seriem apparitionum. Prima est illa quæ Petro facta est. [Quia visus est Cephæ.] Sed quomodo id concordat cum Marco, qui affirmat primam apparitionem factam esse Mariæ Magdalenæ? [Surgens autem manè, primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat septem dæmonia.] Quæ est enim dilexit ardentiùs, priùs vidit. Imò omnes Apostoli per fœminas de resurrectione instructi sunt, vnde nec ipsi priores, sed per fœminas apparitione dignati. [Resurgentem Deum, ait Augustinus, priores fœminæ Apostolis nuntiarunt. Nuntiauit viro suo mortem fœmina in Paradiso: nuntiauerunt & fœminæ salutem viris in Ecclesiâ. Resurrectionem Christi Apostoli erant gentibus nuntiaturi, Apostolis fœminæ nuntiarunt.] Consentit Chrysostomus, aitque: [Primis visus est mulieribus. Nam quoniam deterioris conditionis fuerit hic sexus, propterea mulier & in eius ortu & in resurrectione prima sentit gratiam.] Sed quis dissentiat, cum id apertè & exertè Marcus definiat? [Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galileam.] Non igitur negari potest primam visionem non esse factam Petro. Sed aliud est, narrationem rei instituere, aliud dicti sui rationem reddere. Qui narrationem instituit, rem vt transacta est, edisserit, non expendens cuius auctoritatis sit ac ponderis; qui rationem reddit, auctoritatem quærit, præferens id quod magis facit fidē, & incredulitatē reuincit. Vult Paulus probare Christū resurrexisse, pluribusque post resurrectionem fuisse visum. Quos producet testes? Mulieres? Infirma fides, quæ infirmi sexûs testimonio fulcitur, & quæ deliramenti potius aut terriculamenti titulo eliditur. [Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & non crediderunt illis.] Et, [Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos quæ antè lucem fuerunt ad monumentum, &, non inuento corpore eius, venerunt: dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse.] Dicunt fœminæ, nec fidem faciunt: clamorem tollunt, remque terrendo potius referunt quàm suadendo. Quin & Paulus eandem ob causam, apparitionem præteriit, quæ facta est duobus discipulis euntibus in castellum Emmaus, quia etsi forsan illam præcesserit quæ facta est Petro; non tanti tamen æstimauit, vt eam produceret; si non ob infirmitatem; certè ob ignobilitatem testium, fide & auctoritate laborantium.

Marci c. 16.

Augustin. ser. 61 de diuers. c. 2.

Chrysost. orat. 38.

Mat. c vlt.

Aliud narrationem instituere, aliud rationē reddere.

Luc. c. 24.

Duos ergo seligit Apostolos, omni dignitate nobiles, omni exceptione maiores: Petrum, & Iacobum. [Deinde visus est Iacobo.] Cuius tanta auctoritas, quanta & sanctitas. [Iacobum, qui dicebatur frater Domini, (verba sunt Eusebij) qui & iustus cognominatus est ab antiquis, virtutum merito, & insignis vitæ priuilegio, primū historiæ tradiderūt suscepisse Ecclesiæ, quæ in Hierosolymis est, sedem, sicut Clemēs in sexto Dispositionū libro asserit, dicens: Petrus enim, inquit, & Iacobus, & Ioannes, post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vindicabant primatûs gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt. Idem quoque ipse in septimo eiusdem operis libro addit de ipso etiam hæc; Iacobo, inquit, qui dicebatur Iustus, & Ioanni, & Petro post resurrectionem Dominus omnem scientiam tradidit; & ipsi ceteris Apostolis; qui Apostoli illis septuaginta discipulis tradiderunt, ex quibus vnus erat & Barnabas.] Sunt ergo illi: [Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse.] Maximè verò Petrus & Iacobus. [Veni videre Petrum: alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.] Sicut autem apparitio illa quæ facta est Petro, ferè prima est; sic & quæ facta est Iacobo, ferè postrema: ordinem enim temporis insinuat Apostolus, dum sic enarrat: [Et post hoc. Deinde, &c.] Et licet nihil habeant quatuor Euangelia de istâ apparitione Iacobo factâ, non tamen minus est certa, cum Euangelium Pauli non sit minùs indubitatum quàm Matthæi aut Marci. Itaque & hoc de Iacobo dici poterat, quod dictum de Petro: [Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.] Vterque enim tantæ æstimationis fuit, vt quamuis multitudinem æquare posset, & dubium omne penitùs abstergere. Sed id maximè de Petro Apostolorum omniū coryphæo. [Cur enim non simul visus est omnibus? (ita Chrysostomus) Vt fidei semina priùs iaceret. Nam qui prior vidit, & exactè factus est certior, alijs annuntiabat, & viam muniebat ad fidem ante visionem. Propterea neque simul visus est omnibus, neque in initio multis. Sed vni soli primùm, eique omnium summo & fidelissimo. Fidelissimâ enim maximè animâ opus erat, quæ prima hanc acipiebat visionem. Propterea primum apparet Petro. Nam qui primus Christum est confessus, iure etiam dignus est habitus qui primus videret resurrectionem.] Idcircò igitur Christus primum inter viros Cephæ visus est, vt qui diuinitatis eius fidem fundauerat, fidem adstrueret resurrectionis, & qui præierat confessione nominis, præiret in prædicatione virtutis.

Euseb. lib 1. c. 1.

Galat 2. 9.

Galat c. 1

Luc. c. 24.

Chrysost. orat. 38.

Cur Petrus omniū primus apparitione dignatus est.

Quoad testium multitudinem. [Post Petrum (vti dixit Chrysostomus) vnicuique sparsim apparet: & aliquando quidē paucioribus, aliquando autem pluribus, ipsos inter se testes & doctores in hoc faciens, & Apostolos reddens fide dignos. Visus est Cephæ. Et post hoc duodecim. Deinde visus est supra quingentis fratribus simul. Aliqui illud, Supra, dicunt esse suprà è cœlis. Non enim supra terram ingrediens, sed supernè & supra caput eis visus est. Non solùm enim volebat facere fidem resurrectionis, sed etiam assumptionis. Quidam autem illud, Suprà quingentis, dicunt plusquam

Chrysost. orat. 38.

quingentis. Deinde visus est Iacobo. Mihi videtur dicere fratri suo. Ipse enim dicitur ei manum imposuisse ac ipsum ordinasse, & episcopum fecisse Hierosolymis. Deinde Apostolis omnibus. Erant enim alij Apostoli, vt septuaginta.] Malè ille qui Chrysostomum Latinitate dedit, hunc reddidit textum: [Et post hoc vndecim.] Tum quod in Græco legatur εἶτα τοῖς δώδεκα. Cum quod & ipse propriis agnoscatur verbis. [Quosnam autem, ait, hic dicit duodecim Apostolos? Nam post assumptionem in eorum numerum relatus fuit Matthias, non statim post resurrectionē.] Illud etiam, Supra, turbat, ex Græco ἐπάνω, quòd &, Plusquam, & Desuper significat, nisi quod Paulus non tam locum indicat quàm numerum; nec tam speciem apparitionum, quàm testium multitudinem. Nihil dico quod ille addit de Iacobo per Christum ordinato, nec, quòd inter primarios Apostolos distinguit & secundarios. Sed in hoc sisto, quòd siue legamus, [Duodecim.] Siue, [Vndecim.] Videtur semper numerus excedere. Primò, quia Petrus non videtur cum aliis recensendus. [Visus est Cephæ, & post hoc vndecim.] Et quamuis dici possit, Petrum non excludi, imò & includi in illis vndecim: videtur tamen secundò numerus excedere, quia nondum electus erat Matthias, nondum in locum Iudæ suffectus, vbi ergo numerus duodenarius? Denique quamuis responderi possit, legere nos [Vndecim.] Videtur adhuc numerus excedere. Nam, [Thomas vnus ex duodecim non erat cum eis quando venit Iesus.] Iam ergo numerus ad denarium contractus est, quomodo ergo duodecim? quomodo & vndecim, cum Iudas abijsset in locum suum, & Thomas qui numerum conflabat, abfuisset?

Chrysost. ibidem.

An Iacobus à Christo ordinatus episcopus.

Ioan. c. 20.

Scopus Pauli vbique spectandus, nec ad argutam subtilitatem, aut morosam coarctandus importunitatem. De multitudine testium sermo est. [Propterea, ait ille, non ponit tempus: sed absolutè & indefinitè recenset visiones.] Id est, vim non constituit in tempore, quasi circumstantia illa non sit ad rem seu ad quæstionem præcisè ac distinctè necessaria. Cupit fidem facere resurrectionis, & inde testes perquirit competentes. Sunt autem tria testium idoneorum genera. Primum est eorum qui licet singulares sint, publico tamen auctoritatis & sanctitatis testimonio præponderant multitudini: inter eos, Petrus, & Iacobus. Alterum, eorum qui omninò plures sunt, superante numerositate, quâ & auctoritatem narrationi conciliant: inter istos, sunt plusquam quinquenti fratres. Tertium illorum qui corpus aliquod constituunt, præstantque merito potius quàm numero: ideoque licet desint nonnulli, tam non minuitur numerus, quàm nec corpus scinditur. Corporis quippe prærogatiua est, non multitudinis; nec sententia pauciorum minus habet roboris quàm plurium, non enim obtinet ex numerositate, sed ex auctoritate. Tale est igitur suffragium Apostolorum, seu tam graue, quale & collegium, duodecim scilicet virorum. Ita quiuis, vnus erit de duodecim, & quod dictum factum ue à collegio, actum dictumque erit à duodecim. [Nulla, ait Augustinus facilior est solutio quæstionis, quàm vt per synecdochen dictum accipiatur. Vbi enim pars maior est, aut potior, solet eius nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit cum Dominus resurrexit à mortuis, & tamen ipsius duodenarij numeri nomen Apostolus in Epistolâ suâ tenuit, vbi ait: cum apparuisse illis duodecim. Cum articulo enim hoc Græci codices habent, vt non possent intelligi quicumque duodecim, sed illi in eo numero insignes.] Si autem vis, numerum, vno decusso, ad vndecim redactum: eadem ratio erit Thomæ minimè præsentis, ac Iudæ iam inde exulantis. Interest enim non numeri, sed collegii, quod vno, aut altero non comparente, nec dicente, non minoris est ponderis; cum non tam multitudinis nomen sit, quàm corporis.

Chrysost. ead. orat.

Augustin. quæst. 117. in Genes.

Senatus nō numerositate sed auctoritate reputandus.

Quoad ipsum Paulum. Non postremus merito, licet nouissimus beneficio. [Non enim, ait Chrysostomus, quoniam erat minimus, propterea post alios ei visus est Christus. Nam etiamsi eum vocauit vltimum, longè ijs qui antè ipsum fuerunt, vel potius omnibus visus est illustrior. Sed nec quingenti fratres Iacobo fuerunt meliores, quoniam antè illum eis visus est.] Visus est igitur ab ipso Paulo, sicut ab alijs Apostolis: licet enim illustriori apparitione, non tamen minori certitudine. [Vnigenitus scilicet filius, ipse, ait Tertullianus, & auditus, & visus; & ne phantasma crederetur, etiam contrectatus. Hunc & Paulus conspexit. Nonne, inquit, vidi Iesum?] Propriis nimirum oculis, vt qui & loquentem audiret, & præsentem cerneret, tanquam testis auritus oculatusque, & ad testimonium fruendum de Christo rediuiuo, tam fidelis esset quàm & idoneus. Ita ad ipsum Ananias: [Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius.] Sed quomodo testis idoneus, vt qui singularis sit, nec singularitatem per dignitatem extulerit?] Nouissimè autem omnium tanquam cuidam abortiuo visus est & mihi. Quid sibi volunt hîc hæc verba humilitatis, ait Chrysostomus, aut quamnam habent occasionem? Nam si vult se esse fide dignum, & referre in numerum testium resurrectionis, contrarium facit eius quod volebat. Oporteret enim se extollere, & ostendere esse magnum, quod sæpè facit cum tempus postulat. Qui autem necesse habet seipsum laudare, quando etiam seipsum citat testem, pudore afficitur & erubescit.] Dicit se esse ἔκτρωμα. Ectroma autem, vti exponit Tertullianus, est, [Defectiua, & abortiua genitura.] Imò & expositionem adhibuit Apostolus, cum addidit rationem. [Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.] Adeò frustrà quæruntur aliæ rationes, quæ aut inutiles inueniuntur, aut etiam inofficiosæ. Seipsum enim Apostolus deprimere solùm voluit, nec se supra numerum adiicere cogitauit, sed extra meritum. Denique se imperfectum & defectuosum dicere placuit, tali & nomine indignum & munere.

Chrysost. orat. 38.

Tertul. lib. aduer. Prax. c. 15.

Act. cap. 22.

Chrysost. orat. 38.

Tertull. lib. aduers. Val. c. 15.

Cur Paulus dictus fuerit abortiuus.


Sed quo magis se indignum dixit magis se di-

gnum reddidit. [Nam, vt aduertit Chrysostomus, si cum accessisset, dixisset, Debetis mihi credere, quòd Christus resurrexerit. Vidi enim ipsum, & sum omnium fide dignissimus, vt qui plus laborauerim, etiam offendisset eos qui audiebant id quod dicebatur. Sed cum priùs modestè esset locutus, & in se multas congessisset criminationes, tunc res suas amplificat. Quamobrem: Vt cum illud magnum & sublime de se fuerit locutus, vtpote illud, Plusquam omnes laboraui, eâ ratione grata & accepta sit oratio. Propterea etiam scribens ad Timotheũ cum esset de se magna dicturus, priùs ponit suas criminationes. Propterea hîc quoque beatus seipsum priùs miserum pronuntiat, & tunc illud magnum loquitur. Nam qui quæ sunt probro danda cum veritate retulit, & nihil eorum celauit, vtpote quòd Ecclesiam sit persecutus, quòd fidem depopulatus, hinc etiam efficit vt quæ sunt honesta sint minimè suspecta. Propterea neque solùm se pronuntiat esse vltimum, & indignum qui appelletur Apostolus, sed affert causam, dicens, Quoniam persecutus sum Ecclesiam. Sed per quæ contendit & nititur sua adumbrare & tegere, ostenditur primus omnium.] Tria maximè iuuant ad firmandum de se testimonium. Primum est, humilitas: qui enim etiam vera de se dicit superbè ac fastuosè, veritatem concutit, mentemque suâ auertit arrogantiâ; & qui falsa de se recitat modestè & honestè, etsi veritatem offendat, attentionem nihilominus suâ conciliat modestiâ. Alterum, est ingenuitas: qui enim etiam mala sua ingenuè ac sincerè aperit, bona sua cum dicit, non reddit suspecta: nam qui sibi non parcit, vt deferat veritati; nihil sibi tribuit quod auferat veritati. Tertium, auctoritas, cum enim res ex proprio pendeat suffragio, non satis est dicere, aut asserere, nisi pateat veritas, vel auctoritas suppleat. Ita nihil humilius, nihil & sincerius Paulo ad aperiendam propriæ iniquitatis indignitatem: nihil & illo cautius ad stabiliendam castæ, vt ait Augustinus, veritatis auctoritatem. [Nonne attendimus, inquit, Apostolum cum ingenti curâ commendandæ veritatis dicere; Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra: inanis est & fides nostra. Inuenimur autem & falsi testes Dei: quia testimonium diximus aduersùs Deum, quòd suscitauit Christum, quem non suscitauit? Si quis diceret; quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod etiamsi falsum sit, ad laudem Dei maximè pertinet? Nonne huius detestatus insaniam, quibus posset verbis & significationibus in lucem penetralia sui cordis aperiret, clamans non minore, aut fortassè maiore scelere, in Deo laudari falsitatem, quàm vituperari veritatem?]

Chrysost. hom. 38.

Tria ad firmandum de se testimonium necessaria.

August. ep. 8. cap. 3.



DISQVISITIO SECVNDA.

De Apostoli Pauli argumentationibus.

Egimus de Christi rediuiui variis apparitionibus: sed graues etiam quæstiones aduertimus in tantis Apostoli Pauli argumentationibus. Dico, tantis: quantis enim viribus opus est, vt persuadeatur incredulis fides resurrectionis, cum & ipsæ nutauerint columnæ, & discipuli ipsi de resurrectione desperauerint. [Liquefacta est terra.] Seu vt legit Augustinus: [Defluxit terra, & omnes habitantes in eâ. Ipsa, inquit, terra defluxit in habitantibus in se. Expositio est consequens, non additio. Tanquam si diceres: Quomodo defluxit terra? Subtracta sunt fundamenta, & aliquid in eâ hiatu quodam demersum est. Quod dico terram, omnes inhabitantes in eâ. Inueni, inquit, terram peccatricem. Et quid feci? Ego confirmaui columnas eius. Quas columnas confirmauit? Columnas Apostolos dicit. Sic Apostolus Paulus de coapostolis suis: Qui videbantur, inquit, columnæ esse. Et quid essent illæ columnæ, nisi ab illo firmarentur? Quia terræ motu quodam etiam ipsæ columnæ nutauerunt. in passione Domini omnes Apostoli desperauerunt. Ergo columnæ illæ quæ in passione Domini nutauerunt, resurrectione firmatæ sunt. Terruerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices. Posset enim Dominus Iesus Christus sine vllâ cicatrice resurgere, sed habere voluit vnde nutantes columnas firmaret.] Inde sanat incredulitatem Thomæ, inde & tarditatem non discipulorum tantummodò, sed & Apostolorum increpat. [Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.] Si amici, quid inimici? Vnde Paulo Athenis euangelizante, & cum Epicureis & Stoïcis disputante. [Quidam dicebant. Quid vult seminiverbius hic, dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: qui Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis.] Aliud est resurrectionem annuntiare iis qui iam credunt in Christum, aliud iis, qui non credunt. [Propter hoc, ait Irenæus; & Paulus Gentium Apostolus cum esset, Plus eis, inquit, omnibus laboraui. Illis enim facilis catechizatio fuit, videlicet cum ex Scripturis haberent ostensiones, & qui Moysem & Prophetas audiebant, facilè recipiebant primogenitum mortuorum, & principem vitæ Dei. Quapropter plus laborabat, qui in Gentes Apostolatum acceperat, quam qui in circumcisione præconabant filium Dei.] Medij sunt illi, qui in Christum credunt, & licet non à spe salutis, à fide tamen desciuerunt resurrectionis. [Siue enim ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.]

Aug. in exposit. Psal. 74. circa med.

Apostoli territi vulneribus cicatrices sũt sanati.

Marc. c. 16.

Actuũ c. 17.

Iren lib. 4 aduers hæres. cap. 41.

Inde ergo primum Pauli argumentum. Qui enim in Iesum non credunt, corporum resurrectionem velut portentum aut irrisionem rejiciunt. Qui autẽ credunt, non solùm scripturæ testimonio, sed & ipsius Christi exemplo reuin-

A

cendi sunt. Ita ergo Apostolus. [Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis : quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si audem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra: inanis est & fides vestra.] Ita disserit, ita & concludit. Sed quæ illa argumentandi forma? Christus resurrexit, ergo resurgemus. Quanta enim sunt Christi, quæ non sunt Christiani? Resurrexit die tertiâ, ergone die tertiâ resurgemus? Ascendit in cœlum resumpto corpore, ergone ascendemus? Iudicabit Christus, ergon' iudicabimus? Quidni? Certè resurgemus, ascendemus, iudicabimus; nec enim de modo quæstio est, sed de priuilegio: nec quàm citò, sed quàm certò.

B

August. in Expos. Ps 74 cit. med

[Quid est hoc, fratres, ait Augustinus, Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo? Accepit tempus vt filius hominis: gubernat tempora vt filius Dei. Audis quia vt filius hominis accepit tempus iudicandi: secundùm quod filius hominis, accepit tempus sicut nascendi & patiendi, sicut & moriendi & resurgendi & ascendẽdi, ita veniendi & iudicandi. Dicit autem in illo ista & corpus eius: non enim sine illis iudicabit. Dicit quippe in Euangelio : Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Ergo totus Christus dicit, id est caput, & corpus in sanctis : Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.] Accepit Christus in sese tempus resurgendi, ascendendi, iudicandi, suisque membris distribuit.

C

Corpus vnũ ex Christo & suis compositum.

Cum enim membra & caput vnum corpus constituant, cum totum seu integrum referant Christum: quod tribuitur capiti, in cetera diffunditur membra, seu, in totum corpus respergitur. Ideò ille qui suscitauit seipsum, resuscitat & corpus suum, id est, totum se & integrum resuscitat.

Aug. Tract. 10. in Ioan. vit. med.

[Christus, ait ille, assumptâ carne natus ex Virgine, infans in carne, iuuenis in carne, patiens in carne, moriens in carne, resurgens in carne, ascendens in carne, promittens resurrectionem carni, promittens resurrectionẽ menti: menti antè carnẽ, carni post mentẽ. Sed animas suscitat Deus per Christum Filium Dei, corpora suscitat Deus per eundem Christum filium hominis.]

D

Qui carnis vota destruxerunt, aut impotentiam obiecerunt, aut incongruentiam.

Tertul. l de carne Chri. c. 3.

[Necesse est, ait Tertullianus, quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, vt aut impossibilem, aut inconuenientem Deo existimaueris natiuitatem.] Quid ergo Corinthij, aut circa quòd dubij? Certè non existimabant resurrectionem impossibilem, tum quòd resurrexisse Christum in carne crederent, cum quod ex fronte symboli Deum patrem agnoscerent omnipotentem.

E

Qui ergo de possibilitate non dubitabant, fortean dubitabant de congruitate; resurrectionem carnis assignantes Christo; mentis, Christiano : dictitantesque incongruum esse & indignum, vt subditi coæquentur regi, redempti parientur redemptori, ideoque priuilegium Christo Domino reseruandum.

Chrysost. orat. 38.

Inde Apostolus, vt Chrysostomus, admonuit : [Postquam quæ fit ex Scripturis ostendit demonstrationem, eam etiam addit quæ per res fit, testes

A

adducens resurrectionis, post Prophetas, Apostolos, & alios homines fideles. Si autem illam resurrectionem dixisset à peccato liberationem, superuacaneum fuisset dicere, Visus est huic & illi. Hoc enim est eius qui facit fidem resurrectionis corporis, non eius qui tacitè significat liberationem à peccatis. Propterea neque semel dixit illud, Visus est, quanquam id suffecisset dictione in communi positâ. Nunc autem & bis & ter eam ponit, & in vnoquoque ferè eorum qui viderunt. Visus est enim, inquit, Cephæ. Visus est plusquam quingentis fratribus. Visus est & mihi.] Itaque Verbum quidem incarnatum, resurrectionem offert menti, sed non aufert carni, imò vtrique suam confert dotem dignitatem-ve:

B

Christus totum hominem sanat, dum totum resuscitat.

cum enim incarnatione suâ, vnam nobiscum carnem fecerit, nedum nostram assumpserit humanitatem: voluit non solùm communicationem proprietatum fieri in vno supposito, sed & communem suorum omnium in seipso vnionem consummari: adeo vt quibus vnum est regnum, vnum etiam sit resurrectionis & fœlicitatis consortium. Itaque non solùm idonea consequentia est, sed & reciproca : tam enim incongruum, tam & indignum vt caput resurgat sine suo corpore, quàm corpus sine suo resurgat capite. Et vtraque consequentia valida est: Christus resurrexit, ergo resurgemus: &, Non resurgemus, ergo Christus non resurrexit. Illud ex necessario, istud ex absurdo.

C

Chrysost. orat. 39.

Alterum Pauli argumentum: [Ergo qui dormierunt in Christo, perierunt.] Quænam illa consequentia? [Quid dicis ô Paule? ait Chrysostomus, Quomodo in hac vitâ sperantes sumus, si corpora non resurgunt, cum maneat anima, & sit immortalis?] Quomodo perierunt, qui dormierunt, si anima superstes est? imò si dormierunt, non perierunt. Nec in hac vitâ tantùm sperantes sunt fideles, cum aliam expectent vitam, quæ sine carne transigi potest, ideoque corpore etiam non resurgente, promitti.

D

Aquin. lect. 2.

Respondeo primò, negatâ resurrectione corporum, immortalitatem periclitari animarum, nec citra ingentem affirmari difficultatem. [Constat enim, vti dixit Aquinas, quòd anima naturaliter vnitur corpori, separatur autem ab eo contra suam naturam, & per accidens. Et ideo Platonici ponentes immortalitatem, posuerunt reincorporationem.] Mutuum est vtriusque partis vinculum; ideò cum dissolutæ sunt, aut ambæ in nihilum abeunt, aut ambæ in vnum redeunt suppositum. Vnde & Christus resurrectionem corporum probat per immortalitatem animarum, & scriptura par affirmat in futurâ vitâ commercium.

E

2. Mach. c. 12.

[Nisi enim eos qui crediderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.] Respondeo secundò, Paulum non adiisse philosophiæ placita, sed sola consuluisse sacræ scripturæ oracula, ex quibus scimus totum hominem euadere aut perire, nec exteriorem sine interiori, nec exteriorem sine interiori in æternâ vitâ consistere, ideo aut vtrumque repræsentandum, aut vtrumque nihilo ex æquo multatum.

Chrysost. orat. 39.

[Etsi enim manat anima, ait Chrysostomus, & millies immortalis, sicut est reuera, absque carne non accipiet bona

bona

Non placita philosophiæ, sed scripturæ consulenda sunt oracula.

na illa ineffabilia, sicut neque punietur. Omnia enim manifestabuntur ante tribunal Christi, vt accipiat vnusquisque quæ per corpus gessit, siue bona, siue mala. Propterea dicit: Si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem quæ est in cœlis. Si autem hoc ita habet, tunc nihil omninò consequemur. Si autem tunc nihil consequemur, in præsenti sunt remunerationes. Quid ergo, inquit, hac ratione fuerit nobis infelicius?] Non ait, nos inde peiores, sed miserabiliores, vt qui persecutionem patiamur in hac vitâ, nec in futurâ immortalitatem consequamur. Non resurgunt corpora nostra: ergo perierunt Christiani, qui in fide Christi, & spe salutis sunt mortui. Bona consequentia, sed ad scripturam, non ad Stoam aut Academiam reducenda. Tertia responsio ex argumento proximo.

Tertium igitur argumentum. [Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccatis vestris.] Quæ illa causa, quæ ratio, quæ consecutio? Christus non resurrexit. [Inanis est ergo prædicatio nostra: inanis est & fides vestra.] Christus non resurrexit: ergo, [Vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccatis vestris.] Vel vt alij legunt: [Quòd si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.] Sublato enim resurrectionis fundamento, concidunt omnia, nec consistunt salutis firmamento. [Nam si Christus non resurrexit, ait Chrysost. nec est quidem mortuus. Si autem non est mortuus, nec aboleuit quidem peccatum: Eius enim mors est abolitio peccati. Ecce enim, inquit, agnus Dei qui tollit peccatum mundi: Quomodo tollens? Morte. Et ideò etiã vocauit agnum, vt qui occideretur. Si autem non resurrexit, neq; fuit occisus. Si autem non fuit occisus, neq; peccatũ est abolitum. Si autem non fuit abolitum, in eo estis. Si autẽ in eo estis, frustà prædicauimus. Si autem frustrà prædicauimus, frusta credidistis. Alioqui autem mors quoque manet immortalis, si non resurrexit. Si enim ipse quoque detentus fuit à morte, & dolorem eius non soluit, quomodo alios liberauit qui ipse adhuc detinebatur? Et ideò subiungit. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.] Sed dices, Potuit Christus mori, & non resurgere; ergo potuit peccatum aboleri sine resurrectione. [Subtiliter satis. (vti dicam ex Tertulliano.) Accipe itaque subtilius.] Potuit Christus non mori, & delere peccatum, ergo sine morte potuit aboleri. Si istud negas, & aliud negandum est, cum vtrumque legas à Deo dispositum, & vtrumque à Christo perfectum. [Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã.] Spectat igitur Apostolus ordinem Dei, & finem Christi, iuxtà quem validè probat ac legitimè. [Omnia enim pendent à resurrectione.] Vti dixit Chrysostomus. [Si ergo Christus non resurrexit, periimus, & adhuc sumus in peccatis.] Etsi enim passio Christi, omnis meriti sit comparatio; resurrectio tamen Christi, peccatorum omnis euacuatio est. Optimè ergo Paulus arguit ac concludit, Si Christus non resurrexit, vanè credidistis, adhuc enim estis in peccatis vestris: tam vana prædicatio nostra est, quàm certa est vestra perditio. Sed creditis resurrexisse Christum, ergo credendum est & Christianum resurgere, & Christo suo adhærere.

Chrysost. orat. 39.

Christus cur agnus à Ioanne vocatus est.

Tertul. li. 5. aduers. Mar. c. 20.

Rom. c. 4.

Chrysost. orat. 39.

TROPOLOGIA.

Non ego autem, sed gratia Dei mecum.

TRia sunt in homine, esse, posse, agere. Quoad primum, [Gratiâ autem Dei sum id quod sum.] Quoad secundum. [Non ego autem, sed gratia Dei mecum.] Quoad tertium. [Et gratia eius in me vacua non fuit: sed abundantiùs illis omnibus laboraui.] Triplex ergo gratia. Prima, dignitatis; secunda, virtutis, tertia, perfectionis.

Quoad primam. An Paulus diuinâ gratiâ dignus erat antequam ad dignitatem vocaretur? Imò indignus, & indignissimus. [Qui non sum dignus vocari Apostolus.] Qui ita? [Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.] Vnde ergo ad dignitatem euectus? [Gratiâ autem Dei sum id quod sum.] Quomodo dignus Deo, persecutor Christi, nedum Christiani, blasphemus, contumeliosus, & qui tunc non solùm Christi declararetur persecutor, sed & ad immanitatem vsque lympharetur? [Quid volebat Saulus, (verba Augustini) nisi vt inuaderet & traheret, vinciret & necaret Christianos? Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca: qui tam vnâ desuper voce prostratus, occurrente vtiq; tali viso, quo mens illa & voluntas refractâ sæuitiâ retorqueretur & corrigeretur ad fidẽ, repentè ex Euangelij mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est? [Hei mihi qualis erat, & quantũ mutatus ab illo persecutore! Quàm durus, imò quàm dirus; ecquis dicet vt lapis iste panis fiat, nisi ille qui mittit crystallum suam sicut frusta panis? Ita legit Augustinus, aitque [Quid est, Mittit crystallum suam sicut frusta panis? Quomodo nix illa ipsius, quia prædestinatorum est: sic est quodammodo crystallum ipsius. Quid est crystallum? Multum obduruit, multum congelauit: iam non sicut nix facilè solui potest. Nix multorũ annorum tempore durata & serie seculorum, crystallum dicitur. Et hos mittit velut frusta panis. Quid hoc sibi vult? Fuerunt nimis duri, non iam niui, sed crystallo comparandi: & ipsi prædestinati sunt & vocati, & quidam eorum ita vt pascerent alios, & essent vtiles & alijs. De quibusdam duris facit Christus membra sua, & vtilia ad alios pascendos. Quid imus per multos? Nouissimũ illum Paulum intueamur. Et si fuerint qui ex tantâ duritiâ cõuertantur in quantâ ipse fuit, panis fient. Ecce crystallus erat Apostolus Paulus. Iste quàm durus, obnitens veritati, clamans aduersùs Euangeliũ, tanquam indurãs aduersùs solem. Non audiebat Moysen & prophetas Christum prædicantes. Magna duritia. Certè gentes non audierãt prophetas, nõ audierant Moysen: frigidi erant, sed crystallus non erãt. Ille qui credebat in verbis prædicantibus Christum, & Christo venienti non credebat,

Aug. lib. 1. ad Sympl. q. 1. in fin.

August. in Expos. Psal. 147. vlt. med.

Paulus cur crystallo comparatus.

nimis obdurauerat. Quia ergo crystallum erat, nitidus videbatur & candidus: sed durus & nimium gelidus. Quomodo nitidus & candidus? Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus. Vide nitorem crystalli. Audi duritiam chrystalli. Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei: inter lapidatores sancti Stephani martyris, vbi erat iste durus, & fortè cæteris durior. Omnium enim lapidantium vestimenta seruabat, vt omnium in manibus lapidaret. Saulus durus vt crystallum, Stephanum est persecutus ad mortem. Ecce venit illud crystallum Saulus post cædem & lapidationem Stephani, duritiâ quadam stupidus in Christum, petiit litteras à sacerdotibus, vt vndique exhibeat Christianos, anhelans cædes.] Non tacet ille indignitatem suam, imò & rationem causamque exhibet. [Propterea, ait Chrysostomus, non solùm se pronuntiat esse vltimum, & indignum qui appelletur Apostolus, sed affert causam, dicens, Quoniam persecutus sum Ecclesiam.] Quis ergo dignum Apostolum de homine indigno facere potest, nisi qui mundum facere potest de immundo conceptum semine? nisi gratiæ magnitudo? [Gratiâ Dei sum id quod sum.] Quicquid sum, id omne ex gratiâ diuinâ, sine quâ nihil sum. [Volens enim ostendere gratiæ magnitudinem, totum Deo adscribit:] Qui totum dicit, nihil omninò excipit. Equidem ille frigidissimus, sed non est qui se abscondat à calore eius: durissimus ille, sed à virtute quis eius subsistat? [Durus est iste, ait Augustinus & gelidus contra ignem Dei. Sed quanquam esset durus, quanquam gelidus, ecce ille qui emittet verbum, & liquefaciet. Vnâ voce tanta illa duritia crystalli resoluta est.]

Chrysost. orat. 18.

Chrysost. ibid.

August. in Psal. 17.

Quoad secundam. Ecce Paulus non amplius immanis persecutor, sed fidelis prædicator; iam alius est, iam ex frigido feruidus, ex duro resolutus, tamque subiectus quàm ad omnia promptissimus. Domine quid me vis facere? sentit se habere sessorem, sentit se habere rectorem. Agnoscit se posse vocanti parêre, imperanti obedire. [Non ego autem, sed gratia Dei mecum.] In Græco ἡ σὺν ἐμοί. [Quæ mecum est.] Phrasis scripturæ, quâ significatur diuina virtus, præsentaneumque indicatur auxilium. [Tecum ego sum, dicit Dominus.] Et, [Dominus mecum est, quasi bellator fortis.] Vnâ parte, infirmitas humana; ex alterâ, diuina potestas, quæ non solùm assistit, sed & efficit; nec gratiam tantùm promittit, sed & tribuit victoriam. [Deus enim, vti dixit Aquinas, non solùm infundit gratiam quâ nostra opera grata fiunt & meritoria, sed etiam mouet ad benè vtendum gratiâ infusâ.] Vidimus quid sit Paulus Apostolus, nunc videmus quid possit: illud quippe statum spectat, istud actum spirat. Et quidem sicut iam magnum quid est, sic & multum potest, imò nihil non potest: non enim diceret, Quiduis me facere, nisi sentiret se ad quiduis faciendum sufficientem esse potêtemque; sed scit sufficientiam suam ex Deo esse, ideo ait: [Omnia possum.] Sed, [In eo qui me confortat.] Qui me seu infirmitatem meam per virtutem suam corroborat, qui vires interiores ad omnia præstando subministrat. Nimirum, vti exponit ille: [Ponit causam suæ constantiæ, dicens, Omnia possum. Quasi dicat, Non possem hos insultus sustinere, nisi manu Dei me confortante. Ezech. 3. Manus Domini erat mecũ.] Quid manus Domini, nisi virtus Christi, quæ non solùm inhabitat, sed & adiuuat, confortat, corroborat: & sicut id tãtùm sumus quod diuina tribuit gratia, sic & id tantum possumus quod ipsa suggerit. Idcircò cum laborem suum extulisset, imò & prætulisset, dixissetque, [Abundantiùs omnibus laboraui.] Statim se reprimit, additque: [Non ego autem, sed gratia Dei mecum.] Quid, Ego? Quid, Laborem meum? Non ego, nec meum est; & ego tamen, & meum est: sicut enim ego ipse sum, sic & ego ipse possum: sed sicut nihil sum nisi ex dante Deo, ita nihil possum nisi ex Christo confortante. Gratia illius adiuuat infirmitatem meam, infirmitas mea non adiuuat virtutem diuinam. Viuo ego, iam non ego, quia viuit in me Christus, qui in me transfudit vitam suam per gratiæ beneficium, sicque in me actum vitæ & gratiæ edit per continuum auxilium. Quod vita in me est, ego viuo; quod virtus in me est, & ipse ago, sed quod vita & virtus aliunde est, iam ipse non ego, quia ex me nec viuo nec valeo. Itaque, cum ait Apostolus, Non ego autem, non solùm ait, Non ego solus, nam nec gratia agit sola; sed, Non ego ex meipso, sed ex Deo dante, ex Christo confortante, in me & per me operante. [Adsit vt velimus, ait Augustinus, oremus autem vt valeamus quod voluerimus, cum ipso donante rectè sapuerimus. Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, caue ne glorieris, quasi non acceperis: hoc est, quasi ex teipso habere potueris; sciens autem vnde acceperis, ab illo pete vt perficiatur, à quo datum est vt inciperetur.] Non ego autem, sed gratia Dei, quæ mecum est. Certè nec Deus solus; nemo tamen diceret, Non Deus, sed ego, si solum capiendum esset Dei & arbitrij consortium, & non potius gratiæ diuinæ dominium. Non ego igitur, sed gratia Dei, ex quo & principium actionis est, & continuum virtutis auxilium.

Ierẽ c 1. & 20.

Aquin. lect. 2.

A

Aquin lect. 2. in 4. cp. ad Phil.

B

In tantum possumus, in quantum à Deo accipimus.

C

Augu epist. 2c 8. vers. fin.

D

Quoad tertiam. Magnum quidem esse, maius posse, maximum agere seu perficere. Quid .n. si sis quidem, nihil tamen possis: aut si quid valeas, sed teipsum contineas, nunquam in actum prorumpas? Sed si minimum & maius à Deo est, nonne & ab eo plus est, & maximum? [Et gratia eius in me, vacua non fuit.] Clariùs ex Græco: [Gratia eius quæ in me, non fuit inanis.] Non sine fructu, non sine effectu. [Sed abundantiùs illis omnibus laboraui.] Hoc est quod vocat Chrysost. [Altum verbum. Testem enim oportet esse fide dignum & magnum. Non dixit, Sũ honoratus, sed laboraui. Vbi .n. oportebat ostendere exactam diligentiã & perfectionẽ, omnes superauit: & vbi conueniebat se demittere, id quoque excellenter fecit: vt & nos delicta quidem nostra traducamus, rectè autem facta sileamus: & si tempus necessitatem afferat, ea modestè & submissè dicamus, & totum gratiæ imputemus. Hoc enim ipse facit, susque deque primam quidem suam

E

Chrysost. orat. 18.

notans vitam; quæ postea sunt consecuta, gratiæ imputans: vt omni ex parte ostendat Dei benignitatem & clementiam, quòd cum talis esset, eum seruauerit, & rursus seruatum talem fecerit. Idcircò cum vnum quiddam altum solum esset locutus, ne hoc quidem suum esse dicit, & ex iis quæ præcesserunt, & quæ postea sunt secuta, altum hoc verbum deprimit.] Plus omnibus laborauit Paulus; qui ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuit Euangelium Christi; sed quomodo repleuit, nisi per auxilium Christi? multa tulit, multa fecit; id est, copiosiorem gratiam, abundantiorem virtutis ac fortitudinis copiam ad patiendum & agendum accepit. [Paulus Apostolus, (verba sunt Augustini) quamuis ex persecutore factus sit prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quàm ceteri Apostoli: vt magis Deus ostenderet suum esse quod dat, non hominis. Quomodo solent medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere: sic & Dominus noster Iesus Christus medicus Saluator noster in desperato, qui persecutor Ecclesiæ fuit, ostendit magnitudinem artis suæ, vt non solùm eum Christianum faceret, sed & Apostolum; nec tantùm Apostolum, sed sicut ipse dicit, Plus omnibus laboraret. Excellentissimæ ergo gratiæ fuit.] Vidimus niuem, vidimus crystallum. [Bonum est vt ille spiret & soluat. Si enim ille non spirauerit, si non ipse duritiam glaciei huius dissoluerit, In faciem frigoris huius quis sustinebit? Cuius? Dei. Vnde est eius frigus? Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. Ergo desperatio est? Absit, non desperet nix, non desperet crystallum. Audi & hic gratiam Dei: Spirabit Spiritus eius, & profluent aquæ. Flat auster, soluitur rigor captiuitatis, & currit in Deum feruor charitatis. Paulus iam in aquâ viuâ gentes vocat ad fontem.] Nunc non solùm incedit, sed in omnes excurrit gentes: antea tardus, nunc velocissimus; quia antea proprio defectu frigidus, nunc diuino spiritu feruidus. [Velocitas enim, ait & ille, feruens est: & omnia feruentiora velociora, omnia frigidiora tardiora. Nos tardi, ergo frigidi: Illa autem sapientia currit vsque ad velocitatem. Nos ergo qui frigidi corporis tarditate, vinculo terrenæ vitæ huius corruptibilis onere, nullam ne spem habemus ad capiendum verbum, quod vsque ad velocitatem currit? An verò ille quamuis ex corpore in infima depressos deseruit? Nonne ipse prædestinauit nos, antequam in isto mortali & pigro corpore nasceremur?] Ille fons est vnde fluit quicquid sumus, quicquid possumus: vnde & affluit quicquid agimus & perficimus: vnde enim abundantiùs laboramus, nisi quia inde gratiam copiosiorem delibamus? Vnde velocius currimus, nisi quia plus inde accipimus? Vnde nouissimus factus est primus, nisi quia tantâ clementiæ diuinæ copiâ cumulatus?

Bonū omne & totū Deo imputandū est.

Aug. expos. in Psalm. 110. circ. med.

Aug. in expos. Psalm. 147. vlt. med.

Aug. ibid.

ANAGOGIA.

Nunc autem Christus resurrexit à mortuis.

MVlti suscitati sunt, qui rursus obierunt. Plures resurgent, qui resurgere nollent, quia ad ampliorem suscitandi sunt damnationem, vt reprobi. Alij denique ad beatam resurgent vitam, in æternum cum Christo in cœlo victuri, vt electi. Et de istis Apostolus: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis. Inde igitur tria sunt dicenda.

Primum est, Duo capita ab Apostolo proposita, per quorum vnum, mortem non solùm temporalem, sed & æternam incurrimus: per alterum ad resurrectionem peruenimus non corporalem tantùm sed & gloriosam. [Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.] Homo, & homo: per hominem, & per hominem: & ne incertus sis de homine, notus est in nomine. Homo ergo Adamus, homo & Christus: sed ille homo purus qui & impurus: iste homo Deus. Ille naturæ caput, qualiscumque tandem nata; iste caput gratiæ, qualitercumque tandem data. Ille ergo in honore factus est, sed non intellexit; in veritate, sed non permansit; lapsus est, diuinum transgressus est mandatum; sed sicut culpam suam generi suo, sic & pœnam affricuit. Immortalis erat corpore, quandiu mente incorruptibilis: sanctitatem puritatemque amisit mentis, simul & sanitatem carnis, immortalitatem corporis perdidit. Candidatus erat æternæ vitæ, sed per inobedientiam, gehennam incurrit: excidit ab hæreditate promissâ, luitque æternâ morte, nisi per alterum Adamum remissa sit, id est, pœna cum culpâ sit condonata. Itaque quotquot nascuntur ex Adamo primo, non solùm mortales suâ ipsâ natiuitate redduntur & infelices; sed & eadem sorte, æterno addicuntur supplicio: damnati, nec paternæ solùm culpæ, sed & pœnæ pariter obnoxij. [Intonat, ait Augustinus, per os proprij corporis veritas: Si quis non fuerit renatus ex aquâ & spiritu non potest introire in regnum Dei. Et ne cuiquam qui non renatus fuerit Christianæ fidei lauacro, promittatur peccati originalis abolitio, clamat Apostolus, Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.] Sicut .n. ex eadē stirpe venerunt, & ab eadē prodierunt origine, sic & in eandē eunt damnationē, vinculo nimirū culpæ originalis obstricti sicque æternæ dānationis supplicio obnoxij. Alius ergo necessarius est, qui culpā emaculet, & naturā reparet per gratiā. [Natura enim ista, ait ille, in tātas & tā manifestas collapsa miserias, saluatorē, mundatorem, redemptorem Christum habet necessarium.] Ille est ergo qui mortem abstersit æternam, & beatam promisit resurrectionem. Quicumque ex Adamo sunt, miseri sunt nec resurgunt, nisi ad gehennam; quicumque ex Christo sunt, beati sunt, nec resurgunt

Duo capita naturæ dānatæ ac reparatæ proposita.

August. lib. 1. de an. & eius orig. c. 12.

Aug. lib. 3. cont. Iulia. cap. 3.

nisi ad gloriam. Qui illius sunt, filij mortis sunt, & nascendo rei sunt transgressionis antiquæ: qui istius sunt, filij sunt promissionis, & renascendo candidati sunt felicitatis æternæ. [Talis enim, vti Leo loquitur, erat omnium à prima ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi Verbum caro fieret, & habitaret in nobis; in eâ scilicet naturâ, quæ nostri & sanguinis esset & generis. Propter hoc dicit Apostolus: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitæ: Sicut enim per inobedientiam vnius homini peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Et iterum: Quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Hi vtique omnes, qui licet in Adam sint nati, in Christo tamen inueniuntur renati, habentes fidei testimonium, & de iustificatione gratiæ, & de communione naturæ.] Humanæ scilicet. [Nam, vt dixit Chrysostomus, eum qui fuit superatus, oportet & prostratam instaurare ac reparare naturam, & ipsum vincere.]

Leo 2, 22. aliàs 3. vlt. medium.

Chrysost. orat. 39.

Alterum est, Christum præcessisse, & typum felicis exhibuisse resurrectionis. [Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.] Clariùs in Græco, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο: Primitiæ eorum qui dormierunt, effectus est. Multi quidem ante Christum suscitati sunt, sed ad miseriam resumendam, non ad ineundam gloriam. Christus omnium mortuorum primus, qui immortalem adierit vitam, & gloriosam resurrectionem inceperit. [Nam, vti dixit Ambrosius, etsi secundùm hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis. Vis scire quàm liber? Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Et benè liber, qui se poterat suscitare. Benè liber, qui alios descenderat redempturus.] Non enim detentus in inferno, quia non reus; imò descenderat infernum spoliaturus, & spolium iam non mortis, sed immortalitatis resumpturus. [Hæc enim est fides nostra, ait Augustinus, hoc donum in Domini nostri Iesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, non solùm prænuntiare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerant cum illum viderent, & cum expauescerent & spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solùm verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum: parumque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum.] Idcircò in Paulo, particula illa, [Nunc:] Temporis non est, sed definitionis. Quasi dicat: [Resurrexit Christus, absoluta est res. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, posita est caro in sepulcro. Exhibuit illam viuam, qui viuebat in illâ.] Præmisit exemplum futuræ resurrectionis, typumque beatitudinis nostræ non proposuit tantùm, sed & præposuit. Exhibuit palpandam

Ambros. li. de fide resurrect. vlt. med.

Augustin. ser 147. de temp. c. 1.

Aug. ibidē.

A carnem tractandamque, & in æternam felicitatem non transmisit tantùm, sed & præmisit. [Dicant ergo isti phantastici Christiani, (verba Leonis) qui serui formam in Christo asserunt falsam, vt Iudæi æstimant solam: quæ substantia saluatoris adfixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulcro, & reuoluto monumenti lapide, quæ tertiâ die caro resurrexerit, vel quale corpus Iesus discipulorum visui, clausis ad eos ostiis ingressus, intulerit, dum ad abigendam cernentium diffidentiam, inspici oculis, digitisque tractari patentes adhuc fixuras clauorum; & recens compuncti lateris vulnus exegerit. At si tantâ in luce veritatis tenebras suas

Leo ser. 19. de pass. Dom. in fin.

B hæretica obstinatio non relinquit, ostendant vnde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, vnde resurrectionis Christi se credant esse consortes. Non enim possunt cum Apostolo dicere: Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quia non sunt primitiæ hominum, si non sunt de humanæ stirpe naturæ. Qui enim primus hominum resurrexit, eius plenitudinis est portio, quæ præcessit: & piè creditur hoc, quod est in capite inchoatum, in membris quoque esse complendum. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.] Præcessit exemplum mortis, præcedere exemplum debet immortalitatis.

Primitiæ ex eadē massā delibantur.

C Præcessit Adamus, miseræ eorum qui perierunt primitiæ; præcedere debet Christus, beatæ eorum qui dormierunt primitiæ.

Tertium, non solùm elicitur, sed & inde consequitur. [Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ eorum qui dormierunt. Si est autem primitiæ, ait Chrysostomus, eos quoque oportet resurgere.] Consecutio certa est, & quasi necessaria connexio: quia, vt dixit Leo: [Quo præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.] Idcircò, vt & ille ait: [Dicente Apostolo: Primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cælo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœlestis, tales

Chrysost. orat. 38.

Leo serm. 1. de ascen. & serm. 1. de resu. Dom. post. init.

D & cœlestes; sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius, qui est de cœlo: multum nobis de hac commutatione gaudendum est, quâ de ignobilitate terrenâ ad cœlestem transferimur dignitatem; per illius ineffabilem misericordiam, qui vt nos in sua proueheret, in nostra descendit, vt non solùm substantiam, sed etiam conditionem naturæ peccatricis adsumeret, & ea sibi pateretur inferri diuina impassibilitas, quæ miserrimè experitur

E humana mortalitas.] Dixit commutationem, sed eandem in Christiano quæ in Christo, ideoque communionem seu communicationem intellexit. [Quoniam enim, vti dixit Ambrosius, resurgere non poterat quod mortuum non erat; assumitur caro quæ mori posset: vt dum moritur quod solet; quod mortuum fuerat, hoc resurgeret. Neque enim poterat esse, nisi per hominem, resurrectio: quoniam sicut per hominem, mors, ita & per hominem resurrectio mortuorum. Resurrexit Christus primitiæ quiescentium. Primitiæ vtique eiusdem sunt generis atque naturæ, cuius & reliqui fructus: quorum pro lætiore prouentu, primitiua Deo munera deferuntur; sacrum munus pro omnibus, & quasi reparatæ quædam liba naturæ.


Ambros. l. de fide resurrect. vlt. med.

Primitiæ ergo quiescentium Christus, ipse primogenitus ex mortuis. Aduerte, quàm grande sit sacrilegium, resurrectionem non credere. Si enim non resurgemus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit, vtique non resurrexit qui sibi cur resurgeret, non habebat.] Natus est, non sibi, sed nobis, idcircò nobis suam communicauit natiuitatem: passus, mortuus, resurrexit, non sibi, sed nobis, idcircò & merita passionis, & præmia mortis, & eandem suis communicauit resurrectionem. Præiuit Christus, vt primogenitus ex mortuis, sequuntur fratres, & eandem consequuntur hæreditatem. Primitiæ Christus dormientium effectus est, ceteri fructus eiusdem benedictionis debent esse participes, eiusdem & felicitatis consortes. [Opinor, ait Tertullianus, Apostolus dispositâ ad Corinthios omni distinctione Ecclesiasticæ disciplinæ, summam & sui Euangelij & fidei illorum in Dominicæ mortis & resurrectionis demandatione concluserat, vt & nostræ spei regulam inde deduceret, vnde constaret. Per hæc enim quæ subjicit, cui nos rei credendæ videtur exstruere? Resurrectioni, inquis, mortuorum, quæ negabatur. Certè sub exemplo Dominicæ resurrectionis volens eam credi. Certè, inquis. Exemplum porrò ex diuersitate, an ex parilitate componitur? Vtique, inquis, ex parilitate.] Ad exemplum resurgimus Christi, idcircò & ad idem præmium contendimus. Nos enim Deus: [Prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus.] Totum & integrum corpus glorificandum est, totum & mente & carne exultandum. Itaque & membra sequuntur gloriam capitis, & qui gratiam vocationis seruarunt illibatam, cetera saluationis assequuntur beneficia.

Christus in exemplum positus immortalis resurrectionis.

Tertul. lib. de resur. carn. c. 48.


Rom c. 8.



PVNCTVM SECVNDVM.

DE ORDINE.

TEXTVS.



Vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus; deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si (secundùm hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iusti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor.

EXEGESIS LITTERALIS.

ORdinem describit resurrectionis, & finis seriem: filum resumit sermonis, & argumentis aliunde petitis, tam ignorantiæ quàm & peruicaciæ imponit silentium.

[Vnusquisque aûtem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, &c.] Dixerat omnes per Christum viuificandos, sed nondum expresserat, quos, per omnes intelligat. Ex ijs ergo qui viuificandi sunt, & ad beatam vitam excitandi: vnusquisque proprio procedet ordine ad resurrectionem vitæ, & distinctè non confusè partem tollet partæ gloriæ. Ante omnes quidem & præ omnibus Christus, tanquam primitiæ frugum iam suscitatus est, & in cœlum tralatus est. [Christus enim ascendens in cœlum, (vti loquitur Chrysostomus) nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & suis manibus suscepit pater oblatum, & suæ sedis fecit esse participem; & quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocauit.] Primus ergo Christus viuificatus est: post quem, & qui sunt eius, qui spiritum eius habuerunt, qui aduentum eius gloriosum cum fide ac spe sustinuerunt, vtique etiam viuificandi sunt, & eodem donandi præmio. [Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem, &c.] Christianis ergo suscitatis, rerum appropinquat & temporum consummatio, instatque finis omnium, cum scilicet Christus electos suos iam suscitatos, & quasi regno suo perfectè ac integrè potitus, offeret Deo & Patri, & ei totam de partâ victoriâ referet gloriam, agnoscetque vt homo Deum, vt Deus Patrem, tanquam virtutis omnis & auctoritatis principium: sed id specialiter ac solemniter faciet, cum aduersariam omnem potestatem aboleuerit, cum Ecclesiam suam, aduersùs hostilem & inimicam virtutem munierit, cum principatum regno suo æmulum in totum obtriuerit. [Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius, &c.] Aspirat ad Psalmum 109. Vbi Deus & Pater Christi, ait filio suo: [Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.] Tantum enim abest, vt regnum eius per rebelles potestates obscuratum sit, quin & sit illustratum; nam contranitentibus æmulis potestatibus, non solùm stabiliuit imperium suum, sed & hostilem subegit, insultum, fastum compressit, insolescentem fregit impetum: audaciam conculcauit, humiliauit arrogantiam. [Quod enim, ait Aquinas, aliquis regnet adhuc inimicis non subiugatis, videtur esse dubium: sed quòd regnet postquam inimici subiugati sunt, nulli est dubium.] Si ergo regnat hostibus adhuc tumultuantibus, quomodo deuictis & obtritis non triumphat?

Chrysost. serm. de Ascens. Dom.

Ecclesia acquisita Christi sãguine, glorificata Dei munere

Aquin lect. 3.

[Nouissima autem inimica destruetur mors, omnia enim subiecit sub pedibus eius, &c.] Mors quidem inimicissima, quæ in omnes sæuit, nec Christo pepercit; tandem & illa destruenda est, nec ab omni tantùm ictu, sed & ab omni conatu excludenda: omnia enim hostilia tela confringenda sunt, quicquid inimicum est, obterendum. [Cum autem dicat: omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia, &c.] Indicat id quod dicitur in Psalm. 8. [Omnia subiecisti sub pedibus eius.] Et in Christum per sensum mysticum explicat. Cum ergo dicat Psalmus, omnia ei esse subiecta, palam est quod Patrem non inuoluat omnia filio subjicientem; sed palàm etiam, quòd præter patrem cetera omnia comprehendat. [Propheta dicit, omnia subiecisti sub pedibus eius. Sed dicendo, omnia, constat quòd nihil exclusit, nisi illum qui subiecit.] Deum scilicet vnicum, seu Patrem, seu Trinitatem. [Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus, &c.] Cum autem & ipsa mors nouissima destructa fuerit, cum subacta omnia; tunc & ipse filius subjicietur patri, & tanquam gratus benefactori, regnum sibi à patre datum confitebitur. Ita tandem manifestum omnibus, vt & coràm omnibus expressum, Deum esse omnis boni, sicut & Christi hominis principium: nihil in illâ primitiuorum seu electorum Ecclesiâ quod Dei non sit, nihil in illo regno quod non sit Christi; idcircò, omnia ad Deum per Christum ipsum referenda. [Cum omnia, ait Ambros. filio fuerint subiecta, & adorauerint illum vt Deum, destructâ morte: tunc filius ostendet illis non se esse ex quo omnia, sed per quem sunt omnia. Cum ergo dixit, Omnia in omnibus; hoc significauit, quia & ex ipso sunt, & in ipsis est. Ex ipso, quia ab ipso creata sunt: in ipsis autem, quia in omnium confessione vnus erit Deus.] In omnibus nimirum laudandus: quamuis enim sancti omnes magni ac laudabiles, tota nihilominus electorum gloria in vnum Deum refundenda.

Mors omnium inimicissima, nouissimè destruenda.

Aquin. eadem lect.

Ambros. in Paulum.

[Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? &c.] Ad institutum redit Apostolus, quod interiecto Christi regno diuerterat: filum ergo resumit, nouisque instaurat argumentis. Si mortui non resurgunt, quid fiet de illis, qui baptizantur iam iam morituri, suoque voto contestantur, se non præsenti vitæ quam deserunt, sed futuræ quam expetunt consulere? Nam si post mortem resurrectio non est, vana illorum sollicitudo est: vanè baptismum corporalem petunt & suscipiunt, si corporalem non sperant exoptantque resurrectionem, cum sacramentum non tam menti impendant quàm corpori. [Vt quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro, &c.] Vt quid & nos Apostoli vitam nostram continuis exponimus periculis, si futuram resurrectionem, seu meliorem vitam nobis redditam iri non credimus? De alijs Apostolis nihil dico. Sed quantum ad me attinet, non solùm id dico sed & iuro per sanctam quam de vobis habeo gloriam, in quotidianis versor periculis, singulis imò momentis, præsentanea patior non persecutionis tantùm sed & mortis discrimina. [Cum inquis, vt quid periclitamur? (verba Athanas.) discriminum expressit magnitudi-

Nullus vitam prodigit nisi qui credit futuram.

Athanas. in Paulum.

nem, vel potius assiduas mortes.] Quis id faciat, nisi qui meliorem expectat resurrectionem? [Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur, &c.] Si secundùm carnem cum bestijs pugnaui Ephesi, in vanum, hominem meum exposui, si nullum est certaminis seu discriminis præmium. Certè si nullum est, erit qui dicat aut sentiat manducandum ac bibendum, cras enim moriendum. [Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iusti, & nolite peccare, &c.] Ne patiamini vos decipi; & in errorem abduci, probi mores, & praui sermones non conueniunt; sed dum feruntur isti, illi corrumpuntur. Itaque attendite vobis, & abiecto errore, tanquam sopore discusso, ea quæ recta sunt & iusta, sapite. In Græco δικαίως, [Iustè.] Si id facitis, non solum cauti eritis, sed & iusti. Id facite ergo, & nolite aurem præbere talibus colloquijs animum euigorantibus, ad voluptatem libidinemque prouocantibus. [Ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor.] Et id opus dicere, & scribere sed & scribo & dico, vt pudorem vobis ingeram, & si quomodo vtilem vobis efficiam. Quidam enim ex vobis ita viuunt, vt videantur ignorare Deum, ita huius vitæ curis incumbunt ac studijs, vt spem alterius videantur abiecisse. [Istiusmodi vobis locutus sum, non vt infensus & hostis incesserem contumelijs, sed pudore afficerem. Græcè enim verecundiam habēt, & eius rei ob gratiam, vt correctos vos tandem & castigatos, & verecundiâ quadam affectos, ad veritatis notionem traducerem.] Ita ille. Reuera in Græco πρὸς ἐντροπὴν, ad verecundiam vestram: sed reuerentia, pro verecundiâ.

Corrumpunt bonos mores praua colloquia.

Athanas. ibidem.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

DVo in isto tractu difficilima sunt. Primum, quid sit baptizari pro mortuis. Secundum, quomodo secundùm hominem Paulus pugnauerit Ephesi. Alia, non æquè difficilia, aut interferentur sparsim, aut speciatim edisserentur, aut in aliam differentur controuersiam.

DISQVISITIO PRIMA.

Quid sit baptizari pro mortuis.

TOt sunt tramites expositionum, tot opinionum propagines; vt lateat via deprehendendæ veritatis, subeatque tantæ diuersitatis nausea. Non excurro in ista opinionum expositionumque diuerticula: sed moneo primò Paulum Apostolum argumentari ab aliquâ consuetudine notâ Corinthiis ac probatâ. Si enim consuetudo ignota sit, nihil concludit; si autem nota sit quidem, sed improbata, non solùm non concludit ad propositum, sed concludit contrarium. Ideoque tantum abest vt certum sit Apostolum de hæreticis locutum

Videsis Bar. Tom. 1 Ann. 57.

A non de Catholicis; quin & certissimum est de Catholicis locutum, non de hæreticis. Aiunt solitum apud hæreticos fuisse, vt cum aliqui eorum absque baptismo decederent, alij pro ipsis in nomen ipsorum baptizarentur, ne in resurrectione pœnas darent. Quid inde? Ergo Paulus proinde exemplum deducere debuit ad statuendum fidei dogma, muniendum-ve articulum ipsis etiam Apostolis difficillimum? Tanta ne rationis penuriâ laborabat Apostolus, imò tantâ cœcutiebat mentis amentiâ, vt exempla suffuraretur hæreticorum quos damnaret, & in argumenta modularetur institutorum quos firmaret? [Ad hoc ergo malorum, ait
B Cyprianus deuoluta est Ecclesia Dei & sponsa Christi, vt hæreticorum exempla sectetur, vt ad celebranda sacramenta cœlestis disciplinæ lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani, quod antichristi faciunt. Quæ animi cœcitas, quæ prauitas.] Vel illa consuetudo vsurpabatur à Catholicis simul & hæreticis: vel à solis probabatur hæreticis, & improbabatur à Catholicis. Si ab vtrisque probabatur, auctoritas desumenda erat à Catholicis, non ab hæreticis: si à solis probabatur hæreticis, quomodo veritas elicienda, vnde falsitas; vnde à damnatis aut disciplina morum, aut dogmatum regula sanctis imponatur? Adde quòd pri-
C mi illi hæretici resurrectionem carnis destruerent potius quàm astruerent. Nam Saturninus, dicebat, [Resurrectionem carnis nullo modo futuram esse.] Et Basilides, [Carnis resurrectionem grauiter impugnat, negans salutem corporibus repromissam.] Et ita deinceps, vt vix credibile sit hæreticos illos viam ad fidem resurrectionis strauisse, aut disciplinam instituisse, vnde munirentur Christiani; cum potius doctrinam inirent contrariam, vnde euerterentur Catholici. Denique, quid prodest hæreticos Corinthijs allegare, quos non nossent; aut si nossent, respuerent? [Quid enim
D superest, vti dixit Cyprianus, nisi vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac de altari se remouentibus, in cleri nostri sacrum venerandumque consessum, simulacra atque idola cum aris suis transeant?]

Scio nonnullos ex hæreticis, maximè ex Marcionitis insaniam illa commentatos, sed ex verbis Apostoli, vt assolent, prauè intellectis. [Viderit institutio ista. (ait Tertullianus) Kalendæ si fortè Februariæ respondebunt illi, pro mortuis petere. Noli ergo Apostolum nouum statim auctorem aut confirmatorem eius denotare, vt tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi qui vanè pro mortuis
E baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent.] Non pluris exempla facit hæreticorum, quam ethnicorum instituta; nec magis appendit dogmata illorum, quàm responsa dæmonum. Sed & inde magis traducendi Marcionitæ, imò & ridendi, qui de resurrectione carnis laborant, quam pernegant. Marcion enim Cerdonis discipulus, qui [Resurrectionem animæ tantummodò probat, corporis negat.] Ideò ille: [Si autem, inquit, & baptizantur quidam pro mortuis; videbimus an ratione.] Cur enim illi de resurrectione solliciti, quam nec curant, imò & improbant? [Paulus in

Cyprian. epist. ad Pomp post. init.

Exempla hæreticorū repudianda potiusquam probanda.

Apud Tert. in Suppl.

Cypr. lib. 1. epist. 3. vers. fin.

Tertul. l. 5. aduers. Mar. cap. 10.

Suppl. c. 51.

Tertull. lib. de resurr. cap. c. 49.

Tertul. lib. de præscrip. c. 33.

primâ ad Corinthios, notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio propria Sadducæorum. Partem eius vsurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, & si qui alij resurrectionem carnis infringunt.] Idcircò Chrysostomus, eos dicit in scenâ potius ludere, quàm re seriâ agere; risum potius mouere, quàm exhibere mysterium. [Scio, inquit, fore vt risum multum moueam: verumenim verò etiam propterea maximè dicam, vt eum morbum magis fugiatis, sciatisque quantum valuit diabolus in ignauorum animis.] Sed talis fuerit hæreticorum ignorantia, talis & Marcionitarum vecordia: longè tamen aliud insaniam illam ex verbis Pauli perperàm intellectis eductam esse: aliud verba Pauli ex mimico deducta non tam spectaculo, quàm ludicro. Quòd enim hæretici verbis abutantur scripturæ, tam id non nouum, quàm quod illis est proprium. Quod autem Paulus institutis prauæ insulsæque vtatur disciplinæ, quod ad stabiliendũ dogma fidei adeò difficile, adeò incredibile, argumentis hæreticæ nitatur ignorantiæ: quod exempla ridicula numeret cum oraculis Prophetarum, cum testimoniis Apostolorum: imò & hoc vltimum seruet quasi potissimum id tam mirum, quàm quod inauditum.

Chrysost. orat. 40.

Hæretici scripturæ verbis passim abusi.

Moneo secundò, baptismum toti homini prodesse, & quamuis menti principaliùs, priùs tamen carni suam conferre munditiam: priùs enim corpus tingitur, nedum tangitur, quàm cor ipsum abluatur. [Videamus, ait Tertullianus, de propriâ etiam Christiani nominis formâ, quanta huic substantiæ friuolæ ac sordidæ, apud Deum prærogatiua sit: etsi sufficeret illi, quòd nulla omninò anima salutem possit adipisci, nisi, dum est in carne, crediderit: adeò caro, salutis est cardo. Denique cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit, vt anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur, &c.] Quicumque sint illi, qui baptizantur pro mortuis. [Certè, ait ille, illâ præsumptione hoc eos instituisse contendit, quâ alij etiam carni, vt vicarium baptisma, profuturum existimarent ad spem resurrectionis; quæ nisi corporalis, non aliàs hic baptismate corporali obligaretur. Quid & ipsos baptizari, ait, si non quæ baptizantur corpora resurgunt? Anima enim non lauatione, sed responsione sancitur.] Idcircò & ille sic exponit Apostolũ. [Igitur & pro mortuis tingui, pro corporibus est tingui: mortuum enim corpus ostendimus. Quid facient qui pro corporibus baptizantur, si corpora non resurgunt?] Vnde duo eliciuntur. Primum est, notum fuisse apud ipsos Christianos, baptismum carni ipsi seu corpori impensum, etsi non soli. Alterum, omnia in Paulo secundùm proprietatem verborum sumenda, nulla enim allegorica quærenda est, vbi nota littera est, & clara intelligentia. Itaque sicut mortui intelliguntur, ij qui verè sunt defuncti; ita baptizantur: qui verè sacramento renouationis donantur & regenerationis, & quorum corpora per baptismum ipsum consecrantur immortalitati, seu felici præparantur resurrectioni.

Tertull. l. de resur. car. c. 8.

Tertul. eodẽ lib, c. 48.

Tertull. lib. 5. aduers. Marc. c. 10.

Vbi clara intelligentia, allegoria non est necessaria.

His monitis, concludo primò, potuisse Apostolum præ oculis morem habere Iudæorum ac legem. Nec id nouum, nam & in capite decimo huius epistolæ: [Videte, inquit, Israël secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?] In iis enim quæ carnis sunt, facilè potuit Iudaïcam producere obseruantiam: maximè cum Iudæi, præsertim Pharisæi, ex quibus Paulus ipse exortus est, carnis resurrectionem defenderẽt, ideoque vel leuem corporis sordem eluerent. [Exclamauit in concilio: Viri fratres, Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.] Idcircò [Pharisæi, & omnes Iudæi; nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro nisi baptizentur, non comedunt.] Multa enim occurrebant, quibus se aut mortuorum occursu, aut rerum innumerarum casu, inquinatos & immundos rati, baptizabant se purificabantque, sicque spem resurrectionis inaugurati; licet procederent, vsque ad scrupulum, & baptismum non hominum duntaxat, sed & calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum producerent. Sed si ad legem prouocas, habes in Ecclesiastico. [Qui baptizantur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?] Vbi baptizari à mortuo, idem videri potest ac baptizari pro mortuo; & baptizari à mortuis, idem quod baptizari pro mortuis. ; Quid enim baptizari à mortuo, nisi lauari ac purificari à maculâ ob tactum mortui contractâ: baptizari pro re mortuariâ, lauari pro labe & irregularitate admissâ? [Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid baptizantur pro illis?] Pari iure, etsi non more: [Expanderunt libros legis: & suscitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies: & clamauerunt voce magnâ in cœlum, dicentes: Quid faciemus istis, & quò eos ducemus?] Quid dicemus, quid faciemus Iudæis, maximè Pharisæis nostris? Imò quid facient illi, & quò euadent? Nihil ergo illis prodest, legem seruasse, carnemque à maculis, repetito in spem resurrectionis sacramento repurgasse? Quid enim prodest corpus incoinquinatum à legali immunditiâ seruare, quid prodest inquinatum baptizare; si caro non restituitur, si nulla ei promittitur resurrectio.

A

Act. c. 23.

Mar. cap 7.

B

Ecclesi. c. 34.

C

Iudæi corporali ablutione resurrectionem auspicati.

1. Mach. c. 3.

D

Concludo secundò, Paulum nec errorem hæreticorum, nec Iudæorum morem in argumentationem adduxisse; sed notam Christianorum consuetudinem ad certam fidem induxisse, & inde resurrectionem tam validè quàm & perspicuè intulisse. Quod vt capias: nota primò, Catechumenos olim non statim baptizatos. [Si qui enim, ait Tertullianus, pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem.] Nota secundò, nonnullos cunctabundos, in extremum diem incidisse, & baptismum instante morte petiisse. [Quæsisti, ait Cyprianus, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani. Nos quantum concipit mediocritas nostra, existimamus in nullo mutilari & debilitari posse beneficia diuina; nec minus aliquid illis posse contingere, vbi plenâ & totâ fide & dantis

E

Tertul. l. de bapt. c. 18.

Cyp. lib 4. ep. 7.

dantis & sumentis accipitur, quod diuinis muneribus hauritur.] Nota tertiò, moribundos illos non pro viuis baptizatos, sed pro mortuis: id est, non petebant illi baptismum, neque suscipiebãt pro statu huius vitæ, quàm deserebant, sed pro statu futuræ, quam credebant. Sciebant baptismum tam carni, quàm & resurrectioni prouisum: idcircò nolebant absque illo excedere, vt defuncti tandem resurgere possent: seu baptizati, resurrectionem auderent carnis sibi promittere. Ita, [Baptizari pro mortuis.] Vt & adnotat Epiphanius, est sortem hominis post mortem meditari, & in spem resurrectionis petito & accepto sacramento corporaliter, nedum spiritaliter consecrari. Ita ergo Paulus. Vos scitis, ô Corinthij; & id nonnunquam facitis, faciunt & alij Christiani, qui in extremum, baptismum differunt; petunt autem cum infirmi sunt, & propè morituri. Cui tunc consulunt, aut cui petunt? certè non viuo, sed mortuo. Præcurrunt nimirum mortis statum, petuntque sacramentum regenerationis, in resurrectionis symbolum corporalis, nedum in salutis spiritalis remedium. Quid ergo fiet de illis, quid illis eueniet? Imò quid sentient, aut facient? An eâ fide ac spe baptismum suscipient? ergo concluditur resurrectio mortuorum. An non suscipient? ergo sanctificatio excluditur sacramentorum. Definiendum igitur absoluendumque eos rectè facere, sed & validè suo facto seu exemplo, corporalem statuere resurrectionem.

Baptismus vsque ad extremũ dilatus.

Epiphan. hæres. 28.

DISQVISITIO SECVNDA.

Quomodo Paulus ad bestias pugnauerit.

AD bestias pugnare, idem ac cum bestiis pugnare. [Si secundùm hominem ab bestias pugnaui Ephesi.] Græcè ἐθηριομάχησα: [Cum bestiis pugnaui.] Notat nimirum ἐπιθανατίους, seu θηριομάχους. Sed illi in duplici erant differentiâ. Nonnulli sponte descendebant in arenam, qui ad cultrum se locabant aut gladium: alij morte damnati, bestiis objiciebantur, nec statim à feris discerpebantur, sed pœnam experturi aut pugnam. [Manè, ait Seneca, leonibus & vrsis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur.] Ferarum nempe confectores in spectaculo matutino, in meridiano autem interfectores hominum. Sed vt ad rem Pauli veniamus: obseruandum est primò, Pugnam istam non solùm spiritalem fuisse, sed & corporalem; id est non solùm pressuram fuisse mentis, sed & carnis angustiam. [Vt quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie morior per vestram gloriam fratres.] Quid nos? Apostoli. [Vide, ait Chrysostomus, vndenam dogma aggreditur probare: à suo suffragio: imò verò non solùm suo, sed etiam ceterorum Apostolorum.] Quomodo periclitabantur omni horâ? Quia in continuo corporalis mortis versabantur periculo. [Et per hæc, ait ille, confirmat quod de resurrectione dixerat. Quis enim elegerit tam multas subire mortes, si ne sit quidem postea resurrectio, neque vita. Dixit, Periclitamur. Addidit, Omni horâ. Deinde, Quotidie. Deinde non solùm dicit, Periclitor, sed etiam, Mo-

Sen. ep. 7.

Chrysost. orat. 40.

A rior. Deinde ostendit & quot mortes. Si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest? Pugnaui cum bestiis. Quid enim si me Deus eripuit à periculis?] Vult probare corporalem resurrectionem, idcircò & corporalem producit vexationem. Apostoli variis obiecti periculis. Ego singulis penè momentis versor in discrimine, & mortem patior corporalem. Quis toties mori eligat, propter inanem gloriam; imò quis vitam ita difficilem trahat, nisi propter spem resurrectionis corporalis, & immortalitatis gloriam? Nihil ergo promouet Apostolus si pugnam suam intra terminos spiritalis contradictionis continet: cum & certamina & præmia, omnia sint corporalia.

Apostoli variis obiecti periculis.

B Inde ergo cum ait, [Si secundùm hominem.] Per hominem, carnem intelligit. Idcircò necessaria nõ est parẽthesis, sed nec est superflua: etsi enim non disparat sortem materiæ, pugnæ tamen conditionem denotat. [Si secundùm hominem. Hoc est, vt exponit Ambros. si secundùm humanum sensum.] Sed meliùs ac clariùs, Secundùm hominem: hoc est, secundùm carnem: homo enim in scripturis caro dicitur, & vexatio illa carnis seu corporis intelligitur. [Quid & nos, inquit, omni horâ periclitamur? Vtique, ait Tertullianus, per carnem. Quotidie morior. Vtique periculis carnis, per quam & depugnauit ad bestias Ephesi: illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ. Omnia hæc, nisi fallor, eò enumerat, vt, nolens vanam credi carnis conflictationem, indubitatè velit credi carnis resurrectionem. Vana enim habenda est conflictatio eius, cuius nulla erit resurrectio.] Cum autem ait, [Pressuras Asiaticas,] non intelligit turbas Demetrianas, tum quia nondum illæ excitatæ, quãdo scripta est prima ad Corinthios epistola: cum quia, etsi, [Ecclesia confusa:] Nulla tamen pugna. Notat Tertullianus pressuram Asiaticam seu Ephesinam angustiam, in quâ secundùm hominem, seu secundùm carnem Paulus depugnauerat. Instat enim in corporalibus passionibus, quas & ad resurrectionem, vtique corporalem, per comparationem æquiparat. Est igitur illa, vt ait, carnis conflictatio, sicut & carnis est resurrectio: ideoque secundùm hominem depugnare, aliud non est, quam secundùm carnem, pugnam inire; descendere arenam, certamen suscipere.

Ambros. in Paulum.

C

Tertul. li. de resu. carn. c. 48.

Quænam pressuræ in Paulum Asiaticæ.

D

Obseruãdum est secundò, pœnam illam fuisse primis Christianis ordinariam. [Si Tiberis ascendit in mœnia, ait Tertullianus, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim, Christianos ad leonẽ.] Ita Cyprianus de seipso: [Toties ad leonẽ petitus, in circo, in amphitheatro, Dominicæ dignationis testimonio honoratus: his ipsis etiam diebus, clamore popularium ad leonem denuò postulatus in circo.] Illic enim acclamationes, illic & persecutiones. Vnde Tertullianus: [Odisse debemus istos conuentus & cœtus ethnicorũ, vel quòd illic nomẽ Dei blasphematur, illic in nos quotidiani leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur.] Tamen & vbique Christiani ad mortem proclamati, vbique ad leonem expostulati. Vnde & ille de frequentatis matri-

Tertull. c. 40. Apol.

E

Cypria. l. 1. epist. 3.

Tertul. l. de Spect. c. 26.

Tertul l. de exort. cast c. 12.

monniis: [Nũquid ergo, inquit, huiusmodi & reipublicę prospectu agũtur, ne ciuitates deficiãt, si suboles non exerceantur; ne leges, ne iura, ne cõmercia delabantur, ne tẽpla derelinquantur; ne non sint qui adclamẽt, Christianis leonem. Hæc enim audire desiderant, qui filios quærunt.] Itum est de cæde ad pudorem, maximè quoad feminas Christianas, seu à leone ad lenonem. [Nam & proximè, inquit, ad lenonem damnando Christianam, potius quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ & omni morte reputari.] Porrò, sicut per gladium, pœna omnis notatur iudiciaria; sic & per leonem pugna omnis bestiaria significatur. Leo enim ferarum princeps, ideoque idem damnari ad leonem, & ad bestias condemnari. [Ad bestias impellimur.] Id est, bestijs objicimur: & qui ad leonem adclamant, feras cogitant.

Ad leonem viris, feminis ad leonem.

Tertull. in Apolog. c. vlt.

Tertull. c. 12. Apol.

Concludendum est, Paulum Apostolum reuera ad bestias pugnasse Ephesi, seu cum bestijs depugnasse. [Denique, ait Tertullianus, iam ad bestias depugnauerat Paulus Ephesi, cum interitum decernit incesto.] Id est, iam martyrium degustauerat, iam & prælibauerat supplicium. [Putà sub gladio iam capite liberato, putà in stipite iam leone concesso.] Ita & Augustinus, de Cypriano iam iam immolando. [Aduersùs leonem, inquit, apertè frementem in confessione virile pectus armabat, aduersùs lupum insidiantem gregi sexum fœmineum muniebat.] Damnatus igitur Apostolus ad bestias, vt cum ipsis pugnaret concertaretque; & pugnauit, decertauit, sed armis suis, non carnalibus, sed spiritalibus; non arte humanâ, sed virtute diuinâ: non viribus, sed precibus; non repugnando, sed orando; non feritate, sed pietate: pugnam iniit sub oculis diuinis, & sub iisdem auspicijs retulit victoriam. Videsis quæ obseruaui in Tertullianum meum, & quos huiusce sententiæ laudaui assertores & vindices. Nec enim actum ago, aut dictum repeto. Illud solùm addo, litteram non contorquendam, vbi sanus est intellectus: non enim bestiæ statim in homines commutandæ sunt, vbi legentes pugnam capiunt, & inde ediscunt historiam. Nam & ille, qui homines immites feris comparauit, cum ipsis tamen bestijs depugnauit. [De Syriâ, inquit, vsque ad Romam pugno ad bestias in mari & in terrâ, nocte, dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt; quibus & cum benefeceris, peiores fiunt. Vtinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & allici ad comedendum me; ne sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuoret.] Clara sunt omnia. Nam priùs homines nominat ferinos, milites scilicet truculentos, quibuscum præludit, & ex eorum rabie se ad pugnam instruit. [Iniquitas autem eorum, mea doctrina est.] Tum & de supplicijs agit: non sibi solùm, sed & omni Christiano præparatis: iam leoni occurrit, iam illi vim facit. Reuera enim Ignatius ad bestias damnatus est, descendit in arenam, sed aliam reportauit victoriã.

Tertul. lib. de pudicit. c. 12.

August. ser. 11. ex Parisiens.

Ignat. epist. ad Rom.

Ignatius bestiarum dentibus præfocatus.

A Tria tamen diluenda sunt. Quorum primum est, aliud esse pugnare ad bestias, aliud verò dãnari ad bestias. Fateor: ista duo diuersa sunt, non sunt tamen contraria. Nonnulli pugnabant ad bestias, nec ad bestias tamen erant damnati. [Quid illud oro te, ait Cyprianus, quale est, vbi se feris obiiciunt, quos nemo damnauit: pugnant ad bestias, non crimine, sed furore.] Alij ad bestias erant damnati, nec tamen depugnabant: & id propriè est objici bestijs. [An alicui Cæsari, ait Tertullianus, parcit illa lingua Romana? Testis est Tiberis & schola bestiarum.] Qui enim verbo aut facto læserat Cæsarem, projiciebatur in Tiberim, aut feris obiiciebatur laniandus vorandusque, cum hoc (puta) elogio: [Impiè locutus est Palmarius.] Alij denique, & damnati erant, & pugnabant, id est, tam ad lanienam quam ad pugnam, datâ sententiâ condemnati. Et id propriè non bestijs obiici, sed ad bestias impelli, vti dixit Tertullianus, seu, vt Seneca, ad vulnera plagis adiici. [Qui damnantur in ludum, ait & ipse Tertullianus, quale est vt de leuiore delicto in homicidas emendatione proficiant?] Nunc enim cum leonibus, nunc & cum hominibus. Sic ergo damnatus est Apostolus, vt ad bestias depugnaret, nec tamen adactus, vltrò enim in arenam descendit, & diuino fultus auxilio, sine ictu pugnam iniit, sine conatu retulit victoriam.

B

Cyprian. lib. 1. epist. 2.

Tertul. c. 35. Apol.

Tertul. lib. de Spect. c. 19.

C Ita nonnulli ex Christianis obiecti, nonnulli impulsi: sed sicut nullus obiiciebat se, ita nullus resistebat: sponte enim descendebant in prælium, & euentum committebant prouidentiæ; quæ non semel leones effecit sicures, & per indomitas feras, homines infideles perdomuit. Quoties enim bestiæ naturalis feritatis oblitæ, procumbebant ad pedes Christianorum, imò & lambebant? Quoties & iudices aut victoriam martyrum stupentes aut patientiam, facti sunt Christiani? [Siue itaque, ait ille, nos ad Deum expansos vngulæ fodiant, bestiæ insiliãt, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.] Non.n. ferro pugnabãt, sed ligno; quo non solũ fortes erãt, sed inuincibiles.

Nonnulli bestiis obiecti, nonnulli impulsi.

Tertul. c. 30. Apol.

D Alterum, Paulum fuisse ciuem Romanum, ideoque ab isto immunem fuisse supplicio. Agnosco suppliciũ fuisse vilium personarum, seruorum, sicariorum: hac enim sorte, [Hac conditione, vt dixit Calpurnius, nihil est humilius in vulgo.] Sed inde concludo paratum ipsis supplicium Christianis, quos vocabant, [Cerdones.] Et inter abiectiores computabant viliores que. Ita Quintianus Agathæ: [Nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem & seruilem Christianorum vitam agere?] Quoties & ipse Paulus virgis cæsus est, etsi ciuis Romanus? quidni feris datus, etsi ciuis Romanus? Nullum legis suffragium, vbi aut criminis vulgabatur enormitas, aut immanitas principis bacchabatur: adeo vt ipse Nero apud Suetonium: [Exhibuerit ad ferrum quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos. Ex iisdem ordinibus confectores quoque ferarum & varia arenæ ministeria.] Nulla priuilegij prærogatiua, sed famosi nota iudicij. An ergo quis excipiat, [Christianum hominem:] Quem præsumat, vti dixit Tertullianus: [Omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum,

E

Tertul. c. 2. Apol.

morũ, naturæ totius inimicum?] Imò quicumque excipiet, grauiùs luet, & inclementiùs. Tertiũ denique, id nullâ proditum historiâ. Testes dedi Origenem, Cyprianum, Ambrosium: quibus adde Tertullianum, Theodoretum, Primasium: adeò vt suppressâ etiam Nicephori historiâ, tot eius rei testes sint quot & iudices. Et quanta pertulit Paulus, quæ Lucas non retulit? Nonne Apostolus ipse legitimus est Actuum suorum scriptor, imò quis ad hæc magis idoneus? Pugnauit Ephesi, & pugnauit cum bestiis. Non hæc Lucas, qui nihil vel per vmbram tetigit: sed Paulus, qui veram ac certam pugnæ transactæ tenuit memoriam. Finio, tribus notis, sed breuibus verbis. Primum est ethnicos hisce pugnis impensè delectatos: secundum, in Christianos maximè, imò ferinè animatos: tertium, hocce supplicio pastos, potius quàm altero, tum vt crudelia pascerent lumina, cum vt in ventrem infodientes leonis, spem omnem resurrectionis adimerent. Idcircò Paulus prædicans resurrectionem carnis, congredi cum bestiis compulsus est. Quis enim credat eum resurrecturum, qui à bestiis absumptus est, nisi qui sperat etiam capillum capitis ab ignibus, nedum à leonibus repetendum?

Quàm certa sit Paulinæ pugnæ historia.

DISQVISITIO TERTIA.

De ceteris edisserendis.

NOnnulla sparsim interseruimus non æquè difficilia, nunc & alia edisserimus non temerè præsumenda. Iurat Paulus, Menandrum laudat comicum Apostolus: illud quidem benè, si piè; & istud iustè, si sobriè.

Et quidem quoad primum, non abnuimus iurasse Paulum, qui scimus Christum ipsum non semel deierasse. Multi, vti notauit Augustinus: [Quid sit iurare prorsus ignorant: putant enim se non iurare, quando in ore habent, Scit Deus: &, Testis est Deus: quia non dicitur, Per Deum: & quia talia reperiuntur in Apostolo Paulo. Sed etiam illa ibi contra eos inuenta est, quàm non confitentur esse iurationem, vbi ait Apostolus, Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. In Græcis enim codicibus reperitur omninò esse hanc iurationem, ne quis in Latinâ linguâ hoc sic intelligat dictum, Per vestram gloriam: quomodo dictum est, Per meum aduentum iterum ad vos: & multa similia, vbi dicitur per aliquid, & non est iuratio.] Verè iurauit Apostolus, cum in Græco sit νὴ non διὰ, & iurauit per gloriam, seu gloriationem, Græcè ὑμετέραν καύχησιν, sed eâ gloriâ quam habebat in Christo Iesu, à quo sicut iurandi desumebat occasionem, sic & omnem referebat rationem gloriandi. Quotidie moriebatur Apostolus, & id multum interest scire; nam & id sustinet propter electos, vt erigantur in spem, salutem consequantur. Sed quis id sciet, nisi affirmet Apostolus? quis credet singulis penè momentis mori, vno vt ita dicam gradu ab imminente morte diuidi; nisi iuret ille, qui casuum suorum maximè conscius? Verum est dictu, & relatu necessarium; tamque maturè ac consideratè expressum, quàm & religiosè. Aut igitur nusquam iurandum est, aut piè sanctèque deieratum. [Sed non ideò, ait ille, quia in suis litteris iurauit Apostolus, vir in veritate firmissimus, ludus nobis debet esse iuratio. Multò enim tutiùs, quantum ad nos attinet, nunquam iuramus, vt sit in ore nostro, Est est, non non: sicut Dominus monet. Non quia peccatum est, verum iurare: sed quia grauissimum peccatum est, falsum iurare: quò citiùs cadit, qui consueuit iurare. Melius quippe nec verum iuratur, quam iurandi consuetudine & in periurium sæpè caditur, & semper periurio appropinquatur.]

Aug-ep-89. init.

Iuramentũ quâ cautione sit edendum.

Augustin. sub fin.

Certè, si non iuras, securus es, si iuras, incertus, perplexusque, nonnunquam reus: idcircò non dico tibi malum esse iuramentum, sed periculosissimum. [Si peccatum esset iuratio, ait ille, nec in veteri lege diceretur, Non periurabis: reddes autẽ Domino iusiurandum tuum. Non enim peccatum præciperetur nobis. Sed ait tibi Deus tuus, Si iuraueris, non damnabo: si verum iuraueris, non damnabo. Sed, nunquid, si non iuraueris, damnabo? Duo sunt, inquit, quæ non damno vnquam, veram iurationem, & nullam iurationem: damno autem falsam iurationem. Falsa iuratio, exitiosa est, vera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura est. Vt noueritis, verum iurare non esse peccatum, inuenimus & Apostolum Paulum iurasse: Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres. Per vestram gloriam, iuratio est. Non quasi sic ait, Per vestram gloriam morior, quasi vestra gloria me fecit mori: quomodo si diceret, per venenũ mortuus est, per gladiũ mortuus est, id est, faciẽte gladio, faciẽte veneno. Nõ sic dixit, sed, Per vestram gloriã. Nemo dubitet iurasse Apostolum, cum dixit, Per vestram gloriam. Sed ne putemus eum per humanam gloriam iurasse, addit, Quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.] Iurauit reuera, sed vera iurauit; nec solùm iurauit in veritate, sed & cum pietate. Nam cum iuratio, actio religionis sit, & iustitiam adhibere debet pro præstite, & reuerentiam pro comite. Inde sacramentum dicitur, quia non solùm religionis actu, sed & ritu pietatis obstringitur. [Quid est enim iurare? ait ille, nisi ius reddere Deo, quando per Deum iuras; ius saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam iuras; ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras. Quod autem ius debetur saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis, & non falsitatis?] Sed felicior ille qui nullo obstringitur vinculo, nullo enim periculo inuoluitur. [Vis ergo longè esse à periurio? Iurare noli. Qui enim iurat, aliquando verum iurare potest; qui autem non iurat, mendacium iurare nunquam potest.] Iuret Apostolus, qui iurat securus; sed parcat Christianus, ne se inter humanas illaqueet fallacias.

Aug. ser. 28. de verb. Ap. cap. 4 & 5.

Iuramẽtum etsi bonum non tamen vsurpandũ.

Aug. eodem serm. cap. 6.

August. c. 3.

Quoad secundum. Quando Paulus ait, Manducemus, & bibamus. [Verbum irridentis est.] Vti dixit Chrysostomus. Et eodem sarcasmo Tertullianus. [Adiiciant, inquit, tertium dictum, Manducemus, & bibamus, & nubamus; cras enim moriemur; non recogitanti-

Chrysost. orat. 40.

Tertul. l. de Monog. c. 16.

bus, Væ illud prægnantibus & lactantibus.] Quid dicam, irridentis? Adjiciam, & deflentis. [Sicuti, ait ille, nos non dubitamus exertè mandare, Ieiunemus fratres & sorores, ne fortè cras moriamur.] Et antè Paulum, nedum ante Tertullianum, Esaïas Propheta cap. 22. [Non enim, ait Chrysostomus, hoc ex se adduxit Apostolus, sed magni loquentissimum Prophetam produxit Esaïam, qui de iis qui omnem sensum doloris exuerunt, & sunt deplorati, dicebat hæc verba: Qui mactāt vitulos, & sacrificāt oues, vt carnes comedāt, & vinū bibāt. Qui dicunt, Comedamus & bibamus, cras enim morimur.] Sed dictum haud dubiè processit, si non ab aliquo de Epicuri grege porco, saltē ab aliquo Aristippi discipulo: imò Epicuros omnes & Aristippos præcessit. Nam Clemens Alexandrinus, agens de sacrilego Iudæorum conuiuio: [Fecerunt, ait, lætitiam, occidentes vitulos, & dicentes, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.] Vnde, vnde illud dictum sit, profanum est, impium, sacrilegum. Vnde & verbum traducit, imò & Mimum adducit, non minùs profanum, non minus impium. Ita Tertullianus. [Sed omissis, inquit, quidam diuinis exhortationibus, illum magis Græcum versiculum secularis sententiæ sibi adhibent; Qui fugiebat, rursus præliabitur.] Cui ille: [Respondebo & ego de seculo aliquid, Vsque adeone mori miserum est?] Siue ergo Menandro, siue Euripidi reddatur versus ille senarius à Paulo citatus, ex eodem fonte haustus est: noluit enim impijs, nisi per impios respondere, id est ipsos proprijs voluit damnare sententijs. [Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala.] Græcè ὁμιλίαι κακαί. Non aduocabo inimicos in iudices, ipsos ciues destinabo; ne querantur se aut odio damnari, aut ab alieno iudicari.

Tertul. l. de ieiu. c. 17.

Chrysost. orat. 4.

Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 1.

Tertul. l de fug. in persec. cap. 10.

Impij propria condemnati sententia.

Non negabo posse nonnunquam sanctos vti profanis, Christianos philosophis, sed nolo abuti. Permitto vsum ancillæ Agar Abrahamo domino, sed dominium seruo Saræ liberæ. [Non sumus apti, ait Philo, prolem ex virtute suscipere, nisi priùs misceamur eius ancillæ: Est autem Sapientiæ ancilla, illa quæ in liberalibus artibus scientia ponitur.] Sed si vsus immodicus, iam nullus fructus est; non est enim copiam parere, sed sapere ad lasciuiam. Non damno veram iurationem, sed pietatem exigo: non improbo humanam testificationem, sed sobrietatem desidero. Imò sicut nullum iuramentum, tutius est quouis iuramento: ita nullum testimonium, melius est nullo testimonio. Quid habet Christianus commune cum idololatris, cum damnatis, quibuscum non solum ius interdicitur communionis, sed & genus hostilitatis indicitur irreconciliabilis. Tandemque cum idololatris reducentur idola gentilium, tandem cum damnatis inferentur dæmonum supplicia? Humana sint ista: sed nec reproba idolorum materia, nec natura dæmonum improba. Christianus humanitati non studet, sed diuinitati; imò quod humanum est, exuit, pigetque esse hominem, nec iam ad humanitatem, sed ad Deum ipsum contendit. Sed patres, ais, non spreuerunt secularem litteraturam, Paulus ipse in facto, nec semel deprehensus est. Non ergo licet, imò & decet imitari, exemploque patrum formari & Apostolorum? Quoad patres, necessitate compulsi sunt, non curiositate illecti. Quomodo enim reuincerent ethnicos profanosque, an ex sacris litteris diuinisque? Sed, vt dixit Tertullianus: [Tanto abest vt nostris litteris annuant homines, ad quas nemo venit, nisi iam Christianus.] Ex propriâ igitur ipsorum litteraturâ. Nunc verò sublatâ necessitate, non est opus istâ vanitate. Potest ethnicus ethnicum instruere, debet Christianus ethnicum ducere; sed nec potest oculatus à cæco duci, nec debet sanctus à profano instrui. Quoad Paulum, dicam vno verbo, Paulum imitare, & ita non probabo solùm, sed & rogabo. [Conuictus, ait ille, atque colloquia Deo digna sectare, memor illius versiculi, sanctificati per Apostolum: Bonos corrumpunt mores congressus mali.] Si tu potes ex profano sanctum facere, iam non profanus, sed sanctus es.

Philo de congres. erud. caussa.

Studium Christiani non in humanis, sed in diuinis positum.

Tertul. l. de testim. an. cap. 1.

Tertul l. 2. ad Vxo. c. vlt.

TROPOLOGIA.

Vnusquisque autem in suo ordine.

EX Græcis: [In proprio ordine.] Potest autem esse triplex ordo. Primus est temporum: alius meritorum: tertius dignitatum. Ita non sine honore, nec sine ordine.

Quoad primum. Non solùm indicatur ab Apostolo, sed & affirmatur.] Vnusquisque in ordine suo. Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt.] Quæ à Deo sunt, ordinata sunt: quomodo ergo non erit ordinata resurrectio, quæ ex Dei placito, & Christi merito? Sed quis ille ordo? an ordo temporum? Quidni? Sic enim recenset Paulus, quasi tempora labentia dinumeret. Vnusquisque in ordine proprio. Sed ordo, prioris & posterioris est dispositio. Quis ergo prior? [Primitiæ Christus.] En ille omnium primus ad æternam vitam suscitatus. Sed quomodo primus? proprio ordine, & suo tempore. Ita dixit: [Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.] Seu, vt ex Græco, factus est, fuit primitiæ eorum qui dormierunt. Alios omnes præcessit tempore: prior fuit in ordine. Deinde, seu, [Postea.] Sic enim habent Græca. [Ij qui sunt Christi.] Qui ad ipsum pertinent. [Deinde finis.] Nam, vt addit. [Nouissima autem inimica destruetur mors.] Audis primum, audis nouissimum: atquin in primo & nouissimo, ordo est temporis, ergo totus ille ordo ab Apostolo designatus, ordo est temporis. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Nam, vt dixit Ambrosius: [Post consummationem seculi missis angelis qui segregent bonos & malos, hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, vt in regno Dei fulgeant iusti sicut sol in regno patris sui.] Purgabit ignis quicquid residuum est, tandemque exulabit mors cum suis reliquijs, destruetur, abolebitur: non quod peritura sit, sed quod nullum deinceps in sanctos electosue ha-

Ambros. Enarrat. in Psal. 118. oct. 3.

Mors non morietur, sed æterna

confundetur supplicio. bitura sit imperium. Illis enim totâ immortalitate, sicut & totâ sanctitate donatis: mors mittetur in stagnum ignis & sulphuris, & æterno confundetur supplicio. Non enim reprobi suscitati sunt vt viuant, sed vt continuum non dolendi tantum sed & moriendi sentiant supplicium. Primus ergo tempore Christus: postea ij qui sunt Christi. Ita apud Matthæum: [Monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt.] Quanquam enim id scriptum in passione, factum tamen in resurrectione: prolepsis est, figura scripturis vsitata. Monumenta aperta sunt, id est vacua relicta: non enim erat necessè aperiri, vt resurgerent sanctorum corpora, sed necesse erat sciri inania esse sanctis iam suscitatis monumenta. Innuit Petrus, cum ait: [Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.] Apertum scilicet & vacuum. Si enim primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi. Quis magis Christi, quàm pater Christi? Et si adhuc hæsitas de patre, nihil de matre dubitas. Fides enim Ecclesiæ in eo est, vt prædicet Mariam præcoci resurrectione suscitatam, affirmetque totam & integram, id est, & mente & carne assumptam. [Sicut enim, vti dixit Augustinus, voluit Christus integram matrem virginitatis seruare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore?] De ceteris, nihil tutò dici potest, sed aliquid pro voto conijci. Sufficiat ordinem esse ac dispositionem. [Nam, vti dixit Chrysostomus, quoniam audiuisti resurrectionem, ne existimes omnes eadem assequi & iisdem frui. Nam si in supplicio non omnes eadem patiuntur, sed magna est differentia, multo magis vbi sunt peccatores & iusti, maior est distantia.] Quocirca si nonnulli facinorosi, & insigniter impij, ceteros præcessere damnatos, vitaque ad inferos descendere: cur non vis aliquos excellenter sanctos communem omnium præuenisse resurrectionem?

Matt. c. 17.

Act cap. 2.

Augustin. de assump. Virg. c. 5. si illius.

Chrysost. orat. 39.

Quoad secundum. Dignum est vt superiora subluceant præmia, vbi potiora emicant merita. [Vnusquisque autem in suo ordine, scilicet, ait Tertullianus, quia & in suo corpore. Ordo enim non aliud quàm meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, vt possit esse meritorum.] Quid putas? confundi hædos cum ouibus, impios cum fidelibus aggeri? quasi nulla locorum distantia sit, nulla sit differentia meritorum? [Ordinem exponit Apostolus, (verba Ambros.) & tempora quando facta sit resurrectio, & quando futurum sit vt resurgant mortui.] Præcessit ordo temporum, nunc succedit ordo meritorum. Cur enim non priores resurgant virgines, cum inter illecebras tentationum, inter voluptatum fallacias viuant incorruptibiles? [Cur enim, ait Tertullianus, Dominus, Væ prægnantibus & nutricantibus cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur in illâ die expeditionis incommodum futura? vtique nuptias imputaturus. Istud autem ad viduas non pertinebit: ad primam angeli tubam expeditæ prosilient.] Si id ad ventres steriles non pertinet, quanto magis non pertinet ad virgines? [Nullâ, vt ille ait, in vtero, nullâ in vberibus æstuante sarcinâ nuptiarum.] Cur priora non resurgant corpora, fame ac macie siccata, cum consistant incorrupta? [Nos certi sumus, (ita Tertullianus) eos qui in carne sunt, Deo placere non posse; non vtique in substantiâ carnis, sed in curâ, sed in affectione, sed in operatione, sed in voluntate. Macies non displicet nobis: neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec Spiritum ad mensuram. Faciliùs si fortè per angustam salutis ianuam introibit caro exilior, citiùs resuscitabitur caro leuior, diutiùs in sepulturâ durabit caro aridior. Ceterùm saginatior Christianus vrsis & leonibus fortè quàm Deo erit necessarius, nisi quòd & aduersus bestias maciem exercere debebit.] Nimirum vt carneus sit, ne dicam & ferreus, aridâ carne, aut solâ cute loricatus. Quid ergo de obesis istis corporibus, monstrosis hominibus, quorum anima in ventre defossa: & cura in carne posita? Si prægnantes nutricantesque premuntur sarcinâ nuptiarum, ne expeditæ ad primam angeli tubam prosiliant; quid illi qui aqualiculum gerunt, qui palatum meliùs instruunt quàm ingenium; non obterentur obruentur-ue ciborum farturâ, ne in nubibus Christo occurrant. Primitiæ ergo Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui secuti sunt vestigia, qui exempla sunt imitati. Vbi enim corpus est, illic congregantur & aquilæ; vbi Christus, illic sociantur & asseclæ: cum enim assueti sint conuictui, cum & aduentui intenti fuerint; statim rapiuntur obuiam Christo in aëra; & in æterna recipiuntur tabernacula.

Tertul. l. de resur. car. c. 48.

Ambros. in Paul.

Tertul. l. 1. ad Vxo. c. 5.

Tertul. l. de Ieiun. c. vlt.

Obesa corpora non citò resurrectura.

Aug. ser. 18. de verb. Do. c. 18.

Quoad tertium. Iustum est vt boni cum bonis resurgant, mali serpant cum malis. Christus primitiæ, vtique fructuum, an & palearum? [Cognoscimus esse intus in Ecclesiâ & bonos & malos, quos dicimus frumentum & paleam. Nemo antè tempus deserat aream, toleret paleam in triturâ, toleret in areâ. Quod enim toleret, in horreo non habebit. Veniet ventilator, qui diuidet malos à bonis. Erit enim corporalis separatio, quam modò spiritalis præcedet.] Quando autem veniet ventilator, putas ne multum curet de paleis igni inextinguibili comburendis, & non potius vt triticum in horreum suum congreget? [Mediâ nocte veniet, ait idem Augustinus. Quid est, mediâ nocte veniet? Dum nescis veniet. Quare dum nescis, veniet? Ipsum Dominum audi: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate.] Veniet tamen, etsi die quam non cogitas, etsi horâ quâ ignoras, & diuidet malos à bonis, imò bonos bonis iunget malos malis. Parum est: sicut ordo vitiorum est, virtutumque, sic & inter malos & bonos ordo erit resurgentium. [Quid ait paterfamilias? (verba sunt Augustini) Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Per quid crescere? Vtique per agrum. Quis est ager? Enarrauit Dominus. Ager est, inquit, hic mundus. Quæ est messis? Messis est, ait, finis seculi. Qui sunt messores? Messores, inquit, angeli sunt. Colligite, ait primum Zizania, & alligate fasciculos, ad

August. ser. 18. de verb. Dom. c. 7.

August. ser. 18. de verb. Dom. c. 19.

comburendum ea.] Quid est, alligate fasciculos? [Luxuriosos cum luxuriosis, auaros cum auaris, rapaces cum rapacibus, fornicatores cum fornicatoribus.] Sed si quis ordo in dignitatis, quantus erit dignitatis? Si ordo in damnandis, quanquam nullus ordo in inferno; quantus erit in electis, in quibus ordinata sunt omnia? [Et mittet angelos suos cum tubâ, & voce magnâ: & congregabunt electos eius à quattuor ventis.] Colligantur mali, boni congregantur: quia in fasciculos illi, isti in cuneos. Nam sicut in malis ordo vitiorum est, sic & in bonis ordo virtutum. Patriarchæ cum Patriarchis, prophetæ cũ prophetis, Apostoli cũ Apostolis, martyres cum martyribus, virgines cum virginibus. [Vnusquisque in ordine suo.] Qui digniores, ij priores erunt: ibi enim præcedere aliud non est quàm præcellere. [Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi.] Christus in suo ordine solus, & prior tempore, & potior dignitate. Deinde ij qui sunt Christi. [Hoc est, vt exponit Chrysostomus, fideles & qui sunt probati, & bonæ existimationis.] Nimirum, quorum maior existimatio, eorum illustrior erit resurrectio. Vnusquisque in ordine suo. Martyr in ordine martyrum, Virgo in ordine virginum. [Et vidi, ait Ioannes, & ecce agnus stabat suprà montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit.] Illic, [Duodecim millia signati.] Istic, [Duodecim millia signati.] Omnes quidem signati sunt, quia ij sunt, qui sunt Christi: [Sed in illâ beatitudine, vt ibi dixit Ambrosius, diuersi ordines sunt, vt sunt Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines.] Ita igitur vnusquisque in ordine suo: vt martyres in ordine resurgant martyrum, virgines in ordine virginum, & omnes in proprio consistant ordine: omnes ordinem suum seruent, id est, propriam conseruent dignitatem.

Matth. c. 24

Martyres resurgent cum martyribus, virgines cum virginibus.

Chrysost. orat. 39.

Apocal. cap. 14.

Apocal. c. 7.

Ambros. in cap. 14.

ANAGOGIA.

Cum tradiderit regnum Deo & Patri.

TRia prædicit Apostolus de fine seculi, & consummatione iudicij. Ait enim, [Deinde finis.] Nimirum, [Cum tradiderit regnum Deo & Patri.] Et quoad primum. [Cum euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem.] En quoad secundum. [Nouissima omnium destruetur mors.] En quoad vltimum.

Quoad 1. Multa, vt Augustinus notauit. [In hoc capitulo solent habere quæstionem. Primò, quod dictum est, Cum tradiderit regnum Deo & Patri: quasi nunc non teneat regnum Pater. Deinde quod dictum est, oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis; quasi postea non sit regnaturus, & ad hoc valeat quod suprà dictum est, Deinde finis. Quod sacrilegâ opinione sic accipiunt, quasi finem dixerit consummationem

August. lib. 83. quæst. 69.

A regni eius; cum sit scriptum in Euangelio, Et regni eius non erit finis. Postremò quod dictum est, Cum autem ei omnia subiecta fuerint, tunc & ipse filius subiectus erit ei qui illi subiecit omnia: sic volunt intelligi, quasi nunc aut aliquid filio non sit subiectum, aut Patri non sit ipse subiectus.] An ergo regnum diuisum est? Imò, vt Tertullianus pronuntiat. [Adeò manet in suo statu, vt etiam restitui habeat Patri à filio. Siquidem Apostolus scribit de vltimo fine, quum tradiderit regnum Deo & Patri. Oportet enim eum regnare vsque dum ponat inimicos eius Deus sub pedes ipsius; scilicet secundùm Psalmum, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Cum autem subiecta erunt illi omnia, vtique absque eo qui ei subiecit omnia, tunc & ipse subiicietur illi, qui ei subiecit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Videmus igitur non obesse monarchiæ filium, etsi hodie apud filium est; quia & in suo statu est apud filium, & cum suo statu restituetur Patri à filio. Ita nemo eam hoc nomine destruet si filium admittat; cui & traditam eam à patre, & à quo quandoque restituendam Patri constat.] Sed dicamus clariùs, agamusque sinceriùs. Quale est regnum istud de quo loquitur Apostolus, dum pollicetur Deo & Patri tandem à filio tradendum? Certè regnum aliud non est, quàm nos ipsi, sed quatenus gloriosi, id est, penitùs immutati. [Non enim, ait ille, carni defendimus Dei regnum, sed resurrectionem substantiæ suæ, quasi ianuam regni per quam aditur. Ceterùm, aliud resurrectio, aliud regnum. Primò enim resurrectio, dehinc regnum. Resurgere itaque dicimus carnem, sed mutatam consequi regnum.] Ita illi in Apocalypsi: [Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terram.] Super corpora terrena, sed iam in totum per resurrectionem, seu immutationem, rationi, imò spiritui subdita. Est igitur, [Ecclesia, vt notauit Ambrosius, ex omnibus gentibus collecta.] Sed iam gloriosa, iam regnans, iam & triumphans. Hæc est ergo Ecclesia Dei, quam acquisiuit Christus sanguine, suo, & eam tradit Deo & Patri, dum agnoscit gloriam omnem tandem in ipsum Deum & Patrem conferendam. [Nec enim sic arbitremur, ait Augustinus, Christum traditurum regnum Deo & Patri, vt adimat sibi. Cum enim dicitur, Tradiderit regnum Deo & Patri: non separatur ipse, quia simul cum Patre vnus Deus est. Quid est ergo, Cum tradiderit regnum Deo & Patri, quasi modo non habeat regnum Deus & Pater. Sed quia omnes iustos in quibus nunc regnat ex fide viuentibus, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus perducturus est ad speciem.] Tunc aperiet fontem, à quo fluit potentia omnis & gloria: ostendet Patrem, à quo ipse & gloriam accepit & potentiam. [Cum enim subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi: ostendens scilicet magnam cum Patre concordiam, (verba Chrysostomi) & quod is sit principium bonorum, & causa prima qui eum genuit.] Omnia tradit & confert Pater

Tertull. lib. adu. Prax. c. 4.

B

Vna monarchia, in tribus constituta.

C

Tertull. lib. 5. aduers. Marc. c. 10.

Apocal. c. 5.

D

Ambros. ibidem.

Aug. l. 1. de Trinit. c. 8.

E

Chrysost. orat. 39.

Filio, omnia remittit refertque filius Patri. Quanta concordia! Se Deum ostendit, sed Deum de Deo, vt à principio, in quod regnum suum, sicut & seipsum refundit.

Quoad 2. Abolebit Christus principatum omnem, & omnem potestatem, & virtutem. δύναμιν, potentiam, audaciam insolescentem, & aduersus regnum cœli, aduersùs Dei insurgentem imperium. Quid enim nunc? [Sustinet ingratissimas nationes, ait Tertullianus; ludibria artium & opera manuum suarum adorantes, nomen cum familia eius persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat.] Videtur enim patientia inferre præiudicium potentiæ, & clementia iustitiæ dubium ingerere. [Et vtique, ait Augustinus, illa maiestas posset vel nihil perpeti, vel continuò vindicari. Sed cum esset in illo tanta potentia, ideo fuit etiam tanta patientia.] Igitur videtur Deus in hoc seculo patientiam demonstrare, celare potentiam. Inde & Dei tolerantiâ, & morâ iudicij abusus est diabolus: non enim scelera spargere contentus, vt Dei læderet maiestatem; idola tandem commentus est, vt diuinitatem concuteret, & de proprio, si posset, solio aggressus est deiicere. Ibi vis omnis dæmonum, tyrannis principatuum, potestatum, & virtutum, quæ regno Christi, non solùm tendit insidias, sed & minas intendit. Quid ergo Christus in illâ beatâ resurrectione? Euacuabit omnem principatum, potestatem & virtutem. [Quemnam enim, ait Chrysostomus, hîc Apostolus euacuari dixit & aboleri principatum? Angelorumne? Absit. At fidelium? Ne hoc quidem. Sed quemnam? Dæmonum, de quo dicit: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principatus, aduersùs potestates, aduersùs mundi rectores huius seculi. Nam nunc quidem non sunt plenè abolita nec adhuc cessant, in multis enim locis operantur: tunc autem cessabunt. Oportet enim illum regnare: donec ponat inimicos sub pedibus eius.] Euacuanda est igitur insolentia dæmonum extollens se aduersùs Dominum & aduersùs Christum eius, regnumque concutiens. Ab ipso Christi regno, ab Ecclesiâ Dei gloriosâ, tandem eliminanda est, & in perpetuum releganda dissidium. Sed quò longiùs exulat ab alienis, eò sçuiùs suis incubat, acriusq; hoc enim vnum illi restat negotium, vt perditos cruciet, damnatos suis societ suppliciis: nō enim potestas nocendi reprobris aufertur, sed confertur; nec pronitas frenatur suis insultandi, sed firmatur. Cum enim ira Dei in illos confirmata sit, completa etiam in ipsos diaboli nequitia est; & cum nulla spes sit misericordiæ, quid est quod supersit, nisi species omnis sæuitiæ. Inde ergo tam pacatum in electis regnum, quàm perpetuum in reprobis supplicium. [Ibi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur; quibus sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. Illic nec operosa erit actio, nec requies desidiosa: laus erit Dei sine fastidio, sine defectu: nullum in animo tædium, nullus labor in corpore; nulla indigentia; nec tua, cui subueniri desideres; nec proximi, cui subuenire festines. Omnes deliciæ Deus erit, & societas sanctæ ciuitatis in illo & de illo sapienter beateque viuentis. Efficiemur enim sicut ab illo promissum speramus & expectamus, æquales angelis Dei, & cū eis pariter illâ Trinitate perfruemur iā per speciem, in quâ nunc per fidem ambulamus.] Quies illa firmabitur, nec vllâ malorum infestatione, nulla dæmonum tentatione turbabitur.

Tertull lib. de Patient. cap. 1.

Augustin. serm. 34. de diuers. c. 4.

Chrysost. orat. 38.

Quanto longiùs dæmones ab alienis exulant tentandis, tanto acriùs suis incubant cruciandis.

August lib. de catech. rud. cap. 25.

Quoad 3. Tandem; infensissimus omnis hostis excludetur, & inde finis, inde status concludetur rerum mortalium. Non enim mors erit amplius, neque dolor erit vltrà; sed status malorum omnium absolutione lætus, bonorum omnium aggregatione perfectus. [Hoc est, ait Augustinus, regnum Dei, quod filius traditurus est Patri: vnde dicit Apostolus, Initium Christus, deinde qui sunt Christi in præsentiâ eius. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri: id est, quos redemit sanguine suo, tradiderit contemplando etiam Patri suo. Hoc est regnum cœlorū, de quo dicitur, Simile est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Bonum autem semen, hi sunt filij regni; qui etsi nunc habent permixta zizania, mittet in fine rex ipse angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris sui. Regnum fulgebit in regno, cum regnum venerit in regnū: quod nunc oramus, & dicimus, Veniat regnum tuum.] Vidisti initiū: primitiæ enim in Christo præmissæ sunt. Nunc vides finem omnis cōsummationis, cum mors inimica destruetur nouissima, & cum suis reliquiis in perpetuum detrudetur exitium. Et primo quidem igne quodam excoquentur, qui nondum satis puri, & ad purum reddentur & integrum. [Si quis enim, vt dixit Origenes, in secundâ resurrectione seruatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, vt quicquid habuerit lignorū, fœni, & stipulæ, ignis cōsumat.] Purificatio, purgatio sanctorum est, nedum delictorum eliquatio: non vt sint illi sine carne, sed sine fomite; non sine materiâ, sed sine scoriâ: tunc appetente æternitatis luce, vel ipsa mortalitatis vmbra dissipabitur, & stola immortalitatis donabitur in æternum duratura. Tunc erit Deus omnia in omnibus, cum nihil amplius carnale erit, nihil mortale, nihil fragile: quicquid superarit, tam diuinum erit, quàm & perpetuum. Tam animus Deo subjicietur, quàm corpus animo, imò vnus efficietur spiritus, tantaque voluntatum concordia erit, quanta beatorum omnium lætitia. [Deus enim omnia in omnibus dicitur, ait Augustinus, vt nemo eorum, qui ei cohærent, amet aduersùs eum suam propriam voluntatem; manifestumq; fit omnibus quod idē Apostol. alio loco dicit, Quid autem habes quod non accepisti? Subiecti autem secundùm contemplationem sempiternæ veritatis, ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nullâ corporis parte resistente; vt in illâ vitâ nemine amante propriam potestatem, sit Deus omnia in omnibus.] Huc aspirant sancti, hoc & sperant. [Credimus enim, ait ille, quod non videmus, vt ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus & inhærere mereamur: vt æqualitatem Patris & Filij & Spiritûs sancti, & ipsius Trinitatis vnitatem, quo modo sunt hæc tria vnus Deus, non


Augustin. Tract. 68 in Ioan. in me.

Origen. Homil 13. in Hierem.

Augustin. lib. 83. quæst. 69.

August. l. de catech rud. c. 25.


iam verbis fidei & strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissimâ & ardentissimâ in illo silentio sorbeamur.] Hæc consummatio, non consumptio; perditio non est, sed restitutio, quâ creatura suo creatori redditur, quâ riuus fonti, fluuius mari refunditur. Quod humanum erat, absumptum est; & reformatâ in melius naturâ, dum relinquit quod suum est, in Deum transit.



PARS ALTERA.

DE SOLVTIONE OBIECTIONIS.

TEXTVS.



Ed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? quali-ve corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alterius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. Primus homo de terrâ, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriâ. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.

EXEGESIS

EXEGESIS LITTERALIS.

Act. c. 17. PRædicante Paulo Athenis resurrectionem mortuorum: [Quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.] Nunc & duo audientium genera. Primum irridentium subsannantiumque, quasi impossibilis esset resurrectio: alterum suspendentium assensum suum, percontantiumque qualis esset resurrectio. Pauci adhærentes credunt, pauci credentes acquiescunt. Excipit igitur obiectionem Paulus irrisionem-ve, & abundè satisfacit. Primò enim de realitate disserit, tum & de qualitate. Dicet aliquis, Itane & realiter resurgunt mortui? Alius, Qualiter resurgunt? Sint ergo & huiusce partis puncta duo.

PVNCTVM PRIMVM.

De realitate.

IGnorantiam instruit, aut potius aduocatis vndiquaque exemplis; laudatisque scripturæ diuinæ testimonijs, repercutit insipientiam.

[Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt C mortui? quali-ve corpore venient? &c.] Iam retuderat ignorantiam cum, dixerat: [Ignorantiam Dei quidam habent.] Nunc suffundit insipientiam, cum introducit hominem, aut infideliter contendentem, aut carnaliter sapientem. Surget ergo aliquis, & dicet, Putasne resurrectura sunt corpora: alius petet, Qualia verò erunt corpora? Itaque illud quomodo, diffidentiam notat humanam, & diuinam taxat potentiam. Ita Capernaitæ: [Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?] Non enim tam modum sollicitant, quam negant effectum. Non ait, Vos dicitis, sed dicet aliquis. [Quod eo facit, vt sine aliquâ animi passione sua hæc videatur deprompta oratio, perinde ac si alijs minus resurrectura corpora existimantibus, rem ipsam disquirat. Duo enim quædam in dubitationem veniunt: quo pacto scilicet corpus in cineres semel collapsum & resolutum subleuetur: & quo corpore, hocne an alio quopiam. Vtraque autem hæc graui exemplo dissoluit.] Ita Comment. Athanas. [Insipiens, tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur, &c.] Iam ergo incipit instantiam dissoluere, aut insipientiam depellere: aitque, Sapiens tibi videris, & desipis: cœlestia aggrederis ac cœlestia, & humana terrenaque vix perspicis. Disce ergo ex his quæ vides credere quod non vides, ex his quæ natura facit, quod gratia promittit, præsumere. Nisi granum frumenti cadat in terram, & computrescat; non exurgit in corpus viuum viuidum-ve; si autem mortuum fuerit, reparat quod detritum est absumptumque. [Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & vnicuique seminum proprium corpus, &c.] Quod seminas

Ioan. c. 6.

Comment. Athanas.

Ex his quæ facit natura, sese gratia exerit.

A non id corpus est quod surrecturum est nasciturum-ve: seminas enim nudum granum, nimirum tritici, vel alterius speciei, fitque ac resurgit cultu suo instructum, & ornatu suo alterum. Quis istud operatur, nisi virtus diuina; quæ tam opus naturæ exstruit quàm gratiæ; vnicuique enim seminum reddit illa proprium corpus, iuxtà innatam virtutem ac propriam speciem: ita enim voluit, ita disposuit. Græcè ἠθέλησε, voluit. [Si ergo, ait Ambros. nudum granum seminatur, vt Dei nutu quodammodo elementorum ministerio vestitum resurgat, multa secum habens incrementa vtilitatis humanæ: cur non credibile sit Dei virtute mortuum posse resurgere, melioratâ tantùm substantiâ, non numero multiplicatum?]

Ambros. in Paulum.

B

[Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium, &c.] Assurgit altius, & à corporibus vulgaribus, ad humanum seu nostrum ascendit. Quid nos, seu corpora nostra? caro. Poterat dubitari à sophistis, an viuerent grana seu frumenta, & post mortem putrefactionem-ve pristinam vitam reciperent. Sed de carne quis dubitet, cum ea sit animalium animatorum-ve, non minùs verâ vitâ, quam verâ viuentium animâ? At verò non omnis caro, eadem est caro: etsi eiusdem generis, non tamen eiusdem conditionis, alia enim est hominum caro, alia verò pecorum, alia volucrum, alia piscium. Vbique caro: sed tota in pecoribus, vt pote terrestribus; recisa in volucribus, partim aëreis partim aquatilibus; minima in piscibus, vt totis aquatilibus. Caro quidem animalium est, nedum quandoque animatorum: sed illa in homine non exstat tantùm, sed & præstat, tanquam animaliũ omnium principe. Miraris ergo corpus immutari, & idipsum nihilominùs reputari? quidni contemplaris carnem variari, & vbique nihilhominùs carnem nominari? [Quia, ait Aquinas, posset aliquis dicere, quomodo est possibile quòd D mortui resumant corpus & carnem; si non sint habituri eandem corporis qualitatem? Ideo ad hoc excludẽdum introducit diuersas qualitates corporis & carnis, vt sic manifestum sit quòd non oportet si non erit eadem qualitas, quòd nò resumatur idem corpus, vel eadem caro. Dicit ergo quod non omnis caro est eadem caro.] Imò nec eadem morientis hominis & resurgentis: sed licet variatio qualitatis sit, carnis tamen erit restitutio. [Et corpora cœlestia, & corpora E terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim differt à stellâ in claritate: sic & resurrectio mortuorum, &c.] Tandem in cœlum effert sese, & inde eadem profert argumenta. Sunt ergo & cœlestia corpora, sicut & terrestria, & omnia quidem corpora, licet multum inter se discrepantia. Alia enim cœlestium, alia verò terrestrium gloria: & inter cœlestia, alia solis gloria, seu præstantia lucendi agendique, alia lunæ, & alia stellarum omnium, nam stella quæque ab aliâ differt in excellentiâ. Quidni igitur ita se res habeat in resurrectione mortuorum? vt vera sint corpora, licet aliis instructa do-

Caro animalium, tã inferiorum, quam superiorum.

Aquin. lect. 6.

tibus, diuersisque qualitatibus prædita? [Et ideò, ait Chrysostomus, subiunxit, Sic & resurrectio mortuorum. Sic enim sunt quodammodo in multâ differentiâ.

Chrysost. orat. 41.

A

[Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, &c.] Nunc ostẽdit alias dotes qualitatesve morientium corporum, & alias ad æternam vitã resurgentium. Mors corruptio est, & quasi quædam inseminatio putrefactioque corporum. Seminatur humanum corpus in corruptione, moritur corruptibile, resurgit incorruptibile & impassibile: cadit multis miserijs subditum fœditatibusque, surgit illustre ac gloriosum: patitur, morbis obnoxium ac doloribus, vegetum surgit ac validissimum. Denique seminatur communibus vitæ humanæ necessitatibus succidens, resurgit nullo externo vitæ sustentandæ egens subsidio. [Animale corpus est, ait Comment Ambros. dum cibis sustentatur vt viuat: spiritale autem, cum horum nihil indigebit conuersum in vitam.] Ibi vita, vbi gloria. [Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale, &c.] Si est corpus animale, sequitur esse & corpus spiritale, cum vnum, gradus sit ad alterum. At verò corpus animale est, cum scriptum sit in Genesi, Factus est primus homo Adam in animam viuentem, id est, factus anima viuens, seu animal, viuens animâ sensitiuâ, alimentisque, & ceteris indigens vitæ nondum perfectæ subsidiis. Ergo nouissimus Adam, id est Christus, & qui in illo & cum illo Christianus resurgit, factus est fietque in spiritum viuificantem: tunc enim animalis deponitur vita, & spiritalis assumitur; non humana iam, sed diuina. Vides non primum esse quod spiritale est, sed quod animale: tum & quod spiritale est, tanquam vltimum complementum tandem accedere. [Primus homo de terrâ, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.] Quem nouissimum Adam dixit, nunc dicit secundum: est. n. alius ab Adamo, sed nullus alius ab illo; capitis scilicet ratione, seu conditione principis. Primus igitur homo de terrâ factus, idcircò corpori terrestri seu animali adhuc obnoxius: secundus homo de cœlo, qui origine cœlestis est, etiam in resurrectione spiritalis factus est. Qualis primus Adam, tales & posteri, nimirum terreni: & qualis Christus, tales erunt & imitatores, nimirum cœlestes. Itaque, sicut similes fuimus terrestri, simus & similes cœlesti. [Imago quidem terreni, ait Athanas. vt illud, quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Imago autem cœlestis mortuorum est resurrectio, & incorruptibilitas ipsa. Non enim consulentis dictum est, sed rei futuræ indicium.]

Comment. Ambros.

In resurrectione, animalis deponitur vita, spiritalis assumitur.

Athanas. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

TRia sese offerunt disquirenda. Primum est, de distinctione carnium: alterum, de spiritu viuificante: tertium, de cœlesti homine. Sit ergo

DISQVISITIO PRIMA.

De distinctione carnium.

B

EX Paulo Apostolo: [Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.] Ex quibus notes primò, carnem non solùm dici animalium mortuorum, quasi careat animâ; sed & viuorum, vt à pulpâ dissideat: caro enim est quæ sanguine, venis, ossibus, neruisque constringitur; pulpa, quæ editur, eo quod pulsetur & concidatur. Ita docet Hieronymus, Plinius: nec alio, imò nullo in his opus est: caro enim sanguinis comes, sicut &

C fomes libidinis. [In Genesi, scriptum est, ait Hieronymus, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Et Paulus Apostolus de prauâ doctrinâ & operibus Iudæorum, Non acquieui, ait, carni & sanguini. Et ad sanctos, qui vtique in carne erant, dicit: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Dei spiritus habitat in vobis. Negans enim eos in carne, quos in carne esse constabat; non carnis substantiam, sed peccata damnabat.] Notes secundò, in animalibus tam veram esse carnem, quàm & verum sanguinem. Dico veram seu propriam, quod enim dicunt carnem non pomorum duntaxat, sed & arborum, scitè quidem dicunt, non tamen propriè: sicut enim in istis nullus est sanguis, sic & nihil est carnis. Et inde sequitur non solùm in hominibus, sed

Hieron. ep. 60. vlt. med.

D & in piscibus, tam veram esse carnem, quàm verum sanguinem. Hæc enim prima omnium animalia, quorum tam certa vita est, quàm anima manifesta. [Primis aquis, ait Tertullianus, præceptum est animas proferre. Primus liquor, quod viueret edidit.] At verò, [Anima omnis carnis in sanguine est.] Hoc sunt animalia, caro scilicet & sanguis: nec illorum vita sine carne, nec anima sine sanguine. Ita Moyses ad Deum. [Tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro. Numquid ouium & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum, con-

Tertull. lib. de baptis. c. 3.

Leuit. c. 17.

Num. c. 11.

E gregabuntur, vt eos satient?], Tam carnes ergo pisces, quàm oues & boues. Notes tertiò, tantam carnium differentiam esse quantam animalium: cum enim animalia carne constent & sanguine, perque id distent per quod sunt ac subsistunt; tanta carnium distantia erit, quanta & animalium. Primus ergo gradus in hominibus supremusque, infimus in piscibus. Secundus gradus in pecoribus, medius in alitibus: non quoad sanguinis calorem coloremque computantur

Tanta carnium differentia, quãta animalium.

cum animalibus terrestribus, quoad generis originem, seminisque similitudinem assimilantur aquatilibus. Inde illud Ambrosii: [Qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aëra].

Et Paulus quidem nihil aliud obtendit quàm probare veritatem carnis, seu realitatem demonstrare resurrectionis: vt quamuis alia sint atque alia, vera tamen sint corpora. [Si enim genera carnis, (vt ait exponitque Augustinus) cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se pro diuersitatibus animantium: & si corpora cum sint omnia visibilia, differunt tamen pro diuersitatibus locorum; vnde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium: & si in locis sublimibus cum sint cuncta cœlestia, differunt tamen ipsa claritatibus luminum; non mirum est, quòd in resurrectione mortuorum, distabit gloria meritorum.] Cur non præstet gloria meritorum, quod natura corporum exhibet? Tantum distant hominum caro & caro piscium, quantum supremum & infimum: & tamen tam veræ piscium carnes quàm & hominum. Si ergo stat veritas carnium cum tantâ diuersitate animantium, quidni veritas stat corporum cum tantâ diuersitate meritorum? Erũt alij alijs clariores, sicut sunt alij aliis meliores; tantum different supremi & infimi sanctorum, quantum cœlorum terrarumque corpora, quantum variè ac diuersimodè collucent astrorum lumina. Itaque si nihil nocet tanta varietas naturarum, corporum, carniumque veritati, cur tanta dotium diuersitas realitati veritatique obstet resurgentium? Et hic quidem sensus liquidus, apertusque. [Serui igitur exemplo, ait Tertullianus, & conserua speculum eius, carni; eandem credens fructificaturam, quæ sit seminata; ipsam, etsi pleniorem; non aliam, etsi aliter reuertentem. Accipiet enim & ipsa suggestum & ornatum, qualem illi Deus voluit superducere secundùm merita. Sine dubio ad hoc dirigit, Non omnis caro, eadem caro: non ad denegandam substantiæ communionem, sed prærogatiuæ peræquationem; corpus honoris non generis, in differentiam redigens. In hoc & figurata subjicit exempla animalium & elementorum.] Non tanta diuersitas est in animalibus & elementis, quanta in corporibus suscitatis: sed si naturarum diuersitas veritatem non excludit corporum, cur qualitatum varietas superuenientium, identitatem excludit resurgentium? Ita concludendum est, nihilque seueriori philosophiæ, aut liberaliori permittendum allegoriæ.

August. ep. 146. cit. med.

Tertull. lib. de resur. car. c. 51.

Corpora immutata sunt, sed non sunt alia.

DISQVISITIO SECVNDA.

De spiritu viuificante.

DE carne transimus ad spiritum, nec tamen ad extremum de extremo contẽdimus impertransito medio: si enim caro tandem spiritalis erit, nec animalis erit amplius; si seminatur corpus animale, & surgit corpus spiritale, sociatur tandem corpus & spiritus, fitque spiritalis caro, dum animalis, &, vt ita dicam, carnalis esse desinit. [Si est corpus animale, est A & spiritale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale.] Quod in his primum est? quod animale est. Primum, inquam, non dignitate, sed tempore: imò quia primum, idcircò nondum adhuc perfectum. [Videmus enim, vti notat Aquinas, quod in vno & eodem prius est imperfectum quàm perfectum. Vnde, cum spiritualitas se habeat ad animalitatem, sicut perfectum ad imperfectum, ideo in humanâ naturâ non prius debet esse spirituale, quod est perfectum; sed vt seruetur ordo, B prius debet esse imperfectum, scilicet quod animale est; deinde perfectum, scilicet quod spirituale est.] Ostendit igitur ordinem principiorum, & diuersitatem qualitatum, vitamque naturæ exponit & vitam gloriæ. [Ponit ergo, ait ille, conditionem primi principij secundùm vitã naturæ, sumens auctoritatem Genes. 2. Factus à Deo primus homo Adam in animam viuentem: vitâ scilicet animali, qualem anima potest dare. Anima enim dicitur, inquantum intendit curæ corporis, scilicet vegetando, nutriendo. Vnde cum dicit Apostolus, Factus est primus homo in animam viuentem, intendit de vitâ, qua anima circa corpus deseruit.] Describit vitam huius seculi, adhuc C animalibus obnoxiam functionibus, edendi scilicet & gignendi: interiturum, nisi ministret istis vacetque officiis.

Natura ab imperfecto incipit, desinit in perfecto: sic & gratia.

Aquin. lect. 7.

Aquin. ibid.

Cum ergo ait, [Nouissimus Adam in spiritum viuificantem.] Animam & ab isto onere absoluit & opere, vitamque instituit angelicam, soli occupatam contemplationi, nec iam inter corporis curam, & mentis vitam, nec inter negotia diuisam & gaudia. Tunc enim anima humana, non amplius sollicita circa plurima, spiritûs gaudebit naturâ, corpusque solâ viuificabit præsentiâ. [Scimus enim, vti dixit Hilarius, adhuc aliam vocem super esse vir- D tutis, de quâ ipse testatus est, dicens: Amen, amen dico vobis, quoniã venit hora, & nunc est, in quâ audient mortui vocem Filij Dei; & qui audierint, viuent. Nunquid illa vox potest maioris esse virtutis, quam dissolutorũ corporum puluerem in formam cogere, soliditatemque membrorum & vitam rursum in homines animasque renouare; & corruptionem naturæ imbecillis, naturæ cœlestis incorruptione mutare? Hæc humanæ spei vera & perfecta constantia est, hæc diuinæ magnificentiæ bonitas absoluta est. Et idcircò virtus eius in nubibus E est: quia his qui vltra terrenam originem mortalemque degentes se in sensum cœlestem & vitam, vt ita dicam, aëream extulissent, obuiamque elati in nubibus astitissent, his esset proprium virtute Dei magnificentiaque lætari. Mirabilis Deus in sanctis suis, in eis scilicet mirabilis, quos in vitæ resurrectione excitabit æternos. Mirabilis autem est, cum omnem beneuolentiæ suæ in eos conferet voluntatem: cum ipsos intra perfectionem cœlestis gloriæ collocabit. Non enim in incrementis corporum escarumque alimentis, infirmitatumque casibus vitæ humanæ demutatio laborque tolerabitur: sed æternitas cunctis quæ naturæ suæ

Hilarius Enarrat. in Psal. 67. vers. fin.

Anima in spiritum refusa, cum ab animalibus absoluta functionibus.

virtute ipsa se continens, id est, quæ seipsam alat conseruetque, donabitur: certique omnes fore se sempiternos, quod aliunde iam, id est, non extrinsecùs contineantur ad vitam, sed ex Deo, per quem resurrexerint, & iam immortales maneant, & æterni. Dat igitur Deus virtutem plebi suæ & fortitudinem, quæ immortalis effecta, intra vitam virtutemque contineatur: superinduta honore cœlesti, & omni corruptione & infirmitate depulsâ.] Comparat Apostolus statum naturæ qui est post generationem animalem, & statum gloriæ qui post resurrectionem cœlestem, & humanam animam inter vtrumque collocat. [Forma enim humana, vt Aquinas dixit, anima dicitur & spiritus.] Ita commigrat de animali ministerio in officium spiritale, de carnali obsequio in cœleste dominium. Sic igitur factus est nouissimus Adam in spiritum viuificantem, dum post resurrectionem immortale corpus assumpsit; dum à functionibus absoluit animalibus, dum dotibus induit cœlestibus: & dum spiritu viuificatus surrexit, animamque suo cultu instruxit, formam nobis resurrectionis immortalis exhibuit.

Aquin. lect. 7.

B

DISQVISITIO TERTIA.

De cœlesti homine.

DIstinctionem vtriusque hominis, animalis scilicet ac spiritalis exposuit, seu reformationem perfectionem-ue exposuit corporis; nunc & rationem connotat, dum aduocat originem. [Primus, inquit, homo de terrâ choïcus, (ita Tertullianus) id est limacius, id est Adam. Secundus homo de cœlo, id est sermo Dei, id est Christus: non aliàs tamen homo, licet de cœlo, nisi quia & ipse caro atque anima, quod homo, quod Adam. Nam & suprà nouissimus Adam dictus, de consortio substantiæ commercium nominis traxit; quia nec Adam ex semine caro, quod & Christus. Qualis ergo choïcus, tales & choïci; qualis cœlestis, tales & cœlestes. Substantiâ tales? an primò disciplinâ? dehinc & dignitate, quam & disciplina captauit? Atquin substantiâ nullo modo separabuntur choïci atque cœlestes, semel ab Apostolo cœlestes dicti. Si enim & Christus solus verè cœlestis, immò & supercœlestis; homo tamen, quà caro atque anima, nihilo ex istâ substantiarum conditione, à choïcâ qualitate discernitur: proinde & qui cœlestes secundùm illum, non de sustantiâ præsenti, sed de futurâ claritate cœlestes prædicati intelliguntur. Quia & retrò, vnde distinctio ista manauit de dignitatis differentiâ, ostensa est alia supercœlestium gloria, alia superterrenorum; & alia solis, alia lunæ, alia stellarum: quia & stella à stellâ differt in gloriâ, non tamen in substantiâ.] Insistit Græcis, vt solens est. Sed δόξα, claritatem refert, nobilitatem, famam effert & gloriam Quoad rem, Christum, illum hominem cœlestem, ostendit primò non ita dici ex parte humanitatis, cum enim homo sit, licet absque semine, eiusdem naturæ est, constans animâ & corpore. Secundò, non solum dici cœ-

Tertul. l. de resur. car. cap. 49.

Christus homo, sed Deo commixtus.

A lestem, sed & super cœlestem, ex parte nimirum diuinitatis: [Iste enim Dei radius, vt & ille loquitur, delapsus in virginem quandam, & in vtero eius caro figuratus, nascitur homo Deo mistus.] Tertiò, vnicuique resurgentium iustorum, idem per comparationem repromitti, proportionem-ve. Tert. l. Apol. c. 21.

Quoad primum, aliud est, Christum fuisse cœlestem, aliud carnem Christi fuisse cœlestem, seu sideream, quasi aliunde quam ex carne, seu de Virgine mutuatam. Vnde Tertullianus recensitis terrenæ substantiæ indiciis [Hæc omnia, inquit, terrenæ originis signa, & in Christo fuerunt, & sunt quæ illum Dei filium celauerunt; non aliàs tantummodò hominem existimatum, quàm humani substantiâ corporis. Aut edite aliquid in illo cœleste, de Septentrionibus, & Vergiliis, & suculis emendicatum. Nam quæ enumerauimus, adeò terrenæ testimonia carnis sunt, vt & nostræ.] Cum dico carnem Christi non esse cœlestem, ipsam & totam humanitatem comprehendo: nam quoad animam quæ altera pars humanitatis est, nullus negat eiusdem naturæ ac substantiæ in Christo, ac in Christiano: id est, cœlestem quidem creatione, conditione communem id est humanam, tamque corporis formam, quàm & rationis officinam. Quoad secundum,

Tertull. lib. de car. Ch. c. 9.

Caro Christi terrena, sed Verbo coniuncta.

C Christus cœlestis est, sed & supercœlestis: licet enim caro de carne genita, & anima eo modo creata, quo ceteræ animæ humanæ: vtraque tamen pars Deo Verbo personaliter vnita fuit, & inseparabiliter sociata. [Christus de cœlo, ait Aquinas, quia diuina natura, quæ fuit huic naturæ vnita, de cœlo est. Et ideò debet esse cœlestis, id est, talem perfectionem debet habere, qualem decet de cœlo venire, scilicet perfectionem spiritualem. Secundus ergo homo dicitur de cœlo, quia diuinitas, quæ naturæ humanæ vnita est, de cœlo venit.] Quoad tertium: [Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.] Seu, vt habent Græca, [Portabimus imaginem cœlestis.] Sed quicquid legatur, hoc saltem dicatur, Christum cœlestem esse per seipsum, nos verò per Christum: ille enim naturâ, nos autem gratiâ. [Quid est, ait Augustinus, Qualis cœlestis, tales & cœlestes, nisi immortales per immortalem? Dominus enim ad hoc terrenus factus est, cum esset cœlestis, vt eos qui terreni erant, faceret cœlestes: hoc est, ideò ex immortali mortalis factus est, assumendo serui formam, non Domini mutando naturam; vt eos qui mortales erant, faceret immortales, impertiendo Dominicam gratiam, non seruilem iniuriam retinendo.] Ita quod ille per naturam, nos tandem per gratiam.

Aquin. lect. 7.

D

August. ep. 146. vlt. med.

E

TROPOLOGIA.

Sed dicet aliquis; Quomodo resurgunt mortui?

ALiquem introducit insurgentem contradicentemque: ideoque, [Duas dubitationes ponit:] Vnam de facto, de modo alteram, vt aduersùs omnes tam ethnicos, quàm & Iudæos veritatem munire possit, & ad fidem

Chrysost. orat. 41.

Christianos prouehere. Dum enim, [Hic, vti loquitur idem Chrysostom. soluit obiectionem quæ fiebat à gẽtibus.] Tam fideles instruit, quàm reuincit infideles. Primò igitur de ethnicis, dein de Iudæis, postremò de Christianis.

Quoad ethnicos, tam commune omnibus illorum doctoribus, resurrectionem corporum conuellere, quàm resurrectionem animarum promittere. [Omnes sectæ, ait Augustinus, quæ se aliquâ religione hominibus inserere præsumpserunt, non negauerunt istam mentium resurrectionem: ne diceretur eis, si non resurgit anima, quare mihi loqueris? Quid in me facere vis? Si non facis ex deteriore meliorẽ, quare mihi loqueris? Si nõ facis ex iniquo iustũ, quare mihi loqueris? Si autẽ facis ex iniquo iustũ, & ex impio pium, & ex stulto sapientẽ: fateris resurgere animã meam, si tibi obtemperauero, si tibi credidero. Volentes ergo sibi credi omnes qui instituerunt alicuius etiam falsæ religionis sectam, negare istam mentium resurrectionem non potuerunt, omnes de illâ consenserunt.] Verùm, sicut de resurrectione mentis consentiunt omnes, sic & de resurrectione carnis omnes dissentiunt. [Vt enim anima, ait Tertullianus, interire dicatur, ab Epicureis obseruatur. Sed vt carnis restitutio negetur, de vnâ omnium Philosophorum scholâ sumitur.] Equidem mirum non est, brutam Epicuri Philosophiam, brutorumque & hominum animam, quoad vitam peræquantem, recidiuatum carnis reprobasse, imò nec somniasse; cum & filum mentis absciderit, & interitum hominis in æternum damnauerit exitium. Sed hoc mirandum, alios Philosophos, etiam immortalitatis rationem assecutos, etiam speciem resurrectionis auspicatos, veram ac legitimam resurrectionem carnis non solùm non attigisse, sed & irrisisse. [Age iam, ait ille, si qui Philosophus affirmet, vt ait Laberius de sententiâ Pythagoræ, hominem fieri ex mulo, colubrum ex muliere, & in eam opinionem omnia argumenta eloquij virtute distorserit, nonne consensum mouebit, & fidem infiget, etiam ab animalibus abstinendi? Propterea que persuasum quis habeat, ne fortè bubulam de aliquo proauo suo obsonet. Atenim Christianus, si de homine hominem, ipsumque de Caïo Caïum reducem repromittat, lapidibus magis, ne saltem cæstibus à populo exigetur.] Hoc ergo signum cui ab ethnicis contradicitur, hoc mysterium quod acerrimè & ardentissimè concutitur. [In nullâ enim re, ait Augustinus, sic contradicitur fidei Christianæ, quàm in resurrectione carnis. In nullâ re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam de animi immortalitate multi etiam philosophi gentium multa disputauerunt, & immortalem esse animum humanum pluribus & multiplicibus libris conscriptum memoriæ reliquerunt. Cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissimè contradicunt: & contradictio illorum talis est, vt dicant fieri non posse vt caro ista terrena possit in cœlũ ascẽdere.] Cum ergo isti dicunt apud Paulum, Quomodo resurgunt mortui, non tam de modo quàm de facto solliciti sunt: renuunt enim fateri resurrectionem, quia credi volunt impossibilem. Idcircò & Paulus aliquanto commotus, insipientes vocat huiuscemodi homines, quia cum se naturalium rerum gnaros dicant peritosque, in his tamen ipsis cæcutiant. [Dicit ergo, ait Chrysostomus, Insipiens, tu quod seminas. Hoc est à teipso horum habes probationem, per ea quæ facis quotidie, & adhuc ambigis. Propterea te voco insipientem, quòd ignoras quæ à te fiunt quotidie: & cum ipse sis opifex resurrectionis, de Deo dubitas.] Quidni enim in corporibus fiat humanis, quod nullus de notis ignorat seminibus? Mortalis es, & seminas mortalia; sed si de tritico videas exurgere triticum, de millio millium, quidni credas de carne carnem, & de homine hominem tandem resurgere?

Aug. Tract. 19° in Ioan. vlt. med.

Tertul l. de præscr. c. 7.

Tertull. in Apol. c. 48

Augustin. con. 2. in Psal. 88. cir. med.

Quodnam mysterium contradictioni maxime obnoxium.

Chrysost. orat. 41.

Quoad Iudæos, factum illi non negant; sed modum sollicitant. Verùm, sicut inter philosophos sectæ variæ, sed & inter Iudæos: sed sicut inter philosophos, præcipui fuere Epicurei & Stoïci, vt patet ex Actuum cap. 17. Sic & inter Iudæos, primi fuere Sadducæi & Pharisæi. Sadducæi enim Epicureis simillimi: [Dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum.] Omnia nimirum interire, nihil resurgere: animam non consistere solam, sed communem corporis carnis-ve subire sortem: omnia vtpote materialia, aut redire in nihilum, aut in fumum euanescere. Isti Stoïcis propinqui, & immortalitatem cum illis tenebant, & resurrectionem promittebant cum Christianis, sed carnalem credebant, nedum corporalem: passiuam, & communibus functionibus obnoxiam. Cur enim Sadducæi Christum tentarunt simul, de resurrectione carnali, nisi quia putauerunt quæstioni illi secundùm communem Pharisæorum æmulorum opinionem non posse responderi? Nec ideò errabant, quòd id præsumerent iuxta vulgarem carnalem-ve Iudæorum fidem; sed errabant in eo quòd quæstionem æmulis quidem Pharisæis insolubilem, exemplis astruerent inconditis. [Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.] Putabant Iudæi resurrectionem possibilem, imò & futuram, sed animalem carnalemque, ad exhibendam rursus vitæ veteris, seu Iudaïcæ scenam expectationis. [Duas autem res, ait Origenes, Christus dicit eos nescire, vnam quidem scripturas, alteram virtutem Dei, per quam resurrectio fit, & noua vita in eâ.] Itaque causam reddit, cum arguit ignorantiam. Ideò enim respuebant resurrectionem, quia communem cum ceteris Iudæis imponebant conditionem; quâ sublatâ, nulla & interrogandi causa est, nulla dubitandi. [Etiam, ait Tertullianus, illa quam septem fratribus per successionem nupsisse voluerunt, neminem tot maritorum resurrectionis die offendet, nec quisquam illam confusurus expectat. Quæstio Sadducæorum cessit sententiæ Domini.] Quiuis quidem expectabit, nullus humiliabit: confundere enim nihil aliud est quàm ignominiam discooperire, feminam atterere. [Nihil tunc, ait, inter nos dedecoris voluptuosi resumetur. Non enim tam friuola, tam spurca Deus suis pollicetur.] Verùm, si-

Act. c. 23.

Pharisæi resurrectionẽ carnalem polliciti.

Matth. c. 22

Origenes Tract. 23. in Matth.

Tertul. l. 1. ad Vxo c. 1.

cut nonnulli Christianizabant olim Iudæi; sic & non pauci nonnulli Iudaïzant Christiani. [Qui enim dicunt, ait Augustinus, mortuos non resurgere, Christiani non sunt: qui verò putant mortuos cum resurrexerint, carnaliter esse victuros, carnales Christiani sunt.] Nihil aut parùm à Iudæis ipsis in hoc negotio differentes. Idcircò Paulus non solùm meminit seminum, non solùm & animalium carnium-ue: sed ne aliquis inde animalem carnalem-ue cogitaret resurrectionem; addidit, Et corpora cœlestia: &, Stella à stellâ differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. [Et quid sibi volunt hæc verba? ait Chrysostomus. Quanam de causâ à resurrectione corporum, excidit in orationem de stellis & sole? Non excidit, neque abductus fuit ab argumento, absit, sed in eo adhuc hæret. Et ideò subiunxit, Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Vide prudentiam. In seminibus quidem, vsus est nomine corporum, dicens, Non viuificatur nisi fuerit mortuum: in corporibus autem, appellatione seminum, dicens, Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Non dicit, Nascitur, ne existimes esse opus terræ, sed, Surgit.] Nihil ibi terrenum, nihil mortale, nihil spurcum, nihil corruptibile: sed tam pura, tam nitida quàm & sidera.

Aug. serm. 20. de diuers. c. 3.

Chrysost. orat. 41.

Quoad Christianos, sicut carnales Christianos recenseo inter Iudæos; ita spiritales Iudæos inter Christianos censeo referendos. Hi nempe omnes resurrectionem spirant, sed cœlestem: imò spem omnem in resurrectionem, tanquam in consummatione collocant bonorum omnium, non corporalium duntaxat, sed & spiritalium. Ita ille sacer scriptor de Iuda Machabæo, Benè & religiosè de resurrectione cogitante. [Nisi enim, ait, eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum (Græcè ληρῶδες) orare pro mortuis.] Cur ridiculum ac stolidum orare pro mortuis, si mortui non resurgunt? Quia animæ frui non possunt beatâ resurrectione, & consummatâ beatitudine, nisi purgatæ sint in totum, & in totum mundatæ? Vnde & Paulus noster: [Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis?] Non enim vnum est purgatorij genus simplexque, sed multiplex ac varium. Et primum quidem ac præcipuum quod in aquâ, quæ vi sanguinis Christi & pœnam abluit & culpam, statimque, id est, nullâ morâ interpositâ, si nulla noxa fuerit interiecta, transmittit ad gloriam. Alterum in igne subterraneo, seu infero carcere, in quo mundantur animæ, & ad felicem aptantur resurrectionem: & illud medium est, tam durum quàm & diuturnum. Tertium & vltimum in conflagratione mundi, id est, in fine seculi. Quicquid enim residuum fuerit maculæ, quicquid pœnæ debitum, citò purgabitur, & compendio suppliciorum dolorum-ue compẽsabitur. [Omnes .n. nos, vti dixit Origenes, venire necesse est ad illum ignẽ, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus, venit tamen ad illum ignem. Sed illi tales audiunt, Etiamsi pertranseas, flamma non aduret te. Si verò aliquis mei similis peccator sit, veniet quidem ad illum ignem sicut Petrus & Paulus, sed non transibit sicut Petrus & Paulus.] Aliud probari, aliud purgari: oportet enim probari omnes illo igne iudicij, nõ tamẽ & purgari, qui enim nouissimũ exsoluerint quadrantem, qui iam luerint, ignem illum euadent tanquam pueri in fornace Babylonicâ; & diuinâ virtute protecti, non sentient. Idcircò in fine, seu in resurrectione: [Nouissima inimica destruetur mors. Quomodo, ait Chrysostomus, nouissima? Post omnes, post diabolum, post alia omnia: etenim etiam in initio intrauit nouissima. Prius enim diaboli consilium, & inobedientia, & tunc mors. Potestate ergo nunc quoque est abolita, re autem ipsâ, tunc.] Non enim consumetur, nisi mundo prodacto; nec destruetur nisi absumptis maculis. Primum quippe purgatorium est ante mortem, alterum post mortem, tertium propè consummationẽ. Tunc enim pacatâ Dei iustitiâ, effundetur misericordia, & æterna vita tam corpori quàm & mẽti retribuetur. Huc ergo collimant omnes sancti, hoc & sperant omnes iusti: vitæ scilicet resurrectionem, consummationem gloriæ. [Fiducia Christianorum, ait Tertullianus, resurrectio mortuorum illâ, credentes sumus.] Quid enim prodest credere, quid sperare? quid prodest laudabiliter pati, aut constanter mori, si mortui non resurgunt, si pereunt sancti, aut redeunt vacui? [Spes enim nostra, vti dixit Augustinus, est resurrectio mortuorum: fides nostra, est resurrectio mortuorũ: Charitas etiam nostra est, quam prædicatio rerum quæ nondum videntur inflammat & accendit desiderium; cuius magnitudine fiant corda nostra capacia beatitudinis quæ ventura promittitur, quandiu creditur quod nondum videtur. Sublatâ itaque fide resurrectionis mortuorum, omnis intercidet doctrina Christiana: fundatâ verò fide resurrectionis mortuorum, securitas est animo Christiano, si distinguatur vita illa quæ futura est, ab istâ quæ transit: nec sperentur ea, quæ si contemnimus, melius viuimus.]

1. Machab. cap. 12.

Non vnum purgatorij genus est, sed varium.

Origenes Homil. 3. in Psalm. 36.

Chrysost. orat. 39.

Tertul. l. de resur. car. cap. 1.

Aug. serm. 110. de diuers. c. 3.

ANAGOGIA.

Alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestriũ.

TRia spectanda sunt in beatâ illâ & gloriosâ resurrectione, & miranda. Primum est, tanta in tam vnitis diuersitas: alterum, tanta in tam diuersis paritas: tertium, tanta in tam paribus aut similibus inæqualitas.

Quoad 1. Parùm curæ fuit aut nihil Paulo nostro de resurrectione impiorum, non enim tam de resurrectione quàm de viuificatione. [Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vtique, ait Augustinus, resurrectionem dicit iustorum, vbi est vita æterna: non resurrectionem iniquorum, vbi est mors æterna. Ideò ait, Viuificabuntur: quia illi damnabuntur. Hinc & in veteribus sacramentis circumcisio paruulorum octauâ die fieri præcepta est, quoniam Christus, in quo fit delicti carnalis expoliatio, quam significat circumcisio, die Dominico resurrexit,

Aug. ep. 89. quæst. 3. cir. med.

qui post septimum sabbathi octauus fuit.] Illa est vita æterna quam speramus, non æterna gehenna quam reformidamus: hæc forma quam Christus exhibuit resurgendo, hæc & gloria quam & suis repromisit exhibendo. [Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt.] Christiani omnes, tam veteres quàm & nouissimi; qui fidem erexerunt in vltimum aduentum, spemque ex tali formâ, de simili etiam conceperunt gloriâ. An dicas illos surgere aut resurgere, quos credas non ad vitam suscitandos, sed præcipitandos in gehennam, in mortem secundam, in combustionem æternam? Impio quidem resurrectio erit ad iudicium, sed non ad præmium. Vnde ille Antiocho: [Tibi resurrectio ad vitam non erit.] Iusto autem resurrectio erit, ad vitam angelicam, ad gloriam sempiternam: sicut enim mali eadem quâ mali angelis gehennâ ardebunt, sic & boni eadem quâ boni angeli gaudebunt gloriâ. Et id mirum quod vna omnium sit gloria, & tanta nihilominus omnium sit distantia. [Et corpora cœlestia, & corpora terrestria. Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium.] Omnes qui sunt Christi, qui illi per fidem charitatemque inserti, resurgunt ad vnam vitam, perfecti resurgunt & imperfecti, pusilli & magni: & tanta nihilominus differentia est, vt quorundam corpora terrestria videantur, dum aliorum suspiciantur velut cœlestia. In omnibus vna gloria est, tam in terrestribus quàm & cœlestibus, sed terrestrium gloria longè diuersa est à gloriâ cœlestium. Sicut enim vna lux in terris, quæ & in cœlis; sed corpora in cœlis lucida sunt, in terris vix lucentia: sic & corporum resurgentium vna vita est, vna gloria; sed tam diuersimodè temperata, tam variè dispensata, vt tantum distent suprema & infima, quantum cœlestia distant & terrestria. Itaque, vt aduertit Augustinus: [Quod Apostolus adiungit, ad differentiam pertinet resurgentium, propter diuersas glorias fidelium atque sanctorum. In omnibus enim iste sensus est: Si genera carnis cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se pro diuersitatibus animantium: & si corpora cum sint omnia visibilia, differunt tamen pro diuersitatibus locorum: vnde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium: & si in locis sublimibus cum sint cuncta cœlestia, differunt tamen ipsa claritatibus luminum; non mirum est quod in resurrectione mortuorum, distabit gloria meritorum.] Resurgimus quidem ad vitam angelicam: sed sicut inter angelos ipsos tanta distantia est, vt quidam terrestres dicti sunt, alij cœlestes: quid mirum si supremos inter & infimos, eadem sit resurgentium differentia?

2. Mach. cap. 7.

Terrestres, imperfecti; perfecti, cœlestes.

Augu epist. 46. cit. med.

Quoad 2. Et id mirandum, quòd corpora adeò dissimilia sint, & tamen similia, imò & paria tam priuilegio munerum, quam & dotium numero. Nullum est quod non resurgat gloriosum, nullum, quod communibus dotibus non excellat. [Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.] Alia quidem cœlestium corporũ, alia terrestrium gloria: sed tam terrestria quã cœlestia iisdẽ donabuntur priuilegijs, iisdẽ donis præmiabuntur. [Agit .n. hîc Paulus (secundùm Aquinatem) de corpore resurgente glorioso, cuius propriæ qualitates, dotes corporis gloriosi dicuntur. Quæ quidem sunt quattuor, quas hîc Apostolus tangit. Primò enim tangit dotem impassibilitatis, cum dicit, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Quamuis enim seminatio accipi possit pro primâ corporis origine, secundùm quod generatur ex semine, tamen conuenientius est secundùm intellectum Apostoli, vt seminatio referatur ad mortem & sepulturam; vt respondeat ei quod dictum est, Quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Dicitur autem mors & resolutio, seminatio, non quod in corpore mortuo, vel in cineribus ex eo resolutis sit aliqua virtus ad resurrectionem, sicut est virtus actiua in semine ad generationem: sed quia à Deo talis ordinatio est deputata, vt ex eo iterato reformetur corpus humanũ. Sic igitur corpus humanũ quãdo seminatur, id est, quãdo moritur, est in corruptione, id est, secundũ proprietatẽ suam est corruptioni subiectũ, sed resurget in incorruptione: dicitur .n. hîc incorruptio, nõ solùm ad excludendum separationem animæ à corpore, quia hanc incorruptionem & corpora damnatorum habebunt; sed ad excludendum tam mortem quàm quamlibet noxiam passionem, siue ab interiori siue ab exteriori. Secundò, tangit dotem claritatis, cum dicit, Seminatur in ignobilitate: id est, corpus quod ante mortem, & in morte est deformitatibus, & miseriis multis subiectum. Sed, Resurget in gloriâ, quæ claritatem significat: erunt enim sanctorum corpora clara & fulgentia. Tertiò, tangit dotem agilitatis, cum dicit, Seminatur in infirmitate, id est, corpus quod ante mortem est infirmum & tardum, & ab animâ non facilè mobile. Sed, Surget in virtute, quia, scilicet fiet, vt ex tantâ virtute, ab animâ moueri possit, vt in nullo difficultatem ad motum exhibeat. Quartò, tangit dotem subtilitatis, cum dicit, Seminatur corpus animale, surget spiritale: in resurrectione enim spiritale corpus erit, etsi non spiritus: sicut nunc est animale, non anima.] Quodnam corpus tale non erit, cum non erit amplius animale? [Illud quippe, vti dixit Augustinus, communiter habet omnis caro, quæ ad vitam resurgit æternam. De resurrectione enim corporis disputans Apostolus, docet nostra corpora futura ex corruptibilibus incorruptibilia, ex contemptibilibus gloriosa, ex infirmis fortia, ex animalibus spiritalia, hoc est ex mortalibus immortalia. Christi enim resurrectione præmissâ in exemplum inter cetera quæ ibi disseruit Apostolus, intulit sibi quæstionem, atque ait, Sed dicet aliquis. Deinde dicit, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in contumeliâ, surget in gloriâ: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spiritale. In his verbis de Christo propositum exemplum est, quod fideliter intendere, & per eius gratiam sperare debemus.] Hæc enim forma, hæc gloria, iuxtà quam corpora humilitatis nostræ seu humanæ vilitatis sunt reformãda.

Aquin. lect. 6.

Seminatur corpus in origine, seminatur & in fine.

Aug epist. 146. cit. med & vlt.

Quoad.3. Nec istud minùs mirandum, quod omnes pares, & omnes impares: omnes similes, & omnes dissimiles: æquales omnes, & omnes inæquales. [Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stellâ differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.] Quasi nullus omninò sit qui resurgendo non fulgeat in seipso, nullus qui ab alio, fulgendo, non differat. Sicut enim nulla est stella quæ à stellâ in claritate non sit, diuersa, sic & nullus resurgentium qui ab alio, & alius ab illo diuersus non sit dissimilitudine luminum. [Agnosco, inquit Tertullianus, veterem ad Abraham promissionem creatoris, Et faciam semen tuum tanquam stellas in cœlo Ideò & stella à stellâ differt in gloriâ.] Id penè incredibile nisi præcessissent exempla naturæ, & gratiæ cecinissent miracula. [Si enim Apostolus proponit exempla grani tritici, ait ille, vel alicuius eiusmodi, vel quibus det corpus Deus prout volet. Si vnicuique seminum proprium ait esse corpus; & aliam quidem carnem hominum, aliam verò pecudum & volucrum; & corpora cœlestia atque terrena; & aliam gloriam solis, & lunæ aliam, & stellarum aliam: nonne carnalem & corporalem portendit resurrectionem, quam per carnalia & corporalia exempla commendat? Nonne etiam ab eo Deo eam spondet, à quo sunt & exempla? Sic & resurrectio, inquit.] Nihil non facit Deus siue in corporibus, siue in spiritibus; siue in naturâ, siue in gratiâ, siue in gloriâ. Imò, quo gradus excelsior, eo actus intimior, tamque Deo proprius, quàm & ipso dignissimus. Sed si tantam varietatem induxit in rebus corporalibus, quanto maiorem in rebus spiritalibus? Si tantam voluit esse diuersitatem in rebus caducis & momento perituris, quanto maiorem in hominibus suscitatis & perpetuò regnaturis? Sic ergo, vt & ille dixit: [Alia caro volucrum, id est martyrum, qui ad superiora conantur: alia autem piscium, id est, quibus aqua baptismatis sufficit. Sic & de supercœlestibus corporibus argumenta committit. Alia solis gloria, id est, Christi: & alia lunæ, id est Ecclesiæ: & alia stellarum, id est, seminis Abrahæ. Et stella enim à stellâ differt in gloriâ. Ceterùm, si non figuratè, satis vanè mulorum & miluorum carnes, & corpora cœlestium luminum apposuit humanis, non pertinentia ad conditionis comparationem, sicut nec ad resurrectionis consecutionem. Postremò, cum per hæc differentiam gloriæ, non substantiæ, conclusisset: Sic, inquit, & resurrectio mortuorum. Quomodo? non de alio aliquo, sed de solâ gloriâ differens.] Id ergo propter nos scriptum est, propter nos & definitum est: [Stella differt à stellâ in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.] Duo præcellentia luminaria sunt, virtute ac luce pollentia. Sunt & ab istis infinita propemodum, & omnia tamen luce ac virtute differentia. Quorsum hæc? vt sciàs adeo mirabilem esse mortuorum resurrectionem, in quâ gratiarum tanta varietas sit quanta & stellarum, in quâ simul summa sit paritas, simulque suprema sit inæqualitas. Si enim inter angelos ipsos, tanta specierum diuersitas est, quanta singularium: quid mirum eos qui similes angelis imò & æquales tam dispares esse quàm & similes? Omnes impassibiles, omnes refulgentes, agiles omnes, omnes subtiles: & omnes nihilominus suo modo habiles, suo modo & agiles. [Ostendi nunc oculis non potest, ait Augustinus, sed se vno principali grano datum est experimentum. Dicit ipse Dominus: Si granum sic manserit, & non mortificatum fuerit, solum manebit, dicens de suâ mortificatione, quia multiplex futura est in illo credentium resurrectio. Conuincere debemus quid in fine semel de genere humano facturus est Deus; cum tot similia quotidie videamus..]

Tertul. l. 5. adu. Mar. c. 10.

Tertul. eodem l. c. 10.

Tertul. li. de resur. carn. cap. 52.

Vna resurgentiũ omnium erit, diuersa gloria.

Aug. serm. 10. de diu. c. 10.

PVNCTVM SECVNDVM.

De qualitate.

PRiùs de realitate, tum & de qualitate. [Atque adeò, ait Tertullianus, rectè hunc gradum figimus, vt & Apostolus secundam disceptationem æquè de corpore induxerit. Defensâ etenim resurrectione quæ negabatur, consequens erat de qualitate corporis retractare, quæ non videbatur. Marcion enim in totum carnis resurrectionem non admittens, & soli animæ salutem repromittens, non qualitatis, sed substantiæ facit quæstionem.]

[Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit, &c.] Secundùm Augustinum: [Sic proponendum est: Si non resurgent mortui, nulla spes nobis est futuræ vitæ: si autem resurgent mortui, erit quidem vita futura. Sed secunda quæstio est, qualis erit. Prima itaque disputatio est, vtrum futura sit resurrectio mortuorum: secunda verò disputatio est, qualis futura est in resurrectione vita sanctorum.] An ergo dissoluuntur mortales, nec vnquam reuertuntur? an abeunt homines, nec vnquam redeunt? Prorsus resurgunt homines, sed iam mortales non sunt, nec erunt amplius corruptibiles. Vixerunt homines mortui sunt homines; sic & homines resurgunt, sed iam alij, quia non iam animali carne nec sanguine corruptibili subsistẽtes. Hoc est ergo quod dico quod caro ista mortalis, quod sanguis corruptibilis, regnũ Dei hæreditate nõ cõsequetur; neque corruptibilitas statim adipiscetur incorruptibilitatis. [Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, &c.] Varia lectio, sed nostra verior, sicut & facilior expositio. Ecce arcanum quod vobis aperio. Omnes quidem homines resurgent, sed non omnes nouum immortalitatis ac felicitatis habitum induent. [Subiecit Apostolus vnde agitur, atque ait; Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et ne quisquam putaret, (agnosce Augustinum) secundùm substantiam carnis hoc Apostolum definisse, aperuit quod diceret subiungendo: Neque corruptio incorruptionem possidebit. Hoc ergo loco nomine carnis & sanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluit. Denique tanquam ei diceretur, Quomodo caro erit,

Tertul. l. 5. adu. Mar. c. 10.

August. serm. 110. de diu. c. 2.

Homines resurgunt, sed iam non sunt mortales.

Aug. epist. 146. vlt. med.

erit, & caro non erit? Exponit quid dixerit, ad iciens, Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus: vel, ſicut Græci codices habent, omnes quidem dormiemus, non tamen omnes immutabimur. Et iſtam commutationem in melius ſine dubitatione oportet intelligi, quia omnes & iuſti & iniuſti reſurrecturi ſunt.]

[In momento, in ictu oculi, in nouiſſimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur, &c.] Nec mora ad myſterium iſtud peragendum exigitur, ſed in puncto temporis, inſtantis ſigno perficietur, perſtrepente & monente tubâ myſterij & extremi iudicij prænuntiâ. Illâ enim perſonante & excitante, mortui reſurgent, iam non ad priſtinum corruptionis & mortalitatis ſtatum reuerſuri. Et nos immutabimur, cum in felicem reformabimur immortalitatem. [Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem, &c.] Ergo cum ait, Et mortui reſurgent incorrupti, perfectam intelligit incorruptionem, abſolutam totalemque, non ſolùm integritate membrorum, ſed & immunitate dolorum conſtantem. Et nos igitur, licet tunc viui, nondum mortem experti, eandem nihilominùs immortalitatem, incorruptionemque ſumus adituri. [Illud quippe, Nos, vti monuit Chryſoſtomus, non dicit de ſeipſo, ſed de ijs qui tunc inueniuntur viui.] Exponit igitur quod propoſuit: nempe mortuos omnes reſurrecturos, non omnes tamen immutandos: tum relictis reprobis, accedit ad electos, aitque in momento illos nouum immortalitatis & incorruptionis ſtatum inituros. Tum & rationem reddit, omnemque excludit corruptionem. [Corruptibile enim, ait ille, eſt corpus, & in quod cadit interitus, & eſt mortale. Mortalitas autem & corruptio deletur & euaneſcit, ad ipſum accedente immortalitate & incorruptione.] Δεῖ τοῦτο autē, [Hoc.] Quaſi manu palpans, nedum nutu indicans. [Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors. Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? &c.] Nunc incorruptionem dicit, nunc immortalitatem, id eſt, parùm aut nihil inter vtramque diſtinguit. Cum igitur hoc mortale corpus, immortale factum fuerit & incorruptibile: tunc adimplebitur ſcriptura illa, quæ Oſee 13. legitur. Varij variè ſcripturam illam legerunt, ideoque & in varias expreſſerunt ſententias. Abſorpta eſt mors in victoria. Græcè εἰς νῖκος, ad victoriam: pro quo alij legunt νεῖκος, & reddunt, [Contentionem.] Apud ſeptuaginta eſt δίκη. [Vbi cauſa tua mors? vbi ſtimulus tuus, inferne?] Pro δίκη, alij legerunt νίκη. Sed in idem ferè omnes, licet per vias diuerſas peruenerũt: ſicut enim qui cauſam obtinet, poſſidet victoriam; ſic & qui causâ cadit, excidit victoriâ. Sic tamen verba deprompta ſunt ex Oſee Propheta, vt nonnulla aliunde intertexta ſint, & ad ſenſum potius quàm ad ſonum reddita. Senſus igitur eſt, Nihil deinceps timendum ſanctis à morte, nihil à corruptione; cum in totum abſumpta ſit, & in æternum deſtructa.

Chryſoſt. orat. 42.

Chryſoſt. ibidem.

Vnde ſcripturæ verba variè ſint expoſita.

[Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus autem peccati lex, &c.] Mors non ſolùm vincitur, ſed & cum armis ſuis traducitur. Non ſolùm triumphabas de mortalibus, ſed & innocentibus inſultabas: & quidem nonnulla tunc erat cauſa, quia non ſic innocentes, vt non aliquo pacto eſſent peccatores: idcircò, peccato, quaſi impacto ſpiculo premebas omnes, & in regnum tuum bonos etiam & electos perurgebas: ſed peccato abolito quem punges, quem perimes? Lex, ſubortâ concupiſcentiâ, peccatum potius auxit quàm extinxit; ſed ſubactâ concupiſcentiâ, quid tibi reliquum eſt ſpei? vbi tuus aculeus, quam potes mouere controuerſiam, vel quam debes victoriam præſumere? [Euacuatis cauſis mortis per diuinam potentiam: Propheta ex perſonâ iuſtorum loquitur inſultando morti. Sagitta enim mortis peccatum eſt, per quod animæ iugulantur. Virtus verò peccati lex: dum fortius & maius fit per ſcientiam peccatum.] Ita Ambroſ. [Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.] Gratiæ autem Deo ſunt agendæ, victoriam nobis conferenti. Græcè διδόντι, poteſt & δόντι. Dedit enim, & dabit tandem perfectam aduersùm mortem corruptionemque, & telum eius, peccatum, victoriam. Sed per fidem, non per legem; per gratiam Chriſti, non per arbitrij ſuperbiam. Ita mors tandem cum aſſeclis ſuis ac reliquiis conculcabitur, & in regnum ſuum, id eſt, in infernum præcipitabitur. [Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.] Finitâ proſopopœâ, & abſolutâ victoriâ, parænesin reſumit, deducitque ad auxeſin. His itaque viſis, nedum auditis, perſiſtite conſtanter in fide reſurrectionis, & ne inde ſermonis deprauatione auelli, vel tantiſper dimoueri permittite. Quin & animum erigite, cumulumque bonis operibus imponite: non contenti fide, ſed & ſpe muniti: perſuaſi nimirum ſollicitudinem veſtram non fore inutilem, ſed opera veſtra præmio ſuo à Domino compenſanda. [Hoc eſt, ait Athanaſ. ſperantes reſurrectionem futuram, quodcunque fuerit per vos laboris impenſum, haudquaquam vobis iacturæ erit.]


Ambroſ. in P

Victoria per fidem non per legem nobis acquiſita.

Athanaſ. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

VNum myſterium proponit Apoſtolus, ſed multa inuoluit, quæ ſicut non ſunt minùs vera, ſic & non ſunt minùs difficilia. Quid enim tuba nouiſſima? Quid virtus peccati? Quid & alia ſimul ex iſtis aut cum iſtis euoluenda? Inquiramus.



DISQVISITIO PRIMA.

De tubâ nouissimâ.

ET de tubâ, & de nouissimâ tubâ quæstio est. [Duplicem enim intelligentiam habet, (verba Hieronymi) vt clangor tubæ, aut vocis indicet magnitudinem, iuxtà illud quod scriptum est, Sicut tuba exalta vocem tuam: aut apertam omnium resurrectionem, iuxtà illud quod in Euangelio legimus; Tu autem quando facis eleemosynam, noli tubâ canere antè te: hoc est, abscondité fac misericordiam & in secreto, ne videaris de alterius miseriâ gloriari.] Sanè, tuba, signum est alicuius rei prænuntium. Ita ille in vitâ Hilarionis. [Dato signo hi aduolant, isti præpediuntur.] Id est, tubâ sonitum dante, signumque præstante. Tamen & tuba pro clarâ voce sumi potest, quo pacto apud Philostratum Polemonis oratio. [Vehementer sonans, quemadmodum olympica tuba] Sed profanis dimissis: ipse Paulus, vtrumque iungit, aut etiam confundit. [Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.] Quin & ipse Christus: [Mittet Angelos suos cùm tubâ & voce magnâ.] Inde, [Mediâ nocte clamor factus est.] Quid enim per clamorem, nisi vox magna & clara tanquam buccina. [Tardante sponso, ait Augustinus, dormierunt omnes. Non enim tunc veniet cum speratur, sed mediâ nocte cum valdè obscurum, id est, occultum erit, an veniat. Vnde dicit, Mediâ nocte clamorem factum, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Nimirum clamor iste ipse est tuba illa quam commemorans Apostolus dicit; Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: tubæ nomine aliquod euidentissimum & præclarissimum signum vult intelligi. Quam vocem Archangeli & tubam Dei alio loco dicit. Quæ etiam vox ipsius Domini Iesu in Euangelio dicitur, quam audient ij qui in monumentis sunt, & procedent.] Est ergo tuba illa, vox Archangeli, est & vox Christi: non solum quia eius nutu signum dabitur, sed & quia eius iussu consummabitur mysterium. Dabit enim voci Archangelicæ vocem virtutis, vt & per omnes terminos clarè resonet, & mortuos omnes validè suscitet. Signum erit, quo vt classico vocentur omnes gentes, & in vnum congregentur locum. [Surgite mortui, & venite ad iudicium.] Canet enim tuba, Græcè σαλπίσει, [Buccinabit.] Et canente tubâ, seu buccinâ perstrepente, [Mortui resurgent incorrupti.] Mali nimirum surgent, sed ad pœnam & damnationem: resurgent boni, sed ad gloriam & incorruptionē. Sicut ergo populi olim ad tubæ sonitū conuocati, sic & tunc illi ad iudicium conuocandi.

Hieron. ep. 152. cit. med. — Hieron. in vitâ S. Hilarionis. — 1. Thessal. c. 4. — Matt. c. 24. — August. ep. 180. c. 34. — Populi olim tubæ soni-tum conuocati vnde & calendæ ἀπὸ τοῦ καλεῖν.

Cur porrò dicitur tuba nouissima? Quærit & Hieronymus, exponitque. [Quærimus, inquit, cur ad nouissimam tubam mortuos scripserit resurrecturos? Quando enim nouissima dicitur, vtique aliæ præcesserunt. In Apocalypsi Ioannis describuntur angeli cum tubis: &, vnoquoque clangente, primo videlicet, secundo, & tertio, quarto, & quinto, & sexto, quid per singulos actum sit, indicatur. Nouissimo autem, id est, septimo, claro tubæ strepitu personante, mortui suscitantur; corpora, quæ priùs habuerant corruptibilia, incorrupta recipientes. Vnde, post nouissimā tubam, exponit Apostolus quid sequatur: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.] Ita in Apocalypsi: [Et septimus angelus tubâ cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum est regnum huius mundi, Domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum: Amen.] Sed quomodo Paulus spectare Apocalypsin potuit, quam nunquam vidit, vtpote antè Ioannis exilium iam passus martyrium? Si respondetur, easdem fieri potuisse & Paulo Apostolo reuelationes, fatendum potuisse, sed negandum ita fuisse: ideoque & liber reuelatione olim Pauli nomine inscriptus, palam proscriptus est. Quid, quòd nec ista septimi angeli tuba mortuos excitat, nec illos vocat ad iudicium, sed futurum duntaxat Christi Domini regnum prænuntiat? Quid ergo tandem & cur tuba illa nouissima? Quia extrema, & nulla deinceps alia. Ita Christus, & secundus Adam dictus est, & nouissimus. Secundus quidem, quia, vt Aquinas dixit. [Adam induxit vnum statum, scilicet culpæ: Christus verò gloriæ & vitæ.] Nouissimus autem: [Quia post statum illum, nullus alius in vitâ istâ.] Sic ergo, & nouissima tuba, quia signum vltimum, vltima hominum conuocatio, postrema congregatio. Frequētes enim in hac vitâ, & quasi mēstruales hominū streperâ tubâ conuocationes. Et eo alludit Ioël cum ait: [Canite tubâ in Sion, vocate cœtum, congregate populum.] Sed posthac nulla alia tuba, quia conuocatio nulla, nulla congregatio sequitur, ideoque illa dicitur nouissima.

Hieron. ep. 152. cit. med. — Apocal. c. 11. — Paulus martyrium passus ante Ioannis exilium. — Aquin. lect. 7. — Ioël c. 2.

Ceterùm mysterium istud modico tempore peragendum est, sed magno ordine disponendum. Primò enim, signo dato. [Collectio cinerum, vt ille dixit, fiet ministerio angelorum.] Et materiâ restitutâ, statim anima suum corpus repetet, Deoque volente & agente, in opus prorumpet. Tum vniuersalis succedet cōflagratio, sordesq; aduret corporum omniū. [Factâ resurrectione mortuorum, ait Augustinus, non deerunt quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impartiatur misericordia, vt in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro; nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.] Sed sicut in disponendâ resurrectione, sancti efferuntur in aëra, impij vix à terrâ subleuantur; ita resurrectione factâ, impiis iam æternum præsentientibus supplicium, alij inter iustos purgabuntur, alij iam purgati, seruabuntur. Omnes probabūtur, sed non omnes cremabuntur: examinabuntur omnes, sed alij pro supplicio, alii pro iudicio, alii pro testimonio. [Omnes, ait Ambrosius, oportet probare per ignem, quicunque ad paradisum redire desiderant. Omnes oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo dicat ad Petrum, Si eum volo

Aquin. lect. 8. — Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei c. 24. — Mysterium modico tempore, magno peragendum ordine. — Ambros. Enarrat. in Psal. 118.

manere, quid ad te? tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus.] Nouissimè, purgatis sordibus, sanctorum corpora, dotibus ornabuntur propriis, tamque lucida reddentur quàm & impassibilia. [Non omnes immutabimur.] In felicem scilicet illam resurrectionem. Et qui immutabuntur, [In momento,] creduntur transformari: sicut & in ictu oculi suscitari. [Hoc est, vt dixit Athanas. momentaneo tempore, & breui admodum, & quanto distringi supercilium possit, res eiusmodi fient. Tantâ enim celeritate hoc futurum est, vt nequeat explicari. Ideò nouissimâ tubâ & momento, quod est oculi ictu, hos & resurgere facit Apostolus & immutari.]

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De virtute peccati.

QValis illa sit non tacet Apostolus, imò palàm docet. Cum enim dixisset, [Stimulus autem mortis peccatum est.] Reflectit in mortis insolentiam, statimque ostendit virtutis confidentiam. [Virtus verò peccati lex.] Quid enim sententia ista, assuta potius quàm insita, cum nihil de lege præmisisset Apostolus? Quid & mors non arte solùm fulta, sed & virtute, cum aculeo præfixo, infirmitatem potius prædixisset, non fortitudinem? Resumenda Apostoli verba, & filo Aquinatis perducenda. [Loquens ergo Apostolus de victoriâ Christi contra mortem, quasi in speciali quodam gaudio positus, assumit personam virorum resurgentium, dicens, Vbi est victoria tua? Hoc non inuenitur in aliquo loco sacræ scripturæ: vtrum autem ex se, vel aliunde habuerit hoc Apostolus, incertum est? Si autem aliunde accepisset, videtur accepisse de Isa. 14. Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? &c. Dicit ergo, Vbi est mors victoria tua? scilicet corruptionis: victoria tua, id est, potentia quâ totum humanum genus prosternebas, de omnibus triumphabas? Vbi est mors stimulus tuus? id est, stimulans ad mortem, quia homo per peccatum est impulsus & deiectus ad mortem. Sed quia aliquis posset objicere, quòd iste stimulus est remotus per legem, ideo consequenter hoc Apostolus excludit, subdens, Virtus autem peccati lex. Virtus, id est augmentum. Peccati: quasi dicat, non est remotum per legem, immò virtus peccati lex id est augmentum.] Epicinium est, & de partâ victoriâ sacrificium. [Nam, vt loquitur Chrysostomus, tanquam pro victoriâ sacrificans Apostolus, & Deo afflatus, & futura videns tanquam iam facta, iacenti morti insultat, & in caput eius iacens de victoriâ exultantem emittit vocem, clamans & dicens, Vbi est mors victoria tua? Absorpta est, inquit, mors in victoriâ, hoc est in finem, hoc est ne manent quidem, inquit, reliquiæ eius, neque spes est reditus, cum incorruptio consumpserit corruptionem & interitum. Vbi est mors stimulus. Vbi est victoria tua inferne? Perijt, interiit, & penitus euanuit.] Ita de morte cuius virtus in infirmitate nostrâ, seu iniquitate humanâ. [Nam, vt ait ille, quòd peccatum sit stimulus mortis, & illâ grauius, & ea in ipso vim habeat, est perspicuum.] Hoc habent minuta & infirma animalcula, quòd vitio suo potius quàm ferro, ictu potius enecent quàm impetu. [Et vt scorpius, ait Athanas. minutum animal, in caudæ stimulo vim habet omnem, sic & mors per delictum poterat plurimum.] Aculeum habebat, sed veneno illitum, peccato infectum: ictum inferebat, sed malignitate virtutis potius tremendum, quàm vulneris granditate. Idcircò mortem traducit Apostolus, non tam de suo inualescentem quàm de nostro, frequentibusque premit erotematibus, non solùm vt insolentiam reprimat, sed & vt æternam spoliatæ ac nudæ imprimat infamiam.

Aquin. lect. 9.

Vnde inserta ista Pauli sententia.

Chrysost. orat. 42.

Chrys. ibid.

Chrysost. ibid.

Athanas. in Paul.

Et id quidem de virtute mortis, seu potius infirmitate: cum quicquid in nos valeat, per nos valeat. Quid porrò de virtute peccati, quæ non iá videtur infirmitate nostrâ, sed diuinâ lege subnixa est. [Virtus verò peccati lex.] Et si illa virtus in augmento est, vt idem sit virtus & augmentum, vt Aquinatem audiuimus, semel & iterum asserentem: quantæ virtutis est, seu quantæ fortitudinis, quæ vices repetit lædendo, viresque acquirit eundo. Audiamus & Augustinum, eiusdem scientiæ ac sententiæ conscium. [Hoc agitur, inquit, gratiâ per fidem, vt aliquando dicatur: Vbi est mors contentio tua, vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus verò peccati lex: quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem.] Imò solum audiamus Apostolum, qui mensuram complet, nedum auget sententiam. [Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est.] Frequentes nimirum: nec enim propter peccatum duntaxat, sed & propter cumulum peccatorum. [Lex, inquit, subintrauit, vt abundaret delictum.] Quanta potentia, & quàm formidanda, quæ non ad coercendas transgressiones, non ad minuendas cupiditates, sed ad muniendas augendasque indita? [Hoc ipsum enim, vti Augustinus dixit, superbis est vtile, sub peccato arctiùs manifestiusque concludi, ne ad faciendam iustitiam de liberi arbitrij quasi proprijs viribus præsumatur, sed omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo.] Benè, nam, vt & ille dixit: [Qui sic audiunt quod ait lex, Non concupisces: vt hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiæ Dei ad faciendum quod iussum est dari sibi virtutem credant & petant, ad hoc eis lex subintrauit vt abundaret delictum. Parùm enim est, quia non implent quod præcepit lex, Non concupisces: sed insuper superbiunt, & ignorantes Dei iustitiam, id est, quam Deus dat, qui iustificat impium; & suam volentes constituere tanquam suæ voluntatis viribus factam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Nam & ipsa lex in hoc adiutorium data est illis, qui eâ legitimè vtuntur: vt per illam sciant, vel quid iustitiæ iam acceperint, vnde gratias agant; vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant.] Itaque ijs qui eâ legitimè non vtuntur, sed potius efferuntur su-

August. lib. de perfect. iust. c. 6.

Galat. 3.

Rom. c. 5.

Aug. lib de grat. Chris. c. 8.

August. ep 89. qu. 2. post. init.

Iudæi ex lege non tam auxilium nacti, quam exitium.

perbè, non in adiutorium est, sed in exitium: A nec in ornamentum, sed in opprobrium.

Simul ergo lex & munus Dei est, & virtus peccati: sed quòd munus, supremæ bonitatis est; quod virtus humanæ cupiditatis. Suprema bonitas in eo est, quod arrogantem humiliat, ne currat in perditionem, infirmitatem-ve contrahat insanabilem: humana cupiditas, in eo quod obicem indignetur sibi apponi, & ex iuxtâ prohibitione, iniustâ inflammetur cupidine. [Ad hoc enim potius valet legis agnitio, vt Augustinus definit, si gratiæ desit opitulatio, vt fiat mandati præuaricatio. Vbi enim non est lex, ait Apostolus, nec præuaricatio. Et, concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Ac per hoc vsque adeò aliud est lex, aliud est gratia, vt lex non solùm nihil prosit, verumetiam plurimum obsit, nisi adiuuet gratia: & hæc ostendatur legis vtilitas, quoniam quos facit præuaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & vt concupiscentias malas superent adiuuandos. Iubet enim magis, quàm iuuat; docet morbum esse, non sanat; immò ab eo potius quod non sanatur augetur, vt attentiùs & sollicitiùs gratiæ medicina quæratur.] Argutè igitur Apostolus, ne quis ingratus aut superbus obreperet, & legis causam susciperet aduersùs gratiam: vbi dixit: [Stimulus autem mortis peccatum est.] Statim addit; [Virtus verò peccati, lex.] Non remedium, sed augmentum. Vnde & subdit. [Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum.] Si deletus est mortis exercitus, si tela contrita, si parta nobis victoria; non id legi debemus quæ concupiscentiam inflauit potius, quàm sanauit: sed Deo, qui per gratiam nobis contulit victoriam. Lex foris insonuit, & de officio quidem admonuit, sed nullo intus iuuit auxilio; nihilque aliud promouit, quàm quod & pondere grauauit infirmum, transgressione reum condemnauit. Sed spiritus Dei intus supplet, quod deerat; implet in nobis, quod lex nobis præceperat. [Nam (concludo ex Augustino) vt interim omittamus legis multa præcepta, & hoc inde commemoremus quod ad commemorandum elegit Apostolus, cum dicit lex, Non concupisces: quid videtur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere, amore fertur quocumque fertur. Iubemur ergo detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis; donec illud consumatur, hoc perficiatur: Plenitudo enim legis est charitas. Ad hoc ergo credunt, qui rectè credunt, vt inuocent in quem crediderunt; & valeant facere, quod in præceptis legitimis acceperunt; quoniam quod lex imperat, fides impetrat. Iubet Deus continentiam, & dat continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per litteram, dat per spiritum. Lex enim sine gratiâ facit abundare delictum, & littera sine spiritu occidit. Iubet ideò vt facere iussa conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere nouerimus; & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat non simus ingrati.]

August. lib. de grat. Christi c. 8

Tanta vtilitas, quanta est hominis iniquitas.

Aug. epist. 89 quæst. 2. vlt. med.

TROPOLOGIA.

Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.

Hoc dicit Apostolus, & verum dicit: sed per illud vnum, tria nobis concipienda relinquit. Primum est, Corruptionem diuini regni exsortem: secundum, incorruptionem regni hæredem: tertium, incredulitatem & corruptionis radicem ac perditionis.

B Quoad primum. Audiunt Apostolum boni & mali, sed si sonum hauriunt vtrique, non tamen & sensum percipiunt: quod enim illi ad resurrectionem discernendam accipiunt, ad fidem isti præsumunt euertendam. [Sed caro, inquis, (ita apud Tertullianum) & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt. Scimus hoc quoque scriptum: sed de industriâ distulimus hucusque, vt quod aduersarij in primâ statim acie obstruunt, in vltimâ congressione prosterneremus, omnibus quæstionibus, quasi auxiliis eius, ante deiectis.] Et explanatâ ad faciliorem verborum intelligentiam viâ: tandem, [Ventum est nunc, inquit, ad carnem C & sanguinem reuera totius quæstionis: quas substantias, quali conditione exhæredauerit Apostolus à Dei regno, æquè de antecedentibus discere est.] Verba igitur Apostoli peruersè detorta, & prauè intellecta, quæstionem non faciunt solùm, sed & suffulciunt; cum & causæ seu controuersiæ, carnem & sanguinem, id est, suos neruos conferunt. [Hoc enim, vti dixit Irenæus, quod ab Apostolo dicitur, Quoniam caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt, ab hominibus hæreticis profertur, in amentiam suam; ex quo & nos retardare, & ostendere conantur, non saluari plasmationem Dei.] Quod nos possidere, tam ille quàm D & alius, [Hæreditare.] Est enim in Græcis κληρονομῆσαι. Sed tam alius quàm & ille plasmationem disterminant & corruptionem, istamque non illam à regno Dei, & à Christi consortio exterminant. [Propterea enim, ait Chrysostomus, effecti sumus terreni, quoniam mala fecimus: non quoniam ab initio effecti sumus terreni, sed quoniam peccauimus. Etenim peccatum primum, & tunc mors, & illud, Terra es, & in terram reuerteris, tunc etiam intrauit examen animi motuum & perturbationum. Neque enim ex terrâ esse genitum facit absolutè terrenum: nam Dominus quoque erat ex E eadem massâ & conspersione: sed terrena agere. Sicut etiam cœlestia agere quæ sunt digna cœlis. Sed quid ad hoc probandum opus est laborare superuacaneè? Ipse enim Apostolus nobis sensum aperit, dicens: Hoc autem dico fratres, quòd caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Quamobrem quando dicit, Hoc autem dico, nihil aliud dicit, quàm se propterea hoc dixisse, vt discas quòd malæ actiones in regnum non introducunt. Et ideò subiunxit, Neque corruptio incorruptelam possidebit. Hoc est, vitium non possidet gloriam illam, & perceptionem ac fruitionem rerum in quas non cadit corruptio & interitus.]

Tertul. l. de resur. carn. cap. 48.

Tert. eodem lib. c. 49.

Irenæus lib. 5. aduers. hæres. c. 9.

Chrysost. orat. 42.

Cœlestia aut terrena, non tam origine, quàm actione cõputanda.

Tertull. lib. 5. aduers. Marc. c. 10.

Ita Apostolum resumit Tertullianus, ita & sensum componit. [Non enim, ait, poterat hominibus terrenis non homines cœlestes opposuisse, vt statum ac spem studiosiùs distingueret in appellationis societate. Statu enim ac spe terrenos atque cœlestes homines, tamen ex pari, qui secundùm exitum aut in Adam aut in Christo deputantur. Et ideò iam ad exhortationem spei cœlestis: Sicut portauimus, inquit, imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis; non ad substantiam vllam referens resurrectionis, sed ad præsentis temporis disciplinam. Portemus enim, inquit, non portabimus: præceptiuè, non promissiuè, volens non sicut ipse incessit, ita incedere; & à terreni, id est, B veteris hominis imagine abscedere, quæ est carnalis operatio. Denique quid subiungit? Hoc enim dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: opera scilicet carnis & sanguinis; quibus & ad Galatas scribens, abstulit Dei regnum.]

Quoad secundum. Cum Apostolus corruptioni negauit regnum Dei, citra dubium incorruptioni reseruauit. [Sunt enim tria, (vti notat inculcatque Irenæus) ex quibus perfectus homo constat, carne, animâ, & spiritu; & altero quidem saluante & figurante, qui est spiritus; altero quod vnitur & formatur, quod est caro. Id verò quod inter hæc est duo, est anima, quæ aliquando quidem subsequens spiritum eleuatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod saluat & format in vitam non habent, hi consequenter erunt, & vocabuntur caro & sanguis, quippe qui non habent spiritum Dei in se. Propter hoc autem & mortui tales dicti sunt à Domino, Sinite enim, inquit, mortuos sepelire mortuos suos: quoniam non habent spiritum qui viuificet hominem. Quotquot autem timent Deum, & credunt in aduentum filij eius, & per fidem constituunt in cordibus suis spiritum Dei, hi tales iustè homines dicentur, & mundi, & spirituales, & viuentes Deo, quia habent spiritum patris, qui emundat hominem, & subleuat in vitam Dei.] Nota, tales dici iustè homines, spiritum scilicet habentes: aliàs enim pecudes irrationales, non secundùm fidem, sed secundùm carnem; non iuxta Deum, sed iuxtà sensum victitantes; imò ne victitantes quidem, sed sepulcris similes dealbatis, non tam vitam circumferentes quàm immunditiam. [Caro enim, ait ille, sine spiritu Dei mortua est, non habens vitam, regnum Dei possidere non potest, sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Vbi autem spiritus patris, ibi homo viuens, sanguis rationalis, caro à spiritu possessa. Infirmitas enim carnis absorpta, potentem ostendit spiritum. Spiritus autem rursus absorbens infirmitatem, hæreditate possidet carnem in se, & ex vtrisque factus est viuens homo. Viuens quidem propter participationem spiritûs, homo autem propter substantiam carnis.] Sed & illud præcipuè notandum est, iis regnum seruari qui credunt in aduentum Christi, & qui per fidem, Dei spiritum in cordibus suis constituunt. Hoc præmonuerat Apostolus, imò & definierat, [Primitiæ

Irenæus lib. 5. aduers. hæres. c. 9.

Quomodo homo ex tribus componendus sit.

Iren. ibidem.

A Christus. Deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt.] Præcessit resurrectio Christi, sed sic præcessit quasi introductio Christiani. [Aduentus Domini, ait Tertullianus, clauis est resurrectionis.] Ideo sui credunt aduentum eius gloriosum, credendo suspiciunt, suspiciendo, iam se in altum efferunt, sed per spiritum. Et inde, vt obseruat Irenæus: [Quoniam sine spiritu Dei saluari non possumus, adhortatur Apostolus nos per fidem & castam conuersationem conseruare spiritum Dei, vt non sine participatione sancti Spiritûs facti amittamus regnum cœlorum. Et clamauit non posse carnem solam & sanguinem regnum Dei possidere. Si enim oportet verum dicere, non possidet, sed possidetur caro: sicut & Dominus ait, Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Quasi hæreditate possideatur terra in regno.] Caro nimirum, quæ tunc maximè subdita erit spiritui, nec iam passioni obnoxia aut tumultui, non iam corruptioni subdita. [Adhuc dicam: (ex Tertulliano) Caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt. Meritò, sola, & per semetipsa; vt ostenderet adhuc spiritum illis necessarium. Spiritus enim est qui viuificat in regnum Dei, C caro nihil prodest. Prodesse tamen illi aliud potest, id est spiritus, & per spiritum, opera quoque spiritûs.] Ille est, qui tanquam sponsus carnem ducit, & inducit, dum, vt & ille ait, [Induit vim incorruptibilitatis & immortalitatis, sine quâ regnum Dei adire caro & sanguis non possunt.] Exclusâ igitur culpâ per sanctificationem, & eliquatâ per incorruptionem substantiâ, hæreditas aditur, redditur immortalitas.

Tertull. lib. de resur. carn. c. 47.

Irenæus lib. 5. c. 9.

Tertull. lib. de resur. carn. c. 50.

Quoad tertium. Miraberis Apostolum toties animum reflectere, & quasi stylum, ad rem minimè, aut non ita resurrectioni inhærentem, inflectere. [Euigilate iusti, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent: D ad reuerentiam vobis loquor.] Concludit: [Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.] Concludit, inquam, multis sparsim iactatis intortisque. Miraris hæc? Sed & tu animum reflecte, & filum sermonis repete, scopum attende resurrectionis. [Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.] Quis non irrideat, imò quis non exhorreat? Ita Augustinus ad suos: [Animaduertimus, inquit, cum Apostoli epistola legeretur, laudabilem motum fidei charitatisque vestræ, quemadmodum exhorrueritis homines, qui putantes hanc solam E esse vitam quam cum pecoribus habemus communem: post mortem autem finiri totum hominis, nec esse spem vllam vitæ alterius melioris, pruritum malarum aurium corrumpentes, dicunt, Manducemus & bibamus, cras enim morimur.] Hinc & Paulus verbum premit imponitque silentium. [Nolite seduci, Corrumpunt mores bonos colloquia mala.] Confabulationes illæ pessimæ sunt, pestesque morum seu animorum teterrimæ. Qui enim spem resurrectionis auferunt, segetem serunt voluptatis. [Nemo enim, vti dixit Tertullia-

Aug. serm. 120. de diuers. c. 1.

Carnaliter viuit, qui resurrectionem carnis non credit.

Tertull. lib. de resur. car. c. 11.

nus, tam carnaliter viuit, quàm qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim eius pœnam, despiciunt & disciplinam.] Si homines intereunt vt pecudes, nec ad aliam resurgunt vitam. Quid subest homini sic aberranti cogitare, quid subest & dicere? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Indulgeamus genio, dum viuimus; gaudeamus in hoc seculo, si nec viuimus in altero. Id dicunt pecudes, non homines; id insipientes sentiunt, non sapientes. [Si enim (quod absit) illius tanti boni spes nulla esset, (verba sunt Augustini) malle debuimus in conflictationis molestiâ remanere, quàm vitiis in nos dominationem non eis resistendo permittere.] Sed quotusquisque sapiens est, cum infinitus stultorum numerus sit, tam fide quàm ratione, imò ratione, quia fide vacuus? Si fides demitur resurrrectionis, si spes immortalitatis infringitur; homines non solùm desides euadunt, sed & in pecudes transeunt. [Dicunt enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creaturâ tamquam in iuuentute celeriter. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.] Hæc conclusio infidelitatis, imò corruptionis origo ac perditionis: qui enim spem abiecit immortalis resurrectionis, voluptatem in sortem eligit, sicque & ab hominis scopo, & à salutis proposito, tam infideliter excidit. [Non enim, vt absoluit, Tertullian, resurrectio carni & sanguini negatur, sed Dei regnum, quod obuenit resurrectioni: immò & cõfirmatur carnis resurrectio generalis, quum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur, in quem resurgat subauditur.]

Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 15.

Sapient. c. 2.

Tertul. l. de resur. carn. cap. 50.

ANAGOGIA.

Ecce, mysterium vobis dico.

MYsterium est, quod caro sit, & non caro; quia etsi caro, iam non carnalis, sed spiritalis. [Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.] Primò ergo sciendum est generalem omnium fore resurrectionem. Secundò, specialem iustorum immutationem. Tertiò, spiritalem membrorum functionem.

Quoad primum. Nihil creditu difficilius resurrectione, nihil probatu resurrectione facilius. Mysterium est, sed enodandum. [Verisimile enim non est, vti dixit Tertullianus, vt ea species sacramenti, in quam fides tota committitur, in quâ disciplina tota conititur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur: quando spes resurrectionis nisi manifesta de periculo & præmio, neminem ad eiusmodi præsertim religionem, publico odio & hostili eloquio obnoxiam, persuaderet. Nullum opus certum est, mercedis incertæ. Nullus timor certus est periculi dubij. Et merces

Tertul. l. de resur. carn. cap. 21.

A autem & periculum, in resurrectionis pendet euentu.] Quibus igitur vis tibi resurrectionem machinis erigi, quibus tigillis fulciri? Quibus exstrui argumentis, similitudine, ratione, auctoritate? Tria enim ingeniorum genera sunt, plumbea, argentea, aurea: sunt animi vulgares & obuij, sunt subtiles & philosophici, sunt fideles & Christiani. Illi similitudinibus contenti sunt ex naturâ collectis, isti rationibus petitis ex philosophiâ, hi verò auctoritatibus ex scripturâ desumptis. Natura, magistra resurrectionis, vt & discipula veritatis. [Solent, ait Augustinus, videri per annos singulos messes:

Tria ingeniorum genera plumbea, argentea, aurea.

Augustin. ser. 120. de diu. c. 10.

B generis autem humani vna vltima in fine seculi messis assurget. Ostendi nunc oculis non potest, sed de vno principali grano datum est experimentum. Exemplum datum est de vno grano, sed tale exemplum cui crederent omnes qui grana esse vellent: quanquam & omnis creatura loquitur resurrectionem, si surdi nos sumus. Vnde conuincere debemus quid in fine semel de genere humano facturus est Deus, cum tot similia quotidie videamus.] Consule naturam, & excipe disciplinam. Quocumque animum induxeris, quocumque obuerteris oculum, tot inuenies resurrectionis argumenta, quot restitutionis exempla deprehendes. [Mira ratio: ait Tertullianus, de fraudatrice seruatrix; vt reddat, intercipit; vt custodiat, perdit; vt integret, vitiat; vt etiam ampliet, priùs decoquit. Semel dixerim, vniuersa conditio recidiua est. Omnia in statum redeunt, quum abscesserint: omnia incipiunt, quum desierint: ideò finiuntur, vt fiant. Nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum.] Optima propositio, optima & conclusio. Quid enim, resurgent omnia, & de nihilo suo tanquam de sepulcro vocationis & inanitatis euadent rediuiua: solus homo peribit in totum, nunquam redibit; licet ad ima-

C

Tertul. l. de resur. carn. cap. 12.

D ginem Dei factus, licet morientium omnium Dominus ac resurgentium? Quis credat, imò quis ferat? Adhibere vis philosophiam? Quamnam? physicam, ethnicam, politicam? Sed quoniã homines sumus, & mores instruimus, gratiores & aptiores sunt rationes mortales. [Quænam verò illæ? ait Chrysost. Iustus est Deus: omnes fatentur, & Græci, & Iudæi, & hæretici, & Christiani. At hinc multi, qui peccarant, abierunt impunè: multi qui ex virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si iustus Deus: vbinam his quidem præmia, illis verò supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est altera vita? Hanc igitur rationem & illis, & vobis ipsis semper canite, nec sinet vos de resurrectione dubitare.] Quoad fideles, dociles sunt, non contentiosi, idcircò vno & altero verbo contenti. [Expeditæ .n. virtus veritatis, vt Tertull. loquitur, paucis amat. Multa mendacio erunt necessaria.] Vis igitur audire quonam titulo spes ista proscripta sit? [Vnum opinor, ait ille, apud omnes edictum Dei pendet, Resurrectio mortuorum. Duo verba expedita, decisa, detersa.] Hoc ipsum scripturæ omnes diuinæ nimirum voces personant, nec aliter quam eo quo prædicatum est modo inculca-

Chrysost. in c. 1. ep. ad Phil. ser. 6.

E

Tertul. lib. 2. aduers. Mar. c. 28.

Tertull lib. de resur. car. c. 18.

tumque suscipi aut intelligi desiderant.

Quoad secundum. Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Qui nos? [Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini.] Nam, [Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus.] Designati sunt iusti & electi omnes, seu priores, seu posteriores: ij enim non solùm suscitabuntur, sed & immutabuntur; sicque ipsi non erunt, dum alij; etsi nec ali erunt, dum & ipsi. [Quid enim? Non corpus quod futurum est seminas: non spicam integram, non frumentum recens. Hîc, (ita Chrysostomus) non amplius ad resurrectionem spectat oratio, sed ad modum resurrectionis, cuiusmodi est corpus quod est resurrecturum: vtpote an tale, an melius & clarius, & ab eodem exemplo sumit vtrumque Apostolus, ostendens quod id sit resurrecturum multò melius. Quid enim dicit, Non corpus quod futurum est seminas? Hoc est non spicam: est enim eadem, & non eadem. Eadem quidem, quoniam eadem est essentia: non eadem autẽ, quoniam hæc est melior; eadem quidem manente essentiâ, maiori autem factâ specie ac decore: quoniam nisi hoc esset, ne esset quidem resurrectio; nisi esset meliùs resurrectura. Cur enim domum esset diruturus, nisi splendidiorem esset ædificaturus?] Ænigmaticam ille vocat doctrinam istam, symbolis nimirum adumbratam ac mysteriis: sed illam explanat ad iustorum electorum-ve gloriam. [Non enim, inquit, hoc solum est mirabile, quòd primum putrescunt corpora, & tunc resurgunt: & quòd ijs quæ nunc sunt, meliora ac præstantiora quæ resurgunt: & quòd ad longè meliorem transeunt conditionem, neque quòd vnusquisque quod proprium est accipit, & nullus quod alterius; sed quòd tam multa tanta & talia, & quæ omnem superant rationem momento sunt peragenda.] Sed quid obstat diuinæ virtuti, vel quid Apostolicæ voci præponderat? [Resurgere itaque dicimus carnem, ait Tertullianus, sed mutatam consequi regnum. Resurgent enim mortui incorruptè: illi scilicet, qui fuerant corrupti, dilapsis corporibus in interitum. Et nos mutabimur in atomo, in oculi momentaneo motu. Oportet enim corruptiuum hoc, (tenens vtique carnem suam dicebat Apostolus) induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem, vt scilicet habilis substantia efficiatur regno Dei. Erimus enim sicut Angeli. Hæc erit demutatio carnis resuscitatæ. Aut si nulla erit quomodo induet incorruptelam & immortalitatem? Aliud igitur facta per demutationem, tunc consequetur Dei regnum; iam nec caro nec sanguis, sed quod illi corpus Deus dederit. Et ideò rectè Apostolus, Caro & sanguis regnum Dei non consequentur; demutationi illud adscribens, quæ accedit resurrectioni.] Altera igitur caro, dum immutata; & tamen ipsa, dum humana, dum & solida: angelicam assequetur similitudinem, nec tamen veram amittet corporalitatem; in

1 Thessal. c. 4.

Chrysost. orat. 41.

Caro eadẽ essentia, non eadem gloria.

Chrysost. orat. 42.

Tertul. l. 5. a u. Mar. c. 10.

A spiritualem transferetur qualitatem, nec tamen à propriâ excidet vnquam substantiâ. Hoc mysterium, hoc arcanum quod reuoluit Apostolus, dum non solùm resurrectionem promisit omnium generalem, sed & specialem iustorum resurrectionem addidit.

Quoad tertium. Homo, caro est, vixque aliam carnem capit quàm suam seu vulgarem, aut alia carnis seu humanitatis effingit officia. [Ex consuetudine rerum expertarum, ait Aug. inexperta opera diuina, infirmitas metitur humana, & argutulè se garrire arbitratur, dum dicit, Si caro est, & sanguis est: si sanguis, & ceteri humores: si ceteri humores, ergo & corruptio.] Sed & vltra extendit humana vanitas, B additque apud Tertullianum. [Quid tum de consequentijs carnis? Rursusne omnia necessaria illa, & in primis pabula atque potacula, & pulmonibus natandum, & intestinis æstuandum, & pudendis non pudendum, & omnibus membris laborandum?] Addit & apud Hieronymum. [Si eædem carnes erunt, & corpora, quæ fuerunt, rursum mares & fœminæ, rursum nuptiæ, viris hirsutum supercilium, barba prolixa, mulieribus leues genæ, & angusta pectora: ad concipiendos & pariendos fœtus, & C venter & femora dilatanda sunt. Resurgent etiam infantuli, resurgent & senes: illi nutriendi, hi baculis sustentandi.] Quid opus est plura congerere, cum satius sit tenere risum quam mouere; tacere, quàm opera ad sensum exponere? [Sed eodem modo diceret, (addit Augustinus) Si flamma est, & ardet: si ardet, & vrit: si vrit, ergo virorum trium in fornacem ignis ab impio rege missorum corpora incẽdit. Si autem hoc in tribus viris miraculum factum esse non dubitat, quisquis de diuinis operibus rectè sapit; cur non creditur qui fecit illa corpora non posse corrumpi, fecisse illud corpus nec igne nec fame nec morbo nec senio, nec vllâ vi aliâ, quâ solet humana corpora labefactare corruptio? Valet igitur diuina potentia de istâ visibili atque tractabili naturâ corporũ quibusdã manentibus auferre quas voluerit D qualitates: ac per hoc valet etiã menbra mortalia, formæ lineamentis manẽtibus, corruptione verò mortalitatis emortuâ, stabili vigore firmare: vt absit labes, adsit effigies: adsit motio, absit fatigatio: adsit vescendi potestas, absit esuriẽdi necessitas.] Iã alia vita est, idcircò alia officia, eidem quidem naturæ, sed alteri vitæ competentia. [Accepisti, homo, ait Tertullianus, os ad vorandum atque potandum: cur non potius ad eloquendum, vt à ceteris animalibus distes? cur non potius ad prædicandum Deum, vt etiam hominibus antistes? Denique, Adam antè nomina animalibus enun- E tiauit, quàm de arbore decerpsit; antè etiam prophetauit, quàm vorauit. Sed accepisti dentes ad macellum corrodendum: cur non potius ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum? cur non potius ad pulsus linguæ temperandos? ad vocis articulos offensione signandos. Ceterùm, & hodie vacare intestinis licebit. Quadraginta diebus Moses & Helias ieiunio functi, solo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur, Non in solo pane viuet homo, sed in Dei verbo. Ecce virtutis futuræ li-

Aug epist. 146. post. init.

Tertul. li. de resur. carn. cap. 4.


Hier. ep. 61. in med.

Augustin. ep. 146.

Diuina opera, non per experientiã, sed per potentiam iudicanda.

Tertul. l. de resu. car. c. 61.

niamenta. Si enim & hîc iam vacare est & officia & emolumenta membrorum temporali vacatione, vt in temporali dispositione; nec homo tamen minùs saluus est: proinde homine saluo, & quidem magis tunc, vt in æternâ dispositione, magis non desiderabimus, quæ iam hîc non desiderare consueuimus.] Vbi nihil & corruptionis est. Absorpta est mors in victoria, sorsque in vitam tralata angelicam. [Mortem enim arbitror hoc loco (ita Augustinus) carnalem consuetudinem quæ resistit bonę voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur, Vbi est mors contentio tua? si non restitisset & repugnasset?] Importuna contentio, sed tam mira, quam & optanda mutatio. August. lib. 83. quæst. 70. init.



CAPVT DECIMVMSEXTVM.


Epigraphe.

FOrmam de colligendis tradit eleemosynis: epistolam commendationibus absoluit & salutationibus: sicque & duabus partibus subjicit.

PARS PRIMA.

De eleemosynis colligendis.

TEXTVS.



DE collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui in Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbati vnusquisque vestrûm apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit: vt non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero: quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. Quòd si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos; cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo: vt vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modò in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens: & aduersarij multi. Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. Nequis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas vt nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia vestra in charitate fiant.

EXEGESIS LITTERALIS.

PEcuniam exigit, sed in fideles pauperes erogandam: aduentum promittit suum: de Timotheo & Apollo nonnulla suggerit Corinthiis ipsis non ingrata.

[De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui in Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, &c.] Collecta Græcè λογία, collectio est, seu collatio, quâ pecuniæ seu eleemosynæ colliguntur, & in vsum sanctorum conferuntur Christianorum: Vult ergo Apostolus, vt sicut de iis erogandis constituit apud Galatas, sic

sic & ipsi faciant, pensumque seu subsidium per singulas indicant Ecclesias.[Per vnam sabbati vnusquisque vestrûm apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit: vt non, cum venero, tunc collectæ fiant.] Rem non solùm præcipit Apostolus, sed & ordinem instituit. Per vnam sabbati. Græcè κατὰ μίαν σαββάτων, secundùm vnam sabbatorum. Primâ quaque die hebdomadæ, seu per singulas Dominicas. Vnusquisque seponat recondens. In Græcis τιθέτω θησαυρίζων, ponat thesaurizans. Quod ei benè placuerit. Pro quo Græca, ὅ τι ἂν εὐοδῶται, prout res successerit. Vult Apostolus per singulas hebdomadas, iuxtà prouentum aut lucrum, partem aliquam demi, illamque portionem in thesaurum cumulum-ve exstrui, pauperũ vsibus, sanctorum necessitatibus dispensandum, & in die Dominicâ colligendum cogendumque. Et ita vult, ne cum ipse venerit Corinthum, tunc collectæ fiant, [Ne fortè, inquit apud Athanas. cum dispensandi est tempus, tunc colligatis. Cum autem venero dicit, promptiores ad colligendum hos reddit, quod postea dispensetur.] Vult summam esse conflatam, pecuniam collectam, paratam eleemosynam. [Cum autem præsens fuero: quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem. Quod si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt, &c.] Gratiam dicit donum gratuitum, seu gratis collatum, charitatis officium: exponitque, Cum apud vos fuero, quos censueritis deferendo subsidio idoneos, quibusque epistolas dederitis Hierosolymam perferendas, hos ego mittam vestram perferre munificentiam. Quòd si iudicaueritis consentaneum esse vt eam ipse & munus vestrum offeram tanquam me vobisque dignum: nolo ire solus, sed illos quos probaueritis indultis epistolis, & sinceritatis testes habere cupio, & profectionis comites.[Per se clarum est, ait Ambros. in Comment. quia vtrumque in eorum arbitrio derelinquit, vt & quod dederint, portetur; & per quos direxerint, ipsi eant.]

Hebdomadarium lucrũ in pauperes dispensandum.

Athanas. in Paul.

Comment. Ambros.

[Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo: vt vos me deducatis quocumque iero, &c.] Cum esset Paulus Ephesi: [Proposuit in Spiritu, ait Lucas, transitâ Macedoniâ & Achaïâ ire Ierosolymam.] Et, [Vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam.] Hoc ergo proponit Apostolus, dum scribit, statuitque, pertransitâ Macedoniâ, Corinthum adire, quæ vrbs princeps in Achaïâ, & Corinthiacam visitare Ecclesiam. Breui ergo profecturus, & Macedoniam pertransiturus sum, tandemque ad vos peruenturus. Sed aduentus meus non erit transitorius, sed permansorius: quin & totam hyemem apud vos exacturus sum; si tamen permittat Deus & annuat. Forsitan igitur permanebo, vel etiam hyemabo: vt quando proficiscendum erit, & alio contendendum; discedentem prosequamini, abeuntem collato comitemini viatico.[Hoc nempe est charitatis, ait Chrysostomus, & multæ dilectionis.] Non enim

Act. c. 19.

Act. c. 20.

Chrysost. hom. 42.

A sibi studet Paulus, sed ipsis fauet indulgetque Corinthiis. [Nolo enim vos modò in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit, &c.] Inspiratus erat Paulus, &, vt ille ait, [Alligatus spiritu,] petere Ierosolymam. Sed, [Quæ in eâ ventura sint, ignorans.] Imò nec de sorte certus, nec de itinere: Idcircò exponit animum ac votum, successum diuinæ committit prouidentiæ. Quantum igitur ad me attinet, nolo vos in istâ profectione per transennam videre, spero enim me per aliquod tempus permansurum apud vos, imo & hyematurum: dummodo concedat Dominus ac consentiat. [Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens: & aduersarij multi, &c.] Et locum designat in quo sit, & tempus quo moraturus sit: vsque ad festum Pentecostes: magnus enim præclarusque ad propagandum Euangelium apertus est aditus, nec modicum cum aduersarijs multis negotium.[Complures sunt, (ita Athanas.) ad Christi fidem hanc concessuri, ad quos liberior mihi patet accessus: vtpote quorum feruentior ad fidem sit animus. Tunc enim angitur magis præceptor, & quasi ab docendo reprimitur, cum minimè habet attentos discipulos. Spatioso verò & amplo in loco tunc eius mens diuagatur, cum auditores sit nactus æmulatione mutuâ excitatos. Multos autem sibi dixit aduersarios imminere, quia cum diabolus se iam sentiat potestate pristinâ spoliatum, acriori formidine percitus alios concitat vt aduersentur.]

Act. c. 20.

Quod proponitur, diuinæ submittitur prouidentiæ.

Athanas. in Paulum.

[Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego, &c.] Ex Actibus: [Mittens Paulus in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asiâ.] Præmiserat igitur Timotheum, discipulum charissimum præceperatque vt iret Corinthum, & ipsos admoneret Corinthios. [Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu.] Ita cap. 4. Et de seipso: [Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit.] Quasi profecturus in proximo, & iam animo in Achaïâ demoratus. Et quod ibi dixit, [Si Dominus voluerit.] Heic, [Si Dominus permiserit.] Sic enim voluntas permissionis est, vt sit etiam concessionis. Si igitur venerit Timotheus apud vos, videte vt nihil apud vos inueniat quod offendat, & sine vllo degat periculo, meus enim in prædicando Euangelio cooperarius est. [Fortè, ait Aquinas, aliqua commotio fuerat ibi propter pseudoapostolos. Studete ergo vt sine timore sit apud vos. et hoc debetis facere, quia opus Domini operatur, sicut & ego, prædicando.] Collaborabat, ministrabat Paulo in promouendo Christi Domini Euangelio. [Nequis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus, &c.] Adhuc iuuenis

Act. c. 19.

Aquin. lect. 2.

Corinthij factionibus ac dissentionibus agitati.

erat Timotheus, nondum grauis ætate, licet sanctitate maturus. Nolite ergo illum spernere ob adolescentiam, sed securum dimittite, citrà vllam deducite molestiam, vt redeat Ephesum: ipsum enim ibi expecto cum aliis venturum discipulis. [De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas vt nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit, &c.] Apollo quod attinet, multis illum hortatus sum vt vos inuiseret cum aliquibus fidelibus. Hoc optastis, hoc & ego optaui, imò rogaui, & multum rogaui; sed frustrà, nunc enim animus eundi certas ob causas non fuit: erit autem, cum tempus opportunum nactus fuerit. [Apollo simul excusat, ait Athanas. & Corinthios hunc visere cupientes, eiusdem spe futuræ præsentiæ consolatur.] Notum tamen facit officium suum, id est ad votum Corinthiorum satisfacit. [Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia vestra in charitate fiant, &c.] Interea, dum venio ad vos, vigilate aduersùs tentationes malas, state quoad bonas actiones, animo infracto in vtroque persistite: sed siue illud siue istud faciatis; quicquid agatis, ex motiuo & imperio charitatis perficite.

Athanas. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

QVid collectæ, quid vna sabbati? Licet enim vnum de opere, & aliud de tempore: non tamen satis si dicatur, nisi & disquiratur. Sed quia tempus illud festiuum est, nihil vetat de festis inquiri, imò & Pentecoste dici prouocat,

DISQVISITIO PRIMA.

De opere.

Cyprian. li. 3 ad Quirin. c. 1.

OPus voco, stylo veterum. Ita Cyprianus: [De bono operis & misericordiæ, apud Tobiam: Vade & adduc quemcunque pauperem inueneris ex fratribus nostris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto corde suo, hunc adduc, & manducabit pariter meum prandium hoc.] Sic, [Tabita operationibus iustis & eleemosynis præstandis plurimum dedita; cum infirmata esset & mortua, ad cadauer exanime Petrus accitus est: qui cum impigrè pro Apostolicâ humanitate venisset, circumsteterunt eum viduæ flentes & rogantes, pallia & tunicas & omnia illa quæ priùs sumpserant indumenta monstrantes, nec pro defunctâ suis vocibus, sed ipsius operibus deprecantes.] Quidnam opus? opus misericordiæ, munus eleemosynæ. Quidnam operatio? larga & liberalissima misericordiæ & eleemosynæ effusio. [Dominum oremus, ait Tertullianus, vt det fratribus operandi copiam,] Id est largiter tribuendi, abun-

Cyprian. Tract. de eleemosyn. post init.

Tertul. l. de Idolol c. 23.

A danter largiendi. [Cogitemus, ait Cyprianus, quid sub Apostolis fecerit credentium populus, quando intra ipsa primordia maioribus virtutibus mens vigebat, quando credentium fides nouo adhuc fidei calore feruebat, domicilia tunc & prædia venundabant, & dispensandam pauperibus facultatem libenter ac largiter Apostolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque distracto, fundos illuc transferentes, vbi fructus caperent possessionis æternæ: illic comparantes domos, vbi imperent semper habitare. Talis tunc fuit in operibus cumulus, qualis in dilectione consensus.

Cyprian. Tract. de eleemosyn. vers. fin.

B Turba enim eorum qui crediderant animâ ac mente vnâ agebant, nec fuit inter illos discrimen vllum, nec quicquam suum iudicabant ex bonis quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia. Hoc est natiuitate spirituali verè Dei filios fieri, hoc est lege cœlesti æquitatem Dei patris imitari. Quodcumque enim Dei est, in nostrâ vsurpatione communi est. Quo æqualitatis exemplo, qui possessor in terris reditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac iustus est, Dei patris imitator est.

Humanum genus æqualiter & largiter diuinis communium beneficiis.

Inde igitur ingredior ad aperienda Pauli Apostoli instituta. [De collectis autem quæ fiunt in sanctos.] Non ait, De eleemosynis quæ

C fiunt in egenos: animus enim Pauli nobilior, & Apostoli sensus generosior. [Neque dixit, eos mittam, vt vestram deferant eleemosynam; sed vestram gratiam: vt ostendat eos magna operari, vt ostendat eos lucrari. Alicubi autem appellat benedictionem & communicationem: illud quidem, ne redderet pigriores; hoc verò ne nimis efferret. Tum & hortatur ad largitatem & munificentiam. Nam si tantum sit, inquit, vt meâ opus sit præsentiâ, ne hoc quidem recusabo.] Ita Chrysostomus. Certè non dedignatur Apostolus eleemosynam vocare. Ita coram Felice Præside: [Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam,

Chrysost. orat. 43.

Actuū c. 24

D veni, & oblationes, & vota.] Sed dum hortatur ad misericordiam, mauult gratiam dicere seu vberem, & specialem munificentiam. [Absolutâ quippe oratione de dogmatibus, ait ille, aggressurus eam quæ magis spectat ad mores, missis aliis procedit ad summam bonorū, verba faciens de eleemosynâ: & cū de eo solo disseruisset, desinit.] In hoc totus est, vt eleemosynam commendet, ita tamen cautus, vt nunquam appellet eleemosynam: rem enim promouet ad honorem, ne paupertatem depretiet. [Non dicit, (verba Chrysostomi) de collatione in pauperes, neque in mendicos,

Chrysost. orat. 43.

E sed in sanctos: vt erudiret auditores etiam pauperes, si piè viuant, admiratione dignos: & diuites, si virtutem despiciant, esse contemptibiles. Ecce rex profanus vocatur & iniquus, quia inimicus erat Deo: & pauperes sancti, quia mansueti ac moderati. Neronem, mysterium iniquitatis vocat, dicens, Mysterium enim nunc agit iniquitatis: pauperes verò, quibus nec alimenta erant, & qui emendicato alebantur victu, sanctos appellat.] Si pauperes regibus, imperatoribusque maiores, dum pij, dum sancti: quid in illos conferendum non est, cui

Chrysost. ser. de eleemosyn.

Pauperes imperatoribus infidelibus digniores.

rei parcendum, quid non largiendum? Idcirco Paulus vult colligi subsidiū, vult cogi in cumulum: vt vnusquisque thesaurizet, pauper etiam pauperi, mulier suppeditet mulieri. [Vnusquisque vestrûm: non diuitibus, ait, dico solùm, (verba Chrysostomi) sed & pauperibus: non liberis solùm, sed & seruis: non viris solùm, sed & mulieribus. Quâ enim de causâ dixit, vt aliquid apud seipsum reponat thesaurizans? Ne fortè quis erubescat & vereatur ostendere tam parùm à se offerri.] Vult thesaurizari, sed pauperibus: erogari, sed fidelibus: vult omnes non diuites solùm, sed & pauperes, pro suâ quique copiâ, largiter & solerter operari.

Pauperes in peccatoribus infidelibus digniores.

Chrysost. ibid.

Porrò collecta seu collectio, aliud non erat à principio, quàm fratrum congregatio. Ita illi apud Tertullianum. [Sed quomodo colligemus, quomodo Dominica solemnia celebrabimus?] Et ille, [Si colligere interdiu non potes, habes noctem, luce Christi luminosâ aduersùs eam. Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesiâ. Melius est turbas tuas aliquando non videas, quàm addicas.] Alludit ad illud Christi, Vbi erunt duo vel tres congregati seu collecti in nomine meo, aitque melius esse paucitatem merito releuari, quàm tributo grauari multitudinem. Ita & Hieronymus de Ioanne Euangelista, [Cum Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite inuicem.] Quid, per singulas collectas? Quotiescumque colligerentur fratres, quotiescumque ad celebranda congregarentur Dominica solemnia. At verò cum in istis, cum in sacris congregationibus indicerentur colligerenturque summæ pecuniariæ, collecta sumi cœpit pro solemni illâ indictione specialique collectione. [Iubet Paulus offerre non vnum (ita Chrysostomus) duos vel tres, sed vniuersam ciuitatē λογία. Collecta enim nihil aliud est quàm collectio, & symbolum quod omnes dant.] Postremò, cum maximè ad orandum adorandumq; conuenirent Christiani, vt diuinam exambirent misericordiam: exin, collecta pro oratione sumpta, maximè si aut summam colligeret, aut imponeret clausulam. Ita in Actibus martyrum. [Interfuit collectæ.] Sacro nimirum ac sacrificio. Ita Paulus de eadem eleemosynâ. [Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaïa, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem.] Hæc illamet collectio, quæ & collatio: ipsamet collecta, publico ministerio seu sacrificio collata, & inde tandem ad orationem tralata, nedum adorationem: vt & collecta breuis sit, sed grauis precatiuncula.


Tertul. l. de fug. in pers. c. 14.

Hieron. in c. 6. ep. ad Galat.

Collecta triplici sensu desumpta.

Chrysost. ser. de eleemosynâ.

Rom. c. 15.



DISQVISITIO SECVNDA.

De tempore.

NOn tantùm imperat opus fieri, sed & tempus denotat, quo & fieri debeat. [Per vnam sabbati.] Nimirum ad firmandam legem, seruandamque consuetudinem. [Nequaquam enim, vti sentit Chrysostomus, tam efficax est adhortatio & sermo, vt consuetudo tempore firmata.] Quid verò, Vna sabbati? Certè, Iudæi in hoc magis religiosi, quam ipsimet Christiani: vt qui nollent deorum nominibus ora fœdare, nec gentilium diebus tempora percurrere. Habebant menses, sed propriis insignes vocabulis: dies excurrebant, sed suis numeris dissimiles. Ipsa Hebdomada, à die principali, quasi à nobiliori parte, Sabbatum, dicta est. Ita iste Pharisæus: [Ieiuno bis in sabbato.] Id est, singulis hebdomadis. Quomodo enim bis ieiunari potest vnâ die? Imò quomodo ieiunari potest eâ die, cum solemnis esset, non esurialis, & interdictum esset ieiunium? Ita Iudith, piâ illâ viduâ. [Ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domûs Israël.] Licet ieiunaret non solùm duobus hebdomadæ diebus, sed & omnibus diebus vitæ suæ, tamē parcebat sabbato, nec ieiunio publicam infringebat lætitiam. Quomodo ergo ieiunator ille, qui paternæ traditionis citra modum, Iudaïcæ consuetudinis vsque ad scrupulum obseruator, ausus fuisset, non solùm violare disciplinam, sed & inde quasi debitam captare gloriam? Idem ergo, [Ieiuno bis in sabbato.] Ac, quauis hebdomadâ ieiuno secundâ ac quintâ feriâ: vt & nostri olim hebdomadibus omnibus ieiunabāt quartâ ac sexta feriâ; sed id, sicut alio ritu, sic & alio factitabant affectu. Sat sit, hebdomadam, dictam esse sabbatum, sicque à die principe nuncupatam. Sed & inde dies omnes, quasi æmulatione quadam, & piâ ambitione, sabbatizare voluerunt, appetieruntque numerum conflare sabbatorum: vt esset secunda sabbati, tertia, quarta, sicque totam hebdomada impleret coronam, & in principem diem recurreret. Ita Marci capite vltimo: [Vnâ sabbatorum.] Id est, Vnâ dierum. Sic & istic Paulus ex Græco, [Secundùm vnam sabbatorum.] Secundùm vnam dierum. Ita nihil profanum apud Iudæos, nihil immundum, cum & tempora ipsa patriis calculis computata.

Chrysost. ser. de eleemosyn.

Luc. c. 18.

Iudith. c. 8.

Hebdomada à die principe nuncupata.

Marc. c. 16.

At verò, vt obseruauit Augustinus: [Vacatio tantùm homini à suis, vel à seruilibus rebus imperatur, quam prior populus in vmbrā accipiens futurorum, sic vacauit ab operibus, quemadmodum nunc Iudæos vacare conspicimus, non (vt putatur) Iudæis carnalibus non rectè intelligentibus, quod rectè intelligunt Christiani.] Feriantur Christiani, sed à malis operibus, à seruilibus concupiscentiis; sed quoniam ita omnibus diebus vitæ suæ feriandum est, nunquam peccādum: dies omnes apud nos,

Aug. ep. 119. post init.

mò & apud priscos Christianos, feriæ nuncupantur, non otio, sed sancto dicatæ negotio. [Cur, ait Tertullianus, stationibus quartam & sextam sabbathi dicamus, & ieiuniis parasceuem?] Quid, quarta & sexta sabbathi? Quarta & sexta feria. [Secunda sabbati, inquit Augustinus, secunda feria, quem seculares diem Lunæ vocant: tertia sabbathi, tertia feria, quem diem illi Martis vocant: quarta ergo sabbatorum, quarta feria, qui Mercurij dies dicitur à paganis, & à multis Christianis. Sed nolumus vt dicant, atque vtinam corrigantur vt non dicant. Sic enim habent linguam suam quâ vtantur. Non enim & in omnibus gentibus ista dicuntur. Multæ gentes aliæ atque aliæ aliter vocant. Meliùs ergo de ore Christiano ritus loquendi Ecclesiasticus procedit.] Ecclesiasticos vocamus Clericos, illi vocabant omnes Christianos; seculares nuncupamus, non monachos aut religiosos, illi seculares nuncupabant gentiles seu ethnicos: nos breuiarium resignamus clericis & monachis, illi omnibus assignabant fidelibus. [Reuerâ, ait Tertullianus, in oratione legitimâ breuiarium totius Euangelii comprehenditur.] Ferias ipsas ablegamus ad breuiarium monasticum, illi continuas Christianis seu sanctis imperabant. Quid enim feria, nisi quieta vita, à tumultu remota, affectu vacua, probis occupata studiis, vanis & non necessariis implicata negotiis. Ita ille Drusus apud Senecam, inquietam à primordiis vitam, & negotiis importunam detestatus, dicitur dixisse: [Vni sibi, ne puero quidem vnquam ferias contigisse.] Cur ita? Tu vide. Sed & ille alibi. [Magni quidam viri, inquit, sibi menstruas certis diebus ferias dabant.] Nonnullam scilicet rebus interponentes moram, imò & hominibus valedicentes; vt seipsis fruerentur; etsi fortè non melioribus pascerentur, certè gratioribus. Non sic Christiani, qui dum feriantur, ideo secessum meditantur, vt orationi vacent & contemplationi, vt in officio suo tranquilliùs ministrent & sanctiùs: vnicum enim habent negotium: fidem tenere, salutem promouere.

Tertull. lib. de ieiun. c. 4

August. in præf. Ps 93.

Mos alius gentilium, alius in diebus nominandi fidelium.

Tertul. lib. orat. c. 1.

Sen. lib. de breuit. vitæ c. 6.

Sen. lib. de tranq an. c. 15.

A

B

C

D

Retinuit ergo Paulus morem loquendi Iudaïcum, sed ecclesiasticum fecit, reddidit Christianum. [Vnâ sabbati.] Quid, Vnâ? id est primâ. Ita in Genesi mundi: [Factum est vesperè & manè dies vnus.] Id est primus. Et in Actibus: [Vnâ autem sabbati cum conuenissemus ad frangendum panem.] Id est primâ die. Sed & hîc clariùs ex Græco. [Secundùm vnam sabbatorum.] Vt vna sabbatorum sit prima dierum in singulis hebdomadis. Quæ autem prima, nisi Dominica? Sicut enim primus ille dies, quo mundus extat conditus, seu primus dierum omnium; sic & primus sabbatorum, seu dierum recurrentium. [Vna enim sabbathi, ait Augustinus, tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Euangelijs apertiùs inuenitur. Nam dies resurrectionis Domini, prima sabbathi à Matthæo; à ceteris autem tribus, vna sabbathi dicitur: quem constat eum esse, qui Dominicus postea appellatus est.] Itaque Paulus primusque ille Christianismus, profanos seu ethnicos imitari, vel aliquid ab ipsis mutuari dedignatus, Iudæos tanquam sanctos æmulatus est: nec dierum duntaxat nomina ab eis desumpsit, sed & festorum decerpsit solemnia. Vnde enim & Pentecoste apud Paulum, vnde & Parasceue apud Tertullianum, nisi ex fastis Iudaïcis? Licet enim nobis alia sint festa, cum Pascha nostrum iam Christus sit, & sabbathum nostrum iam sit dies Dominicus: tamen quod præcessit in figurâ, non statim desiit, sed paulatim melioribus sanctioribusque cessit solemnitatibus. Ita Paulus in Actibus: [Festinabat, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.] Vnde mirum non est, quòd, [Positis genibus suis orauit cum omnibus illis.] Licet enim postea, [A die Paschæ in Pentecosten, vt loquitur Tertullianus, nefas fuerit de geniculis adorare.] Tamen nondum morem istum tenebant Christiani, imò morem adhuc retinebant antiquum. Ita & Lucas [Nos verò nauigauimus post dies azymorum à Philippis.] Et quorsum Paulus tantopere festinaret adire Hierosolymam, si Christianam seruare vellet ceremoniam? Vbique enim terrarum seruari poterat festum Christianum, non tamen & Iudaïcum celebrari; sed ad locum quem elegerat Dominus, accedendum. Potuit ergo esse obseruatio festi Iudaïci, sed animo Christiano: potuit & solemnis temporis esse designatio, certo dierum numero comprehensa: sicut & prima sabbathi, solemnitatis destinatio est, iam inde festorum donata priuilegio. Sed iam ad institutum satis: nihil enim extrà chorum.

Genes. c. 1.

Act. cap. 10.

E

August. ep. 86. vlt. med.

Christiani Iudæos potius quàm ethnicos æmulati.

Act. num. cap. 20.

Tertul. l. de Coron. mil. cap. 3.

Act. cap. 10

TROPOLOGIA.

Vnusquisque vestrûm apud se reponat.

IN eleemosynâ commendandâ tria obseruat Apostolus, sed alia legenda communicat, alia seruat intelligenda. Sunt autem hæc tria, opportunitas, solemnitas, commoditas.

Quoad opportunitatem. Occasio tanti beneficij desumpta est ex Dei iudicio. Diximus tria esse purgatoriorum genera: vnum antè mortem in isto corpore, alterum post mortem deposito corpore, tertium post resurrectionem resumpto corpore. Sed sicut primum non tam purgatorij genus quàm sacramenti: secundum non fuit vbique & semper indubitati testimonij; sic & vltimum tam certissimum semper apud omnes fuit, quàm quod vbique receptissimum. Dico medium non dubitati semper fuisse testimonij. [Tale enim aliquid, vti dixit Augustinus, etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrum ita sit, quæri potest. Et aut inuenire, aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minus-ve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardiùs citiusque saluari.] Eadem iam dixerat, & iisdem verbis expresserat in suo Enchiridio. Dico vltimum tam certissimum semper apud omnes: quàm quod vbique receptissimum. In id enim conspirarunt semper Ecclesiæ omnes tam orientales, quàm & occidentales, hoc inculcarunt patrum omnium vbique degentium sententiæ. [Vocatus ignis, ait Hierony-

Aug. lib. de 8. ad Dulcit. quæst. 1.

Augustin. c. 69. Ench.

Hieronym. in Amos.

mus, ad iudicium primò deuorat abyſſum, id eſt, omnia genera peccatorum, ligna, fœnum, ſtipulam; & poſtea comedit ſimul partem, hoc eſt, ad ſanctos illos peruenit qui in peculium Domini & in partem eius reputantur.] Et Baſilius: [Declarat Propheta terrena ipſa tradi depaſcenda igni punitiuo in gratiam & beneficium animis: non enim omnimodam internecionem & exterminium comminatur, ſed innuit expurgationem iuxtà Pauli ſententiam; Quia ſi cuius opus exarſerit, damnum patietur; ipſe autem ſaluus fiet, ſic tamen quaſi per ignem.] Et id quidem vt ſentiunt, exprimuntque, [Factâ reſurrectione:] Et extremâ purgatione. [Animaduerte igitur ſenſum & ingenium Apoſtoli, quàm tempeſtiuè ad hanc admonitionem accedit. Cum enim meminit futuri illius iudicij, terribiliſque illius ſedis, & gloriæ quâ veſtiendi ſumus, modò rectè viuamus, & immortalis vitæ, tum de hoc reliquum ſermonem infert; vt auditor ſpe bonâ refocillatus, facilior ſit ac benignior, atque ita maiori ipſum alacritate ſuſcipiat, vtpote adhuc iudicij terrore contremiſcens, & repoſitorum animæ bonorum expectatione geſtiens. Etenim quiſquis de reſurrectione philoſophatur, & ad futuram vitam ſe totum confert, nihili æſtimabit præſentia, vel diuitias, vel abundantiam, vel aurum, vel argentum, vel ſumptuoſas veſtes, vel delicias, vel menſæ luxum, vel aliquid tale. Et qui hæc nihili faciunt, haud difficilè pauperum ſuſcipient curam. Et hac de causâ admonitionem hanc aptè ſermoni de reſurrectione ſubiunxit Apoſtolus.] Tranſimus per ignem & aquam, & ita in æternum euadimus tabernaculum. Tunc ſolemne purgatorium erit, ſolemne iudicium. Sed quid tunc purgabitur, imò quid tunc imputabitur? [Conuenienter dico, vt Chriſtiani ſteriles in eleemoſynis non ſint, (ita dicit Auguſtinus) quibus tantum tribuit Scriptura diuina, vt earum tantummodò fructum ſe imputaturum prænuntiet Dominus dextris, & earum tantummodo ſterilitatem ſiniſtris, quando his dicturus eſt: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Illis autem: Ite maledicti in ignem æternum.] Credis futurum iudicium? credis omnes omninò homines tam ſanctos quàm & profanos, corporibus reſumptis, & expenſis ante Chriſtum Dominum ſiſtendos operibus? Et neſcis quantum in illo iudicio valeant eleemoſynæ, & quantum flagrantiſſimo præualeant purgatorio?

Baſil. in cap. 9. Iſa. Proph.

Chryſoſt. ſer. de eleemoſyna.

Qui reſurrectionem cogitat, nihil de iſta vita curat.

Auguſt cap. 69. Ench. & q. 1. ad Dul.

Quantum ad ſolemnitatem. Diem aſſignat Paulus & ſolemnem; vt ſi pietas friget, inuitet ſolemnitas. [Vnam ſabbatorum, ait Chryſoſtomus, Dominicam vocat. Et quamobrem hunc diem oblationi deputat? cur non dixit, ſecundâ ſabbathorum, vel tertiâ ſabbatorum, vel aliis ſabbatis? Profectò nec hoc temerè, nec abſque causâ dictum. Nam & à temporis opportunitate anſam capit, quò alacriores reddat offerentes. Et quid commodi habet eius diei tempus, quò faciliùs detur eleemoſyna? Ecce, quoniam tum à labore omni ceſſatur, relaxationeque ac feriis alacrior fit animus. Et quod multò maius eſt, innumeris eo die bonis potiti ſumus. Nam eo die deſtructus eſt infernus? extinctum maledictum, diſparuit peccatum, confractæ inferorum portæ, captiuus factus eſt diabolus, diuturnum bellum diremptum, conciliati Deo homines, noſtrumque genus ad priſtinam, imò ad maiorem rediit dignitatem: viditque ſol inopinatum & admirabile illud ſpectaculum, quòd homo factus eſt immortalis.] Tangit tres cauſas, quæ hominem liberaliorem efficiunt, dum reddunt ad dandum communicandumque faciliorem. Prima eſt, cum à curis expeditus, abſolutus à negotiis: quandiu enim ſua pertractat, aliena non cogitat: quandiu mercimoniis implicatus, aut aliis diſtractus ſtudiis, nec mentem ad opus adjicit, nec pauperem etiam cominiùs proſpicit. Cum autem liber eſt animus, vacatque vt virtuti attendat & ſaluti: ſi miſer occurrit, tam facilè ſuccurrit, quàm & liberè. Altera, cum alacrior eſt, cur enim eo liberalior quo liberior, ſic & quo hilarior: lætitia enim manum aperit, cum ſoluit animum, ſicut contrahit mœſtitia. Dies bona, dies hilaritatis ac feſtiuitatis: & qui geſtit, promptè tribuit. Tertia, cum diem tangit felicem, quo aut natiuitatem excepit aut dignitatem: tunc enim aut in natiuitatis memoriam, aut in gratiam dignitatis, nulli rei parcit; ſuaque, ne dicam aliena, non tam fundit, quam projicit: Patrocinatur enim dies liberalitati, dum aut indebitæ aut inſperatæ felicitati adulatur. Sed & alia cauſa eſt, quam & ipſe inſinuat, dum ſimilem aut non imparem exaggerat: nempe, ſolemnioribus diebus cultiores eſſe homines, id eſt cultu & habitu ſplendidiores, ideoque egenis veſtiendis promptiores: ſicut enim hyemis frigore, miſeremur algentium; ſic & curioſioris cultûs tempore, vix eſt, quin nudorum recordemur miſerorumque. [Et quidem ſemper conuenit de eleemoſynâ concionari, quandoquidem & nobis apud Dominum multâ ſemper opus eſt miſericordiâ: ſed multo magis neceſſarium, cum frigus eſt. Enimuerò æſtate, temporis commoditas multum ſolatur pauperes: extrà enim periculum ſunt ſi nudi ambulent, cum ſolis radij pro amictu ſint, ſecurumque in nudo pauimento dormire, nocteſque ſub dio agere, neque adeò calceamentis indigent, vel potu vini, vel alimentis largioribus: contenti enim ſunt aquarum fontibus: tumultuariamque illis menſam vilioribus oluſculis ac paucis leguminibus ipſa anni pars inſtruit, hyeme verò vndequaque variis modis affliguntur & vexantur; intra viſcera, deuaſtat fames; extrà, carnem conficit frigus. Videas in mediis biuiis iacere multos, quorum aliis abſectæ manus, alij exoculati, alij vlceribus pleni, & incurabiles, ac portendentes eas partes, quas vtpote tabidas potiſſimum neceſſarium erat contegerent.] Quis tam miſerabili non tangatur ſpectaculo, quis non facili reddatur animo? Quis non humanius aliquid reuoluat, & intus dicat, Nunquid & iſti homines ſunt, fideles, Chriſtiani, fratres mei, me forſan meliores, certè humanâ digniores miſericordiâ? An igitur æquum eſt, vt ego deliciis non affluam tantùm ſed & diffluam, ſuperfluis non edendo tantùm excedam, ſed & veſtiendo: & miſeri illi non ſolùm macerentur frigore & fame, ſed & enecentur?

Chryſoſt. ſer. de eleemoſyna.

Tria hominem reddunt liberalem & in dando facilem.

Chryſoſt. ibid.

Et menſam ſimul & pompam exſtruam : dum iſti nec habent quod manducent, nec quo paupertatem leniant ſuam, nec quo propriam protegant nuditatem?

Tertul. l. de baptis. c. 19.
Aug. ſerm. 144. de tem.

Quoad commoditatem. Equidem, vt dixit Tertullianus : [Omnis dies Domini eſt, omnis hora : ſi de ſolemnitate intereſt, de gratiâ nihil refert.] Venerabilis quidem Dominicus dies, plurimiſque illuſtratur miraculis, beneficiis cumulatus. [Dies primus atque perfectus :] ait Auguſtinus, & addit : [In quo ſperamus Dominum noſtrum ad iudicium venturum.] Vt non ſit mirum, diem ab Apoſtolo deſignatum, in quo bonis operibus, ſeu ſuper egenum & pauperem intelligentibus, id eſt, ſub pauperum nuditate, ſub membrorum humilitate caput ipſum, ſeu Christum deprehendentibus reddendum eſt præmium. Sed & omne tempus faciendis eleemoſynis habile eſt, ſicut & diuitiis congerendis. Mirabilis Paulus in officio pietatis diſponendo, fidelis in cauſâ paupertatis procurandâ. [Pauperum, ait Chryſoſtomus, & in egeſtate viuentium præfectus & procurator miræ ſingulariſque vigilantiæ ac curæ. Vnde diuiſis apud Petrum diſcipulis, pauperum curam non diuiſit : ſed, vt dicit, Dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi in circumciſionem Apoſtolatu fungerentur. Iniunxerunt ſolùm, vt pauperum eſſemus memores : id quod facere curaui.] Apud nos : [Quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum ſeruare.] Preſſiùs & expreſſiùs apud Græcos, [illegible]. Quaſi totum hoc illius ſtudium eſſet, quaſi operam in hoc omnem, diligentiam omnem adhiberet & induſtriam. Fauet inopiæ? imò ſtudet œconomiæ. Prohibet theſaurizare? imò iubet : nec enim pecuniæ cauet, ſed auaritiæ; & dum alienæ indulget paupertati, tuæ commoditati conniuet. [Vnuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit.] Seu, vt legunt Græci, [Theſaurizans.] Idque ſecundùm proſperitatem & commoditatem, ſecundùm felicem ſucceſſum, vberioremque prouentum intelligunt. [Quâ de cauſâ dixit, Vt aliquid apud ſeipſum reponat theſaurizans? (verba ſunt Chryſoſtomi) Vnuſquiſque veſtrûm, ait, apud ſeſe reponat theſaurizans quod commodum fuerit. Quo verbo Paulus demonſtrat, quod ſupernè fauor, & felix euentus eis aſſiſtet. Non enim hoc ſolùm conſiderabat quomodo, ſed & vt cum magnâ promptitudine pauperibus neceſſaria ſuppeditarentur. Idcircò non dicit, colligens : ſed, theſaurizans : vt diſcas quòd ſumptus ille theſaurus ſit, & expenſæ illæ quæſtus. Theſaurus, inquam, eſt omni theſauro melior. Nam ſenſibilis theſaurus, & inſidijs petitur, & imminuitur, ſæpeque inuentores peſſundat : cœleſtis autem ille, totus alius eſt. Vnuſquiſque ergo reponat theſaurizans. Nullus ab hoc miniſterio ſit exemptus, lucriue ſit expers, ſed vnuſquiſque aliquid offerat. Statuamus igitur hoc vt Dominico die aliquid in ſubſidium pauperum reponamus, neque legem poſtea tranſgrediamur, etiam quantacumque vrgeat neceſſitas.] Non te ſpoliat Apoſtolus, ſed ditat; nihil tibi aufert, ſed multum confert; non perdendi ſortem præbet, ſed artem docet congerendi. Proſperè res ſucceſſerunt, facultates facilè, & quaſi nemine cogitante ſuccreuerunt; portionem lucri ſepone, partem pauperi tribue : pro lucro, pro modulo impende, pro facultate, pro commoditate. Ita ſimul & proſperitati litas, & ſaluti aduigilas.

Chryſoſt. ſerm. de eleemoſyna.
Quantum Pauli in egenis ſtudium ſubleuandis.
Chryſoſt. ibidem.

ANAGOGIA.

Opus enim Domini operatur, ſicut & ego.

B POteſt triplex eſſe ſenſus : litteralis, moralis, ſpiritalis : & vbique nonnulla implexa eſt anagogia, licet in vltimum ſenſum ſit maximè refundenda.

Quoad primum. Opus Domini operatur, qui concionatur; qui verbum Dei adminiſtrat, qui cibum Christianæ diſpenſat familiæ. Certè Timotheus nondum erat epiſcopus, ſed ſubſidiarius, nec officium, ſed nudum habebat miniſterium. Tamen Paulus, vt Chryſoſtom. aduertit : [A miniſterio eum facit fide dignum, dicens, Opus enim Domini operatur. Ne hoc quidem ſpectes, inquit, ſi non ſit diues, ſi non eruditus, ſi non ſenex : ſed quid iuſſus ſit, & C quid efficiat. Opus enim Domini operatur. Hæc ei ſufficit pro omni & nobilitate, & diuitiis, & ætate, & ſapientiâ.] Sit prædicator eruditus, diſertus concionator, ætate grauis, dignitate ſublimis : hæc omnia humana ſunt, tempore aut arte comparata, ideoque non Domini, ſed ſerui ſunt opera. Sed qui miniſterium exercet Apoſtolicum, qui verbo non ſuo docet, ſed diuino; tam non ſuo nititur opere, quã nec proprio ſed indulto munere fungitur. Eodem ferè modo ſe habet in Euangelio prædicando, quo ſe habet in celebrando ſacrificio : vtrumque miniſterium ſacrum, vtrumque publicum : nec ingenij artificio, ſed Dei verbo D peragendum. [Sacerdos, ait Cyprianus, vice Chriſti verè funditur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur?] Accinit Ambroſius & exponit : [Vbi, inquit, venitur vt conficiatur venerabile ſacramẽtum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.] In hoc ergo vice Chriſti fungitur, qui non ſolùm nititur imitatione aut exemplo Chriſti, ſed etiam & verbo & voce Chriſti vtitur, & virtute fulcitur & opere. Quid Timotheus? cooperarius Pauli, Chriſti & vicarius. Quid enim Paulus? Audi illũ. [Factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi; vt impleam verbum Dei.] Et quidem iuſtè : E nam, vt & ipſe dixit : [Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.] Idcircò enim miſſi ſunt Apoſtoli, vt prædicent veritatem, fidem plantent & irrigent : non ſuo tamen ſermone, ſed diuino; ſicut & diuino ſemine filios ſuſcitant, ideoque nec ſibi imputant ſed ſemini; nec Paulo vindicant aut Petro, ſed Chriſto; non enim Paulianos, aut Petrianos nuncupant, ſed Chriſtianos. Opus ergo Domini operatur Paulus, dum Apoſtolus Chriſti : opus Domini operatur & Timotheus, dum Pauli cooperarius. [Opus enim Domini operatur, ſicut & ego.] Facilè communicat Apoſtolus

Chryſoſt. orat. 44.
Diuino verbo & Euangelium prædicatur, & celebratur ſacrificium.
Cyprian. li. 2. ep. 3.
Ambroſ. li. 4 de ſacram. cap. 4.
Coloſſ. c. 1.
Rom. c. 10

quod communicatione non minuitur, sed diffunditur, cibumque non per se solùm, sed per ministros dispensat idoneos, ita de Epaphrodito: [Propter opus Christi vsque ad mortem accessit.] Nam ex Chrysostomo: [Missus fuerat, vt Paulo ministraret.] Puto ego dici de eleemosynâ, & adiicio ex ipso Chrysostomo: [Si Euangelium quidem suspenderis nihil faciens, non adeò magnam accipies vtilitatem: habẽs autem pauperum arculam, precationem reddis alatam: sanctam domum constituis, quæ habet alimenta regis intus recondita.] Cupit enim ille gazophylacium esse domesticum, sacrum ærarium, promittitque armamentarium aduersùs tentationes, aduersùs ingruentes tempestates fore tutissimum. Sed cum & ille Epaphroditus dicatur Apostolus, quidni ex iudicio non improbando dicatur episcopus? Operatur ergo opus Domini, qui prædicando cooperatur Euangelio; qui verbis vtitur diuinis, qui Apostolico fungitur ministerio.

Philip. c. 2.

Chrysost. serm. 9.

Chrysost. orat. 43.

Quoad secundum. Opus Domini operatur qui opus bonum facit, qui piè viuit, qui cum timore ac tremore salutem suam operatur. Ita dixit Paulus. [Stabiles estote & immobiles: abundantes in opere Domini semper: scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.] Equidem bonum omne, quocumque tandem modo bonum sit, tam à Deo est, quàm quod est verum. Vnde Augustinus de Polemone, ad mores alios conuerso à Xenocrate, aut traducto. [Quanquam ille, inquit, non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne id ipsum quidem quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed diuino. Ipsius namque corporis quod est infirmum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma & vires & salus, & si quid eiusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore ac perfectore naturæ, quanto magis animi bona donare nullus alius potest? Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana vecordia, si putauerit cum carne pulcrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri?] Sed aliud est, esse veraciter sapientem, & salubriter (si vis) continentem, aliud piè religiosum & verè Christianum: illud enim ad humanæ vitæ honestatem pertinet, istud ad æternæ valet immortalitatem: quæ sicut diuina est, sic & ea inter diuina veniunt opera, quæ ad futuram illam vitam peruehunt. Sunt igitur tria bonorum genera, & à Deo ipso concessa: quorum primum, corporale est, vt sanitas, & id nobis commune cum pecudibus: alterum, animale, vt qualiscumque castitas, & id nobis commune cum gentilibus: tertium, spiritale, vt vera sanctitas, & id nobis commune cum cœlitibus. Illud in humanâ carne, istud à ratione philosophicâ, hoc à fide diuinâ. Illic bonæ vires, istic honesti mores, hîc tandem veræ virtutes, id est, non solùm ciuiles, sed & Christianæ. Illud homini conuenit, quatenus animal est sensibile, istud & illi competit, quatenus est animal vtcumque rationabile: id verò, quatenus diuinitatis capax est & immortalitatis. Sit donum Dei, sit & animi bonum, castitas Vestalium, Philosophorum sobrietas: quis enim inficias ierit melius esse, continere quàm luxuriari, abstinere quàm inebriari? Sed non est, [Datum optimum, & donum perfectum.] Non est hoc opus Dei, quod incipit à fide, & in æternitate desinit. [Hoc est opus Dei, vt credatis.] Operare, nõ cibum qui perit, sed qui in vitam transit æternam. [Quid si enim, ait Augustinus, de his omnibus bonis operibus, aut illud speras quod sperandum est, sed non ab illo à quo sperandum est; aut hoc speras, quod sperandum non est, etiam ab illo à quo æterna vita speranda est? Pro bonis operibus sperasti terrenam quandam felicitatem? Impius es: non est ista merces fidei. Cara res est fides, vili illam addixisti. Impius ergo es, & nulla sunt ista opera tua. Moueas licet in bonis operibus lacertos, & videaris nauim optimè gubernare, in saxa festinas. Quid si quod sperandum est, speras, id est vitam æternam, sed non à Domino Deo per Iesum Christum, per quem solum datur vita æterna? Impius es. Crede ergo in eum qui iustificat impium, vt possint & bona opera tua esse opera bona. Nam nec bona illa appellauerim, quandiu non de radice bonâ procedunt.] A fide scilicet ac charitate.

Augustin. ep. 130. post. init.

Tria bonorum genera à Deo concessa.

Iacob. c. 1.

Ioan. cap. 6

Aug. præfa. in Psal 31. vers. finem.

Quoad tertium. Mirum quod Apostolus dicat esse opus Dei, opus Domini, & nostrum nihilominus esse laborem & studium etiam circa fidem asserat. [Magna gratiæ commendatio, ait Augustinus. Nemo venit nisi tractus. Si trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus: ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens: credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur. Apostolum audi dicentem: Corde creditur ad iustitiam. Et quid sequitur? Ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio.] Si traheris, nonnullam sanè pateris violentiam; sed si vis trahi, nedum duci; tam suauis violentia est, quàm & vis voluntaria. [Sed vt doceret Christus, (verba sunt August.) nos etiam ipsum credere, doni esse non meriti: Sicut, inquit, dixi vobis, nemo venit ad me, nisi cui datum fuerit à Patre meo. Vbi autem hoc Dominus dixerit, si superiora Euangelij recolamus, inuenimus eum dixisse, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Non dixit, Duxerit, sed, Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis: ama, & traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam: dulcis est, suauis est: ipsa suauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cum esurienti herba ministratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur.] Incredibile est, sed incredulis. Difficile? sed morosis. Qui autem sentiunt, facilè consentiunt, etsi nec motum, nec modum perfectè comprehendunt: Labor quidem est noster, sed in Domino, quia ille facit vt laboremus: victoria nostra est, sed ille facit vt vincamus. [Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.] Sicut enim ille facit vt laboremus, sic & facit ipse vt triumphemus. [Attendite sancti, ait Augustinus, quicunque


Aug. Tract. 26. in Ioan. post. init.

Animus tractus, nec tamen inuitus est.

Aug. ser. 2. de verb. Apost. c. 2.

Aug serm. 43. de verb. Dom. c. 8.

pugnatis. Prælìantibus loquor. Intelligunt qui pugnant, non me intelligunt qui non pugnant. Nam qui pugnat, non dico intelligit me, sed præuenit me. Audi ergo ipsam victoriam, ipso Apostolo dicente, Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem,& mortale hoc induerit immortalitatem,tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Audi voces triumphantium : Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Percussisti, vulnerasti, deiecisti: sed vulneratus A est pro me, qui fecit me. O mors, ô mors, vulneratus est pro me, qui fecit me, & de morte suâ vicit te! Et nunc triumphantes dicturi sunt, Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus?] Nunc incipit opus Dei per fidem, proficit per charitatem : tunc verò consummabitur, cum erit Deus omnia in omnibus, & cum in omnibus omnia, deuictâ morte, contritâ cupiditate, pugnante nullo, nullo repugnante, non iam per fidem, sed per speciem operabitur.



PARS ALTERA.

DE COMMENDATIONIBUS ET *salutationibus.*

TEXTUS.



OBsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci : quoniam sunt primitiæ Achaïæ,& in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti. Gaudeo autem in præsentiâ Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci : quoniam id quod nobis deerat, ipsi suppleuerunt : refecerunt enim & meum spiritum & vestrum. Cognoscite ergo qui huiusmodi sunt. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priscilla, cum domesticâ suâ Ecclesiâ : apud quos & hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutatio, meâ manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran atha. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

CIuilis pars ista est, nec tamen minus vtilis : pietas quippe vrbana est, & pia vrbanitas. Obsecrat, salutat, imperat,

[Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaïci : quoniam sunt primitiæ Achaïæ, &c.] Obsecratio est, an exhortatio? Græcè enim Παρακαλῶ. Sed & Pauli obsecratio, adhortatio est, ne dicam & iussio. Optimè nostis familiam Stephanæ, ille primitiuus Achaïæ: benè nostis familiam Fortunati & Achaïci: & illi crediderunt in Christum primi; illi qui ceteros præuenerunt, & inter primarios susceperunt Euangelium. Isti non vbique additi, nec tamen excludendi. [Et in ministerium sanctorum ordina- A uerunt seipsos, &c.] Nostis quòd seipsos obtulerint addixerintque, vt sanatis ministrarent, Christianis inseruirent, solita pietatis charitatisque exhiberent officia. [Vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti, &c.] Hoc est quod obsecrat Paulus & ordinat, vt istis reuerentiam præstent, præstent & obedientiã:nec istis duntaxat,sed&omnibus in Euangel. collaborantibus cooperantibusq;[Seipsos cõstituerũt, vt ministrent,& opẽ ferant; nec inuiti aut coacti, sed vltro id agunt. Non igitur simpliciter ferre his opem dixit, sed vt intẽtiorem quandam exprimeret obsequentiam, Subditi estote, subintulit. Et ne Stephanæ duntaxat illi gratificari appareat, adiecit, B Et laboranti cuique. At quâ in re? In sanctorum nimirum ministeria. Sunt enim istiusmodi omnes honore dignissimi. Sic namque & labores leuiter tulerint, cum se & sanctorum gratiâ

Comment. Athanas.

gratiâ suscepisse hos videat, & alios habeant ad id muneris socios.] Ita Comment. Athanas. [Gaudeo autem in præsentiâ Stephanæ, & Fortunati, & Achaici : quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt : refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum. Cognoscite ergo qui huiusmodi sunt, &c.] Tres isti viri Paulum conuenerant Ephesi, & quæ factitarentur, vel apud ipsos Corinthios agitarentur, detulerant. Dicit ergo lætatum se eorum præsentiâ, παρουσίᾳ, de aduentu ac conuictu, sed eorum magis alloquio recreatum, quàm contubernio: aliorum quippe præsentiam officio suo suppleuerunt, & totam, vt ita dicam Corinthiorum retulerunt Ecclesiam. Sed si vna anima mecum estis, & vnus spiritus, dum meum refecerunt spiritum, refecerunt & vestrum. Illos collaudo, vobis & illos commendo. Itaque reuereamini illos, & amplectamini. [Hîc enim, Cognoscite, vt obseruat Ambros. id est honorate, cognoscentes eorum studium vel laborem.] Merita nimirum repræsentat ac ministeria, commendatque.

Ordinant seipsos, qui vltro se ad ministrandum iuuandumque immolant.

Ambros. in Paul.

[Salutant vos Ecclesiæ Asiæ, &c.] Licet adjicias, [Omnes.] Nihil peccas: imò non tam verbum imponis, quàm sensum elicis. Vnus enim omnium animus, tanta Christianorum concordia: vt quod ille pronuntiat, iste consentiat. Apud Chrysostomum: [Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ. Semper enim cogit & conglutinat membra per salutationem.] Quasi non tã salutatio sit, quã adunatio. [Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla, cum domesticâ suâ Ecclesiâ: apud quos & hospitor, &c.] Hi familiares Pauli, imò & hospites: ideoque & heic nominati, cum eâ quæ in domo eorum est Ecclesia. In Actibus : [Paulus fratribus valefaciens: nauigauit in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila. Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Factum est autem, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum.] Sicut ergo Corinthi sese recepit apud Aquilam & Priscillam, quidni & Ephesi: maximè, cum & eiusdem artis esset, & domesticam inueniret Ecclesiam. [Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutatio, meâ manu Pauli.] Quid vultis dicam? Quid vultis recenseam? Fratres omnes, vnà omnes fideles salutant vos: & vos omnes salutate inuicem in osculo pietatis, charitatisque symbolo. Loco autem salutationis, Ego Paulus propriâ manu scribo, & hanc claudo epistolam. [Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha, &c.] Premitur amore Domini sui Apostolus, idcircò stylus animi commotione abrumpitur. Salutat quidem, sed priùs æternum peruicacibus Christi Domini hostibus exitium denuntiat : quod per aduentum, nedum per futurum manifestandum sit judicium. [Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.] Hæc tandem salutatio, tanto digna Apostolo, quâ omne bonum salutare à Deo per Christum illis apprecatur, eodemque sensu, & eodem cum ipsis copulatur affectu. [Hoc est, vt exponit

Chrysost. orat. 44.

Act. cap. 18. & 19.

Inimici Christi, æterno exitio destinati sunt.

A Athanas. omnibus vobis præsto sum ipse, & adsum vel absens. Neque enim si loco videor à vobis distare, animo procul sum. Itaque patefacit quæ ad eos scripsisset, & si acrimoniam quandam præferrent, nequaquam ab irâ vel odio prodire, sed â charitate & curâ quam de his gesserit, Et ne assentandi gratiâ intulisse hæc videatur, In Christo Iesu subiecit. Hoc est, nihil mea hæc charitas in se vel humani habet vel carnis : sed spiritalis est tota.] Amen.

Athanas. in Paulum.

B *DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.*

SAlutant Asiæ Ecclesiæ. Ergo scripsit Apostolus ex Asiâ : sed quanam, & quo loco, & per quos? Indicit anathema : sed quibus, & quodnam? Inquirendum igitur primò de scriptione, tum & de anathemate.

DISQVISITIO PRIMA.

C *De scriptione.*

IN Asiâ liquet ex dictis scriptam epistolam, & amplius patefaciet ex dicendis. Sed cum duplex sit Asia, maior, & minor: illa ab Europâ Tanaide fluuio distincta; ista, in Phrygiam, Lydiam, Mysiam, & Cariam distincta: priùs inquirendum de loco, ex quo nota fiet prouincia. Non potuit scribi Philippis in Macedoniâ, vt habent Græci codices : tum quòd Macedonia, pars sit Europæ, non Asiæ: cum quòd proponat promittatque se per Macedoniam transiturum, & per eam se peruenturum in Achaiam. Scripta est igitur & missa

D Epheso Epistola, ipsomet Paulo teste ac iudice: [Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten.] Nam, vti notat Chrysostomus: [Omnia eis dicit exactè, declarans tanquam amicis. Nam & hoc etiam est amicitiæ, dicere causam cur non aduenit, propter quam differt, & vbi versatur.] Ephesi ergo versabatur Paulus, ibique commorabatur cum hæc scriberet, suumque Corinthiis amicis aduentum promitteret. Itaque citra dubium vllum, scripta est Epistola in Asiâ minori seu citeriori, in quâ Ephesus, Lydiæ ciuitas, vt vult Herodotus, ab Amazonibus condita, ideoque celeberrimo Dianæ templo clara, & inter septem minoris Asiæ Eccle-

E sias, à Ioanne monitas inclyta. Ibi ostium apertum, sed aduersarij multi. Ibi enim Demetrio quodam instigante eruperunt tandem : [Et exclamauerunt, dicentes : Magna Diana Ephesinorum. Et impleta est ciuitas confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum rapto Gaïo & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli.]

Chrysost. orat. 43.

Epistola scripta Ephesi, & inde missa.

Act. cap. 19.

Scimus quo: sed per quos? [Per Stephanam, & Fortunatum, & Achaicum, & Timotheum.] Ita iidem codices Græci. Quid ergo intendit Paulus, cum scribit : [Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud

Per quos delata fuerit epistola.

vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. Deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.] Hæc verba & absentem Timotheum designant, & Paulum sustinentem, quasi de successu dubium, de reditu incertum sollicitant. Iam enim illum præmiserat, sperabatque breui reuersurum. [Ideò misi ad vos Timotheum.] Non mitto; sed, misi. Ideò [Si venerit ad vos,] Nec enim scio vbi gentium sit, aut si iam ad vos peruenerit. Imò nec affirmo eum pro certo vos aditurum: nam sicut Apollo, dissensionibus vestris offensus, ire recusat, sic & timeo ne meus Timotheus aut consulat aut differat. [Ratio eius est, ait Aquinas, quia fortè nondum erant benè correcti. Veniet autem cum ei vacuum, id est, opportunum fuerit: scilicet quando vos eritis correcti.] Epistola igitur missa est per Stephanam, virum omnibus notum, bonisque ac pijs operibus conspicuum: cui adiuncti sunt Fortunatus & Achaïcus. Ita, [Placuit Apostolis mittere Iudam, & Silam, viros primarios in fratribus, scribentes per manus eorum.] Eo igitur animo eos laudat Apostolus & commendat, vt & illis adhibeatur fides, & mala suspicio amoueatur, seu improba inter fratres suspicio. [Nec dixit eos primos credidisse, ait Chrysostomus, sed fuisse primitias, ostendens quòd cum fide, vitam etiam optimam ostenderunt, tanquam ex fructibus se omni ex parte dignos exhibentes. Oportet enim primitiæ esse meliores ceteris quorum sunt primitiæ.]

cap. 4. ep

Aquin. lect. 2.

Act. cap 15

Chrysost. orat. 44.

DISQVISITIO SECVNDA.

De anathemate.

DIco de anathemate: nec tamen mihi tam de anathemate quæstio est, quàm de adiunctis circumstantiis. Quid enim anathema fieri; nisi abjici ac disperdi, in exsecrationem rejici abominationemque. Sed qui sunt illi qui non diligunt Dominum Iesum Christum, & cur maledictionem incurrunt abeuntque in damnationem?

Quoad primum. Tria sunt genera Dominum Iesum minimè diligentium. Primum est, Iudæorum, semper contradicentium, fidemque ac religionem, obstinato errore, imò & anathemate intorto persequentium. [Non resipiscunt, ait Iustinus, diris maledictionibus Christum, & credentes in eum vniuersos, exsecrari audentes.] Odium tam implacabile, quàm & intolerabile, nec beneficijs repressum, nec supplicijs. Alterum, & hæreticorum. [Nunquid enim, ait Aquinas, excommunicandi omnes qui non sunt in charitate? Dicendum ergo, quod hoc intelligitur, Si quis non amat fidem Christi: & isti sunt hæretici.] Qui non amat, φιλεῖ. Qui non diligit: quod non tam negatiuè intelligendum est quàm positiuè: Qui odit: qui fidem euertit, qui religionem concutit. Iudæi aduersùs Christum odium exercent, hæretici bellū aduersus Christū suscipiūt. Tertium denique, perniciosorum Christianorum qui scandala seminant, aut seminant schismata, qui sacra tam impiè quàm & indignè tractant mysteria. [Per vnum enim hoc verbum, vti dixit Chrysostomus, omnes terruit, qui mēbra sua faciebāt membra meretricis, & eos qui fratres offendebant per immolata idolis.] Certè Apostolus eos pungit, ad quos scribit: ideoque nec Iudæos tangit, nec hæreticos, quos despuit; sed Christianos percellit: maximè peruicaces, & scelerum grandiorum mancipes. Si ergo ij persistant in malis, si non desistant à scandalis: odisse Christum dicendi sunt, & in exitium deuouendi.

Iustin. Dial. cum Tryph. vlt. med.

Aquin lect. 2.

Chrysost. orat. 44.

Tria hominum genera Christo aduersantium.

Quoad secundum. Ex Hieronymo, cui hac in re credendum est aut vix nulli: [Maran atha magis Syrum est, quam Hebraïcum: tametsi ex confini vtrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonet, & interpretetur Dominus noster venit: vt sit sensus: Si quis non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit: & illo completo, deinceps inferatur: Dominus noster venit: quod superfluum sit, aduersùm eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse iam constet.] De nomenclatione, acquiesco: quanquam & id potius Chaldæum seu Babylonicum quàm Syrum: sed nec istud multò diuersum. De explanatione, dubito: cum nullus inter Christianos, vel etiam inter hæreticos Christum neget aduenisse, quod solis seruatū Iudæis. [Nam & nunc, ait Tertullianus, aduentum eius expectant: nec alia magis inter nos & illos compulsatio est, quàm quòd iam venisse non credunt.] Atquin Paulus Christianos monet non Iudæos, nec in ipsos ius suum, aut munus exercet Apostolicum. Mos ergo Iudæis, & inde nostris, vt cum aliquem exsecrarentur; diuinum tanquam præsens imminensque contestarentur iudicium. Ita Daniel: [Rectè mentitus es in caput tuum: Ecce enim Angelus Dei acceptâ sententiâ ab eo, scindet te medium:] Et alteri seni. [Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.] Paulus ergo iudicium Dei, & Christi aduentum est contestatus, vt punitionem denuntiaret, maledictionemque diuinâ obsignaret præsentiâ. [Nam & iudicatur magno cum pondere, ait Tertullianus, vt apud certos de Dei conspectu, summumq; futuri iudicij præiudicium est.] Quasi de Dei vultu iudicium prodeat, de aduentu ac prospectu Christi, iudicio extremo non expectato, supremum immineat supplicium.

Hieronym. epist. 137. vlt. med.

Tertul. cap. 21. Apol.

Iudæi olim diuinum contestati iudicium.

Daniel cap. 13.

Tertul. cap. 39 Apol.

TROPOLOGIA.

Cum domesticâ suâ Ecclesiâ.

CVm totâ familiâ Christianâ: nec Christianâ tantùm sed & Ecclesiasticâ. Inde tria propono & probo. Primum, munia ecclesiastica domi olim peracta. Secundum, erectum in medio gazophylacium. Tertium nunc euersa omnia.

Quoad 1. Diximus alibi, munia ecclesiastica in quatuor partes distributa. Scripturarum

Tertul. l. de anim. c. 9.

lectionem: [Prout ſcripturæ leguntur.] Pſalmorum cantionem: [Aut Pſalmi canuntur.] Collationem: [Aut ad locutiones proferuntur.] Oblationem: [Aut petitiones delegantur.] Nec vltrà differo, ſed res eccleſiaſticas in occupationes domeſticas transfero. Et quidem quoad lectionem, primi illi Chriſtiani non ſolùm menſam ſuam condiebant ſcripturarum ſacrarum interlectione, ſed & totam transfigebant vitam, adeò addicti, adeò & impreſſi. Tertullianus inter vulnera fidei, impari contracta matrimonio, ſeu à viro infideli illata. [Quæ Dei mentio? inquit. Quæ Chriſti inuocatio? vbi fomenta fidei de ſcripturarum interlectione? vbi ſpiritus? vbi refrigerium?] Proh dolor! excidiſſe ſcripturas ſacras Chriſtianas de manibus fidelium, nec hoc ſolùm, ſed & mentibus Chriſtianorum adhæſiſſe fabulas infidelium. [Omnia extranea, (vt & dicam ex illo) omnia inimica, omnia damnata, adterendæ fidei à Malo immiſſa,] Vnde nunc fides adeò modica & ferè nulla? niſi quia vanis paſcitur; imò nec paſcitur, ſed & interimitur; ita non ſolùm langueſcit, ſed & quaſi veneno iniecto tota deficit. Res diuina eſt & inſpirata, fides: nec aliunde quàm ex ſcripturis poteſt innutriri: ſuperna eſt, debet cibis ali naturæ ſuæ congruis, aut flacceſſit interitque. Seculares litteras, vanas, turpes legunt & ſacrilegas, & eundem ſpiritum hauriunt: aliunde quàm ex ſanctis libris ſolatium quærunt, & inueniunt exitium. Quis nobis illam reddet, quæ Euangelium Chriſti ſemper geſtabat in pectore, nec vnquam à colloquiis diuinis ceſſabat & oratione? Solemne id cœtibus [Cogimur, ait ille, ad litterarum diuinarum commemorationem.] Nec id minus familiare in domibus. [Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus.] Inde fiunt Chriſtiani, inde illi proficiunt. Inde Dei mentio, inde Chriſti inuocatio. Iam quoad pſalmorum cantionem: tota ferè Chriſtianorũ vita in hymnis, pſalmis, canticis recitandis cantandiſque poſita: ad cubilia, ad ſedilia: nec enim de die ſolùm, ſed & de nocte: ſemper canendo, ſemper pſallendo. [Quid facit communis lectus, ait Auguſtinus, & diuiſus Chriſtus?] Quaſi in lecto ſepeliendus eſſet ſopiendus-ve, & non tantùm voce conſonâ, ſed & purâ mente ſuſcitandus. Cordibus enim diuiſis, licet vnitis corporibus: [Quid maritus ſuus illi, ait Tertullianus, vel marito quid illa cantabit?] Si autem conſentiant, ſi in eandem mentem fidemque conueniant. [Sonant, ait ille, inter duos Pſalmi & Hymni, & mutuò prouocant quis melius Deo ſuo cantet.] Quid ſi quis ſingularis ſit? Nihilominus: [Sonet Pſalmus, vt tibi tenax memoria eſt, ait Cyprianus, vox canora: aggredere hoc munus ex more.] Quod ſi ſola femina? Nihilominus pſallat, Deoque ſoli ac ſibi ſatisfaciat. [Quis enim ignorat, ait Hieronymus, pſallendum eſſe feminis in cubiculis ſuis, & abſque virorum frequentiâ & congregatione turbarum?] Quoad collationem: quod in cœtibus diſſertum, reſumptum in domibus. [Apoſtolus enim, ait ille, docet eſſe tacendum mulieribus in Eccleſiâ; &, ſi quid ignorant, domi viros ſuos debere conſulere.] Denique quoad oblationem: [Vbi Eccleſiaſtici ordinis

Tertull. lib. 2. ad vxo. c. 6.

Tertul. ibid

Eccleſia domeſtica legitimis officiis inſtructa.

Tertull. c. 39. Apol.

Auguſtin. Tract. in ep. Ioan.

Tertul. li. 2. ad vxo. c. 6.

Tertull. c. vlt.

Cyprian. li. 2. ep. 2.

Hieron. lib. 1. aduerſ. Pel. circa med.

Hieron. ibid.

A non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, ait Tertullianus, & ſacerdos es tibi ſolus.] Id eſt, in domo tuâ apud te & in tuâ familiâ. Quid vltra ad Eccleſiam domeſticam.

Tertul. l. de Exor. caſt. c. 7.

Quoad 2. In antiquis Eccleſiis, [Arcæ genus eſt:] Vbi loquitur Tertullianus. Et ibi quidem: [Modicam vnuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cum velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.] Verùm quod liberũ facit Tertullianus, neceſſarium Chryſoſtomus aſſerit: nec ſuadet tantùm ſed & vrget, compellit, repetit, cupitque gazophylacium, ſeu trunculum erigi, nec in atrio, ſed in medio domorum Chriſtianarum quaſi domeſticarum Eccleſiarum conſtitui. [Beato, inquit, Paulo pareamus, & pauperum arculam domi faciamus; & iuxtà locum in quo ſtas orans ſita ſit: & quoties ad orandum fueris impreſſus, depone primùm eleemoſynam, & tunc emitte precationem: & ſicut nolueris manibus illotis ad orandum accedere, ſic neque abſque eleemoſynâ:] Cui porrò vſui aut fructui? [Hanc ait ille, habens arculam, habes arma aduerſùs diabolum. Ideò & iuxtà lectum ſita ſit arcula, noxque nullis præturbabitur viſis & inſomniis, nihil in eam iniiciatur ex iniuſtitiâ, res enim ea eleemoſyna: fieri autem non poteſt vt eleemoſyna vnquam germinet ex crudelitate.] Clariùs autem & expreſſiùs. [Domum, inquit, tuam, fac Eccleſiam: arculam gazophylacium: eſto cuſtos ſacræ pecuniæ, à teipſo ordinatus diſpenſator pauperum. Benignitas & humanitas dat tibi hoc ſacerdotium.] Sic non licet tantùm honorem aſſumere, licet inuadere: nihil enim hoc ſacerdotio recipitur, ſed totum effunditur ærarium. [Noſtis domum Stephanæ.] Quid domum? familiam, domeſticam Eccleſiam. [Baptizaui & Stephanæ domum.] Baptizauit Paulus Stephanam, & domum eius in Eccleſiam conſecrauit. Baptizati ſunt ab Apoſtolo, nec ab ipſo tamen ordinati. [In miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſeipſos. Græcè ἔταξαν ἑαυτούς. Quid ergo ataxia introducenda eſt, aut ſacerdotium non ambiendum duntaxat, ſed & rapiendum? Nihil periculoſius, nihil indignius, nihil & in ipſis hæreticis probroſius. [Ordinationes eorum, ait Tertullianus, temerariæ, leues, inconſtantes.] Sed aliud ſacerdotium honorarium, aliud onerarium. Nemo debet ſibi honorem aſſumere, ſed quiuis onus ſibi poteſt imponere. Ordinauerunt illi ſeipſos: ad quid? [In miniſterium ſanctorum.] Græcè τοῖς ἁγίοις: non vt præeſſent fratribus, ſed vt prodeſſent pauperibus: non in officium, ſed in miniſterium; vt egenos fouerent, peregrinos ſuſciperent; ſua tribuerent, non quærerent aliena: charitatem in omnes exercerent, non ambirent dignitatem. Atque vtinam omnes ita ordinarent ſeipſos, vtinam in egenos & vitam effunderent & pecuniam. [Non enim ſolùm verè & ſincerè illi crediderunt, ait Chryſoſtomus, ſed etiam multam oſtenderunt pietatem, vegetamque virtutem, & in eleemoſynis dandis munificentiam. Non ſolùm autem, ſed & totam domum pietate impleuerunt. Non enim dixit

Tertul. c. 39 Apol.

B

Chryſoſt. orat. 43.

Chryſoſt. ibidem.

C

Chryſoſt. ead. orat.

D

Tertull. lib. de præſcrip. c. 41.

E

Chryſoſt. orat. 44.

Non nulli laudabiliter à seipsis ordinatis

Apostolus, Ministrant, sed, ordinauerunt seipsos. Hoc est, hanc vitam perpetuo elegerunt, in hac se exercent meditatione.] Quis non vltrò subditus sit ijs qui sic ordinauerunt seipsos? quis non pronus monita audiat, suscipiat consilia? Sunt isti patres non patrum, sed fratrum, tutores pauperum, patroni miserorum: qui miseri esse cupiunt vt subleuent miserias, qui ad hoc tantùm volunt esse digni vt dispensent diuitias: Ambite, ambite: sacerdotium est, sed ad dandum; officium, sed ad efficiendum. Ambite & suscipite. Vestrum est si vultis: sed rarum est, quia non vultis.

Chrysost. orat. 36.

Quoad. 3. Videas nunc euersa omnia, sed doleas euersa, nec vnquam restituta. [Nunc enim Ecclesia (ita ex Chrysostomo) similis est mulieri quæ à veteri prosperitate excidit, & multis in locis sola tenet symbola antiquæ illius felicitatis: & monilium quidem solas ostendit thecas & arculas, diuitijs autem est priuata. Neque hoc solùm dico propter dona, non enim esset graue, si hoc solùm esset: sed etiam propter vitam & virtutem. Nam sunt nunc quoque viduæ, sunt & virgines: sed eæ non habent illum ornatum, quem habere oportat eas quæ se ad hæc pararunt certamina. Pacem nũc quoque precatur omnibus is qui præest Ecclesiæ, vt qui domum ingreditur paternam: sed huius pacis nomen quidem est frequens, res autem nusquam. Tunc etiam domus erant Ecclesiæ: nunc autem etiam Ecclesia est domus, vel potius quauis domo deterior. Nam in domo quidem benè constitutum videmus ordinem: hîc autem multus est tumultus, magna confusio, & à cauponâ nihil nostra differunt, tantus est risus, tanta perturbatio, sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus & tumultuantibus. An non habetis domos ad nugandum? An Dei Ecclesiam Dei despicitis, & eos etiam corrumpitis qui volunt esse modesti & quieti? Hîc ne aliud quidem loqui oporteret, præter spiritalia. Nam hîc quoque est cœlum, locus angelorum, locus archangelorum. Quod si non credis, aspice ad hanc mensam. Nunc autem Ecclesia nihil differt à foro: & si non sit dictu audacius, fortè nec à fornice aut prostibulo: adeo ijs quæ illic scortantur lasciuiùs & impudiciùs ornantur quæ hîc congregantur.] Olim etiam in domibus sancta erant oscula: [Salutate inuicem in osculo sancto.] Nunc & in cœtibus, timenda etiã pacis & honestatis symbola: adeò deprauata, adeò corrupta sunt omnia. Quid porro ad opera pietatis Christianæ? inania auitæ benignitatis vestigia. [Huius enim symbolum ac signum, ait ille, quod nunc est gazophylacium: sed manet quidem symbolum, res autem nusquam est. Non ego erubescam, sed libere dicam: Date egentibus, & maiori voce quàm egentes. Quis est enim pudor dicere, da Domino esurienti: indue nudum oberrantem, excipe peregrinum. Non erubescit Dominus tuus hæc dicere in orbe terrarum, Esurii, qui non erat indigens: & ego erubescam & dubitabo? Absit. Diabolicarum insidiarum hic est pudor.] Certè non cessant clamare diuini verbi præcones, exaltant vocem suam: sed frustrà

Signa nobis remãserũt, exciderunt opera.

Chrysost. orat. 43.

A prædicant, ni & faciunt, cum sine operibus vani sint sermones, pompatici sed steriles. [Faciamus igitur sicut Paulus nobis præscripsit, (ita absoluit Chrysostomus) & die Dominico vnusquisque nostrûm domi opes Dominicas reponat: fiatque ex eo lex & consuetudo immutabilis. Neque collationi huic obstat inopia: quãtumcunque enim pauper sis, non est pauperior viduâ illâ quæ omnem substantiam expendit: quantumcunque mendicus sis, non eris pauperior Sidoniâ muliere, quæ pugillum farinæ tantum habens sollicita erat quomodo Prophetam dignè exciperet; tametsi videret circumstantes pueros, & famem vrgentem, neque aliud quic-
B quam haberet repositum.] Atque vtinam ita fiat, nec iam consistat in Ecclesiâ truncus inutilis: nisi quòd reuera truncus, dum sterilis.

Chrysost. ser. de eleemosyna.

ANAGOGIA.

Si quis non amat Dominum Iesum, sit anathema.

SI quis interrogetur, an amet Dominum nostrum Iesum Christum: non solùm respondebit se amare, sed & anathema non dili-
C gentibus intorquebit: sed si probetur, forsan non amare conuincetur: non enim id verbo probandum, sed facto demonstrandum. Tria igitur nota & obserua: præceptum, modum, & ingenium.

Quoad primum. Diligis Deum, optimè facis. Nam, [Qui non diligit, manet in morte.] Id est, pessimè facis, si non diligis. [Ne putetis, ait Augustinus, leue esse, odisse aut diligere.] Sed cum dico, Facis: actum designo, nedum habitum; odisse namque aut diligere, actiones sunt, licet ex habitu dimanantes: tantoque laudabiles quanto sunt stabiles, tanto stabiles, quanto ex statu procedunt.
D Qui non diligit manet in morte: si in morte, vtique sub anathemate: quia ira Dei manet super eum: reus est mortis ac damnationis, de populo Dei exterminandus, quia mandatum Dei primum ac maximum irritum fecit, quia legem infregit regalem, quia ius illud summum tam inuiolabile quàm naturale transgressus est. [Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.] Certè, vt obseruat Chrysostomus, [Non solùm per hoc verbum omnes terruit Apostolus, sed etiam ostendit viam virtutis, & fontem vitij. Quomodo enim quæ vehemens fuerit charitas,
E extinguit & expellit omnes peccatorum species: ita etiam quando fuerit imbecillior, facit ea germinare.] Sed multi Christum Iesum diligunt Christiani, qui nondum charitatis habitum acceperunt, aut etiam statum perdiderunt. Aliud enim conuersio, aliud adoptio, aliud perfectio. In primâ enim actus est disponens ad habitum, sed nondum habitus: in secundâ, habitus promouens ad statum, sed nondum status: in tertiâ status est, tantaque actûs facilitas quanta stabilitas habitûs firmitasque. Quicquid sit, præceptum non datur de habitibus, sed de actibus; productio quippe actuum est, infusio habituum, quos Deus in nobis sine no-

Ioã. ep. 1. c. 3.

Aug. Tract. 5. in epist. Ioan. vers. finem.

Chrysost. orat. 44.

Aquin. lect. 2.

Opera omnia vno præcepto comprehensa.

Chrysost. orat. 44.

August. l. de grat. & lib. arb. c. 18.

Aquin. lect. 2. in cap. 3. ad Coloss.

Aquin. 2. 2. q. 3. art. 4. ad 1.

Aquin. art. 7. ad 2.

bis operatur. Ita Apostolus, vt Aquinas notat. [Instruit de tribus in communi: scilicet de fide, de bonâ operatione, & de modo benè operandi. Sed tamen istis tribus præmittit vnum, quod est omnibus necessarium, id est solicitudo. Vnde dicit, Vigilate. De fide ergo instruit, cum dicit, State, scilicet in fide. De bonâ operatione, cum dicit, Viriliter, id est fortiter agite, quia fides sine operibus mortua est. Sed quia bona operatio non est attribuenda nobis, sed Deo: ideo subdit, Et confortamini in Domino. De modo agendi, cum dicit, Omnia vestra in charitate fiant: id est, omnia debent referri ad finem charitatis: scilicet vt fiant propter Deum, & proximum.] Quid omnia? opera scilicet & officia. Sed debent in charitate fieri, ex dilectione dirigi. Debent, præceptum est, aut nullum est, cum primum sit & vltimum: incipiat & finiat, omnesque inuoluat actiones. Stare in fide præceptum est, nedum consilium. Viriliter agere, præceptum est: vtique ergo præceptum, omnia propter Deum dilectum facere. [Quid est enim illud, Omnia vestra in charitate fiant? Siue quispiam increpat, inquit, siue imperat, siue paret imperio, siue discit, siue docet, omnia cum charitate. Hæc autem dicens, videtur quidem admonere, eos autem tangit tanquam pigros & desides.] Non monet tantùm, sed & iubet expertè: nec tantùm consulit, sed & apertè præcipit: nisi quod præcipiendum non esset, quod vltrò faciendum esset; nisi pigerrimi in officio essemus, ingratissimi de beneficio. Quātum enim, id nobis licere? Tamen & iubere, necessarium.

Quoad secundum. Audisti præceptum esse, nunc modum accipe. [Omnia enim præcepta dilectionis, id est charitatis, tanta & talia sunt (vt Augu. asserit disseritq;) vt quicquid se putauerit homo facere benè, si fiat sine charitate nullo modo fiat benè.] Omnia propter Deum dilectum facienda. [Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi.] Quid est hoc? [Ponit vsum directionis in opere, ait Aquinas, cum dicit, Omne quodcumque facitis.] Postquam instituit præceptum, etiam & modum imponit: qui tamen & præcepti est, nedum consilij. [Quidam dicunt, ait ille, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.] Nihil benè fit, quia non fit sicut oportet fieri, nisi fiat ex imperio diuinæ charitatis: quia nihil benè fit, nisi fiat ex placito bonæ voluntatis: non est autem charitas diuina, nisi quæ à Deo ipso proficiscitur; nec voluntas bona, nisi quæ ad bonum suum, summum scilicet ac supremum conuertitur. Illa est ergo quæ Deum spectat & amat, dum se suaque & opera & placita in ipsum ordinat. [Virtus quippe, vt & ille resoluit, ad quam pertinet finis vltimus, imperat virtutibus ad quas pertinent alij fines secundarij. Et ideò quia charitas habet pro obiecto vltimum finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam: ideò extendit se ad actus totius humanæ vitæ.] Illos enim non imperat tantùm, sed & in finem debitum ordinat, ordinem assignat legitimum, [Cum enim finis se habeat in agibilibus, sicut principium in speculabilibus: sicut non potest esse simpli-

A citer vera scientia, si desit recta æstimatio de primo & indemōstrabili principio; ita non potest esse simpliciter vera iustitia, aut vera castitas, si desit ordinatio debita ad finem, quæ est per charitatem, quantumcunque aliquis se rectè circa alia habeat.] Ita ille tam verè quàm & angelicè. A fide autem incipiendum est, quæ datur à Deo, vt verè cognoscatur; & dilectione proficiendum, quæ & ab ipso subministratur, vt piè diligatur. Vtrumque donatum est; sed vnum datur, etiam cum non petitur; alterum impetratur, cum per spiritum fidei, auxilium petenti conceditur. [Fides enim, vti dixit Augustinus, & non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur.] Itaque fideles, licet

B adhuc imbecilles: Christiani, licet adhuc imperfecti, comprehensi non sunt sub anathemate: nam qui ex fide agunt Christianâ, iam ex nonnullâ agunt dilectione, & qui credit in Deum, iam ad ipsum assurgit. Quin, & euoluatur sensus, & scrupulus auferatur: nam quāuis gratia ad singulos actus sit necessaria: non est tamen necessarium ad singulos actus torquere mentem, aut ad singulos nictus identidem repetere. Viri religiosi, seu perfecti Christiani seipsos & totos, non solùm singulis diebus, sed & horis singulis Deo immolant, &

C optant singulis momentis: sed & in quocumque negotio diuinum implorant auxilium, & si suscipiendum iudicant aggrediendum-ve, ad diuinam ordinant gloriam. Inde virtus in actum labitur, & nisi reuocetur intentio, vel actio intersecetur, vsque in vltimum negotij suscepti terminum diffunditur. Dum tamen languescit virtus, & vix opus attingit, expedit vt instauretur intentio, ne actio suo frustretur præmio.

Quoad tertium. Ingeniosus est amor: imò, vt dixit Bernardus: [Ars est artium ars amoris.] Sed addit diuinum esse magisterium: idcirco illud præmittit, in Christo; non solùm vt ostenderet diuinum esse amoris ingenium, sed & vt

D tantum doceret artificium. [Vt nos Patri reconciliet, inquit, mortem fortiter subit & subigit fundens pretium nostræ redemptionis sanguinem suum. Dilexit autem dulciter, sapienter, fortiter. Dulce namque dixerim quòd carnem induit, cautum, quòd culpam cauit, forte quòd mortem sustinuit. Nam quos sanè in carne visitauit, carnaliter tamen nequaquam amauit, Sed in prudentiâ spiritûs. Ergo nisi amasset dulciter, non me in carcere requisisset illa maiestas. Sed iunxit affectioni sapientiam, quâ tyrannum deciperet: iunxit & patientiam, quâ placaret offensum Deum Patrem.] Tum

E & ad nos. [Disce, inquit, ô Christiane à Christo quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur.] Verbum incarnatum, amauit dulciter; sed incarnandum, sapienter amauit & fortiter: est enim sapientia & virtus Dei, cuius opera omnia facta sunt in sapientiâ. Amare dulciter, nonnunquam periculum est: amare sapienter consilium tam salubre, quàm & vtile: nam qui amabit sapienter, amabit & fortiter. Ingenium tamen charitatis altum est, di-

Omnia ad finem vltimum ordinanda.

August. l. de grat. & lib. arb. c. 14.

Bern. l. de nat. am. diu. c. 1.

Bern. ser. 20 in Cant. post. init.

Bern. ibidē.


uinum est, non enim industriâ nititur humanâ, sed à supernâ proficiscitur sapientiâ. Nam, vt Aquinas docet: [Etsi charitas non sit aliena à ratione: tamen ratio non est regula charitatis, sicut humanarum virtutum: sed regulatur a Dei sapientiâ & excedit regulam rationis humanæ: secundùm illud Ephes. 3. Supereminentem scientiæ charitatem Christi.] Ingeniosissima charitas, sapientissima, prudentissima; prudentia tamen artis non est humanæ, sed diuinæ virtutis: ingenium non ex naturæ genio, sed ex gratiæ deprompturn promptuario. [Qui non amat.] Græcè, φιλεῖ. Qui non diligit Dominum nostrum Iesum, sit anathema. Quærant alii an diligere maius vel minùs sit amare, sed audiat antiquam tritamque sapientiam: [Mortalibus amare non datur & sapere.] Amantes quid sunt, nisi amentes: at qui diligunt, prudentiam omnem, omnem sapientiam in exhibendis impendunt officijs: adeò vt diligere non aliud sit quam ingeniosè seu officiosè colere. Qui ergo non diligit Christum Iesum, qui sensum omnem, omnem intellectum colendo ac seruiendo non impendit, consortio illius dignus non est, nec regno satis idoneus. Debet enim vt aptus sit regno Dei, non solùm gratis illum amare, non solùm super omnia diligere non tantùm omnia blandiētia, terrentia omnia propter ipsum dilectum contemnere: sed & artes omnes conquirere, quibus & coerceatur cupiditas, & charitas augeatur. [Ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus qui est vltimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem viâ tantò magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus; cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas: quia per ipsam mens Deo vnitur.] Refugium nostrum altissimè positum est, idcircò non solùm incedendum est, sed & procedendum, virtute & arte contendendum; vt vires acquirat eundo, & per tot labores sudoresque in Deo tandem ad æternitatem conquiescat. Amen.

Aquin. 2. 2. q. 24. art. 1. ad 2.

Charitatis non humana, sed diuina est prudentia.

Aquin. 2. 2. q. 24. art. 4. in corp.





IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECVNDAM.

ARGVMENTVM.


TRIBVS de causis alteram ad Corinthios priori adiungit Epistolam. Prima, quia aduentum illis promiserat suum, sed vrgentioribus cesserat rationibus, promissum distulerat. Hac de causâ, ait Chrysostomus, secundam epistolam scribere necesse habuit: non necesse habiturus, si non multò, quàm promiserat, seriùs accessisset. *Secunda, quòd fermentum expurgassent; & incestuosum, iuxta placitum Apostoli, tradidissent satanæ, seque tam subditos probassent, quam seruassent incontaminatos.* Etenim par erat, ait ille, vt quemadmodum illis, cum peccarent, succensebat; sic etiam eosdem ad meliorem mentem reuersos comprobaret & laudibus afficeret. *Tertia denique, vt indictam maturarent collectam, & beneuolentiam quam in* Tito *suscipiendo exhibuerant, in peragendo complerent negotio. His ergo causis adductus secundam scribit Epistolam, sed mitiorem, benigniorem que; nisi vbi aduersus Iudæos sese erigit pseudapostolos, & apostolatum suum aduersùs obtrectantium insultus, imò insultantium impetus protegit.*

Chrysost. Hom. 1.

Chrysost. ibidem.

Tribus de causis scripta secunda ad Corinthios epistola.





CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

SVmmam conflat persecutionum illatarum. & promissorum suorum moram excusat. Duæ ergo sint capitis partes, quarum

---

PARS PRIMA.

De summâ.

TEXTVS.

PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersâ Achaiâ. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt, per exhortationem, quâ exhortamur & ipsi à Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. Siue autem tribulamur pro vestrâ exhortatione & salute, siue consolamur pro vestrâ consolatione, siue exhortamur pro vestrâ exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur: vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostrâ quæ facta est in Asiâ, quoniam suprà modum grauati sumus suprà virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei, conuersati sumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis, & cognouistis. Spero autem quòd vsque in finem cognoscetis, sicut & cognouistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Iesu Christi.

EXEGESIS

EXEGESIS LITTERALIS

PRæmissâ salutatione, afflictiones quas in Asiâ passus fuerat, exponit Apostolus, asseritque inde solatium accepisse, non sibi tantùm, sed & Corinthijs ipsis vtilissimum.

[Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersâ Achaïâ.] Scribit salutem-ve dicit: seu, scribunt, dicunt-ve. In primâ Epistolâ. [Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi, Et Sosthenes frater.] Tunc enim aberat Timoth. sed ab Apostolo percupidè expectatus. In istâ autem epistolâ scribendâ, iam aderat; nec legati duntaxat functus, munere redierat, sed & præerat, tanquam Episcopi donatus dignitate. Iungit ergo illum Paulus tanquam coapostolum, nec tamen eum tam scriptionis inducit participem, quàm comitem salutationis. [Describitur persona salutans principalis, ait Aquinas, persona autem adiuncta est Timotheus. Paulus Apostolus, & Timotheus frater. Frater, inquam, propter fidem, & propter dignitatem, quia Episcopus.] Inscriptio igitur & salutatio, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, vt inde tanquam à capite in totam diffundatur Achaïam, omnibusque fidelibus salutem impertiatur & pacem. [Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Detur, multipliceturque. [Duo facit, ait ille. Primò, ponit ipsa bona: secundò, ipsorum auctorem. De personâ autem Spiritûs sancti non fit hîc mentio, quia, sicut dicit Augustinus, cum sit nexus Patris & Filij, vbicumque ponitur persona Patris & persona Filij, intelligitur persona Spiritûs sancti.] Primum autem bonum, gratia, à quâ incipiunt omnia bona: Postremum pax, in quam desinunt: cetera inter vtramque contenta.

Timotheus Pauli Apostoli frater, qua episcopus.

Aquin. lect. 1.

Aquin. ibid.

[Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, &c.] Laudetur Deus, & ob collata in nos magnificetur beneficia. Deus, inquam, qui & Pater est Domini nostri Iesu Christi: sed qui Pater est Christi per naturam, noster est per misericordiam & gratiam: adeò bonus, adeò benignus: quin & omnis auctor consolationis, sicut & benedictionis omnis largitor. [Si Deus commune vocabulum factum est vitio erroris humani, (verba Tertulliani) quatenus plures dei dicuntur atque creduntur in seculo: Benedictus tamen Deus Domini nostri Iesu Christi Pater, non alius quàm creator intelligetur, qui & vniuersa benedixit, habes Genesim; & ab vniuersis benedicitur, habes Danielem. Proinde si pater potest dici sterilis Dei nullius, misericordiarum tamen pater idem erit, qui misericors & miserator, & misericordiæ plurimus est dictus.] Vt qui de suo misericordiam effundat, ex seipso pariat gratiam. [Qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt,

Tertul. l. 5. aduers. Marc. c. 12.

A per exhortationem, quâ exhortamur & ipsi à Deo, &c.] Deus omnis consolationis, ὁ παρακαλῶν, consolans nos, suos scilicet, seu electos, quos nusquam abjicit, sed inter mala regit, ducit inter pericula. Ille ergo & nos tanquam suos consolatur in omni tribulatio ne nostrâ: nec protector tantùm noster, sed & consolator, ad hoc vt possimus nos ipsi eos consolari, qui in quacumque sunt angustiâ: per consolationem nimirum, quam sicut accipimus à Deo, sic & in alios pariter afflictos refundimus. Nullus enim tam facilè afflictis compatitur, quàm qui afflictus est; sed si compassionem, non

Ignari malorum, nesciunt aliorum miserer i.

B tamen quis consolationem impertitur, nisi qui iam releuatus est. [Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Chistum abundat consolatio nostra, &c.] Abundant passiones, abundant & consolationes: : sed sic illæ exuberant erga nos vt modum excedant; sic & istæ exundant, vt & in alios per excessum effluant. [Abundant passiones Christi in nobis, id est, vt exponit Ambros. pro nomine Christi.] Qui enim tribulantur per Christum, & per ipsum, id est, auxilio ipsius confortantur & merito.

Ambrof. in Paul.

[Siue autem tribulamur pro vestrâ exhortatione & salute, siue consolamur pro

C vestrâ consolatione, siue exhortamur pro vestrâ exhotatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur, &c.] Dicit Deum auctorem πάσης παρακλήσεως. Ita noster παρακαλεῖν nunc in consolationem vertit, nunc & in exhortationem conuertit. Ita, [Per exhortationem, quâ exhortamur & ipsi à Deo.] Textus Ambrosianus: [Per consolationem quâ consolamur & ipsi à Deo.] A quo facti sumus sicut consolati. Ita & heic, [Siue tribulamur, pro vestrâ exhortatione.] Dicere potes, [Pro vestrâ consolatione.] Fauent enim Græca, & ad omnia vno verbo

Exempla magistrorum, documenta sunt discipulorum.

D respondent. Siue ergo afflictionibus premimur, hoc in vestram consolationem cedit ac salutem, dum inde & ædificamini & animamini. Siue consolationibus fruimur, id etiam vobis proficit: siue tandem excitamur & confortamur à Deo, & id ad spiritalem vestram succedit vtilitatem; dum exemplo pariter nostro confortamini, pariter incitamini. Sic enim salus vestra efficitur Græcè ἐνεργουμένη, per tolerantiam, seu

E per similium afflictionum patientiam. Textus Ambrosianus: [Per tolerantiam earundem passionum, quas & nos ipsi patimur.] Sed non concors lectio est, licet concors passiua verbi Græci significatio. [Vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis, &c.] Dixerat salutem sic obtineri saltem inde spem haberi, nec mediocrem, Vnde enim de vobis certò sperare possum, vnde tutò confidere, nisi cum video vel audio vos patientes, & in perferendis malis alacres? certissimum enim, nec vlli dubitãdum, quòd sicut persecutionum nostrarum participes estis; sic & nostrarum consortes eritis consolationum: gaudebitis tandem, & ex vitâ istâ, æterna

Textus Ambrof.

Aquin. lect. 3. præuenietis gaudia. [Dicit ergo. (ita Aquinas) Dico, quòd hæc ad vestram salutem cedunt, quæ salus est vobis in hoc, inquantum exemplo nostri estis fortes ad tolerantiam passionũ, & vt patienter sustineatis passiones quas & nos patimur. Ex quâ quidem patientia prouenit vobis fructus: quia ex hoc spes nostra firma est pro vobis, quòd vos efficiamini hæredes vitæ æternæ.]

[Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quoniam suprà modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere, &c.] Æquum est vt aliquam afflictionem producat Paulus & illam in iconem ostendat. Eligit autem illam quæ accidit Ephesi; tum quia grauiorem, cum quia recentiorem. Idcirco sic incipit, Nolumus vos ignorare, quasi illi nondum eâ de re instructi. Scitote ergo nos nuper acerrimè vexatos, & καθ' ὑπερβολὴν per excessum grauatos, suprà vires etiam obstinatissimè fuisse tribulatos oneratosve, ita vt & magna sese offerret patientiæ seges, & nulla spes vitæ remaneret. Athanas. in Paulum [Cum confusè, ait Athanas. fecisset Paulus de ingestis sibi molestijs mentionem, nunc quales hæ fuerint enuntiat: vnde suum erga Corinthios patefacit amorem: est enim beneuolentiæ signum adinuicem, quæ nobis obtigerint denudare.] Sic & seipsum explicat, & animum conciliat. [Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, &c.] Responsum, ἀπόκριμα, dictum, edictum, iudicium-ve. Athanas. ibidem. [Responsum dicit, ait ille, quòd res ipsæ vocem penè edentes reddiderant: perinde ac si inquiat, Eo vsque mortis expectatio ista processit, vt eam haud dubiè operiremur.] Tantum abest vt spes aliqua superesset elabendi, aut de tanto euadendi periculo, quin certum esset mori, nihilque maneret reliquum quàm momentum præstolari extremum. Et hoc quidem ita factum aut dispositum, ne de nostro aliquid consilio præsumamus, sed diuino confidamus auxilio. Cur enim non id faciamus, cum Deus non solum viuos seruet, sed & mortuos suscitet? Et ille est, qui de tantis pressuris nos mirabiliter eripuit, sicut & de alijs incessanter eruit. Non industriâ humanæ, sed diuinæ fidendum prouidentiæ. [In quem speramus quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorũ personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis, &c.] Sicut ergo nos eripuit, & eripit, quidni sperem & eum deinceps erepturum? Maximè verò si accedant preces vestræ, bonamque voluntatem, imò & humanam infirmitatem suffulciant. Sic enim voluit Deus, sic & instituit, vt pluribus pro nobis orantibus, à pluribus etiam pro dono nobis collato, tanquam & sibi, nedum alteri facto, gratiæ referantur, sicque multæ preces fidelium, multæ & gratiarum actiones simul conferantur.

[Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei, conuersati sumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad

A vos, &c.] Poterat ab illo peti, cur tantùm confidis in Deo, dum etiam tibi futurum promittis? Habeo vnde probem confidentiam, imò & vnde gloriam demonstrem. Nam gloria nostra, καύχησις, gloriatio. Consulo conscientiam meam, & ibi reperio non solùm vnde de Deo sperem, sed & vnde coram illo exultem. Ille enim scit quantâ cordis simplicitate, nouit quàm purâ, & ipsomet dignâ intentionis sinceritate, non in sapientiâ mundanâ, sed diuinâ energiâ: non nostro instinctu, sed superno ductu, munus gesserimus Apostolicum, & opus impositum expleuerimus: potissimum verò erga vos, B apud quos maiora & sinceritatis meæ, & diuinæ virtutis impressa sunt vestigia. [Quid abundantiùs ad vos? ait Chrysostomus. Non enim Corinthi tantùm, sed passim quoque in toto terrarum orbe. Sed & signa & miracula apud vos edidimus, & curam diligentiamque maiorem adhibuimus, vitamque ab omni reprehensione alienam.] Chrysost. Hom. 3. Cautiùs apud illos incessit ac simpliciùs, & verbum sine cultu, & sine sumptu posuit Euangelium: in quo & Corinthios promeruit, & eiicit aduersarios. [Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis, & cognouistis. C Spero autem quòd vsque in finem cognoscetis, sicut & cognouistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Iesu Christi, &c.] Apostolus & sapientiã humanam deiicit & auaritiam. Vos ipsi intelligere & agnoscere potestis quæ scribo de conuersatione meâ, quàm vera sint, quàm & sincera. Spero autem quòd & vsque in finem cognoscetis, sicut & iam aliquatenus veritatem deprehendistis, & integritatem meam si nondum totam assecuti, certè vel ipsam experti estis, sinceritatemque. Sed sicut iam ex parte cognouistis me, ita spero vos magis magisque deinceps cogituros, quòd non parua vobis sit gloriandi de me materia, D vt qui talem habeatis Apostolum, tam integrè in vobis conuersatum, tam sincerè de vobis sollicitum. Sed & ego vicissim in aduentu Domini de vobis gloriabor, cum & de labore coronabor, cum non solùm mercede, sed & prouentu cumulabor & fructu. [Proficere illos sperat, ait Comment. Ambros. ex eo quòd iam cœperant meliores effici cognito affectu erga se Apostoli, & gloriabantur in eo velut filij in parte charissimo. Et hoc dicens, perseuerandum monet.] Comment. Ambros.

E *DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.*

ET faciem supplicij non sustinet Apostolus; & in diem sustinet iudicij. An illud Apostolo dignum, & istud congruum Christiano? Inquirendum.

DISQVISITIO PRIMA.

De facie supplicij.

Dixi inquirendum: sed tria simul inquirenda: quorum primum est, Quænam sit tribulatio illa, quæ facta est in Asiâ: Et quidem tria de illâ Paulus tribus subindicat verbis: Primò quidem dignissimam scitu, fructu vtilissimam. [Nolo vos ignorare.] Imo volo vos scire. Cur ita? [Quia, vt resoluit Aquinas, scire est vtile vobis, inquantum exemplo nostri patientiores estis.] Alterum, aliquam fuisse tribulationem singularem, aliquorum technis intentatam. [De tribulatione nostrâ, quæ facta est.] Itaque, vt ille ait: [Ea non dicta sunt de tribulationibus in generali.] Specialem quippe tribulationem elegit, quam non proposuit solùm, sed & præposuit. Tertium, illam in Asiâ transactam. [Quæ facta est in Asiâ.] Certè multa iam in Epistolâ primâ de persecutionibus dixerat, imò & mortibus, nonnulla de contradictionibus addiderat. [Vt quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?] Et, [Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est, & euidens, & aduersarij multi.] Hîc autem aperit quod nondum sciebant, nec repetit quod iampridem acceperant. Quid ergo? [Hæc est illa persecutio, ait Aquinas, de quâ legitur Act. 19. quæ facta est Apostolo ab Asiano quodam argentario, concitante plebem contra eum. Quæ tribulatio facta est in Asiâ, id est, apud Ephesum, quæ est in Asiâ, vbi debuisset magis honorari & consolari.] Inde migrationis causa; sicut & afflictionis materia: [Postquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam.] Et inde in Achaïam contenderet.

Aquin. lect. 3.

1. Corinth. cap. 15.

Tanto maior tribulatio est, quãto minor expectatio.

Aquin. ibid.

Act. cap. 20.

Secundum, Quomodo suprà modum grauatus sit Apostolus, suprà virtutem? Vbi est ergo illud eiusdem Apostoli? [Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.] Sed aliud est grauari, aliud tentari: illud enim periculum inducit, istud impellit in lapsum: illud insidiatur vitæ, sed temporali, istud spirituali gratiæ: illud mortem minatur, istud operatur in damnationem: illud incommodo onerat, istud peccato exultat. [Ideo ergo, ait Ambros. passiones pressurarum indicat propè vsque ad mortem illatas, vt ostendat quæ mala salutis illorum causâ patiebantur; vt non grauiùs ferrent, si corriperentur illorum errores ab iis qui hæc tam aspera tolerabant pro illis.] Nihil ergo heic de tentationibus, sed tantùm de tribulationibus, seu vexationibus; quæ tam acerbæ, tam graues, tam atroces, tam duræ, vt humanas vires opprimerent etiam validissimas, imò & humanas excederent mentes licet viuacissimas: quid si tanta magnitudo fuerit, tanta obstinatio, vt prudenti vix credibilis, vinenti vix tolerabilis. Si qua verò tentatio fuit, ea cessit in prouentum, dum fructum attulit: etsi enim incussit pœnã, non tamẽ excussit patientiam: etsi dolorẽ intulit, non tamen modestiæ tenorem abstulit aut constantiæ. [Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo.] En fructus, en prouentus. [Eo hæc, inquit, permissa sunt, vt discamus nihil esse in nobis habendum fiduciæ, sed Deo duntaxat apprimè confidendum.] Ita Athanas. Certè martyres suprà vires grauati sunt, suprà virtutem, cum tandem oppressi per mortem, seu, vt loquitur Tertullianus, [Obducti.] Sed nullus eorum suprà modum aut per excessum tentatus est. Imò quiuis & fidem tenuit, & mortem perdomuit. Inde enim, ait ille: [Verbum insultatorium de morte & triumphatorium: Vbi est, mors, victoria tua, vel contentio tua? Vbi est, mors, aculeus tuus?] Quid contendis, aut quam ex aculeo tuo prætendis gloriam? Victa es, dum vicisti; dum aucta es, excidisti: & nos per pœnam inuenimus gloriam, per mortem ad immortalitatem peruenimus.

1. Corinth. cap. 10.

Ambros. in Paulum

Aliud onere grauari, aliud tentari in opere.

Athanas. in Paulum.

Tertul. l. 5. adu. Marc. cap. 10.

Tertium, Quomodo tæderet Apostolum viuere? Hoc certè sanctis subrepit nonnunquam. Vnde ille? [Tædet animam meam vitæ meæ.] Maximè, vti dixit Gregorius: [Cum præsens vita vilescere, cum conditoris amor dulcescere cœperit.] Sed si ad dictionem Græcam ἐξαπορηθῆναι aspiremus, & aliam lectionem, & veram inueniemus expositionem. Ita igitur legit Tertullianus, vbi de pressuris Asiaticis. [Nolumus enim vos ignorare, fratres, de pressurâ nostrâ apud Asiam, quòd superquàm suprà grauati sumus citrà vires, vti de vitâ hæsitaremus.] Est ergo ita affligi, ita opprimi, vt summum sit vitæ discrimen, nullumque verè supersit periculi examen fugiendi. [Quid enim, (ait Paulus apud Chrysostomum) & magnum erat periculum, & vires nostras superabat, atque vsque adeò superabat, vt nullam spem & expectationem haberemus nos amplius victuros. Id quod Dauid mortis portas, ac mortis dolores, & mortis vmbram appellat. Hoc nimirum hîc quoque Paulus dicit, Eiusmodi periculum subijmus, quod omninò mortem afferret. Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus. Quid est, Responsum mortis habuimus? sententiam, iudicium, expectationem. Talem enim res ipsæ vocem mittebant, tale responsum dabant ea quæ euenerant, nempe quòd certissimè morituri essemus. Verùm id vsque ad rem ipsam minimè processit, sed intra suspicionem nostram substitit. Quanquam enim rerum natura hoc pronuntiasset: tamen Dei potentia sententiam in opus exire minimè passa est, sed in solâ nostrâ cogitatione, atque in expectatione, hoc contingere permisit. Eoque nomine ait, In nobisipsis responsum mortis habuimus, non in reipsâ.] Mens ergo Pauli, spem omnem euadendi ereptam, supplicij faciem non solùm tanquam præsentem intentatam, sed & indeclinabilem. Verùm licet timor ille, imò & horror fidelem concuteret animum, caderetque in virum constantem: non tantùm ad tur-

Gregorius lib. 9 Moral. cap. 20.

Tertul. li. de resur. carn. cap. 48.

Chrysost. Hom. 2.

Quæ dicenda mortis vmbra ac ianua.

bam cõfusam turbatamq; non expauit Paulus, sed & sedare illam, causamque dicere voluit.

A

DISQVISITIO SECVNDA.

De die iudicij.

NOn heic iudicem appello, sed expecto; nec rem in litem deduco, sed tria verba tribus definitionibus elucido. Primò ergo quæri potest, vnde Corinthij nosse possent, Paulum recto sinceroque animo conuersatum. Nam illa ratio: [Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legistis & cognouistis:] Non solùm sufficiens non est, sed in totum deficiens. Nec succurrunt qui ex Græcis occurrunt quæstioni, legentes, [Non enim alia scribimus vobis quàm quæ legitis aut etiam cognoscitis.] Non enim vel sic legentes, difficultati satisfaciunt. Siue enim legerint aliquando & inde cognouerint simplicitatem Pauli sinceritatemque: siue modò legant, & inde cognoscant, dum de seipso testimonium perhibet, nec simplicitati cauet nec sinceritati, sed duplicitatis potius & obliquitatis præbet indicium.

Tertull. l. 5. aduers. Mar. c. 1.

[Nemo, ait Tertullianus, sibi & professor & testis est.] Nec excipiendus est Apostolus, cum nec Christus ipse eximendus sit. [Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.] Si verum non esset in magistro, quomodo verum esset in discipulo; si non in Domino, quomodo in seruo? nisi discipulus sit suprà magistrum, & seruus suprà Dominum. Non ergo prouocat ad scripturam suam Apostolus, sed Corinthiorum appellat memoriam; nec suum, sed proprium ipsorum testimonium aduocat. [Sicut recordamini.] Seu [recognoscitis.] Græcè ἀναγινώσκετε. Vos ipsi persuasi estis & conuicti vera esse quæ scribo, cum sitis testes idonei, & simplicitatem meam sinceritatemque sitis experti. Reuocate in memoriam, non solùm quæ de me audistis, sed & proprijs vsurpastis oculis, & dignam Apostolo vestro pronuntiate sententiam. Sed vt à nostrâ non recedamus litterâ, dicamus cognitionem scriptioni conformem, recordationemque concordem lectioni.

Nullus hominum simul sibi iudex & testis

Chrysost. Hom. 3.

[Quoniam, ait Chrysostomus, magnifica de se prolocutus fuerat, sibique ipsi testimonium dixerat; rursum eorum, quæ dicit, ipsos testes producit. Non enim est, inquit, quod quisquam existimet, ea quæ à me dicuntur, verborum duntaxat pompam esse. Hæc enim vobis commemoramus, quæ vobis ipsis perspecta & explorata sunt. Quodque nos minimè mentiamur, præ ceteris testes esse queatis. Legentes enim agnoscitis, quod, quæ nos reipsâ præstitisse compertum habetis, ea per litteras quoque prædicamus: nec testimonium vestrum litteris nostris repugnat, sed earum ipsarum lectioni consonat hæc cognitio, quam antè de nobis habebatis. Neque enim ex aliorum sermone res nostras cognouistis sed ex ipsâ experientiâ.] Ita Chrysostomus. Ita & Apostolus.

Secundò, Quomodo Apostolus gloria Corinthiorũ, & Corinthij gloria Apostoli? [Gloria vestra sumus, sicut & vos nostra gloria.] Vbi est ergo quod iã dixerat? [Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. [Nõne vir probus conscientiâ suâ contentus est? Hoc imperat Philosophi ipsi, imò & inculcant.

Sen. ep. 7.

[Democritus ait: (apud Senecam) Vnus mihi pro populo est, & populus pro vno. Benè & ille quisquis fuit, (ambigitur enim de auctore) cum quæreretur ab illo, quò tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos peruenturæ? Satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus. Egregiè hoc tertium. Epicurus cum vni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi: satis

B

enim magnum alter alteri theatrum sumus.] Sed quid mihi allegas Philosophos, maximè Stoïcos? An & speras Epicuræos fore Christianorum magistros? Audi rem mirabilem. Philosophi in secreto, etiam sine arbitro, vani sunt; Christiani in secreto, etiam in propatulo, gloriosi sunt, nec tamen vani. Quis ille sapiens, qui secum est, qui suo viuit arbitrio, nec alienum requirit iudicium? In se reconditur, inquiunt, proprioque vtitur testimonio.

Qui sibi placet, dementi placet.

Sen. ep. 9.

[Nisi enim Sapienti, ait ille, sua non placent.] Sed qui placet sibi, dementi placet. Quid ergo melius, placere sibi, an alteri; suam ambire sen-

C

tentiam, an alienam? Quæ porrò gloria vana, nisi quæ humana? ita, dum illi alios spernunt, seipsos efferunt; & dum meliori sententiæ suffragium suum denegant, propriæ litant vanitati. Christiani etiam in mediis turbis, nihil gloriæ suffurantur; in ipsis nundinis, nihil humanæ enundinantur conscientiæ: sed sic lucent, vt lucem referant ad solem; sic omnibus patent, vt in omnibus diuinam, non suam appetant gloriam, sicque & diuinam suam faciant. De quâ igitur gloriâ locutus est Apostolus? De verâ, de diuinâ, de æternâ.

Aquin. lect. 3. 4.

[Et cognoscetis (ita apud Aquinatem) quia nos sumus gloria vestra, id est, per nos debetis consequi gloriam

D

æternam, ad quam homo peruenit per fidem Christi, quam prædicamus vobis. Ita dico, sumus gloria vestra, sicut & vos gloria nostra estis, quia per vos à nobis instructos habere speramus præmium æternæ gloriæ.] Huic gloriæ vnicè student Christiani: illam ne per vmbram vident Philosophi.

Tertiò tandem, Cur Apostolus in hoc sustineat diem iudicij, cum doceat nos à corpore peregrinos præsentes esse ad Dominum, id est præmium assecutos, felicesque vsque ad visionem Dei, non expectato vltimo iudicio? Certè id nouum non est Apostolo, vt & salutis & mercedis negotium remittat ad iudicium, & diem illam, in quâ Christus à Deo constitutus iudex viuorum ac mortuorum, suam se-

E

dem occupabit, summumque demonstrabit imperium, ad decisionem definitionemque promittat. Si enim dies iudicij est & vltimi, in illo tandem discuti res omnes debent, aut certè absolui debent ac concludi. Sed qui vltimum dicit iudicium, innuit esse alia iudicia, tanquam illius præambula.

Tertul. l. de anim. c. 58.

[Delibari putas iudicium, ait Tertullianus, an incipi? præcipitari, an præministrari?] Verùm, quia clausula expectatur mundi, in quâ non solùm propalatur sententia iudicij, sed & gloria

Christiani consummatur; diem illum nominat Apostolus, id est, Christum cum ceteris Christianis expectat iudicem. [Quum enim, ait ille, & tempora totius spei fixa sint sacrosancto stilo, nec liceat eam antè constitui, quàm in aduentum, opinor, Christi, vota nostra suspirant in seculi huius occasum, in transitum mundi quoque ad diem Domini magnum; diem iræ, & retributionis; diem vltimum, & occultum, nec vlli, præter patrem notum; & tamen signis atque portentis, & concussionibus elementorum, & conflictationibus nationum prænotatum.] Hunc ergo diem assignat Paulus, tanquam meritorum omnium testem ac iudicem, imò & testimonium suum ad supremum reuocat iudicium. [Ne mihi præsentia commemoretis (ait apud Chrysostomum) verùm tremendi illius atque horrendi diei vobis in mentem memoria veniat, in quo omnia aperta erunt. Tunc enim & nos in vobis gloriabimini, cum & vos tales magistros habuisse perspicuum erit, ac nobis rursus tales discipulos fuisse. Ac nunc quidem hæc quoque prudentibus conspicua sunt: tum autem cunctis erunt.] Ita nec seipsum iudicat Paulus, sed diuinum expectat iudicium.

Tertull. lib. de; resur. carn c. 22.

Sententia omnium in extremum remissa iudicium.

Chrysost. Hom. 3.

TROPOLOGIA.

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.

TRia proponit Apostolus & asserit ad solandos Corinthios: Primum est, Deum esse fontem totius consolationis: alterum, non continere intrà se tantum bonum, sed illud in bonos seu electos diffundere: tertium, tantam consolationis copiam in ipsis profluere, vt & in alios refundant, seu in socios refluant.

Quoad primum. Ab alto descendit Apostolus quia fontem ostendit aquæ salientis in vitã æternam, & eam à suo educit principio. [Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.] Nihil grandibus istis verbis non grande, nihil non mirabile; sed sicut nihil modicum, ita nihil prætereundum est. Tria sunt necessaria ad institutum Pauli, & ad solatium Christiani necessaria. Primum est, vt à nullo alio consolatio deriuet quàm à Deo: si enim ab alio expectare aut delibare debet Christianus: iam non tam Deus benedicendus est, quàm ille alius; qui benedictionis obiectum erit, sicut & consolationis principium. [Benedictus Deus.] Benedicimus, id est, auctorem ac fontem tanti agnoscimus boni. Nam vt admonet Aquinas: [Nos benedicimus Deum, & Deus benedicit nobis: sed aliter, & aliter. Nam dicere Dei, est facere: vnde benedicere Dei est bonum facere, & bonum infundere. Dicere autem nostrum, non est causale, sed recognoscitiuum, seu expressiuum: vnde benedicere nostrum, idem est quod bonum recognoscere. Cum ergo gratias agimus Deo, benedicimus sibi, id est, recognoscimus eum bonum & datorem omnium bonorum.] Cur ergo benedictus Deus? Quia Deus totius consolationis. Si totius, nulla consolatio nisi ab

Aquin. lect. 1.

A ipso; aut si qua ab alio, consolatio non est, sed illusio. Alterum, vt mortalibus adsit, nedum præsit spiritibus. Quid enim mihi, quod Deus solatium seu gaudium effundat in angelos, si ieiunos relinquat homines, afflictos & infelices? Quid verò mortales? egentes, ægri miseri. At ille non solùm miserorum tutor est, sed & auctor misericordiarum, [Pater misericordiarum.] Ita, vti docet Chrysostomus, [Paulus incipiens, à benignitate & clementiâ ipsum appellat, Deus misericordiarum, inquiens, hoc est qui tantæ miserationis specimen edidit, vt nos ex ipsis mortis portis eduxerit. Hoc enim maximè Deo proprium ac

Chrysost. Hom. 1.

B peculiare est, ipsiusque naturæ insitum, nimirum ad hunc modum misereri. Ob hanc causam misericordiarum Deum ipsum vocat.] In quantum Pater, de suo tantum effundit bonum: in quantum pater misericordiarum, ipsummet omnibus promittit hominibus, Omnes quippe peccatores, & ideò omnes miseri, omnes egeni: gratiâ quippe egent & misecordiâ, deserique timent & abjici. Sed si pater diuitum, timerent pauperes; si pater subditorum, timerent principes: nunc autem cum sit pater misericordiarum, pater miserorum est, id est,

Deus dum miser[illegible]rum pater est, pater est omnium.

C mortalium omnium. Tertium, vt liberaliter fundat & abundanter: quid enim si copiam seruet, & stillam communicet? Idcircò, [Benedictus Deus.] Quis ille? [Pater Domini nostri Iesu Christi.] Si pater misericordiarum est, vtique liberalis est, sed si Pater Domini nostri Iesu Christi, non solùm liberalis bonitas, sed & largitas interminabilis: tamque magna benignitas, quàm fœcunda paternitas. Non enim sic pater Christi, vt nost er est: nam noster est, per gratiæ mensuram; Christi verò, per totam naturæ suæ copiam. [Persona Patris, ait Aquinas, dicitur pater Christi per naturam: persona autem patris pater noster est per appropriationem. Per Christum autem Pater nobis omnia donauit.] Sicut enim omnia donauit filio, sic & omnia donat per filium: nisi quòd naturam suam donauit filio,

Aquin. lect. 1. & 2.

D gratiam suam per filium donat & misericordiam: sed sicut per illum naturæ suæ consortium nobis communicat, sic & abundè per ipsum omnia nobis sua præstat bona, nec vllum beneficium reseruat aut solatium.

Quoad secundum. Cum natura Dei sit bonitas, & opus eius misericordia, non solùm affluit abundanter, sed & indesinenter influit. [Non enim, vti dixit Cyprianus (qui beneficiorum terrestrium mos est) in capessendo munere cœlesti mensura vlla vel modus est, profluens largiter spiritus nullis finibus premi-

Cyprian. l. 2. epist. 2.

E tur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia refrenatur. Manat iugiter, exuberat affluenter, nostrum tantùm sitiat pectus & pateat.] Audin' infusionem muneris cœlestis non tantum abundantem esse, sed & iugem, nec inopiâ distrahi, nec intercipi impotentiâ? Qui enim pater est Christi, pater misericordiarum est, & Deus totius consolationis. Sicut ergo Verbo gignendo non solùm totam sui effundit copiam, sed & quem semel genuit, semper gignit, nec vnquam abrumpit geniturram: sic & in diffundendâ misericordiâ, non solùm diui-

tem se præstat, sed & infatigabilem, dum non solùm dat affluenter nec improperat vnquam, sed & dum dare non cessat, & indesinenter effundere. [Benedictus Deus & Pater Domini nostr Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, [Cur laudandus, cur magnificandus? [Qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.] Nullum verbum, suâ non grauidum est sententiâ: imò tribus verbis, tria comprehensa sunt mysteria. Primum est, Paulum non dicere, iustos non tribulari, sed in malis suis confortari. [Non dixit, (verba sunt Chrysostomi) Qui non finit nos calamitate affici. Sed, qui in calamitate nos consolatur. Nam hoc tum Dei potentiam declarat, tum eorum qui calamitatibus premuntur, patientiam auget. Tribulatio enim, inquit, patientiam operatur. Id quod Propheta quoque his verbis indicabat: In tribulatione dilatasti me. Non dixit, Non passus es me in tribulationem labi, aut, Tribulationem confestim submouisti, sed eâ mente dilatasti me: hoc est, ingentem cordis latitudinem & voluptatem mihi attulisti. Id quod etiam in tribus pueris contingit. Neque enim, quominùs in fornacem inciderent, prohibuit, nec, cum incidissent, flammam extinxit: verùm flagrante fornace latitudinem ipsis præbuit.] Delectationem scilicet, consolationemque: sicut enim animus coarctatur mœstitiâ, sic & lætitiâ dilatatur. Alterum est, Nullam excipere tentationem, nullam tribulationem omittere. [Non semel aut iterum, ait ille, sed semper hoc facit Deus. Neque enim nunc consolatur, nunc rursus deserit: sed semper ac perpetuo hoc agit. Ob idque dixit Apostolus, Qui consolatur, non, qui consolatus est: &, in omni tribulatione: non in hac atque illâ, sed in omni.] Tertium est, Paulum diuinam quidem diffundere misericordiam, non tamen & prodigere. Consolatur Deus. Quos? Nos. Iustos nimirum electos-ve. In omni tribulatione. Quanam? Nostrâ. Nos consolatur, qui pro ipso patimur, [qui pro disseminando affligimur Euangelio. [Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.] Electi omnes, omnes iusti vexantur, tribulantur, sed in tribulationibus recreantur.

(Chrysost. Hom. 1.) (Electi omnes tribulati, sed & omnes recreati.) (Chrys. ibid.) (Psalm. 33.)

Quoad tertium. Tantâ illi diuinarum consolationum copiâ, vt & alios doni sui compotes faciant. Sicut enim fontes abundè recipientes, in riuos exuberant; ita illi iam plenitudine donati, tristes afflictos-ve lætificant. [Consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.] Quomodo? [Vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressurâ sunt: per exhortationem quâ exhortamur & ipsi à Deo.] Sed vt ex Græco, [Per consolationem, quâ consolamur & ipsi à Deo.] Cur ita? [Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.] Tanta est abundantia diuinæ consolationis, vt sufficiat nobis & vobis, vt & in obuios quoque refluat. Abundantia passionis, abundantia & consolationis. [Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] In his tria notanda sunt. Primum est, requiem venalem esse, sed paucis emi incommodis, id est, dari potiùs

(Psalm. 93.)

A quàm venundari. [Si verum vis comparare ait Augustinus, & verum iudicare, æterna requies æterno labore emitur. Verum hoc est: sed noli timere, misericors est Deus. Si enim semper laborares, nunquam ad requiem peruenires.] Voluit ergo Deus requiem esse interminabilem, sed laborem temporalem. Infinita promisit, paucissima imposuit. Alterum est, etiam in laboribus requiem interponi, consolationem interseri; vt quanto grauior afflictio est, tanto grandior ampliorque sit consolatio. [Et paucos annos laboras, ait ille, & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana.] Quantum damus pretium, ad comparandos nobis thesauros sempiternos? [Siliquam laboris damus ad requiem incredibilem.] Nihil ferè, & tamen isto nihilo temperamentum interponitur, inseritur solatium. Tertium, tantam effundi consolationis copiam, vt exiliat affatim, vbertimque refluat. [Quantæ sunt istæ consolationes, ait Augustinus, in tantis laboribus?] Tantæ sunt vt non solùm cumulentur, sed & diuinam æmulentur abundantiam. Sicut enim Deus gaudium suum non intrà se cogit, sed & ad extrà respergit: sic & electi lætitiam suam non in animo continent, sed & aliis solandis exhibent. [Ob id enim, inquit Apostolus (apud Chrysostomum) nos consolatus est Deus, vt nos mutuam consolationem alij alijs adhibeamus.] Sed ad hauriendam hanc aquam, tres tibi indicuntur conditiones. Prima est, vt tribulatio sit pro Christo: quid enim à Deo speras, si pro vitio, si pro implendis concupiscentiis dura toleras & aspera? Si abundant passiones Christi, abundant & consolationes Christi. [Quid enim suauius ac iucundius, ait ille, quàm Christi socium effici, atque ipsius causâ perpeti? Alterum est, vt aliunde auxilium non quæras, aut solatium: quid enim à Christo postulas, quod iam delibas de seculo? [Noli gaudere de seculo, ait Augustinus, gaude in Christo, gaude in verbo eius, gaude in lege eius.] Tertium, vt tanta sit capacitas, quanta & auiditas. [Quantum enim, ait Cyprianus, illuc fidei capacis afferimus, tantùm inde gratiæ inundantis haurimus.] Inde spes tam certa, quam & merces copiosa: scito enim & confidito, quòd si fueris particeps Apostolicæ passionis, eris & diuinæ particeps consolationis.

(Augustin. Exposit. in psal. 93. vlt. med.) (Augustin. ibidem.) B (Requiem speramus interminabilem, & laborem breuem tolleramus.) C (Chrysost. Hom. 1.) (Chrysost. ibidem.) D (Aug. psal. 93.) (Cyprian. l. 1. epist. 2.)

ANAGOGIA.

E *In simplicitate cordis & sinceritate Dei.*

CONuersationem suam dum describit Apostolus, in iconem & formam omnibus ipsam proponit spiritalibus. Nam per simplicitatem, duplicitatem excludit: per sinceritatem, intentionem dirigit: per gratiam Dei, sapientiam carnis dejicit: id est, tribus virtutibus, tria vitia comprimit, vitæ perfectæ infesta.

Quoad 1. Si quæras à Theologis scholasticis quodnam primum sit naturæ diuinæ attributum? Citò respondebunt. Simplicitas. [Primò enim, vti Aquinas proponit, inquiritur de sim-

(Aquin. 1 p. q. 3.)

plicitate ipsius, per quam remouetur ab eo A compositio.] Si petas à mysticis, quodnam sit primum vitæ perfectæ elogium? Proculdubiò respondebunt: Simplicitas, Quis enim primus spiritualium omnium? Nonne Abel iustus? At qualis erat Abelis conuersatio? Audi Dionysium: [Abel, inquit, simpliciter ambulabat.] Simplicitate nimirum columbinâ, & puritate angelicâ. Et in vniuersum: [Omnis, inquit, theologia bonos commendat, deiformiter malis benefacientes, & extendentes ad ipsos multam ipsorum bonitatem.] Quasi ijdem simplices, qui iusti; ijdem innocentes, qui innocui, vt qui nulli ma- B lum rependant pro malo, ne verbum pro verbo; quin & ad simplicitatem imitationemqne Dei, prauis, & aduersarijs suis innumera impendant beneficia. Ita Theologia, seu scriptura diuina, Iobum introducens in exemplum, hanc ei committit personam. [Et erat vir ille simplex.] Id est virum sanctum repromittit perfectumque. Conuersatur Apostolus in hoc mundo, nullo tamen huius mundi vitio maculatur. [Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis conuersati sumus in hoc mundo.] Quid simplicitate rarius in hoc mundo, quid duplicitate frequentius? Nimirum, vti Gregorius dixit: [Duplicitas iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas vrbanitas vocatur.] Non enim vrbani, sed astuti; nec C cauti, sed dolosi. Quid Paulus? [In simplicitate cordis.] Et, [Cordis,] quidem non additur in Græcis, verum semper subintelligitur: est enim puritas mentis, seu cordis ingenuitas. Vnde ille: [In simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum, feci hoc.] Et Deus ad illum. [Ego scio quòd simplici corde feceris: & ideò custodiui te, ne peccares in me.] Sic & Salomon. [Scio Deus meus quòd probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.] Magna virtus, simplicitas cordis, quæ à peccatis defendit: virtus primaria, quæ aliis viam suam respergit, quæ dona facit accepta, & grata munera. Vbi multum artis, minimum D virtutis est; tantumque sanctitatis inest viris perfectis, quantum puritatis ac simplicitatis. Quàm indignum est sanctis ac religiosis niti arte, aut duplicitate vti, quæ infirmis & imperfectis competit, quæ mundo seruit non Deo? Quam & illis dignum vestigia premere Apostolica, simplicitatem cordis in omnibus præseferre, vulpis calliditatem præ omnibus abjicere?

Dionys. ep. ad Demoph.

Iob. cap. 1.

Gregorius lib. 10 Moral. c. 16.

Genes. c. 20.

1. Paralip. cap. 17.

Quanta sit virtus, cordis simplicitas.

Quoad 2. Bona est simplicitas, sed non debet esse sola, ne sit nimia, aut ne tam simplicitas sit cordis, quàm mentis fatuitas. Iob quidem vir erat simplex. An id solum? [Et rectus.] E Non simplex tantùm. [Nonnulli namque, vti dixit Gregorius, ita sunt simplices, vt rectum quid sit ignorent: sed eò veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quò ad virtutem rectitudinis non assurgunt: quia dũ cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt.] Hinc est quod Paulus discipulos admonet, dicens: Volo vos sapientes esse in bono: simplices autem in malo. Hinc rursus dicit: Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote. Hinc per semetipsam veritas discipulis præcipit, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Vtraque enim necessariò in admonitionem coniunxit: vt & simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc est quòd sanctus Spiritus præsentiam suam hominibus, non in columbâ solummodò, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas, per ignem verò zelus indicatur. In columbâ ergo, & in igne, sanctus Spiritus ostenditur: quia quicunque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inseruiunt, vt contrà culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur.] Audiant ergo non solùm boni fideles, filij columbæ, sed maximè spirituales viri, vtpote Spiritu sancto pleni, & sacro instinctu permoti: imò Paulum audiant Apostolum. [In simplicitate cordis, & sinceritate Dei conuersati sumus in hoc mundo.] Quid proficit simplicitas, si sinceritas deficit: si rectitudo abest, quid prodest mansuetudo? [In simplicitate, & sinceritate.] Simpliciter, sed & prudenter. [Hoc est, vt exponit Chrysostomus, nihil fraudulentum, nihil per hypocrisim, per simulationem, per assentationem, per insidias, per imposturam, aut per aliud quicquam eiusmodi fecimus: sed in omni libertate, in simplicitate, in veritate, in purâ minimeque malignâ voluntate, in mente ab omni dolo vacuâ, nihil tectum & adumbratum, nihil fucatum ac veteratorium habentes.] Quid porrò, quòd non solùm in sinceritate se dicit conuersatum Apostolus, sed addit, [In sinceritate Dei?] Vt rectus coràm Deo sit animus, nec operatio tantùm bona, sed & pura sit intentio. [Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.] Duo quippe ad opus pietatis requiruntur: primum est, vt non fiat duplici corde, sed simplici; vt conueniat actio cum intentione, & cum actione intentio. Et hoc quidem primum, nam si discordia est, vt humana quidem est iustitia, sed iniusta fallacia. Alterum est, vt non solùm coeant intentio & actio, sed & simul in Deum tendant, simul in ipsum sese referant: nam si deuient aut cespitent, poterit humana esse, sed esse diuina non poterit innocentia. In primo, simplicitas animi; in alio, sinceritas Dei est. Imò vtraque diuina esse debet, vt vtraq; Deo sit digna, Deo sit accepta: nihil enim illo dignum, nisi quod exit ab illo, & ad ipsum redit.

Gregorius lib. 1. Moral. cap. 2.

Spiritus sanctus cur multiformiter sit visus.

Chrysost. Hom. 3.

1. Thessal. cap. 2.

Quoad 3. Sicut contraponuntur simplicitas & duplicitas, sinceritas & impuritas; ita sapientia carnalis & spiritalis opponuntur gratiæ. Idcircò Paulus in hoc mundo, non solùm in simplicitate conuersatus, & sinceritate; sed & in gratiâ spiritali, non in carnali sapientiâ. [Et non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conuersati sumus in hoc mundo.] Quid est homo, nisi caro? quid ergo carnalis sapientia, nisi sapientia animalis, imò & humana, seu humano & studio parta & ingenio? Quid ergo, Non in sapientiâ carnali? Id est, exponente Aquinate: [Multi antiqui fuerunt sapientes in sapientiâ terrenâ, sicut Philosophi: & multi Iudæi vixe-

Aquin. lect. 4.

runt confidentes in iustitiâ legis: sed nos non in sapientiâ carnali, quæ secundùm naturas rerum, vel desideria carnis est, sed in gratiâ Dei, conuersati sumus in hoc mundo. Paulus igitur non innixus humanæ sapientiæ, sed gratiæ Dei.] Duo sunt consideranda in ministro Apostolico: puritas vitæ, & veritas doctrinæ: eius enim est ad exemplum Christi, imò & documentum, facere ac docere. Potest ergo simplicitas sicut & sinceritas ad vitæ puritatem referri: [Non in sapientiâ :] Ad doctrinæ veritatem. Sed vtrumque eodem modo præstandum, nec alio dicendum pacto quàm & agendum. In simplicitate & sinceritate docendum est, nusquam in carnali sapientiâ, sed in spiritali viuendum gratiâ. Prudentia enim carnis, mors est; sapientia hominis, mortis illecebra. [Non in sapientiâ carnali: hoc est, ait Chrysostomus, non in sermonis facundiâ, nexuque sophismatum. Hæc enim per carnalem sapientiam intelligit. Atque id, vnde illi magnopere gloriabantur, inficiatur ipse ac rejicit: ex abundanti videlicet ostendens, haud dignum istud esse, de quo quisquam glorietur, quippe cum ipse non modò id requirat, verumetiam submoneat ac probro


Chrysost. Hom. 3.

A ducat.] Quid reges & oratores vicit, quid philosophos subegit ac doctos? Sapientia carnalis, an spiritalis gratia? Non abjicit rationem Apostolus, sed rationem quærit quæ præstet virtutem, fidemque rationum omnium, sicut & omnium rerum demonstret. [Ratio verò, ait Dionysius, Deus laudatur à sacris eloquijs, non solùm quia & rationis, & intellectûs, & sapientiæ est largitor: sed quia & omnium causas in seipso vniformiter præambiuit, & quia per omnia implens peruenit (vt eloquia aiunt) vsque ad omnium finem. Ipsa quippe ratio est simpla, & verè existens veritas, circa quam vt puram & non errantem omnium scientiam diuina fides est vnicum credentium fundamentum.] Quid ergo fidelibus, maximè verò spiritalibus, cum illâ sapientiâ, quæ non minùs B multiformis, quàm carnalis est? Imò quomodo sapientia, quæ pura puta ignorantia est. [Varietas enim opinionum, vti dixit Tertullianus, venit de ignorantiâ veritatis. Qui autem Deum timuerit, omnium notitiam & veritatem adsecutus, plenam atque perfectam sapientiam obtinebit.]

Dionys. lib. de diuin. nom. c. 17.

Sapientia mundana mera est ignorantia.

Tertull. lib. 2. ad Nat. c. 2.



PARS SECVNDA

DE MORA.

TEXTVS.

ET hac confidentiâ volui priùs venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis: & per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedoniâ venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Cum ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito; secundùm carnem cogito, vt sit apud me Est & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est & Non. Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est: ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: qui & signauit vos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni vltrà Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri: nam fide statis.

EXEGESIS LITTERALIS.

EXcusat non venisse se, sicut statuerat: probatque nullum inde prædicato Euangelio fieri præiudicium.

[Et hac confidentiâ volui prius venire ad A vos, vt secundam gratiam haberetis. &c.] Dixerat se suosque à Corinthijs cognitos, & in pretio habitos. Hac igitur fiduciâ bonæ æstimationis, probatæque conuersationis, Paulus inito statuerat consilio ipsos reuisere quamprimum, & iterato fructu, nedum aduentu maturato, nouum beneficium, & plenam, aduentu

aduentu suo, inferre gratiam. Porrò personam A mutat, quia moram quasi culpam excusat. [Et per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedoniâ venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam, &c.] Hoc apud me deliberaueram, proposueramque priùs Corinthum adire, tum Macedoniam percurrere, & iterum redire in Achaïam; & à vobis Corinthijs deduci in Iudæam. [In priore epistolâ, ait Athanas. tempore nullo præfinito, Vt vos me deducatis quocumque iturus sum, dixit: veritus ne si in Iudæam iturum se diceret, aliò postmodum à spiritu abire compulsus mendacij argueretur.] Quocumque tandem animo, nec locum illic ex proposito designauerat nec terminum: heic B notat prouinciam, fortean & Hierosolymam cogitat. Sic & ad Romanos de Hispaniâ. [Spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc.] In quo & comitatus & apparatus est. Tu me istic vide. [Cum ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me Est & Non? &c.] Cum ergo hoc apud me cogitassem, imò & deliberassem, numquid inconsideratè volui, aut temerè statui? Nunquid ea quæ propono ac decerno, adinstar hominum statuo carnalium, qui etsi cogitant quæ deliberant, sententiam tamen suam carni seu carnali attemperant affectui? Sed cum caro non C solùm imprudentiæ fomentum sit, sed & elementum inconstantiæ, tam leues sunt consulendo, quàm exequendo mutabiles. Nunc volunt; nunc renuunt, nunc affirmant, nunc denegant, sicque Est & Non alternant. [Hoc significat, ait Ambros. quia non aliud egit quàm sciuit agendum, quia vtilitas anteponenda est voluntati. Hic sensus spiritalis est. Carnalis autem sensus sic mutatur, vt anteponat voluntatem vtilitati.] Vir spiritualis proponit quod vtilius saluti, carnalis quod sibi commodius eligit.

Athanas. in Paulum.

Rom. c. 15

Spiritalis consulit saluti, carnalis commoditati.

Ambros. in Paul.

[Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit ad vos, non est in illo Est & Non, &c.] Quid tum si consilium verti, si mutaui propositum? Fidelis tamen Deus in verbis, inuiolabilis in promissis: ideoque Euangelium quod D prædicauimus, non admittit Est & Non, nec mutationem recipit, sicut nec dubitationem. [Sermo meus, id est, (ita Aquinas) prædicationis: non est in illo falsitas.] Quod deliberaui, ex me Paulo est; quod prædicaui, ex me Apostolo. [Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit, &c.] Silas seu Siluanus & Timotheus, cooperarij erant Pauli, & quasi coapostoli, ipsisque euangelizauerunt Corinthijs. Ait igitur, Vobis illi annuntiauerunt sicut E & ego Iesum Christum Dei filium, & per suam prædicationem, æternam vobis demonstrarunt veritatem. Nihil enim in illo mutabile, nihil variabile: sed potius in illo & per illum stant perstantque immota omnia. [Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est: ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram, &c.] In ipso & per ipsum constant omnia, Dei enim promissa per ipsum rata sunt, & in ipso completa. Ex Græco: [Et in ipso Amen Deo

Aquin. lect. 5.

Omnia per Dei filium increatum aut incarnatum confirmata.

ad gloriam per nos.] Vult ergo promissiones omnes per Christum esse Amen veras firmatasque: idque ad gloriam diuinam, sed ministerio propagatam Apostolico. [Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris, &c.] Dixerat ad gloriam nostram, seu Apostolico ministerio, nunc & totum ad suum reuocat principium. Qui autem nobis præstat firmitatem in prædicando, vobis stabilitatem in credendo: qui nos spiritalibus imbuit charismatibus, quibus tanquam obsignationibus muniuit: idem Deus Spiritum suum cordibus nostris in artham inseruit, & per artham, promissam gloriam reddidit certissimam. [Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni vltra Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri: nam fide statis.] Cur tandem non aduentasti, cur mutasti consilium, cur promissum non consummasti? Vultis scire? Mihi igitur creditote: nam iuro per Deum ipsum & dicti testem, & vindicem periurij: vt in me refundat, si quid reperiat mendacij. Deum ergo testor quòd volui mitiùs vobiscum agere, nondum, οὐκέτι, non adhuc veni Corinthum: non quia herilem erga vos ostentemus potestatem, traditæ fidei nomine, aut iure prædicationis insultemus: quin & gaudium procuremus vestrum, melioremque non tam castigandi quàm gratulandi expectemus occasionem: nam in fide perseueratis Christianâ, idcircò gaudium adferre malo, quàm inferre supplicium. [Cuncta enim ad vestram lætitiam factito, (ita Comment. Athanas.) Proptereaque & meum aduentum distuli, vt ex meis duntaxat comminationibus ad rectum pateat aditus, veniensque inoffensos conseruem.]

Comment. Athanas.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

VVlt Apostolus venire ad Corinthios, & per ipsos, seu per Achaïam transire in Macedoniam. Quænam illâ Pauli sententia, quæ tam sibi contraria? Vult secundam adferre gratiam, quænam illa est Apostoli gratia? Priùs ergo de illâ, tum & de istâ.

DISQVISITIO PRIMA.

De Pauli sententiâ.

PRomiserat aduentum suum, imò dixerat se cito venturum: sed quomodo? Ipsum audi. [Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo.] Heic autem, tanquam sui parùm memor: [Volui priùs venire ad vos: & per vos transire in Macedoniam.] Id est, venire priùs ad vos, & per vos ipsam adire Macedoniam. Si pugnantia sunt ista, sunt vtique contraria. Quid

1. Corinth. c. 16.

Chrysost. Hom 3.

ergo? [Non pugnantia dicit, ait Chrysostomus, absit: hæc enim cum his quidem quæ scripserat, pugnabant; cum his autem, quæ in animo habebat: minimè pugnabant. Ob eamque causam haudquaquam hîc dixit, Scripsi me per vos in Macedoniam transiturum; sed, Volebam. Nam etiamsi non ita scripserim, inquit, tamen studebam ac cupiebam priùs quoque ad vos proficisci: tantumque ab eo absfui, vt seriùs, quàm promiseram, ad vos me conferrem, vt ipsam quoque pollicitationem anteuertere cuperem.] Ita Paulus: [Cum ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito?] Vbi & Chrysostomus. [Quod ait, hanc sententiam habet: Volebam venire ad vos. Cur ergo non veni? An quòd leuitate & inconstantiâ laborarem? Hoc enim significat istud, Numquid leuitate vsus sum? Minimè. Quid igitur causæ est? Quoniam quæ cogito, non secundũ carnem cogito. Quid est, non secundũ carnem cogito? Non carnali modo. Hoc igitur ait, Non iuxtà carnem consulto, neque à spiritûs gubernatione liber atque immunis sum, nec mihi, quò libeat, proficisci licet. Nam Paracleti imperio & edictis subjicior, atque ad ipsius calculum agor & circumagor. Hinc .n. factum est vt venire nequiuerim. Non enim spiritui placuit.] De cogitatione, de consultatione agit, non de scriptione: aitque, voluisse quidẽ, quantum ad animũ suum priùs venire Corinthum, non tamen & id scripsisse. Spiritus enim aliter disposuit quàm proposuit animus, iussitque Macedoniam ire, & per ipsam, transire in Achaïam.

Chrysost. ibid.

Qui spiritu agitur diuino, non suo nutu ducitur.

Verùm si consilium Paulus celauit suum, nec euulgauit propositum: cur excusari desiderat quod nulli innotuit, cur latenti cogitationi quæ nemini nocuit, optat patrocinari? Imò quid toties Chrysost. promissionis meminit, pollicitationisque? Denique, si per Spiritum vertit consilium, quo nunc iure infringeret? quâ ratione mutaret ad placitũ, si inspiratum agnouit quod scribit? [Sciendum est ergo, ait Aquinas, quòd Apostolus, per nuntiùm promiserat eis quòd primò iret ad eos antequã iret in Macedoniã, & per eos iret in Macedoniã, & iterũ inde rediret in Achaïam in quâ est Corinthus, & de Achaïâ in Iudæam: postmodum in secundâ Epistolâ, quam nos habemus primam, scribit eis quod primò iret in Macedoniam, & postmodũ iret Corinthũ. Quia ergo videtur secundũ hoc contrariũ primæ promissioni, Apostolus se modò de hoc excusat.] Priùs ergo statuerat Paulus adire Corinthum: postea vertit propositum, vt interim resipiscerent Corinthij, & cunctanti Apostolo remorantique, & querelæ materiam auferrent, & causã mœstitiæ. [Allatum est ad me, inquit, (apud Chrysostomum) nonnullos esse apud vos, qui stuprum perpetrarint. Quocirca non fuit animus ad vos venire, ne vos in mœrorem conjicerem. Coràm .n. necesse fuisset facinus examinare, & vindicare ac punire, atque de multis suppliciũ sumere. Itaque satius esse duxi abesse, ac resipiscentiæ locum vobis concedere, quàm vt præsens facinus vlciscerer, grauiusque irascerer.] Ita parcens, propositum distulit, nec statim venit Corinthum: ne veniens, incorrectos eos reperiret, & pœnam infligendo debitam, suam augeret tristitiam.

Aquin. lect. 5.

Paucit Paulus dum lentè procedit ac maturè.

Chrysost. Hom. 4.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Apostoli gratiâ.

DVo sunt inquirenda: & quæ sit Apostoli gratia, & quomodo sit secunda. [Vt secundam gratiam haberetis.] Et quidem quoad gratiam, nonnulli χαρὰν legunt, non χάριν, aut vnum intelligunt per alterum, adeò vel ad vmbram gratiæ pertimescunt, dum & vmbram obducunt intelligentiæ. Non tamen negandum est Corinthios gaudium expertos ad Apostoli sui præsentiam: sed beneficium constringendum non est ad inopinatum gaudium, aut subitaneam lætitiam. Romanis & id promittit, dum ait: [Desidero videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos.] Id est, vt exponit Aquinas. [Vt tradam vobis aliquid gratiæ spiritualis, non tanquam actor gratiæ, sed sicut minister. Et hoc ad confirmandos vos, scilicet in fide, quam suscepistis. Impartitur autem gratiam minister, tum per administrationem sacramentorum gratiæ, tum per exhortationem sermonum.] Certè, inter vtrumque locum multa sunt similia. Primò enim iusiurandum interponit: [Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo.] Quod & heic identidem repetit: [Ego autem testem Deum inuoco in animam meam.] Vt nullum iuramentum sit, si ad verbum etiam exsecratorium non iurauit Apostolus. [Sed non ideò, ait Augustinus, quia in suis litteris iurauit Apostolus, vir in veritate firmissimus; ludus nobis debet esse iuratio. Non quia peccatum est, verum iurare: sed quia grauissimum peccatum est, falsum iurare: quò citius canit, qui consueuit iurare.] Secundò, vtrobique desiderium, tum ad Romanos, cùm ad Corinthios ostendit non modicum. Denique beneficium gratiæ spiritalis vtrobique promittit, dum suum impendit ministerium. Vt in fide, spe, charitate Corinthios confirmet sicut & Romanos, Christianam instauret pacem, veramque consummet apud vtrosque pietatem.

Aquin. lect. 6. in cap. 1. epist. ad Rom.

Multa Romanos inter & Corinthios similia.

August. ep. 89. quæst. 3. in fin.

Quid verò per gratiam secundam? [Quid est, secundam? ait Chrysostomus. Duplicem: alteram nempe per litteras, alteram per præsentiam.] Haud dubiè plures in aduentu Pauli, eam gratiam, quam lætitiam vocat, putatque non esse aliam, excepissent, sed non omnes; imò nonnulli, maximè æmuli & pseudapostoli, habuissent ingratam. Vult autem Apostolus illam haberi aduentu suo, nec ipso successu, sed accessu censeri. [Dixit ergo, Vt secundam gratiam haberetis, quia secunda visitatio, ait Aquinas, & confirmatio in fide, dicitur secunda gratia respectu conuersionis, quam primo habuerunt ministerio & prædicatione ipsius.] Sicut .n. duplex est iustificatio, prima scilicet ac secunda, sic & duplex gratia: sed sicut secunda iustificatio, tota est illa quæ est post primã, vt tam altera dicenda sit quàm ampliata; sic & secunda illa gratia, post primã est copulanda, vt melius dicatur altera. Δεύτερον enim

Chrysost. Hom. 3.

Aquin. lect. 5.

Secundum est quod priori est additum.

non solùm rationem spectat numeri, sed & rei iterationem indigitat. Vnde textus Ambrosianus non habet, [Secundam:] Sed, [Plenam gratiam.] Perfectam scilicet, completam consummatam. [Nec enim quisquam, vti dicit ipse Chrysostomus, poterit fidei fructum percipere, nisi qui spei gloriam voluerit consummare. Vt enim sine fide spes non habet firmitatem, ita sine spe fides non potest habere mercedem. Fides est religionis fundamentum, spes consummat & perficit ædificium.] Operante nimirum charitate, cuius illa, & manus & ramus est, vt ille asserit dissceritque. Itaque secunda gratia illa est, quâ Corinthij augerentur in fide, spe, & charitate, quâ iusti iustificarentur adhuc, imperfecti perficerentur, & Apostolico consummarentur ministerio.

Chrysost. ser. de fide, spe, & charitate.

TROPOLOGIA.

Non est in illo Est & Non.

Deum dicit fidelem, id est in verbis promissisque veracem, vnde innuit hominem dicto factoque mendacem: sed excipit de Apostolis, tanquam Dei nuntiis, asseritque tam in sententiâ veraces esse, quàm in doctrinâ suâ constantes. Tum & ipsum ostendit veritatis & immutabilitatis fundamentum: postremò, & id ipsum in suum refundit principium. Tria ergo sunt inde deducenda: primum, de Apostolo: alterum de Christo: de Deo vltimum.

Quoad primum. Tanta Apostolicæ doctrinæ constantia est, vt quod annuntiat Paulus, Petrus prædicet: quod Petrus prædicat, Paulus confirmet. [Etsi enim, ait Tertullianus, quædam inter domesticos, vt ita dixerim, dissserebant: non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariam illi, quam catholicè in medium proferebant: vt alium Deum in Ecclesiâ dicerent, alium in hospitio: aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto: aliam spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: cum ipsi obsecrarent in epistolis suis, vt idipsum & vnum loquerentur omnes, & non essent schismata & dissensiones in Ecclesiâ, quia siue Paulus, siue alij, eadem prædicarent. Alioquin meminerant, Sit sermo vester, Est, est: Non, non: quod amplius, hoc à malo est: ne scilicet Euangelium in diuersitate tractarent.] Possunt verba ista dupliciter sumi: aut interrogatiuè, Est? Est. Non? Non. Aut assertiuè, Est, est: Non, non. Sed quoquomodo sumantur, eadem consonantia est, vt vox voci respondeat, vel os ori, & homo consentiat homini, alter tam alteri quàm & sibi conueniat. Quid ergo Paulus, & quò tendit? [Exorientem, ait Chrysostomus, discutit obiectionem. Dicere enim fortasse potuissent, Si cum ipse te ad nos venturum promiseris, id tamen facere distulisti; atque ita non est apud te Est est, Non non, verùm quæ nunc dicis, postea subuertis, quemadmodum in tuâ ad nos profectione fecisti: ô nos miseros, si hoc quoque in Euangelij prædicatione contigit. Quocirca ne hæc cum animis suis illi cogitarent, atque in perturbatione versarentur, ait, Fidelis Deus, quia sermo noster ad vos non fuit Est & Non. Quod autem ait, hunc sensum habet: Aduentûs mei pollicitatio, mea erat, atque ego meâ sponte id promiseram: at prædicatio non mea erat, nec humana, sed Dei: quod autem Dei est, in id mendacium cadere nequit. Vnde etiam dicit, Fidelis autem Deus: hoc est verus. Quamobrem nihil est, cur ea, quæ illius sunt, vobis suspecta sint: Nihil enim in ipsis humanum est.] Aliud igitur promissio humana, aliud Apostolica prædicatio: illa pro tempore subuerti potest, aut pro ratione differri: ista tam immota quàm & inuariabilis, tam certa quàm & inuiolabilis: non enim rationi aut tempori, sed fidei obnoxia est & æternitati. Quod prędicat Timotheus, hoc & Siluanus; quod ille euangelizat aut iste, hoc probat Paulus & confirmat. Non ibi Est & Non, sed est est, non non: quod affirmat vnus aut negat, eodem alius dicto consonat. [In Ecclesiâ, ait Chrysostomus, vnam oportet semper esse vocem, tanquam vnum sit corpus. Propterea & qui legit, solus loquitur: & is qui psallit, solus psallit: etsi omnes respondendo resonent: & qui ad populum verba facit, solus loquitur.] Vnum etiam in multis, sicut & vnum ex multis. Fidelis Deus: tam verus, quàm & infallibilis: ideò non est in illo Est & Non, sed idem in illo semper. Non affirmatio & negatio, non dissentio aut contentio: sed tam certa dispositio veritatis, quàm vera æternitatis possessio.

Tertul. li. de præscript. c. 26.

Eadẽ Apostolorum omnium consonantia.

Chrysost. Hom. 3.

Chrysost. orat. 36. in c. 14. 1. ad Corinth.

Quoad secundum. Ciues sanctorum sumus, & domestici Dei, superædificati suprà fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Magni sunt Apostoli, sed non summi; veri sunt, certi sunt; non enim homines sunt; aut si sunt homines, sunt planè cœlestes ac diuini. Verùm & verbo Domini, imò Verbo Domini cœli firmati sunt, & Apostoli Christo Deo innixi. [Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est: non fuit Est & Non: sed Est in illo fuit.] Quomodo probas? [Quotquot enim promissiones Dei sunt, in ipso Est.] Id est, sunt etiam in ipso, per quem & facta & firmata sunt omnia. Rem à principio suo repetit Apostolus, & ad finem, seu ad scopum suum deducit. Quid Christus Iesus? Nonne Dei filius? Nonne Verbum Patris? Quid porrò Verbum Patris? Nonne ipsa est æterna veritas, vt & vera æternitas? [Si semper Christus, ait Tertullianus, & prior omnibus: æquè veritas sempiterna & antiqua res.] Si ipsa veritas est, nulla est in eo falsitas. Vnde ille ad Marcionem. [Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas est.] Non est in illo Est & Non: sed Est in illo semper. Denique, si æterna veritas est, & nulla in eo potest esse falsitas: nihil certius ad exequendas promissiones, nihil ad implendas pollicitationes constantius. [Propterea, ait & ille, Daniel signari visionem & prophetiam dicebat, quoniam Christus est signaculum omnium Prophetarum; adimplens omnia quæ retrò erant de eo nuntiata.] Quid est ergo, Est in illo fuit? [Hoc est, ait Chrysostomus, immotus ac firmus sermo manet. Quotquot enim promissiones

Tertul. l. de veland. Vir. c. 1.

Tertul. l. de car. Christi.

Tertull. lib. adu. Iud. c. 11.

Chrysost. Hom. 3.

Dei sunt, in illo Est. Quid est, Quotquot promissiones Dei? Prædicatio Euangelica multa promittebat: atque ipsi multa hæc promittebant ac prædicabant. Nam & de resurrectione verba fecerant, & de assumptione, & de immortalitate, & de magnis præmijs, atque arcanis illis bonis. Has pollicitationes firmas ac stabiles manere ait. Et non fuit Est & Non in illis: Hoc est, Non quandoque vera, quandoque falsa fuerunt; sed semper vera. Primò igitur, pro fidei dogmatibus, sermoneque de Christo habito, contendit, dicens, Sermo meus, & prædicatio mea non fuit Est & Non: deinde pro ipsius pollicitationibus pugnat. Quotquot enim, inquit, promissiones Dei sunt, in illo Est. Quòd si firma ac certa sunt quæ promisit, nec dubium est quin ea daturus sit; multò vtique magis ipse ac sermo qui de eo habetur, firmus ac certus est: neque istud dici potest, quòd nunc quidem sit; nunc autem non sit: sed semper est, atque idem est.] Nihil verius, nihil stabilius, nihil constantius: imò ipsa veritas est, ipsa stabilitas, ipsamet constantia. Ναὶ ναὶ, Est est, etiam etiam: nusquam οὒ οὒ, Non non. Semper enim idem ipse permanet, & quòd dixit aut promisit: ipse per seipsum adimplet: quotquot enim promissiones Dei sunt, in ipso Etiam fatæ sunt, & per ipsum completæ.

Quod dictum aut promissum à Deo, tam verum quã & æternum.

Quoad tertium. Non solùm ostendit Paulus, radicem firmitatis, sed & principalem veritatis fontem aperit. [Quotquot enim promissiones Dei sunt, sunt in illo: & per ipsum Amen, Deo ad gloriam per nos.] Ita textus Ambrosianus: Tum & ipse Commentator: [Manifestum est, inquit, quia semper in Deo veritas est (hoc est, Amen) manifestata per Christum, post per Apostolos prædicata ad gloriam Dei, signorum virtutibus testimonium perhibentibus vera esse quæ promisit Deus per Christum Dominum nostrum. Gloria enim Dei est, cum ex illo omnia, & per illum, & in illo esse dicuntur. [Equidem, Christus, vt Tertullianus dixit: Futurus erat fundamentum credentium in eum.] Ita ille: [Amen Amen dico vobis.] Verè verè, etiam atque etiam dico vobis. Nihil enim verius, nihil & certius. Sed sicut veritatem Apostoli firmitatemque trahunt à Christo Dei filio, sic & Christus hausit à suo principio. [Omne genus, ait ille, ad originem suam recenseatur necesse est.] Itaq; ad principiũ semper remeandum est, fundamentumque radice suâ stabiliendum est, & propriâ origine. Christus quidem se veritatẽ dixit, & verè dixit; & quod audientibus dixit, omnibus dixit: sed quod de veritate dixit, de Patre habuit. Itaque, [Ecclesiæ quidem ab Apostolis, ait Tertullianus, Apostoli à Christo, sed Christus à Deo accepit.] Itaque & per ipsum Amen, id est, Verè sunt fiuntque omnia, vera & firma sunt omnia. Deo ad gloriam: id est, ad gloriam diuinam: & tamen nostram, quia humano declaratam propagatamque ministerio. [Quid est, Ad gloriam per nos? Hoc est, ait Chrysostomus, per collata in nos beneficia ad gloriam Dei. Hoc enim in Dei gloriam cedit. Nostra enim salus, cum gloriâ eâ, quæ hinc ad ipsum redit, coniuncta est. Quò fit, vt cum promissiones ad ipsius gloriam pertineant, dubium esse non possit,

Ambros. in Paulum.

Tertul. li 5. adu. Marc c. 6.

Tertull. lib. de præscrip. cap. 20.

Tert. eodẽ lib. cap. 21.

Chrysost. Hom. 3.

A quin salus nostra consequatur. Neque enim ipsius pollicitationes, nobis duntaxat salutem, sed ipsi quoque gloriam afferunt. Quæ cum ita sit, ne illud tecum repútes, quòd per nos ista promissa sint, ac propterea de ijs addubites. Neque enim per nos, sed per eum explentur.] Deus omnia propter gloriam suam operatus est: in illâ finem præstituit, & in illâ salutem constituit. Illam amat, & in illam omnia ordinat opera. Itaque quod spondet per beneuolentiam, per potentiam adimplet: & quod concedit per gratiam, ad gloriam suam redigit. [Ideò & per ipsum Amen, Deo ad gloriam nostram.] Si enim operatur per nos, propter seipsum operatur: & si gloriam suam communicat, ad suum tamen illam reuocat principium.

B

Quod spondet Deus per seipsum adimplet.

ANAGOGIA.

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo.

TRes effectus Spiritûs sancti principales: perfectis viris concessi impressique: sed sicut in alterâ vitâ consummandi, sic & in

C istâ prælibati. Confirmatio, vnctio, obsignatio.

Quoad confirmationẽ. Sicut duplex pœnitentia, vna quæ sacramentum est, altera quæ virtus est: sic & duplex confirmatio, vna quæ sacramentum, altera quæ & virtus est. Tamen sicut sacramentum hominem induit virtute ex alto, sic & virtus militem munit, perficitque, dum accingit fortitudine. Fiunt enim Christiani ac filij Dei, dum baptizantur; proficiunt dum confirmantur consummanturque.

D [Tunc enim, ait Cyprianus, demum planè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si sacramento vtroque nascantur.] Et quidem Paulus ad confirmationem sacramentum alludere potuit, sed confirmationem virtutem, seu perfectionem virtutis, & virtutem confirmationis, sine vllo sacramento voluit exprimere. [Probat quippe Apostolus, (vt obseruat Aquinas) quòd non est mentitus, per efficientem causam. Licet enim homo ex libero arbitrio possit vti linguâ suâ ad verum, vel ad falsum loquendum: nihilominùs tamen, Deus potest confirmare hominem sic in vero, vt non nisi vera loquatur. Si ergo Deus aliquem confirmaret in vero, manife-

E stum est, quòd non diceret falsum; sed Deus confirmat nos in omni veritate, ergo non dicimus falsum. Et ideò dicit, quòd Deus est qui confirmat nos vobiscum in Christo, id est, in verâ prædicatione Christi: quasi dicat, Si Christus esset extrà nos, possemus mentiri: sed quia est nobiscum, & nos sumus in Christo, non mentimur.] In tantum ergo confirmatur Christianus, in quantum Christo suo adunatur; in tantum iustus consummatur, in quantum transformatur. Sed, vt & ille notat: [Sumus in Christo dupliciter: scilicet per gratiam, & per gloriam. Per gratiam quidem sumus, in quantum effecti sumus membra Christi, & iuncti sibi. Vnionem autem quæ

Cyprian. epist. ad Iubajan.

Aquin. lect. 5.

Duplex cõfirmatio, sacramenti & virtutis.

Aquin. ibid.

est per gloriam non habemus in re, sed in spe certâ, in quantum habemus firmam spem vitæ æternæ.] Quoad gloriam, sancti seu electi in totum confirmati sunt, nec in æternum à stabilitate, sicut nec à felicitate deturbandi: adeò vt, non minùs felici necessitate, quàm & optabili immutabilitate, nec mendacium vllum proferre possint, nec vllum vel modicum peccatum admittere. Quoad gratiam verò, sic iusti confirmati sunt, vt sint adhuc confirmandi; nondum enim consummati sunt, cum sint adhuc de die in diem innouandi. Ad illam nihilominus confirmationem aspirant, quam & sperant; iamque illam delibant perfectionem, quæ in tantùm arcet mendacium, in quantum veritatem supplet; in tantum amouet peccatum, in quantum auget charitatem. Ita Paulus ad Romanos: [Ei autem, qui potens est vos confirmare iuxta Euangelium meum.] Ita & Petrus: [Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam, in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.] Quid, modicum passos? parumper afflictos. Non enim leuitas indicatur tribulationis, sed durationis notatur breuitas. Verùm, vti dixit Gregorius: [Tanto spes in Deum solidior surgit, quanto quis grauiora pro nomine pertulerit.] Quid ergo dicit Apostolus, aut prædicit? Firmari Corinthios ac confirmari, corroborari in interiori homine; vt stent in fide, nec in charitate cespitent: perseuerent inuiolabiles, & quantum perfectio viæ, vel naturæ corruptio pati potest aut polliceri, impeccabiles. Quæcumque mollia, pro Christo respuant; quæcumque dura, pro ipso perferant: mendacium amoliantur in totum, restans malum, seu peccatum habitans, pro modulo demoliantur & studio: ferreos in angustiis, in deliciis vult esse adamantinos: bono vt incessanter studeant, & Christo firmiter & immobiliter adhæreant.

Rom. cap. 16.
1 Pet. cap. 5.
Gregorius apud Aquin. lect. 3.

Quoad vnctionem. Ab illo est vnctio, à quo & confirmatio. [Nam vti dixit Chrysostomus, qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos à fide, quæ in Christum est, dimoueri non sinit; ipse etiam est, qui nos vnxit: simul & prophetas, & sacerdotes, & reges efficiens. Siquidem hæc hominum genera olim vngebantur: At nos non vnam, sed tres istas dignitates præstantiore conditione obtinemus.] Vbinam spiritus prophetiæ? [Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: nobis reuelauit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.] Est instinctus prophetiæ sublimior, aut sapientiæ gradus eminentior. Vbinam sacerdotium? audi eundem Apostolum. [Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.] Estne aliquod dignius sacerdotium, aut sacrificium in nobis aut ex nobis acceptius? Sed si sacerdotes sumus, quidni & reges? [Nonne & laïci, ait Tertullianus, sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos & sacerdotes Deo & Patri suo fecit.] Tale sacerdotium qualis & hostia est: tale re-

Chrysost. Hom. 3.
1. Corinth. cap. 2.
Rom. cap. 12.
Tertul. l. de exhort. cast. cap. 7.

A
gnum, qualis & potentia. [Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram,] Tam sacerdotes regnant, quàm reges: & regnant omnes super terram; etsi enim nondum per gloriam, iam tamen regnant per gratiam. [Reges enim efficimur, vti Chrysostomus dixit, si improbas & absurdas cogitationes tenere voluerimus. Nam quòd is, qui talis sit, regnet, & quidem magis, quàm qui diademate cinctus est, liquidum est. Multos ille exercitus habet: at nos quoque plures illis cogitationes habemus. Neque enim infinita cogitationum, quæ in nobis sunt, multitudo enumerando percenseri potest. Quid
B
aliud est, quod regem efficiat? Vestesne? At hic quoque meliori ac præstantiori veste amictus est, quam nec tinea exest, nec vetustas conficit. Quin multiplicem quoque coronam habet, nempe, & miserationum Dei: Benedic enim, inquit, anima mea Domino, qui coronat te in misericordiâ & miserationibus: & gloriæ, Gloriâ enim, inquit, & honore coronasti eum: & bonæ voluntatis, Vt scuto enim, inquit, bonæ voluntatis coronasti nos: & gratiarum, Coronam enim, inquit, gratiarum accipies capiti tuo. Videsne quàm variè textum, quantoque gratius ac venustius sit istud diadema?] Quàm latum huiuscemodi imperium,
C
quàm præualidum, quàm & securum. Quot regna, quæ Tertullianus iure vocat, [Minutalia?] At istud nec termino constringitur, nec concluditur oceano. Quot reges qui magni, sed infirmi? [Ego autem adhuc delicatus & vnctus rex.] Magnus tunc Dauid, sed adhuc infirmus. At isti nutu imperant, suumque in promptu intimant imperium. Quot denique, qui non minùs potentes quàm diuites? nec tamen inter suos securi, nonnulli & amicos veriti. At isti tam securè regnant, quàm & placidè. Tuta sunt apud illos omnia, nec reformidant regno cadere; cum regnare, in recto positum sit arbitrio.

Apocal. c. 5.
Chrysost. Moral. Homil. 3.
Viri spirituales sunt veri reges.
Tertull. l. 1. aduer Mar. cap. 4.
1. Reg. c. 3.

Quoad obsignationem. Emphasis est: [Qui & signauit nos.] Græcè ὁ σφραγισάμενος ἡμᾶς.
D
[Qui etiam obsignauit nos.] Quasi quid rarum pretiosumque. [Philippus Macedo, (Tertulliano referente) nondum pater, Olympiadis vxoris naturam obsignasse viderat annulo. Leo erat signum. Crediderat præclusam genituram: Opinor, quia leo semel pater est. Aristodemus, vel Aristophon coniectans, Immò nihil vacuum obsignari: filium, & quidem maximi impetus portendi. Alexandrum qui sciunt, leonem annuli recognoscunt.] Tale est, quod apud Augustinum: [Cicero ait mulierem vidisse se in somnis, præsignatam habere naturam.] Abeant ista, sed interim doceant,
E
non obsignari vacua aut vulgaria, sed pretiosa & grandia, signis impressis, non commendari tantùm, sed & præseruari. Quid ergo sigillum istud seu signaculum? Tutela diuina, quæ quod suum est asserit, collatumque gratiæ custodit beneficium. Thesaurus est, sed in fictilibus vasis repositus; ideoque obsignandus est, tum vt meritum commendetur, cum vt vitetur periculum. Sed vnde hoc scimus, vnde & pretium agnoscimus & præsidium? [Qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus

Tertullian. lib. de Anima c. 46.
Augustin. lib. 5. oper. inch. num. 17.


nostris.] Græcè ἀῤῥαβῶνα, artham, seu arthabonem. Sed nihil minuitur in pignore, imò potius additur, cum & maiori robore donatur, & ampliori ditatur munere. [In pignore enim, vti notat Aquinas, duo sunt consideranda: scilicet quòd faciat spem habendæ rei, & quòd valeat tantum, quantum valet res vel plus: & hæc duo sunt in Spiritu sancto: quia si consideremus substantiam Spiritûs sancti, sic valet tantum Spiritus, quantum vita æterna quæ est ipse Deus, quia scilicet valet quantum omnes tres personæ. Si verò consideretur modus habendi, sic facit spem & non possessionem vitæ æternæ, quia nondum perfectè habemus ipsum in vitâ istâ. Et ideò non perfectè beati sumus, nisi quando perfectè habebimus in patriâ.] Incipit gratia, quod gloria perficit: inchoat illa, quod ista consummat. Vtraque confirmat, vngit, obsignat: sed sicut vbi amplior est gloria, ibi maior beatitudo est; sic & vbi gratia est vberior, ibi & grandior salutis

Aquin. lect. 5.

Quomodo artha cum pignore cōparanda.

A certitudo. Habemus enim artham promissorum diuinorum, iam tenemus ipsammet personam diuinam: sed eo tutiùs nobis vitam spondemus æternam, quo firmiùs artham possidemus. [Qui enim nos vnxit, ait Chrysostomus, spiritumque in cordibus nostris dedit, quî tandem non futura quoque daturus est? Nam cum principia, & materiam, ac radicem & fontem, hoc est, veram ipsius cognitionem, ac spiritûs participationem largitus sit, quî fieri potest, vt non ea etiam largiatur, quæ ex his oriuntur? Nam cum illa horum causâ donentur, multò magis is qui hæc dedit, illa quoque præbebit. Ac proinde ne spiritum quidem simpliciter dixit, sed pignus nominauit: vt per hoc de toto fiduciam concipias. Neque enim si totum daturus non esset, pignus præbere, ac frustrà & temerè perdere in animum induxisset.] Confirmamur ergo à gratiâ diuinâ, vngimur, signamur; sed meliùs & vberiùs cōfirmabimur, vngemur, signabimur in gloriâ.

Chrysost. Hom 3.



CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

INdulgentiam concedit Apostolus, asseritque moram se traxisse, ne inferret tristitiam. Itaque totum hoc caput vno tractu absoluendum est.

TEXTVS.

STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitiâ venirem ad vos: Si enim ego contristo vos: & quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, vt non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est. Nam ex multâ tribulatione & angustiâ cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non vt contristemini: sed vt sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis. Si quis autem contristauit, non me contristauit: sed ex parte, vt non onerem, omnes vos. Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem. Ideò enim & scripsi, vt cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in personâ Christi, vt non circumueniamur à satana: non enim ignoramus cogitationes eius. Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eò quod non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, &

odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate; sed sicut ex Deo, coràm Deo, in Christo loquimur.

EXEGESIS LITTERALIS.

PRæfatur se aduentum distulisse suum, vt parceret, seu vt benigniùs ageret ac clementiùs: hortaturque vt & ipsi clementiam exerceant, miseroque & afflicto gratiam indulgeant. Nonnulla postremò de Tito & Euangelio.

[Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitiâ venirem ad vos. Si enim ego contristo vos: & quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? &c.] Affirmauerat, imò & iurauerat, quòd parcens Corinthiis, id est, fauens indulgensque nondum venisset Corinthum, ne seuerum scilicet rigidumque in reos nondum correctos exerceret imperium. Statuerat igitur & apud se decreuerat cunctari, promissumque remorari suum, ne si rursum veniret, luctum afferret. Nam si ego vos contristo, inquit, dum ero apud vos: ecquis tandem exhilarabit me? An ille qui contristatur ex me? Imò si omnes per me contristati estis, quis est qui me lætificabit? Vbi publica erit mœstitia, nullus vel meæ vel alienæ locus remanebit lætitiæ. [Et hoc ipsum scripsi vobis, vt non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, &c.] Dixerat in priore Epistolâ: [Quid vultis? in virgâ veniam ad vos?] Hoc ergo scripserat, ne cum venisset ad ipsos nondum correctos, ex iis mœrorem conciperet, de quibus deberet percipere consolationem; mœstitiam haberet, vnde oporteret sperare lætitiam. [Propterea, inquit, ad vos scripsi, vt ipsi vos corrigatis: ne fortè vos si inemendatos deprehenderem, futurum esset, vt vestri gratiâ mœrore conficerer, quorum profectu lætandum mihi potius esset.] Ita Comment. Athanas. [Confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est, &c.] Mallem vtique gaudere, quàm lugere, persuasus, Græcè πεποιθὼς, quod meum pensetis gaudium, imò & vestrum æstimetis. Vt quid enim optem gaudium, nisi putem esse publicum? [Nam ex multâ tribulatione & angustiâ cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non vt contristemini: sed vt sciatis quam charitatem habeam abundantiùs in vobis, &c.] Si vel absens adeò contristatus sum, quid præsens non passurus? Tamen in multis angustijs, nec sine lacrymis innumeris obiurgaui vos in primâ epistolâ, non vt afflictionem importarem, sed vt procurarem emendationem, & magnitudinem amoris mei erga vos ostenderem. [Manifestum est, ait Ambros. quia quando hoc affectu quis aliquem corrigit vt plus illo doleat de peccatis eius; non vtique vt illum contristet corripit, sed vt ostendat illi quo amore diligat eum. Qui enim non hoc affectu corripit, fratrem contristat: insultat enim qui non condolet fratri.]

Comment. Athanas.

Nemo benè corrigit, nisi qui diligit sincerè.

Ambros. in Paulum.

A [Si quis autem contristauit, non me contristauit: sed ex parte, vt non onerem, omnes vos &c.] Tacita sic habeant mala, si iam abluta ac deleta. Si quis enim communis auctor doloris, non me solum contristauit, sed & aliquatenus omnes vos: aliquatenus dico, ne quid de illo acerbius proferam, ne onus quod pœnitẽdo factum est leuius, repetendo, grauius faciam. [Scio, inquit, quòd irâ & indignatione mecum commoti fuistis, facinusque vos omnes ex parte mœstitia affecit. Atque ideò dixi ex parte, non quòd vos minorem inde mœrorem acceperitis, quam ego: sed ne illum, qui stuprum perpetrauit, nimium onerem. Quocirca non me solum ille in mœrorem coniecit, sed vos etiam item omnes.] Ita Chrysostomus. Rectus B ergo verborum ordo, Si quis autem contristauit, non me contristauit, sed ex parte omnes vos: nam omnes aliquantulum tali facinore commoti estis: dico aliquantulum, nec enim flagitium expiatum iam, in memoriam reuocare contendo, aut per nouam aggrauare instantiam. [Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur qui eiusmodi est, &c.] Increpitus ille à suis Corinthijs correptusque, excommunicatus, damnatusque: sed quia ad mentem rediјt, & crimen agnouit, suscepâ pœnitentiâ; satis esse admo- C net Apostolus, docetque animam saluandam, non perdendam. Sufficit illi ἱκανὸν Græcè, qui huiusmodi est obiurgatio hæc quæ à pluribus facta est Græcè ἐπιτιμία, quæ non solùm increpatio, sed & pœna pro peccato satisfactoria: sicut enim culpâ suâ contristauit, sic & pœnitentiâ ille totam ædificauit Ecclesiam. Sufficiat igitur, nec diutiùs luat: quin potius loco seuerioris punitionis pœnam residuam condonate, loco amarioris afflictionis refrigerium impendite ac solatium; ne animum despondeat, si immodica ipsum absorbeat mœstitia. [Obiurgatum illum & abiectum, ait Ambros. dolentem reuocari iubet; ne diu videns se contristatum sperni, desperans de se, daret animum ad D mundo fruendum, quasi qui locum apud Deum iam non haberet. Hoc est enim maiori tristitiâ absorberi, desperantem de se conuerti ad admittenda peccata, quibus grauatus absorbeatur à secundâ morte.]

[Propter quòd obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem, &c.] Timendum ne succumbat, ne quo modo pereat. Propterea exhortor vos, παρακαλῶ, vt miserum illum releuetis, & amicâ sententiâ, publicam in eum demonstretis beneuolentiam. [Ideò enim & scripsi, vt cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.] Obsecrat Paulus an imperat? Ad hoc enim & scripsi vt probem an tam alacres sitis in gratiâ præstandâ, quàm

Chrysost. Hom. 4.

Qui culpâ contristat, ædificat pœnitentia.

Ambros. in Paulum.

fideles fuistis in pronuntiandâ sententiâ. [Idcircò, inquit, hæc ad vos scripsi, vt qui vestram sim antea expertus obedientiam, cum fornicantem illum è vestrâ Ecclesiâ eiecistis, eandem illam hoc tempore recognoscam.] Ita Comment. Athanas. [Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in personâ Christi, vt non circumueniamur à satana non enim ignoramus cogitationes eius, &c.] Sicut ego auctor pœnæ, sic & promotor indulgentiæ: vobis enim alicui condonantibus, & ego condono: nam & ego si quid donaui, & si cui donaui, hoc eo nomine feci quo & incestuosum satanæ tradendum constitui: vice scilicet & auctoritate Christi. Et id quidem propter vos, ne sub specie boni decipiamur à satana, abripiamurque in publicum Ecclesiæ detrimentum: non enim ignotæ nobis dæmonum versutiæ. Personam mutat, in quo seruat modestiam, nec non & suam subindicat præsentiam. [Diabolus enim, vti Aquinas loquitur, decepit quosdam: scilicet trahendo ad peccatorum perpetrationem: quosdam verò, ad nimiam rigiditatem contra peccantes; vt si non potest eos habere per perpetrationem facinorum, saltem perdat quos iam habet per prælatorum austeritatem; qui eos non misericorditer corrigentes in desperationem inducunt, & sic hos perdit, & illos diaboli laqueus includit. Et hoc continget nobis, si non remittamus peccantibus. Et ideò, vt non circumueniamur à satana, ego donaui, si quid donaui.] Et prælatus erat Apostolus, idcircò cautus & solicitus.

Cauenda in delictis puniendis sæuitia.

Aquin. lect. 2.

[Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam, &c.] Discessit Paulus ab Epheso, vt iret in Macedoniam, & reuisit Troadem Phrygiæ minoris vrbem, bellis insignem, aut fabulis. Ait ergo, Cum autem ego digressus Epheso Troadem venissem ad Euangelium propagandum, & operante Domino, cordaque tangente & aperiente: seges succresceret fidei, & spes amplioris appareret conuersionis; animo tamen conquiescere non potui; eo quod Titum non inueni, in Euangelio prædicando adiutorem meum & socium: idcircò, vale illis facto, profectus sum in Macedoniam. Nempe vt exponit Ambros. [Vale illis facto, qui susceperant eum.] Instructis nimirum, dimissisque. [Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu: & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, &c.] Gratiæ autem Deo referendæ, qui semper me meosque non solùm victores facit, sed & ex suscepto prælio, per Christum Iesum, propter quem susceptum est, reddit illustriores: odoremque famæ suæ per nos concussos quidem, sed nusquam deiectos, quaquauersum diffundit. [Quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem; alijs autem odor vitæ in vitam: Et ad hæc quis tam idoneus? &c.] Bonus odor, Græcè εὐωδία, beneuolentia. Benè Deo olemus, dum & suauem doctrinæ prædicationem, & laudabilem non solùm apud electos, sed & apud reprobos, vitæ redolemus conuersationem: semper enim Deo grata & accepta fragrantia; licet exitiosa sit reprobis propter animi peruicaciam, sicut & electis per Christi gratiam est salutifera. Sed ad id præstandum, ad dignè sanctèque ministrandum, quotus quisque aptus, quisnam idoneus? [Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate; sed sicut ex Deo, coràm Deo, in Christo loquimur.] Si pauci idonei, sed nos sumus inter paucos: non enim sumus sicut plerique, qui quod purum ac sincerum est, corrumpunt, dum quod suum est, non quod Iesu Christi, quærunt: sed quod accepimus, purè reddimus & integrè, vt quod à Deo profectum; & tanquam sub oculis eius positi, rationemque Christo reddituri, impositum peragimus officium. [Coram Deo enim dixit, vt sui cordis & rectitudinem præferat, & libertatem.] Ita Athanas, seu potius Vulgarius in Paulum

Ambros. in Paulum.

Euangelium electis salutiferum, reprobis lethiferum.

Athanas. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

SI quis autem contristauit, inquit Apostolus. Planè aliquis contristauit: sed quis? Contristauit & Titus, sed quomodo? Multum diuerso. Primò igitur de illo: tum & de isto.

DISQVISITIO PRIMA.

De Incestuoso.

SIne vllâ disquisitione nominauimus, tum quia patrum sententia litem dirimit, cum quia rerum circumstantia mentem pertrahit: nec tamen sine aliquâ reflexione transcurrimus. Coniecturam non sententiam inscribit Tertullianus, aitque: [Nouissimus planè & hîc suspiciones eorum. Reuera enim suspicantur Apostolum Paulum in secundâ ad Corinthios, eidem fornicatori veniam dedisse, quem in primâ dedendum satanæ in interitum carnis pronuntiarit, impium patris de matrimonio hæredem, quasique ipsum postea stylum verterit, scribens; Si quis autem contristauit, non me contristauit; sed ex parte, ne vos onerem omnes. Satis est talis increpatio quæ à multis fit. Vti è contrario magis vos donate & aduocate, ne fortè abundantiore tristitiâ deuoretur eiusmodi. Propter quod oro vos, vt constituatis in eum dilectionem, &c. Quid hic de fornicatore? quid de paterni thori contaminatore? Quid de Christiano ethnicorum impudentiam supergresso intelligitur? Cum proinde vtique speciali veniâ absoluisset, quem speciali irâ damnasset.] Inde: [Alius ergo erat, cui voluit sufficere increpationem: siquidem fornicator non increpationem de sententiâ eius retulerat, sed damnationem. Si enim dedendum satanæ pronuntiauerat in interitum carnis, vtique damnauerat eum magis, quàm absoluerat.] Sed nihil est quod Tertullianum sic constringat, vt casum metuat; cum ipse, [Excernat inter doctrinam Apostolorum & potestatem.] Id est, vt & ipse explicat, inter disciplinam constituendam ex officio, & potentiam

Tertull. l. de pudicit. cap. 13.

Tertul. c. 14.

Tertullianus suæ patronus sententiæ.

Tertul. cap. 21.

tiam ex priuilegio traditam: ex quo concludat: A [Si & ipsos beatos Apostolos tale aliquid indulsisse constaret, non ex disciplinâ, sed ex potestate fecisse.] Idcircò, inquit: [Etiam si pro certo Apostolus Corinthio illi fornicationem donasset, esset aliud quod semel contrà institutum suum pro ratione temporis fecisset.] Itaque non tam alteri prohibet Tertullianus, quam cauet sibi: & si Paulum aliò auocat, non tam sensum interturbat, quam disciplinæ aut receptæ aut præsumptæ fieri vetat præiudicium.

Tert. c.17.


Indulgentior Augustinus, & Paulo (ita credo) propinquior. [De isto, inquit, qui vxorem patris sui habuit, luctum potius indicit Apostolus, & pacificam charitatem vbique commendat. Ideò lugendo iudicabat, vt Dei misericordia sine corruptione vinculi pacis, vbi salus tota consistit, contereret peccantes atque corrigeret: sicut de isto ipso qui cum patris vxore fuerat fornicatus, fecisse intelligitur. Nam non inuenitur de quo alio significet in secundâ Epistolâ ad eosdem Corinthios, cum ait: Nam ex multâ tribulatione, & angustiâ cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis dilectionem quam habeo abundantiùs in vos. Si quis autem contristauit, non me contristauit, sed ex parte, vt non onerem, omnes vos. Sufficit ei hæc correptio quæ fit à multis, ita vt è contrario vos donetis & consolemini, ne quando maiori tristitiâ absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in eum charitatem, &c. Quid moderatius, quid diligentius, quid solicitudine piâ, & paternâ ac maternâ charitate plenius fieri aut dici potest? Sicut peccanti adhibet damnationem, sic correcto atque contrementi atque humilianti in pœnitentiâ cor suum, vult reddere consolationem, ne maiori, inquit, tristitiâ absorbeatur.] Tamen sicut alteri parti nonnihil concessit Tertullianus, modò salua esset disciplina; sic & nonnihil remisit Augustinus, modò salua esset concordia. [Sed etsi, ait, de aliquo alio in secundâ ad Corinthios Epistolâ locutus est Apostolus, & ibi tamẽ significauit quantâ charitate in quemque debeat ecclesiastica vindicta procedere.] Posset igitur adhuc disquiri: sed melius tutiusque definiri. [Sub Paulo, ait Gregorius, quidam Corinthius dum incesti facinus perpetrasset, eum Doctor egregius in carnis interitũ ad satisfactionem pœnitentiæ satanæ tradidit, & in diem Domini saluum eius spiritum reseruauit. Qui tamen benè gestâ pœnitentiâ, dum cognouisset Corinthios super eum iam misericorditer motos, ait: Cui aliquid donastis, & ego.] Sit igitur idem ille Corinthius, sit & idem ille fornicarius: sed iam grandis sermo, & quæstio multiformis, & de obiurgatione, de donatione, de confirmatione.

Aug. lib. 3. cont. epist. Parm. c. 1.

Succensendum peccãtibus, pœnitentibus indulgendũ

Aug. eod. lib. cap. 1.

Gregorius lib. 33. Moral. cap. 8.



DISSERTATIO PRIMA

De obiurgatione.

Contristauerat ille Ecclesiam peccando, sed illam resipiscendo lætificauerat. Ait ergo Paulus, Sufficit illi tali, qui Eccles. contristauit per culpam, sed exhilarauit per resipiscentiam: satis est, inquam, [Obiurgatio hæc quæ fit à pluribus.] Obiurgatio est, correptio est, increpatio est, & à multis: sed qualis, & à quibus? nec enim vulgaris, nec ab omnibus. [Afflicto homini, ait Comment. Ambros. peccati proprij causâ subuenire præcipit Apostolus, quia pœnitentia si de vero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructum. Hæc enim vera pœnitentia est, iam cessare à peccato. Sic enim probat se sibi dolere, si de cetero peccare desinat.] Quis verò doloris fructus, nisi hominis salus, quæ fit per reconciliationem, iustificationem-ve. Ita Tertullianus: [Vbi, inquit, emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus seuit, id est, hominis saluti.] Sic & ad intercedentem ex diuerso responsionem. [Si enim, inquiunt, aliqua pœnitentia caret veniâ, nec iam in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustrà. Porrò, frustrà agetur pœnitentia, si caret veniâ. Meritò vtique, (ait) ita opponunt, quoniam huius quoque pœnitentiæ fructum, id est veniam, in suâ potestate vsurpauerunt.] Sed distinguenda sunt tria personarum genera: Deus, Christus, Paulus, vel ipsa Ecclesia. Quoad Deum: non minus auctor remissionis, quàm contritionis inspector, conuersionis-ve; & si legitimam videt, habetque acceptam; reum iustificat, peccatúque ex supremo donat imperio. Ita, vt notat Ambrosian. Commentator. [In regnorum libro habetur, quia Achab, cum arguisset eum Propheta, commotus animo, statim meruit veniam. Et Dauid in causâ Vriæ Hethæi correptus, quia cognouit se peccasse, delictum eius deletum est.] Nec tantam fortè pœnam exigeret, sed plenam effunderet misericordiam; nisi aliquæ remanerent animi corrupti reliquiæ, quæ diuinam vrgent iustitiam. Quoad Christum, tam potest dimittere peccatum, quàm thesaurum suorum effundere meritorum. [Ecce Dominus vtrisque debitoribus largâ suâ pietate debitum concedit. Ecce mulierem peccatricem pœnitentem, flentem, deprecantem, & remissam peccatorum accipientem.] Quoad Apostolum, seu Ecclesiam ipsam: non imperio vtitur aut arbitrio, sed concesso fungitur ministerio. Idcircò in ijs quæ Dei sunt, aut Christi, mandatum tam fideliter quàm & prudenter seruare debet; ne si violet non solùm alteri non prosit, sed & obsit sibi; nec alienum absoluat peccatum, sed proprium contrahat. [Domini enim, vti dixit Tertullianus, & verè dixit, non famuli est ius & arbitrium; Dei ipsius, non sacerdotis.]

Comment. Ambros.

Tertul. l de pœnit. c. 2.

Tertul. l de pudicit. c 3.

Tria personarum genera, Deus, Christus, Apostolus.

Ambros. in Paul.

Auctor epist. ad Nouatian. apud Cyp.

Tertull. lib. de pudicit. cap. 21.

Obiurgatio igitur, nec simplex correptio est, quia multi correpti qui non correcti: nec simplex correctio, quia multi correcti qui non-

dum iudicio recipiendi Ecclesiastico: sed talis correptio, quæ ad meritam damnationem proficiat; & talis correctio, quæ ad debitam sufficiat purgationem. [Si satis, ait indubitatus Ambrosius, ad condemnationem est obiurgatio quæ fit à pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio quæ fit à pluribus.] Audin' obiurgationem esse ad condemnationem? sic & obsecrationem ad remissionem. Itaque excommunicatio incipiebat ab obiurgatione seu increpatione, tum & suo procedebat iudicio. [Ibidem, ait Tertullianus, etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina.] Exhortationes, ad ineundam pœnitentiam: castigationes, ob culpam commissam. At illæ castigationes, nondum verberum sunt, sed verborum acres, seueræ, sed iustæ reprehensiones: sicut enim admoneri quis verbo potest aut flagello, sic & flagello potest aut verbo castigari. [Sic grauis Entellum dictis castigat Acestes.] Grauiter nimirum, quia acriter. Sic ergo damnandi castigabantur priùs, increpitabanturque: nempe corripiebantur illi, duriusque arguebantur; vt qui maiestatem fidei violassent, Christianismi dignitatem infando maculassent contagio. An id ferrent Gentes, an, non dico flagitium, sed & ipsum flagitiosum viuere apud se & agere finerent? Nonne malis obiiciunt malitiam, prauisque vel extremam ingerunt medicinam? [Tollantur è cœtu mortalium, facturi peiores quos contingunt: & quo vno modo possunt, desinant mali esse.] Quid ergo ille, qui non solùm in terrâ sanctorum iniqua gessit, sed & impiorum excessit facinora? Nonne melius est ipsum luere, quàm luem istam intrà se gerere? nonne dignius vnum spiritali gladio recidi, quàm tot bonos ac sanctos lethali contagio infici? Sic ergo increpitus obiurgatusque foras proiiciebatur, & in tenebras exteriores, vti loquitur Augustinus, æterno concremandus excludebatur incendio? Pars ergo prima satisfactionis, sicut & condemnationis, obiurgatio, quâ crimen in faciem publicè regereretur, quâ reus non iam tanquam Christianus, sed tanquam ethnicus & publicanus pudibundè suffunderetur; quâ traderetur satanæ, & tanquam gehennæ filius extra ipsam abiiceretur Ecclesiam.

Ambros. l. 1. de pœnit. cap. 17. — *Tertull. in Apol. c. 39.* — *Castigatio sicut admonitio & verborum est & verberũ.* — *Sen. l. 1. de Ira c. 15.* — *Augustin ser. 151. de temp.*

Sed vlterius progrediendum est, & proprio proficiendum periculo. Nec enim in animo erat odisse, sed prodesse, etsi ex sententiâ, non tamen ex iracundiâ. [Quis enim cui medetur, irascitur?] Obiurgabant igitur malos, resecabantque tanquam putridos, non tamen vt perirent, sed vt timore deterriti & pudore suffusi resipiscerent, tamque seueritati diuinæ quàm læsæ fraternitati satisfacerent. [Magnâ quippe arte magisterij, ait Gregorius, Corinthius ille satanæ est traditus coactus in pœnam, cui sponte est substratus in culpâ: vt qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipse flagellum fieret disciplinæ.] Priùs ergo correptio, tum & correctio; sed talis, qualis à correpto desiderari poterat, qualis pro tanto expectari flagitio. Idcircò verbo Græco ἐπιτιμία, vsus est Apostolus, quo non solùm seueram notet correptionem, sed & satisfactoriam purgationem resonet. Ita Cyprianus, de puellis etiam sacris. [Si de his, ait, aliquæ corruptæ fuerint deprehensæ, agant pœnitentiam plenam: & æstimato iusto tempore, postea exomologesi factâ ad Ecclesiam redeant.] Nulli parcit, qui nec infirmiori & religiosiori parcit sexui. [Qui verò sic Deo satisfecerit, qui pœnitentiâ facti sui, qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipso lapsûs sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.] Ita ille. Quibus & plenam exigit satisfactionem, sed in æstimationem ecclesiasticam rejicit. Plenam quidem, vt quæ plenè reparet & integrè: ecclesiasticam autem, quia sicut præsulum est librare enormitatem criminis, sic & granditatem æstimare satisfactionis: non enim illa tam in temporis morâ, quàm in doloris vehementiâ: nec tam in cruciatibus posita est, quàm in gemitibus. Audierat ergo Apostolus incestuosum illum satisfecisse, acceperat non solùm emendatum purgatumque, sed & plus fidei meritique, pudore obiurgationis & dolore contritionis concepisse: ideoque nunc determinat satis esse, & ad ignoscendum recipiendumque sufficere.

Sen. l. 1. de Irâ c. 14. — *Gregor. l. 33. Moral. c. 8.* — *Cyp. l. 1. ep. 11.* — *Cyp. Tract. de lapsis in fine.* — *Duo requisita in plena pœnitentia.*

Sed quid tandem obiurgatio illa quæ fit à pluribus? Repetendum quod ipse statuerat in primâ Epistolâ. [Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi satanæ.] Vides incestuosos, vides facinorosos? quid nisi sal infatuatum? Mittantur ergo illi foras: [Et proiecti de Ecclesiæ promptuarijs, cum his quos salierint, (vt Hilarius loquitur) pedibus incedentium proterantur.] Ite, ite, Infames animæ, semperque ad fœda paratæ. Sed quando dicimus illos de ipsâ projiciendos Ecclesiâ, per septa & limites non tam saxa & lapides intelligimus, quàm ipsum Ecclesiastici ordinis consessum, ipsum fratrum cœtum, conuentum fidelium, vniuersam Ecclesiam. Congregabantur ergo fideles omnes: sedebat præsul, clerus adsidebat, adsistebat populus: sicque ab omnibus aut sententientibus aut consentientibus, aut decernentibus aut annuētibus, relegabantur facinorosi, ab omni commercio conuentus & orationis, probroso cœtus congregationis-ue damnabantur exilio. [Ne illi ergo, ait Aquinas, propter tristitiam Apostoli adhuc vellent eum magis punire, ostendit eis pœnam sufficientem fuisse dicens; Sufficit illi, qui eiusmodi est obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: id est, tam manifesta & publica correctio, quæ fuit, quia separatus fuit ab omni communione, id est excommunicatus ab Ecclesiâ, & traditus satanæ.] Grauiter quidem offendit, nec me solum, sed & vos, id est, totam offendit Ecclesiam: sed cum resumpserit mentem, cum ad meliorem frugem redierit, ignoscendum est remittendumque. Nunquid satis luit, nonne fecit satis? Nonne sat increpitus, nonne sat confusus? Idcircò sufficit obiurgatio, quæ fit, vel, vt ex Græco verti potest, quæ facta est à pluribus: intorta sci-

1. Corinth. c. 5. — *Hilarius can. 4. in Matth post init.* — *Sententia excommunicationis in cœtu prolata.* — *Aquin. lect. 1.*

licet excommunicatio, seuera castigatio; ex quâ reus non solùm profecerit, sed & placauerit Deum, cœtumque lætificauerit.

DISSERTATIO SECVNDA.

De donatione.

Siue donationem dicas siue condonationem, eandem indicas gratiam, soluendi scilicet vinculi, seu debiti remittendi. Itaque & sententiam excommunicationis infringi, & gratiam fieri remissionis: hæc enim duo non solùm opposita sunt, sed & contraria, vt vidimus ex genuino Ambrosio. [Sufficit illi qui huiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus.] Cessate ab obiurgatione, cessate à damnatione. [Ita vt è contrario magis donetis & consolemini.] Quin potius nunc contrarium facite: & sicut damnando, afflixistis miserum, dum conuentûs & orationis abstulistis cōmercium; sic & donando è contrario facietis; cum enim restituetis in cœtum, reddetis solatium. [Communionis ergo gratiam cogitans Apostolus, (verba sunt Gregorij) ait: Cui aliquid donastis, & ego: ac si diceret: A bono vestro non dissentio: meum sit quicquid ipsi fecistis.] Audin' communicationis gratiam seu communionis ab Apostolo cogitatam, ideoque sententiam infractam excommunicationis? [Ita vt è contrario, &c.] Quid enim magis contrarium, quàm excommunicatio & communicatio, quàm expulsio & restitutio? Itaque, sicut ille absens quidem corpore, præsens autem spiritu, decreuerat aduersùs Corinthium, iudicaueratque cum virtute Domini nostri Iesu, seu in nomine Domini nostri Iesu Christi, eum satanæ tradendum: sic & nunc absens corpore, sed præsens spiritu, in personâ Christi, auctoritate à Christo acceptâ, potestate à Christo traditâ, sententiam rescindit, redditque gratiam: sicut enim vnus omnium spiritus est, sic & vnum omnium est corpus. [Ita vt è contrario magis donetis, & consolemini.] Obiurgastis peccantem, suscipite pœnitentem: vinculum excommunicationis soluite, remittite peccatum fornicationis, & in cœtum, imò & in sinum recipite; hominemque iam fratrem, non fœdatum iam, sed purgatum suscipite. [Moralis magister, ait Ambrosius, & nostræ fragilitatis conscius, & pietatis diuinæ interpres vult donari peccatum, vult consolationem adhiberi, ne tristitia pœnitentem tædio longæ dilationis absorbeat. Quàm seuerus pertinacibus, quàm indulgens rogantibus? Aduersùs illos Christi armatur iniuria, his Christi inuocatio suffragatur.]

Quoad donari dixit, nunc dicit indulgeri: cum enim gratia fit, fit & indulgentia, [Obscuriùs miseretur, (De Paulo loquitur Tertullianus) quàm indignatur? Apertior est in austeritate, quàm in lenitate? Atquin faciliùs ira, quàm indulgentia obliqua est. Magis tristiora cunctantur, quam lætiora. De modicâ scilicet indulgentiâ agebatur.] Et, de teipso. [Nam tibi quæ in te reatum habeant, etiam septuagies septies iuberis indul-

Gregor. l. 31. Moral. c. 8.

Communicatio & excommunicatio opponuntur vt expulsio & restitutio.

Ambros. l. 1. de pœnit. c. vlt.

Tertul. l. de pud. c. 13.

Tertul. c. 11.

A gere in personâ Petri.] Donare, condonare, remittere, denique quod passim dicimus, absoluere. [Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, (verba sunt Augustini) quia non potest denegari; sed auctores esse non possumus, quòd qui sic petierit, mereatur absolui.] Et antiquissimus Latinorum Tertullianus: [An melius est damnatum latere, quàm palàm absolui? Adeone existimatio hominum & Dei conscientia comparantur?] Cum ergo dicunt absolui; intelligunt gratiam non solùm coràm hominibus ratam esse, sed & coràm Deo; non solùm in Ecclesiâ, sed & in conscientiâ factam esse indulgentiam: voluntque ideò, reum non B solum releuatum à sententiâ, sed & à culpa mundatum: non enim admitterent in cœtum, ni crederent expiatum; nec pacem suam, id est humanam communicationem redderent, nisi & diuinam reconciliationem redditam, aut suffragio suo reddendam, tam iustè, quàm & dignè præsumerent. [Cui enim dubium est, ait Tertullianus, hæreticū institutione deceptum, cognito postmodum casu, & pœnitentiâ expiato, & veniam consequi, & in Ecclesiam redigi?] Sicut enim excommunicatio, seu obiurgatio dicebatur, ira, sententia, damnatio; C sic & reconciliatio, seu absolutio, venia censebatur, indulgentia, donatio. [Vtique, ait ille de Apostolo, speciali veniâ absoluisset, quem speciali irâ damnasset.]

Quid ergo, [Ita vt è contrario magis donetis?] Exponit Aquinas: [Quia ergo pœna sufficiens fuit, & pœnitentiam egit: consequenter inducit eos ad misericordiam, dicens; Ita vt è contrario magis donetis: vbi mandat, vt ei scilicet peccanti parcant. Dicit enim, quòd sufficiens pœna est illi, & in tantum, vt velim è contrario magis donetis, id est remittatis.] Auctor Paulus excommunicandi seu ligandi, auctor & soluendi seu remittendi. Ab ipso ira, seu sententia; ab ipso indulgentia seu misericordia: voluit per clauem claudi, per clauem voluit aperiri. [Petro dictum est, ait Ambrosius, Tibi dabo claues regni cœlorum, D & quæcumque ligaueris super terram erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solueris super terrā, erunt soluta & in cœlis. Et ipse vas electionis Dominicæ dicit: Si cui autem quid donastis, & ego. Nā & ego si quid donaui, propter vos donaui in personâ Christi. Cur igitur Paulū legūt, si eum tam impiè arbitrantur errasse, vt ius sibi vendicaret Domini sui? Sed vendicauit acceptum, non vsurpauit indebitum.] Clauem enim & ille accepit, seu ligandi soluendique facultatem, quam & in gratiam pœnitentis impendit, cum indulsit veniam, concessit indulgentiam. [E contrario magis donetis.] Et, E [Cui autem aliquid donastis, & ego.] In Græco, Donatis, seu condonatis, χαρίζεσθε. Ita legit Chrysostomus, absoluitque: [Non ergo solùm id iubet, vt obiurgationis finis imponatur, sed vt etiam ad priorem statum reducatur. Etenim si quis eum, qui verberibus cæsus sit, tantummodo missum faciat, nec ei medeatur, nihil fecit. Sed vide quonam illum modo coerceat, ne ob condonatum peccatum deterior fiat. Nam quamuis peccatum confessus fuerit, ipsiusque eum pœnituerit: ostendit tamen

Augustin. ser. 87 de temp.

Tertul. l. de pœnit. c. 10.

Pax humana non redditur, nisi cui datur diuina.

Tertul. l. de pud. c. 19.

Tertul. c. 13.

Aquin. lect. 2.

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 6.

Claues ligādi ac soluendi datæ non vsurpatæ.

Chrysost. Hom. 4.

eum non tam pœnitentiæ operâ, quàm gratiâ & beneficio veniam consequi. Ob idque ait, Donetis & consolemini: Nec tamen dixit, Ei, qui stuprum admisit: sed, ei, qui huiusmodi est, quemadmodum & in præcedenti Epistolâ: verùm non eandem ob causam. Illic enim ob pudorem ita loquebatur, hîc ob indulgentiam. Od idque nec iam vsquam peccati mentionem facit, quod videlicet tempus esset, vt ipsius patrocinium susciperet.] Vult igitur peccatum donari, damnatum absolui, veniam concedi, gratiam præstari & indulgentiam.

DISSERTATIO TERTIA.

De confirmatione.

IAm obsecrat Apostolus, sed dum obsecrat, imperat fidelibus. [Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum, charitatem.] Vos, fideles nimirum, sed discipulos meos ac filios. [Ideò enim & scripsi, cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.] Non solùm donando, sed & confirmando: id est, iterum donando.

[Cui autem aliquid donastis, & ego.] Vobis donantibus aliquid, dono & ego: vobis confirmantibus, ego etiam confirmo. [Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in personâ Christi.] Itaque & firmare seu confirmare, donare est, seu donationem ampliare, absolutionem dilatare; nec primam tantùm indulgentiam habere ratam, sed & secundam addere. [Mox subditur, ait Gregor. Et ego si quid donaui, propter vos: ac si diceret: Vestris actibus bonum addidi, quicquid propter vos misericorditer feci. Vestra est vtilitas, bonitas mea: mea est vtilitas, bonitas vestra.] Vna sententia est, sicut & vna concordia. Græcum enim κυρῶσαι, non vtcumque confirmare est, sed publico omnium statuere suffragio. [Ideò ergo donauit Apostolus, (verba sunt Ambrosij) nec solùm donauit, sed etiam confirmari in eum charitatẽ voluit. Qui carus est, non habet duritiam, sed mansuetudinem. Nec solùm donauit ipse, sed volunt etiam omnes donare, & se propter alios donasse dixit, ne multi propter vnum diutiùs contristarentur.] Omnes igitur donant; nec donant solùm, sed & omnes confirmant: publicum enim decretum est, quo non solùm conceditur aliquid, sed & aliquid insuper additur: & cum prima donatio, tam rata sit coram Deo, quàm & legitimo facta iudicio: confirmatio ista non illam tangit, quæ iam ritè facta est; sed aliam innuit, quæ item ritè facienda: sed non minùs secunda publico facienda iudicio, quam prima. [Quemadmodum enim, ait Chrysostomus, cum illum amputari iubebat, nec ei indulgendi arbitrium ipsis permisit, eos tamen sententiæ socios asciuit: eodem modo hic quoque facit, dicens, Ego iam condonaui, qui in priore Epistolâ iam comdemnaram.] Sicut iudicaui ligandum, sic & donaui delictum soluendo remittendoque: sed vtrumque per vos, sicut & vtrumque propter vos. Si quid

Gregor. l. 31. Moral. c. 8.

Ambros. l. 1. de pœnit. c. 17.

Confirmare est aliquid decreto publico statuere.

Chrysost. Hom. 4.

A enim donauerim, per vos, & propter vos condonauerim.

Duo infligebantur per publicam excommunicationis sententiam. Primò enim, excommunicati relegabantur extra cœtum: secundò ad luctum planctumque damnabantur. Sicut in futuro iudicio, damnati primò separabũtur. [Discedite,] Tum & ad pœnam deputabuntur perpetuam. [Ibunt hi in supplicium æternum.] Sic & in ecclesiastico extremi iudicij prænuntio. [Summumque futuri iudicij præiudicium est, ait Tertullianus, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & B conuentûs, & omnis sancti commercij relegetur.] Sic ergo excommunicatus non solùm protrudebatur, sed & ad pœnam addicebatur delicto suo congruam: nec restituebatur, nisi integrè & plenè satisfecisset, seu plenam egisset pœnitentiam. Sed instabant nonnunquam causæ, nonnullæ vrgebant circunstantiæ, quæ gratiam accelerarent, maturarent indulgentiam. Et hæc secunda erat indulgentia. [Quanta enim putas, ait Ambrosius, & qualis necessaria pœnitẽtia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat? Secundùm conscientiæ molem exhibenda pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia enim non verbis agenda est, sed & actu.] Quis C ille actus sit quæris? Audi Tertullianum. [Huius igitur pœnitentiæ, inquit, secundæ & vnius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est; vt non solâ conscientiâ præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est. Est autem exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit D tristi tractatione mutare. Ceterùm, pastum & potum pura nosse: plerumque verò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum. Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet.] Putas reddi veniam? imò putâ misericordiam impendi, nec vnquam deberi gratiam, sed indulgeri. [Et tu quidem, ait ille, pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens conciliciatum & concineratum cum dedecore & horrore compositum prosternis in medium antè viduas, E antè presbyteros, omnium lacinias inuadentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum quantis potes misericordiæ illecebris concionaris. Ceteros etiam metu comples cum maximè indulgens.]

Duæ porrò causæ à Paulo ad secundam indulgentiam Corinthio concedendam considerate sunt: nimirum infirmitas priuata, & publica vtilitas. Duæ etiam à Corinthio sunt Paulo exhibitæ: scilicet feruor, & dolor. Quoad causas Pauli, prima est, infirmitas priuata. [Non enim, inquit, (ita Chrysostomus) quòd id promereatur, nec quod eam, quàm par sit, pœnitentiam præstiterit: sed quia infirmus est, idcircò hoc peto.] Altera, publica vtilitas. [Propter vos.] Id est, vt & ipse exponit: [Hoc quo-

Matth. c. 25.

Tertullian. in Apol. c. 39.

Ambros. ad virg. laps. cap. 8.

Tertul. l. de pœnit. c. 9

Pœnitentia quonam sit pacto agenda.

Tertul. l. de pud. c. 13.

Chrysost. Hom. 4.

quo ipsum vestrâ causâ feci. Hoc est, ne iam indulgentiam adhibere in negotio, quod ad Christi gloriam pertineret, ipsique placeret, vererentur. Commune ergo detrimentum, si obedire negligerent, proponit, dicens, Vt non circumueniamur à satana.] Quoad causas Corinthij, prima est feruor animi, ferè enim iam totam excurrerat pœnitentiam, & ferè compleuerat, id est plenam penè egerat. [Si quid donaui.] Quasi modicum aut nihil superesset, quasi pœna satisfactioni esset proxima. Imò & eatenus posset dici plena pœnitentia, quatenus & apud ipsum Cyprianum dicitur, [Plena & perfecta patientia.] Quæ vera, quæ sincera: quæ lacrymis, quæ suspirijs, quæ fletibus, quæ pœnitentis expressa gemitibus. Altera, dolor exilij. Tantus enim dolor erat, vt si paululum excreuisset, aut aliquanto plus durasset, in totú miser ille perijsset: [Ne fortè abundatiori tristitiâ absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum, charitatem.] Quantus doloris gradus, vt si crescat, excedat. [Verba hæc, ait Chrysostomus, sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis. Quid est enim, Absorbeatur? Nempe vel hoc faciens, quòd à Iudâ factum est: vel, si vitæ vsurâ fruatur, deterior effectus. Etiam resiliet, inquit, quòd contractum ex longiore obiurgatione dolorem non amplius ferre queat: ac desperatâ salute, aut in laqueú, aut in maiorem deinceps improbitatem ruet. Non enim, inquit, eum ita excepi, quasi contractas sceleris sordes penitus absterserit, sed quòd vererer ne grauiùs aliquid in se admitteret. Ex quo illud discimus, nón ex scelerum tantùm naturâ, sed & ex eorum etiam animo atque affectione indicendam esse pœnitentiam.] Non putauit ergo Paulus plenam esse incestuosi satisfactionem, iudicauit tamen sufficientem esse infirmi pœnitentiam. Et quidem in pœnitentiâ plenâ, etiam indulgentia fieret, donando veniam: sed in imperfectâ, seu nondum integrâ, altera fiet indulgentia. [Confirmate in illum charitatem.] Addendum est, supplendum est, aut implendum: sed dum facimus in personâ Christi: id est, in nomine, in virtute & auctoritate Christi, tam piè agimus, quàm securè.

Cyprian de patient.

Chrysost. Hom. 4.

Qua capti. ne indicenda sit pœnitentia

DISQVISITIO SECVNDA.

De Tito.

Bis, ter-ue Troadem venit Paulus, vt colligimus partim ex Actis, partim ex Epistolis: nec enim Lucas in actis comprehendit omnia, sed multa reliquit quæ sunt ex Epistolis relegenda. Primò ergo, pauló post concilium Hierosolymitanum. [Cum autem peruenissent Mysiam, descenderunt Troadem.] Sed ibi vix per diem, aut certè diebus paucis demoratus est Apostol. Nam, [Visio per noctem Paulo ostensa est. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis.] Nondum ergo prædicauerat Paulus in Macedoniâ, vixque de ipsâ cogitauerat. Iterùm, [Postquam (Ephesi) cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam.] Nimirum vt rediret, [Cum enim perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam.] Forsan & inde, [Perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam:] Troacem attigit. Sed certum est, Paulum Epheso digressum, Troadem inuisisse Asiæ vrbem, tum & in Macedoniam contendisse. Tandemque & vltimâ vice, cum Paulus iterum in Macedoniam reuersus, socijsque præmissis, & ipse Troadem adductus est, [Nos verò nauigauimus post dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem.] Ibi & sermo vsque ad mediam noctem protractus, & Euthycus somno correptus, & de tertio lapsus cœnaculo, suscitatus est. Sed iam ad disquisitionem intelligentiæ litteralis, tria possunt discuti.

Act. cap. 16.

Act. cap. 16.

Act. cap. 17.

Act. cap. 18.

Act. cap. 20.

Euthycus Troade à Paulo suscitatus.

Primum est, Quid ad Pauli mentem ista narratio, cum nihil ad rem Corinthij? Iam enim & causam terminauerat, & obsignauerat indulgentiam. [Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in personâ Christi: vt non circumueniamur à satana, non enim ignoramus cogitationes eius.] Quid nunc ad filum, aut certè ad institutum: [Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi: non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum.] Res quidem Corinthij acta, sed nondum peracta, cum venisset Paulus Troadem, quia necdum Titum receperat, nec quomodo sese res haberent Corinthi didicerat. Paulus quippe Titum miserat Corinthum, vt nosceret, an paruissent Corinthij, an incestuosum redegissent in ordinem, an dissensiones compressissent, an res meliori reposuissent statu, & firmiori gradu in fidei negotio incederent. Nolebat enim ipse Corinthum adire, nisi priùs de emendatione ac reformatione certus esset; id est, vt & ipse dixit, parcebat illis, ne duriùs ageret & inclementiùs, duritiâ offensus & impœnitentiâ. [Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens, iis qui antè peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.] Parcebat ergo, ne non parceret: id est, cunctabatur, præstolabaturque, ne magis accedens, aut superueniens incorrectis, vteretur potestate, cogereturque non tam patrem agere quàm censorem. Sperabat autem Titum recipere Troade, & ore eius res Corinthiorum perdiscere vt inde deliberare posset, & aduentum maturare suum, aut de rebus agendis disponere. Ita ille: [Nam & cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos in aduentu Titi. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, quâ consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem.] Paulus igitur de rebus Corinthiorum oppidò sollicitus, curam suam solabatur spe Titi, Troade inueniendi; quem ibi cum non inuenisset, increuit tædium, nec vltra, locum pertæsus, sustinuit. [Qui fit, vt dicat, Valefacieṇ

2. Corinth. cap. 13.

2. Corinth. cap. 7.

Titus, expectatus à Paulo nuncius.

eis abij: Hoc est, ait Chrysostomus, præ animi angustiâ ac dolore non diuturno tempore illic moratus sum.]

Chrysost. Hom. 5.

Sed iam inde aliud quæri potest, an id tanto dignum sit Apostolo, quod indignum videri possit Philosopho. Ob vnius viri, cui non multum assueuerat; quem & ipse miserat, aut absentiam aut moram, sic agitari, sic & cruciari, nec carne duntaxat, id est parte inferiori, sed & mente, id est, superiori portione perturbari? [Non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum.] Sed Philosophus culpandus cum indolentiâ suâ, & Paulus cum suâ laudandus beneuolentiâ. [Turbatur enim animus Christianus, non miseriâ ait Augustinus, sed misericordiâ.] Turbari metuit Philosophus, & dum metuit, turbari incipit. Ita, vti Tertullianus dixit: [Anima Socratis vel in hoc mota, ne moueretur, ipsâ constantiâ concussa est aduersùs inconstantiæ concussionem.] Christianus non metuit, sed & occurrit. Christus turbat semetipsum: Paulus non detrectat tædium, imò & approbat. Cur turbari metuit Philosophus? quia seipsum amat impensiùs: pessima sui possessio. Cur non metuit Christianus, imò & occurrit? quia Deum & proximum amat ardentiùs: optima animi perturbatio, quæ nec carni nec spiritui propter Deum parcit, & ei suum etiam impendit officium. [Non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meũ.] Cui consulit, sibi an alteri? Sanè non parui momenti, fratris, maximè si fidelis absentia; nec parui præsentia solatij, cum & cura subinde minor sit, & leuior sarcina: Sed nec ista desiderat Paulus sui causâ, nam & studium & tædium in componendâ immolat Corinthiorum Ecclesiâ. [Titus enim ipse est, ait Chrysostomus, quem infrà ab illis ad se venisse refert, & de quo multas ac præclaras laudes recenset, quemque à se missum esse dicebat. Quamobrem vt ostendat se ipsorum causâ hanc quoque afflictionem subiisse, his verbis vsus est.] Philosophus seipso plenus, ideoque siue turbetur siue quiescat, sibiipsi laborat, & inde reprobandus: Paulus Deo plenus, ideoque siue quiescat, siue turbetur, laborat fidei, & inde probandus, imò & laudandus.

Aug. Tract. 50. in Ioan.

Tertul. l. de Anim. c. 1.

Misericordia Christiana, philosophia laudabilior indolentia.

Chrysost. Hom. 5.

Verùm aliud instat quod vltimò discutiendum est, cum maiorem præseferat verisimilitudinem. [Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino; valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.] Ecce venerat Troadem prædicandi Euangelij causâ, ecce Dominus gratiâ suâ difficultates omnes reserauerat, occasiones obtulerat acceptabiles: & non inuento Tito, maturam relinquit messem, &, vt ita dicam, paratam salutem abjicit. Siccine bonus miles, qui deserat stationem? Siccine fidelis & prudens seruus, qui agendi negotij occasionem negligat? [Veni, inquit, (apud Hieronymum) Troadem, quæ prius Troia appellabatur, vt Euangelium Christi in Asiâ prædicarem. Cumque mihi ostium apertum esset in Domino, hoc est plurimi credidissent; siue per signa atque virtutes, quæ in me operabatur Deus, spes esset nascentis fidei, & in Domino succrescentis, non habui requiem spiritui meo; hoc est, speratam consolationem inuenire non potui; eo quod Titum fratrem meum non inuenerim: siue quem ibi reperiendum putabam, siue quem ibi audieram degere, vel qui venturum esse illuc se dixerat. Ergo propterea valefaciens Troianis, siue Troadensibus: profectus est Macedoniam, & inuenit ibi Titum.] Quid ergo, modicum Titi reperti solatium, tantæ dispositioni, ac saluti paratæ præponendum? Sed Paulus, vt & id dicam ex verbis Hieronymi: [Priùs quàm interrogaretur, soluit ἀνθυποφορὰν, &, iuxtà morem suum, quidquid alius obijcere potest, antequam objiciatur, edisserit.] Quid enim valefaciens, Græcè ἀποταξάμενος? Postquam de agendis ordinasset, postquam ijs quæ placita, quæ seruanda mandasset in absentiâ suâ, dimisit eos, abijtque. Ita & de Paulo: [Cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam.] Et [Vocatis discipulis, & exhortatus eos, valedixit.] Certè Pauli facies erat euntis in Ierusalem. [Proposuit Paulus in spiritu, transitâ Macedoniâ & Achaïa ire Ierosolymam.] Alligatus igitur spiritu ibat in Ierusalem, & eo ductus affectu, disponebat iubebatque quicquid iuberi & disponi poterat in transitu. [Nec enim propterea opus impeditum fuit. Ac fortasse etiam illius absentia, Corinthiorum negotio moram atque impedimentum afferebat. Porrò, vt suprà Spiritui, ita hîc quoque Deo peregrinationes suas adscribit.] Ita Chrysostomus. Spiritu ergo ductus contendebat Ierusalem, spiritu ductus Troadem pertransibat: sed vbique agebat, quæ agenda; aut quæ ferenda, ferebat: quia & tulit patiendo, & benefaciendo pertransiit.

Hieronym. ep. 150. quæst. 11.

Troia quæ olim diruta, post & restituta.

Hier. ibid.

Act. c. 18.

Act. c. 20.

Act. c. 19.

Chrysost. Hom. 5.

TROPOLOGIA.

Alijs quidem odor mortis in mortem, &c.

QVid morte peius? quid virtute melius? quid fide humilius? Audi ergo tria miranda, nec dubiæ etiam fidei dubitanda. Primum est, Nihil tam malum, quod cedere in bonum non possit: secundum, nihil tam bonum, quod in malum non possit succedere: tertium, nihil tam paruum, quod non possit in fastigium ascendere.

Quoad 1. Nihil quidem tam malum, quod non possit in bonum cedere: sed id à malo non est, à quo defectus potius quàm effectus expectandus est. Id à Deo bonorum omnium principio, qui malum quod cogitant homines, vertit in bonum, & per ipsam etiam mortem in beatam ducit immortalitatem. [Pretiosa mors hæc est, ait Cyprianus, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis; quæ accipit coronam de consummatione virtutis. Sed quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in talibus seruis suis & pugnauit, & vicit protector fidei: & qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Quàm abundantes in Paulo passiones, mortes quàm frequentes: vt qui quotidie moreretur, vt qui suprà modum &

Cyprian. l. 2. Epist. 6.

per excessum pateretur. [Abundant Christi passiones in nobis. Non dixit, (verba Chrysostomi) Christi passiones nobis ingruunt: sed, abundant. Quibus verbis illud ostendit, quòd non modò illius cruciatus, sed his quoque plures perferat. Non enim, inquit, ea tantummodo, quæ ipse passus est, pertulimus, verùm his etiam ampliora. Vexatus est, persecutionem passus est Christus, flagris affectus est, mortuus est. At nos, inquit, his plura patimur.] Ne tamen id temeritati imputes aut vanitati, cogites maiora à discipulis quàm magistro patrata miracula: sed sicut miracula Deo dante perpetrantur, sic & Deo laborante tolerantur extrema. Audi ergo Apostolum nostrum. [Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.] Quid est? Triumphat nos. [Id est, vt exponit Aquinas, triumphare nos facit contrà aduersarios.] Patietur Apostolus, morietur, nec semel, sed abundantiùs morietur: sed Christo spectante, adiuuante Deo, non triumphabit tantùm, sed & exultabit. [Non enim, ait Chrysostomus, hæc per deplorationem dicere videretur, subdit, Non modò non dolemus in hisce tribulationibus, sed etiam gaudemus: quodque maius est, non modò propter futura præmia, sed etiam ob præsentia. Siquidem hîc quoque ob eam causam clari atque illustres sumus. Quocirca tantum abest vt luctu afficiamur, vt etiam triumphum rem istam appellemus, atque ob ea, quæ contingũt gloriemur. Eoque nomine dicebat, Gratias autem Deo, qui semper triumphat nos: hoc est, qui nos semper illustres ac splendidos reddit. Nam quod dedecoris speciem habet, nimirum quouis tempore vexari, atque exagitari, hoc nos summo honori ducimus. Ob idque non dixit, Qui nos conspicuos reddit: sed, qui triumphat. Quâ voce hoc indicat, huiusmodi persecutiones vbique terrarum perpetua aduersùs diabolum trophæa erigere.] Quid hoc? quod tribulationes cedant in consolationes, humiliationes in gloriationes, opprobria in trophæa, supplicia in merita? Hæc sanctorum sors, hæc mors iustorum. Malum apud mortales extremum, & omnium terribilissimum: factum est bonum apud fideles supremum, & omnium principium: dum ipsi mortem in vitam mutant, sortem commutant in gloriam.

Chrysost. Hom. 1. — Aquin. lect. 3. — Chrysost. Hom. 5. — Trophæa aduersùs diabolum à sanctis erecta.

Quoad 2. Nihil tam mirum, quod Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui nouit etiam de peccatis benefacere; etiam de malis seu supplicijs bonum eliciat, & luctum vertat in gaudium. Sed mirandum quòd nullum bonum sit quod homo non peruertat, & in malum suo trahat arbitrio. [Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.] An igitur Apostoli in hoc positi sunt, vt de suo sint tam perditioni, quam saluti? Minimè verò: [Sed quia, vti dixit Hieronymus, homines suo arbitrio derelicti sunt: neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate; vt credentes coronam accipiant, increduli supplicijs mancipentur. Ideò odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum, vel vitio, qui suscipiunt, siue non suscipiunt, in vitam transit, aut mortem: vt qui crediderint, salui fiant; qui verò non crediderint, pereant. Nec hoc mirandum de Apostolo: cum etiam de Domino legerimus: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur: solisque radios tam loca munda excipiant quam immunda; & sic in floribus, quomodo in stercore luceant: nec tamen solis radij polluuntur.] Non ista rerum qualitas est, sed hominum peruersitas. Sed illud stupendum ac dolendum quòd & summum bonum in summum vertant malum, etsi bonum non corrumpant. [Christi bonus odor, ait ille, qui nunquam mutari potest, nec suam naturam amittere, credentibus vita est, incredulis mors: mors autem non ista communis, quâ cum bestiis morimur, & iumentis; sed illa, de quâ scriptum est: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Ergo & vita arbitranda est non hæc, quâ spiramus & incedimus, & huc illucque discurrimus: sed illa, de quâ Dauid loquitur: Credo videre bona Domini in terrâ viuentium. Deus enim viuorum est, & non mortuorum.] Manet ergo bonum integrum, sed corruptum est arbitrium: sicut & natura lucis manet incorrupta, sed iam importuna, ne dicam & tenebrosa oculo, si laboret ophthalmiâ. [Siue ergo, quis salutem consequatur, ait Chrysostomus, siue pereat, Euangelio semper virtus sua constat. Nam quemadmodum Sol, licet infirmis oculis tenebras offundat, lumen tamen est, etiamsi obscuritatem afferens; ac mel etiamsi ægrotis amarum sit, suapte tamen naturâ dulce est: eodem quoque modo Euangelium suaui odore præditum est, etiamsi nonnulli pereant, infidelitate laborantes. Neque enim illud exitij causa est, sed eorum peruersitas. Quin hinc quoque vel maximè ipsius suauitas perspicitur, quòd qui improbi ac corrupti sunt, pereant. Ac proinde non modò per bonorum salutem, sed etiam per improborum interitum ipsius virtus declaratur.] Nisi sol splendidus esset, ægra lumina non offenderet: nisi optimum esset Euangelium, malos non occideret & impios. Abusus quippe ille, non vsus est Euangelij; nõ acceptio boni, sed oppositio. [Sic ergo, ait Aquinas, ex odore Apostoli, boni viuunt, mali moriuntur: sicut legitur quòd ad odorem vinearum florentium moriuntur serpentes.] An igitur illa viperarum genimina, ista malorum monstra bonorumque inimica conqueri de virtute possunt? Non magis quàm sues aut serpentes de odore. An illi, quibus, vtpote pereuntibus, crux stultitia est, caussari possunt, bonitatem diuinam, an propriam iniquitatem? Sed quod de Christi cruce, hoc & de virtute Apostoli: nam sicut viperæ crucem occultant, sic & animæ infrunitæ virtutem proculcant.

Hieron. ep. 150. quæst. 11. — Hierony. ibid. — Chrysost. Hom. 5. — Perditio impij, est Euã. gelij iustificatio. — Aquin. lect. 3.

Quoad 3. Nihil fide humilius, sed nihil tam paruum quod ad fastigium non possit ascendere. [Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo: & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.] Nunquam legistis quod scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Deo igitur agendæ sunt gratiæ, qui non solùm triumphare nos facit, sed &

fidem quaquauersum per nos diffundit. [Superiùs dixit, semper triumphare nos: (verba Chrysostomi) hîc, in omni loco, inquit: illud nimirum indicans, nec locum, nec tempus vllum esse, quod non Apostolicis certaminibus impletum sit. Atque alterâ rursus metaphorâ vtitur à suaui odore ductâ. Vt enim qui vnguentum gestant, inquit, sic cunctis ipsi conspicui sumus: per pretiosum vnguentum, Dei cognitionem vocans. Nec tamen dixit, notitiam; sed, odorem notitiæ. Itaque tanquam thuribulum regium sumus, cœleste vnguentum, ac spiritualem fragrantiam, quoquo gentium pergamus, redolentes.] Sunt ergo Apostoli thuribula aurea, fidem, tanquam odorem cœlestem vbique spargentia. Sunt enim tria in thure consideranda. Primum est, non redolere, nisi contundatur & igni admoueatur: secundum, igni admotum sese quaquaversum porrigere, maximè si commoueatur: tertium, omnibus quidem fragrantiam offerre suam, sed non ab omnibus eandem referre gratiam. Quomodo cognitionem Dei spargebant Apostoli? [Euntes ibant & flebant.] Angustiati scilicet & afflicti; contradictionibus vexati, tentati tribulationibus, sed probati: erant enim ignibus persecutionum admouendi, sed inde reddendi illustres, insignes, conspicui. Vbinam spargebant? [In omni loco.] Quaquauersum, &, alibi dixit, [Per circuitum.] Quibus spargebant? Omnibus: sed aliis subsannantibus, aliis etiam blasphemantibus: dum alij verbum Domini cum auiditate susciperent, & in corde, ad fructum in tempore reddendum, absconderent. [Deo autem gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.] Quid primò contractius fide, quid olim abiectius? Incipit in vno loco, vixque proficit: inchoat simul & exulat. [Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolymâ.] Priùs enim ad oues quæ perierunt domûs Israël: sed quia Iudæi repulerunt verbum Dei, ad gentes cõuersi sunt Apost. & in fines orbis terræ, nedũ in omnem terrã dispersi. En ergo granum illud sinapis, quod quidem minimum in omnibus est seminibus. [Cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor: ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.] Nam quod est illud granum omnium minimum? [Prædicatio Euangelij, ait Hieronymus, quæ minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam, fidem non habet veritatis. Sed hæc prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cum in toto mundo sata fuerit, crescit in arborem: ita vt volucres cœli, animæ credentium, veniant & habitent in ramis eius.] Sed vt non discedamus ab odore: duo spectanda sunt, quæ cognitionem Dei, seu fidem distinguunt à ceteris disciplinis. Primum est, quòd cæteræ scientiæ causam & naturam rerum explorant, prædicatio Euangelij manifestat odorem: dum fidem seminat. [Qui enim odorem sentit, illud quidem nouit, ait Chrysostomus, vnguentum alicubi conditum esse: at cuiusmodi naturæ, non item. Eodem modo nos quoque, quòd sit Deus, scimus: quidnam autem natura sit, non item.] Alterum, quòd sicut odor igne exprimitur, sic & cum calore funditur. [Odorem notitiæ suæ dicit, ad differentiam, ait Aquinas, notitiæ de Deo, quam faciunt aliæ scientiæ, & quam facit fides. Nam notitia de Deo quæ habetur per alias scientias, illuminat intellectum solum: sed notitia de Deo quæ habetur per fidem, & illuminat intellectum, & delectat affectum.] Sic ergo spargit odorem, dum fidem diffundit.

[Marginalia: Chrysost. Hom. 5. — Apostoli regiis thuribulis comparati. — Psal. 125. — Luc. c. 24. — Matth c. 13. — Hier. l. 2. Comment. in cap. 13. Matth. — Chrysost. Hom. 5. — Aquin. lect. 3.]

ANAGOGIA.

Non enim ignoramus cogitationes eius.

Voluit Apostolus indulgeri, voluit humaniùs ac benigniùs prouideri, [Vt non circumueniamur à satana.] Adeò timendus. [Non enim ignoramus cogitationes eius.] Ideò non timendus. Sed primò dicendum, Quid sit circumueniri à satanâ: secundò, quid cogitationes eius: tertiò, quomodo sancti tuti dum protecti.

Quoad primum. Verbum Græcum πλεονεκτεῖν, propriè significat alienum occupare, quod suum non est inuadere: sed quia fures ac rapaces: vim fraudemque adhibent, nec iniusti solùm, sed & violenti esse solent ac dolosi: idcircò & fraudare significat alterum ac circumuenire. [Commune igitur detrimentum, ait Chrysostomus, si obedire negligerent, proponit Apostolus dicens, Vt non circumueniamur à satana. Quo loco pulchrè πλεονεξίας vocabulum vsurpauit. Nec enim ille sua iam capit: sed nostra eripit.] Quomodo ergo in commune detrimentum? Quia circuit quærens quem deuoret, & ita si quem abripit, gregem minuit; & quod fit in vnius personæ detrimentum, in totius vergit Ecclesiæ præiudicium. Nunc comparatur inimicus ille salutis nostræ, leoni ob violentiam, nunc & serpenti ob astutiam ac fraudulentiam: nunc & draconi, ob impetum & dolum simul coniunctum: nunc enim isto, nunc & alio operatur modo. [Leo sæuit apertè, ait Augustinus, draco occultè insidiatur. Vtramque vim & potestatem habet diabolus. Quando martyres occidebantur, leo erat sæuiens; quando hæretici insidiantur, draco est surrepens.] Verùm sicut à principio, serpentem agere permissus est, non leonem, sic & nouissimis temporibus, dolum potius quàm impetum effundere. [Diabolus potest ad malum inuitare, ait ille, non potest trahere; delectationem infert non potestatem, consilium ingerit non conflictum.] Equidem conflictum ingessit aduersus martyres: sed sicut confligendo cum Domino martyrum, victoriam perdidit, sic & martyres persequendo, amisit potentiam. Quæ nunc eius tela? Audi. [Prima adulteri oculorum tela sunt, secunda verborum.] Infirma tela, nutibus subnixa, aut sermonibus: imò nec illa haberet, nisi per speciem deciperet; & decipiendo, mentem subuerteret. Arma illa nostra sunt, imò Dei sunt munera, non tamen hos in vsus quæsita. Speciem igitur obiicit

[Marginalia: Chrysost. Hom. 4. — Diabolus cur leoni ac draconi col latus. — Aug. Enar. in Psal. 90. vers. fin. — Aug. ser. 7. de temp. post. init. — Aug. ser. 81. de temp. post. init.]

diabolus, & incautum per fraudem circumuenit. Non armis suis occupat, sed alienis; nec proprijs retiaculis, sed nostris colligat. Vnde ille de impudicâ Iosephi dominâ. [Illa, inquit, retia sua immisit, & indagine suâ capta est: catenas suas sparsit, & in suis vinculis colligata est.] Diabolus ipse alligatus est, nec insilire potest, nec ruere: latrare potest, mordere non potest; suadere, non cogere; circuire, circumuenire potest, non totum effundere venenum, faciliusque conatum quàm impetum ostendere. Hoc est ergo quod ait Apostolus, Vt non circumueniamur à satana, ne decipiamur: sic enim ille astutiâ suâ occupat quod suum non est, sic illaqueat; sic rapit & per fraudem technamque in possessionem suam attrahit.

Aug. ibid.

Quoad secundum. Si offuciæ futelæ detectæ sunt, vanæ sunt & inualidæ, imò iam nullæ: non enim arcanæ sunt, si detectæ.] Non enim ignoramus cogitationes eius.] Græcè νοήματα ingenia, stratagemata. [Alios quippe per peccata, ait Chrysostomus, alios per pœnitentiam, alio modo perdit: dum videlicet eos nullum ex pœnitentiâ fructum percipere sinit. Nam cum quibusdam rectâ atq; apertâ viâ perniciē afferre nequit, alteram viam init. Non enim eius cogitationes ignoramus. Nempe quòd pietatis prætextu nobis exitium afferat. Non enim hinc solùm quòd aliquem ad stuprum induxerit, sed è contrario quoque perniciem afferre potest, nimirum ab immodico mœrore ex pœnitentiâ contracto. Non enim satis habet per peccatum nos dejicere, sed per pœnitentiam quoque, nisi vigilantem animum præstemus, idem efficit.] Subtiles sunt eius cogitationes, nec minùs fœcundæ quàm illusoriæ. Non illi sufficit alienum inuadere, animum humanum humanis nostris ve subigere: nouam inuadit viam, & ad insuetam se conuertit astutiam. [Rectè, inquit Ambrosius, potest serpentem cauere, qui eius potest versutias non ignorare: quæ multæ ad nocendum sunt. Vult enim semper nocere, semper circumuenire, vt mortem inferat: sed debemus cauere, ne remedium fiat eius triumphus. Circumuenimur enim ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam.] Non solùm multiplices sunt eius artes, sed & parùm cōformes: non solùm variæ sed & cōtrariæ. [Variè diabolus æmulatus est veritatem. (ait Tertullianus.) Adfectauit illam aliquando defendendo concutere. Vnicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, vt & de vnico hæresim faciat.] Primò plures deos ingessit apertè, tum & vnicum Dominum dici voluit: vt vel naturam scinderet: vel totam diuinitatis copiam vnâ personâ contraheret. Parùm est homines in malis perdere. [Nam vt & ille ait, Inuenit quomodo homines etiam in bonis sectationibs (ita potest legi) perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuriâ, alios continentiâ occidere.] Parùm est nocere per peccatum, quid porrò per remedium eius interimere; nec iam per venenum sed per antidotum perdere? Hoc solet accidere perfectis viris. quod accidit Corinthijs, si tamen perfecti sunt, dum ipsis proximi. Plusculum duri sunt & austeri aut

Chrysost. Hom. 4. & in moral.

Athanas. li. 1 de pœnit. c. vlt.

Tertul. l. aduers. Prax. c. 1.

Tertull lib 1. ad vxor. c. 6.

A aduersùs seipsos, aut aduersùs alios, immites sunt & inclementes: itaut sibi nocent per abstinentiam immodicam, aut nulli ex nimiâ indulgent sæuitiâ. Peccauerat frater, sed resipuerat, veram egerat pœnitentiam. Ignoscit Paulus, tam pius nemo, tam pater nemo, & ad ignoscendum compellit. Tardi sunt isti, & quem diabolus conterere in totum non potuit, intempestiuâ conficiunt pœnitentiâ. [Ne circumueniamur à satana: non enim ignoramus cogitationes eius: ac si verbis alijs dicat: ait Gregorius: Acutæ auctore Domino sudes sumus, & nares Behemoth istius subtiliter circumspiciendo penetramus; ne hoc quod benè mens inchoat, ipse in maliciæ finem vertat.] B Subtilis diabolus, subtilior Apostolus: acutus ille, iste acutior: nā & artes eius præuenit, & cogitationes dissoluit, ingenia, machinamenta disiicit.

Vitium vitis timendū perfectis.

Greg li. 3. moral. c. 8.

Quoad tertium. Videntur nonnulli antiquorum aliquanto scrupulosi, alij aliquanto dissoluti: sed qui sapientiores erant laudabilioresque, sic temperabant inter Pharisaïcum supercilium, & promiscuum ingenium; vt nec cum sceleratis fratribus facilè communicarent, prōptè tamen pœnitentibus ac correctis se crederent. Videntur Corinthij in vtroque deliquisse, & primò quidem incestuosum fœtentem adhuc in cœtum admisisse, dein dolentem purgatumque C reiecisse, nec nisi ægrè reddidisse consortium. Diximus Paulum exonerasse seu attenuasse culpam, sed volunt nonnulli, illum accusasse conniuentiam. [Si quis autem contristauit, non me contristauit, sed ex parte vt non onerem omnes vos.] Me quidem contristauit, sed non ausim dicere, me totam hausisse tristitiam. Nam si dixero vos mecum non fuisse contristatos, vos accuso & onero tanquam consentientes, ideoque eiusdem sceleris participes: sed id nolim dicere, imò malim non D credere. Tum & cum correctus est purgatusque, contrariam inierunt viam, legitimamque respuerunt pœnitentiam. Idcircò, vt obseruat Chrysostomus. [Non iam imperat Apostolus sed obsecrat; non vt præceptor, sed vt æqualis: atq; illis in iudiciario subsellio positis & constitutis, ipse in patroni loco atque ordine se collocauit.] Quomodo igitur tuti sunt sancti? si innocentiâ freti sunt, & Christianâ protecti prudentiâ: vt nunquam peccato consentiant, nec tamen peccatorem omnem tam indiscretè fugiant, quàm & obstinatè: nec eneruem disciplinam, nec crudelem eligant sæuitiam. E [Non fortè frustrà, inquit Augustinus, dixit Apostolus, Auferte malum à congregatione vestrâ: sed, auferte malum ex vobisipsis: quia cum quisque impeditur ab Ecclesiæ congregatione malos homines separare, si ex seipso auferat malum, non eis corde miscetur; atque ita spiritaliter non solùm configitur bonis, sed etiam separatur à malis. Sic enim in hoc loco ad Timotheum cum dixisset, Neque communicaueris peccatis alienis, tanquam ille diceret, fieri posse vt aliquos malos ab Ecclesiæ congregatione separare non posset, & ideò tolerare cogeretur; tanquam consilium dans quēadmodum peccatis eorum non communicaret, Teipsum, inquit, castum custodi. Nam malis malus misceri potest, bonus autem nul-

Chrysost. Hom 4.


Aug. lib. 3. cont. Parmen. c. 1.

Bonus nūquam malis miscetur corde, etsi ad tempus miscetur corpore.

lo modo, quãuis cum eis in vnâ congregatione versetur. Auferte, inquit, malũ ex vobis ipsis, vt si fortè nõ possent auferre malos à cõgregatione suâ: auferendo malum ex seipsis, id est, non cũ eis peccando, nec eis ad peccandũ consentiendo aut fauendo, integerrimi inter eos, & incorruptissimi versarentur, quia per malum suum quisque malo consentit. Si autem ex seipso auferat malum, alieno malo non est vnde consentiat.] Itaque, vt & ille resoluit: [Duobus modis non te maculat malus: si ei non consentias, & si redarguas: hoc est, non communicare, non consentire. Communicatur quippe quando facto eius consortium voluntatis vel

Augustin. ser. 18. de verb Dom. cap. 18.

A approbationis adiungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus, ait, Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite. Et quia parùm erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ: Magis autem, inquit, & redarguite. Videte quemadmodum vtrumque complexus est; Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est, Nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, Magis autem & redarguite? Reprehendite, corripite, coërcete.] Exercenda igitur disciplina, sed patientia tenenda, concordia nusquam abrumpenda.



CAPVT TERTIVM.


Epigraphe.

Dignitatem nouæ legis ostendit præ veteri, aitque nunc Iudæis reuelatam, sed aliquando reuelandam. Priùs ergo de dignitate, tum & de reuelatione.

PARS PRIMA.

De dignitate.

TEXTVS.



INcipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitijs epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti; non litterâ, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Quòd si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloriâ, ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultûs eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritûs erit in gloriâ? Nam si ministratio damnationis gloria est: multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloriâ. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriam est, multò magis quod manet, in gloriâ est.

EXEGESIS LITTERALIS.

ABlegat Paulus litteras commendatitias, negatque se aliam commendationem

B quærere, quàm prædicationem Apostolicam. Tum confert præfertque ministerium suum, vtpote vitâ & iustitiâ gloriosam.

[Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam),

commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? &c.] Dixerat, [Non enim sumus sicut plurimi.] Quibus diuini verbi caupones καπηλεύοντας traduxerat, seque ac suos inter sinceros reposuerat ministros idoneosque. [Quis tam idoneus?] Et, [Sicut plurimi.] Vel in quibusdam legitur codicibus, λοιποὶ, ceteri. Quia igitur id sapit nonnihil de pristino Pharisææ sectæ episcynio, reflectit, aitque, Numquid redimus ad genium, nunquid altum illum spiritum resumimus? [Cum magna, ait Athanas. de se Paulus prædicarit, quæreret aliquis. Quid illud? Teipsum extollis, cum de te talia iactitas? Hæc non sine indignatione aliquâ refert, vt Corinthios verbis vrgeat acrioribus. Ostendit autem subdolos & fictitios nonnullos Apostolos, quorum fama cum esset obscurior, quia nullis essent proprijs operibus clari, in suam commendationem finxisse epistolas, quas in suam ipsi commendationem, quocumque liberet, deferrent: ex hisque & laudem sibi & nomen apud exteros comparasse. Quod verò Paulus non sine animi acerbitate loquitur, tale est: Num forsan dixerit quispiam, circumferendas esse & nobis commendatitias ad vos epistolas, vel ex vobis ad alios, vt per eas notiores efficiamur?] Non indigemus vt quidam egent, ijs minimè opus habemus. [Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus, &c.] Dixit in priore Epistolâ cap. 9. [Vos enim opus meum estis, in Domino.] Nunc igitur & ait, Non aliam volo epistolam commendatitiam, quam vosmetipsos, quos non solùm in mente ac corde impressos circumfero, sed & omnibus inspiciendos legendosque offero. Nonne istæ litteræ tam patentes quàm & illustres me satis commendant, nonne satis, & famam vestram, & meam obsignant gloriam? [Manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non attramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, &c.] De vobis quippe manifestum est, quod epistola estis, quam Christus nostro scripsit ministerio, quamque, sicut fit in epistolis humanis, non attramento, sed spiritu Dei viui ac viuentis; non, sicut factum est olim, in tabulis lapideis, sed in tabulis cordium animorum ve carneis exarauit. [Apertum est, ait Ambros. quia cum dicuntur Christiani, epistola Christi sunt: scribentibus Apostolis: dum enim docent, scribunt. Legem autem veterem pulsat, quæ primùm data in tabulis lapideis, abolita est, fractis tabulis sub monte à Moyse. Quomodo ergo differt lex à lege, ita differunt dispensatores illius legis à dispensatione legis fidei.] Animæ meliùs quàm tabulæ digniusquè inscriptæ.

Athanas. in Paulum.

Epistola Christi, sed serui manu exarata.

Ambros. in Paulum.

[Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficiẽtia nostra ex Deo est, &c.] Magna illa fiducia, magna & gloriationis & commendationis materia: sed sicut ministri Dei sumus & Christi, sic & totam istam audendi fiduciam, illam scribendi gloriam ad Deum, per Christum referimus. Quid enim sumus nos, vt nosipsi, & ad quid boni per nos sumus idonei? Si enim ne quidem

A id proprio naturæ humanæ genio id inducere in animum potuimus, quomodo ex nobisipsis, tanquam ex principio innato possemus in effectum adducere? Sed si in id sufficimus, id totum à Deo per Christum accepimus; si idonei sumus ad scribendum agendumque, ex ipso sumus idonei. [Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti; non litterâ, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem viuificat &c.] Ille est, qui nos fecit idoneos noui testamenti ministros, qui nos elegit, vt omnibus annuntiaremus æternam vitam à Deo per Christi meritum esse donandam; sed id annuntiaremus, non adulterantes verbum Dei, nec nostra, sed quæ Christi sunt, quærentes. Quis tam idoneus ad hæc? qui ad hæc à Deo

B vocatus est, aptatusque ministerio: nouum enim illud pactum, non in scriptione legis, ex quâ mors potius quàm vita exorta est, sed in subministratione Spiritûs viuificantis sanctificantis ve est positum. [Dum enim Spiritus sanctus, ait Aquinas, facit in nobis charitatem, quæ est plenitudo legis, est testamentum nouum: Non litterâ, id est, per litteram scribendum: sed Spiritu, id est per Spiritum, qui viuificat.] In Græco quidem οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος. Textus tamen sollicitandus non est, dum & liber patet intellectus, & sensus manet integer. Vult enim legem Mosaïcam esse mandatum litteræ; legem Christianam, esse spiritum vitæ, intus operantem, & ad opus animantem.

Notum testamentum non terræ, sed æternæ vitæ promissiuum.

Aquin. lect. 2.

C [Quòd si ministratio mortis, litteris, deformata in tabulis lapideis, fuit in gloriâ; ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultûs eius quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritûs erit in gloriâ, &c.] Sic tantum distant duo ista ministeria, quantum fluxis & humanis præstant quæ diuina, quæ æterna. Nam si ministerium illud mortis, ne dicam & instrumentum condemnationis in litteris, Græcè, ἐν γράμμασι, lapidibus insculptum, gloriosum fuit; vt pote in claritate excellenti factum, & tali splendore, vt non valerent filij Israël oculis intentis

D respicere faciem Moysi eximiè quidem radiantem, sed transitoriè: cur non magis splendidum magisque commendandum legis, gratiam afferentis, & æternam promittentis gloriam, ministerium? [Multum interest inter legem, & legem: cum manifestum sit maiorem esse gratiam legis fidei, quàm legis Moysi. Quamuis .n. ad hoc data sit lex Moysi vt prodesset: contempta tamen, facta est lex mortis. Ergo quia peccatoribus prouidere non potuit, venit lex fidei, quæ hos saluaret; non solùm ignoscens, sed & iustificans eos.] Ita Comment. Ambos. [Nam si ministratio damnationis gloria est: multò magis abundat ministe-

E rium iustitiæ in gloriâ, &c.] Confirmat quod dixerat: Quòd si ministerium occidentis legis, reos reddentis, & æterno obnoxios supplicio, res fuit adeò gloriosa; multo maior & illustrior conuenit gloria ministerio legis nouæ, conferentis iustitiam, & vitam promittentis æternam. [Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur per gloriam est: multò

Comment. Ambros.

Quod clarum, in luce clarioris obscuratum est.

magis quod manet, in gloriâ est.] Ex Græcis : A [Nam ne quidem claruit quod claruit.] Quid vtrumque comparamus ministerium, nisi vt simul opponamus potius quàm componamus : tam enim excellens tamque eminens demonstratur esse legis nouæ ministerium ; vt in eius comparatione, ministerium veteris legis, aliàs splendidum , videatur inglorium : & in hac substantiâ, non tam clarum censeatur quàm obscurum. Nam si ministerium Moysi, temporaneum , ne dicam & momentaneum, suam habuit gloriam : multo magis ministerium quod sempiternum est , solidâ perpetuaqne constabit gloriâ ? [Si enim lex, inquit, (apud Athanas.) quæ abroganda foret, & tollenda, per gloriam lata est : multò magis nouum hoc testamentum in gloriâ est permansurum, quod stabile & perpetuum sit futurum.] Lex quippe interna, æterna: nec fine seculi concluditur, sed æternitate Dei stabilitur.

Athanas. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

DIsquisitiones nostræ litterariæ sunt, cum in litteris disquirendis sint positæ. Agemus ergo primò de litteris commendatitijs: tum & de Mosaicis.

DISQVISITIO PRIMA.

De Commendatitiis.

TOt ferè sunt apud nos litterarum seu Epistolarum species , quot & elementorum litterariorum. Mitto igitur formatas, quæ & communicatoriæ, & canonicæ , & ecclesiasticæ, & pacificæ. Mitto dimissorias, commonitorias, encyclicas, tractorias, confessorias, decretales , breues , pastorales : & ne te lassem dicendo , & onerem augendo: sisto in solis commendatitijs, quæ etiam solæ Pauli sunt , ideoque & instituti nostri. [Incipimus iterum nos commendare? Aut numquid egemus, sicut quidam , commendatitijs epistolis ad vos, aut ex vobis ?] Ex quibus primò liquet, epistolas commendatitias non iis tantùm datas, qui opere essent in Ecclesia clariores : sed & ijs qui nec nomine nec famâ satis essent illustres: tum quòd egentium sint emendicantiumque. [Numquid egemus.] Cum quia ignobilium ignotorumque: [Sicut quidam.] Itaque , vt Chrysostomus obseruat: [Quod ait Paulus, hunc habet sensum. Fortassè quispiam hoc nobis obiecerit, Quid hoc est Paule ? Hæc de te loqueris, ac teipsum efferts ? Hanc igitur obiectionem soluens, ait : Non hoc volumus, nempe nos ipsos iactare atque attollere : imò tantum abest vt commendatitijs ad vos epistolis opus habeamus , vt vos ipsi nobis epistolæ instar sitis. Nam epistola nostra vos estis , inquit. Quid est, Vos estis ? Si commendatione apud alios opus mihi fuisset, vos epistolæ loco in medium produxissem. Quod & in priori epistolâ dicebat , Signaculum Apostolatûs nostri vos estis.

Baron. Tom. 1. Annal. 141. paulò aliter.

Chrysost. Hom. 6.

At hoc loco, id non exprimit, sed per ironiam quandam , vt maiores aculeos orationi addat : Aut numquid egemus commendatitijs epistolis ? Atque pseudapostolos innuens , subiecit, Sicut quidam ad vos, aut ex vobis commendatitijs epistolis ad alios.] Eorum sunt ergo, qui inopiâ meriti gratiam quærunt alienam , & diffidentiâ sui auctoritatem dignitatem - ve sibi litteris emendicatis conciliant. Liquet secundò, datas etiam nonnumquam viris famâ notis, aut claris doctrinâ: vt omnibus notum esset , quod aliquibus perspectum ; aut quod iam diffamatum , obsignatum haberet non tam famæ incertæ , quam sententiæ publicæ suffragium. B Cur enim Paulus memoraret litteras commendatitias ; nisi sciret eas nonnunquam talibus dari Euangelicæ doctrinæ prædicatoribus , quales se suosque laudauit , non adulterantes verbum Dei , sed sincerè euangelizantes? Vnde statim subdit, Incipimus iterum nos commendare ? Merentur enim ipsi qui tales sunt , id est , adeò laudabiles, vt commendentur : etsi non procurent, etsi & recusent.

Litteræ commendatitiæ indignis, & dignis datæ.

Ad instar istarum adinuentæ sunt legationes quædam , commendabiles quidem, sed liberæ. Illæ enim ornamenti causâ impetrabantur , quemadmodum & honorarij magistratus, causâ dabantur honestamenti. Has autem obtinebant viri clarissimi, quibus futura in prouin- C cijs essent negotia; vt qui exigere nomina vellent, aut legata repetere, personis legatorum acceptis , res haberent commendabiliores, Quamuis enim lege xij. Tab. id esset vetitum, nec ipsis acceptum prouinciis ; ius tamen priuatæ rei præualuit Reipublicæ, munusque tandem aduersùs legem inualuit. Brutus ad Ciceronem lib. ij. [Quum in his angustiis versarer, placitum est, vt postularem liberam legationem mihi , reliquisque nostris, vt aliqua proficiscendi causa honesta quæreretur,] Huic accedit D votiua legatio. Ita ille ad Atticum lib. ij. [Libera , inquit, legatio , voti causâ datur.] Sed de his plus æquo satis : nec id dixissem, nisi quid simile in ipso deprehendissem Tertulliano. [Presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari , omnibus fratribus, legationes deprecationis suæ iniungere.] Quod exponit Clerus Romanus, dum ita scribit ad Cyprianum : [Mittant legatos pro suis doloribus , lacrymas.] Loquuntur tam Afri , quàm & Romani , de pœnitentibus , veniam seu indulgentiam ambientibus. [Si tibi indulgentia Domini , ait E Afer noster, accommodat vnde restituas quod amiseras; iterato beneficio gratus esto , nedum ampliato.] Aucto, confirmatoque. Ita Seneca pater de sacerdotissâ dilatâ. [Remissam tibi pœnam putas? ampliata est.] Quanquam & ampliatio , dilatio est. Indigebat ergo illi gratiâ & indulgentiâ, idcircò preces suas tanquam votiuas legationes mittebant ; & si non iure, fauore tamen clementiam obtinebant ac misericordiam. Sed redeamus ad rem nostram, dicamusqne , commendationem Ecclesiasticam fuisse tanquam liberam legationem. Vnde & ipse Paulus, datis ad Romanos litteris. [Commendo autem, inquit , vobis Phæben sororem nostram.] Legationem quippe liberam habentibus, Vrbem adire, rursumque exire, gradu re-

Legatio libera & votiua, certa quædam commendatio.

Tertull. l. de pœnit. c. 9.

Apud Cyp. lib. 2 epist.

Tertul. c. 7.

Senec. Pat. Cont. 3.

Rom. c. 16

tento, nec deposito suggestu, datum, iisque in agendo aut defendendo cautum. Ita non semel Augustinus tam suos commendat, quàm & alienos: ita post Paulum, [In quocumque negotio.] Et charitatem Christianam & auctoritatem suam accommodat.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Mosaicis.

ALiæ sunt istæ litteræ, non enim humanæ, sed diuinæ. [Non litterâ, sed spiritu.] Nec tamen adeò commendabiles aut acceptabiles: [Littera enim occidit.] Et hoc est quod primò quærendum est, cùm id altè imprimat Apostolus, repetatque apertè his verbis. [Ministratio mortis litteris reformata in tabulis.] Et, [Ministratio damnationis.] Quibus dum opponit salutem æternam, vtique mortem innuit, non temporalem sed sempiternam, seu damnationem æternam. Certum est enim eos qui concupiscunt reos esse legis violatæ, nec tamen mortem incurrere temporalem. Certum est eos qui vel per potentiam vel per industriam effugiunt morti obnoxios temporali, nec tamen luere: id est, non perimi, non occidi, non damnari morte istâ, ergo restat damnari perpetuâ. [Apostolus igitur, (vt dicam ex Aquinate) loquitur profundè. Vetus quippe testamentum scribitur in libro, postmodum sanguine aspergendo: & sic patet quòd vetus lex est testamentum litteræ: sed testamentum nouum, est testamentum Spiritûs sancti, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris. Causa autem quare datum sit nouum testamentum per spiritum, subditur, Quia littera occidit. Nam littera legis dat solam cognitionem peccati. Ex hoc autem, quòd cognosco peccatum, solùm duo sequuntur. Nam lex dum per eam cognoscitur, non reprimit concupiscentiam, sed magis occasionaliter auget, in quantum concupiscentia fertur in rem prohibitam. Vnde huiusmodi cognitio, nondum destructâ causâ concupiscentiæ, occidit. Hinc verò addit præuaricationem. Nam grauius est peccare contrà legem scriptam & naturalem simul, quàm contra legem naturalem solùm.] Concludendum igitur, per mortem, damnationem intelligi, nec temporalem, sed sempiternam æternam-ve: huc enim transgressio ducit, huc trahit præuaricatio. [Stipendia peccati, mors.] En transgressionis præuaricationisque sequela, sed exinde perpetua. Ideò, [Virtus peccati, lex.] quia, [Vbi lex nõ est, nec præuaricatio.] Quæ lex? Scripta nimirũ, seu Littera, [Ego.n. (verba sunt Augustini) nunquam dixi eam legem, quæ in paradiso data est, Apostolum significasse, vbi ait, Virtus peccati lex: virtutem nãque peccati iam quidẽ existentis, eam legem semper intellexi. Minus enim operabatur peccatum, quando præuaricationem nondum operabatur, quia lex nondũ data erat, Vbi enim lex non est, nec præuaricatio. Nondum ergo erat omnis concupiscentia, antequam prohibitione sic cresceret, tamque fortis fieret, vt ipsius prohibitionis quâ treuerat, vinculum rumperet. Omnis igitur est concupiscentia, quando prohibita concupiscuntur ardentiùs, & peccata iam cognita, ignorantiæ sublatâ excusatione, & accedente legis præuaricatione committuntur immaniùs. Vnde lex Dei apud eos quos non adiuuat gratia Dei, per agnum Dei, qui tollit pecatá mundi, non correctio peccantis, sed virtus potius est dicta peccati.] Sic ergo occidit littera, dum increscit concupiscentia: sic & mortem & damnationem ministrat, dum transgressionem præuaricationemque per occasionem peccati nobis innati suscitat.

Aquin. lect. 2.

Lex scriptà etsi non mala, tamen imperfecta

Romani, c. 6.

Aug. li. vlt. oper. incho. 33. vlt.

Secundò quærendum est quænam sit gloria illa, quâ littera, seu lex antiqua ministrata est. [Ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloriâ.] Seu, vt habent Græca, ἐγενήθη ἐν δόξῃ. [Facta est in claritate.] Adeò gloriâ ipsa clara ac conspicua. [Dixerat enim Apostolus, (verba sunt Chrysostomi) quòd Mosis tabulæ lapideæ erant, ac litteras habebent, hæ contrà carnales (hoc est Apostolorum corda) ac Spiritu descriptæ, ac præterea quod littera occideret. Spiritus autem viuificaret. Supererat iam huic comparationi aliud quoque non parui momenti adjicere, nempe id quod ad Mosis gloriam pertinebat: quam quidem nemo hìc in nouo testamento corporeis oculis vidit. Vnde etiam magna & præclara videbatur, quoniam gloria ea sub sensum cadebat, corporis enim oculis cernebatur, licet ad eam accedere nemo posset) cum contrà gloria noui testamenti animo tantùm cerneretur. Quandoquidem igitur facere non poterat, vt corporeis oculis eam spectandam proponeret, ipsius præstantiam ratione atque argumento declarauit.] Duplex nimirum gloria, sed vna præit, imò præludit alteri, tãquam vmbra luci, figura veritati. [Apostolus ergo argumentatur ex hoc, (ita Aquinas) quod habetur Exod. 34. Vbi littera nostra habet, quod Moyses habebat faciem cornutam. Alia littera habet faciem splendidam, quod meliùs dicitur. Non enim intelligendum est, eum habuisse cornua ad litteram, sicut quidam eum pingunt: sed dicitur cornuta propter radios qui videbantur esse quasi cornua. Arguitur ergo à minori. Constat enim, quòd si aliquid quod minus est, habet aliquid de gloriâ, quòd multò magis illud quod est maius. Sed vetus testamentum est minus quam nouum, cum ergo illud fuerit in gloriâ, videtur quod multò magis nouum est in gloriâ.] Gloria igitur ministerij antiqui seu Mosaici, cornificantibus punctis, seu radiis promicantibus designata est, & obtutibus obiecta corporeis: sed gloriæ seu gratiæ noui siue Christiani ministerij præfiguratiua. [Tunc enim, ait Ambros. maculati peccato in vultum Moysi descendentis de monte cum lege acceptâ in tabulis, intueri non poterant, quia gloriosa facta erat facies eius, ne à peccatoribus posset aspici, qui digni erant morte. Quæ nunc gloria euacuatur per legem spiritûs, cum acceptâ remissione peccatorum facti nostri iusti, digni sunt aspicere & possunt gloriam Dei, sicut viderunt in monte Petrus & Ioannes, & Iacobus gloriam Christi.]

Chrysost. Hom 7.

Aquin. lect. 2.

Moysi faciès à b nis conspecta, malis inaccessa.

Ambrof. in Paulum.

Quærendum tertiò, Quomodo ministerium Mosaicum temporaneum sit, Christianum verò perpetuum, cum nullum, mundo prodacto, futurum sit ministerium, Paulus tamen ait ministerium nouæ legis perpetuum fore, non solùm quia in finem vsque seculi duratúrum est, sed & quia perpetuò permansurum: vnde definit tam infirmam comparationem inter vtramque gloriam institui, quàm nullam inter vtramque reperiri proportionem quæ enim finiti ad infinitum proportio est, quæ temporanei, ne dicam & momentanei ad æternum comparatio? [Non enim glorificatum est, quod glorificatum est in hac parte, propter excellentem gloriam. Superioribus quippe verbis, ait Chrysostomus, id quidem ostendit, quòd hoc quoque in gloriâ sit, nec simpliciter in gloriâ, sed quòd etiam abundet. Non enim dixit, Quomodo non magis ministerium Spiritûs erit in gloriâ? sed, Abundat in gloriâ. Hîc verò præcellentia quoque quanta sit, his verbis ostendit, dicens, Si hanc cum illâ comparem, ne gloria quidem est, veteris testamenti gloria. Quibus verbis non hoc simpliciter astruit, quòd gloria non sit, sed comparationis ratione. Vnde etiam subiunxit, In hac parte, hoc est, si comparatio habeatur. Mox insuper aliud argumentum mouet, quod aliâ quoque ratione præstantiam huiusmodi demonstrat. Quale tandem istud? Nimirum à tempore dicens, Si autem quod euacuatur, per gloriam est, multò magis id quod manet, est in gloriâ. Illud enim finem accepit; hoc perpetuò manet.] Ita stabile, vt casum non metuat, ita durabile; vt se in æternum, imò in omnem protendat æternitatem. Quid ergo? Nouum testamentum æternum est? Quidni? Et hoc argumentum quod Paulus vsque adhuc seruauit, quasi optimum, ideoque & vltimum, sed non tam fini quàm æternitati consignauit. [Ratio sua, ait Aquinas, talis est. Illud quod datur, vt transeat, nihil est in respectu ad illud quod datur, vt semper maneat. Si ergo testamentum vetus, quod euacuatur & tollitur; testamentum autem nouum manet, quia hîc inchoatur & perficitur in patriâ. Erit multò magis in gloriâ æternâ, in quâ perficietur. Erit, inquam, nobis, qui sumus eius ministri.] Manet igitur, & permanet in æternum, & in seculum seculi: non quidem quoad ministerij conditionem, sed quoad ministri glorificationem: sicut & sempiternum Christi manet sacerdotium, non ob actum, sed ob meritum sacrificij. Itaque ministerium Mosaïcum euacuatum est & abolitum: ministerium autem Christianum ita gloriosum est, vt in gloriam transeat æternam, & in eâ tanquam in clausulâ permaneat.

Chrysost. Hom. 7.

Gloria ministris noui testamenti reposita.

Aquin. lect. 2.

TROPOLOGIA.

Sufficientia nostra ex Deo est.

NOn adimit nobis Paulus sufficientiam; imò asserit, dum nostram quidem dicit, sed à Deo ipso datam, non in nobis ipsis natam. Sed tria exponenda. Primum, Quænam sit illa sufficientia: secundum, quomodo in no-

A bis, imò & à nobis, non tamen & ex nobis: tertium, quod sufficientia ista sit efficacia.

Quoad 1. Ministrum se dixerat Apostolus salutis æternæ, veræ pietatis cooperarium: sed si qua est ea gloria, tota Deo referenda est, cum humano parta non sit ingenio: ideoque determinat sufficientiam illam non naturæ esse, sed gratiæ. [Fiduciam talem, id est, (vt exponit Aquinas) dicendi talia: Habemus ad Deum id est, referimus ad Deum, ex cuius viribus hoc dico, quia ipse in me operatur: quam quidem fiduciam habemus per Christum, per quem accessum habemus ad patrem. Causa autem fiduciæ hæc est, quia quicquid ego facio, B etiam ipsum principium operis Deo attribuo Et ideò dicit, Non quòd simus sufficientes cogitare: saltem non dicere; vel implere. Nam in quolibet processu operis, primò est assensus qui fit cogitando, deinde collatio per verbum, & postmodum impletio per opus: vnde fit, vt sic nec cogitare quis à se habeat, sed à Deo.] Aliud cogitare, aliud sic cogitare: cogitare enim, humanum est; sic autem cogitare, id est, quod salutis est, quod pietatis, diuinum. [Cogitantes credimus, ait Augustinus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam, C & verum Dei cultum, Non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim est in potestate nostrâ cor nostrum, & nostræ cogitationes. Vnde dicit Ambrosius, Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine diuino auxilio quî fieri potest? Nullo profectò modo. Hoc vtique vt diceret, non solùm in litteris sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius.] Nihil certè feracius corde humano, cum vix sine cogitatione sit, aut desiderio: nihil & suâ feracitate miserius: cum [Cuncta cogitatio cordis intenta sit ad malum omni tempore.] Nihil certius cum id omnes dicamus, nihil & apertius cũ omnes sentiamus. Vnde August. Iuliano. D [Quid aperta, inquit, implicas loquacitate perplexâ: ad malum liber est qui voluntate agit mala, aut opere aut sermone, aut certè solâ cogitatione: hoc autem grandioris ætatis quis hominum non potest? Ad bonum autem liber est qui voluntate bonâ agit bona, etiam ipse aut opere, aut sermone, aut certè solâ cogitatione sed hoc sine Dei gratiâ nullus hominum potest. Quod si dicis aliquem posse, contradicis ei, qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Contradicis etiam ei qui dixit, Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Puto quòd aliquid E boni non mali, non se dixit ex semetipso cogitare idoneum, sed ex Deo, de cogitatione autem bonâ, & sermo bonus est, & opus bonum. Ac per hoc qui cogitare aliquid boni, idoneus non est ex semetipso, profectò nec loqui est idoneus, nec agere aliquid boni ex semetipso; sed si est sub gratiâ, sufficientia eius ex Deo est.] Ex quibus tria colligas ad capiendã sufficientiam istam necessaria. Primũ est, seu sermonẽ esse de salutaribus cogitationibus, seu in æternam vitam ducentibus: Paulus enim re-

Aquin. lect. 2.

Aug. lib. de dono per. seu. c. 13.

Genes. c. 6

Aug. lib. 1. oper. inch um. 113.

Sufficientia nostra, ex quibus constituta sit.

suæ insistit, nec impedit quominus discurrant Philosophi. Certum est enim multa cogitare illos posse, imò & vera, imò & bona, suopte ingenio, nec ad id gratuito indigere beneficio, Dicant illi, Sufficientes sumus cogitare à nobis quasi ex nobis, modò non aliud quàm genium innatum intelligant, potentiâ diuinâ factum suffultumque: non obstabit Paulus; nec aduersùs insitam reclamabit intelligentiam. Secundum, non de nudâ cogitatione seu speculatiuâ rem nobis esse, sed actiuâ & affectuosâ: non enim tam curæ est Apostolo quid voluant in animo, quam quid agant ex animo diligant-ve, Quoties enim illi res bonas retexunt sed otiosè, sanctas etiam reuoluunt cogitationes; nec tamen sanctiores sunt, nec meliores, quia non amant ea quæ cogitant. Non quod sufficientes simus cogitare, Græcè λογίσασθαι: quod & mentem tangit, & voluntatem afficit. Tertium, totum vitæ Christianæ excursum vno verbo concludi. Multa enim cogitamus, quæ non facimus, nihil tamen deliberatè aut liberè facimus, si non cogitamus. A cogitatione incipiendum est, & progrediendum opere. Quocirca si nec cogitare aliquid à nobis sufficimus, quomodo agere sufficimus, quomodo perficere? Si à Deo inchoatio est, an ab alio est consummatio? Quocirca totus operum omnium Christianorum complexus, isto verbo comprehensus est.

Quoad 1. Cogitamus quidem aliquid à nobis, non tamen quasi ex nobis: qui enim cogitat, mente suâ cogitat; sicut & qui amat, suamet amat voluntate: sed nisi gratia præueniret diuina, nihil veniret in mentem: nisi occurreret illa, nihil voluntatem afficeret. Non multum sanè discrepant, A nobis, & Ex nobis. Græcè, ἀφ' ἑαυτῶν, &, ἐξ ἑαυτῶν. Consonant Latina & Græca. Si tamen nonnulla discrepantia notanda est, ἀφ', principium denotabit extrinsecum, ἐξ verò intrinsecum appellabit: vt istud sit quasi insitum, illud quasi assutum: adeò vt anima ipsa per mentem cogitet, amet per voluntatem; sed nec cogitando nec amando sufficiat, nisi succurrat gratia. Verùm noluit constringi Apostolus, nec ad forum cogi philosophicũ. Satis seipsũ sine subtilioris distinctionis expositis adminiculo, non tamen sine reflectionis iudicio. [Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.] Quid enim? Si diuinâ præuenti sumus gratiâ, nonne idonei sumus cogitare aliquid, imò & aliquid à nobis agere, quod spiret pietatem, quod salutem procuret? Sit ita: non ita tamen à nobis, tanquam ex nobismetipsis, tanquam agendi cogitandique principium nobis insitum sit, & non assutum; quasi innatum, & non additum: quasi ad operandum aut etiam cogitandum propriam habeamus sufficientiam, quasi alieno non egeamus subsidio. Tanquam ex nobis, quasi natura sit non gratia, & à gratiâ operemur quasi ex naturâ, quasi gratuito non iuuemur auxilio. Aliunde ergo sufficientia nostra. [Sufficientia nostra, ex Deo est.] Deus nobis quidem intimus: sed qui condidit naturam, addidit gratiam. Itaque habemus à naturâ ipsâ vnde cogitemus, vnde & amemus, capaces sumus, sed nondum sumus sufficientes: ad cogitandum enim & amandum Deum, Deo indigemus, suo gratuito Dei & Christi beneficio. [Si quis enim per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari id est Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli, Non quod idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.] Sufficientes sumus, si verè, si integrè fideles sumus: verùm sufficientia ista, non ex fundo naturæ est, sed ex gratiæ promptuario. [quasi dicat Apostolus, (teste Aquinate) possum quidem aliquid facere, quod est liberi arbitrii: sed hoc quod facio, non est ex me, sed ex Deo, qui hoc ipsum posse confert: vt sic & libertatem hominis defendat, cum dicit, A nobis, id est à nostrâ parte: & diuinam gratiam commendat, dum ait, Quasi ex nobis, scilicet procedat, sed à Deo.] Itaque si Verbum etiam increatum dixit, & verè dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me: quanto magis dicere possumus, Mea loquela non est mea, sed eius qui in me & per me loquitur; mea prudentia, non est mea, sed eius qui & consilium dedit, vimque quâ mens præconceptum exequitur: & mea est, quia loquor & exequor ego & non alius: & non mea, quia superiùs immissa, quia ab alio profecta principio, quia gratuito concessa beneficio.

Quoad 3. Sufficientia ista non tantùm dat posse, sed & agere, viresque ad vtrumque subministrat efficaces. Benè offerebat Caïn, dum offerebat Deo, primo principio, supremo rerum hominumque domino: sed malè diuidebat, dum melius sibi retinebat & excellentius. Agnoscimus, posse, esse à Deo, benè offerimus: sed si subtrahimus, Agere, malè diuidimus, quia id quod dignius est, nobis asserimus præstantiusque: non enim iusti sumus aut salui, quia possumus; sed quia volumus. Nihil inter Deum & nos diuidendum est, sed totum, quicquid id est; & posse & agere, & cogitare & amare bonum, totum inquam, Deo adscribendum, non minus primo ac summo volitionis nostræ, quam humanæ voluntatis principio. [Hoc etiam loco his verbis facit Apostolus: (verba sunt Chrysostomi) Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; tanquam ex nobis. Hoc est, Non ita dixi, Fiduciam habemus, tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei: sed totum istud Deo adscribo. Nostra enim sufficientia ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti.] Ministri sumus, sed facti: idonei sumus, sed aptati: tales enim sunt ministri noui testamenti, tam munere donati, quàm opere conformati. Idonei sumus, cogitare, ministrare; sed à Deo factum est istud, & ab eo datum opus, à quo & munus collatum: vt tanta sit dignitas in actione, quanta est in functione sublimitas. Explicat Aquinas, & ad id etiam externam aduocat Philosophiam. [In his enim quæ facimus, quærendum est illud propter

Concil. Arauf. can. 7.

Aquin. lect. 1.

Duplex agendi principiũ, insitum & assutum.

Chrysost. Hom. 6.

Aquin. lect. 1.

quod facimus. Non est autem procedere in infinitum, sed est deuenire ad aliquod primum, putà ad consilium. Sic ergo bonum facio, quia consilium mihi inest ad hoc, & hoc à Deo. Vnde dicendum, quod consilium boni est ab aliquo, quod est supra hominem mouens eum ad operandum. Et hoc est Deus, qui & homines mouet, & omnia quæ agunt, ad actiones suas: sed aliter, & aliter. Cum enim huiusmodi motus sit quoddam receptum in moto, oportet, quòd hoc fiat secundùm modum suæ naturæ. Ea ergo, quorum natura est, vt sint liberæ voluntatis, dominium suarum actionum habentia, mouet liberè ad operationes suas, sicut creaturas rationales & intellectuales. Alia autem non liberè, sed secundùm modum suæ naturæ.] Ex quibus tria elicienda sunt. Primum est, in omnibus agentibus non solùm naturalibus sed & liberis, deueniendum esse ad aliquod principium, quod tam primum sit quàm ad summum. Secundum, à supremo illo principio procedere, non solùm quicquid possumus, sed & quicquid volumus; sufficientiamque nostram non solùm quoad facultatem, sed & quoad actionem, totam inde deriuatam. Tertium denique, summum illud principium congruis vbique modis agere, & in necessarijs iuxtà necessitatem, in liberis iuxtà libertatem, & habitus & actus disponere, mentemque simul & voluntatem, seu ad cogitationem permouere, seu ad operationem. [Nos ergo volumus, ait Augustinus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bonâ voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc est verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo.] Nihil enim non facimus, sed nihil non facit Deus, dum facimus: ille enim qui nos condidit per naturam, nos per gratiam instituit, facit idoneos; dum suo aptat instituto, & ministerio applicat: dum cogitationem suggerit, dum operationem dirigit, & sufficientiam redigit in efficaciam.

Nihil non facit Deus, sed congruo disponit modo.

Augustin. l. de dono perseu. c. 13.

ANAGOGIA.

Epistola estis Christi.

TRiplicem differentiam astruit inter Christi epistolam, & Moysi scripturam. Prima est, quòd epistola est Christi, scriptura Moysi: secunda, quòd epistola inscripta sit cordi, scriptura lapidi: tertia, quòd scriptura atramento, epistola verò spiritu Dei viui ac viuentis sit exarata.

Quoad 1. Apostolus asserit id clarum esse manifestumque. [illegible]. Quis enim ex Christianis legitimis, id est iustis ac sanctis, non se palàm Christi esse declarat, quis non cum illis clamat Corinthiis, Ego sum Christi? Quid Iudæi? [Tu discipulus illius sis: Nos autem Moysi discipuli sumus.] Malè isti sententiam diuidunt, nec capiunt disciplinam. [Itane, ait Augustinus, sequimini seruum, & dorsum ponitis contra Dominum? Sed nec seruum sequimini: nam per illum ad Dominum duceremini: quia per Moysen prædicatus est Deus.]

Aug. Tract. vlt. in Ioan. 43. med.

A Sed sinamus illos, cæci sunt, & duces cæcorum: insani, dum se non aduertunt cæcos, & se sanos credunt; ideoque nec auxilium quærunt, nec currunt ad medicum. Nos igitur Christi Domini discipuli sumus, sed sumus & Pauli, sumus & Petri: ministri enim eius sunt, cui credidimus, cui & seruimus, cum & ipsi credant & seruiant. [Manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis.] Idcircò & epistola sumus Pauli. [Epistola nostra estis.] Quia Christus eo tanquam amanuensi ad scribendum vsus fuit, seu scribenti affuit seu loquenti. [Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.] Nec notarium respuimus, nec antiquarium, minimè tamen illum cum Domino & nostro & suo conferimus. Scimus scriptam à Paulo epistolam, sed Christi Apostolo & seruo, ideoque tam virtute Christi scriptam quàm & nomine. Epistola Pauli, propter speciale ministerium; Epistola Christi, propter principale magisterium: nam per Paulum, non Petrus, nec per Petrum Paulus, sed per vtrumque Christus annuntiatus est. Sumus ego Epistola Christi, quia licet & linguâ humanâ, & Apostolico vsus sit Christus calamo, diuinas tamen id est suas in nobis & leges inscripsit & voluntates. [Alio quippe modo, ait Chrysostomus, suam hoc loco ait esse epistolam. Superiùs enim Corinthios idcircò epistolam appellabat, quòd ab ipsis commendaretur: hic autem epistolam Christi eos vocat, vt qui Dei legem inscriptam haberent.] Tamen & si alius modus est, non sensus alius: cum enim velit Apostolus modo commendari legitimo, innuit etiam esse legitimam, verè piam, verè Christianam. Dicendo igitur, Epistola nostra vos estis: [Non solùm, vt & ille ait, amoris ac beneuolentiæ, sed etiam probæ atque honestæ vitæ testimonium ipsis tribuit; quippe qui eiusmodi sunt, vt magistri auctoritatem per virtutem suam demonstrare queant. Hoc enim significat quod ait, Epistola nostra vos estis. Perinde videlicet ac si diceret: id quod litteræ fecissent, nempe vt nos commendarent, atque auctoritatem nobis conciliarent, hoc ipsi præstatis, dum homines vos vident, atque audiunt. Discipulorum enim virtus magistro plus ornamenti, atque commendationis affert, quàm vlla epistola.] Hoc est ergo quod dicit: Vos Epistola illa estis, quam ministerio nostro scribit Christus. Sed quid scribit Christus nisi seipsum, nisi natiuitatis & mortis beneficium? Et inde liquet vos illo impressos sigillo, quod piè seu Christianè viuatis: id est, vitam traducatis epistolæ conscriptæ consonam.

Psalm. 44.

Quomodo epistola & Christi sit, & Apostoli

Chrysost. Hom. 6.

Chrysost. ibidem.

E Quoad 2. Prælusit Deus in lapide, dein & in corde conscripsit. [Quorumdam enim tunc paulatim, (ita loquitur Tertullianus) ad perfectum disciplinæ Christianæ nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat. Hanc etenim dicimus operam legis fuisse procurantis Euangelio.] Quid enim Euangelium, nisi veteris instrumenti complementum? & quid vetus instrumentum, nisi Euangelij præludium? Adhuc balbutiebat, dum Moysem habebat elinquē & balbutiētem. [Ait Moyses: Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum

Tertull. l. 4. aduers. Marcion. c. 17.

seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.] Balbutiebat, quia infantes docebat, homines quidem, sed pueros adhuc, rudes, imperfectos: quia verò infantes ac pueri parùm obsequentes sunt ac morigeri, sed ad discēdum duri, tardi ad agendum; lex in lapide data est, ad conuincēdam ineruditæ gentis peruicaciam, conterendamque duræ ceruicis contumaciam. Nunc ergo, vbi omnes sunt docibiles Dei, vbi non sunt amplius paruuli, sed viri facti: vbi ad perfectum adducit lex: vbi superbiam frangit & emollit duritiam, nihil lapidi scribitur, sed quicquid in epistolà illà scribitur, cordi inscribitur. [Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.] Græcè ἐγγεγραμμένη, inscripta: altè & intimè exculpti. Non dixit, scripti; sed, Inscripti, vti Chrysostomus notauit. [Hoc est, ait ille, nec mihi ex animo excidere potestis.] Adeò graphicè, adeò profundè. Scripta ergo epistola illa: [Non in tabulis lapideis: sed in tabulis cordis carnalibus.] Græcè σαρκίναις non σαρκικαῖς Sed parum distat sententia, si constat de intelligentiâ. Illud enim carnale non est illud quod non est spiritale: sed quod molle ad recipiendum, ad parendum facile; quasi carneum esset non osseum: quasi paratum ad omnia, & patienda & agenda propitissimum. Quid est ergo legē scribi cordi seu inscribi? Dei voluntatem altè & intimè imprimi, vt tam promptè fiat quàm & facilè, vt fiat ex animo, & quasi ex genio. Quid est enim cor carneum, nisi animus ad omnia paratus, facilè cedens, & expeditè obediens? Ita promiserat Deus? ita Ezechiel prædixerat, rursusq; tanquam rem grandem nec semel promittendam, nec semel dicendam, subiunxerat. [Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam à vobis cor lapideum de carne vestrâ, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.] Cur cor? quia nihil fit, aut non benè fit, si non fit ex corde, ex animo, ex genio, ex propensione, ex inclinatione. Cur cor nouum? quia antiquum immundum est, corruptum est. Cur cor carneū? vt non solùm cedat, & non resistat: sed & tam laudabiliter prorumpat in actum quàm delectabiliter, mandatumque perficiat. Da mihi cor Pauli, & ego eo amore diligam quo Christum dilexit Paulus: da mihi cor Laurentij, & ego ardore sitiam martyrium quo sitiuit Laurentius. [Certum est enim, ait Augustinus, nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Cum dicit, Faciam vt faciatis: quid aliud dicit, nisi Auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis; & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis?] Ita enim bene facimus, cum ille benignè facit vt faciamus.

Chrysost. Hom. 6.

Cor carneū quod molle, patiendo agendoque est facile.

Ezech c. 36. & priùs c. 11.

Aug. lib. de grat. & lib. arb c. 16.

Quoad 3. Epistola Christi sumus, cum anima nostra ipso Christo inscripta est: non tanquam lapidea tabula, sed tanquam bonæ voluntatis, seu sanctæ charitatis officina: vt Christum resonet, ametque: nihil dicat, nisi quod Christum referat: nihil sentiat, nisi quod Christum sapiat. Tota sit diuinis informata mandatis, tota cœlestibus impressa characteribus, tota Deo & Christo consignata. Sed quomodo fiet istud? [Scripta non atramento, sed spiritu Dei viui.] Spiritus sanctus superuenit, & quod semel fecit, Christum efformando in aluo Virginis: hoc semper facit, iterum formando in cordis alueo. Nam, vti dixit Irenæus: [Quoniam spiritus amplectitur carnem, ait Apostolus, Quoniam estis epistola Christi, inscripta non atramento, sed Spiritu Dei viui: nunc enim corda carnea sunt Spiritûs capacia.] Quid lex Iudæorum? lex operis. Quid lex Christianorū? lex cordis est. Quidnam illa? littera exterior, quæ oculis legitur. Quidnam ista? regula interior, quæ factis exprimitur. Illa vulgaribus scribitur characteribus, ista secretioribus sentitur instinctibus. Illa humanis attemperatur obtutibus, diuinis ista motibus gubernatur: illa denique pingitur atramento, ista Dei ipsius digito imprimitur. [Hic enim Spiritus sanctus, (verba Augustini) per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei in Euangelio dicitur. Vnde quia & illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, & digitus Dei est spiritus Dei per quem sanctificamur, vt ex fide viuētes per dilectionem benè operemur, quem non moueat ista congruētia, ibidemque eadem distantia? Dies enim quinquaginta computantur à celebratione Paschæ: quæ occisione figuratæ ouis per Moysen fieri præcepta est, in significationem vtique futuræ Dominicæ passionis, vsque ad diem quo Moyses legem accepit in tabulis digito Dei conscriptis: similiter ab occisione & resurrectione illius qui sicut ouis ad immolandum ductus est, quinquaginta diebus completis congregatos in vnum fideles digitus Dei, hoc est, Spiritus sanctus impleuit. In hac autem mirabili congruentiâ illud certè plurimum distat, quòd ibi populus accedere ad locum vbi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hîc autem in eos superuenit Spiritus sanctus, qui eum promissum expectantes in vnum fuerant congregati. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hîc in cordibus humanis. Ibi ergo lex extrinsecùs posita est quâ iniusti terrerentur, hîc intrinsecùs data est quâ iustificarentur. Lex ergo Dei est charitas, non in tabulis conscripta lapideis, sed diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Cum enim ipsa charitas diffunditur in corde credentium, lex est fidei, & spiritus viuificans dilectorem.] Vtraque ergo lex digito Dei exarata est, sed vna forinsecùs posita ad terrendum, altera intrinsecùs diffusa ad mulcendum: illa minatur pœnam, hæc gratiam operatur: iubet illa, ista adimplet. [Nunc enim (vti ille dixit) ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritûs bonum, hoc est intelligibile bonum; cum dicitur, Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Vnde significauit eos non forinsecùs terrentem legem formidaturos, sed intrinsecùs habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos.]

Irenæus l. 5. aduers. hæres. c. 13.

Augustin. l. de sp. & litt c. 16. & c. 17.

Quanta vtriusque legis conuenientia est, quanta & differentia.

Aug. lib de sp. & litt. c. 21.



PARS SECVNDA

DE REVELATIONE.

TEXTVS.

HAbentes igitur talem spem, multâ fiduciâ vtimur: & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est: Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes, reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.

EXEGESIS LITTERALIS.

IVdæis nouum testamentum velatum est: nobis autem reuelatum est, quod & ipsis tandem aliquando est reuelandum.

[Habentes igitur talem spem, multâ fiduciâ vtimur, &c.] Quam spem? Adipiscendæ gloriæ, talis ac tantæ, tam excellentis ac magnificæ. Quâ fiduciâ? loquendi, disseminandi fidem, veritatem prædicandi. Græcè παῤῥησίᾳ. Talibus enim euangelizatoribus, seu legitimis fidisque Christi & Euangelij ministris repromissa est gloria. [Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum, &c.] Legem nouam prædicamus, Christianam annuntiamus fidem: non tamen sicut Moyses faciebat, dum lucem occultabat, faciem-ve obducto celabat velamine. Græca τέλος habent, non πρόσωπον. In fine, non in faciem. Sic ergo Moyses gestabat legem, vt filij Israël non possent latoris faciem respicere, aut finem legis non possent prospicere: adeò obtusis erant sensibus, adeò infirmis obtutibus. [Dico, (verba sunt Aquinatis) quòd vtimur multâ fiduciâ, & tantâ, quòd non accidit nobis, sicut Moyses faciebat eis, scilicet non reuelando faciem suam populo, quia nondum venerat tempus reuelandi claritatem veritatis. Habemus ergo nos fiduciam absque velamine, quod euacuatur: velamen enim illud erat obscuritas figurarum, quæ per Christum euacuata est. Dicit ergo Paulus quòd Moyses ponebat velamen, scilicet figuræ, super faciem suam: quod, scilicet velamen euacuatur, id est tollitur per Christum: scilicet implendo in veritate, quod Moyses tradidit in figurâ. Item, in mittendo Spiritum sanctum in corda credentium, vt intelligerent spiritualiter, quod Iudæi carnaliter intelligunt.] Iudæorum sensus obtusi, Christianorum sensus intelligendis aperti scripturis. [Vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, &c.] Illud ipsum velamen quod erat in facie Moysis ad figuram, manet adhuc sedetque in corde Iudæorum quoad ignorantiam: non enim ab alio quàm à Christo intelligentia reuelanda est: vnde & cum audiunt Moysem, aut legem legunt, non intelligunt: tanta est cæcitas mentis, tanta cordis carnalitas. [Obtusio, ait Ambros. infidelitatis causâ obuenit, ideò conuersis ad fidem acuitur acies mentis, vt videant diuini luminis splendorem.]

[Cum autem conuersus fuerit ad Dominum auferetur velamen, &c.] Gerebat Moyses figuram populi Iudaïci, idcircò & velamen ponebat ad denotandam cæcitatem incredulorum, & deponebat ad designandam fidem credentium. Cum enim dimisso populo, ad Dominum reuertebatur, conuertebatur-ue, velamen auferebat, sicque non tam Iudæum præseferebat, quàm Christianum. [Dominus autem spiritus est. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas, &c.] Qui à lege ad Christum, à litterâ conuertitur ad Spiritum, conuertitur ad Dominum, vt faciebat Moyses, in quo & veros referebat Christianos: Dominus enim Spiritus est, & Spiritus est Deus: sic tamen Deus est, vt sit à Deo, sic Spiritus Dominus, vt sit & Domini spiritus: Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas est; caput reuelandum, velamen auferen-

Aquin lect. 3.

Cæcitas cordis per velamen Moysis figurata.

Ambrос. in Paulum.

Moyses imposito aut deposito velamine, vtrumque significat populum.

Comment. Athanas.

dum quod subiectionis est seruitutisque symbolum. [Erat Moyses, ait Comment. Athanas. cum ad Deum iter repeteret, facie reuelatâ & apertâ. Quod sanè futurorum præferebat figuram, videlicet cum ad spiritum quisque fuerit conuersus. In lege autem iugum & seruitus erant, in spiritûs verò lege & Euangelio, libertas. Quo fit, vt facile queas & liberè gloriam Domini inspectare.] Non iam legis latorem, sed legis auctorem; nec seruum, sed Dominum. [Nos verò omnes, reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.] Lucem recipiebat Moyses, nec tamen & reddebat, quin & abscondebat. Nos autem ad instar speculi, lucem suscipimus, sed & emittimus: Facie enim retectâ, & plenâ libertate ad Dominum conuertimur, gloriam eius contemplamur, & in eam transformamur à claritate in claritatem: vt illos decet, qui à Spiritu Domini acti sunt illustratique. [Quemadmodum enim, ait Chrysostomus, purum argentum ad solis radios situm, ipsum quoque radios emittit; non ob suam duntaxat naturam? sed etiam ob solarem fulgorem: eodem modo anima defecata, atque argento splendidior effecta, Spiritûs gloriâ radiũ suscipit, ac vicissim, remittit.] Id & specula soli, seu luci obiecta.

Chrysost. Hom. 7.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

DE Iudæis res est perfidis, tam anterioribus quàm & posterioribus: quorum illi in faciem Moysi intendere non potuerunt, isti nec velamen possunt deponere.

DISQVISITIO PRIMA.

De anterioribus.

OMnia contingebant illis in figurâ: nec sermones tantùm, sed & res futuras prædicebant. Idcircò Paulus, vt Tertullianus obseruat: [Commemorat & de velamine Moysi, quo faciem tegebat incontemplabilem filiis Israël.] Ad quid? [Figuram ostendit fuisse velamen faciei in Moyse, velaminis cordis in populo: quia nec nunc apud illos perspiciatur Moyses corde, sicut nec facie tunc.] Duplex autem figura esse potest, vna noua ministrans testamento, altera Iudæos ipsos prænuntians. Et quidem de primâ, dici potest, legem cessisse fidei, ideoque Moysen imposuisse velamen faciei. [Si ideò, ait & ille, vt claritatem maiorem defenderet noui testamenti, quod manet in gloriâ, quàm veteris, quod euacuari habebat, hoc & meæ conuenit fidei, præponenti Euangelium legi. Et vide ne magis meæ. Illic enim erit superponi quid, vbi fuerit & illud cui superponitur.] De secundâ: res plusquam certa est, cum à Paulo sit apertè declarata. [Cum enim dicit, (rursum Tertullianus) Sed obtusi sunt sensus mundi: non vtique Creatoris, sed populi qui in mundo est. De Israële enim dicit,

Tertull. lib. 5. aduers. Marc. c. 11.

Tert. ibid.

A Ad hodiernum vsque velamen idipsum in corde eorum.] Vbi notanda sunt duo. Primum est, Tertullianum legere, [Sed obtusi sunt sensus mundi.] Cum tamen Græcè legatur, ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, [Occalluerunt cogitationes eorum.] Vt mundum sumat pro mundialibus, seu sensibus carnalibus. Alterum, figuram producere ad traducendam Iudaïci populi duricordiam. [Dicit ergo Apostolus, (ita Aquinas) quod velamen euacuatur in his qui credunt, sed non quantum ad Iudæos infideles. Et ratio huius est, quia obtusi sunt sensus eorum: id est, ratio eorum hebes est, & sensus eorum imbecilles & obtusi sunt; nec possunt

Aquin. lect. 3.

B videre claritatem diuini luminis. Et huius ratio est, quia claudunt oculos, vt non videant Et ideò ex eorum culpâ infidelitatis, non ex defectu veritatis; quia remoto velamine omnibus aperientibus oculos mentis, per fidem clarissimè veritas manifestatur.] Quibus docet, duo fuisse Iudæorum genera: vnum fidelium, alterum infidelium: seu vnum spiritalium, alterum carnalium: & illos quidem sub velamine lucem contuitos veritatis non conniuentibus oculis, istos inuolutis luminibus nedum in speciem lucis ausos; sed adhæsisse velamini, id est, institisse cortici rerum, nec ad veram peruenisse mysteriorum intelligentiam.

Duo Iudæorum genera fidelium & infidelium.

C Hoc est igitur quod faciem nectunt & finem: id est Christum proponunt tanquam prophetiæ omnis & omnis figuræ terminum. [Dicit Apostolus, (verba sunt Augustini) quòd non poterant intendere filii Israël vsque in finem vultûs Moysi, & ideò eis per velum loquebatur, & hoc significat, quia littera legis neminem iustificat, sed velamen positum est in lectione veteris testamenti, donec ad Christum transeatur, & auferatur velamen, id est, transeatur ad gratiam, vt intelligatur ab ipso nobis esse iustificationem, quâ faciamus quod

Aug lib. de Spi. & lit. cap. 17.

D iubet.] Quis finis legis? Christus. Quomodo finis? per gratiam suam, quâ legem perficit in nobis dum diffundit charitatem. Ipse promissa consummat, ipse reserat mysteria: ipse vmbras discutit, dum aduenit; figuras abolet, dum adimplet. [Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.] Aliquid datum per Moysen, nihil factum. Legem dedit, non tamen fecit. Et in lege, duo erant desideranda: lux veritatis, quâ detegerentur mysteria: donum charitatis, quâ mandata complerentur: lex enim figuratiua erat, ideò

Ioan. cap. 1.

Lex obscura & infirma, sed per Christum complenda.

E obscura: gratiâ destituta erat, idcircò infirma. Idcircò Christus erat expectandus, qui & intelligentiam afferret ad dissoluenda ænigmata, & ad implenda mandata conferret gratiam. [Qui enim, vti dixit Basilius, nudæ intellectui litteræ assidet, & illic circa legales obseruationes occupatus est, Iudaïcâ litteræ intelligentiâ quasi velo tectum habet cor & id accidit illi eò quòd ignoret corporalem legis obseruationem in aduentu Christi abolitam esse, iam figuris ad veritatem translatis. Euanescunt enim lucernæ solis aduentu: & cessat lex, ac Prophetæ silent simul vt illuxit veritas.] Legem ergo accepit populus, sed in finem legis non intendit, quia nec legem impleuit, quod fit per charitatem; nec ad veram legis, quod fit per veritatem, peruenit in-

Basilius lib. de Spi. sãct. c. 21.

telligentiam. [Accepit quippe ille populus legem digito Dei ſcriptam in tabulis ſanè lapideis, ad ſignificandam duritiam cordis illorum quòd legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona deſiderantes à Domino, magis carnali timore quàm ſpiritali charitate tenebantur: legem autem non implet, niſi charitas. Ideò multis ſacramentis viſibilibus onerati ſunt, quo ſeruili iugo premerentur, in obſeruationibus ciborum, & in ſacrificijs animalium, & in aliis innumerabilibus, quæ tamen ſigna erant rerum ſpiritalium, ad Dominum Ieſum Chriſtum & ad Eccleſiam pertinentium: quæ tunc à paucis ſanctis & intelligebantur ad fructum ſalutis, & obſeruabantur ad congruentiam temporis; à multitudine verò carnalium tantummodo obſeruabantur, non intelligebantur.] Ita Auguſtinus.

Aug. lib. de cat. rud. cap 20.

DISQVISITIO SECVNDA.

De poſterioribus.

NEc poſteriores ſortis ſunt felicioris, niſi quòd melioris ſunt ſpei, & propioris auxilij. [Vſque in hodiernum enim diem, idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum: quoniam in Chriſto euacuatur. Sed vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.] Senſus pariter obtuſi. [Vide, ait Chryſoſtomus, quid per hæc verba aſtruat Apoſtolus. Nam quòd tum ſemel in Moſe contigit, hoc perpetuò in lege contingit. Nec tamen his verbis legem criminatur, quemadmodum nec Moſem tum ſeſe obuelantem, ſed Iudæorum vecordiam. Illa enim ſuam gloriam habet: at iſti eam intueri nequiuerunt. Quid igitur mirum vobis eſt, inquit, ſi hanc gratiæ gloriam cernere nequeant, cum minorem illam Moſis non perſpexerint, nec illius vultum obtueri potuerint? Quid item hoc animos veſtros conturbat, quod Iudæi Chriſto non credant, cum ne legi quidem credant? Nam ob id gratiam etiam ignorarunt, quoniam ne vetus quidem teſtamentum, nec ipſius gloriam cognouerunt. Siquidem legis gloria in hoc demum ſita eſt, quòd ad Chriſtum animas conuertat. Quod ergo ait, Vſque in hodiernum diem id ipſum velamen manet, hanc ſententiam habet: Hoc ipſum cernere nequeunt, legem finem accepiſſe, propterea quod Chriſto non credunt.] Quod erat in facie, nunc hæret in corde: ſed ſicut erat in facie non ob Moyſis indignitatem, ſed ob infirmitatem intuentium: ita & nunc hæret in corde, non ob legis obſcuritatem, ſed ob carnalitatem Iudæorum: ideò enim velamen in lectione eſt, quia in corde: & in corde eſt, quia & obtuſio mentis adhæret, permanetque voluntatis obſtinatio. Non quod Chriſtum reſpuant, ſed quod illum nondum veniſſe contendant. Vnde Tertullianus: [Quid eſt ergo, inquit, adhuc velatum in Moyſe, quod pertineat ad Paulum, ſi Chriſtus Creatoris à Moyſe prædicatus nondum venit? quomodo iam aperta & velata adhuc denotantur corda Iudæorum, nondum exhibitis prædicationibus Moyſi, id eſt de Chriſto, in quo eum intelligere deberent? Quid ad Apoſtolum Chriſti alterius, ſi Dei ſui ſacramenta Iudæi non intelligebant, niſi quia velamen cordis illorum ad cæcitatem, quâ non perſpexerant Chriſtum, Moyſi pertinebat?] Hoc enim iam præfiguratum, ſed & ſimul ſignificatum eſt, id non legis probro, ſed cordis imputandum vitio.

Chryſoſt. Hom. 7.

Ignoranta non legis probro, ſed cordis imputanda vitio.

Tertul. l. 5. aduer. Mar. cap. 11.

Sed quod ſtuporem arguit Iudæorum, conuerſionem attigit. [Nam quòd ſcripturas ſacras Iudæi intellecturi non eſſent, intelligi autem haberent in nouiſſimis temporibus, poſteaquam Chriſtus veniſſet, apud Eſaiam eſt: Et erunt vobis hi omnes ſermones ſicut ſermones libri qui ſignatus eſt, quem ſi dederis homini ſcienti litteras ad legendum, dicet, Non poſſum legere, ſignatus eſt enim. Sed in illâ die audient ſurdi ſermones libri, & qui in tenebris, & qui in nebulâ ſunt, oculi cæcorum videbunt. Et Paulus in epiſtolâ ad Corinthios ſecundâ: ſunt obtuſi ſenſus eorum vſq; ad hunc diem, hoc eodem velamento in lectione veteris teſtamenti manente, quod non reuelatur; & vſque in hodiernum ſi quando legitur Moyſes, velamentum eſt ſuper cor eorum. Mox autem vt conuerſus eſt ad Dominum, aufertur velamentum.] Tandem igitur aliquando velamentum à corde eorum auferendum eſt, cum propheticas capient ſcripturas, Chriſtum vt Deum recipient: tunc conuertentur ad Dominum ſuum, & ablato velamine, ſeu reuelatâ facie, illum reuerebuntur, non quem confixerunt, ſed quem reſignatis deprehenderunt ſcripturis. [Non enim, vti dixit Auguſtinus, aufertur hoc velamen, per quod non intelligunt Moyſen, niſi tranſierint ad Chriſtum: non qualem ipſi finxerunt, ſed qualem patres Hebræi prophetauerunt. Sic enim Apoſtolus ait, Cum autem tranſieris ad Dominum, auferetur velamen.] Vtrumque igitur in Moyſe præfiguratum eſt, nunc velamen inferente, nunc & auferente. [Cum enim Moyſes acceptis denuò tabulis deſcenderet, (verba Chryſoſtomi) gloria quædam ex ipſius vultu exiliens, adeo effulgebat, vt Iudæi, nec ad eum accedere, nec cum eo colloqui poſſent, quouſque faciei ſuæ velamen impoſuiſſet. Cum autem ingrediebatur vt loqueretur coram Deo, tollebat velamen quouſque egrederetur. Sic enim in Exodo ſcriptum eſt. Vbi ergo dicit Apoſtolus, Cum autem conuerſus fuerit ad Dominum, ad extremum vſque in hiſtoriâ perſiſtit. Etenim cum Moyſes Iudæos alloqueretur, faciem ſuam obuelabat: cum autem ad Dominum ſe conuertebat, eam detegebat: & in hoc, eius, quod futurum erat, figuram gerebat.] Velamen quippe, tandem auferendum eſt, frangenda cordis duritia, & intelligentia legis ſuggerenda. [Euacuatur namque in Chriſto non vetus teſtamentum, ait Auguſtinus, ſed velamen eius, vt per Chriſtum intelligatur, & quaſi denudetur, quod ſine Chriſto obſcurum atque adopertum eſt. Subiicit quippe Apoſtolus, Cum autem tranſieris ad Chriſtum, Auferetur velamen. Non enim ait, auferetur lex, aut teſtamentum vetus.] Variat aliquantum lectio, vt vides, ſed ſtat in totum expoſitio.

Cyprian. l. 1. aduerſ. Iud. c. 4.

Iudæi primo auerſi, tandem & conuerſi.

Aug. lib. 12. cont. Fauſt. c. 4.

Chryſoſt. Hom. 7.

Exod. c. 34.

Aug. l. de vtilit. cred. c. 3.

TROPOLOGIA.

Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.

VNde id deducit Apostolus? Ex verbis istis: [Dominus autem Spiritus est.] Tum & definit: [Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.] Tria igitur ostendemus, auctorem, rationem, perfectionem libertatis, concludemusque nos ideò liberos, quia liberatos, eoque magis liberos, quò minùs seruos.

Quoad auctorem. Primò, dominium stabiliendum erat, vt fieret manumissio legitima; nec enim fieri poterat nisi à proprio domino. [Ipsum quod ait Apostolus, (verba Tertulliani) Quâ libertate Christus nos manumisit: nonne eum constituit manumissorem, qui fuit Dominus? Alienos enim seruos ne Galba quidem manumisit, faciliùs liberos soluturus.] A quo præstanda libertas? an à proprio domino, vel ab alieno? Vtique à proprio. Nec enim ipse Galba qui promittebat libertatem, in extraneos exercebat liberalitatem, sed in suos: faciliusque erat liberos in statum pristinum restituere, quàm alienos manumittere. Apud quem erat seruitus? nonne apud eum qui mandatum dederat, & à suis, tanquam à seruis, exegerat obsequium? Sed cum lex non impleatur per legem, sed per fidem; tandiu captiuatur homo, quamdiu grauatur legis onere, nec opere charitatis releuatur. [Quum ergo conuerterit ad Deum, (ita ille) auferetur velamen; hoc Iudæo propriè dicit Apostolus, apud quem & est velamen Moysi: qui cum transierit in fidem Christi, intelligit Moysen de Christo prædicasse. Ceterùm, quomodo auferetur velamentum Creatoris in Christo Dei alterius, cuius sacramenta velasse non potuit Creator, ignoti videlicet ignota?] Vnus ergo Deus, qui legem veterem dedit & nouam, vtramque instituit: sed vnam in timore, alteram in amore. Vnus & idem Spiritus, sed eius duplex afflatus, timoris vnus, alter & amoris. Illius ergo est soluere cuius & ligare: & cuius captiuare, eius & manumittere. [Quis enim Catholicus dicat, Spiritum sanctum adiutorem virtutis in veteri testamento non fuisse? nisi cum vetus testamentum sic intelligimus, (agnosce Augustinum) quemadmodum Apostolus dixit, à monte Sina in seruitutem generans? Sed quia in eo figurabatur nouum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundum distributionem temporis, veteris quidem testamenti dispensatores & gestatores, sed noui demonstrantur hæredes.] Non enim spiritum dedit timoris, vt in eo permanerent, sed vt spiritum expeterent amoris: nec vt seruitutem excolerent, sed vt ad libertatem contenderent. Velo sunt obducti Iudæi, sub iugo positi, velo à Domino liberandi. [Ratio enim, ait Aquinas, quare conuertantur, & velamen amoueatur, hoc modo est, quia Deus vult. Posset enim dicere, quòd velamen illud appositum est ex præcepto Domini, & ideò non potest remoueri. Sed Apostolus ostendit, quòd non solùm potest remoueri, imò, quia remouetur per eum, qui est Dominus: & hoc est quod dicit, Dominus enim Spiritus est: nam Spiritus sanctus, qui est auctor legis, est Dominus: id est, operatur ex proprio libertatis arbitrio. Quia igitur Spiritus est Dominus, potest dare libertatem.] Dominus ergo Spiritus est, seu, Spiritus Dominus est; quia vbi vult spirat, & prout vult sua dispensat munera. [Liquet profectò, ait Chrysostomus, quod de Spiritu id dicit Apostolus. Ad eum enim, à litterâ eos vocabat.] Seruos nimirum efficiebat filios, dum reddebat liberos: & ad Spiritum ducebat amoris tanquam ad pileum, seu libertatis titulum.

Tertul. l. 5. aduer. Marc. cap. 4.

Tertul. eod. lib. cap. 11.

Aug. l. 3. ad Bonif. c. 4.

Aquin. lect. 3.

Spiritus sanctus vtriusque legis Dominus.

Chrysost. Hom. 7.

Quoad rationem. Appositè Paulus dignitatem expressit dominantis, vt qualitatem nosceremus libertatis, nec in occasionem carnis daremus libertatem. Quis Dominus? Spiritus sanctus: ergo libertas eiusdem esse debet conditionis, tam spiritalis quàm & sancta, tam diuina quàm & cœlestis. [Sciendum est enim, ait Aquinas, quòd occasione istorum verborum, scilicet, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: aliqui erroneè dixerunt, quòd viri spirituales non obligantur præceptis legis diuinæ: sed hoc est falsum: nam præcepta Dei sunt regula voluntatis humanæ. Nullus autem homo est, nec etiam angelus, cuius volũtas non oporteat regulari & dirigi lege diuinâ. Vnde impossibile est aliquem hominem præceptis Dei non subdi. Quod ergo dicitur, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas, intelligitur; quia liber est, qui est causâ sui: seruus autem est causâ Domini. Quicumque ergo agit ex seipso, liberè agit: qui verò ex alio motus, non agit liberè. Ille ergo qui vitat mala, non quia mala, sed propter mandatum Domini, non est liber: sed qui vitat mala, quia mala, est liber. Hoc autem facit Spiritus sanctus, qui mentem interiùs perficit per bonum habitum, vt sic ex amore caueat, ac si præciperet lex diuina: & ideò dicitur liber, non quin subdatur legi diuinæ, sed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum, quod lex diuina ordinat.] Ita capiendum illud, quod dicit Apostolus, [Iusto lex non est posita.] Non quod non faciat opus legis, sed quòd onus legis non sentiat. Iniustus enim trahitur, dum non tam iustitiæ præcepti, quàm pœnâ ducitur supplicij. Iustus legem amat, nec tam vrentem considerat quàm lucentem: ad lucem enim eius animo tam prompto quàm & pio ambulat, nec expectat supplicium indici, sed properat consequi præmium. Quænam igitur illa libertas? An à lege? Minimè verò. [Quis enim dicat, ait Augustinus, non debere obseruare Christianos, vt vni Deo religionis obsequio seruiatur, vt idolum non colatur, vt nomen Domini non accipiatur in vanum, vt parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne vxor, ne omninò res vlla concupiscatur aliena? Quis est tam impius, qui dicat ideò se ista legis non custodire præcepta, quia ipse est Christianus, nec sub lege, sed sub gratiâ constitutus?] Non ergo libertas est à lege iubentis, sed à legis onere. Imò soli iusti legem faciunt, & tamen liberi sunt, quia voluntatem conferunt, id est,

Aquin. lect. 3.

Christiani quomodo sint in lege liberi.

Aug. l. 3. ad Bonif. c. 4.

amore non faciunt, non timore. Iniusti, non faciunt, dum coacti faciunt, aut stimulis adacti, aut vinculis constricti. [Qui enim faciunt, ait ille, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi, non verè faciunt: quoniam carnalis cupiditas, quâ peccatum augetur, cupiditate aliâ non sanatur. Hi ad vetus testamentum pertinent, quod in seruitutem generat, quia facit eos carnalis timor & cupiditas seruos, non Euangelica fides, spes & charitas liberos. Qui verò fide ista faciunt quæ per dilectionem operatur, in spe bonorum non carnalium, sed spiritualium; non terrenorum sed cœlestium; non temporalium, sed æternorum. Hi pertinent ad testamentum nouum filij promissionis, regenerati à Deo patre & liberâ matre.] Qualis illa libertas, quâ verè sumus liberi, quia verè sumus liberati? [Libertatem enim dixit, habitâ, ait Chrysostomus, ratione pristinæ seruitutis.] Serui eramus sub lege positi, non tam iubente quàm premente: nunc liberi, nunc liberati, quia sub gratiâ sumus releuante ac confortante. Qualis illa facilitas, quam bona probat voluntas: quam bonus deducit Spiritus, & in terram rectam inducit? Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: vbi charitas, seu voluntas bona, ibi tota facilitas.

Aug. ibid.

Chrysost. Hom. 7.

Quoad perfectionem. Si libertas illa spiritalis non aliud est apud Paulum Apostolum quam charitas cœlestis, seu bona ac recta voluntas: eò perfectior libertas erit, quo charitas prouectior, quò voluntas melior erit ac rectior. [Nec enim, vti Bernardus dixit, posset quis bonum velle: nisi bonâ voluntate: sicut nec velle malum, nisi malâ voluntate. Cum bonum volumus, bona est voluntas: cum malum, mala voluntas.] Quid autem vult bonum nisi charitas, quæ bona voluntas? & quid vult malum, nisi cupiditas, quæ mala voluntas? illa enim quia recta, in bonum tendit, ista quia peruersa, deflectit à bono: illa in scopum ducit, à scopo ista deficit. [Per arbitrij namque libertatem, ait Augustinus, factum est vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Vnde ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur: Si vos, inquit, filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia scriptura dicit, A quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: ita non est opus liberis liberator, sed seruis, vt eis dicat gratulatio libertatis, Saluasti de necessitatibus animam meam. Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non perisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccauit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas; & accipiatur tanta libertas, in quâ sicut necesse est permaneat beatè viuendi voluntas, ita vt sit etiam benè viuendi & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.] Quid miraris? Status iste naturalis non est dum vitiosus, sed pœnalis deprauatusque: nec natura constituti hominis, sed pœna damnati. [Ad iram quippe Dei pertinet iustâ, ait ille, quidquid cœcâ & indomitâ concupiscêtiâ faciunt libenter mali, & quidquid manifestis opertisque pœnis patiuntur inuiti.] Non dico te non esse liberum in malo, sed dico te malè liberum: tam enim mala libertas est, quam voluntas peruersa: tam indigna libertas, quàm misera infirmitas, quæ non tam libertas dicenda, quàm cupiditas: non enim tam facit, quàm deficit: & in hoc deficit, dum facit, vt quod malum nolumus, hoc ipsum faciamus, & non agamus bonum quod volumus. Sed sicut cupiditas, pœnalis est infirmitas, sic & charitas, cœlestis est sanitas. Ideoque, vt definit Augustinus: [Tunc plena sanitas, quando plena charitas.] Vnde potes, nisi ex sanitate? vnde non potes, nisi ex infirmitate? ita quo maior sanitas, maior & potestas; si sanitas perfecta, & perfecta agendi potestas: & cum sanitas sit ipsa charitas, quo maior charitas, eo perfectior & amplior volendi bonum & agendi facultas. Denique cum ipsa libertas nostra, sit bonum seu benè agendi facultas, quanto charitas excellentior, tantò libertas erit perfectior: erit autem maior charitas, quo minor cupiditas: id est, tanto amplior potestas, quo minor infirmitas: sicque plena libertas, vbi nulla cupiditas. [Primò nempè, vti dixit Bernardus, in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi sumus nobilis Deo creatura: Secundò reformamur in innocentiam, noua in Christo creatura: tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, secunda plurimum etiam virtutis, nouissima cumulum iucunditatis.] Sed iam id ad anagogiam.

Bernard l. de grat. & lib arb.

Aug lib. de perf. iust. c. 4.

Quanto maior charitas, tanto libertas perfectior.

Aug. c. 27. Enchirid.

Aug. l. de perf. iust. cap. 3.

Bernard. l. de grat. & lib. arbit.

A

B

C

D

E

ANAGOGIA.

Gloriam Domini speculantes.

EN & alia libertas, quæ si non adeò cognita, non tamen minus pretiosa. Illa autem in tribus consistit: in speculatione, in transformatione, in deificatione.

Quoad speculationem. Nullum quidem in scripturis sacris otiosum est verbum, sed in Paulo nostro, nullum non sententijs grauidum ac mysterijs. Iudæi occæcati, nos verò illuminati. Iudæi inter vmbras & lucem diuisi, nos omnes sumus lucis filij. Moyses faciem velabat vt cæcitatem indicaret suorum, imò velamen inuadebat, ne lumen refunderet: nos autem omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, non ad gloriam serui pauitantes. Quid ergo reuelatâ facie? quid speculari, quid gloriâ Domini speculari? Facies caput-ve ob duas maximè, tresue rationes velatur, ob pudorem, ob infirmitatem, ob seruitutem. [Illuc, inquit Tertullianus, suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus.] Qui enim erubes-

Tertul. cap. 30. Apolog.

cimus.] Qui enim erubescunt, vultum abscondunt, faciem tegunt ob pudorem. Omnes olim & Græci & Romani retecti, dum sani, ni aduersùs tempestatem, insolationem, aëris rigorem, quasi aduersùs impendentem infirmitatem protecti. Sed hæc nihil ad nos. Tertiò igitur velatur facies in notam seruitutis, seu summissionis tesseram. [Caput viri, ait ille, Christus est, tam liberum, quàm & Christus, ne velamento quidem obnoxium, nedum obligamento. Porrò & quod obnoxium est velamento, caput feminæ, hoc ipso iam occupatum, non vacat etiam obligamento: habet humilitatis suæ sarcinam.] Velum scilicet capiti, imò & faciei impositum. Quid ergo, Reuelatâ facie? Christianâ libertate. Vnde & Tertullianus, de milite, coronam, velut seruitutis, ne dicam & infidelitatis vmbram recusante: [Solus, inquit, libero capite.] Coronamentum enim saltem impedimentum est. Ideoque liberrimus ille, quia nec vinctus, nec impeditus. Nos ergo reuelatâ facie, non solùm quia non erubescimus, non tantùm quia sumus sani, sed hoc maximè quia sumus liberrimi. Statim ac Deum vidit Moyses: [Abscondit faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.] Sciebat Moyses se adhuc esse in statu seruitutis, seruumque secretorum Domini non debere esse conscium: ideò velum sibi imposuit, imò & calceum exuit, in certum humilioris cessionis indicium. Nos autem: [Quod dicit, est eiusmodi; ait Chrysostomus: Nihil necesse est, vt Mosis instar nosipsos obtelemus. Non opus habemus velamine.] Iam velum scissum est: liberi sumus: vtpote nec vincti, nec impediti. Sed ad quid illa libertas capitis? Ad speculandum. Retecti sumus & aperto capite, vt facilius liberiusque speculari possimus, & intentis oculis suprema & æterna contemplari. [Ea enim demum est miserabilis animæ seruitus, (vt Augustinus loquitur) signa pro rebus accipere, & suprà creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse.] Carnalis illa seruitus, quâ obligabantur Iudæi, grauati onere, velamine circumligati: inde liberandi Christiani, dum mysteriis reuelatis, ad eas res, quarum illa signa sunt eleuantur; nec iam symbolorum edomantur iugo, sed significationum donantur beneficio. Non igitur amplius in figuris versamur & vmbris, sed velo detracto, liberrimè, & sine vllo impedimento speculamur veritatem. [Gloriam Domini speculamur.] Quid gloriam? Δόξαν, claritatem, veritatem-ue diuinam, lucem æternam, non iam obductam nubibus, nec infractam velaminibus. Reuelatâ facie, non inuolutis luminibus non refractis obtutibus, excellentem illam gloriam, lucem æternam, diuinam speculamur sapientiam: & ad instar speculi, radiis cœlestibus, æternis informamur veritatibus.

Tertull. lib. de coron. mil. c. 14.

Tertul. c. 1.

Exod. c. 3.

Chrysost. Hom. 7.

Augustin. l. 3. de doct. Christ. c. 5.

Christiani sine vmbris & figuris speculati.

Quoad transformationem. Tanta dignitas, tanta & sublimitas est, quanta diuinæ naturæ ad quam transformamur excellentia. Gloriam seu claritatem Domini speculamur, & speculando, in eandem transformamur imaginem. [Dicit ergo Apostolus, (verba Tertulliani)

A nos iam apertâ facie, vtique cordis, quod velatum est in Iudæis, contemplantes Christum, eadem imagine transfigurari à gloriâ (quâ scilicet & Moyses transfigurabatur à gloriâ Domini) in gloriam: ita corporalem Moysi inluminationem de congressu Domini, & corporale velamen de infirmitate populi proponens, & spiritalem reuelationem, & spiritalem claritatem in Christo superducens, tanquam à Domino, inquit, spirituum, totum ordinem Moysi, figuram ignorati apud Iudæos, agniti verò apud nos Christi fuisse testatur.] Quomodo transfiguratus est Moyses, transformatus ve? Ex diuinâ quam attigerat propinquitate, seu ex diuinâ quam imbiberat

B claritate. [Cumque descenderet Moyses de monte Sinaï, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.] Duo nimirum luminis puncta, ex facie, seu capite promicantia. Inde capita irradiata, & capilli illuminati heroum apud gentiles, & sanctorum apud nostrates: quasi quidam sint diui, ne dicam & dij: tanquam Deo pleni, Deo chari, propinqui, ac proximi. Inde & principes, quasi quidam hominum seu mortalium & dij mortales radijs incincti, coronis-ve radiatis prædıti, quasi solem referentes, singularem summæ maiestatis, ac supremæ potestatis imaginem; aut Deum

C ipsum non solùm vt parentem, sed & familiarem sibi asserentes. Sed reuertor ad Moysen: erat ille in monte, nec tamen inde transformatus est, sed quia gloriam Domini speculatus est de proximo; non quia de iugo montis, sed quia de cordis speculo contemplatus. [Speculantes transformamur.] Græcè, κατοπτριζόμενοι μεταμορφούμεθα. De speculo respondentes, non de speculâ prospicientes. [Hoc in Græcâ linguâ, ait Augustinus, non est ambiguum, vnde in Latinum translatæ sunt Apostolicæ litteræ. Ibi quippe speculum, vbi apparent imagines rerum, à speculâ de cuius altitudine longius aliquid intuetur, etiam sono ver-

D bi distat omninò: satisque apparet Apostolum à speculo, non à speculâ dixisse, Gloriam Domini speculantes.] Vt enim specula tersa ac polita, totam lucem, & integram excipiunt redduntque imaginem, ita veri contemplatiui, qui claritatem, qui veritatem à Deo hauriunt, nec abscondunt proximo. [Quod ergo ait Apostolus: (verba Augustini) In eandem imaginem transformamur: vtique imaginem Dei vult intelligi; eandem dicens, istam ipsam scilicet, id est, quam speculamur: quia eadem imago est & gloria.] Speculamur claritatem diuinam, & ipsâ speculatione, assiduâ contemplatione in eandem transformamur

E imaginem. [Quemadmodum enim, ait Chrysostomus, ignea corpora, à splendidis corporibus, in id, quod propinquum est, defluentia, ipsis quoque splendorem suum impertiunt: eodem modo in fidelibus quoque vsu venit. Ob eamque causam à terrâ abscedunt, qui ita affecti sunt: cœlestiaque sola ipsis in mente versantur.] Contemplantur cœlestia, & in homines transformantur cœlestes, toti lumine corusci, toti luce perfusi.

Tertul. l. 5. aduers. Mar. c. 11.

Exod. c. 34.

Cur heroës & reges radiati aut coronati.

Aug. l. 15 de Trinit. c. 8.

Aug. ibid.

Chrysost. in Moral.

Quoad deificationem. Imaginem seu transformationem compleuit Apostolus, cum addidit. [A claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.] Variant lectiones: iam enim dixit Tertullianus: [A Domino spirituum,] Dicet Basilius. [A Domino Spiritu.] Alius, [A Domino spiritûs.] Sed omnes & lectiones & expositiones conspirant in dignitatem Spiritûs, diuinitatemque. [Qui enim potuit, ait Basilius, ad profunda legalis intellectûs oculis penetrare, ac discussâ legis obscuritate seu velamento introire ad arcana, hic imitatus est Mosen, in hoc quòd cum Deo loquens sustulit velamen, & ipse se conuertens a litterâ ad spiritum, vt velamini quod impositum est super faciem Mosi respondeat legalium doctrinarum obscuritas: conuersio autem ad Dominum respondeat spirituali intelligentiæ. Ergo qui in lectione legis aufert litteram, conuertit sese ad Dominum (Dominus autem hic Spiritus dicitur) ac similis redditur Mosi per illustrationem Dei, qui faciem habet glorificatam. Sicut enim quæ iuxta floridos colores posita sunt, è splendore promanante colorantur & ipsa: sic qui euidenter intendit oculos in Spiritum, ex illius gloriâ quodam modo transformatur vt fiat illustrior, dum veritate à Spiritu promanante ceu luce, corde illuminatur. Et hoc est transformari à gloriâ spiritûs ad propriam gloriam, haud parcè, neque tenuiter, sed in tantum quantum par est illustrari eum qui à Spiritu illuminatur.] Certè Græca habent, ἀπὸ κυρίου πνεύματος, quod verti potest, A Domino Spiritu, &, A Domini Spiritu: imò &, A Domino spiritûs: vt & ille pater spirituum in omnes spiritus supremam exerceat dominationem: & ita sit Deus ac Dominus, vt & illos non solùm spiritales reddere viros, sed & deos valeat efficere. Non enim omnis transformatio, deificatio est, licet deificatio omnis sit transformatio. [Nos verò omnes reuelatâ facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.] Quid, gloriam

Basilius lib. de Spir. sanct. c. 21.

Quo pacto non solùm transformamur, sed & deificamur.


A speculantes? claritatem diuinam, æternam veritatem contemplantes. Transformati oigitur per cognitionem veritatis, sicut & lucida transformantur per infusionem luminis. Sed Spiritus Domini, non solùm spiritus veritatis est, sed & spiritus charitatis. Transformamur igitur, [A claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.] Quid, à Domini spiritu? Ab eo, qui non solùm nos transformet per veritatem, sed & per charitatem nos deificet. [Vnde etiam ait, (verba Chrysostomi) Speculantes in eandem imaginem transformamur à gloriâ, subaudi, Spiritûs: In gloriam, scilicet nostram, quam contrahimus: quæque talis est, qualem esse par est à Domino Spiritu.] Non dominante tantùm, sed & deificante: ipse enim Deus amoris est, vt & amor Dei: ipse spiritus ardoris, vt & ardor boni. Sicut ergo specula B munda ac nitida non solùm excipiunt lucem, sed & ardorem corripiunt, euaduntque illustranti & inflammanti similia: sic & nos à claritate diuinâ, in claritatem nostram, seu diuinâ gloriâ in nobis expressâ, in eandem transformamur imaginem: sed auctâ claritate, non solùm transformamur per cognitionem, sed & per amorem deificamur, dum operante ac dominante Spiritu Domini, bonitatem sanctitatem-ve non efficaciter solùm, sed & largiter diffundente; ingentem concipimus ardo- C rem, & ad instar speculi luce perfusi, imò & ferri igne contacti, in ipsum deitatis transimus consortium. Tanta lux est, vt prorumpat in ardorem: tantus ardor, vt ignem referat. [Cum enim, ait Aquinas, omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum: oportet quòd qui vident, aliquo modo transformentur in Deum: & si quidem perfectè vident, perfectè transformentur.] Ista nimirum deificatio, perfecta transformatio: cum lux diuina non solùm irradiat, sed & inflammat, mentemque ac voluntatem: id est, totum hominem in Deum transmutat.

Chrysost. Hom. 7.

Aquin. lect. 3.



CAPVT



CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

DVo videas in hoc capite: ſinceritatem relucentem in prædicationibus: infirmitatem in tribulationibus non deficientem. Habeas ergo & duas capitis partes.

PARS PRIMA.

De ſinceritate.

TEXTVS.

IDeò habentes adminiſtrationem, iuxtà quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutiâ, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coràm Deo. Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum; in ijs, qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium; vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem ſeruos veſtros per Ieſum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: deiicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in cordibus noſtris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum: vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.

EXEGESIS LITTERALIS.

INduſtriam & fidem prædicando impendit Euangelio, cæcitatem & ignorantiam in culpam malorum reiicit incredulorumque, in malitiam proniorem, quàm in obedientiam.

[Ideò habentes adminiſtrationem, iuxtà quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, &c.] Cum ergo, tam excellenti fungamur miniſterio, ad quod non meritis noſtris, ſed ad quod benigno electi ſumus Dei beneplacito, non concidimus animo: ſed occultas etiam labes fugimus, reiicimuſque actiones il-B las, quæ oculos vitant humanos, dum cenſuram reformidant & infamiam. [Non ambulantes in aſtutiâ, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coràm Deo, &c.] Non ij ſumus, qui ſimulatè conuerſemur ac verſutè, qui ſubdolè diuino abutamur verbo, aut inſinceré: ſed & vitæ puritatem, & ſinceritatem doctrinæ, rebus potius commendamus quàm ſermonibus: vtramque & diuino iudicio, & humano manifeſtam teſtimonio comprobamus. [Apoſtoli, inquit, (apud Athanaſ.) qui fallere alios conſueſcunt, fucatis operibus, alios ſe quàm ſint, mentiuntur. Ipſe verò veritatis Athanaſ. in Paulum.

manifestationem & nuditatem commendationi mihi esse velim. Hoc est, rebus ipsis pro testibus vtor: quo fit, vt meipsum apud omnem hominum conscientiam, & coram Deo, commendatiorem efficiam, vitamque meam sic palam enudando, Euangelium prædico.] Magna ista confidentia. [Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum, &c.] Si apertum, cur adhuc opertum: cur velatum, si adeò manifestum? Perspicuum est, prædicatione veritatis; adhuc occultum est, deprauatione cæcitatis: apud omnes prædicamus veritatem; apud omnes & bonos & malos lucem manifestamus, quod non faciebat Moyses, dum faciem abscondebat: sed electi verbum salutis suscipiunt ex diuino proposito, reprobi occulto sed iusto repellunt iudicio. [In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei, &c.] Diabolus enim qui princeps malorum est, mancepsque reproborum, eos auertit à fide, &, vt ita dicam, velum ponit in facie; vt non irradiet illis claritas Euangelij, prædicati à nobis ad declarandam Christi gloriam, per quem lucem veritatis deprehendimus, per quem & ad lucis peruenimus originem. [Verum est, ait Ambros. quia increduli non vident, perfidiâ obcæcante splendorem virtutis Dei. Velamen enim est supra cor eorum, & obtusio infidelitatis, in Iudæis maximè. Ita dicit, Deum secularium hominum sensus obcæcare, ne videant veritatem Euangelij maiestatis Christi. Hoc ergo illis præstat, quod volunt.] Habent quod volunt Apostoli, habent & reprobi: volunt enim illi electos saluare, & promouent: nolunt isti credere, & habent principem huius mundi adiutorem fautoremque.

Euangeliũ reprobis opertum nõ electis.

Ambros. in Paulum.

[Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per Iesum, &c.] Diximus nos declarare ac procurare, in Euangelio disseminando, gloriam Christi, qui est splendor gloriæ Dei: non enim arbitrium nobis asserimus, sed ministerium. Itaque prædicamus Christum rerum omnium Dominum, nec nostrum spectamus commodum, sed nos ipsos & totos immolamus vtilitati vestræ, saluti promouendæ. [Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu, &c.] Cur nosmetipsos prædicaremus, & non Iesum Christum; cur nostram, & non diuinam procuraremus gloriam: cum Deus qui lucem aliquando nutu voluntatis eduxit de tenebris, ipse bonitatis motu fidem nobis infuderit, vt & alios illuminaremus, doceremusque veram mysteriorum, quibus Deus glorificatus est, notitiam? Nec ministerium vsurpamus, sed in facie, Græcè ἐν προσώπῳ, in personâ, vice id & auctoritate Christi præstamus, dum prædicamus Euangelium. [Hoc est ergo quod dicit, (expositore Aquinate) Ideò illuminat Euangelium nostrum: quia Deus, qui præcepto solo, chaos tenebrosum illuminauit per lucem quam fecit: iste, inquam, Deus mentibus nostris priùs tenebrosis per absentiam luminis gratiæ, & obscuritatem peccati, illuxit, non solùm vt illuminaremur, sed & alios illuminaremus.] A Deo in Christum, vt lumen de lumine: à Christo ad Apostolos, & per eos deinceps ad ceteros. [Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis, &c.] Scientia quidem nobis diuinorum communicata est mysteriorum, sed vasis ipsa concredita est testaceis. Quid enim Apostoli, nisi rudes & impoliti homines? Quid, nisi lutea vasa, tam fragilia, quàm & vilia? Tamen sic voluit Deus, & sic instituit, vt appareret, imò & pateret, bonum omne Euangelicæ prædicationis, sicut & salutis humanæ: non industriæ nostræ, aut sapientiæ mundanæ; sed diuinæ adscribendum potentiæ. [Fictilia ergo vasa dicens, (ita Comment. Ambros.) infirmitatem naturæ humanæ significat, quæ nihil potest, nisi à Deo acceperit virtutem: & ad laudem Dei, qui se manifestat per homines: qui cum humiles & imperiti essent, acceperunt potestatẽ à Deo & loquẽdi magnalia, & agendi.] Ea est sublimitas virtutis Dei, seu, vt ille vertit, [Eminentia.] Seu denuum, vt est in Græco, ὑπερβολή. Talis enim ac tanta est, vt vincat omnia, excedat omnia.

Apostoli publico destinati ministerio.

Aquin. lect. 2.

Comment. Ambros.

[In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, &c.] Diximus talem esse diuinæ potentiæ sublimitatem, vt vincat omnia: addimus talem esse, vt vincat in omnibus tribulationibus, persecutionibus. Quale est enim vt fragilia vasa non frangantur, etiam concussa: non conterantur, etsi compressa? In omnibus ergo pressuram patimur, sed non patimur angustiam: Dei enim virtus adsistit nobis, & aduersùs irruentium in nos insultum protegit. [Aporiamur, sed non destituimur, &c.] Difficultatem experimur in negotiis, sed à periculis per Dei virtutem eripimur; in discrimen incidimus, sed protegente Deo ac disponente euadimus. Græcè ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι. [Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus, &c.] Impetimur in ministerio nostro, sed à Deo non deserimur: & si ad solum deiicimur humanâ malitiâ, in ministerium resumendum diuinâ erigimur potentiâ. [Adeò, inquit, (apud Athanas.) omnia sunt diuinæ potentiæ tribuenda, vt etsi fictilia vascula ipsi præferimus, tantisque vndique vrgemur pressuris, non tamen vel frangimur, vel qui in nobis reconditus est thesaurus, aboletur.] Patiuntur quidem Apostoli, diabolo quouis loco, & quibusuis in rebus, persequente: sed non occiduntur, nisi Deo, vbi velit, & quando, aut quomodo velit, disponente. [Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris, &c.] Continuis premimur periculis, & indesinentibus, vt ita dicam, mortibus exponimur, & ita passionem ac mortem referimus, dum in membris nostris circumferimus: vt vita immortalis Christi demonstretur in carne nostrâ mortali, probeturque illum resurrexisse & viuere in æternum, qui passionis & resurrectionis prædicatores, in vitâ fragili seruat tanquam immortales, & aduersùs persecuto-

Athanas. in Paul.

Apostoli diabolo inuidente vexati, sed Deo protegente seruati.

res vindicat. [Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum : vt & vita Iesu manifestetur in carne nostrâ mortali.] Confirmat quod dixerat. Vndique premimur, nec tamen morimur : vita semper salua est, virtute Dei suos protegente ministros, vt liquidò omnibus appareat, imò & pateat Iesum viuere in æternum, hominesque mortales, à continuo mortis imminentis eripere periculo. [Passim, ait Chrysostomus, hunc morem tenet Apostolus : vt cum quidpiam obscurè dixerit, id rursus exponat. Propterea tradimur, inquit, hoc est, mortificationem circumferimus, vt vitæ ipsius potentia perspicua fiat; non sinentis nimirum mortalem carnem tanta perpetientem, malorum agmine frangi ac debilitari.]

Chrysost. Hom. 9.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

INstituit differentiam Apostolus inter legitimos prædicatores & adulterinos : sed quænam illa ? Culpam in homines regerit, seu ignorantiam humanam : sed vndenam ista ?

DISQVISITIO PRIMA.

De differentiâ.

DE ministerio agit Apostolico. [Habentes administrationem.] Seu, vt est in Græco, τὴν διακονίαν ταύτην. [Hanc ministrationem.] Seu ministerium Apostolicum. Tum & inter veros & spurios ministros secernit: id est, inter Apostolos, & pseudapostolos, legitimi æmulos ministerij. Prima differentia est, puritas vitæ. [Compara, ait Tertullianus, an eius sit dicere, Propterea habentes ministrationem istam, secundùm quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, qui non dedecoris tantùm, sed & sceleris manifestum dedamnauerit.] Si occultis non parcit, imò & ea palàm rejicit : an manifestis indulgebit, an ea quoquo modo fouebit? Apostoli sumus, ad tantum misericordiâ diuinâ vocati ministerium : sed non segnes sumus, nec degeneres: non despondemus animum, sed potiùs vocanti respondemus, & solliciti implemus officium. Quonam pacto? Primò, [Abdicamus occulta dedecoris.] Non ignoramus multos euangelizatores, sed falsos Apostolos, ethnicis philosophis planè esse similes: foris enim omnem simulant honestatem, occultè verò infamem perpetrant voluptatem: puritatem docent, & exercent libidinem. [Quid enim sibi volunt hæc verba, ait Chrysostomus, occulta dedecoris? Non, inquit, magna profitemur ac pollicemur, cum alia rebus ipsis ostendamus, quemadmodum commentitij Apostoli; verùm tales omninò sumus quales cernimur, non ea agentes, quæ præ pudore ac rubore occultanda, & velut vmbris quibusdam obuoluenda sunt.] Sunt

Tertull. lib. de pudicit. cap. 15.

Chrysost. Hom. 8.

A igitur occulta dedecoris : [Immunda & turpia, vti dixit Aquinas, & etiam occulta, non solùm manifesta.] Dedecorant enim hominem & infamant, dum vt turpem damnant, vitâ viuentem pecudum, non Apostolorum gloriâ refulgentem. Amouemus ergo nefanda ista facinora, nec censuram timemus aut infamiam, quia nec in occulto quidem nobis permittimus, quod aliis probro vertimus. Quot qui lucem circumferunt veritatis, & crimen incurrunt obscœnitatis : Apostoli in publico, in secreto pseudapostoli; impuritatis operarij, & omnis turpitudinis conscij ? Quomodo isti non concidunt animo, qui succumbunt vitio, B qui probro succidunt? Quæ spes fructûs, vbi tanta metûs seges est ? Imò quæ dicendi fiducia est, vbi tanta viuendi licentia ? Quæ tandem prædicationis audacia est, vbi parata ex ijsdem verbis damnationis sententia? Sed id iam tropologiam appellat, imò & propositam abdicat controuersiam.

Aquin. lect. 1.

Occulta dedecoris, opera ob dedecus occultanda.

Secunda ergo differentia inter legitimos Apostolos & spurios, ea est: [Non ambulantes in astutiâ.] Græcè ἐν πανουργίᾳ. [In versutiâ.] Et id alterum dedecus pseudapostolorum. [Ad dedecus enim, ait Ambros. & deformationem eius proficit, qui subdolâ mente confingit do- C ctrinam ad decipiendum corda simplicium : turpis enim inuenietur in die iudicij. Nam astutia malæ mentis, vt id quod sibi libitum est expleat, verba Dei adulterat, vt sensum inuertat.] Docent illi quæ non oportet, turpis lucri gratiâ, dum, si non voluptatibus suis, certè suis indulgent cupiditatibus : scripturas deprauant diuinas, & suo attemperant instituto, sensum subdolè peruertunt, & verum ingeniosè, imò malitiosè per falsum excludunt. Fœdum hoc & Euangelij ministris, Christi pudendum asseclis. Nunc illi adulantur, nunc isti : id est, non tam concionantur è pulpito, quàm D lenocinantur ex Euangelio. Verba Dei detorquent in sui commoda, per dulces sermones demulcent corda simplicium: sua quærunt, non quæ Christi, nec tam scripturis quàm fabulis vota pascunt fidelium. Apagè mihi istos magistros : & indignum patellâ istâ operculum. [Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus : & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.] Quid dicas de Græculis istis, seu potius gracchulis, non tam artium magistris, quàm fraudium architectis : qui vt gratiam magnatum aucupentur, litem inten- E dunt Euangelio : qui vt mulierum enundinentur beneuolentiam, pestem inducunt sacrario: qui vt omnibus omnia fiant in peruersum, omnibus noua in exitium afferant remedia; sordidi cum sordidis fiunt, improbi cum improbis; imò & socij furum euadunt, & magistri pereuntium. [Id ergo exponens Apostolus, (verba Chrysostomi) subiunxit, Non ambulantes in astutiâ. Nam quod illi laudi ducebant, hoc ipse fœdum ac ridiculum esse statuit. Quidnam enim est, In astutiâ ? In eâ existimatione illi erant, quasi ab accipiendis muneribus abhorrerent, cum tamen acciperent. Sanctorum virorum ac proborum Apostolorum existima-

Ambros. in Paul.

Reiicienda in Euangelio prædicando versutia.

2. Timoth. cap. 4.

Chrysost. Hom. 8.

tione florebant, cum interim innumeris scaterent vitiis.]

Tertia differentia, doctrinæ puritas, vt & secunda, simplicitas disciplinæ: licet tam illa quàm & ista, innocentiam subuertat, nec tam alluceat doctrinæ, aut succurrat disciplinæ, quàm cauponam exerceat. [Neque adulterantes verbum Dei.] Prius dixit: [Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coràm Deo in Christo loquimur.] Et hîc repetit: [Neque adulterantes verbum Dei: sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coràm Deo.] Sic prędicamus, sic & ambulamus. Vtrobique Noster vertit, [Adulterantes:] Licet in primo sit καπηλεύοντες: in secundo δολοῦντες: sed nullam aut paruam inter vtrumque verbum aduertit differentiam. Tripliciter autem adulteratur verbum Dei: primò, dum doctrina Euangelica indigno sapientiæ mundanę vitiatur contagio. Ita Paulus, vti Tertullianus monuit: [Athenis expertus linguatam ciuitatem, cum omnes illic sapientiæ atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitorium illud edictum. Proinde enim & animæ ratio, per philosophatas doctrinas hominum miscentes aquas vino.] Illi quod verum est, infringunt permistione vanitatis humanæ; quod sincerum est, contagione profanæ corrumpunt nouitatis. Secundò adulteratur, dum non solùm adiectione vitii, sed & fictione interpolatur ingenij. [Non amat falsum auctor veritatis: (ait ille) adulterium est apud illum omne quod fingitur.] Non enim ipsum est quod dicitur, sed alterum quod fingitur. Constupratur puritas doctrinæ, scripturæ maiestas non minùs stylo quàm verbo violatur adultero. Tertiò, adulterat ille verbum Dei, qui non tam fructum curat quàm vsum, nec tam saluti adlaborat alienæ, quàm propriæ prurigini. Non adulterantes: hoc est, exponente Aquitate: [Non prædicātes propter gloriam propriam.] Quot lupi, quot mercenarij? quàm rari, qui non adulterant? qui vera & bona propter solam prædicant Dei gloriam? Isti certè multum amandi, sicut & vitandi lupi, & mercenarij aliquantum tolerandi. Ex illis raris erat Paulus Apostolus, ex illis socij Apostolici & Paulini, qui quod dicunt, faciunt; qui doctrinam suam non subtilibus argumentis, sed claris adstruunt virtutibus: qui disciplinam non verbis, sed factis suffulciunt.

Caupona ministerio indigna Apostolico.

Tertul. l. de Anima c. 3.

Tertull. l. de Spectacul. c. 23.

Aquin. lect. 1.

DISQVISITIO SECVNDA.

De ignorantiâ.

DIxerat Apostolus, lucem apertam, manifestatā veritatem ad omnem conscientiam. Sed inijci poterat, Cur ego non omnes verbo credunt, cur non omnes obediunt Euāgelio? Satisfacit Paulus ad gustum, nec vnum duntaxat, sed plura simul detegit mysteria. [Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum; in ijs, qui pereunt, est opertum: in

A quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.] Verum equidem est opertum esse nonnullis Euangelium nostrum, sed reprobis non electis. Deus enim huius seculi excæcauit mentes infidelium, cogitationes malorum traduxit, & ob nequitiam procurauit ignorantiam. Sed heic tria inquirenda sunt. Primum, Quis Deus huius seculi: secundum, quomodo sic excæcet malos seu reprobos, vt illis lux non irradiet veritatis: tertium, cur ibi mentio Christi, vt Dei imaginis?

B Quoad primum, enormiter insigniterque in hoc deo hallucinati sunt hæretici. [Scimus, ait Tertullianus, quosdam sensus ambiguitatem pati posse, de sono pronuntiationis, aut de modo distinctionis, quam duplicitas eorum intercedit. Hanc Marcion captauit sic legendo, In quibus Deus æui huius: vt Creatorem ostendens Deum huius æui, alium suggerat Deum alterius æui. Nos contrà sic distinguendum dicimus, In quibus Deus; dehinc; æui huius excæcauit mentes infidelium, Iudæis infidelibus; in quibus opertum est aliquibus Euangelium adhuc sub velamine Moysi. Ita etsi huius æui Deus, sed infidelium huius æui excæcat cor, quòd Christum eius non vltrò recognouerint, de scripturis intelligendum.]

Tertul. l. c. adu. Mar. c. 11.

C Seb vt ab hoc vltimo ordiamur, non agit Paulus de Euangelio scripto, sed prædicato: ideoque nec de lectione scripturarum sed de verborum pronuntiatione. [Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum, in ijs, qui pereunt, opertum est.] Quasi dicat, Nobis prædicantibus, credunt quicumque sunt præordinati ad vitam æternam: ijs enim Dominus aperit cor, iis lumen infundit, ideoque annuntiato obediunt Euangelio. Reprobi verò adeò cæcati sunt, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Non ergo de scripturâ, quæ electis etiam nonnunquam obscura est: sed de intelligentiâ Christiani sacramenti, quæ reprobis est denegata. Tum, vt & ascendendo

D progrediamur, quid intelligit Paulus per infideles huius æui? Innuit ne esse infideles alterius seculi? Verùm, vti notauit Chrysostomus: [Futurum æuum infideles minimè habiturum est: sed hoc duntaxat, quod nunc fluit.] Infideles, seu homines huius æui, sic ijdem sunt, vt adiunctione opus esset aut repetitione: sunt enim homines seculares, mundani, seculo seu mundo addicti, qui ventri seruiunt aut ambitioni: ideoque æmulo non credunt Euangelio. Denique, vt seriem rerum in Paulo, & verborum tueamur ordinem: Legimus, sicut scriptum est; & sicut lectum est,

E intelligimus. Nec enim nobis præscribere debent hæretici: imò potius iisdem ipsi potius vapulare debent sententijs. [Næ, ait Tertullianus, vltrò possum & in totum contentionem hanc præterisse simpliciori responso. Præ manu erit huius æui dominum, diabolum interpretari; qui dixerit, propheta referente, Ero similis altissimi, ponam in nubibus thronum meum: sicut & tota huius æui superstitio illi mancipata est.] Quis ergo deus huius æui? Diabolus. Ita simpliciter respondendum

Chrysost. Hom. 8.

Seculares vnde nam sint infideles.

Tertul. l. 5. adu. Mar. c. 11.

Aquin. lect. 2.

est, imò & veraciter asserendum est. [Dicitur enim Deus huius seculi, ait Aquinas, id est, seculariter viuentium : non creatione, sed imitatione. qua seculares eum imitantur.] Deus cœli, Deus verus : deus huius æui seu mundi, tam vanus, quàm & falsus est.

Quoad secundum, deo isto cognito, facilè capies, non solùm à quo, sed & quando excœcati sint reprobi. Quid enim princeps tenebrarũ suis faciat, si tenebras suas ipsis nõ offundat?

Chrysost. Hom. in illud Pauli, Siue occasione, siue, &c.

[Quemadmodum enim prædo, ait Chrysostomus, domum cunctis dormientibus ingressus, vt auferat omnia, si quem viderit accendere candelam, illum mox interimit, & lumen extinguit, vt auferre & rapere alia absque metu possit. Ita vt beatum Paulum vidit accendere candelam, & afferre sermonem doctrinæ; curauit vt extingueretur prædicatio, & interficeretur magister.] Idcircò dicebat ipse Paulus: [Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem: id est, non aduersùs homines quos videtis; (ita Augustinus) sed aduersùs principes & potestates; & rectores mundi, tenebrarum harum. Ne fortè cum dixisset, Mundi; intelligeres dæmones esse rectores cœli & terræ: Mundi dixit, tenebrarum harum: Mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum, & iniquorum.] Ille quippe mundus est, qui Christum non cognouit, nec Deum coluit: vnde nec pro mundo isto Patrem orauit Christus, quia non inter suos quibus donauit fidem, sed inter extraneos computauit. Itaque sicut Deus cœli Pater fidelium est, ita Deus mundi pater infidelium. Vnde Tertullianus de Marcione: [Non dedit occurrentem sibi clausulam sensûs, Quoniam Deus qui dixit ex tenebris lucem lucescere, reluxit in cordibus nostris, ad illuminationem agnitionis suæ, in personâ Christi. Quis dixit, Fiat lux? Et de illuminatione mundi, quis Christo ait, Posui te in lumen Nationum, sedentium scilicet in tenebris, & in vmbrâ mortis? Cui respondet Spiritus in Psalmo, ex prouidentiâ futuri, Significatum est, inquit, super nos lumen personæ tuæ Domine. Ait autem meminisse nationes, quòd illo in tempore cum essent sine Christo, etiam sine Deo essent. Ergo si nationes sine Deo dixit esse, Deus autem illis diabolus est, non Creator: apparet dominum æui huius eum intelligendum, quem nationes pro Deo receperunt, non Creatorem quem ignorant.] Ignorantia igitur Dei veri nationibus relicta, id est, offusæ infidelibus tenebræ : non enim Deum agnoscunt aut colunt, sed diabolum : qui cum princeps tenebrarum sit, lucem odit, obsistitque ne fulgeat illuminatio Euangelij, ne Dei & Christi vigeat cognitio.

Ang. Enarrat. in Psal. 54. post init.

Deus auctor lucis, diabolus auctor cœcitatis.

Quoad tertium, illuminationem tetigerat Apostolus, ideò demonstrat solem, seu luminis illuminationis-ve originem. [Sciendum est enim, (vti Aquinas monuit) quòd Deus pater est fons totius luminis. 1. Ioan. 1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Ex hoc autem fontanoso lumine, deriuatur imago huius luminis, scilicet filius Verbum Dei. Heb. 1. Qui cum sit splendor, &c. Hic ergo splendor gloriæ. imago fontanosæ lucis, carnem nostram accepit, & multa gloriosa & diuina in hoc mundo opera fecit. Declaratio igitur huius lucis est Euangelium : vnde & Euangelium dicitur notitia claritatis Christi, quæ quidem notitia virtutem habet illuminatiuam. Sap. 6. Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, &c. Et quidem quantum est de se, in omnibus refulget & omnes illuminat ; sed illi qui præbent impedimentum, non illuminantur, & hoc est quod dicit, Ideò excœcauit mentes infidelium, vt scilicet non effulgeat in eorum mentibus, (licet in se effulgens sit) illuminatio Euangelij illuminantis quod quidem est illuminans, quia est gloria Christi, id est claritas : quæ quidem gloria prouenit Christo ex eo quod est imago Dei.] Absoluta scilicet ac perfecta, plenissimè patrem referens, integrè reddens imaginem.

Aquin. lect. 2.

A

Impedimentum lucis, nobis innatum est.

B

[Quemadmodum enim, ait Chrysostomus, per eum patrem cernis · ita si ipsius gloriam ignores, ne patris quidem gloriam cognitam habebis.] Pater quidem fons est luminis, sed sicut plenitudinem diuinitatis omnem communicauit filio, sic & luminis : Filius naturam nostram assumpsit, & ipsam quam acceperat lucem, veritatem æternam suis reuelauit Apostolis ; vt & ipsi alios illuminarent, id est, tot filios lucis formarent, tot ex tenebris ipsis facerent, quot Christianos. Vnde illi : [Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum.] Sumus quidem lux mundi, sed ab eo sumus illuminati qui fecit mundum. Christus nos docuit, idcircò Christum prædicamus non nosmetipsos, sed illum à quo sumus illuminati. [Est enim velut radius quispiam ac fulgor spiritus, ea cognitio, quam diuinitùs accepimus. [Sicut ergo radius exit à sole, & redit ad solem : sic & doctrina nostra quæ à Christo est, Christo etiam reddenda est. Sed cum & Christus ipse sit Deus de Deo, lumen de lumine, cum Christum prædicamus, annuntiamusque esse Dei imaginem, ipsam illuminationis omnis demonstramus originem.

Chrysost. Hom. 8.

C

Chrysost. ibid.

D

TROPOLOGIA.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.

MIrabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Tria igitur ex his proponemus exponemusque. Primò multiformem iustorum tribulationem : secundò, mirabilem afflictorum protectionem : tertiò, tribulationis finem ac protectionis.

E

Quoad primum. Non solùm proponendus est Christus, sed & præponendus, vtpote in caput iustorum omnium constitutus. Idcircò, vt obseruauit Aquin. [Secundùm genus passus est omnem passionem humanam. Quod quidem potest considerari tripliciter. Vno modo ex parte hominũ, à quibus passus est. Passus est enim aliquid & à Gentilibus, & à Iudæis : & à masculis, & à feminis: vt patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus est etiam & à principibus & à ministris eorum, & à popularibus, secundùm illud Psalm. 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt

Aquin. 3. p. q. 46. art. 5. in corp.

nania? Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Passus est etiã a familiaribus & notis, sicut patet de Iudâ eum prodente: & Petro ipsum negante. Alio modo, patet idem ex parte eorum in quibus homo potest pati. Passus est enim Christus in suis amicis, eum deserentibus. In famâ, per blasphemias contrà eum prolatas. In honore & gloriâ, per irrisiones & contumelias ei illatas. In rebus, per hoc quòd etiam vestibus spoliatus est. In animâ, per tristitiam, tędium, & timorem. In corpore, per vulnera & flagella. Tertiò, potest considerari quantum ad corporis membra. Passus est enim Christus in capite, pungentium spinarum coronam: in manibus & pedibus, fixionem clauorum: in facie, alapas, & sputa: & in toto corpore, flagella. Fuit etiam passus secundùm omnem sensum corporeum: secundùm tactum quidem, flagellatus & clauis confixus: Secundùm gustum, felle & aceto potatus: secundùm olfactum, in loco fœtido appensus: secundùm auditum, lacessitus vocibus blasphemantium & irridentium: secundùm visum, videns matrem & discipulum quem diligebat, flentes.] Hoc innuit Iesus, Hilario iudice, cum dixit, Consummatum est; id est, ait ille: [Ad peragendum mortis suæ sacramentum, consummasse se omne humanarum genus passionum testatus est.] Sed si Christus in exemplum nobis datus est & testimonium, debet etiam Christianus probari in omnibus, & omnibus passionum, tribulationumque generibus consummari. [Quomodo enim loqueretur Christus, nisi quomodo tractaretur Christianus?] Quid ergo Paulus? [In omnibus tribulationem patimur.] Græcè ἐν παντί. Variis ac multimodis afflictionum ac persecutionum ingenijs. [Quid est enim, in omni? ait Chrysostomus. In hostibus, in amicis, in rebus necessariis, in aliis, quarum penuriâ laboramus, ab hostibus, à nostris.] Non est enim discipulus suprà magistrum, nec seruus supra dominum: imò beatus discipulus, si sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus. Quid enim si caput languidum, si cor mœrens, sana erunt membra? Debet corpus capiti coaptari, debet homo Christianus, verus Christi discipulus omnibus tribulationum generibus consummari. Ita Paulus. qui foris pugnas, intus timores perpessus est, nullum non expertus terrâ marique periculum: per omnia tentatus, per omnia probatus extraneorum & suorum, persequentium, & falsorum fratrum discrimina. Ter virgis cæsus, semel lapidatus: ad bestias pugnauit, plus omnibus laborauit: toties naufragus, supra modum & per excelsum grauatus.

Christus omnibus passionum omnium generibus consummatus,

Hilarius lib 10. de Trinit.

Tertullian. l. de Scorp. cap. 11.

Chrysost. Hom. 9.

Quoad secundum. Si multiformis iustorum afflictio est, mirabilis etiam afflictorum est protectio. [In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.] Quinam illi? Apostoli, iusti omnes, & omnes qui volunt piè viuere in Christo, qui strenuè promouendo studere volunt Euangelio. [Numquid dicit, Ideò sint Christiani iusti, (verba Augustini) ideò audiant verbum Dei, vt nihil tribulationis pa-

Augustin. in Exposit. Psal. 33. vlt. med.

A tiantur. Non hoc promittit: sed dicit, Multæ tribulationes iustorum. Magis si iniusti sunt, pauciores habent tribulationes: si iusti sunt, multas habent. Sed post paucas tribulationes aut nullas, illi venient ad tribulationem sempiternam: vnde nunquam eruentur. Iusti autem post multas tribulationes, venient ad pacem sempiternam, vbi nunquam aliquid mali patientur. Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his eruet eos Dominus.] Tria sunt in isto negotio, quæ mira ac miranda. Primum est, quòd sicut multiformiter vexantur iusti, sic & mirabiliter protegantur.] In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur:
B aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus.] Mirandus Apostolus in eloquentiâ: mirandus Deus in potentiâ: rem multis verbis amplificat Apostolus, amplificationem portentis infinitis Deus exuperat. [In eo immoratur, ait Chrysostomus, vt ostendat omne hoc negotium diuinæ adscribendum esse potentiæ. Vide ergo quemadmodum pugnantes res dicat, vt hinc quoque Dei vim commonstret. Tribulationem patimur, inquit, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: hoc est, non ad extremum vsque consternimur. Plerisque enim in locis
C dolemus, nec quod volumus assequimur: non sic tamen, vt à propositis rebus excidamus. Hæc quippe non eò permittit Deus, vt vincamur, sed vt exerceamur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur, sed non perimus. Quamuis enim tentationes contingant, non ea tamen contingunt, quæ ex tentationibus oriri solent. Id quod etiam ipsum Dei potentiæ & gratiæ acceptum referri debet.] In quo potentia, in quo gratia? Potentia, in eo quòd aduersùs insultus inimicorum protegantur, modisque improuisis hominibus
D à paratis eruantur insidiis. [Ibat Saül ad latus montis ex parte vnâ: Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte alterâ: porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saül: itaque Saül & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos. Et nuntius venit ad Saül, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. Reuersus est ergo Saül desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum.] Quis hoc sperasset, imò quis non desperasset? Sed vbi humana indu-
E stria deficit, diuina succurrit potentia. Gratia in eo, [Quòd qui in quamplurima pericula inciderant, ait Chrysostomus, atque ex iis spe diuinâ freti emerserant, documentum hinc capiebant, eam sibi in omnibus rebus arctiùs esse complectendam.] Vnde & Dauid à tanto liberatus periculo: [In Domino, inquit, confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer.] Secundum est, quòd tantis premantur angustiis, nunquam animis frangantur: pœnam tolerent, & seruent patientiam. [Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Ossa, inquit, Augustinus, sunt firmamenta fidelium. Quomodo enim in carne nostrâ ossa faciunt firmamentum, sic in corde Christiano

Chrysost. Hom. 9.

Tria sunt in sanctorum persecutionibus obseruanda.

1. Reg. cap. 23.

Chrysost. Hom. 9.

Aug. in Expos. Psal. 33. vers. finalium.

fides facit firmamentum. Patientia ergo quæ est in fide, ossa sunt interius. Ipsa sunt quæ frangi non possunt.] Adeò inuicta est patientia. Tertium, quòd incipiant vbi finiant, viuant, vbi excedant. [Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Et si coràm hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur.

Quoad tertium. Finem & tribulationis & protectionis aperit Paulus, cum ait: [Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur per Iesum vt & vita Iesu manifestetur in carne nostrâ mortali.] Non ostendit tantùm, sed & imprimit. [Quidnam enim erat hæc mortificatio Domini Iesu, quam circumferebant? ait Chrysostomus. Mortes quotidianæ, per quas resurrectionis specimen edebatur. Nam si quis est, inquit Paulus, qui Christum mortem obiisse, atque ad vitam rediisse minimè credat, in nos intueatur, qui singulis diebus morimur, atque ad vitam reuocamur: ac tum resurrectioni fidem est habiturus. Vides-ne quemadmodum aliam adhuc tentationum causam inuenerit? Quam tandem? Vt & vita Iesu, inquit, manifestetur in corpore nostro. In eo videlicet, quòd nos è periculis extrahat. Ita fit, vt quod infirmitatis ac derelictionis speciem habet, hoc ipsius resurrectionem prædicet. Neque enim si nullis molestiis afficeremur, perinde ipsius potentia declarata fuisset, ac nunc declaratur; cum variis quidem calamitatibus conflictamur, sed tamen minimè vincimur.] Ne tamen fingas iustos immortales, vel Apostolos credas impassibiles: passi sunt, mortui sunt: imò quoties passi, quoties & mortui? Cum non solùm constricti vinculis, flagellis cæsi, sed & ad mortem destinati, leonem aliquando, aliquando ignem experti: Deo tamen ordinante, & in illis triumphante, euaserint, aut per ignẽ & aquam educti, in æternum tandem transierint refrigerium? Quoties fugâ elapsi, imò industriâ; tenebris protecti aut latebris? Non enim erumpebant semper, etsi semper ad confitendum proni, non tamen & ad profitendum: audiebant Christum, nec temerè periculum incurrebant; sed adhibito consilio, aut descendebant in prælium, vt constanter dimicarent; aut prudenter opus differebant exoptatum, vt maturè tempus à Deo destinatum expectarent. [Hæc quippe cum scirent sancti, inquit Athanasius, eiusmodi tenuerūt suæ conuersationis institutum. Sancti enim cum hanc quoque formam à Saluatore didicissent, aduersùs persecutores vt legitimè certarent, fugiebant; & ab illis quæsiti, se abscondebant. Cum enim præstituti sibi à diuinâ prouidentiâ temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temerè tradere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, & Dominum mortificare, & viuificare; potius in finem vsque perseuerabant, quoad vel definitum tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus cum eis loqueretur, & insidiantes cohiberet, aut certè persecutoribus eos traderet, vtcumque illi placuisset.] Vide illos pro mortuis relictos, vide istos viuos in speluncis sepultos: tot resurrectionis imagines, quot mortis species. [Etenim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita Iesu manifestetur in carne nostrâ mortali. Propterea tradimur: inquit, (apud Chrysostomum) hoc est mortificationem circumferimus, vt vitæ ipsius potentia perspicua fiat, non sinentis nimirum mortalem carnem tanta perpetientem, malorum agmine frangi ac debilitari.] Sic vita Iesu probatur gloriosa, dum tantâ manifestatur potentiâ.

Chrysost. Hom. 9. — Chrysost. Hom. 9. — Tot imagines resurrectionis, quot mortis species. — Athanas. Apol. de fugâ sua cit. Ned.

ANAGOGIA.

Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.

Singula verba suam habent anagogiam, dum arcanum continent sensum, & in gloriam promouent. Quid enim thesaurus? Quid sublimitas? Quid virtus Dei? Nihil non animum subleuat, nihil non mysticam resonat intelligentiam.

Quoad primum. Tot ferè thesaurorum sunt species, quot bonorum, imò & malorum: cum non solùm thesaurus gratiæ ac misericordiæ, sed sit etiam iræ thesaurus ac vindictæ: sed vnus præualet omnibus, quin & omnes opes continet, diuinæ thesaurus sapientiæ. [Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti?] Niuem omnes aspicimus ac grandinem, sed thesaurum non nouimus, nescimus arcanum: neque enim hæc carnaliter sumenda sunt, sed intelligenda spiritaliter. [Quid enim aliud, ait Gregorius, niue vel grandine nisi frigida & dura intelligenda sunt corda prauorum? Sicut enim feruore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari. Scriptum namque est: Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit animam malitia sua. In niue ergo vel grandine frigidâ, vel durâ, accipimus corda prauorum. Sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus eligit, & quàm multos electos adhuc inter prauorum vitam repositos habeat nouit, aptè in niue vel grandine thesauros habere se perhibet. Thesaurus quippe ἀπὸ τῦ θέσεως, id est, à positione nominatur.] Quicquid ergo reponitur, quicquid reconditur, thesaurus est: vnde sequitur, thesaurizare, nihil aliud esse quàm occultare ac seruare: aliud enim minor thesaurus, aliud amplior: aliud peior, aliud pretiosior: sed & illud sequitur, eo & re digniorem & iure potiorem, quo & magis pretiosus est, & magis reconditus. Sed quis ille, nisi diuinæ thesaurus sapientiæ, tam exquisitus, quàm & desiderabilis. [Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Propter quod optaui, ait Sapiens, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse

Greg. l. 29. Mor. c. 11. in c. 38. Iob — Sapient. 7.

A duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.] Quid thesaurizant mortales? aurum, argentum, lapides pretiosos. Quid desiderant principes, regna, sceptra, sedes, seu thronos: illi diuitias congerunt, isti conserunt prouincias. Sed omne aurum in comparatione illius arena est exigua; & regna, non dico tanquam lutum, sed tanquam nihilum in collatione eius æstimanda. [Habemus autem thesaurum istum.] Quem? [Illuminationem scientiæ claritatis Dei. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.] Habemus ergo thesaurum sed de cœlo lapsum, seu à Deo concessum: non enim humana est sapientia, sed diuina, arcana, recondita: nec enim insipidis pascitur aut insulsis, sed de occultis trahitur nutriturque mysteriis. [Quia enim hæc sapientia, ait Gregorius, humanis cordibus latenter infunditur, idcircò Iob subiungit: Trahitur enim sapientia de occultis. De occultis quippe sapientia trahitur: quia cum sit inuisibilis, non nisi inuisibiliter inuenitur. Quæ rectè quoque trahi dicitur: quia sicut flatum trahimus, vt corpus viuat: sic ab intimis sapientiæ spiritus ducitur, vt ad vitam anima subsistat. Vnde Psalmista ait: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Benè itaque dicitur: Nec commemorabuntur in comparatione eius vasa auri excelsa & eminentia: quia ea quæ ex participatione sapientiæ nobis veneranda sunt, in comparatione sapientiæ etiam memoranda non sunt.] Nihil enim thesauro isto pretiosius: imò nihil iustius nomen obtinet, cum rem tam securè quàm & reconditè seruet inæstimabilem.

Sapientia diuina rei nulli comparanda.

Greg. l. 18. Moral c. 17.

Quoad secundum. In quibus habemus istum? in vasis fictilibus, seu, vt in Græco, ὀστρακίνοις, [Testaceis.] Tanta ergo sublimitas conferentis est, quanta recipientis humilitas. Vnde in Græco ὑπερβολή: quasi id omnem excedat cogitationem, omnem vincat expectationem: [Quoniam enim, ait Chrysostomus, de arcanâ illâ gloriâ per multa & ampla verba fecerat, ne quis diceret, Quî fit igitur, vt cum tantam gloriam consecuti simus, in mortali corpore maneamus? Hoc ipsum, inquit, est summopere mirandum, ac luculentissimum diuinæ potentiæ argumentum, quòd fictile vasculum tantum splendorem ferre, ac tantum thesaurum tueri potuit. Nam & beneficiorum datorum magnitudo, & eorum, qui his affecti sunt, imbecillitas, vim Dei demonstrant: non modo quia magna largitus est, sed quia paruis & abjectis. Fictile quippe dixit, vt humanæ naturæ fragilitatem significaret, carnisque nostræ imbecillitatem conspicuam redderet. Testâ namque nihilo melius illa se habet: adeò offensionibus patet, ac morte, & morbis, & cœli intemperiis, atque innumeris aliis incommodis facilè dissoluitur.] Quâ de materiâ Deus formauit hominem? quomodo carnem finxit. [Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.] Quando? [Quum factus est homo in animam viuam, de Dei flatu, vapore scilicet, (verba Tertulliani) idoneo torrere quodammodo limum in aliam qualitatem; quasi in testam, ita in carnem. Sic & figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robustiorem recorporare, & in aliam ex aliâ fingere speciem, aptiorem pristinâ, & sui iam generis ac nominis. Nam etsi scriptum est, Nunquid argilla dicet figulo, id est homo Deo; etsi Apostolus, In testaceis, ait, vasculis; tamen & argilla homo: quia limus antè; & testa caro, quia ex limo per adflatûs diuini vaporem, quam postea pelliciæ tunicæ, id est, cutes superductæ, B vestierunt.] Vilis ergo humilisque auctoritas carnis, sed mirabilis figuli, seu opificis sublimitas: quâ ex luto finxit hominem, ne dicam ex nihilo, & in ipso thesaurum infinitum, suam nimirum recondidit sapientiam. [Quale est enim, ait ille, vt non eiusdem habeatur thesaurus in fictilibus vasis nostris, cuius & vasa sunt? Nam si gloria Dei est in fictilibus vasis tantum thesaurum haberi; vasa autem fictilia creatoris sunt; ergo & gloria creatoris est cuius vasa eminentiam virtutis Dei sapiunt, & virtus ipsa. Quia propterea in vasa fictilia commissa sunt, vt eminentia eius probaretur.] Nihil eminentius, nihil & sublimius, supremum infimo con-C iungi, totum nihilo committi, cœlum ipsum terrâ, imò testâ includi. [Non est diligentior Deo, ait Tertullianus, vti tu quidem Scythicas & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, ne argento quidem oblaquees; sed electissimo & insuper operosissimo descrobes auro; vinis item, & vnguentis pretiosissimis quibusque vasculorum priùs congruentiam cures; proinde perfectæ ferruginis gladiis vaginarum adæques dignitatem: Deus verò animæ suæ vmbram, spiritûs sui auram, oris sui operam, vilissimo alicui commiserit capulo, & indignè collocando vtique damnauerit.]

Chrysost. Hom 8.

Genes. c. 2.

Tertul. l. de resur. car. cap. 7.

Cœlum ipsum terra seu testa inclusum.

Tertul. l. 5. aduers. Mar. c. 11.

Tertull. l. de resurr. car. c. 7.

D Quoad tertium. Habes quid, & quomodo: sed quare? [Vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.] Quid fragilius carne, quid homine imbecillius? Vult tamen ea ferre, quæ nec adamantini ferrent aut ferrei: vult ita viuere in luto quomodo in cœlo viuerent angeli: an id ex carne quæ carnem diligit, an ex homine qui sapit mollitiem? Magna quidem excellentia, mira eminentia: sed habemus thesaurum istum, habemus sapientiam, constantiam, continentiam in vasis luteis, vt tanta dignitas, sublimitas tanta non ex nobis sit, sed E ex virtute Dei: non ex carne, aut homine, sed ex Dei munere. [Propterea, ait Augustinus, de his quoque spiritalibus diuitiis, non istum qui dicit, Nullus tibi eas præter te conferre potest, & nisi ex te & in te esse non possunt: sed illud audias qui dicit, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt eminentia virtutis sit Dei, & non ex nobis. De ipsâ quoque sacrâ continentiâ, quod non tibi sit ex teipso, sed sit Dei donum, quamuis credenti volentique collatum, eundem

Aug. epist. 145. circ. med.

dem

dem audias veracem piumque doctorem, qui cum hinc ageret, ait, Vellem omnes esse sicut meipsum: sed vnusquisque habet proprium donum ex Deo, alius sic, alius autem sic. Hæc Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis. Habetis enim thesaurum istum in terrenis corporibus, & adhuc fragilibus tanquam in vasis fictilibus, vt eminentia virtutis sit Dei, & non ex nobis. Nec miremini, quia dicimus & vestra esse, & ex vobis non esse. Nam & panem quotidianum dicimus nostrum, sed tamen addimus, Da nobis, ne putetur esse ex nobis. Proinde sicut scriptum est; sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: oratis, vt perseueranter & proficienter habeatis: gratias agitis, quia non ex vobis habetis.] Nihil sumus, & tamen nihil non possumus; quia omnia in eo possumus qui humanam confortat infirmitatem, imbecillitatem nostram subleuat. Idcircò non potentes eligit sed infirmos, non assumit nobiles sed plebeios; vt appareat quanta sit illa virtus quæ tanta per nihilum ipsum edat, pateatque non humanam esse, sed diuinam. [Nam, vti dixit Chrysostomus, tum demum Dei vis maximè elucet, cum per viles & abiectos homunculos ingentes res patrat. Ac proinde alio etiam loco aiebat, Virtus mea in infirmitate perficitur. Sic in veteri quoque testamento per culices & muscas totos barbarorum exercitus in

Chrysost. Hom. 8.

A fugam vertebat. Ob eamque causam, erucam, magnam vim suam appellabat: & olim linguas duntaxat confundendo, ingentem illam turrim Babylonicam deleuit. In bellis insuper, nunc per trecentos viros infinitam hostium manum profligabat, nunc tubarum clangore vrbes euertebat. Eodem itaque modo hîc quoque missis duntaxat duodecim viris de orbe victoriam adeptus est: idque etiam, cum ipsi infesta omnia haberent, ac bello ab omnibus vexarentur.] Et hoc mirabile, quòd vas sit fictile, nec thesaurus effundatur; quòd corpus sit fragile, & animus non frangatur. [Non enim, inquit Apostolus, (apud Chrysostomum) hoc solum admirationem habet, B quòd hunc thesaurum in fictilibus vasis asseruamus: sed etiam quòd, cum sexcentis incommodis premamur, atque omni ex parte pulsemur, eum tamen tuemur, nec amittimus. Et quidem si vel adamantinum vas esset, tanto tamen thesauro gestando, tantisque insidiis sustinendis impar esset.] Quid ergo si testaceum, si luteum? Sed ita voluit Deus, ita disposuit. Nam si potentes secundùm carnem elegisset, si nobiles prætulisset, sublimitas non esset ex virtute Dei, sed ex voluntate viri, aut ex humani arte ingenij: at cum vilis eligitur, cum contemptibilis; sublimitas non humanæ tribuitur virtuti, sed diuinæ benignitati, totumque negotium in gratuitum refunditur beneficium.

Deus in maximis vsus est minimis.


Chrysost. Hom. 9.



PARS ALTERA.

DE INFIRMITATE.

TEXTVS.



Ergo mors in nobis operatur, vita autem in nobis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

EXEGESIS LITTERALIS.

Concludit se suosque semper ob infirmitatem carnis, laborem sustinere ac mor- A tem; nunquam tamen ob virtutis sublimitatem deficere: animus enim tantis pulsatus molestiis attollitur, dum in spem erigitur mercedemque consequitur.

[Ergo mors in nobis operatur, vita autem in

vobis, &c. [Græcè, ἐνεργεῖται agitur, efficitur. Sed mors corporalis intelligenda est in Apostolis seu viris Apostolicis, vita spiritalis in Corinthijs. Quotidie morimur, dum continuis amittendæ vitæ exponimur periculis: sed dum morimur, vos viuitis, dum per mortificationes nostras, imò nostras mortes in æternam vitam fide ac spe proficitis. Itaque mors quidem in nobis operatur, vita verò in vobis. [Hoc dicit quia pro salute eorum morti subijciebantur. Gentibus enim prædicantes, inimicitias sibi excitabant tàm à Iudæis, quàm à gentibus vsque ad mortem.] Ita textus, & Comment. Ambros. [Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur, &c.] Ita proficitis in æternam vitam, dum creditis: sed & nos eandem habemus fidem, ideoque non timemus loqui. Ita enim scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum: & si loquendo & prædicando moriendum est pro Christo, non timemus mori: firmiter enim credimus; ideoque fiducialiter loquimur, constanter morimur. [Scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum, &c.] Hoc enim tenemus, quòd Deus pater qui Iesum suscitauit crucifixum, & nos mortuos pariter suscitabit tanquam suos, & vobiscum collocabit similiter glorificandis. [Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei, &c.] Dixi, vobiscum: nostrum enim ministerium saluti vestræ & vtilitati publicæ destinatum est, vt sicut tantum beneficium in multos est respersum, per multos etiam referantur gratiæ Deo, & omnia tam vestra quàm nostra cumulatiùs in illius gloriam refundantur. [Nam omnia quæ sustinemus, (ita Aquinas) omnes gratiæ quas recipimus à Deo, sunt propter vos instruendos nostro exemplo: & hoc ideò, vt gratia abundans à nobis in vos, abundet per multos in gloriam Dei: id est, multi agant gratias Deo super beneficio tanto.]

Comment. Ambros.

Ministeriũ Apostoli cũ bono publico destinatum.

Aquin. lect. 4.

[Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem, &c.] Hoc ergo scientes tenentesque, non despondemus animum, nec tantis succumbimus periculis: sed licet exterior noster homo corrumpatur, interior tamen quotidie renouatur. [Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, &c.] Id enim volaticum & breue tribulationis nostræ tempus, ne dicam & momentum, superexcellenti modo & penè incredibili, nobis æternum gloriæ pondus procreat, dum felicitatem procurat interminabilem. [Explicat, ait Athanas. quo pacto interior is innouetur homo. Ideò inquit, id fit, quia in animam ille inducat perbreues esse pressuras & momentaneas, & idcircò toleratu leuiores videri, quando ad exiguum temporis inferuntur, gloriam verò perpetuam esse, & pondus, hoc est, magnitudinem ingentem habere. Id namque supra modum & in sublime prætendit.] Res non minùs mirabilis, quàm ineffabilis. [Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videtur, æterna sunt.] Græcè σκοπούντων. Spectare, in scopum ipsum intendere. Non ergo contendimus, nec pro scopo respicimus aut præmio ea quæ videntur, sed quæ non videntur: præsentia enim quæ cernuntur, temporaria sunt, citò euolatura: futura autem quæ creduntur bona, stabilia sunt & in æternum duratura. [Desiderium cœlestium & spiritalium habentes, hæc præsentia & terrena spernere profitentur, quia ad comparationem spiritalium hæc nulla sunt. Sic enim sunt hæc ad superna quomodo figura ad veritatem. Figura deperit, veritas manet: & per hoc exire de isto seculo non metuunt iusti, sed gaudent.] Ita Ambrosianus Commentator.

Athanas. in Paul.

Scopus fidei ac sanctitatis quæ nam propositus.

Ambrof. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

QVis ille spiritus fidei de quo Paulus agit? Et quis homo qui foris, & qui intus, quẽ distinguit? Nonnulla etiam & his innexa.

DISQVISITIO PRIMA.

De spiritu fidei.

POtest Paulus eundem habere spiritum fidei cum tribus hominum generibus: cum Dauide per accommodationem, cum antiquis per ampliationem, cum ipsis Corinthijs per applicationem.

Quoad 1. Locus desumptus est ex Psalmo 115. in quo Dauid, de regno lætatur sibi à Deo per Samuelem promisso, testaturque se tantam bonitatem palàm prædicaturum, gratiasque pro tanto relaturum beneficio. [Credidi, propter quod locutus sum.] Nam, vt obseruat Augustinus, duo sunt hominum genera: primum non credentium, & tamen loquentium: alterum credentium, & tamen non loquentium. [Isti loquuntur quod non credunt, & ideò reprobati sunt, quamuis sint vtiles eis quos instruit Dominus, dicens: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Vnde, nisi quia vtilia non credunt esse quæ dicunt? Sunt autem alij qui credunt, & non loquuntur quod credunt, vel pigritiâ vel timore. Nam & ille seruus quamuis talentum habuerit, tamen quia erogare noluit, audit à Domino iudice, Serue nequam & piger.] Quid ergo Dauid? Nec antequam credat, loquitur; nec cum crediderit, tacet, in quo prudens & fidelis intelligitur, dumnec incerta docet, nec commissa retinet, sed prudenter erogat, dispensat fideliter. [Credidi, propter quod locutus sum. Hoc est, vt ipse exponit, perfectè credidi. Non enim perfectè credunt, qui quod credunt, loqui nolunt. Ad ipsam enim fidem

Aug. Enar. in Psal 115. in præf.

Duo hominum genera male ministrantiũ.

Aug. in Expos. Psal à limine.

pertinet etiam illud credere quod dictum est, Qui me confessus fuerit coràm hominibus, confitebor eum coràm angelis Dei. Ex hoc enim est appellatus fidelis ille seruus, non tantùm quia accepit; sed quia impendit atque lucratus est. Ita & hoc loco non ait, Credidi, & locutus sum: sed propter hoc dicit se locutum esse, quia credidit.] Sicut ergo Dauid credidit promissis diuinis, nec de regno tacuit sibi à Deo per Samuelem annuntiato: sic & eundem habentes spiritum fidei, secundùm quod scriptum est, credimus, & propterea loquimur. Credimus regnum nobis repositum, lætumque de tanto beneficio nuntium circumferimus. Sicut enim Dauid diuinis fidens promissis, hostibus præualuit ac persecutoribus, ita credimus æternum regnum nobis obuenturum, confidimusque nec angustiis cessurum nec periculis, sed inter media processurum persecutionis & mortis discrimina.

Quoad 2. Dauid, vnus ex antiquis Prophetis & Patriarchis fuit, quomodo illum nominauit Petrus.
Act. cap. 2.
[Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus.] Imò inter illustriores & insigniores Patriarchas, cum pater sit dictus Christi, & Abrahæ in libro generationis prælatus. [Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.]
Matth. c. 1.
Potuit ergo in hoc psalmo sustinere personam Patriarcharum Prophetarumque, & simul cum illis iustis de promisso sibi Christo non gaudere tantùm, sed & gaudium suum publicis exprimere testimoniis.
Aquin. lect. 4.
[Dicit ergo Apostolus, (Aquinate exponente) Ex hoc speramus, & non deficimus, quia sumus habentes eundem spiritum fidei, quem antiqui habuerunt: quia licet tempora mutata sint, spiritus tamen & fides non est mutata, nisi quòd illi credebant Christum venturum & passurum, nos autem credimus venisse & passum fuisse. Hunc ergo spiritum habentes, quem antiqui habuerunt, facimus eadem quæ illi, & credimus. Illi autem qui fecerint, dicit Psal. 115. Credidi, scilicet Deo, & perfectè. Et hoc omnes antiqui fecerunt, testimonio fidei probati.
Iusti omnes eodem fidei spiritu præditi.
Propter quod, scilicet credidi, Locutus sum, id est, confessus sum fidem. Quod etiam nos facimus, quia propter hoc quod credimus, loquimur, & confitemur fidem, & prædicamus.] Ampliatio igitur ista est à Dauide ad iustos veteris testamenti, ab istis ad ministros noui testamenti, vt cognatos, quà eodem fidei spiritu præditos.
Chrysost. Hom. 9.
[Quoniam enim quæ cognata sunt, ait Chrysostomus, magnam ad consolandum vim habere solent, idcircò dixit Apostolus, Habentes eundem spiritum: quod perinde est ac si diceret: eodem subsidio freti, quo ille è periculis ereptus est, nos quoque seruamur: ex eodem spiritu quo ille locutus est, nos quoque loquimur. Quibus verbis illud ostendit, miram esse inter nouum ac vetus testamentum concordiam, atque eundem spiritum esse, qui in vtroque vim suam exeruerit: illudque præterea, non nos solos in periculis versari, sed etiam veteres omnes: ob idque fide ac spe animos erigendos esse, nec vrgentium malorum finem atque exitum statim petendum.]

Quoad 3. Dixerat Apostolus: [Ergo mors in

A nobis operatur, vita autem in vobis.] Nos in periculis versamur continuis, ne dicam & frequentibus mortibus agitamur. Sed ista vitam vobis pariunt æternam, dum spem acuunt, & fidem muniunt. Tum & applicat. [Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Scientes, quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos.] Vtpote sanctos & electos. In his autem tria sunt adnotanda. Primum est, humilitatem comitem esse fidei, nec posse fidem sine animi submissione subsistere.
Humilitas comes fidei est indiuidua.
B Vnde Christus ad Pharisæos, vtpote superbos: [Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?]
Ioan. cap. 5.
Ita & Dauid in Psalmo laudato: [Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.] Vide fidelem, vide humilem. [Qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.] Potuit dicere decentiùs, & vos suscitabit, & constituet nobiscum: sed voluit dicere humiliùs. Alterum, omnia reuera propter electos ipsos disposita. [Omnia sustineo propter electos.]
2. Timoth. cap. 2.
Id est, propter membra capiti suo Christo coaptanda.
C [Neque enim, vti dixit Chrysostomus, vnius duntaxat hominis causa hæc fecit: sed omnium.]
Chrysost. Hom. 9.
Tertium. Paulum certum, seu certo persuasum, se de numero electorum, ita ex prædictis cōcludere, vel potius sermonis filum resumere. Itaque indesinentibus quidem pulsamur persecutionibus, sed mors nostra, salutem vestram promouet, dum per certam spem ac veram fidem vitam spondet æternam: habentes autem eandem fidem, spemque eandem, vtpote à Deo ipso inspiratam, credimus
D confidimusque nos per Christum Iesum resuscitandos, & vna omnes cum ipso capite nostro glorificandos. [Vt scilicet sumamus eandem gloriam cum Iesu; (ita Aquinas)
Aquin. lect. 4.
quia cum simus membra eius, debemus esse cum capite. Nec solùm sum certus de salute nostrâ, sed etiam de vestrâ: quia constituet nos vobiscum: id est, simul erimus: quia sicut sumus membra Christi, ita & vos per nos. Et ideò dicit vobiscum, vt animet eos ad bonum, in quantum ostendit eos non esse inferiores, sed pares.]

E

DISQVISITIO SECVNDA.

De homine.

DVplicem distinguit hominem Apostolus, eum qui foris est, ἔξω, externum: & eum qui intus, ἔσωθεν, internum; quem dicimus exteriorem & interiorem, & ex quibus non alium, sed integrum hominem constituimus. Tria igitur in hac disquisitione elucidanda sunt. Primum, quis homo exterior, & quis interior: secundum, quomodo corrumpatur exterior: tertium, quomodo interior de die in diem renouetur.

Quoad 1. Homo exterior, ille est qui appa-

ret sensibus, interior qui intus latet: & ille præcipuè in corpore, iste præcipuè in mente residet: nam vnus quidem homo, idemque, sed non eodem modo vtrobique eminet. [Porrò, ait Tertullianus, nec anima per semetipsam homo, quæ figmento, iam homini appellato, postea inserta est: nec caro sine animâ, homo, quæ post exilium animæ, cadauer inscribitur. Ita vocabulum, homo, consertarum duarum substantiarum quodammodo fibula est: sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes. Porrò, Apostolus interiorem hominem, non tam hominem quàm mentem atque animum intelligi mauult, id est, non substantiam ipsam, sed substantiæ saporem. Siquidem Ephesiis scribens, in interiorem hominem habitare Christum, sensibus vtique initiandum Dominum significauit. Denique adiunxit per fidem: &, In dilectione. Fidem quippe & dilectionem, non substantiua animæ ponens, sed conceptiua.] Non tamen confundendus homo exterior cum homine vetere, aut homo interior cum nouo homine, imò planè secernendus: licet enim nouus homo, secundùm mentem seu interiorem hominem innouatus sit, non tamen omnis homo interior nouus est, seu secundùm mentem innouatus: vel quia innouatione non indiget, vt in Christo: vel quia fide caret, vt in ethnico. [Vnumquodque enim dicitur esse illud, ait Aquinas, quod est principalius in ipso: principalius autem in homine potest aliquid iudicari, & secundùm veritatem, & secundùm apparentiam. Secundùm veritatem quidem, principalius in homine est ipsa mens: vnde secundùm iudicium spiritualium virorum, mens dicitur homo interior. Secundùm apparentiam verò, principalius in homine est corpus exterius cum suis sensibus, seu cum animâ sensitiuâ: vnde secundùm iudicium illorum, qui tantùm corporalia & sensibilia desiderant, & terrena sapiunt, quorum Deus venter est: corpus cum sensibus dicitur homo exterior.]

Tertul. lib. de resur. carn. c. 40.

Homo nouus ab interiore homine secernendus.

Aquin. lect. 5.

Quoad 2. Corrumpitur homo exterior, dum corpus atteritur, dum inter infirmitates exercetur & acerbitates, tandemque per senium vrgetur ad interitum. [Quomodo corrumpitur? ait Chrysostomus. Cum flagris cæditur, exagitatur, sexcentis acerbitatibus afficitur.] Non enim assumptis solùm abstinentijs enecatur & vigilijs, sed & illatis, siue iniuriâ temporum, siue persecutorum sæuitiâ, incommodis consummatur. [Pressuris, ait Ambros. plagis, fame, siti, frigore, nuditate, caro corrumpitur.] Id est, quod mortale est, quod corruptibile, quod caducum, quod infirmitati obnoxium ac corruptioni, impigrè suo munere fungitur. [Nec enim illam corruptelam carnis affirmes, ait Tertullianus, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur: sed quam in istius vitæ spatio, ante mortem, & vsque ad mortem, vexationibus & pressuris, tormentis atque supplicijs, nominis causâ experietur.] Ita & retexens textum Apostoli, & animum exponens. [Etiam in superioribus, inquit, Qui in omnibus tribulemur, sed non coangustemur; & indigeamus, sed non perindigeamus; quoniam persecutionibus agitemur, sed non derelinquimur; qui dejiciamur, sed non pereamus: semper mortificationem Christi Iesu in corpore nostro circumferentes. Sed etsi, inquit, exterior homo noster vitiatur, caro scilicet, vi persecutionum; sed interior renouatur die & die, anima scilicet, spe promissionum.] Sicut ergo homo interior non per gratiam distinguitur, sed per naturam; sic & homo exterior, non per vitium moris corrumpitur, sed per incentiuum defectionis: corrumpi enim dicitur, cum intercidit corpus, cum dilabitur; sicut & mori, cum aut premente morbo, aut irruente malo, sed fato semper concedente, dissoluitur.

Chrysost. Hom. 9.

Ambros. in Paul.

Tertul. l. de resur. car. c. 40.

Tertull. de Scorp. c. 13.

Varia corporis corruptibilis incommoda.

Quoad 3. Homo interior renouatur, & de die in diem renouatur, dum in dies singulos proficit, dum quotidie in pietate crescit a sanctitate. [Quo pacto, ait Chrysostomus, renouatur? Fide, spe, animi promptitudine. Restat igitur, vt ad pericula intrepidum animum afferamus. Quo enim pluribus incommodis corpus diuexatur, eo lætiori spe animus fruitur, ac splendidior efficitur, non secus atque aurum, cui ignis diutius adhibetur.] Dum enim vexatur corpus, renouatur animus; & dum istud deficit, iste proficit. [Nam, ait Tertullianus, & interiorem hominem nostrum renouari de die in diem dicens, hîc vtrumque demonstrat, & corporis corruptionem ex vexatione tentationum, & animi renouationem ex contemplatione promissionum.] Dum enim dilabitur corpus in mortem, animus in spem vitæ erigitur æternæ; & dum in illo pœna crescit, & in isto crescit patientia, crescit & gratia: & cum in illo pœna desinit pro termino, in isto gloria incipit pro præmio. [Nam, vti loquitur Augustinus, quamuis in baptismo tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam nouitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renouandum: quando verè tota nouitas erit; sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in baptismo nouitas fieret, non diceret Apostolus: Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Profectò enim qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus: & inquantum nondum est renouatus, in tantum adhuc in vetustate est.] Etiam in iustis seu iustificatis, etiam & in perfectis aliquid vetustatis est, per quam filij adhuc sunt seculi: licet plurimum nouitatis sit, per quam filij Dei sunt, & quæ sunt spiritûs, sapiunt: etsi enim perfectionem habent viæ, nondum tamen patriæ consummationem obtinent. [Ipse Apostolus, ait ille, se confitetur nondum accepisse vt nouerimus etiam ad ipsum pertinere illud quod ait, Etsi exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem: quamuis iam esset perfectus viator, etsi nondum erat ipsius itineris perfectione peruentor.] Natura per peccatum vitiata est, & quasi inueterata per senium: hinc difficultas ad bonum, & ad malum pronitas: hinc agendarum rerum ignorantia, hinc concupiscentia noxiarum: quandiu igitur manet aliquid veteris fermenti, seu lethalis conta-

Chrysost. H. m. 9.

Tertul. l. 5. aduers. Marc. c. 11.

Aug. lib. 2. de pec. mer. & re. c. 7.

Animus per gratiam renouatur, consummatur per gloriam.

Aug. eod. lib. c. 13.

gij, semper animus per gratiam renouandus est, tandemque per gloriam consummandus.

TROPOLOGIA.

Quod in præsenti est momentaneum & leue.

PRæsentia comparantur & futura, sed ista, [Supra modum in sublimitate:] Seu, vt est in Græco, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν sublimantur. Primò, illa momentanea sunt, ista sunt æterna: secundò, illa leuia sunt, ista sunt grauia: tertiò, illa corporum sunt, ista spirituum.

Quoad primum. Non comparantur futura ac præsentia, quatenus præsentia sunt ac futura: sed quatenus illa momentanea sunt, ista sunt æterna. [Nam, vti dixit Chrysostomus, etsi suaue est, quod præsens est, minimè tamen perpetuum. Complures audio, qui ridiculis hisce verbis vtuntur, Da mihi hodiernum diem, & tu crastinum sume. Nam si talis est est in futuro æuo rerum status, qualem dicitis, vnum pro vno fuerit. Si verò ex ijs, quæ de æuo illo commemorantur, nihil omninò est, duo pro nihilo erunt. Quid his vocibus sceleratius, quid dementius fingi potest? Nos de cœlo disserimus, ac de arcanis & ineffabilibus illis bonis: & tu verba è Circo petita in medium profers; nec pudore suffunderis ea proloquens, quæ mente captorum hominum sunt, nec erubescis, præsentibus rebus ita infixus? Quòd si hęc verba ex Gentilium ore mitterentur, nihil mirum esset. At verò fide præditos homines eiusmodi sermones effutire, quam tandem veniam mereri id queat?] Verùm non tam præsenti insistit Paulus, quàm quod temporarium est in præsenti, quasi momentaneum asserit prospectu futuri: [Labor est hic tuus, (verba sunt Augustini) & requies tibi promittitur. Attendis te hîc habere laborem, sed attende qualem ille requiem pollicetur. Nunquid cogitare poteris? Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem. Audi eum qui illud ex parte cernebat, qui dixit: Nunc scio ex parte. Quid ait Apostolus? Etenim quod est ad præsens temporale & leue tribulationis nostræ, iuxtà incredibilem modum, & incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Noli esse piger in labore breuiter: & gaudebis incessabiliter. Æternam vitam tibi daturus est Deus, cogita quanto labore emenda sit.] Certè digna est emi labore perpetuo, sed si haberes æternum laborem, nunquam peruenires ad æternam quietem. Noluit ergo Deus te in æternum laborare, & voluit te in æternum quiescere: imò non solùm temporalem voluit esse laborem, sed & momentaneum & quasi nullum. [Quæ cum ita sint, ait Chrysostomus, prouideamus, ne dum ad vnicum momentum (momenti enim instar est hæc vita) delicijs indulgere volumus, infinitorum seculorum pœnam nobis accersamus: verùm ad momentum potius laboremus, vt perpetuis coronis cingamur. An non cernitis in huiusce quoque vitæ negotijs bo-

Chrysost. in Morali.

Augustin in Expos. Psal. 93. vlt. med.

Chrysost. in Moral.

A nam hominum partem eodem modo facere, ac breuem laborem diuturnæ quietis causâ suscipere: tametsi etiam sæpè contrà res eueniat ac sibi proponunt. Hîc enim laboris ac quæstûs æqua est portio. Imò etiam plerumque contrà vsu venit, vt infinitus sit labor, fructus autem tenuis, ac sæpè ne tenuis quidem. At verò, cum de cœlesti regno agitur, contraria est ratio. Paruum enim laborem magna atq; infinita iucũditas excipit.] Pœna modica est; sed æterna iucunditas; iucunditas momentanea, sed pœna æterna. Ne consideres præsentia, sed temporaria compares & perpetua, momentanea & æterna. [Timens ergo (concludit Augustinus) ignem sempiternum, contemnis dolores temporales: & pro eo quod promisit Deus, contemnis temporalem felicitatem. Promisit requiem, patere molestiam. Minatur ignem sempiternum, contemne dolores temporales: & euigilante Christo tranquilletur cor tuum, vt ad portum quoque peruenias.] Appende semper breuitatem temporis, & æternitatem felicitatis: attende quàm citò transeant præsentia, & quamdiu futura permaneant.

Voluptas momentanea, æterna infelicitas & contra.

Aug in Exposit. Psal. 9. vers. fin.

B

Quoad secundum. Quàm leues huius seculi tribulationes, si ad futuram gloriam comparentur, si cum pondere immensi trutinentur gaudij? [Id quod in præsenti est momentaneum & leue.] Non solùm momentaneum est: sed & leue, quod vix expendendum sit, nec cum æterno pondere gloriæ conferendum. Quid deliciæ præsentes? nonne tam leues quàm & inconstantes, vanæ, & vanis ipsis vaniores, ideoque non solùm flocci aut nihili pendendæ, sed & in totum contemnendæ? [Excitat reuera ad contemptum voluptatis, ait Laurentius Iustinianus, tempus in quo sumus. Vniuersum namque tempus præsens quædam est vigiliæ solennitatis æternæ. Vigilia vtique non est tempus deliciarum, sed dies festus. Ideò fallax suauitas in temporalibus bonis, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor, & periculosa inest iucunditas: cui initium sine prudentiâ, progressus absque rubore, & finis cum pœnâ. O detestanda concupiscentiæ turpitudo, quæ non solùm mentem effeminat, sed corpus eneruat. Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur fœtor & immunditia, semper sequuntur dolor & pœnitentia. Semper famem patitur, quum non habetur; quum autem habita fuerit, prorumpit dolor, angit mœror, hebetatur mens, ingemiscit ratio, exhorretur vita, concupiscitur mors, & tardè cognoscitur diu stare non potuisse, quod malè perpetratum est. Quales illæ voluptates, quarum appetentia plena est anxietate, satietas verò fastidio, quarum motus quid iucunditatis habeat ignoratur: breues enim illæ voluptates, & quo auidiùs haustæ sunt, eo citiùs in contrarium vertuntur. Anima delectationis auida, nunc ista, nunc illa quærit, nec tamen reperit in quo conquiescat. Cogitationes alternat, mutat consilia, diuersarum formas in se species voluptatum, vt suo possit stabiliter frui desiderio. Quã sententiam profert Ecclesiastes, dicens: Vadam, & affluam diuitiis, & fruar bonis, & vi-

C

Laur. Iust. lib. de continent. c. 3.

D

Præsentes deliciæ, tam leues quàm vanæ.

E

di quod hoc quoque esset vanitas.] Tales ergo & diuitiæ, quales deliciæ, quibus illæ ministrant procurantque: inanes, fallaces, vanæ, contemnendæ. Idcircò, vt notauit Gregorius, [Illas nequaquam Dominus diuitias, sed fallaces diuitias appellat. Fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ enim diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt:] Imaginariæ diuitiæ, imaginariæ deliciæ, quibus nihil certi sit, nihil veri: in imagine enim pertransit homo, non in veritate; opinione viuit, non ratione: bona sua ad sensum expendit, non ad iudicium. [Omnis enim delectatio huius mundi, vti Bernardus dixit, vniuersa eius gloria, quicquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius beatitudinis comparatione: si tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, vapor ad modicum parens.] Non heic igitur; sed ibi quærendæ sunt veræ diuitiæ, veræ dicendæ sunt deliciæ; quibus pondus non ex corruptâ mente sed propriâ insit virtute: non leues, sed graues, vtpote quæ infinitis grauidæ sint gaudijs, quibus nullum insit onus, vt quæ graues sint, non tamen onerosæ: cum tamen voluptates præsentes simul & leues sint & importunæ. [Hominem enim, ait Laurentius, in teterrimam seruitutem redigunt, multa corporibus mala inferunt. Quis porrò hostis in quenquam tam perniciosus fuit, quàm in quemque voluptates suæ sunt? Seruiunt voluptatibus, non fruuntur; flagellantur ab eis, non oblectantur: & malè sua (quod malorum est vltimum) amant.] Præsentes ergo deliciæ, solâ molestiâ graues sunt & importunæ, merito suo leues & vanæ: vbi futuræ deliciæ, & constantiâ suâ graues sunt ac ponderosæ, ex innatis bonis tam optabiles quam & venerandæ.

Gre. Hom. 5. in Euan.

Bern. in flo. c. 243.

Laurent. Iustin. li. de contin. c. 4.

Quoad tertium. Quæ sunt præsentia? quæ videntur. Quæ futura? quæ non videntur. [Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.] Quid temporalia, seu temporaria, nisi visibilia, obtutibus & sensibus exposita? nonne animalium sunt, nonne sunt corporum? Quid æterna seu inuisibilia, mentibus & intellectibus obuia? nonne angelorum sunt, nonne spirituum? Quò ergo Christianis, qui se sperant angelis fore similes, imò, si non naturâ, certè æquales gratiâ: quò, inquam, illis spectandum est, quò collimandum? Quid intueri debent, quid pro scopo & instituto contemplari? Quæ videntur? at ea sunt pecorum. [Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.] Nobis Christianis, sortem ambientibus angelorum, spirituum felicitatem prætendentibus. [Cum igitur, ait Chrysostomus, quæ videntur, temporalia sint; quæ autem non videntur, æterna, ad hæc oculorum aciem intendamus. Ecqua enim nobis excusatio futura est, si fluxa & caduca sempiternis potiora habuerimus? Nam etsi suaue est, quod præsens est: minimè tamen perpetuum. At verò ea acerbitas, quæ ex hac suauitate nascitur, eiusmodi est, vt non finem habeat, nec

Chrysost. in Moral.

A veniam. Quàm porrò excusationem habituri sunt, qui, cum spiritum acceperint, tantoque beneficio affecti sint, humilibus tamen rebus & abiectis toto studio incumbunt, atque in terram collabuntur?] Pudeat angelos, de cœlo in cœnum labi, pudeat Christianos secundùm Deum regeneratos in luto sensibilium volutari delectationum. Imò sciant aut aduertant, delectationes non esse, sed infelicitates: hominum probra, Christianorum dedecora. [Vtri enim quæso, ait ille, in voluptate sunt; qui præsenti vitâ ad luxum ac delicias abusi sunt, an qui ex Christianæ Philosophiæ præceptis vitam suam moderati sunt? Tu fortasse illos dices: ego autem hos esse ostendam; & quidem eos ipsos testes citans, quibus præsentibus bonis frui contigit. Nec verò ita perstricti fronte erunt, vt aduersùs ea, quæ dicturus sum, niti audeant. Nam & pronubas sæpè diris omnibus deuouerunt, etiam ipso die quo thalami strati sunt: eosque felicitatis nomine prædicarunt, qui vxorem non duxerunt.] Nonne sunt alia Christianorum bona, si illorum non alia sunt præmia, quàm eorum qui nec nubunt, nec traduntur ad nuptias, qui nec edunt, nec hasce pecorum experiuntur delicias? [An verò, ait Augustinus, tibi chara sunt omnia, & vilis est ille qui condidit omnia?] Hoc igitur spectemus quò contendendum est, eò collineemus, vbi viuendum. [Nam si ipsius longanimitate abutamur, (concludo ex Chrysostomo) erit tempus, cum iam ne tantillum quidem temporis longanimitatem adhibebit, verùm statim supplicia inferet. Nam & Iudæi tum dicturi sunt, Benedictus qui venit in nomine Domini: verùm nullum huius vocis fructum propterea capere poterunt, vt pœnam effugiant. Non enim tunc hoc dixerunt, cum dicendum erat. Quocirca, ne hoc quoque nobis in vitâ ac moribus accidat, hîc iam vitam in melius commutemus. Neque enim hominum ratione præditorum est, animam, quæ tanti pretij est, pro re nullius momenti projicere: cum è contrario nobis agendum sit, vt pro exiguo labore cœlum capiamus.] Habes, anima Christiana, alia bona in annos æternos reposita, & si viam tenes spirituum, vitam obtines angelorum.

Chrysost. ibid.

B

Vota Christianorum, angelorum sunt præmia.

Aug. ser. 7. de verb. Ap. c. 4.

C

Chrysost. in Moral.

D

ANAGOGIA.

Qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit.

E

OMnes quidem suscitabuntur, sed non omnes cum Iesu suscitabuntur, id est, non omnes ad gloriam, aut ad vitam immutabuntur æternam. Felicem igitur & immortalem tangit resurrectionem Apostolus, in quâ & tria congerit. Primum est, causa per quam: secundum, gloria propter quam: tertium, concordia secundùm quam.

Quoad causam. Præierat Apostolus, vbi dixerat: [Deijcimur, sed non perimus. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corpore nostro. Scientes, quoniam qui susci-

tauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit.] Hoc scimus, adeò certò credimus, ac tutò confidimus. [Si enim, vti ait Tertullianus, hæc sunt fictilia vasa, in quibus tanta nos pati dicit, in quibus etiam mortificationem circumferimus Domini; satis ingratus Deus & iniustus, si non & hanc substantiam resuscitaturus est, in quâ pro fide eius tanta tolerantur, in quâ & mors Christi circumfertur, in quâ & eminentia virtutis consecratur. Sed enim proponit, Vt & vita Christi manifestetur in corpore nostro, scilicet sicut & mors eius circumfertur in corpore. De quâ ergo Christi vitâ dicit? quâ nunc viuimus in illo? Et quomodo in sequentibus non ad visibilia, nec ad temporalia, sed ad inuisibilia & ad æterna; id est, non ad præsentia, sed ad futura exhortatur? Quòd si de futurâ vitâ dicit Christi, in corpore eam dicens apparituram, manifestè carnis resurrectionem prædicauit, Exteriorem quidem hominem nostrum corrumpi dicens, & non quasi æterno interitu post mortem, verùm laboribus & incommodis, de quibus præmisit adjiciens, Et non deficiemus.] Causa, per quam in vitam suscitamur æternam, per quam immutabimur ad gloriam, passio pro Christo; cum exterioris hominis corruptio, fit interioris renouatio: resurrectio, fit consummatio: [Nam & homo interior, ait ille; hîc vtique renouari habebit per suggestum spiritûs, proficiens fide & disciplinâ die ac die: non illic, id est, non post resurrectionem: vbi non vtique die ac die renouari habebit sed semel ad summam. De sequentibus disce: Quod enim ad præsens est, inquit, temporale & leue pressuræ nostræ per supergressum in supergressum, æternum gloriæ pondus perficiet in nobis, non intuentibus quæ videntur, id est passiones; sed quæ non videntur, id est mercedes. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ verò non videntur, æterna. Pressuras enim & læsuras, quibus corrumpitur homo exterior, vt leues & temporales, idcircò contemnendas affirmat, præferens mercedum æternarum, inuisibilium, & gloriæ pondus in compensationem laborum, quos hîc caro patiendo corrumpitur. Siquidem, ait alibi, compatimur, vt & conglorificemur. Porrò si per carnem compatimur, cuius est propriè passionibus corrumpi, eiusdem erit, & quod pro compassione repromittitur.] Totus in eo est Apostolus vt resurrectionem probet, & fidem huius spei corroboret. [Si enim adhuc ad superiora respectes, (ita Tertullianus) vnde mentio hominis exterioris & interioris inducta est, nonne & dignitatem & spem carnis integram inuenies? Dum enim de lumine, quod illuxerit Deus in cordibus nostris, ad illuminationem agnitionis gloriæ suæ, in personâ Christi, dicit habere nos thesaurum istum in testaceis vasis scilicet in carne: vtrumne quia testacea est, secundùm originem in limo destruetur; an quia diuini thesauri conditorium est, extolletur? Atquin, si lumen ipsum illud verum, quod est in personâ Christi, vitam in se continet, eaque vita cum lumine committitur in carnem, peritura est, in quam vita committitur? Planè, si periturus & ipse thesaurus: perituris enim peritura creduntur: sicut veteribus vtribus,

Tertul. l. 5. aduer. Mar. cap. 1.

Causa felicis resurrectionis passio pro Christo.

Tertul. l. de resurr. carn. c. 40.

Tertul. eod. lib cap. 44.

A nouum vinum.] Resurget ergo quæ corrupta est, imò resurget quia corrupta est, pro Christo scilicet perpessa, tandemque mortua.

Quoad gloriam propter quam. Ille ipse qui causam aperit, ostendit gloriam. [Postquam enim, ait Chrysostomus, rationibus resurrectionem ac vitam demonstrauit, illudque insuper, pericula imbecillitatis ac desertionis argumentum minimè esse, deinceps iam fidem etiam inuehit, eique omnia committit. Quanquam ipsam quoque vt probet ac muniat, Christi resurrectionem affert in medium, cum ait: nos quoque credimus, propter quod & loquimur. Quid credimus heus tu? Quod is qui Christum suscitauit, nos etiam excitabit.] Certâ fide persuasi sumus, & istâ persuasione consistimus, quòd sicut Deus Pater Iesum suscitauit ad regnum, sic & nos suscitabit ad præmium, nos sicut ipsum in vitam restituet, & per meritum eius eriget in gloriam: sicut enim vita eius in nobis manifestanda est, sic & gloria: & sicut similitudinem circumtulimus mortis, sic & similitudinem circumferemus immortalitatis. [Cum enim subjicit Apostolus, Semper mortificationem Christi Iesu circumferentes, in corpore nostro, qualis ista res est, ait Tertullianus, quæ post Dei templum, iam & sepulcrum potest dici? Cur autem mortificationem Domini circumferimus in corpore? vti & vita, inquit, manifestetur. Vbi? in corpore. In quo? mortali. Ergo, in carne planè mortali, secundùm culpam; sed & vitali, secundùm gratiam. Vide quantam; vt in illâ, vita Christi manifestetur. In re ergo alienâ salutis, in substantiâ perpetuæ dissolutionis, manifestabitur vita Christi æterna, iugis, incorrupta, iam & Dei vita? aut cuius temporis vita Domini manifestabitur in corpore nostro? Illa quidem quam vixit vsque ad passionem; quæ non modò apud Iudæos in manifesto fuit, verumetiam omnibus nunc gentibus prodita est? Adeò eam significat, quæ portas adamantinas mortis, & æneas seras inferorum infregit, quæ exindè iam nostra est. Denique, manifestabitur in corpore. Quando? post mortem. Quomodo? dum resurgimus in corpore, sicut & Christus. Ne quis enim argumentetur, nunc habere manifestari vitam Iesu, in corpore nostro per disciplinam sanctitatis, & patientiæ, & iustitiæ, & sapientiæ, quibus Domini vita floruerit, prouidentissima Apostoli intentio ingerit: Si enim nos qui viuimus, in mortem tradimur, propter Iesum, vt vita eius manifestetur in corpore nostro mortali. Ideò defunctis nobis hoc ait futurum in corpore nostro. Quòd si tunc, quomodo nisi resuscitato eo? Proinde & in clausulâ: Scientes ait, quòd qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit cum ipso, quia iam resurrexit à mortuis: nisi quia, cum ipso, sicut ipsum sapit? Si verò sicut ipsum, non vtique sine carne.] Est ergo gloria illa, quæ iustis electis ve seruata: cum enim determinat Apostolus nos cum Iesu suscitandos, non simultatem temporis denotat, sed similitudinem indicat dignitatis. Sumus membra corporis eius, ideoque capiti coaptanda, ac simili gloriâ, seu stolâ immortali donanda.

Chrysost. Hom. 9.

Tertull. lib. de resur. carn. c. 44.

Qualis Christi vita sit in nobis manifestanda.

Ambrosius serm. 55. a limine.

[Magnum, ait Ambrosius, & mirabile donum concessit nobis Deus, in quo resurgens Dominus, resurrectionem præstitit vniuersis, & de imis ad altiora conscendens, nos quoque ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuauit. Sumus enim secundùm Apostolum omnes Christiani corpus Christi & membra. Resurgente igitur Christo, omnia necessariò cum eo sua viscera surrexerunt. Dum enim ille ab inferis transit ad superos, nos de morte transire fecit ad vitam.]

Quoad concordiam secundùm quam. Non se vult solum Apostolus in gloriâ, imò se vult sociũ, perpetuaq; vnitum concordiâ. [Et constituet vobiscũ.] Græcè παραστήσει, producet ad iũgetq; Ibi quippe nulla inuidia est, inopia nulla; sed tanta concordia sanctorum, quanta gaudiorum abundantia. [In illâ patriâ quæ nescit nisi gaudiũ & iubilationem, ait Bernardus, nihil deest. Ecce abundãtia, quâ impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, vbi nihil quod nobis desit: totum sit quod velis? Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem latuerit, nunquid erit gloria consummata? Ideò nihil latebit nos, & ecce sapientia, quâ curiositas hominis satietur. O sapientia, quâ tunc omnia quæ in cœlo & quæ in terrâ sunt, perfectissimè cognoscemus in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Quid & si nihil defuerit, & nihil latuerit: maneat autem timor & anxietas amittendi? Ideò nihil terret. Et ecce potentia, quâ humana infirmitas roboretur. Vbi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, putà quòd nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ.] In rebus humanis, potestas omnis impatiens consortis est, nec societas quæritur, vbi aut dignitatis imminutio metuitur, aut accessio paupertatis: inde lites, inuidiæ, contentiones, discordiæ: sed nihil metuendum vbi Deus est ad omnia & in omnibus sufficit: nihil verendum, vbi ille qui sapientes qui potentes suâ facit præsentiâ, nusquam & nulli deficit: nihil denique præcauendum, vbi quo plures, eo feliciores: vbi numerus sanctorum, cumulus erit præmiorum; & augmentum potius felicitatis erit, quam societatis præiudicium. [Tripliciter enim, ait ille, in æternâ illâ & perfectâ beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus iucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsâ Trinitatem & gloriam illam, sine vllo ænigmate mundo cordis oculo contemplãtes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, vt cognoscamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, vt videamus Deũ sicuti est, id est, nõ modò sicut inest, nobis videlicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Vnde duo illa velut circumiacentia esse videntur, & quasi cortex tritici: hæc verò cognitio summæ beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum ciuitas sancta Hierusalem satiatur.] Si consortium ferunt homines, saltem primatum appetunt: nec in numerum referri volunt, sed in sensum efferri ac titulum. Scit Paulus nihil detrahi superuenientibus, nihil cedentibus minui. [Mensuram, ait Dominus, plenam & confertam & coagitatam; & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Plenam, vniuersitate creaturarum; confertam, in interiore homine nostro; coagitatam, in exteriore; & supereffluentem, in Deo ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo. Nam quomodo videndus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus vel ex parte conjicere, ex ipsis nimirum quas accepimus iam primitijs spiritûs. Cognitio autem illa omninò nobis adhuc cognita est, mirabilis facta est: cõfortata est, vt non possimus ad eam: Quàm magna enim illa beatitudo, tam abcondita est ab oculis nostris. Nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quãta claritas, quanta suauitas, quanta iucunditas manet nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectum, quanto magis omnem sermonem nostrum?]

Bernard in sentent.


Nulla discordia, vbi perfecta est abũdantia.

Bernard. serm. 4. in fest. Sanct. Omn. in med.

Bernard. ibidem.



CAPVT



CAPVT QVINTVM.

Epigraphe.

APostoli votum est peregrinari à corpore, sed legatione interim pro Christo fungi. Prima pars igitur de peregrinatione: de legatione, altera.

PARS PRIMA.

De Peregrinatione.

TEXTVS.



SCimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domus non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri; vt absorbeatur quod mortale est, à vitâ. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritûs. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Et ideò contendimus siue absentes, siue præsentes, placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientijs vestris manifestos nos esse.

EXEGESIS LITTERALIS.

NOllemus mori, si voto viueremus nostro, sed optaremns transferri: audemus autem, malumusque tandem spoliari corpore, quam spe frustrari gloriæ.

[Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis, &c.] Dixerat, se suosque non intendere in temporaria, sed in æterna, seu cœlestia contendere. Tum explicat: Nouimus enim quòd si corpus hoc terrenum, quod ad instar tabernaculi est, dissoluatur, destruatur-ve; nos ædificium habituros domicilium-ve non iam in terris, sed in cœlis; nec temporarium, sed æternum; nec humano factum opere, sed diuino: Deo nimi-
A rum volente & extruente. Potest & hoc referri ad id quod dixerat de exteriore homine. [Quoniam enim, ait Athanas. superiùs dixerat, Quantum exterior homo corrumperetur, tantumdem innouaretur interior, visus est noui quid dicere, ita nunc infert: Quin potius cum penitùs contabuerit mortale hoc corpus & luteum, tunc sanè infinita nobis producturus est bona.] Potest etiam referri ad id quod dixerat de resurrectione: sed quod vicinius, id & aptius. [Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur, &c.] In hoc, Græcè ἐν τούτῳ. In quo? fragili tabernaculo, an cœlesti desiderio Dixerat, dissoluto corpore, æternum habere nos domicilium: & inde probat, quia ingemiscunt sancti, dum mortem suam præsentiunt. Ex illo enim cœlesti desiderio vellent iam Deo

Athanas. in Paulum.

Sancti inter desiderium immortalitatis, & odium mortis constituti.

frui, naturali autem voto nollent mori: ideoque inde suspirant vnde & aspirant. Ex hoc igitur ingemiscimus, dum immortale quidem ac cœleste corpus, dum æternum nobis cupimus donari domicilium: sed mortem horremus, mallemusque superindui immortalitate quàm nudari corpore. [Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri; vt absorbeatur quod mortale est à vita, &c.] Dum enim sumus in hoc mortali corpore, ne dicam & sub hoc graui onere, ingemiscimus, quia mori nolumus, sed transferri, malumus per immutationem quam per dissolutionem peruenire ad immortalitatem; & mortalitatem, per vitam potius quàm per ruinam deponere. [Nec sic superuestiri volumus, (ita Aquinas) quòd corpus remaneat mortale, sed ita quòd gloria auferat ex toto corruptionem corporis absque corporali dissolutione. Gemimus ergo intus in corde, non solùm extrà in voce, quia durum est cogitare mortem: & tamen grauati, quasi aliquo existente contrà desiderium nostrum.] Si nimirum non perueniamus ad gloriam immortalitatis, nisi sarcinâ deponamus corporis.

Aquin. lect. 1.

[Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritûs, &c.] Qui autem nos format aptatque ad consequendum istud incorruptionis seu immortalitatis indumentum, Deus est: qui & gloriam promisit, & Spiritum sanctum nobis in arrham dedit. Textus Ambrosianus: [Qui autem perficit nos in hoc ipsum, Deus est, qui etiam dedit nobis pignus spiritum. Quia qui promisit, & fidelis est, dans huius rei implendæ pignus spiritum. Ipse est enim signaculum adoptionis nostræ.] Ille qui non solùm parat, sed & obsignat. [Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per speciem,) &c.] Audentes, Græcè, θαῤῥοῦντες, confidentes. Opponit Apostolus ἐνδημεῖν, domi esse seu agere; & ἐκδημεῖν, foris esse seu agere: intus morari, aut peregrinari: aitque: bono itaque sumus semper animo, & scimus, quòd dum sumus in hoc tabernaculo nostro, absumus à Christo Domino: nunc enim in fide versamur non in specie, nondum ipsam speciem, seu propriam Dei & Christi contemplamur pulcritudinem. [Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, &c.] Audemus, inquam, & boni ducimus, potius abesse à corpore, & adesse Christo Domino; potius spoliari carne mortali, & in cœlesti sede interim commorari. [Et ideò contendimus, siue absentes, siue præsentes, placere illi, &c.] Et ideò siue viui, siue mortui, siue immorantes in corpore, siue à corpore peregrinantes, hoc vouemus, & huic rei tam sincerè quàm & assiduè studemus, vt grati simus Christo Domino acceptique. [Omnes .n. nos manifestari oportet antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum, &c.] Contendimus, Græcè, φιλοτιμούμεθα, semper placere illi, quia nos oportet coràm Christo omnium tam viuorum quàm & mortuorum supremo iudice, non solùm præsentari, sed etiam examinari, vt notum sit manifestumque, quod tam de bonis quàm & de malis futurum est vniuersale iudicium: æquũ est, vt sicut quisque se gessit dum hìc vixit, seu dum fuit in corpore, sic & referat recipiatque à Christo iusto iudice. [Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.] Cum ergo præ oculis habeamus tremendum illud iudicium, tam sincerè quàm & integrè nostrum exequimur officium, nitimurque id persuadere hominibus, nam Deo id notum manifestumque: confido autem & nos vobis manifestos probatosque. [Habentibus nobis, inquit, (apud Athanas.) tremendi illius iudicij notionem, connitendum omni studio erit, ne hominum quempiam offendamus. Id namque Apostolus sentit, cum hominibus, inquit, suademus: hoc est, ne cuiuspiam per nos animus offendatur, temperandum est. Quippe & Deo patemus, quem haudquaquam latet, quemadmodum nobis vita degatur, nec suaderi potest, nec falli, cum nostris fuerit actionibus prauis offensus. Proximè autem & vobis patebimus, vtpote qui nostra omnia optimè calleatis, eo quod haudquaquam necesse erit vt vobis suadeamus.] Persuademus aliis, non vobis: nos enim nostis, scitisque qualiter conuersati sumus, & quàm fideliter nostro perfuncti ministerio.

Ambros. in Paul.

Omnia omnibus in futuro manifestanda iudicio.

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ IN litteram.

MVlta sese offerunt & de tabernaculo & de iudicio disquirenda: sed quæ passim sparsa sunt, confertim sunt colligenda. Sit ergo

---

DISQVISITIO PRIMA.

De tabernaculo.

CHristus non solùm fabri, vt putabatur filius; sed & faber, vt publico notabatur dicterio: conditionem non respuit, imò & ex officinâ suâ comparationem de iugo assumpsit & aratro: sic Paulus, [Artis scenofactoriæ:] Libenter etiam σκῆνος produxit, id est, artis suæ non indecenter meminit. [Tractant fabrilia fabri.] Ita ergo, [Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur.] Ex Græco: [Quòd si terrestris domus nostræ tabernaculum fuerit dissolutum.] Reuera enim domus hæc terrestris, seu, vt in Græco, οἰκία, domicilium, nihil aliud est quàm tabernaculum. [Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati.]

Sed primò quæri potest, cur Paulus in hac substantiâ meminit tabernaculi? Tabernacula, subitaria quædam tecta sunt pellibus plurimum consuta, quæ excitantur in castris, huc-

que & illuc transferuntur. Tria dixi, sed probanda. Primum est, tabernacula plurimum pellibus consui. Possunt enim exstrui frondibus: sed plurimùm pellibus; tum quod facilius aptentur complicenturque, cum quod firmiùs tueantur aduersùs tempestatis iniuriam, & itineris patiantur molestiam. Sic & de antiquo tabernaculo. [Tabernaculum ita facies, vtrumque latus tabernaculi protegens. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus.] Sed ad rem propiùs: [Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.] Nam, vt ibi dixit Ambros. [Tentoria de exuuiis animalium mortuorum fiunt.] Primi enim mortalium vitam suam animalium alebant lacte aut carne, & ipsorum pelle aduersùs aërem aut solem illam protegebant. Alterum est, in castris excitari. Ita apud Tertullianum: [Miles, de papilionibus expeditis & substrictis.] De tentoriis seu tabernaculis, quæ tendebantur quidem, sed minimè protendebantur. Sic & ille apud Iulium lib. 6. [Diffisus suæ ac omnium saluti, inermis ex tabernaculis prodit.] Tertium huc & illuc transferri. Ita Plinius cap. 3. lib. 5. [Nomades à permutandis papilionibus, mapalia sua, hoc est, domus circumferentes.] Inde templum, & tabernaculum, quod illud stabile, istud mobile. Sic & in Genesi: [Mouens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre.] Quidni igitur cuticula hæc mortalis corporis non potius dicatur habitaculum quàm domicilium; cum pellibus & carnibus contexta sit; cum inter tot hostes versata, totque passa aduersitates: toties mutata, & ad extremum deponenda? Ita Petrus: [Certus sum quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quòd & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.] Et, [Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.] Opponuntur ergo tabernaculum & ædificium, tanquam mobile & immobile domicilium, tanquam temporarium & æternum, terrestre & cœleste habitaculum. [Sunt, ait Chrysostomus, qui per terrestrem domum mundum hunc intelligant: ego verò his verbis corpus potius significari contenderim. Atque hic velim considerares, quomodo per vocabula ipsa ostendat, quantum futura præsentibus antecellant. Nam cum terrestrem dixisset, cœlestem opposuit: cum tabernaculi habitationem (quo verbo fluxam & fragilem ipsius naturam declarat) cœlestem è regione collocauit. Etenim tabernaculi nomen plerumque temporarium quiddam ac breui periturum indicat.] Nihil ergo aptius hoc verbo, nihil & congruentius.

Exod. c. 26.

Cant. cap. 1

Ambrof. in c. 1. Cant.

Tertull. c. 3. ad martyr.

Quænam templum inter & tabernaculum differentia.

Genes. c. 13.

2. Pet. c. 1.

Chrysost. Hom. 10.

Secundò quæri potest cur Apostolus dicat, [Si terrestris domus nostra dissoluatur.] Cum & ipse definiat, [Statutum hominibus semel mori.] Cur ergo sub conditione collocat, quod sine cunctatione determinat? Respondeo primò, locum in Paulo non esse loco contrarium, tum quòd non dicit, statutum id omnibus hominibus; cum quòd dicit, [Semel.] Nam sicut multi non semel mortui sunt;

Heb. cap. 9

A nempe illi omnes, qui antè resurrectionem generalem ad caducam fuerunt vitam suscitati: quidni plures, nedum nonnulli à publicâ naturæ damnatæ eximendi sunt, aut certè eximi possunt sententiâ? Respondeo secundò, particulam illam, [Si,] non semper conditionis esse, sed nonnumquam consecutionis. Sic apud Terentium in Phorm. [Herus si redierit, molendum vsque in pistrino.] Vbi, [Si redierit.] tantumdem est, ac, [Postquam redierit.] Mitto alia, in quibus particula illa, nonnunquam præoccupat, nonnunquam affirmat. Sed in Paulo potest esse sensus consecutionis, non conditionis. [Si terrestris domus nostra.] Id

B est, postquam corpus hoc dissolutum fuerit, postquam à suâ seiunctum animâ. Respondeo tertiò, Apostolum reuera dubitandi locum reliquisse, imò & dubium omne forsan abstersisse, dum conditionem interposuit, dum enim interposuit, aliquos non dissoluendos ad exceptionem fortean seposuit. Ita cum heic dixit, [Si tamen vestiti, non nudi inueniamur.] Innuit nonnullos non exuendos, sed superinduendos. [Sunt enim alij, ait Auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus, æquè catholici & eruditi viri, qui credunt, animâ in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos, qui in aduentu Domini viui inuenientur, & hoc eis reputari pro resurrectione

C ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte.] Quid porrò statuendum, alibi definiendum est; Sed heic dicendum, dubium nonnullum ex verbis suscitari Apostolicis, imò tam pro viuis quam pro mortuis formari præiudicium: si enim vtrosque iudicat, aliquos non mortuos, sed viuos vltima repræsentat sententia.

Auctor lib. de dogm. eccl. cap. 7. apud Augu. Tom. 3.

Nonnulli forsan iudicandi sunt non mortui.

Tertiò quæri potest quid velit Paulus, cum ait, [Si tamen vestiti, non nudi inueniamur.] Quanquam enim particula, [Si] conditionem exprimat, aut inferat exceptionem: nondum tamen liquidum & apertum cuius conditionis sit illa exceptio, aut cuius exceptionis sit illa conditio: non enim de lectione tantùm dispu-

D tant nonnulli, sed & qui non disputant, de expositione tamen variant. Primò, igitur lectio firmanda est: secundò, subjicienda expositio: tertiò, inferenda exceptio. Quoad primum: nonnulli, [Induti] legunt: alij legunt, [Exuti.] Mirum id, cum sit contrarium: nec tamen mirum, cum sit proximum. Induti Græcè, ἐνδυσάμενοι. Exuti, ἐκδυσάμενοι. Vides quā procliuis lapsus, aut quàm facilis ad alterum transitus. Græci tamen nobiscum faciunt, leguntque ἐνδυσάμενοι, [Induti:] Seu, [Vestiti,] Id voluit & Paulus, cum dixit: [Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est,

E superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inueniamur.] Non enim exuti, sed induti superinduuntur, id est, & alterum insuper consequuntur indumentum. Itaque standum communi lectioni: [Si tamen vestiti, non nudi.] Quoad expositionem: quidam difficultate sensûs perculsi, aut textûs perplexitate, allegoriam quærunt, sed dum quærunt, dubiam relinquunt sententiam. [Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd nolumus exspoliari, sed superuestiri?]

Super indui est alterum indumentũ consequi.

Quid est, exspoliari? Nudari corpore: quid est, superuestiri? non exspoliari, seu corpore non nudari, sed spolio, seu exuuio minime deposito, stolâ immortalitatis donari, frui resurrectionis gloriâ. [Ostendit, ait Chrysost. se non de alio atque alio corpore simpliciter verba facere sed de corruptione, atque incorruptione. Neque enim ea nobis ingemiscendi causa est, vt corpore liberemur: (hoc quippe ne exuere quidem volumus.) Verùm corruptione eâ, quæ ipsi inest, solui properamus. Vnde etiam dicit, Nolumus corpus exuere, sed ipsum incorruptione atque immortalitate superuestire.] Nudi ergo sunt illi, qui corpore despoliati sunt: vestiti, qui corpore adhuc præditi: superinduti, qui non corpore solùm, sed incorruptione insuper & immortalitate adornati. Quoad exceptionem: gratia est, nonnullis forsan indulta electis, vt non nudentur corpore, & tamen donentur immortalitate. [Etenim qui sumus in isto tabernaculo corporis, ingemimus quòd grauemur, (ita Tertullianus) nolentes exui, sed superindui. Hîc enim expressit, quod in primâ epistolâ strinxit, Et mortui resurgent incorrupti, qui iam obierunt, & nos immutabimur, qui in carne fuerimus deprehensi à Deo. Et illi enim resurgent incorrupti, recepto scilicet corpore, & quidem integro, vt & hoc sint incorrupti: & hi propter temporis vltimum iam momentum, & propter merita vexationum Antichristi, compendium mortis, sed mutati, consequentur: superinduti magis quod de cœlo est, quàm exuti corpus.] Mortem non experti, & incorruptionem nihilominùs consecuti.

Chrysost. Hom. 10.

Tertul. l. 5. aduers. Mar. c. 12.

Quartò potest quæri, quid sit, Absorberi quod mortale est à vitâ? In tabernaculo desinimus, à quo incepimus: verùm non iam in tabernaculum erigimus, sed in domicilium. [Hoc enim fit, ait Chrysostomus, vt iam corpus non tabernaculum appellet, sed habitationem ac domicilium: idque non sine magnâ ratione: tabernaculum enim facilè dissoluitur: illud autem perpetuò manet.] Quid est ergo tabernaculum? Corpus: non tamen quatenus corpus est, sed quatenus corruptibile est ac dissolubile. Quid est ergo, Vt absorbeatur quod mortale est à vitâ? Absorberi, non corpus, sed quod mortale est: omnem nimirum deleri corruptionem, omnem mortalitatem aboleri: vt quod mortale erat, fiat accedente incorruptione prorsus immortale, penitusque incorruptibile. [Ita, (sic resumit Tertullianus) si hi super corpus induent cœleste illud, vtique & mortui recipient corpus, super quod & ipsi induant incorruptelam de cœlo; quia & de illis ait, Necesse est corruptiuum istud induere incorruptelam, & mortale istud immortalitatem. Illi induunt, cum receperint corpus, isti superinduunt, quia non amiserint corpus. Et ideò non temerè dixit, Nolentes exui corpore, sed superindui, id est, nolentes mortem experiri, sed vitâ præueniri, vt deuoretur mortale hoc à vitâ, dum eripitur morti per superindumentum demutationis.] Deuoratur ergo, absorbeturque, non corpus, sed quod mortale est, dum mortalitas aufertur, & confertur immortalitas. [Hoc enim est, ait Chrysostomus, per quod corpore grauamur, non quòd corpore conuestiti sumus, sed quòd corruptibili corpore, ac perpessionibus obnoxio. Nam hoc demum est, quod mœrorem affert. Verùm accedens vita, corruptionem conficit atque absumit, non item corpus.] Idem quippe corpus de mortali redditur immortale, de corruptibili incorruptibile, sine carnis detrimento, sed deposito oneris iugo, tam indubitanter quàm & mirabiliter efficitur.

Chrysost. Hom. 9.

Tertul. l. 5. aduers. Mar. c. 12.

Absorbetur quid, cum in totum absumitur.

Chrysost. Hom. 10.

DISQVISITIO SECVNDA.

De iudicio.

SEntentia Apostolica est, sed Christi Domini & voce & auctoritate suffulta. [Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi: vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.] Sed multa inde decerpi possunt, & disquiri: quamuis enim de sententiâ nihil dubitandum, aliquid tamen tractandum de intelligentiâ.

Primò enim quæri potest, quos, per omnes, intelligat Apostolus, cum plures videantur eximendi, aut certè non omnes confundendi. Oportet nos omnes manifestari, Græcè φανερωθῆναι: non solùm sisti aut produci, sed & examinari, & discussis omnibus, omnibus perspectis, imò videntibus omnibus & annuentibus, alios bonos & iustos, alios malos & iniustos iudicari. Potest quidem excipi ex eo quod præmisit Apostolus, dum ait: [Audemus autem & bonam voluntatem habemus.] Vt sermo sit de ijs, qui quærunt intrare, qui contendunt regnare: vt inde excipiantur infantes, qui nec quærunt, nec contendunt. Sed si excipi potest, non potest præscribi. Nam si eximuntur infantes, quidni gentiles eximuntur, cum ipsi non solùm non quærant aut contendant; sed nec desiderent præsentes esse ad Dominum, cum Christum ignorent? Itaque cum sententiam pronuntiauit Apostolus, naturam aduocauit humanam. [Omnes nos.] Non solùm adultos dico, non solùm Christianos: sed omnes homines, ideoque gentiles & infantes, quà homines: & qui me meosque, meipsum primum, sociosque meos comprehendo, nullum prorsus hominum excipio. Sed quia de adultis Christianis nullum est dubium, cum de illis maximè futurum sit iudicium, aut nullum haud dubiè sit futurum. Statuendum est primò, non solùm Christianos, sed & ethnicos diuino repræsentandos iudicio. [Cum venerit filius hominis in maiestate suâ, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur antè eum omnes gentes.] Quænam illa sedes maiestatis? Tribunal iudicis. Quid, omnes gentes? omnes homines. [Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi.] Pari formâ loquendi Tertullianus ad Scapulam: [Arrius Antoninus in Asiâ cum persequeretur instanter; omnes illius ciuitatis Christiani antè tribunalia eius se manu factâ obtulerunt.] Soli tamen requirebantur Christiani, quia soli censebantur noxij.

Omnes omninò iudicandi non quà Christiani, sed quà homines.

Matth. c. 25.

Tertul. l. ad Scap. c. 4.

Sed tūc. [Omnes nos.] Id est, vt exponit Aquin. [Omnes homines bonos & malos.] Statuendum secundò, non adultos tantùm, sed & paruulos pariter iudicandos: Magnos & paruos, ait ille. Apocalyp. 20. [Vidi mortuos pusillos & magnos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.] Certè prædestinati omnes ad dexteram erunt, sicut & reprobi ad sinistram: si ergo inter prædestinatos erunt infantes baptizati, quidni inter reprobos erunt infantes non baptizati? Statuendū tertiò, etiā & ipsos Apostolos iudicandos. [Ponit enim Apostolus, vt Aquinas loquitur, ipsius futuri iudicij vniuersalitatem: quia nullus excipietur ab illo iudicio. Et ideò dicit, Omnes nos.] Id est, seipsum, suosque comprehendit. Quamuis enim Apostoli cum Christo iudicaturi sint, priùs tamen ab ipso Christo iudicandi sunt, declarandique seu manifestandi, velut tantâ digni ac dignandi prærogatiuâ. [Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi.]

Aquin. lect. 2.

Apoc. c. 20.

Aquin. lect. 2.

Secundò quæri potest, Quæ sint propria corporis? [Vt referat vnusquisque propria corporis.] In Græco τὰ διὰ τοῦ σώματος [Quæ per corpus.] Ex quibus tam promptum, quam quod proximum: τὰ ἴδια τοῦ σώματος. [Propria corporis.] Tamen propia corporis non sic intelligenda sunt, vt sola proferantur facta corporalia, & subtrahantur peccata mentalia. [Nō enim eo inter se differunt, vti dixit Tertullianus, quòd corpus & spiritus duo sunt: alioqui eo magis paria sunt, quia duo vnum efficiunt: ne quis pro diuersitate materiarum, peccata eorum discernat, vt alterum altero leuius aut grauius existimet. Siquidem & caro & spiritus, Dei res: alia, manu eius expressa; alia, adflatu eius consummata. Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant, quodcumque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis & spiritus? quorum & in vitâ & in morte, & in resurrectione, tantum communionis atque consortij est, vt pariter tunc aut in vitam aut in iudicium suscitentur: quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocentes egerint. Communis amborum reatus est, communis & iudex.] Sunt ergo propria corporis, ea quæ sunt mortalis hominis opera, quæ fiunt in corpore, licet mente non carne; licet intus maneant, & extus non prodeant. [Atque adeò, ait ille, omnes ait nos oportere manifestari antè tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque quæ per corpus admisit, siue bonum, siue malum. Si enim tunc retributio meritorum, quomodo iam aliqui cum Deo poterunt deputari? Et tribunal autem nominando, & dispunctionem boni ac mali operis, vtriusque sententiæ iudicem ostendit, & corporum omnium repræsentationem confirmauit. Non enim poterit, quod corpore admissum est, non corpore iudicari. Iniquus enim Deus, si non per id punitur quis aut iuuatur, per quod operatus est.] Peccauit homo, dum vixit in corpore; repræsentandus iudicandusque, dum erit in corpore: imò nec homo erit, si erit sine corpore. Itaque referet vnusquisque propria corporis, dum secundùm ea quæ gessit in corpore recipiet:

Tertul. l. de pœnit. c. 3.

Propria corporis sunt mortalis hominis opera.

Tertul. l. 5. aduer. Marc. cap. 12.

A qualiterque nunc operabitur, tunc & taliter manifestabitur. [Vna enim, vti dixit Chrysostomus, cum animis corpora, partim excruciabuntur, partim coronas consequentur.]

Chrysost. Hom. 9.

Tertiò quæri potest, Quid hoc ad infantes qui nihil prorsus egerunt vel boni vel mali? Quomodo ex illis referet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum, cum nec malum nec bonum gesserit? Certè cum baptizatur paruulus, vtique iustificatur; cum autem iustificatur de impio fit pius, seu de iniusto iustus: & ex tunc gerit vnde sit Deo gratus, imò & Deo dignus, B vtpote Dei filius, & per Spiritum sanctum regeneratus: gerit, vnde sit vas in honorem, vnde hæres Dei, cohæres Christi: habet etiam dum est in corpore vnde ad dexteram sistendus sit, habet vnde sit assumendus ad gloriam: nam inter benedictos patris recensendus est, & ad paratum sanctis electisue regnum inuitandus. Ita quamdiu paruulus baptizatus non est, tamdiu non est iustificatus: ideoque manet impius & iniustus: habet vnde sit indignus Deo, imò tanto exosus, quanto eius acceptus æmulo: vtpote filius diaboli, per immundam generatus concupiscentiam: gerit vnde sit vas in contumeliam, gerit dum C est in corpore, vnde ad sinistram collocandus sit, & ad pœnam damnandus peccato suo congruam: sicut enim ille, filius est gratiæ, sic & iste filius est iræ, filius gehennæ, filius vindictæ. Sicut ergo ille acceptus saluandusque ex habitu quem gessit, dum vixit in corpore; sic & iste reprobus damnandusque ex habitu quem gessit, dum fuit in corpore: id est, ex dono Dei, ille; iste, ex peccato originali: sicut enim ille per donum licet habituale dignus est gloriâ, sic & iste per peccatum licet habituale, illâ Dei irâ dignus est, quæ tamdiu super illum manet, quamdiu manet culpa. [Originale enim peccatum, (vti D Aquinas soluit ac resoluit) cum sit peccatum naturæ, est quædam inordinata dispositio ipsius naturæ. Huiusmodi autem dispositio naturæ inordinata, habet rationem habitûs: non est enim pura priuatio, sed est quidam habitus corruptus.] Prauus scilicet habitus, vnde & prauus est animus, quamdiu per habitum contrarium non est correctus. [Omnes nos certè, ait Augustinus, sicut dicit Apostolus, manifestari oportet ante tribunal Christi, vt ferat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Numquid ab hac vniuersitate paruulos separabis? Dic E ergo quid boni per corpus gesserint proprio libero arbitrio, vt recipiant regnum Dei magnum bonum? Aut quid mali egerint propriâ voluntate, qui paruuli abalienantur ab hac vitâ? Quod si, vt necesse est, fatearis sine vllis operibus liberæ voluntatis, quæ gerit quisque per corpus, illos in Christo viuificari: cur non fateris istos in Adam mori, cum scias Adam è contrario esse formam futuri. An clausis oculis os aperies, & dices illis in quo renati sunt spiritum profuisse iustitiæ: & istis, in quâ nati sunt carnem non obfuisse peccati?]

Homines habitibus nedum actibus aut laudabiles, aut damnabiles.

Aquin. 1. 2. quæst. 81. art. 1. & 2.

Aug. lib. 5. ope. inch. num. 109.

Tria tamen sunt adiungēda. Primum est, tam Christum quam & Apostolum locutum esse

non solùm hominibus adultis, sed & fidelibus seu Iudæis, seu Christianis. Inde est quod non solum loquatur de actibus humanis, tāquam ex libero agentibus arbitrio; sed & de actibus pietatis ac charitatis, tanquam ex beneficio Christi seu fidei motiuo agentibus. Quid enim Christus: [Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.] Et Paulus: [Contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.] Vbi non solum vterque hominibus loquitur iam ratione vtentibus, sed & fide contendentibus. Quis enim sermonem effundat, vbi nullus est auditus: aut semen spargat, vbi nullus fructus est? Alterum, non vnam fore supremi illius formam iudicij. [Duo quippe in iudicio erunt: vt obseruat Aquinas, scilicet prolatio sententiæ, & discussio meritorum; & quantum ad hoc, non omnes iudicabuntur; quia illi qui totaliter abrenuntiauerunt satanæ & pompis eius, & per omnia adhæserunt Christo, non discutientur, quia dij sunt. Illi verò, qui in nullo adhæserunt Christo, nec per fidem, nec per opera, similiter non indigent discussione, quia nihil habent cum Christo: sed illi qui cum Christo aliquid habent, scilicet fidē, & in aliquo recesserunt à Christo; scilicet per mala opera & praua desideria, discutientur de his, quæ contra Chistū cōmiserunt. Vnde quantū ad hoc, soli Christiani peccatores manifestabuntur antè tribunal Christi. Item, erit in iudicio prolatio sententiæ, & quantum ad hoc omnes manifestabuntur.] Quinimò sicut non vnum discussionis genus est, ita nec manifestationis. Nam discussio propriè est in re dubiâ, aut ignotâ, seu nondum manifestâ: sed in actione nonnunquam vnum patet, latet alterum: nonnunquam certa & ministerij conditio, nondum ratio meriti perspicua. Ideoque sicut generalis est sententiæ prolatio, sic & specialis discussio conscientiæ. Tertium denique, iudicij formam vnicuique iuxta conditionem suam aut actionem esse applicandam. Quid enim quia Dominus, vel Apostolus eius allocutus est homines, non iudicabuntur infantes: quia fideles, infideles non iudicabuntur? Pari consequentiâ inferri poterit, quia locutus est de misericordibus aut liberalibus, non iudicabuntur adulteri, falsarij, fures, rapaces? [An ergo ibunt in ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt: & non ibunt, qui aliena rapuerunt?] Iudicantur ij qui credere quidem voluerunt, sed opera bona facere non curarunt: ergo non iudicantur ethnici qui non crediderunt, aut hæretici qui credere noluerunt? [Inter hæreticos enim & malos Catholicos hoc interest, ait idem Augustinus, quòd hæretici falsa credunt: illi autem vera credentes non viuunt ita vt credunt.] Omnes ergo omninò manifestandi, omnes iudicandi: verùm sicut resurgent omnes, sed quisque suo ordine: ita referent omnes, sed quisque & suâ conditione, ac sententiâ statui aut gradui consonâ.

Matth. cap. 25.

Aquin. lect. 2.

Non vnum genus discussionis aut manifestationis.

Aug lib. de fide & operi c. 15.

August. lib. quæst. Eua. in Matth. c. 11.

A

TROPOLOGIA.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.

VErba resumo, adeò sententiis fœcunda ac mysteriis, licet iam non ad lites, sed ad amores dirigo. Imò lis nobis magna, & tam certò quàm & necessariò decidenda. Tres ergo iam sese offerunt conditiones. Necessitas decisionis: claritas discussionis: æquitas definitionis.

Quoad necessitatem. [Omnes enim nos manifestari oportet.] In quo Apostolus, vt
B aduertit Aquinas: [Ponit iudicij necessitatem. vnde dicit, Oportet: id est, necessarium est.] Necessitas autem illa tam ex parte hominis est, quàm ex parte iudicantis: vt & ille in officio contineatur suo, & iste in suo tam iustus quàm & prouidus agnoscatur iudicio. Ita Iob: [Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est: & scitote esse iudicium.] Multi peccant, quia impunè peccare se existimant: vel enim iudicem fallunt per astutiam, vel punitionem per contumaciam effugiunt vel per potentiam. At si quod iudicium est, quod nec per interpositam personam transigi possit, nec euerti per audaciam: tunc quisque sibi cauet, timetque in illius manus
C incidere, cuius sapientiam nec prudentes decipere possint, cuius potentiam, nec armis reges, nec thesauris diuites possint peruincere. [Omnis quippe qui peruersa egit: (verba sunt Gregorij) eo ipso quo hoc despicit, esse Dei iudicium nescit. Si enim hoc timendum sciret, quæ in illo sunt punienda, non ageret. Nam sunt plerique qui extremum esse iudicium verbo tenus sciunt, sed peruersè agendo testantur quia nesciunt. Qui enim hoc non reformidat vt debet, necdum cognoscit cum quanto turbine terroris adueniat. Si enim pensare pondus tremendi examinis posset, iræ
D diem vtique timendo præcaueret. Faciem ergo gladij fugere, est animaduersionis districtæ sententiam priùs quàm appareat placare. Vitari namque terror iudicis non nisi antè iudicium potest. Modò non cernitur, sed precibus placatur. Cum verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari iam non potest: quia facta prauorum, quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Vnde necesse est nunc timere iudicem, cum necdum iudicium exercet, cum diu mala sustinet, cum mala adhuc tolerat quæ videt: ne cum semel manum in retributione vltionis excusserit, tanto in iudicio districtius feriat,
E quantò antè iudicium diutiùs expectat.] Sed quidni Deus prouidentiam iustificet suam, & ipsam tam aduersùs errores quàm & aduersùs suspiciones vindicet? [Placetne, ait Chrysostomus, vt aliunde doceam, horrendum in altero æuo tribunal esse? Conscientiæ tuæ ianuam aperi: ac iudicem in animo tuo velut pro tribunali sedentem intuere. Quòd si tu, quamuis præpostero tui amore affectus, teipsum tamen condemnas, nec iniquam sententiam ferre sustines, an non multo maiori curæ ius Deo

Iob c. 19.

Gregor lib. 14. Moral. c. 30.

Chrysost. in Morali. Hom. 9

erit, atque incorruptũ ille de omnibus iudiciũ A ferret? Sed temerè hæc omnia ferri sinet, inquis. Ecquis tandem hoc dixerit? Nemo profectò. Nam & Græci, & Barbari, & Poëtæ, & Philosophi, & omnes denique mortales, in hoc nobiscum, etsi dispari modo consentiunt: ac quædam in inferis tribunalia esse aiunt. Vsque adeò perspicua & indubitata hæc res est. Quid autem afferetur, inquis, cur Deus hîc in improbos minimè animaduertat. Nimirum vt longanimitatem suam ostendat, nobisque per pœnitentiam viam ad salutem muniat, ac non vniuersum mortalium genus funditùs deleat; eosque qui per optimam vitæ mutationem salutem consequi poterant, priusquam ad eam perueniant, de medio tollat. Nam si flagrantibus peccatis homines confestim pœnis ac morte afficeret, quo tandem modo salutem accepisset Paulus, quo modo Petrus, principes inquam illi, ac summi totius orbis magistri?] Oportet ergo, necessarium est iudicium futurum: tum vt nequitiam temperet humanam, tum vt & suam prouidentiam iustificet.

Iudicium & nequitiæ humanæ & diuinæ necessarium prouidentiæ.

Quoad claritatem. [Omnes nos manifestari oportet.] Non solùm repræsentari, non solùm iudicari, sed & manifestari. Multi sanè repræsentantur iudicibus, qui tamen non manifestantur, ideoque nec certò iudicantur: quia vbi nulla criminis vel incerta notitia est, nulla etiam est vel incerta iudicis sententia. [In iudicio hominum, ait Aquinas, multi decipi possunt, dum quidam iudicantur mali, qui tamen sunt boni, & è conuerso. Et huius ratio est, quia non manifestantur corda: sed in illo iudicio perfectissima certitudo erit, quia erit ibi manifestatio cordium. Vnde dicit, Oportet nos manifestari.] Quid est nos? non solùm rem vel actum, quoad speciem, sed hominem ipsum: nec tantùm quoad faciem, sed & quoad cordis intima; non solùm quoad negotium manifestæ actionis, sed & quoad arcanæ intentionis mysterium. Ita Sapiens: [Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo: & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.] Duplex homo, etiam cum simplex est: vnus interior, alter exterior. [Hoc est enim omnis homo.] Quid interiori homini? [Deum time.] Quid exteriori? [Mandata eius obserua.] Quid ita? [Et cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium.] Et, in scripturis, non semel, pro [Quia.] Vt causa sit non copula. [En morieris propter mulierem quam tulisti: & habet virum] Nos vertendo & exponendo: [Habet enim virum.] Et priùs. [At verò Melchisedech rex Salem, protulit panem & vinum, & erat sacerdos Dei altissimi.] Nos clariùs: [Erat enim sacerdos Dei altissimi.] Denique in Euangelio: [Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.] Id est, quia benedictus fructus ventris tui. Nam vt dixit Ambrosius: [Non priùs mater repleta, quàm filius: sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem.] Attende ergo & tibi, aduerte. [Omnes enim nos manifestari oportet.] Nos, inquam, totos & integros: non solùm quoad exterioris hominis extima, sed quoad secretioris intima, Deum dilige timore casto, & ex illo amore mandata eius obserua: quia cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium. Quid est, adducet Deus in iudicium? discutienda producet coram, & palam inspicienda. Certè non est opus Christo secretorum omnium conscio quemquam examinare aut interrogare, nisi vt indicet, imò & demonstret cuncta sibi probè cognita. Sic enim & magistri discipulos interrogant, sic & periti reos interrogant. Sed facta nostra clarè discutienda sunt, vt appareat hominibus, imò omnibus alluceat, quo animo, quo consilio suscepta sint, quo merito perfecta, & quo donanda coronandaque præmio. Idcircò, [Illuminabit B abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.] Heic incerta omnia, obscura omnia: tunc omnia, & omnibus manifesta. [Pergis quærere, ait Chrysostomus, quid causæ est, quamobrem nec ab omnibus in hac vitâ pœnas Deus expetit, sed paucis tantùm supplicia infert: nec rursus in altero æuo, de omnibus pœnas sumat; sed de alijs hîc, de alijs illic? Nempe vt per eos, quos hîc plectit vel stupidissimum quemque excitet: & per eos, quorum impunita scelera relinquit, illud efficiat, vt futura expectemus.] Si nullos ex malis reis, ve puniret, vix crederent homines mun- C dum gubernari consilio: si cunctos plecteret, dicerent nihil iudicio reseruari. Nondum tempus putationis aduenit aut imputationis separationis-ve, ideò nec tempus discussionis ac discretionis. Veniet dies, cum cuncta adducentur in iudicium, cuncta discutientur aut ad præmium aut ad supplicium: tamque clara discussio erit, tam perspicua manifestatio; vt nullus controuersiam intentet, sed quiuis expectet sententiam.

Aquin. lect. 2.

Eccles. cap. 12.

Genes. cap. 20.

Genes. cap. 14.

Lucæ c. 1.

Ambros. lib. 2. in Luc. post initium.

Copula pro causa nonnunquam posita.

1. Corinth. cap. 4.

Chrysost. in Mor Hom. 9.

Quoad æquitatem. [Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi: vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.] Quid hoc? [Ponit iu- D dicis æquitatem, ait Aquinas, quia secundùm merita propria, erunt præmia, vel pœnæ.] Solemne erit illud iudicium, nec minùs auctoritate quam æquitate famosum ac terribile. [Nos manifestari oportet ante tribunal Christi.] En auctoritas. [Vt referat vnusquisque propria.] En æquitas. Quid dicis tribunal, nisi auctoritatẽ supremam, summam, inuiolabilem? [Tribunal enim, (vt & ille dixit) dicit iudiciariam potestatem, & sumptum est ab antiquâ consuetudine Romanorum; qui elegerunt tres tribunos plebis, ad quorum officium pertinebat diiudicare excessus Consulum & Senatorum, & loca istorum vocabantur tribunalia.] Quid in E eo suspicis, qui reddit vnicuique propria, nisi summam æquitatem, integram, incorruptibilem? [Propria corporis, prout gessit. [Quicquid gesserit dum vixit, siue bonum, siue malum. [Per corpus quippe, (vti dixit Augustinus) ibi dixit Apostolus, per tempus quo vixit in corpore. Non enim si quis malignâ mente atque impiâ cogitatione blasphemet, neque id vllis membris corporis operetur, ideò non erit reus, quia id non motu corporis gessit; cum hoc per illud tempus gesserit, quo gessit & corpus.] Opus corporis, hominis tempus est. [Secundùm ea, ait ille, quæ gessit

Aquin. lect. 2.

Aquin. ibid.

Augustin. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 4.

Augustin. l. de prædest. sanct. c. 11.

eo tempore, quo in corpore fuit: vt per corpus, intelligamus corporis tempus.] Iudicandus est homo secundùm ea quæ fecit cum viueret: & ea tam sibi propria quàm & alteri communia, quia quisque examinandus ex ijs quæ elegit, cum esset in corpore, id est, cum in eligendi & merendi tempore excurreret: talisque iudicandus, qualis operatus est. [Omnes manifestari nos oportet pro tribunali Christi Iesu. Si omnes, ait Tertullianus, & totos: si totos, & interiores & exteriores, id est, tam animas quàm & corpora; vti vnusquisque, inquit, reportet quæ per corpus secundùm quæ gessit, bonum, seu malum. Hoc iam quomodo legas, quæro: quasi turbatè enim per hyperbaton struxit. Vtrumne quæ per corpus reportanda erunt, an quæ per corpus gesta sunt? Sed & si quæ per corpus reportanda sunt, corporalis indubitatè resurrectio est: & si quæ per corpus gesta sunt, per corpus vtique pensanda sunt, per quod & gesta sunt.] Tanta nimirum æquitas, quanta paritas: & si qua imparitas, nulla tamen iniquitas: merita enim suis pensantur stipendijs, & vbi maiora merita, ibi maiora computantur stipendia. [Audiamus ergo vocem Pauli (concludo ex Chrysostomo) dicentis, Oportet nos omnes sisti ad tribunal Christi: ac tribunal illud animo atque cogitatione informemus, existimemusque ipsum iam adesse, ac vitæ rationes à nobis exposci. Existimemus diem illum extremum nunc adesse: ac suam quisque nostrûm conscientiam consideret, fingatque animo adesse iam iudicem, omniaque detegi, atque in medium proferri. Neque enim sisti tantùm necesse est, sed etiam manifestari. Quid? An non erubuistis? An non mente excessistis? Nam vt etiam nulla gehenna sit, tamen in tanto splendore rejici, & cum ignominiâ secedere, cum totus orbis terrarum affuerit, cum densa spirituum agmina, quantum tandem tormentum existimandum est?] Et si tantum in imagine, quantum in veritate?

Tertull. l. de resur. car. c. 43.

Computantur merita, vt distribuantur præmia.

Chrysost. in Moral. Hom. 10.

ANAGOGIA.

Peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum.

QVi ex corpore excesserunt, qui absunt à corpore tanquam mobili tabernaculo, seu fragili domicilio, in triplici sunt discrimine. Aut enim sunt enormiter mali, & sunt gehennâ cremandi: aut sunt mediocriter boni, & sunt flammâ purgandi aut sunt insigniter & excellenter boni, & sunt Dei & Domini præsentiâ beandi.

Quoad primos. Status animæ medius, nec naturalis, quia non sic homo conditus; nec itam natura est, quàm pœna: nec supernaturalis, quia iam non tam per beneficium factus indebitum, quàm per debitum supplicium; pœna fit, non gratia, sed pœnâ pro naturâ inoleuit. Est ergo præternaturalis, quia præter constitutionem inuectus naturalem, non enim sic homo effectus: sed licet natura hominis dissoluatur in morte, anima tamen hominis seruatur in dissolutione. Quod vt in-

Status medius nec naturalis nec supernaturalis, sed præternaturalis.

A telligas concipe triplicem corporis speciem: vnam, corporis immortalis, sed nondum cœlestis, vt in statu innocentiæ; & id, in modum domicilij: alteram corporis mortalis & corruptibilis, vt in statu culpæ; & id, in modum tabernaculi: tertiam, corporis cœlestis ac spiritalis, vt in statu gloriæ; & id in modum ædificij. Vbique habitaculum est, sed in primo stabile; in secundo, labile; in tertio, indissolubile. De primo, nulla vnquam anima egressa est: de vltimo, nunquam egredienda est: in medio igitur duntaxat digressus fit ac regressus: sicque in isto tantùm status est medius. In primo

B statu, aliquid erat ædificij. [Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.] Et si enim corpus adhuc animale, nondum tamen fragile, nondum caducum, vtpote nec morti obnoxium nec corruptioni. In vltimo statu, nihil non ædificij, sed diuini; non enim humano opere constructum, sed diuino effultum munere. [Scimus enim, quoniam si terrestris (Græcè ἐπίγειος) domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, (Græcè ἀχειροποίητον) æternam in cœlis.] Restat illa vita quam ducimus, ne dicam trahimus: sed sicut illa opere construitur humano, sic & facile negotio dissoluitur. In terris est, nondum in cœlis: & tamen tam ægrè

C relinquitur, quàm & facilè dissoluitur. [Quanquam enim Christo inhærere cupiamus, mori tamen nolumus: (verba sunt Augustini) & ideò libenter, vel potiùs patienter patimur, quia alius transitus non datur, per quem Christo cohæreamus. Nam si possemus aliter peruenire ad Christum, quis vellet mori? Quamuis enim à malis ad bona transeamus, tamen ipse transitus aliquantum amarus est.] Sed si aliquantum amarus etiam insigniter bonis, quantum amarus insigniter malis; qui & suæ spei malè ominantur, iamque tacito cruciantur supplicio? [Quid enim fiet in tempore isto? ait

D Tertullianus. Dormiemus? At enim animæ nec in viuentibus dormiunt: corporum enim est somnus, quorum & ipsa mors cum speculo suo somno.] Quid ergo? aut cruciantur, aut lætantur: sed sicut sanctorum eximia lætitia est, sic & immensus impiorum cruciatus. [An leue tormentum esse censes, ait Chrysostomus, non adscribi in illum chorum? ad arcanam illam gloriam non admitti? ab illâ celebritate, ac bonis, quæ nullo sermone explicari possunt, procul ac longè proijci? Cum ve-

E rò tenebræ insuper sint, & dentium stridor, & eiusmodi vincula, quæ frangi nequeant, & vermis immortalis, & ignis nunquã extinguendus, & oppressio, atque angustia: quid illis animis miserius, quid miserabilius? Nam quoslibet labores commemoraueris, quoslibet cruciatus admoueris, nihil omnino hæc erunt, si cum futuris bonis conferantur. Pone enim, si ita lubet, ignem & ferrum, & belluas, ac si quid his acerbius est: hæc tamen præ tormentis illis ne vmbræ quidem rationem habent. Hæc cuncta merus ludus ac risus sunt, si cum illis supplicijs in contentionem veniant.] Nostra, si grauia, citò finiunt: illa grauissima, nec vnquam desinunt.

Gen. c. 2.

Aug. Enarr. 1. part. Psal. 68. init.

Tertul. lib. de anima. c. 58.

Chrysost. in Moral. Hom. 10.

Et in Moral. Hom 9.

Quoad

Quoad alios. Bonæ quidē sunt spei, in quo A primos superant: sed nondum rei possessæ, in quo aspirant ad vltimos. [Tria enim sunt loca, vti dixit Bernardus, quæ mortuorum animæ pro diuersis meritis sortiuntur, infernus, purgatorium, cœlum. In inferno, impij; in purgatorio, purgandi; in cœlo, perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt; quia in inferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt, expectant redemptionem; prius cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius grauitate doloris. Qui in cœlo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei; Christi fratres in naturâ, cohæredes in gloriâ, similes in æternitate iucundâ. Quia igitur primi redimi non B possunt, tertij redemptione non indigent, restat vt ad medios transeamus per compassionem, quibus iuncti fuimus per humilitatem. Vade in istam regionem, & vide visionem hanc grandem, quomodo pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem: non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: vt iam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgendum ergo in adiutorium illis, interpellandum gemitibus, implorandum suspirijs, orationibus intercedendum: satisfaciendum sacrificio singulari, si fortè videat Dominus, & iudicet vt laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & huiusmodi officijs potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna.] Primi sunt in gehennâ, vltimi in gloriâ, isti sunt in pœnitentiâ: primi in loco damnationis, vltimi in loco fruitionis, isti in loco expiationis: cruciantur quidem; sed dum cruciantur, purgantur: dolent retardari, sed debent adiuuari: quia sicut culpis venialibus supplicium incurrerunt, sic & auxilium bonis meruerunt operibus. [Quodam enim vitæ genere acquiritur, (ita resoluit Augustinus) dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent ista defunctos: ac per hoc secundùm ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiosè pro illis facta fuerint, adiuuantur. Sunt enim quos omninò nihil adiuuant ista: siue pro eis fiant quorum tam mala sunt merita, vt neque talibus digni sint adiuuari: siue pro eis quorum tam bona sunt, vt talibus non indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur vt prosint, vel non prosint, quæcumque pro illo piè fiunt, cum reliquerit corpus: nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vitâ, frustrà quæritur post hanc vitam. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortem; nec tam malus, vt ei nō prosint ista post mortem: sed vt hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in eâ vitâ est acquisitum quam gessit in corpore.] Concluditque: [Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, quâ dictum est, Omnes enim astabimus antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit siue bonum siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque

Bernard. ser. de 5. regionib.

Tria sunt post mortē animarum loca.

Aug. lib. ad Dulcit. q. 2.

Aug. ibid.

cū in corpore viueret comparauit, vt ei possent ista prodesse: non enim omnibus prosunt.] Tā illi, quàm & isti meritò plectuntur, & digno afficiuntur supplicio: sed ærumna illorum irremediabilis, quia spem omnem absciderunt remedij: pœna istorum salutaris, & dum non prodegerunt, spem reliquerunt auxilij. Verùm quidquid sperent isti, aut desperent illi, totum hoc meruerūt opere, quod gesserūt in corpore.

Quoad vltimos. Fidem excesserunt, & transierunt ad speciem. [Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.] Ambulamus omnes, dum aliquid speramus, & ad id tendimus: nec enim gressibus contendimus, sed affectibus. Qui sunt in hoc mundo, sperant salutionem; qui sunt in purgatorio, expectant liberationem: qui sunt in cœlo, aspirant ad resurrectionem: etsi enim beati per diuinitatis præsentiam, nondum tamen per corporis gloriam consummati. Ita aduertendum ex Bernardo: [Tres esse sanctarum status animatū. Primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummatâ. Primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. Quàm delicta tabernacula tua Domine virtutum! multo magis atria concupiscibilia secundùm quod addit: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Sed C quoniam ipsis quoque atriis nonnullus (vt audis) defectus est, beati omninò qui habitant in domo tuâ Domine. Acceperunt iam singulas stolas, sed nondū vestiuntur duplicibus: neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam.] Audisti primum statū in tabernaculis, seu in corpore corruptibili. [Hoc enim esse pelles quod tabernaculum, (ait ille alibi) Propheta ostendit, dicens: Repente vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ.] Medium in atriis, sed nondū consummatum, nondumque perfectum. Id- D circò ambulant adhuc, dum sperant. [Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.] Verùm incessus iste, non viæ profectus est, sed processus est patriæ: non enim laboriosa meriti comparatio est, sed certa ac tranquilla expectatio præmij, & consummatio optata meriti: [Naturam quippe nostram, vti dixit Augustinus, id est, consortium quoddam animæ & corporis, & quandam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis, exponens quodam loco Apostolus ait, habere nos domum non manufactam, æternam in cœlis, id est, immortalitatem præparatam nobis, quâ induendi sumus in finem cum resurrexerimus à E mortuis.] Hæc spes sanctorum, hæc & merces plena ac perfecta beatorum. [Amborum enim erit, (vt Tertullianus loquitur) etiam conglorificari, sicut & compati. Secundùm collegia laborum, consortia etiam decurrant necesse est præmiorū.] Interim nihilominus, sanctorū animæ, dūmodo in totum purgatæ, beatæ sunt, dum enim peregrinæ sunt à corpore, tanquam naturali tugurio; adsunt Domino suo, & in eo viuunt, tanquam in cœlesti domicilio. [Audētes igitur semper, & scientes, quoniā dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per speciē) Audemus

Bern. ser. 3. in fest. sanct. omni. à lim.

Ambulant adhuc beati, dum corpus expectant.

Bern. ser. 25. in Cant. cir. med.

Apocalyp. c. 3.

Aug. Enar. 1. p. Psal. 68. post. init.

Tertul. l. de resur. carn. c. 40.

autē & bonā voluntatē habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominū.] Quid hoc? Audentes igitur semper. Id est, vt exponit Chrysostomus, [Non modò in quiete animique relaxatione, etiam in afflictionibus. Sed quod omnibus sublimius est, posteriore loco posuit. Præstantius enim est cum Christo esse, quàm corpus à corruptione liberum accipere. Quid ergo esse in corpore tanquam in externâ & alienâ regione, aut præsentes esse ad Dominum? Vide ergo quo pacto molesta illa atque odiosa mortis & obitûs vocabula reticens, alia perquàm iucunda & suauia in eorum vicem substituerit, præsentiam nimirum ad Dominum ea nuncupans. Sed ne quis hæc audiens, peregrinamur à Domino, his ad

Chrysost. Hom. 10.

A eum verbis vteretur, Quid ais? Num ideo à Deo abalienamur, quia hîc sumus? Obiectionem hanc occupans, dixit, Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Atque hîc quidem ipsum noscimus: sed non ita planè ac dilucidè. Id quod alio loco dixit, Per speculum, & in ænigmate. Quod autem ait, Bonam voluntatem habemus, idem est quod expetimus. Quid autem expetimus? Excedere è corpore, atque apud Deum præsentes esse] Peregrinandum est, nedum ambulandum: sed melius est à viâ peregrinari, quàm à patriâ, felicius in termino commorari quàm in exilio: vitam consequi beatam, quàm mortem pati defluentem.



PARS ALTERA.

DE LEGATIONE.

TEXTVS.

NOn iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde: Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus: vt, & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem. Et si cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Christo, noua creatura; vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

EXEGESIS LITTERALIS.

IPsi viuendum qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit: ministerioque deferendum Apostolico, quo impius reconciliationem assecutus est, quo iustus ad ampliorem peruenit iustificationem.

[Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde, &c.] Dixi vobis, iterumque dico, non captamus ansam nos vobis commendandi, sed potius vobis materiam commendamus gloriandi de nobis; vt habeatis quod respondeatis aduersùs eos: qui de rebus exterioribus apparentibusque extolluntur, propriâ autem reuincuntur conscientiâ. [Quoniam, ait Ambros. superiùs veram prædicationem suam obtestans, laudare se visus est: idcircò nunc eadem significat, non ad laudem suam hoc dicere se, sed ad eorum gloriam, vt gaudeant integram prædicationem se addidicisse his annuntiantibus. Occasionem damus vobis gloriādi de nobis: vt aliquid habeatis aduersùs eos qui in facie gloriantur, & non in corde. Quod quidem coactus dicit, ne silentiū eius istis obstitisset.] Aduersùs eos, siue ad eos. Græ-

Ambrof. in Paulum.

σὲ πρὸς τόν. [Siue enim mente excedimus; Deo: siuè sobrij sumus, vobis, &c.] Seipsum excusat, dum tantum laudat. Nec tamen absque ratione dicimus, aut facimus sine necessitate. Nam siue excedimus in laude, non nostra laus est, sed Dei, cuius vicem gerimus, cuius auctoritatem defendimus aduersùs obtrectationem. In hoc casu licet mente excedere, licet se, imò non se, sed ministerium suum suprà modum attollere. Si verò temperemus, modesteque ac sobriè nostrum honorificemus ministerium: id vestri causâ facimus, quibus & verba humilioris doctrinæ, & exempla communioris summittimus modestiæ. [Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, &c.] Si factus sum nimius me laudando, vel parcus me extenuando: ad id me meosque cogit & impellit eximius ille Christi amor, qui nec vitæ suæ pepercit nec famæ, vt enim fidem plantaret, seminaret salutem, mortem subiit. Hoc igitur iudicamus apud nos, & animo reputamus, quoniam si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes se mortuos æstimare debent: nec minùs famâ suâ quàm vitâ functos, vt nullus eis insit proprij honoris sensus, nullus commodi personalis respectus: nam pro omnibus Christus mortuus est carni, ergo omnes sibi debent mori. [Vt, & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit, &c.] Cur enim pro omnibus mortuus est Christus, nisi vt illi pro quibus est mortuus, iam non sibi viuant, sed redemptori, nouamque vitam instituant, spiritualem scilicet & angelicam. [Cum enim, ait Athanas. nobis sit vitam hanc elargitus, non viuere amplius nobis, sed illi debemus. Quid enim necesse erat ad cœlos illum deferri, nisi fuisset & nobis eodem modo conuiuendum?]

Cur se laudet Apostolus, cur se humiliet.

Athanas. in Paulum.

[Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem. Et si cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc iam non nouimus, &c.] Christus vixit in carne mortali, resurrexit in carne immortali; quæ non iam terrestris, sed cœlestis est. Itaque ex hoc tempore neminem secundùm carnem æstimamus mortalem: si verò etiam Christum ipsum secundùm carnem cogitauimus, tamen non amplius ad carnem illum appendimus, adeò ea quæ carnis sunt flocci pendimus, adeò quæ sunt spiritûs curamus ac magni facimus. Alius glorietur se gentilem esse Christi secundùm carnem, genere ac stirpe nobilem: iam enim ego nihil horum cogito, qui nec carni acquiesco nec sanguini, qui nunc ipsa Iudaïsmi priuilegia reputo vt stercora. [Si qua ergo in Christo, noua creatura; vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua, &c.] Itaque, si quis in Christo est, noua est creatura, transierunt quæcumque veteris sunt hominis; prætereunt quæcumque moris sunt veteris: nam vetustas in nouitatem transiit, carnalitas in veritatem desiit sanctitatemque. [Si quis ipsius fidem amplexus est, inquit, (apud Chrysostomum) ad alterum opificii genus venit: etenim supernè per Spiritum genitus est.] A lege ad fidem concessit, à carne hac sensuali; à veteri homine ad vitam nouam spiritualemve, relictis abiectisve pristinæ concupiscentiæ exuuiis pertransiit. [Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis, &c.] Dixi facta esse omnia noua: nunc dico Deum hæc omnia disposuisse, tantaque nobis renouationis reconciliationisque beneficia contulisse. Ille enim nos miseros peccatores per Christum Iesum adoptauit & hæredes: nosque Apostolos destinauit huiusce reconciliationis ac donationis conferendæ nuntios ac cooperarios. [Dico, (ita dicit Aquinas) quod Deus reconciliauit nos sibi, hoc modo: Inimicitiæ erant inter Deum & hominem propter peccatum. Destructo ergo peccato per mortẽ Christi, inimicitiæ iam solutæ sunt. Speciale autem beneficium est Apostolis collatum, scilicet quòd ipsi sint ministri huius reconciliationis. Vnde dicit, Et dedit nobis, Apostolis vicariis Christi, ministerium huius reconciliationis.]

Carnalia præ spiritualibus nihil pensanda.

Chrysost. Hom. 11.

Aquin. lect. 5.

[Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis, &c.] Exponit quod priùs dixit, Deus nos sibi reconciliauit per Christum, quandoquidem Deus Pater ipse erat reconcilians sibi genus humanum per filium suum, dum erat non reputans illis delicta ipsorum, sed ignoscens, nosque in gratiam suam recipiens, nos iustificans, & in dilecto filio suo gratificans: & nos illo volente ac mittente, tantum euangelizamus reconciliationis beneficium, faustum gratificationis nuntium vbique prædicamus. [Pater, ait Athanas. is erat, qui mundum sibi in Christo reconciliaret, hoc est per Christum. Nihil ergo quod graue sit vel molestum vt vobis afferrem, iniunctum à Deo est mihi, sed solùm vt in gratiam vos secum reducerem.] Verbum reconciliationis, salutis Euangelium. [Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo, &c.] Personam Christi gerimus, ideò tantam non abiicimus curam, sed iniunctum perficimus officium. Ab illo missi sumus, ab illo delegati: tamquam Deo per nos exhortante, Græcè παρακαλοῦντος, quod dici potest consolante: rogamus obsecramusque, & auctoritate Dei tanquam auctoris primarij, & vice Christi tanquam principalis ministri: imò filij naturalis: pro Deo & Christo exhortantes obsecrantesque, Reconciliamini Deo, oblatam vltrò amplectimini indulgentiam. Textus Ambrosianus, simul & Commentarius. [Rogamus pro Christo vos reconciliari Deo. Quia pro Christo vicarios dedit Apostolos, vt pro ipso prædicarent reconciliari Deo. Siue enim per filium, siue per seruos Deus exhortatur populum: quia ad ipsum omnis summa referenda est, cuius voluntate & prouidentiâ Christus incarnatus est ad salutem hominum redimendam.] Nec exhortatur tantùm, sed & deprecatur. Græcè enim δεόμεθα. [Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.] In Græco τὸν γὰρ. Eum quippe, qui pec-

Athanas. in Paulum.

Tanta Dei clementia, reum ipsū non reconciliando tantùm, sed & rogando.

Comment. Ambros.

catum non nouit, pro nobis iustificandis tanquam sceleratum ac maledictum, pœnis peccato debitis exposuit: hoc enim fecit, vt verè, veraque iustitiâ, id est diuinâ, redderemur iusti per ipsum Christi meritum, perfectam tandem, qualis est Christi, quæ similis per misericordiam Dei, consequeremur innocentiam. [Prior enim illa, ait Chysostomus, legis atque operum iustitia est: hæc verò Dei iustitia.] Offensus Deus, reconciliationem non differt, sed offert: filium suum dimittit, propriamque promittit iustitiam.

Chrysost. Hom. 11.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

QVis Pauli excessus? Quis & Christi defectus? vt ille typhum redoleat, iste abeat in peccatum? Sed & multa de Christo ipso perquirenda.

DISQVISITIO PRIMA.

De excessu Pauli.

TAntum mente excedit Apostolus, quantum excidit corpore. Tricubitus corpore, mente in cœlum assurgit; facie contemptibilis seu præsentiâ corporali, corde autem seu interiori gratiâ sublimis, sese hominum obtutibus proripit. [Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis.] Sed quis ille excessus? non vnus, sed triplex: adeò suprà modum excedit, adeò sese in altum erigit.

Primus est contemplationis, ideoque ait, Siue enim mente excedimus, Deo; quia contemplando non solùm ascendebat in cœlum, sed & in Deum ipsum assurgebat. Et addit, Siue sobrij sumus, vobis; quia ministrando, descendebat ad populum, & iuxta facultatem cuiusque, doctrinam exponebat Euangelicam. Ita angeli Dei, seu nuntij Euangelici ascendunt & descendunt super filium hominis, dum nunc sublimia capiunt, nunc se conuertunt ad humilia. [In his significati sunt Euangelistæ prædicatores Christi: (verba Augustini) ascendentes vtique, cum ad intelligendam eius supereminentissimam diuinitatem excedunt vniuersam creaturam, vt eum inueniant in principio Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia? descendentes autem, vt eum inueniant factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. In illo enim scalæ à terrâ vsque ad cœlum, à carne vsque ad spiritum: quia in illo carnales, proficiendo velut ascendendo spiritales fiunt, ad quos lacte nutriendos, etiam ipsi spiritales descendunt quodammodo, cum eis non possunt loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Sic & ascenditur & descenditur super filium hominis: Filius enim hominis sursum in capite nostro, quod est ipse Saluator: & Filius hominis deorsum in corpore suo, quod est Ecclesia. Ad ipsum ergo ascenditur, vt in excelsis intelligatur: & ad ipsum descenditur, vt in membris suis paruulis nutriatur. Exemplum eius sequentes prædicatores eius, non solùm se erigunt, vt eum sublimiter spectent; sed etiam humiliant, vt eum temperanter annuntient. Videte Apostolum ascendentem: Siue, inquit, mente excedimus, Deo. Vide & descendentem, Siue, inquit, temperantes sumus, vobis.] Vis videre Paulum ascendentem? [Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius seculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.] Vis videre descendentem? [Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos.]

Aug l. 12. cont. Faust. c. 26.

Christus scala per quam ascéditur & descenditur.

1. Corinth. c. 2.

1. Thessal. c. 2.

Secundus est alienationis, ideoque ait, Siue enim mente excedimus, Græcè ἐξέστημεν, extrà nos positi sumus. Alij volunt: [Etsi insanimus.] nimirum per ecstasin: cum homo alienatus à proprio sensu, & extrà se positus. Triplex quippe mentis alienatio, naturæ, fallaciæ, gratiæ. Prima duplex est, aut cum vitio naturæ delirium homo patitur, aut cum ex animæ studio à trito communi modo abripitur. Primus modus, nimis obuius; alter in Socrate notus & Archimede: & si Cardano credis, idem de seipsô enarrat, & patre suo. Secunda item duplex, licet enim eodem dæmonis astu, non tamen eodem motu corporis, aut mentis impetu. Prima in Poëtis, altera in fanaticis. De primâ Plato: [Quisquis, inquit, sine furore fores poëticas pepulit, persuasus quòd arte solâ Poëta possit euadere; is conatus sui irritus, & item Poësis eius abeunt siue pereunt.] Illa est insania Poëtica, de quâ Maro, [Insanire libet quoniam tibi.] Et prior Anacreon: θέλω, θέλω μανῆναι [Volo, volo insanire.] De secundâ: apud Arnobium: [Arioli, vates, fanatici:] Templorum hospites, cultores dæmonum. Tam illi, quam isti, dicti diuini, quasi deo suo pleni, imò & acti. De primo, [Homo diuinus:] ait Tullius: de secundo, Maro, [Diuine Poëta:] nimirum ob ἐνθουσιασμόν. [Compar enim exitus furoris, (vt loquar ex Tertulliano) & vna ratio instigationis.] Vtrumque genus in Sibyllis collectum: vt & Poëtis & fanaticis. Ita illa: [Cui pectus anhelum, & rabie fera corda tument; afflata est numine quando iam propiore Dei. Bacchatur vates: tanto magis ille fatigat, os rabidum fera corda domans, fingitque premendo.] Seco, interseco. In salebrosis & immundis, melius elabi quàm immorari. Sat sit dæmonem amatorem vanitatis, veritatis æmulatorem, non solùm lusisse in mysterijs, sed & suis illusisse. Tertia igitur, nec naturæ, nec fallaciæ, sed gratiæ. [Simplicitas veritatis in medio est, ait Tertullianus, nihil suspicari licebit, magiâ, aut aliquâ eiusmodi fallaciâ fieri.] Quid ergo? [Hanc vim, ait ille, ecstasin dicimus, excessum sensûs & amentiæ instar. Aliud est enim concutere, aliud mouere; aliud euertere, aliud agitare. Igitur quod memoria suppetit, sanitas mentis est; quod sanitas mentis saluâ memoriâ stupet, amentiæ genus est.] Extra seipsum, seu proprium sensum abripitur homo, & diuinum assequitur: alienatur ab infimis ad suprema, ab assuetis ad insueta; à seipso separatur, & in diuinum, nedum in angelicum subleuatur commercium. Si ergo per

Quotuplex sit mentis alienatio.

Plato in Phædro.

Arnob. l. 1.

Tertul. in Apol. c. 23.

Tertulian. ibidem.

Tert. lib. de Anim. c. 45.

magnitudinem reuelationum rapiar vsque ad paradisum, & vsque ad tertium cœlum; Deo: si autem in Ecclesiâ quinque verba meo sensu loquar; vobis. Si inebrier vbertate voluptatis; Deo: si moderer sobrietate mentis; vobis.

Tertius exaltationis, ideoque resumendum quod priùs dixerat Apostolus: [Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.] Vbi Chrysostomus: [Vide, inquit, quomodo nunquam non id agat, vt suspicionem à se remoueat, quasi suas ipse laudes canere videatur. Nihil enim perinde auditorũ animos offendit, vt cum quis magna & eximia quædam de se prædicat.] Odiosi sunt huiusce modi homines, vtpote gloriosi: [Quia, vti dixit Tertullianus, gloria exaltationis ingenium est.] Imò, si superbi sunt, sunt & amentes, insani, stolidi. [Nihil enim certè, ait Chrysostomus, arrogantiâ atque superbiâ peius, quæ mentis quoque vires naturâ hominibus concessas ita dejiciat, vt amentes ex prudentiâ, ac animo stolidos efficere videatur. Nam quemadmodum, cum quis staturâ cubitûs sit, instar montis, imò etiam altiorem se putet, ac ideò seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ suæ quæremus. Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem se ceteris arbitretur; contemnique opinetur, si ceteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras.] Quid ergo? Paulus se plurimum laudauerat, multumque exaltauerat: [Quoniam verò, ait ille, in eiusmodi argumenti sermonem incidere necesse habuerat, correctionem mox adhibuit, dicens, Hoc vestri causâ feci, non meâ: vt habeatis vnde gloriemini, non nos: neque id simpliciter, sed propter falsos Apostolos. Vnde etiam subdidit, ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde. Non enim, inquit, hæc eò dicimus, vt ipsi gloriemur: sed vt vos pro nobis liberam vocem mittere possitis. Non igitur, vt seipsum illustrem ac splendidum ostendat; sed vt illos, præposterè atque in Corinthiorum detrimentum sese venditantes compescat, hoc facit.] Tum absoluit: [Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Siue enim, inquit, magni aliquid proloquamur (nam hoc mentis excessum vocat, quemadmodum & alio loco insipientiam) Dei causâ facimus: ne vos, dum de nobis vt vilibus homunculis existimatis, contemptui nos habeatis ac pereatis: siue humile aliquid ac demissum, vestri gratiâ hoc facimus, vt modestè ac summisè de vobis sentire discatis.] Quid ergo, mente excedere? laude præcellere: laudare se, exaltare. Quid sobrium esse? Temperare, humilia de se ac parua dicere. Si ergo mente excedimus, hoc ad gloriam diuinam cuius operarij sumus ac nuntij: si sobrij sumus, id ad profectum vestrum, cuius & verbo magistri sumus, & exemplo prodromi.

Chrysost. Hom. 11.

Tertul. l. de cult. fœm. c. 3

Chrysost. Hom. 53 in Matth.

Chrysost. Hom. 11.

Excedere mente est laude præcellere.

A

DISQVISITIO SECVNDA.

De defectu Christi.

VNus pro omnibus mortuus est: & ne dubites de personâ, aut de gratiâ hæsites: resumit repetitque: [Et pro omnibus mortuus est Christus.] Poterat enim quæri, Quis ille vnus, qui pro omnibus mortuus? Poterat dici conditionem esse, non definitionem: [Æstimantes hoc, quoniam si vnus mortuus est.] Iam tamen præoccupauerat, cum dixerat: [Charitas Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus.] Quis ille vnus? Christus nimirum, cuius charitas compellit nos ac constringit. Iam & conditionem vertit in definitionem, cum addidit: [Et pro omnibus mortuus est Christus.] Dictum est, definitum est à Paulo, ideoque omninò credendum est.

B

Verùm adhuc quæri potest, Quo sensu dictum sit à Paulo, Christum pro omnibus mortuum. Nam si verba spectentur nuda, statim à Paulo in Paulum ipsum intorquentur: si autem verus perspiciatur sensus, & veritati suffragatur & pietati. Verba sunt. [Æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.] At verò omnes omninò mortui sunt, ergo pro omnibus omninò, seu nullo dempto, Christus est mortuus. Sensus est, non omnes mortui sunt eâ morte de quâ sermo est Apostolo, ergo non necessariò pro omnibus omninò, secundùm sensum istum, Christus est mortuus. Restat ergo vt inquiratur de quâ morte loquatur Apostolus. Duplex mors, vna corporalis, spiritalis altera. De primâ nulla est controuersia, imò & aperta est Pauli Apostoli sententia: [Vt & qui viuunt, iam non sibi viuant.] Viuunt ergo illi, sed non viuunt sibi: nam & vitam suam alteri conferunt. Mors autem spiritalis iterum duplex est, vna infelix ac misera, fausta & felix altera: illa ex peccato originali, quo omnes omninò homines præcipitantur in damnationem: ista ex spiritali sacrificio, quò omnia in laudem Christi, & proximi salutem immolantur. Dixerat Apostolus, se nihil facere sui causâ, sed se suaque omnia ad Dei gloriam referre, & gratiam proximi. Hoc enim fecit Christus, qui nunquam sibi placuit, sed quæ placita erant Patri, fecit semper, ideoque nec vitæ pepercit suæ, sed pro nobis illam tradidit. Quanta illa benignitas, quanta charitas. At verò charitas ista vrget nos, Græcè συνέχει, [Constringit.] Æstimantes hoc. In Græco, κρίναντας, [Iudicantes.] Hoc iusto librantes iudicio, Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Æquum est, vt sicut Christus non sibi vixit, sed communi hominum saluti, pro quibus & vitam profudit suam, pro quibus tandem est mortuus: vt qui Christi sunt, vicem reddant, nec sibi deinceps viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est: æquum vt moriantur & ipsi propriæ vtilitati, & publicæ impendantur saluti. Morte quippe suâ sic nos acquisiuit, sic nos fecit suos, vt illi debeamus omnia;

C

D

E

Spiritalis mors duplex, fausta & infausta.

nec iam nostra, sed quæ illius, præferre, imò nec propria quærere valeamus, [Dicit ergo Paulus, (secundùm Aquinatem) Dico, quòd siue excedimus Deo, siue sobrii sumus vobis, est ad vtilitatem vestram. Et huius causa est, quia, Charitas Christi vrget nos ad hoc. Et dicit, Vrget: quia vrgere, idem est quod stimulare, vt scilicet procuremus salutem proximorum. Vnde autem proueniat stimulus iste charitatis, ostendit consequenter subdens: Æstimantes hoc, quoniam &c. Dicit ergo, dico quòd omnia pro vobis facimus; quia vrget nos charitas Christi: quia æstimamus, quòd si vnus, scilicet Christus, pro omnibus mortuus est; quòd etiam nos ita viuamus, id est ad vtilitatem vestram, quòd etiam nobis mortui simus, id est nihil curemus de nobis, sed de Christo, & de his, quę Cristi sunt. Sic enim magis litteraliter exponitur; Ergo mortui sunt omnes: id est, ita se debet quilibet reputare, ac si esset mortuus sibi ipsi. Et hunc modum exponit consequenter, cum dicit, Et pro omnibus mortuus est Christus. Mortuus est, vt viuamus Christo. Vnde subdit, Vt & qui viuit, scilicet vitâ naturali: iam non sibi viuat, id est nō propter seipsum, & propter bonū suum tantū. Sed & qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit: scilicet Christo, id est, totā vitā suam ordinet ad seruitium & honorem Christi. Et horum ratio est, quia vnusquisque operans, sumit regulā operis sui à fine. Vnde si Christus est finis vitæ nostræ: vitam nostram debemus regulare, non secundùm voluntatem nostram, sed secundùm voluntatem Christi.]

Aquin. lect.

Secundò quæri potest, Quem mundum sibi Deus reconciliauerit per Christū, quem iustificauerit. In quo alia quæstio est, & longè à priori diuersa. Sicut enim alibi ex Augustino mortem distinximus & redemptionem, ita heic & maiori iure, mortem secernimus & reconciliationem. Tutò enim dici potest, imò & debet, Christum pro omnibus omninò mortuum: sed non potest certò dici, omnes omninò reconciliatos Deo, iustificatos-ue, mors enim penes Christum est, qui ad omnes sufficit, & morte suâ poculum confecit, sanandis quibuslibet, seu curandis infirmitatibus capacissimum: reconciliatio autem, seu iustificatio penes iustum est seu iustificatum, tamque illi propria quàm & intrinseca. Eo modo dicere possumus, de peritissimo medico: quod omnium medicus sit, quia curandis omnibus capacissimus, infirmitatibus omnium sanandis aptissimus: sed inde non possumus inferre sanatos omnes, aut etiā omnes sanatos: quæcūque tandē sit infirmitatis causa, seu sanitatis remora. [Quod ergo, ait Prosper, ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fine Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de mortalitate nostrâ & virtute diuinâ; habet quidem in se vt omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur:] Non omnes ab infirmitate curati, non omnes à captiuitate liberati: sed illi

Quomodo Christus pro omnibus omninò mortuus.

Prosper l. 2. Respons. 1.

A soli, vt & ille ait, [De quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa Diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertineret: sed ita, vt quod per vnicum exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare Sacramentum celebraretur in singulis.] At verò reconciliatio de quâ Paulo est sermo non æternæ capacitatis est, sed internæ actualitatis. Vnde præmisit: [Ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum.] Tum est addit: [Obsecramus pro Christo: Reconciliamini

Prosp. ibidem

B Deo.] Per fidem scilicet, sed actualem: per pœnitentiam, sed legitimam: per bonam voluntatem, sed efficacem & integram: ipsaque Sacramenta congruenter, sed realiter ministrata. Vnde concludendum est, mundum heic nullo modo pro reprobis sumendum esse: sed aliquo modo pro iustis, seu iustificatis: proprio autem, pro electis, qui propriè reconciliati, dum in æternam recepti sunt amicitiam. [Hoc est ergo quod dicit, (ita Aquinas) Quoniam quidem Deus erat in Christo: scilicet per Christum, Mundum sibi reconcilians. Et hoc, Non reputans illis delicta ipsorum: id est, non habens in memoriâ illorum

Aquin. lect. 5.

C delicta tam actualia, quàm originalia ad puniendum, pro quibus Christus plenè satisfecit. Et secundùm hoc dicitur nos reconciliasse sibi, inquantum non imputat delicta nostra nobis.] Dum non damnat, imò reconciliationem sed stabilem; gratiam subministrat, sed duraturam.

Tertiò potest quæri, Quid causæ sit, cur Paulus secundùm carnem non amplius Christum nouerit, & si aliquando illum secundùm carnem cognouerit? an tandem defectum aliquem in carne Christi deprehenderit, ob quem auerterit animum, & à carne trāsierit ad spiritum. Quis ergo? nec nos nosse debemus, nec carnem Christi cogitare nec mortem? Sed

D aliud est cogitare carnem Christi, aliud nosse Christum secundùm carnem. [Ideò enim, vti dixit Leo, & clausis ad discipulos ostiis introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & dato intelligentiæ lumine, sanctarum scripturarum occulta pandebant; & rursus idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat: vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ indiuidua permanere, & ita sciremus Verbum non hoc esse, quod carnem, vt vnum Dei filium, & Verbum confiteremur, & car-

Leo serm. 1 de resur. Dom. in med.

E nem. Nec dissonat ab hac fide magister gentium Apostolus Paulus, cum dicit: Etsi cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Resurrectio enim Domini, non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transiit, non natura defecit; & factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi: factum est immortale, quod potuit occidi: factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari: & meritò dicitur, caro Christi in eo statu, quo fuerit nota, nesciri: quia nihil in eâ passibile, nihil remansit in eâ infirmum, vt & ipsa sit per essen-

tiam, & non sit ipsa per gloriam. Quid autem mirum, si hoc de corpore Christi profitetur, qui de omnibus Christianis spiritalibus dicit: Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem? Ex hoc, inquit, initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit.] Quid ergo, Ex hoc? Dixerat: [Vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.] Tum, Itaque nos ex hoc, &c.] Græcè ἀπὸ τοῦ νῦν, [Ex hoc nunc.] Quod referri potest ad resurrectionem Christi: vt deinceps Christum cogitet suscitatum, non per carnem infirmum, sed per immortalitatem gloriosum. Potest etiam referri ad vitam perfectam diuinamque, seu nouam creaturam: subdit enim ac concludit: [Si qua ergo in Christo, noua creatura: vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.] Is igitur erit sensus: Pro omnibus mortuus est Christus, vt omnes morerentur vitæ veteri, antiquæ defungerentur consuetudini: de cetero, Christo viuerent, vitamq; deinceps agerent perfectam diuinamque. Ex hoc igitur neminem nouimus secundùm carnem: vsque adeò neminem nouimus secundùm carnalem aut nobilitatem, aut propinquitatem: vt si cognouimus Christum ipsum secundùm carnem, tamen nunc iam non nouimus: & si nobilitatem stirpis Dauidicæ, dignitatem generis ab Abraham in tot Patriarchas, reges ac principes perducti pensauimus, id iam non reputamus, sed solam æstimamus Dei & Christi iustitiam. Cetera nihili computamus, imò reputamus, velut detrimenta: vnam probamus amamusque innocentiam. [Nam carnalis illa vita interijt: (verba Chrysostomi) ac denuò in Spiritu geniti sumus, atque aliam vitæ rationem, aliumque vitæ statum, nimirum eum, qui in cœlis est, nouimus.]

Christus nō tam infirmus quā gloriosus cogitandus est.

Chrysost. Hom. 11.

Quærendum postremò, Quomodo Deus, Christum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecerit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. In quibus tria breuiter resoluenda sunt, Quid sit, peccatum non nosse: Quid sit, peccatum fieri: Quid sit, iustitiam Dei in ipso effici. Ad primum, Christus ita innocens agnus, ita ab omni dolo, & ab omni malo alienus; ac si ipsum nesciret, peccatumque penitùs non cognosceret. [Non enim dixit, ait Chrysostomus, Qui peccatum non perpetrarat: sed, qui ne peccatum quidem norat.] Ad secundum, illum pro nobis peccatum fecit, dum pœnæ peccatis nobis debitæ, tanquam insignem quendam peccatorem subdidit. [Nam etiamsi, ait ille, nihil omninò præstitisset, sed hoc duntaxat effecisset, cogita quæso, quanti illud æstimandum erat, quòd filium suum pro ijs, à quibus contumeliâ affectus fuerat, dedisset? Nunc verò, & magna præstitit, & præterea eum, qui læsus fuerat, pro ijs, qui læserant, cruciari permisit. At hoc minimè quidem dixit Apostolus: sed, quod multò his maius ac præstantius erat, posuit. Quidnam autem? Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, qui ipsamet iustitia erat, peccatum fecit; hoc est, vt peccatorem condemnari passus est, vt sceleratissimum hominem mori.

Chrysost. ibidem.

Christus peccatum per ignominiam crucis, nos iustitia per sanctitatis excellentiā.

A Maledictus enim, qui pendet in ligno. Multò quippe atrocius erat ita mori, quàm duntaxat mori. Neque enim cruciatum duntaxat ea res habebat, sed & ignominiam.] Ita scandalum vocamus, hominem scandalosum; peccatum, hominem facinorosum. Quomodo apud Chrysologum, Maria Magdalene: [Non solùm peccatrix, sed & totius ciuitatis facta peccatum.] Sic ergo pater Filium malè habuit, sic indignè tractauit; vt qui rem ex tanto expenderet supplicio, sceleratissimum hominem censeret perditissimumque. Sic namque & Iudæi, hominem proclamatæ salutis, & iniquitatis obduratæ, peccatum vocitabant, id est, ethnicum reputabant ac publicanum. Ad tertium, B sicut ille peccatum factus est, id est pro insigni peccatore ex illato habitus supplicio: sic & nos per illum iustitia Dei efficimur, id est excellenter iusti, collato nobis iustitiæ diuinæ beneficio. [Eum, inquit Chrysostomus, qui iustitiæ laude præstabat, peccatum fecit, dum vt impius & execrandus moritur: vt peccatores iustos efficiat. Imò nec sic quidem locutus est Apostolus: sed, quod longè sublimius erat, dixit. Neque enim affectionem, sed qualitatem ipsam posuit. Non enim dixit, Fecit peccatorem: sed, fecit peccatum: vt & nos efficiamur, non iusti, sed iustitia ipsa, atque adeò Dei iustitia. C Dei enim ipsa est, cum non ex operibus (nam in ijs nullam labem inueniri necesse esset) sed ex gratiâ, quæ peccatum omne prorsus delet atque extinguit, iustificamur. Hoc porrò duplex simul commodum nobis gignit. Nam nec animis efferri nos sinit (quòd videlicet Deus id totum nobis tribuerit) & beneficij magnitudinem ostendit.] Si quid addo, si nonnihil detraho: sensum non immutat, & iuuat institutum.

Chrysolog. ser. de Mag.

Chrysost. Hom. 11.

D

TROPOLOGIA.

Obsecramus pro Christo, Reconciliamini Deo.

TRia dicenda sunt, & edisserenda: Primū est, quādo alienati fuimus à Deo: secundū, quomodo sumus reconciliati: tertiū, tā in reconciliacione mirandam bonitatem diuinam, quàm in alienatione humanam esse damnandam prauitatem.

E Quoad 1. Vix homo formatus, & deformatus est, seu deformis factus, pauper, nudus, miser, ac miserabilis; de innocenti, reus; de inexterminabili non corruptibilis tantùm, sed & corruptus; de immortali, mortalis: id est, non minùs morti obnoxius quàm corruptioni. [Quamuis enim, vti Augustinus loquitur, secundùm corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret; tamen si non peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, & in illam incorruptionē quæ fidelibus & sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cuius rei desiderium nos habere non solùm ipsi sentimus in nobis, verumetiam admonente Apostolo cognoscimus, vbi ait: Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de cœlo est, superindui cupientes, si tamen

Augustin. l. 1. de pec. mer. & re. mis. c. 2.

induti non nudi inueniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus grauati, in quo nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vitâ. Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate & incorruptione, vt absorberetur mortale à vitâ: id est, ab animali in spiritale transiret.] Ibat igitur ille, crescens semper ac proficiens; ac per habitum corporis, ostendebat mentis incrementum: transformari enim habebat, non deformari: sed quod inclytum fuit, factum est inglorium: nec vltra profecit, sed defecit, cum ab animali non ad spiritale, sed ad carnale transiit. [Alienati sunt peccatores à vuluâ. Quid est hoc? ait Augustinus. A vuluâ, id est, ab ipsâ origine, alienati sunt peccatores. Vnde alienati? Ab ipsâ veritate. Vnde alienati? A patriâ beatâ, à vitâ beatâ. An fortè alienati ab ipsâ vuluâ? Et qui peccatores alienati sunt à vuluâ? Qui enim nascerentur, si non ibi tenerentur? Aut qui hodie viuerent, vt hæc sine causâ audirent, nisi nascerentur?] Alienati sunt ergo ab ipso temporis initio, imò & in ipso generis seu stirpis principio. Alienati ab ipsâ iustitiâ: seu, vt dixit Apostolus. [Alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.] Nec angelus, nec homo stetit in veritate: sed quiuis angelus à veritate recedens, sibi soli nocuit; homo non solùm veritatem ipsam deseruit, sed & gentem suam fecit apostatricem, peccato infecit, alienauit à Deo. [Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.] Facti sunt Dei ex amicis inimici, ex filiis alieni, ideoque opprobrio obnoxii, maledicto proximi. Quid est enim abalienari à Deo, quàm auerti ab ipso, hostem fieri, perduellem declarari? Vnde Paulus: [Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis.] Planè olim & semper, ex quo gratiam abiecimus, aut incurrimus culpam, discessimus à viâ recti, & in irâ Dei defecimus. [Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in irâ tuâ defecimus. Satis, inquit Augustinus, in his verbis ostenditur pœnalis esse ista mortalitas. Defecisse enim dies dicit, quia in eis deficiunt homines, amando quæ transeunt.] Alienatus est homo à Deo, ad vana conuersus & noxia; idcircò iustam subit vindictam, & in irâ diuinâ, quæ manet super eum, deficit: nihil enim promouet, nisi quod auget suppliciũ; & quo plus viuit, eo plus indignationis, quia plus iniquitatis congerit.

Abalienari à Deo est malum fieri & inimicum.

Aug. Enar. in Psal. 57. cit. med.

Ephes. c. 4.

Isai. c. 1.

Colossen. c. 1.

August. Enarrat. in Psal. 89. cit. med.

Quoad 2. Ipse Paulus qui dixit nos alienatos, dixit & reconciliatos. [Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coràm ipso.] Si enim alienatum esse à Deo, nihil est aliud quàm, vt ille dixit, esse inimicum, vtrique ij qui alienati sunt, reconciliandi sunt: sed cum alienati seu inimici non sint nisi per peccatum commissum aut admissum, per veram seu diuinam reconciliandi sunt iustitiam. Quomodo alienati sumus, à Deo separati, diuisi peccando, offendendo, præuaricando. [Ecce nõ est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat: Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.] Tria vitanda sunt, in quæ potest impingere popularis error, aut amor irregularis effingere. Primum est, Deum à nobis auersum, nedum nobis infensum: & adeò iratum, vt manum contraxerit, & quasi necessarium sibi benignitatis liberalitatisque indixerit iustitium. Deus, cuius natura, bonitas; & cuius opus misericordia est; tam non potest misericordiam exuere, quàm nec propriam deponere naturam; tam non potest odisse hominem suum, quàm nec suam imaginem; nec damnare aut reprobare opus potest, nisi damnet ac reprobet artificem. Mutatio igitur si qua est, tota est in homine, sed quatenus peccatore: non si Deus hominem reperiret innocentem, iisdem afficeret gratiis, iisdem cingeret beneficiis. [Homines, ait Aquinas, erant inimici Dei propter peccatum, Christus autem hanc inimicitiam abstulit de medio, & fecit concordiam.] Alterum est, Deum sic à veniâ alienum ac clementiâ, vt nisi Christus intercessisset, & impendentem vindictam, imò gestientem repressisset iustitiam, ne dicam & coëgisset, nullum remanere salutis remedium, sed necessarium imminere damnationis supplicium. Vndè enim Christus, nisi ex Deo? Iam ergo destinatus à placato: sed incarnatus, vt officium impleret, & solueret beneficium. [Omnia autem ex Deo. Qui nos reconciliauit per Christum. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: non reputans illis delicta ipsorum.] Græcè, μὴ λογιζόμενος, [Non imputans.] Parcens, ignoscens, offensam delens per gratiam, & miseros homines, filios infelices, in paternam restituens amicitiam. Ita voluit ex solo suæ motiuo misericordiæ, filiumque suum misit ex destinato veniæ consilio. Tertium denique, Christum viribus potius aduersùs diabolum dimicasse quàm virtutibus, & eum catenis potius alligasse quàm meritis. Non enim potentiâ vicit, sed iustitiâ. [Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.] Quasi non alia sit potentia, quàm infirmitas; sed illa infirmitas carnis, crucis & humilitas, tota sit vincentis ac triumphantis iustitia. [Hæc est vera pax, ait Augustinus, & cum creatore nostro nobis firma connexio, purgatis & reconciliatis per mediatorem vitæ, sicut maculati & alienati ab eo recesseramus per mediatorem mortis. Sicut enim diabolus superbus hominem superbientem perduxit ad mortem, ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem; sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.] Iustus ac iustificans, hominemque potentiæ cupidiorem quàm iustitiæ, informans; iamque non per potentiam, quàm occultauit; sed per iustitiam, quam manifestauit, sibi vindicans.

Colloss. c. 1.

Isai. c. 59.

Aquin. lect. 5.

Pater filium misit, quia misereri voluit.

Habac. c. 3.

Aug. l. 4. de Trin. c. 10.

Quoad 3. Reconciliatur non solùm ille qui offendit, sed & qui offensus est; sicut & placatur non ille solùm qui læsit, sed & qui læsus est.

est. Ita libro Iudicum: [Fuit quidam vir Leuites, habitans in latere montis Ephrim, qui accepit vxorem de Bethleem Iuda: quæ reliquit eum, & reuersa est in domum patris sui in Bethleem, mansitque apud eum quatuor mensibus. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atqui blandiri, & secum reducere.] Illa, quasi indigna nomine vxoris, quæ honestati dicata est, non voluptati, dicta est concubina: [Ducens secum concubinam.] Itaque non tam redibat ille in gratiam, quàm reddebat: vult tamen reconciliari ei, blandiri, secum ducere, in domum reducere. Sic & Scriptura de Deo: [Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis.] Rursum. [Et si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur seruis suis.] Reconciliatur ergo qui iam iratus non est; placatur, qui iam non in iram pronus, sed in veniam. Vult ergo Deus reconciliari, dum non solùm irasci desinit, sed & incipit misereri: nisi enim ille non præueniat, nisi ducat secum, & in domum reducat, nulla reconciliatio est, nulla restitutio. Sed quid non facit ille, dum nihil debet? imò quibus blanditijs, quibus modis nos allicit, dum omni modo punire nos debet ac plectere? [Dedit nobis ministerium reconciliationis. Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur: tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, Reconciliamini Deo.] Non tantùm hortatur, sed & precatur; non imperat tantùm, sed & alienatum seu inimicum obsecrat: non tã terroribus agit quàm precibus, nec tam verba impendit quàm officia, ne dicam & lenocinia [Videsne charitatem, ait Chrysost. non modò vim omnem verborum, sed etiam cogitationem omnem excedentem? Quisnam erat, qui iniuriam acceperat? Ipse. Quisnam fuit, qui primus ad delendam inimicitiam venit? Ipse. Atenim, inquies, Filium misit, non autem ipse venit. Filium quidem misit: sed tamen non ipse solùm hortabatur, sed Pater quoque, & cum eo, & per eum. Ob idque etiam dicebat Apostolus, Deus erat mundum sibi reconcilians in Christo, hoc est per Christum. Vides ergo quemadmodum hoc negotium extulerit, cum Christum ipsum supplicantem induxit, imò non Christum solum, sed etiam Patrem. Horum enim verborum hic sensus est: Pater Filium misit, qui ipsius nomine exhortaretur, atque apud hominum genus legationis munus susciperet. Sed quoniam ille necatus accessit, nos legationi illi successimus, atque & illius, & patris nomine vos exhortamur. Tanto nimirum in pretio est apud eum hominum genus.] Priùs litteras scribit, per Prophetas, tanquam ad absentes, paternam protectionem fugientes, & in longinquam abeuntes regionem: tum & filium mittit vnicum, quo non solùm repudiato, sed & inter pœnas innumeras contumeliasque mactato, Apostolos suscitat, & vice Christi, cum auctoritate delegat. [Quòd si, ait ille, hoc magnificentius aliquantò tibi dictum videtur, audi quæ sequuntur: ex quibus Apostolus perspicuum illud facit, quòd non Christo duntaxat, sed Patri quoque in hac re vicariam operam nauent. Nam ob id etiam adiunxit, Tanquam Deo per nos exhortante. Non enim per filium tantùm suum, sed & per nos quoque, qui ipsius muneri vicarij successimus, exhortatur. Quãobrem ne existimetis vos à nobis rogari: Christus ipse vos rogat: Pater ipse per nos vos orat atque obsecrat. Ecquid est, quod cum tam eximiâ ac singulari benignitate conferri possit? Prior iniuriâ affectus, prior rogat.] Quin & eum qui fuerat læsus, immolat: nobis gratiam præmittit suam, & reuersis conuersis-ve propriam promittit iustitiam. Iam non dicendi homines, sed dæmones, si duri & obdurati, si aduersùs incredibilem benignitatem, per incredibiliorem obstinati prauitatem.

Marginal notes: Iud. c. 19. — 1. Machab. c. 1. — 2. Machab. c. 7. — Chrysost. Hom. 11. — Deus non tantùm per legatos imperat, sed & obsecrat. — Chrysost. ibid.

ANAGOGIA.

Qui viuunt, iam non sibi viuant.

Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. Tria autem sunt ex homine vetere innouanda. Primum est natiuitas: secundum vita: tertium, mors. Primum, medium, & vltimum.

Quoad primum. Præit Christus, & nouam nascendo instituit creaturam. [Antè omnia, ait Tertullianus, commendanda erit ratio quæ præfuit, vt Dei filius de Virgine nasceretur. Nouè nasci debebat, nouæ natiuitatis dedicator; de quâ signum daturus Dominus ab Esaïa prædicabatur. Quod est istud signum? Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium. Concepit igitur Virgo, & peperit Emanuelem, nobiscum Deum. Hæc est natiuitas noua, dum homo nascitur in Deo. In quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis susceptâ, non semine antiquo; vt illam nouo semine, id est spiritaliter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota natiuitas ista, sicut & in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino nascente.] Cur innouanda natiuitas? Quia prima antiquata, sicut & obliterata sanctitas. [Notandum est enim (ex Aquinate) quòd innouatio per gratiam dicitur creatura. Creatio namque est motus ex nihilo ad esse. Est autem duplex esse, scilicet esse naturæ, & esse gratiæ. Prima creatio facta fuit, quando creaturæ ex nihilo productæ sunt à Deo in esse naturæ, & tunc creatura erat noua, sed tamen per peccatum inueterata est. Oportuit ergo esse nouam creationem, per quam producerentur in esse gratiæ, quæ quidem creatio est ex nihilo: quia qui gratiâ carent, nihil sunt. Peccatum enim nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant.] Ad nihilum redacti sunt homines per peccatum, & nesciunt; ideò reparandi sunt, & in nouam natiuitatem, per supremam Dei potestatem instaurandi. Sed quomodo facta est natiuitas prima? Certè nec ex carne nec ex sanguine, sed ex virgine. [Virgo erat adhuc terra, ait

Marginal notes: Tert. lib. de carne Christi c. 17. — Aquin. lect. 4.

Tertullian. lib. de carne Christi. cap. 17.

Tertullianus, nondum opere compressa, nondum fementi subacta: ex eâ hominem factum accepimus à Deo in animam viuam.] Tamen homo de terrâ, terrenus; nondum homo, de cœlo cœlestis: factus ille, sed in animam viuentem, nondum in spiritum viuificantem. Idcircò mittendus homo de cœlo, qui non solùm nasceretur ex Virgine, sed & repleretur spiritûs plenitudine. [Attulit nobis, ait Augustinus, de illâ regione, bona; & in regione nostrâ, ipse pertulit mala. Promisit tamen nobis quòd ibi futuri simus, vnde venit: & ait, Pater volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.] Et in Adamo quidem spem nostræ initiauit dignitatis. [Non enim facturus est angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo?] Sed in Christo, fidem nobis diuinæ fecit natiuitatis. [Cum enim, ait Chrysostomus, verus & dilectus filius sit sempiterni Dei, etiam filius Dauid esse dignatus est; modò, vt te filium faceret Dei. Quòd si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, ab iis quæ etiam illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multò est difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem Dei filium consecrari.] Nouam ergo natiuitatem dedicauit, dum nouam nobis destinauit dignitatem. De cœlo in terram descendit, vt nos à terrâ in cœlum attolleret; Deus factus est homo, vt homo Deus fieret; natus de Virgine, Altissimi virtute matri obumbrante, Spiritu sancto superueniente; vt homo renasceretur ex aquâ & Spiritu sancto: aquâ lauante, Ecclesiâ virgine parturiente, virtute altissimi per aquam, & Ecclesiam operante. Tam noua natiuitas, quàm mira efficacitas. Quod enim natum est ex carne, caro est; quod natum ex spiritu, spiritus est: quod ex voluntate viri, humanum est: quod ex potestate Dei, sanctum est, diuinum est: Deus est, sed factus.

Augustin. in exposit. Psal. 148. post init.

Augustin. ibidem.

Chrysost. Hom. 2. in Matth post init.

Deus homo factus, & homo factus est Deus.

Quoad medium. Sequitur ex primo, aut certè debet sequi: nam sicut nemo iustificatur, nisi vt iustè viuat; sic & nullus renascitur, seu nouo nascitur modo, nisi vt nouam ducat vitam, sanctam scilicet, spiritalem, diuinam, innocentem. [Pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.] Ideò enim addidit, Et resurrexit, vt sciremus qualem vitam viuere deberemus, cœlestem nimirum, puram, innocuam, sicut angeli pacis, sicut filij resurrectionis. Sicut enim Christus vitam sumpsit vt poneret, posuit vt resumeret; sic & veteri morimur homini, & nouè nascimur, vt nouum initiemus statum, & in nouitate vitæ ambulemus. [Nam, vti dixit Chrysostomus, carnalis illa vita interiit: ac denuò in spiritu geniti sumus, atque aliam vitæ rationem, aliumque vitæ statum, nimirum eum, qui in cœlis est, nouimus. Ac propterea subiungit, Si qua in Christo noua creatura. Si quis ipsius fidem amplexus est, inquit, ad alterum opificii genus venit. Etenim supernè per Spiritum sanctum genitus est. Ac proinde hoc etiam nomine par est vt ipsi viuamus, non tantùm quia nostri iuris non sumus, aut quia ipse pro nobis mortem oppetiuit, aut quia primi-

Chrysost. Hom. 11.

A tias generis nostri à morte ad vitam reuocauit, sed etiam quia ad alteram vitam concessimus. Vide quot, quamque æquas rationes afferat, quamobrem rectè, atque ex virtute nobis ducenda vita sit.] Qualis illa vita, quæ in carne nihil habet carnis, quæ in humanitate nihil humanitatis retinet? [Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem: & si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.] Nimirùm secundùm carnem. [Quid igitur, dices, An carnem exuit, ac nunc corporis est expers? Minimè verò. (ait Chrysostomus.) Nam nunc

Qui redēpti sunt, sui iuris non sunt.

Chrysost. ibidem.

B quoque in carne est. Hic enim Iesus, qui à vobis assumptus est in cœlum, sic veniet. Quomodo sic? In carne videlicet, & cum corpore.] Sed qui nouam viuit vitam, carnem non expendit secundùm carnem, nec in carne attendit quæ carnis sunt, sed quæ virtutis: non quæ sensûs, sed quæ sunt spiritûs. Sicut enim Christus Deus diligi potest carnaliter, sic & Christus homo potest diligi spiritaliter. [Non igitur illud te, ait Ambrosius, moueat Apostolicum, quod ait: Quia neminem nouimus ex hoc secundùm carnem: & si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Caro enim nostra perpetua esse ac diuturna non potest, necesse

Ambros. epist. 81. in medio.

C est occidat vt resurgat, necesse est resoluatur vt requiescat, vt fiat quidam finis peccati. Et ideò multos cognouimus secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus. Ipsum Dominum Iesum cognouimus, (inquit Apostolus) secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus. Iam enim carnis deposuerat exuuias, iam specie hominis non videbatur, iam pro omnibus mortuus erat, & omnes in illo mortui: vt per ipsum renouati, & viuificati spiritu, iam non sibi, sed Christo viuant. Meritò igitur qui antè cognouerat secundùm carnem Christum, iam operationes eius inuisibiliter agnoscens, iam non carnem eius, sed poten-

D tiam scrutans: addidit, Si quis in Christo, noua creatura: id est, qui perfectus in Christo, noua creatura est; quoniam qui caro est, imperfectus est. Carnalis itaque non est in Christo, sed si quis in Christo est, noua creatura est: non naturæ nouitate formatus, sed gratiæ. Vetera itaque quæ secundùm carnem erant, transierunt, facta sunt noua omnia.] Ratio, caro, anima, omnia.

Quoad vltimum. Cum dixisset Apostolus, Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua: resumit, additque: [Omnia autem ex Deo.]

E Vt cum auctorem docet & natiuitatis nouæ, & tantæ sanctitatis, simul & finem indigitet: nec nouam solummodò vitam instituat, sed & ad nouum tamque optabilem quàm & felicem perducat exitum. [Si enim nos, ait Chysostomus, nobisipsis viuere non oportet, prouidendum est nobis, ne incursantibus periculis, ac morte, in perturbatione atque animi tumultu simus.] Idcircò dixit Apostolus, nos eius esse, qui pro nobis vixit, mortuus est, & resurrexit vt sciremus, nos siue viuimus, siue morimur, siue resurgimus, Domini esse; discerenusque non solùm nouè viuere, sed & nouè mori, vt ad felicem perueniremus resurrectionem. [Omnia ex Deo, qui nos sibi per

Chrysost. Hom. 11.

Ambrof. epist. 8 circa med.

Christum reconciliatis. Eramus enim (verba Ambrosii) mortui, & ideò vnus pro omnibus seruus factus est. Quid dicam, seruus factus est? Dixit enim Apostolus: Quia pro nobis peccatum factus est. Quid dicam, seruus factus est? Peccatum, opprobrium, maledictum factus est. Dixit enim Apostolus: Quia pro nobis peccatum factus est, quia maledictum factus est Dominus Iesus.] Veteris hominis mortem sustinuit, vt veterem auerteret mortem: infelicem subiit sortem, vt mortem nobis acquireret felicem, tam beatam quàm & nouam; vtpote felicitatis æternæ, seu beatæ resurrectionis, & integræ consummatæque innouationis prænuntiam. Equidem, [Venit hora, & nunc est, quando mortui audiunt vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Qui audierint, dixit Dominus: qui obedierint (ita Augustinus) qui crediderint, & vsque in finem perseuerauerint. Nec fecit hîc vllam differentiam bonorum & malorum. Omnibus enim bonum est audire vocem eius, & viuere, & ad vitam pietatis & impietatis morte transire. Pro omnibus mortuis, viuus mortuus est vnus; id est, nullum habens omninò peccatum, vt qui per remissionem peccatorum viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: vt credentes in eum qui iustificat impium, ex impietate iustificati, tanquàm ex morte viuificati ad primam resurrectionem quæ nunc est, pertinere possimus. Veniet autem hora, vbi non ait Dominus, & nunc est: quia in fine seculi erit: quando omnes qui in monumentis

Aug. l. 20 de ciuit Dei c. 6.

Sicut duæ regenerationes, sic & duæ resurrectiones.


A sunt audient vocem eius, & procedent. Non dixit, quemadmodum in primâ: & qui audierint, viuent. Non enim omnes viuent, eâ scilicet vitâ, quæ quoniam beata est, sola vita dicenda est. Sicut ergo duæ sunt regenerationes, vna secundùm fidem, quæ nunc fit per baptismum: alia secundùm carnem, quæ fiet in eius incorruptione atque immortalitate per iudicium magnum atque nouissimum: ita sunt & resurrectiones duæ, vna prima, quæ & nunc est, & animarum est: alia secunda, quæ nunc non est, sed in seculi fine futura est: nec animarum, sed corporum est.] Multi vsque ad iustificationem procedunt, qui non contingunt glorificationem: sicut & multi vocem audiunt, sed fidem non percipiunt. [Nam

B cum dicit Apostolus: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua: numquid, (ait Prosper) non omnes homines videtur dixisse renouatos? Aut cum dicit: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso: numquid non ita loquitur, quasi neminem velit exortem huius reconciliationis intelligi?] Sicut ergo primæ regenerationis solus ille est particeps, qui nouè renascitur: sic & illius secundæ ac beatæ resurrectionis solus ille consors erit, qui nouè moritur: illi soli verè spiritales, verè felices, qui non solùm nouè viuunt, sed & nouè obeunt: qui de corpore exeunt, tanquam

C de carcere. [Videmus enim, (secundùm Lactantium) plerosque morientium non dissolui conquerentes, sed exire se & proficisci testantes: idque aut gestu significant, aut & voce pronuntiant.]

Prosper. l. 1. de vocat. Gent. c. 3.

Lact. l. 7. diuin. instit. c. 12.



CAPVT SEXTVM.

Epigraphe.

CAptanda salutis occasio, cordis dilatatio procuranda. Duo hæc præcipua, sed vno contextu, licet sensu diuerso complectenda.

TEXTVS.

ADiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientiâ, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non fictâ, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris; per gloriam, &

ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces; sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris: eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite in medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

EXEGESIS LITTERALIS.

PAucis prælusit, multa tamen simul tangit Apostolus. Quid enim tanta virtutum congeries, quid tanta rerum series & promissionum? Sed occasio salutis, & cordis dilatatio, duo sunt præcipua ceterorum capita.

[Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, &c.] Adiuuantes, Græcè, συνεργοῦντες, [Cooperantes.] Pars enim est Apostolici ministerij: sicut enim Apostoli legati sunt Dei, sic & Christi sunt cooperarij. Nos ergo adiutores quà cooperatores, nostro fungentes officio, hortamur, ne gratiam per nos vobis ministratam, inutilem reddatis & infructuosam; ne curam nostram vanam efficiatis & inefficacem. Ait enim Deus apud Isaiam cap. 49. [In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui.] Ita Comment. Athanas. [Adiutores vestri, inquit, sumus, & vobis ad consequendam salutem, & Deo vt eius expleat voluntatem, quæ vobis vt salutem impertiar procliuior est: fungimurque exhortando Christi vice, quoadusque ille secundò adueniat, & quamdiu in vitâ hac fuerimus, ne incassum gratiam Dei accipiatis. [Sine vsu, aut sine fructu. [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, &c.] Tempus illud acceptum & acceptabile, placitum & optabile quod Deus & constituerat & promiserat, nunc aduenit, nunc illucescit; cum iam miserit filium suum, tantumque per nos vt ministros nuntium ad omnes homines resperserit. Nuntium omni acceptione dignissimum, omni exspectatione optatissimum, vtpote omnibus gentibus salutiferum, & omni suscipiendum exultatione. [Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, &c.] Dixit cooperantes, & ministerio fungentes Apostolico,

Comment. Athanas.

Aduentus Domini tã acceptabilis quàm optabilis.

A rogamus, obsecramus: impigrè quidem adiuuantes, sed & sollicitè curantes, nec cui in vllâ occasione simus offendiculo, vt nullam tanto ministerio suscitemus calumniam: sed potius in omni re, [Commendantes nosipsos.] Ita ex Græco, nos præstantes tam fideles ministros quàm & humiles; non nostram, sed Dei & Christi spectantes gloriam. [Dei ministri, ait Ambros. sine adulatione docent, vt ei cuius ministri sunt placeant, non sicut pseudoapostoli, qui scientes non se à Deo missos, præsenti vtilitati studebant.] Tales se nimirum exhibent, tam fideles quàm & commendabiles, qui verbis docent & factis. Si quis tamen velit, generalem esse exhortationem, non

Ambros. in Paul.

B solùm non contendo, sed & lubens volensque annuo.

[In multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, &c.] Quod dixit in omnibus, ἐν παντὶ, nunc distribuit: & quod proposuit in genere, exponit in specie. Et primò quidem incipit à malis patiendis sustinendisque, In multâ plurimorum malorum patientiâ: tum excurrit in species, & in nouem classes distribuit. [In tribulationibus:] Afflictionibus vulgaribus. [In necessitatibus:] Grauioribus & acerbioribus. [Angustijs.] Difficillimis, im-

C portunissimisque. [Non simpliciter, ait Chrysostomus, patientiam dixit, sed multam addit, vt illius magnitudinem declararet. Neque enim vnum aliquod aut alterum incommodum perferre, magnæ laudi ducendum est. Itaque densa tentationum subiungit agmina. In plagis, in carceribus, in seditionibus. Atqui quodlibet horum, vel solum, vix tolerabile erat; nempe & flagellis cædi solùm, & vinciri solùm, & denique ita vndique exagitari, vt nusquam consistendi potestas esset. In laboribus, in vigilijs, in ieiunijs. His verbis ærumnas eas innuit, quas huc atque illuc cursando, ac victum sibi manibus quærendo, exantlabat, noctesque item eas, quas in docendo, vel etiam fortassè labo-

Chrysost. Hom. 12.

rando, conterebat.] Et illa sustinebat, quæ publici erant onera ministerij, nec ea omittebat, quæ priuatæ erant abstinentiæ opera. [In castitate, in scientiâ, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non fictâ, in verbo veritatis.] Præmisit mala quæ sustinet, & , vt dicam cum Chrysostomo. [Bonorum omnium fundamentum in patientiâ posuit.] Nunc & bona subdit quæ exercet: ministros enim Euangelicos oportet malorum omnium patientes esse, decetque omnium feraces esse bonorum. Ac primò quidem vt casti sint ac puri: tum docti sint ac gnari: per animi lenitatem, insolentiam vincant æmuli; per comitatem, frangant audaciam: donis etiam sancti Spiritûs instructi sint, veraque ac sincerâ charitate prædìti; tamque veritatem apertè prædicantes quàm sincerè charitatem exercentes. [In virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam, &c.] Prædicamus veritatem, sed Deus dat voci suæ vocem virtutis: manifestamus charitatem, sed per congrua iustitiæ Christianæ opera: nunc vtendo prosperis, nunc aduersis; & iis tanquam bonorum operum instrumentis, fidem ac salutem promouendo: nunc gloriam admittendo, nunc ferendo ignominiam: nunc infamiam sustinendo, nunc bonam famam excolendo. [Vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti; quasi morientes, & ecce viuimus, &c.] Corporales pœnæ, leues sint; quid verò spiritales angustiæ? Habemur infames, quasi impostores, cum simus reuera veraces; videmur ignobiles, cum nulli tam noscibiles; ideoque non ignoti simus, sed cogniti: tenemur quasi perituri, iam iamque morituri, cum diuinâ protecti simus aduersus imminentem mortem potentiâ. [Vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, &c.] Diceres non castigari cum flagellamur vt malefactores, nec tamen vitam amittimus per sæuitiam: crederes nos dolentes quasi malorum impatientes, cum verorum simus compotes gaudiorum. Putamur egeni, & pauperes nihilominus per diuites & ipsi ditamus: reputamur nihil habere omninò, cum certum sit nos omnia nostrorum tanquam nostra possidere; & omnia amicorum, habere communia.

Chrysost. ibidem.

Iusti inter prospera & aduersa immoti.

[Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum, &c.] Volo liberè vos alloqui, nec ore tantùm, sed & corde patente vos adhortari: quamuis enim verbum veritatis annũtiemus omnibus, & effectum demonstremus charitatis; vobis tamen tanquam amicis non tam modum vouemus, quàm excessum. [Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris: eandem autem habentes remunerationem, tamquam filijs dico, dilatamini & vos, &c.] Quod animi mœstitiam patimini & angustiam, id certè non prouenit ex nobis, qui vos tantum diligimus: sed causæ doloris mœrorisque domesticæ sunt & internæ: sunt enim intrà vos, qui vos angunt, affligunt, comprimunt. Verùm cum eandem

A speretis mercedem laboris, quidni etiam eandem optetis cordis dilatationem? Itaque dico vobis tanquam filijs, videte quid cor vestrum, quid vos conturbet coangustetque, & excutite, vt liberè respirare possitis, sinumque charitatis vestræ tam promptè quàm & gratanter lætanterque expandere. [Et benè ergo agendo ait Ambros. & futura sperando dilatari vult illos animo. Qui enim operatur, laborat, & futura non credit, sicut infidelis, angusti animi est desperatione futuri:] Dilatatum est cor nostrum, & vestrum in eandem spem dilatatum sit. [Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis, &c.] Adiuuo vos cordibus vestris exonerandis, & moneo, ne talem cum infidelibus ineatis societatem, aut necessitudinem, vt in eorum mores propendeatis ac consuetudines. Quomodo enim iustitia coïre potest cum iniustitiâ, quid commune habent lux sanctorum, & tenebræ gentilium; quæ consonantia Christi ad Belial, quæ participatio fideli cum infideli, quæ templo Dei cum idolis consensio esse potest, quæ confœderatio? [Quis erit vobis cum istis consensus, hoc est, similitudo & conuentio?] Ita Comment. Athanas. [Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, &c.] Si nescitis vnumquemque vestrûm esse templum Dei; & omnes vnum templum, audite Deum ipsum dicentem Leuit. 26. [Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus.] Licet enim id ad Iudæos, reuera tamen propter vos. [Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, dicit Dominus omnipotens, &c.] Certè, cum sitis templum Dei viui ac viuentis, nullam cum idolis aut idoliis habere debetis conuenientiam. Quid enim Deus per Isaïam cap. 52. [Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.] Pro quo Septuaginta: [Separamini.] Et ego vos suscipiam, & in paternam recipiam vos amicitiam.

Ambrof. in Paul.

B

Comment. Athanas.

C

Nulla fidelium & infidelium conuenientia.

D

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

E DVbium nonnullum est de tempore accepto, & de iugo impare: quomodo nimirum illud captandum sit, istud verò declinandum. Sit ergo



DISQVISITIO PRIMA.

De tempore accepto.

QVod dixit Apostolus tempus acceptum, mox dicit tempus acceptabile, & vtrumque proponit, ad recipiendam excolendamque Dei gratiam. Triplex autem gratia est, & triplici accommodanda tempori.

Prima est extrinseca, de quâ præcipuè locutus est Apostolus: nam cum dixisset, [Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim, Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te:] Colligit, additque: [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.] Quænam igitur illa gratia? Dies salutis, & hocce tempus acceptum est seu acceptabile. Ita namque, vti ipse Paulus Lystris proposuit: [Deus in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.] Sed vt & ipse Athenis concludit: [Tempora huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant.] Sed & Christo secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam ingresso: [Traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cœcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit: Et omnium in synagogâ oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.] Quasi diceret: [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.] Vnde & addit Lucas: [Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.] Illa nimirum est gratia, quæ tempore accepto seu placito facta est humano generi, & in vacuum non recipienda. Tria sunt ista, sed sigillatim exponenda: Primum est, Gratiam istam, esse salutis nuntium & reconciliationis, à Christo Domino obsignatum, & ab ipsis disseminatum Apostolis. [Non tacet Ioannes, ait Tertullianus, pœnitentiam initote, dicens: iam enim salus nationibus appropinquabit: Dominus scilicet afferens, secundùm Dei promissum.] Deus salutem & reconciliationem promisit omnibus gentibus, Christus tandem gratiâ suâ, seu per aduentum suum attulit. Alterum, Tempus illud acceptum probatumque, quod disposuit Deus, & adimpleuit. Ita Paulus de Christo: [In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis: vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum.] Tertium, in vacuum gratiam istam recipi, si aut repudiatur Euangelium, aut susceptum, quocumque tandem modo violatur. Iam dixerat Apostolus: [Tanquam Deo exhortante per nos: Obsecramus pro Christo. Reconciliamini Deo.] Tum & inculcat: [Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.] Id est, vt exponit Chrysostomus: [Obsecramus vt oblatum beneficium accipiatis, nec munus repudietis. Morem nobis gerite: ac videte, ne in vacuum gratiam accipiatis.] Annus gratiæ est, & tempus indulgentiæ: ne cassa sit apud vos & irrita: quæ, vt ait Ambros. [In tempore Christi prædestinata est.]

[Marginal notes, left column: Act. c. 14. — Act. c. 17. — Luc. cap. 4. — Deus promisit salutem, Christus attulit. — Tertul. l. de pœnit. c. 2. — Ephes. c. 1.]

[Marginal notes, right column: Chrysost. Hom. 11. — Ambros. in Paulum.]

[Marginal letters: A, B]

Secunda gratia est intrinseca simul & extrinseca, quia pulsans adhuc, nondum inhabitans; transiens, nondum permanens; stans ad ostium, nondum animum penetrans informansque. [Dicit ergo Apostolus: (vt exponit Aquinas) Ex quo facultas adest nobis ad benè operandū, & hæc est gratia Dei, nos autem ad hoc pro Christo legatione fungimur. Ideò, adiuuantes prædicationibus scilicet, exemplis & exhortationibus. Iuuare enim Deum potest intelligi, vel ei vires ministrando ad aliquid agendum, & sic nullus iuuat Deum, nec iuuare potest: vel eius mandatum exequi, & sic sancti homines Deum iuuare dicuntur, exequendo eius mandata. Nos ergo sic iuuantes, hoc hortamur vos, Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quasi dicat: ne receptio gratiæ sit vobis inutilis & vacua: quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ, quis non sentit fructum. Dico ergo quòd paretis vos ad fructuosè percipiendam gratiam, que vobis est collata, vel parata. Ait enim Dominus per Isaiam, Tempore accepto exaudiui te.] Tria igitur dicenda sunt: primum est, esse nonnulla tempora & momenta Deo placita & accepta. Ita Christus ad discipulos plusculum curiosos. [Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate: sed accipietis virtutem superuenientis Spiritûs sancti in vos.] Nostrùm est quidem inspirationem accipere, in operationem cum gratiâ susceptâ prorumpere: sed tempora & momenta, diuino, non humano reposita sunt arbitrio. [Reuertens veniam ad te tempore isto. Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore.] Est enim, [Tempus visitationis.] Sed spirat, vbi vult: quando vult, visitat. Secundum, visitationem illam, non solùm externam esse, sed & internam. De primâ, Zacharias: [Visitauit nos oriens ex alto.] De secundâ Iob: [Visitatio tua custodiuit spiritum meum.] Non enim solùm insonat auribus, non solùm oculis irradiat, sed & mentibus infunditur, & animis illabitur. Gratia est intrinseca, licet nondum formata in habitum, licet nondum in statum firmata: nec tamen adhuc in totum intrinseca, sed adhuc eatenus extrinseca, quatenus adhuc pulsat, nondum inhabitat. Tertium, gratiam istam in vacuum recipi, fierique infructuosam, cum motus ille negligitur, & in humanis cordibus, tanquam ignis in lignis viridibus extinguitur. [Quoniam enim, ait Chrysostomus, Deum rogare dixerat, Apostolos autem lega-

[Marginal notes, right column: Aquin. lect. 1. — Adiutores Dei, sunt mandato eius exequendo rum executores. — Act. cap. 1. — Genes. c. 18. — Luc. c. 19. — Luc. cap. 1. — Iob c. 10. — Chrysost. Hom]

[Marginal letters: C, D, E]

tione fungi, atque obsecrare vt cum Deo in gratiam redirent, ne segniores inde atque ignauiores redderentur, hinc rursus eos terret & excitat, dicens, Exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis. Neque enim propterea nos socordiæ demus, inquit, quia Deus nos rogat, ac legatos nos misit: imò verò ob hoc ipsum maiore studio & diligentiâ Deo placere, & spirituales mercedes colligere curemus.]

Tertia tota est intrinseca, licet sese exerat; & per actum suum sese diffundat in extrinseca: sicut enim gratia media ab extrinseco intrinseca permeat peruaditque, sic & ista ab intrinseco remeat in extrinseca refluitque: sed illa est per modum actûs, idcircò transit diffluitque; ista per modum habitûs, idcircò insidet inhæretque. Ita Augustinus, agens de gratiâ paruulis collatâ, quæ aut intrinseca est, aut est nulla. [Attende, inquit, ad hanc rem Pauli Apostoli testimonia, tantò vtique plura, quantò plures epistolas scripsit, quantò diligentiùs curauit commendare gratiam Dei. Itaque ad Corinthios in secundâ: Cooperantes autem & rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis. Dicit enim: Tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Ad hanc reconciliationem & salutem si non pertinent paruuli, quis eos quærit ad baptismum Christi? Si autem pertinent; inter homines mortuos sunt pro quibus ille mortuus est; nec ab eo reconciliari & saluari possunt, nisi remissa non deputet delicta eorum.] Etsi autem in paruulis præcipuus & quasi totus sit gratiæ internæ effectus, eos scilicet reconciliando adoptandoque in filios: in adultis tamen non est solus. [Fructus quippe duplex est: (vti notat Aquinas) scilicet remissio peccatorum: & vt homo iustè viuendo perueniat ad gloriam cœlestem. Quicumque ergo gratiâ perceptâ non vtitur ad vitandum peccatum, & consequendum vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit. Et circa hoc sciendum, quòd Dominus dicitur facere nobis gratiam, vel exaudiendo nos in petitionibus nostris, vel iuuando in operationibus nostris, Sed exaudit, vt percipiamus quod petimus: adiuuat, vt perficiamus quod operamur.] Tria igitur consideranda sunt. Primum est, Deum non minùs in supernaturalibus prouidum, quàm in naturalibus: sicut enim formam dedit per quam res effectum producerent, sic & gratiam infudit, tanquam principium & statum permansorium, quo voluntates actum suum exercerent. Alterum, Gratiam superare naturam, suamque in eo vindicare præstantiam, quòd sui sint naturæ termini præstituti, vt det fructum in tempore suo, & certo limite effectum suum determinet: gratiæ verò diuinæ nec modus est, nec terminus; cum voluntas omni tempore agere possit, & sine limite præfixo profectum suum in cumulum prouehere. Tertium, tunc gratiam illam in vanum seu in vanum receptam, cum torpet languetque, cum voluntatem non aptat in operationem, cum in æternæ vitæ consecutionem non præparat; cum stupentem non vrget, cum cunctantem non promouet.

Augustin. l. 1 de pecc. mer. & rem. c. 17.

Aquin. lect. 1.

Gratiâ interna, tanquam forma ad actû suum accincta.

Ita ergo Paulus, Gratiam Dei recepistis, velletis esse in vobis superuacaneam? Nullum tempus non est habile operando, nulllum opus eius Deo non acceptabile: cur ergo cessatis agere, cur dubitatis semper semperque proficere? maximè, cum Deus paratus sit exaudire vos in orationibus vestris, & in vestris vos actionibus adiuuare? [Dies gratiæ est, ait Chrysostomus, diuinæ, inquam, gratiæ: vnde etiam perexiguo labore coronas adipiscemur.] Non enim tam opus humanæ voluntatis, quam diuinæ munus bonitatis.

Chrysost. Hom. 12.

DISQVISITIO SECVNDA.

De iugo impare.

PRohibet Apostolus iugum duci cum infidelibus, & per iugum, malum amouet commercium, monetque nullum cum infidelibus vinculum contrahi. [Sciendum est enim, (Aquinate teste) quòd iugum dicitur omne illud quod ligat plures ad aliquid faciendum. Vnde quia aliquando aliqui conueniunt ad faciendum aliquid boni, quod est ex Deo; & aliqui ad faciendum aliquid mali, quod est ex diabolo; ideò dicitur iugum Dei, & iugum diaboli. Iugum quidem Dei, est ipsa charitas, quæ ligat hominem ad seruiendum Deo Matth. 10. Tollite iugum meum super vos. Iugum verò diaboli, est ipsa iniquitas, quæ ligat ad malum & ad malè faciendum. Isa. 9. Iugum oneris eius. Hoc ergo dicit, Nolite iugum ducere cum infidelibus: id est, Nolite communicare in operibus infidelitatis.] Non igitur vetat omne commercium, nec omne negotium ablegat; quasi infructuosos voluerit esse Christianos, aut vouerit otiosos. [Itaque, ait Tertullianus, non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commercijs cohabitamus hoc seculum.] Et mercari licet, & rusticari; militare licet, & operas suas vsui ac fructui publicare. [Non enim dixit Apostolus, (vt Chrysostomus exponit) Nolite commisceri cum infidelibus: sed vehementiùs eos perstringens, vtpote ius violantes, Ne deflectatis vosipsos, inquit.] Seu, vt reddit titularis Athanasius: [In illorum partes declinaueritis.] Seruant enim proprietatem verbi Græci, quod imparitatem importat, & inclinationem quandam in partem alteram: & illam indicant inæqualitatem, quâ non tam melior peiori, quàm fortior infirmiori præponderat. Tria igitur quærenda sunt. Quale sit illud iugum. Cur non ducendum. Quomodo in templo sistendum.

Si quæris quale sit illud iugum, dico non esse vnum, sed triplex, Iudaïcum, ethnicum, domesticum. Non prohiberet Apostolus commercium cum Iudæis, qui nec cum idololatris prohibet: [Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.] Sed multi iudaïzabant, nec tam fidem prætendebant quàm legem; idcircò dicendi

Aquin. lect. 5.

Est iugum Dei, est & iugum diaboli.

Tertullian. c. 42. Apol.

Chrysost. Hom. 13.

Athanas. in Paulum.

1. Corint. c. 10.

infideles potiùs quàm fideles, quia cute tenus baptizati, & solo nomine Christiani. Verùm si Corinthios arcet à iugo Iudæorum, quomodo ab ethnicorum iugo non dimouet? [Erant ergo aliqui inter eos, (ita Aquinas) qui reputabantur sapientiores, non abstinentes ab idolothytis, & ex hoc scandalizabant inferiores. Alij autem erant qui communicabant cum Iudæis in traditionibus seniorum, Vnde Apostolus hortatur eos, cum dicit: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Vt scilicet non communicent cum Iudæis in traditionibus legis, neque cum gentibus in cultu idolorum: vtique enim infideles sunt.] Itaque iugum istud ad malum est, cum aut inclinat in legem, aut declinat in infidelitatem: cum tanta sit societas, tamque arcta, vt inde formetur pronitas credendi, aut etiam sequendi subornetur necessitas. Sed verè iugo adstricti sunt coniuges, verè vinculo copulati: ideoque impar iugum, dispar est coniugium. [Ignoscit Apostolus infidelium coniunctioni, ait Hieronymus, quæ habentes maritos in Christum postea crediderunt: non iis quæ cum Christianæ essent, nupserunt gentilibus: ad quas sic loquitur, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Vis apertiùs discere, quòd Christianæ omninò non liceat ethnico nubere? Audi eundem Apostolum: Mulier, inquit, alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, Tantùm in Domino, id est, Christiano. Qui secundas tertiasque nuptias concedit in Domino, primas cum ethnico prohibet. Vnde & Abraham adiurat seruum suum in femore suo, hoc est in Christo, qui de eius semine erat nasciturus, vt filio suo Isaac alienigenam non adducat vxorem. Et Esdras offensam Dei huiuscemodi vxorem repudiatione compescit.] Quasi velit non solùm mala credi, sed & irrita fieri; & ob tantam cultûs disparitatem, tantam gigni affectûs contrarietatem; vt idem iugum subire concorditer non possint, aut idem vinculum vnanimiter contrahere.

Aquin. lect. 3.

Imparitas iugi, matrimonij disparitas.

Hieronym. lib. 7. adu. Iouin. post init.

Non solùm legem promulgat Apostolus: Sed & rationem eius assignat. Sicut enim adiecit pondus legi suæ, cum dixit, [Tantùm:] Sic & iustissimam probauit, cum caussam ostendit. [Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? Licet, ait Hieronymus, in me sæuituras sciam plurimas matronarum, licet eadem impudentiâ, quâ Dominum contempserunt, in me, pulicem, & Christianorum minimum debacchaturas: tamen dicam quod sentio: loquar, quod me Apostolus docuit, non illas iustitiæ esse, sed iniquitatis; non lucis, sed tenebrarum; non Christi, sed Belial.] Quid porrò Belial? [Dicitur diabolus Belial, absque iugo, (vt exponit Aquinas) quia noluit subijci iugo Dei Hierem. 2. A seculo fregisti iugum meum. Hoc est ergo quod dicit Apostolus, Non debetis iugum ducere cum infidelibus, quia alius est habitus in vobis, alius in illis: in vobis quidem

Aquin. lect. 3.

Hieronym. L. 1. aduers. Iouin. longe post init.

Aquin. lect. 3.

A est habitus iustitiæ, in illis verò est habitus iniquitatis Maxima autem iustitia est reddere Deo quod suum est, & hoc est colere ipsum. Vnde cum vos colatis Deum, est in vobis habitus iustitiæ. Summa autem iniquitas est auferre à Deo quod suum est, & dare diabolo. Vos estis serui Christi & membra eius, illi autem sunt membra diaboli Quod enim non possit esse conuentio Christi ad Belial; patet etiam ex verbis diaboli. Matth. 8. Quid nobis & tibi Iesu?] Non decet, imò nec licet fideli iugum ducere cum infideli, non licet coniugale vinculum contrahere, sicut non oportet membra B Christi, & membra diaboli simul iungere. Tanta repugnantia est, quanta lucis & tenebrarum, quas à principio diuisit Dominus: quis ergo societ fideles qui lux sunt in Domino, cum infidelibus, qui meræ sunt per innatam tenebræ ignorantiam? Tanta est dissonantia mentium, quanta & partium distantia. Nam fideles cœlestibus student & æternis, infideles terrenis hærent & temporalibus: tam diuersæ sunt sortes, quàm & partes aduersæ. Quis ergo tam aliena, tam & dissita fœderet; quis eodem iugo premat, & in intimam cogat concordiam? [Habes caussam, ait Tertullianus, quâ non C dubites nullum huiusmodi matrimonium prosperè decurri, dum à Malo conciliatur, à Domino verò damnatur.]

Matrimonia fidelium cum infidelibus cur illicita.

Tertullian. l. 2. ad Vxo. cap. 7.

Postremò parùm fuit Apostolo vetare iugum impar, seu dispar matrimonium: parùm probare, conuictum & indiuiduum vsum tam periculosum spiritui, quàm & carni ipsi incongruum. Tandem desinit in templo, & in ipso consistit. [Quis autem consensus templo Dei cum idolis?] Seu, vt alij legunt εἰδώλων, [Cum idolijs.] Cum templis idolorum dæmoniorumvo. Tum resumit Apostolus astruitque: [Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis. Propter quod exite de medio eorum & separamini, dicit Do- D minus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, dicit Dominus omnipotens.] Auget semper vrgetque. [Enimuerò, vti loquitur Chrysostomus, non hoc solum mirandum est, quòd Paulus talem comparationem innexerit, sed quòd maius etiam aliquid excogitarit, atque ad incutiendum terrorem accommodatius. Primum videlicet, quia per interrogationem sermonem inducit, id quod in perspicuis & certissimis rebus fieri consueuit. Deinde quia per nominum densitatem & multitudinem eum dilatat atque amplificat: ac tantum, immò tam infinitum inter vtrumque discrimen esse ostendit, vt ne probatione quidem E vllâ res indigeat. Quæ pars fideli cum infideli? Non dixit, quæ societas? sed, quæ pars? hoc est præmium ac merces? Quis consensus templo Dei cum idolijs? Vos enim estis templum Dei viuentis. Quorum verborum hic sensus est: Quemadmodum rex vester nihil cum diabolo commune habet, ita nec res ipsæ inter se commercium vllum habent. Tum autem postquam dixit, Templo Dei cum idolijs, atque eos Dei viuentis templum esse pronuntiauit; necessariò iam testimonium quoque subiungit, perspicuum nempe faciens, se assentatione minimè ductum his verbis vti. Nam qui aliquem laudat,

Chrysost. Hom. 13.

Odiosa laudatio, vbi nulla est probatio.

laudat, nisi probationem quoque afferat, adulari videtur. Ratio igitur exerta, legitima probatio: Vos estis templum Dei viui ac viuentis, infideles autem templum sunt Dei mortui ac fœtentis. Possunt-ne simul in vnum coire arca Dei & Dagon, possunt-ne simul habitare Deus verus, & vana simulacra., idola tam insensata quàm & inania? An Deus vos recipiet, suscipietque in suos, si non solùm tam enormem contraxeritis societatem, sed & talem tamque horrendam & infandam labem in templum suum induxeritis? [Hæc cum ita sint, ait Tertullianus, fideles Gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat, & arcendos à communicatione fraternitatis, ex litteris Apostoli, dicentis, cum eiusmodi nec cibum quidem sumendum. Quod enim sanctificari non potuit, immundum est: quod immundum est, cum sancto non habet partem, nisi vt de suo inquinet & occidat.]

Tertullian. lib. 2. ad vxo, cap. 2. & 3.

TROPOLOGIA.

Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Nihil habent veri Christiani, & omnia possident. Sed si omnia possident, quomodo nihil habent; cum plus sit possidere, quàm habere? Multi enim habent, quod non possident, vt fures & latrones: quod autem habetur, legitimo etiam habetur titulo. Sed Paulus dixit, tamquam nihil habentes, ἔχοντες: & omnia possidentes, κατέχοντες. Tria ergo deducenda sunt. Primum, bona omnia terrena, non tam veritatem habere, quàm speciem: secundum, reuera Christianos veros ac legitimos possidere omnia: tertium, tam per mala quàm per bona suam exercere iustitiam.

Quoad primum. Notandum est, vt & Aquinas notauit: [Quòd Apostolus vtitur in præmissis miro modo loquendi. Nam ipse quasi semper ponit vnum contrà vnum, & temporale contra spirituale; sed tamen in temporalibus semper addit quandam conditionem, puta, vt, sicut, quasi, tanquam; sed in opposito, spiritali, nihil addit. Cuius ratio est: quia temporalia siue sint mala, siue bona, siue transmutabilia, siue apparentia, habent tamen similitudinem, vel boni vel mali. Et ideò dicit, Vt seductores, & quasi ignoti quia non erant in veritate rei sic, sed in opinione hominum, & sic erant transitoria, erant bona, aut mala. Bona autem spiritualia, existentia sunt & vera, & ideò non addit eis conditionem aliquam.] Quod noster dicit, vt, sicut, quasi, tamquam; in Græco vnum & idem est aduerbium ὡς. Bona enim temporalia diminuta sunt; nec tam bona, quàm quasi bona. [Hîc enim quid? ait Augustinus. Labor, pressura, tribulatio, tentatio. Vbi gaudium? in spe futurâ.] Sic & mala, non tam mala sunt, quàm quasi mala: [Nam dicit Apostolus, Semper gaudentes. In tantis tribulationibus semper gaudentes: quia ipse dixit: Quasi tristes, semper autē gaudentes. Tristitia nostra habet quasi, gaudium nostrum non habet quasi, quia in spe certâ est. Quare tristitia nostra quasi habet? Quia sicut somnus transiet: & qui somnium indicat, addit quasi. Quasi dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi, quia cum euigilauerit, non inuenit quod videbat. Quasi thesaurum inueneram, dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset: sed quia quasi erat, mendicus est. Itaque modò qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt, & cor claudunt; transit quasi eorum, & venit verum ipsorum. Quasi ipsorum, felicitas est seculi, verum ipsorum, pœna est. Nostrum autem quasi tristitia est, gaudium non est quasi. Non enim ait Apostolus: Quasi gaudentes, semper autem tristes: aut quasi tristes, & quasi gaudentes: sed ait, Quasi tristes, semper autem gaudentes.] Ita ille in libro Iob: [Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit: & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Dicturus quippe breuitatem vitæ præsentis, (vti loquitur Gregorius) cordis oculum ad exordium reducit originis: vt ex anteactis colligat, quàm nulla sunt, quæ videntur aliqua esse dū nō sunt. Si enim ab ipso humani generis exortu vsque ad hoc tempus in quo sumus, mentis oculos ducimus; omne quod finiri potuit, quàm breue fuerit videmus. Ponamus enim quemlibet hominem à primo die mundi conditum, vsque ad hodiernum diem vitam ducere, hodiè tamen eandem vitam quam quasi longam ducere videbatur, finire: ecce finis adest, præterita iam nulla sunt, quia cuncta transierunt. Futurum in hoc mundo nihil est, quia nullum ad vitam, vel breuissimum restat momentum. Vbi est ergo longum tempus quod inter initium finemque deprehensum, ita consumitur, ac si nec breue vnquam fuisset. Impiorum porrò & hypocritarum gaudium æternitati comparatum, quid erit quando irruente mortis articulo, ita consumitur, ac si omninò non fuerit? Gaudium ergo hypocritæ ad similitudinem puncti est, quia apparet ad momentum, sed disparet in perpetuum.] Quid hypocrita? appetit dici bonus, esse non curat: sanctum se simulat, & iniquum exhibere se non metuit. Paria sunt bona, quæ speciem habent, non habent veritatem: apparentiam, non substantiam: dicuntur, & non sunt; & in eo ipso quod sunt, mentiuntur.

Aquin. lect. 2.

Augustin. con 2. in Psal. 48. circa med.

Gregorius lib. 15. Moral. c. 2.

Terrena bona hypocritis similima.

Quoad secundum. Apostolus de se, suisque determinat; sed suos reputat, legitimos verosque Christianos. Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. [Et quî fieri hoc potest? inquies. Imò quî contrarium fieri potest? Nam qui multa possidet, & retinet, nihil habet: qui autem nihil habet, omnia possidet. Neque hîc solùm hoc vsu venit, sed & in aliis rebus, è contrariis contraria existunt. Quod si miraris quonam modo fiat, vt qui rebus omnibus caret, cuncta habeat, hunc ipsum Paulum in medium adducamus, qui orbi terrarum pro potestate imperabat, cuique non in ipsorum tantùm pecunias, sed in oculos quoque ipsos arbitrium erat. Si fieri potuisset, inquit, oculos vestros eruissetis, & mihi dedissetis. Quænam ergo ea

Chrysost. Hom. 12.

omnia erant, quæ Paulus possidebat, cum diceret, Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes? Mundana & spiritalia. Qui enim hoc adeptus erat, vt eum vrbes velut angelum exciperent, pro eo effossos oculos tradere, pro eo ceruices suas exponere parati essent, an non ille omnia eorum bona possidebat?] Renera possidebat: licet quasi egenus reputaretur & mendicus, licet inter pauperes computaretur & infelices. [Sicut egeni, & ibi, ait Augustinus, sicut pro quasi posuit. Multos autem ditantes. Et cum hoc diceret; nihil habebat Apostolus: Omnia sua dimiserat, diuitias nullas possidebat. Et quid secutus ait? Quasi nihil habentes; & ipsum nihil habere, quasi Apostoli erat. Et omnia possidentes, ibi, non, quasi dixit. Quasi egebat, non autem quasi, sed verè multos ditabat. Quasi nihil habebat; non autem quasi, sed omnia possidebat.] Mirus dicendi definiendique modus & tamen verus. [His enim verbis eam ob causam vtitur Apostolus, (audis Chrysostomum) vt nos doceat, ob vulgi opiniones atque sententias minimè conturbari; etiamsi nos impostores appellent, etiamsi nos ignorent, etiamsi sontes ac morti addictos esse existiment, etiamsi in mœrore & egestate versari, etiamsi rerum omnium inopiâ premi; etiamsi, cum læti atque hilares simus, mœsto ac luctu profligato animo esse: quandoquidem nec cæcis perspicuus est Solis splendor, nec iis qui mentis errore afficiuntur, eorum, qui prudentes ac sobrij sunt, voluptas perspecta & explorata. Soli enim pij viri recti sunt rerum iudices, nec de iisdem, quibus alij, rebus vel gaudent vel anguntur.] Nihil ergo habent viri pij ac recti, & omnia nihilominus possident; id est, in omnia ius habent legitimum: nec vnum aut simplex, sed triplex; quod nec dissolui potest, nec euinci. Primum est, quia vnum cum ipso constituunt, cuius sunt omnia. [Vnde verè omnia possidebat Apostolus? Quia, vt Augustinus obseruat, omnium creatori adhærebat.] Per amorem, per adhæsionem, vnus erat cum Deo spiritus, vnus & cum eo Dominus. Domini autem est terra, & plenitudo eius. Secundum, quia omnia conculcauerat, & idcircò omnium acceperat dominium. [Omnem locum quem calcauerit pes vester, vester erit.] Qui enim contemnunt omnia, fiunt omnium domini: cum enim supra omnia subleuantur, omnibus etiam dominantur tanquam inferioribus. Tertium, sua reputarunt vt aliena, dum communia fecerunt, quidni ergo aliena computabunt vt sua, & tanquam communia possidebunt? [Sunt quidam spiritales, ait Augustinus, nidificantes in cedris libani, id est, sunt quidam serui Dei audientes in Euangelio: Dimitte omnia tua, vel, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me. Et non tantùm hoc audierunt magni, sed audierunt & paruuli, & voluerunt hoc facere & parui, & esse spiritales: non iungi vxoribus, non macerari curâ filiorum, non habere proprias sedes quibus deligarentur, sed ire in vitam quandam communem. Prorsus totum

Augustin. con. 2. in Psal. 48. in med.

Chrysost. Hom 12.

Quotuplex ius possidendi habeant veri Christiani.

Augustin. in Psal 41.

Ios. cap. 1.

Augustin. con. 3. in Psal. 103. git. med.

A mundum dimisit Petrus, dum non solùm dimisit quicquid habebat, sed etiam quicquid habere cupiebat, & totum mundum Petrus accepit: Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Faciunt hoc multi. Ista faciunt & qui parū habent, & veniunt & fiunt passeres vtiles.]

Quoad tertium. Magnus ille est qui inter prospera & aduersa, inter bona & mala cautus incedit, qui patientiam in aduersis, & in prosperis custodit temperantiam: qui dextrâ congreditur ac sinistrâ, & omnibus tanquam instrumentis vel aptis vel aptandis ad excolendam exercendamque vtitur iustitiam. [Illud quippe mirandum est, (vt & miratus est Chrysostomus) non quòd Paulus tot tantisque fluB ctibus obrutus non fuerit, nec quòd omnia forti animo pertulerit; sed quòd etiam cum voluptate omnia, quæ his verbis declarat, per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris. Videsne animi præsentiam, ac spiritus acres ac robustos? Afflictiones enim arma esse ostendit, vt quæ non modo non deiiciant, sed etiam muniant ac fortiores efficiant. Sinistra autem ea vocat, quæ molestiæ speciem habent: & sunt ea, quæ mercedem habent.] Omnibus vtitur Apostolus, & prosperis & aduersis, & gloriâ & ignominiâ, & infamiâ & bonâ famâ, & abundantiâ, & paupertate, & vitâ, & morte, hisque tanquam armis ad exstruendam munitur conscientiam. [Proinde, ait ille, nos quoque, cum propter Chri-
C stum malo aliquo afficimus, non modò fortem ac generosum, sed etiam lætum atque hilarem animum præbeamus. Si ieiunamus, perinde exultemus ac si in luxu versaremur. Si contumelias accipimus, non secus tripudiemus, ac si laudes nostræ prædicarentur. Si sumptus facimus, ita animo comparati simus, tanquam quæstū faciamus. Si pauperibus largimur, nosipsos accipere arbitremur. Nam qui non eo animo dat, nec facile quidem ac promptè dabit. Ita Paulus, cum singulis diebus vexaretur, gaudebat tamen & exultabat: contrà autem, homines huius tempestatis ne per somnum quidem
D horum aliquid perpetientes, dolent ac mœsti sunt; nullam aliam scilicet ob causam, quàm quòd minimè forti ac philosophico animo prędití sint. Alioqui enim exponas mihi velim quid sit quamobrem lugeas? An quia pauper es, ac rerum necessariarum inopiâ premeris? Ergo eo nomine potius lugendus es, non quia ploras, nec quia eges, sed quia animo paruo es atque abiecto: non quia numis cares, sed quia numos tanti æstimas. In singulos dies morte fungebatur Paulus, nec tamen plorabat, imò etiam lætabatur. Cum perpetuâ fame luctabatur, nec dolebat: imò etiam gloria-
E batur. At tu, quia totius anni prouentus reconditos non habes; idcircò angeris, & teipsum affligis.] Mirum id quòd vir ille talis ac tantus, nihil haberet, & omnes ditaret, nec spiritalibus tantùm, sed & temporalibus opibus cumularet; sua sperneret, & omnium solicitudinem gereret: omnia æquo animo ferret, nihilque ad charitatem Dei non referret aut proximi. [Audi Paulum Apostolum, ait Augustinus, imitantem Dominum suum: quomodo & ipse habuit decorem, habuit fortitudinem.

Chrysost. Hom. 12.

Chrysost. in Moral.

Iustorum arma fortia simul ac lucentia.

Augustin. Enarrat. in Psal. 92 cit. med.

Per arma iustitiæ dextrâ & sinistrâ. Vide vbi decorem, vbi fortitudinem. Per gloriam & ignobilitatem. In gloriâ decorus, in ignobilitate fortis. Apud alios gloriosus prædicabatur, apud alios ignobilis contemnebatur. Decorem afferebat eis quibus placebat, fortitudinem aduersùs eos quibus displicebat. Et sic enumerat omnia vsque in finem, vbi dicit, Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Cum omnia possidet decorus est: cum nihil habet, fortis est.] Bonus miles, & in Domino gloriosus, cuius arma non fortia solùm, sed & lucentia. [Et quid mirum, ait ille, si milites Christi & dextris & sinistris armis diabolum expugnant? Malitia iniquorum, sinistra sunt arma iustorum. Per arma iustitiæ à dextrâ & sinistrâ, id est, per gloriam & ignobilitatem. Atque ita deinceps cetera exequitur, dextra arma demonstrans gloriam Dei, famam veritatis quâ cognoscebantur quòd viuebant, quòd non mortificabantur, quòd gaudebant, quòd multos ditabant, quod omnia possidebant. In sinistrâ verò quòd ignobiles & malæ famæ habebantur, quòd seductores putabantur, quod ignorabantur, occidebantur, coërcebantur, contristabantur, egere ac nihil habere videbantur.] [Sic itur ad astra, sic per prospera & aduersa contenditur.

Augustin. Exposit. in ps 93. vers. fin.

ANAGOGIA.

Cor nostrum dilatatum est.

TRiplex cordis dilatatio est, amoris, iubilationis, ambitionis, sed cœlestis, sed spiritualis: quæ enim carnalia sunt aut terrena, angusta sunt; & si insident animo, in arcto detinent.

Quoad amorem. Cur non dilataret, cum grandis sit, maximè si cœlestis: cur non granditatem afferret cordi, cum tam sermoni quàm & operi granditatem inferat, nec tam arte quam marte procedat? [Grande dicendi genus, (verba sunt Augustini) hoc maximè distat à temperato genere quòd non tam verborum ornatibus comptum est, quàm violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia, sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non curâ decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, vt verba congruentia non oris eligantur industriâ, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnæ agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia arma sunt: idem ipse est tamen, & valet plurimum, etiam cum rimanti telo mira facit. Agit Apostolus, vt pro Euangelico ministerio patienter mala huius temporis, cum solatio donorum Dei tolerentur. Magna res est, & granditer agitur, nam desunt ornamenta dicendi. Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nullam in quoquam dantes offensionem, vt non reprehendatur ministerium nostrum: sed in omnibus commendantes nosmetipsos vt Dei ministros in multâ patientiâ. Vide adhuc ardentem, Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est: & cetera, quæ persequi longum est.] Cur os patet ad Corinthios? quia cor ipsum dilatatum est. Signum dilatationis, oris apertio. [Signum latitudinis, ait Aquinas, est os latum, quia os immediatè adhæret cordi. Vnde, quæ per os exprimimus, sunt expressa signa conceptionum cordis. Matth. 12. Ex abundantiâ cordis os loquitur. Et hoc est quod dicit Apostolus, os nostrum patet ad vos. Os enim clausum est aliquando, tunc scilicet quando ea quæ sunt in corde, non patent exteriùs: sed apertum & patens est, quando ea quæ in corde sunt, manifestantur. Sed ne hoc videatur pertinere ad vitium vanitatis, quia manifestat se, subdit rationem dicens, Ad vos, id est, propter vtilitatem vestram, manifestamus vobis secreta cordis nostri: sed causa huius dilatationis procedit ex dilatatione & latitudine cordis. Et ideò dicit, Cor nostrum dilatatum est.] Cor nostrum dilatatum est ad vos, idcirco & os nostrum ad vos apertum est. [Postquam enim tentationes suas & afflictiones exposuit: (ita Chrysostomus) id prius agit, vt suum erga eos studium ac beneuolentiam ostendat. Quænam ergo suæ erga eos charitatis argumenta affert? Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij. Et quod tandem charitatis argumentum hoc est? aut quid omninò hæc sibi verba volunt? Non sustinemus, inquit, silentio ad vos vti: sed continenter vos alloqui, atque orationem ad vos habere gestimus. Nam quod in corpore sunt manuum complexus, hoc in animo est sermonis commercium. Iam ipsa quoque nominis adiectio magnæ amicitiæ ac feruentis affectûs specimen habet. Nam & eorum, quorum amore flagramus nuda nomina nobis identidem in ore versari solent. Cor nostrum dilatatum est. Quemadmodum enim id, quod calorem affert, dilatare solet: ita etiam charitatis munus est dilatare. Calida quippe ac feruens est virtus. Hæc os Pauli aperiebat, & pectus exporrigebat. Neque enim ore tantùm ac labiis amo, inquit: verumetiam cor ipsum in amore consonat. Non enim Pauli pectore quicquam latius erat, quod pios omnes, perinde atque amasius quispiam, adeo arcto amore complectebatur, non sese scindente ipsius amicitiâ, & imbecillitatem contrahente, sed integrâ in vnoquoque manente.] Hoc est proprium amori vt & igni, dilatare sinum in immensum; sed id addictum spiritali amori seu charitati, sese non solùm in Deum, sed & in proximum expandere. [Suo bono, ait Laurentius Iustinianus, solus non gaudet, quisquis in amore veraciter conditoris accenditur. Non tantùm propinquos, domesticos, & notos, sed latissimo charitatis sinu omnes complectitur, tenet dilectione, fouet oratione, hortatur verbo. Et hanc cordis dilatationem Apostolus se habere ostendit, cum ait: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.]

Augustin. lib. 4. de doct. Christ. cap. 20.

Aquin. lect. 3.

Chrysost. Hom 13.

Calidus affectus, os aperit, dum pectus exporrigit.

Laurent. Iustin lib. de casto connub. cap. 13.

Quoad iubilationem. Dixerat quidem Apostolus: [In omnibus exhibemus nosmetipsos sicut Dei ministros, in Spiritu sancto, in charitate non fictâ.] Et inde cordis dilatationem, sicut & per dilatationem cordis, validè oris apertionem intulerat. Nam, vt dixit nonnemo: [Et pectus est quod disertos facit & vis mentis:] Sed & illud addidit: [Quasi tristes, semper autem gaudentes:] Vnde etiam, & dilatationem cordis, apertionemque oris clarè exposuit. [Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.] Vnde os apertum ad vos per adhortationem? quia cor dilatatum apud nos per iubilationem. Vnde subdit: [Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filijs dico, Dilatamini & vos.] Quasi ipsis diceret, Gaudete in Domino semper, iterũ dico, Gaudete. Atenim, vt resoluit Aquinas: [Alia nomina ad delectationem pertinentia, sunt imposita ab effectibus delectationis: nam lætitia imponitur à dilatatione cordis, ac si diceretur latitia: exultatio verò dicitur ab exterioribus signis delectationis interioris quæ apparent exteriùs, inquantum scilicet interius gaudium prosilit ad exteriora: iucunditas verò dicitur à quibusdam specialibus lætitiæ signis vel effectibus: & tamen omnia ista nomina videntur pertinere ad gaudium.] Reuera, qui lætatur corde, corde etiam dilatatur. Corde, inquam: nam, vt & ille definit: [Latitudo est quædam dimensio magnitudinis corporalis. Vnde in affectionibus animæ non nisi secundùm metaphoram dicitur. Dilatatio autem dicitur quasi motus ad latitudinem & competit delectationi secundùm duo, quæ ad delectationem requiruntur. Quorum vnum est ex parte apprehensiuæ virtutis, quæ apprehendit coniunctionem alicuius boni conuenientis: ex hac autem apprehensione apprehendit se homo perfectionem quandam adeptum, quæ est spiritualis magnitudo: & secundùm hoc animus hominis dicitur per delectationem magnificari seu dilatari. Aliud autem est ex parte appetitiuæ virtutis, quæ assentit rei delectabili, & in eâ quiescit, quodammodo se præbens ei ad eam interiùs capiendam; & sic dilatatur affectus hominis per delectationem, quasi se tradens ad continendum interiùs rem delectantem.] Nec obstat quod diximus, dilatationem, amorem sequi, & rem amatam complecti. [Nihil enim prohibet in his quæ dicuntur methaphoricè, idem diuersis attribui secundùm diuersas similitudines: & secundùm hoc dilatatio pertinet ad amorem ratione cuiusdam extensionis, inquantum affectus amantis ad alios extenditur; vt curet non solùm quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Ad delectationem verò pertinet dilatatio, inquantum aliquid in seipso ampliatur, vt quasi capacius reddatur.] Quid ergo Apostolus? Non tristamini ex nobis, sed tristamini, ideoque & angustiamini in visceribus vestris. At ego, qui superabundo gaudio in omni tribulatione; qui quasi tristis, semper autem gaudeo, cœlesti etiam iubilatione diffluo. Sed & vos qui eundem fidei spiritum hausistis, quidni

Quintilian. 7.

Aquin. 1. 2. quæst. 31. art. 3. ad 3.

Aquin. 1. 2. q. 33. art. 1. in. cor. init.

Lætitia dicta est, quasi latitia.

Resp. ad 1.

A eundem animum accipitis? Dilatamini & vos; Sicut enim constringit mœstitia, sic & lætitia exporrigit. Ita Psaltes non solùm de se, sed & de alijs: [In tribulatione dilatasti mihi.] Id est vt exponit Augustinus: [Ab angustijs tristitiæ, in latitudinem gaudiorum me duxisti.] Sic & versio altera quæ ex Septuaginta. [In tribulatione dilatasti me.] Coarctant tribulationes, persecutiones, angustanque: nam & dictæ sunt angustiæ: sed Deus in afflictone iustorum dilatat cor eorum; dum secundùm multitudinem dolorum, consolationibus suis, gaudijsque indesinentibus, animam eorum lætificat.

B Quoad ambitionem. Inuenimus Paulum gloriosum, inuenimus & ambitiosum: sed tam vtilis laudatio est, quàm salutaris ambitio: non enim terrenorum est, sed cœlestium: nec visibilium proindeque temporaliũ, sed inuisibilium ac proinde æternorum. Inde ergo cor dilatatum, inde & os apertum, quia spirat grandia, nec minora pronuntiat, [Exaltatio oculorum, dilatatio est cordis.] Quorum oculorum? non vtique carnalium, qui puncto sunt conclusi; sed spiritalium, qui nec ipso cœlo limitati sunt, sed Deo solo contenti. [Cor enim aliquando est strictum, (vt obseruat Aquinas) tunc scilicet quando comprimitur &

C concluditur in modico; sicut cum quis non curat nisi de terrenis, & contemnit cœlestia, non valens ea intellectu capere. Aliquando autem est latum, tunc scilicet quando quis magna appetit & desiderat. Et talis erat Apostolus, qui non reputans ea quæ videntur, desiderabat cœlestia. Et ideò dicit, Cor nostrum dilatatum est: id est ampliatum ad magna appetenda. Consequenter dicit, Non angustiamini. Quasi dicat, Ex quo ostendimus vobis latitudinem cordis nostri, non habetis à nobis exemplum, nec causam vnde angustiamini. Sed si hoc facitis, tunc quidem angustiamini, sed non in nobis, immò ex visceribus

D vestris: id est ex vobis?] Seu ex vestris: ijs nimirum, qui vos conturbant, & coarctant in seruitutem, dum ad legem reuocant. [Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filijs dico, Dilatamini & vos. Quasi dicat (ait ille) Si aliquando decepti à pseudo angustiati estis, non omninò remaneatis in angustiatione, imò studeatis habere latum cor sicut nos habemus, quia eandem habebitis remunerationem quam nos habemus. Dico vobis tanquam filijs Dei, quasi dicat, Eandem remunerationem habentes, quam filij Dei, scilicet hæredes vitæ æternæ. Eandem, dẽ, inquã, habentes remuneratione̅ dilatamini

E & vos: id est, habeatis cor magnũ & liberum libertate spiritûs, quæ est in fide Christi, & non coangustiamini in seruitute obseruantiæ legalis.] Quid promittit lex? terrena, temporalia: parua sunt hæc, ne dicam & nulla. Quid fides? æterna, cœlestia, imò & Deum ipsum promittit. Idcircò apud Psaltem, vt aduertit Augustinus: [Mutatio personæ quod à tertiâ, vbi ait, Exaudiuit, statim transit ad secundam, vbi ait, Dilatasti mihi: si non varietatis ac suauitatis causâ facta est, mirum cur primùm tanquam indicare voluit hominibus exauditum se esse, & postea compella-

Augustin. Enarrat. in Psal. 4.

Prouerb. 21.

Aquin. lect. 3.

Aquin. ibidem.


Augustin. Enarrat in Psal. 4. post init.

re exauditorem suum. Nisi fortè cum indicasset quemadmodum exauditus sit in ipsâ dilatatione cordis, maluit eum Deo loqui: vt etiam hoc modo ostenderet quid sit corde dilatari, id est, iam in corde habere infusum Deum, cum quo intrinsecùs colloquatur.] Et hoc ipsum voluit Apostolus, cum dixit: [Vos enim estis templum Dei viui: sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.] Qualis latitudo? Imò talis dilatatio esse debet, qualis & habitatio: ampla, immensa, sine fine, sine limite. [Opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.] Quid porrò non solùm vt inhabitet, sed & inambulet? Si tantum vt immoretur, quantum vt spatietur? Dilatamini & vos, ampliamini & vos: concupiscite, ambite, continuis cor vestrum exporrigite desideriis; ambite dico, non friuola ista & vana, quæ satius est contemnere quàm ambire: sed cœlum, imò Deum ipsum ambite. Idcircò quærite semper & concupiscite: quia quo plus desideratur Deus, plus animus dilatatur; quo amplius dilatatur animus expanditurque, eo faciliùs inuenitur Deus & ille liberiùs immoratur. Ita amans illa: [Quæsiuit priùs, (vti dixit Gregorius) & minimè inuenit: perseuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret: actumque est, vt desideria dilatata crescerent, & crescentia caperent quod inuenissent.]

Augustinus est animus, si alio quâ Deo contentus.

1. Paralip cap. 29.

Gregorius Homil. 25. in Euang.



CAPVT SEPTIMVM.

Epigraphe.

LÆtatur Apostolus de salutari Corinthiorum tristitiâ: gloriatur de fideli ipsorum obedientiâ: suumque ex vtroque solatur animum.

TEXTVS.

HAs ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non ad condemnationem vestram dico. Prædiximus enim quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad conuiuendum. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ. Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, quâ consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem. Quoniam etsi contristaui vos in epistolâ, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit; nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam,

nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coràm Deo: ideò consolati sumus. In consolatione autem nostrâ, abundantiùs magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, & viscera eius abundantiùs in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrûm obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

EXEGESIS LITTERALIS.

Dilectio Pauli sine simulatione est, & in charitate non fictâ, ἀνυποκρίτῳ, non simulatâ. Animum ergo suum sincerè Corinthijs aperit, nec modicum ex ipsis piè capit solatium.

[Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei, &c.] Præmiserat promissiones, imò inde præcedens caput absoluerat. Quales in Leuitico. Quales & apud Ezechielem capite trigesimo septimo. [Erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.] Quibus Deus gratiam suam promittit, seu gratuitam erga populum suum exponit beneuolentiam. Resumit ergo Apostolus, aitque, talibus, ac tantis præuenti, dilecti, tamque præclaris donati, imò cumulati promissionibus, mundemus nos ab omni sorde carnis, ab omni labe mentis, nosipsos præstemus puros & immaculatos, vt decet verum Dei viui templum, sicut decet susceptos Dei filios; sanctitatem in baptismo acceptam prouehentes, & per castum Dei timorem in nobisipsis perficientes. [Quas illas narras promissiones? Eas scilicet, quibus nos sumus certiores effecti, templum nos Dei futuros, eundemque habituros; & inhabitantem nobis & inambulantem, hunc ipsumque nobis in Deum futurum & patrem. Quocirca purgemus nosipsos actionibus malis. Hæ namque inquinamenta sunt, carnis, & sordidarum & infectarũ cogitationum illuuies: hæ inquam spiritûs sunt, id est, animi labes. Nec planè sat est à sordibus abstinere & vitijs, quin & boni aliquid peragatur necesse est.] Ita Commentarius seu Athanasij, seu potius Vulgarij. (Comment. Athanas.)

[Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus, &c.] Intelligite ac percipite quod dicimus quod & facimus. Neminē facto læsimus, neminē verbo corrupimus neminem subdolâ decepimus industriâ. [Considerare vult illos quæ dicit, ait Ambros. vt receptis his in animum, conferant secum vera esse quæ loquitur, & spernentes hos quos tangit, omnem animum transferant ad eos quos vident vero affectu se diligere Pseudo enim Apostoli erant, qui & nocebant illis, corrumpentes sensus illorum, & grauabant sacculos eorum circumuentione serpentinæ astutiæ.] Extortâ nimirum pecuniâ. [Non (Ambros. in Paul.)

A ad condemnationem vestram dico. Prædiximus enim quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad conuiuendum, &c.] Non hæc dico, quasi vos accusem aut condemnem, quòd nos arbitremini tales, aut similia de nobis suspicemini. Iam enim antea diximus, quòd epistola nostra sitis, scripta in cordibus nostris: ideoque suffragari potius velimus vobis, cum nolimus aut in vitâ aut in morte à vobis separari. (Seiungi ab iis nolumus qui nobis sunt cordi.)

[Multa mihi fiducia apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ, &c.] Ita de vobis confido ac benè sentio, ita de vobis glorior testorque vbique vos & Deo fideles obedientesque, & Apostolo vestro morigeros; vt audeam, imò & debeam

B liberè vos alloqui, paterneque adhortari. Inde magnum mihi solatium in omnibus malis quæ me premunt, inde gaudium maximum in omnibus pressuris quæ mihi accidunt. [Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores, &c.] Vnde pressura tanta, tanta & angustia? Secedentes ex Asiâ, in quâ tanta passi sumus, venimus in Macedoniam: sed nullam ibi requiem inuenimus aut relaxationem, sed potiùs omnigenā afflictionem sumus experti: nam & apertos passi sumus hostes, quibus re-

C pugnandum; & secretos pauores, quibus præcauendum. [Omnem tribulationem passi sumus: id est, vt exponit Aquinas, omne genus tribulationis secundùm corpus, & secundùm animam. Et quòd omnem tribulationem passus fuerit, exponit consequenter, cum dicit, Foris, id est, extra meipsum, pugnæ persecutionum: sed tamen intus, id est in corde, est timor de malo, timens persecutionem de futuro. Deuter. 32. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor.] Grande illud malum, sed gaudium quod ego de vobis percipio correctis, (Aquin. lect. 2.)

D tantum superat, vt dolorem omnem consopiat. [Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, quâ consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem, &c.] Cum venisset Paulus Troadem, requiem non habuerat spiritui suo, eo quòd Titum non inuenisset, ad Corinthios ipsos missum; ideoque valefaciens profectus fuerat in Macedoniam. Nunc autem illum recipit Corintho re- (Deus afflictorū consolator, maximè humilium.)

reuersum, tamque fidelem quàm felicem nuntium. Deus ergo consolator afflictorum, maximè humilium, consolatus est nos per aduentum Titi tamdiu exspectati: non solùm autem per aduentum eius, correctionis nuntium salutisque; sed etiam per consolationem quam ipse de vobis accepit, per communicationem tanti desiderij quod in vobis reperit. Ipse quippe renuntiauit nobis quanto ardore cuperetis aduentum ad vos meum, quanto dolore sentiretis meam de errore vestro mœstitiam: ipse zelum narrauit, quo præceptis meis obsecuti estis, quo tanquam præsente me ac disponente, latam executi estis fornicario exterminando sententiam. His porrò auditis, magis gauisus sum de correctione vestrâ quam mihi retulit Titus, imò multò magis quàm de vestrâ mœstitudine; quam mea vobis intulit epistola. [Vos, inquit, (apud Chrysostomum) acceptis meis epistolis inflammati atque accensi estis. Ob eam causam gaudio abundat, ob eam causam consolatione repletus est, quod ipsos perstrinxisset.]

Chrysost. Hom. 14.

[Quoniam etsi contristaui vos in epistolâ, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit; nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam, &c.] Quid dixi, de mœstitudine vestrâ? Certè etsi contristaui vos in illâ epistolâ, nunc accepto fructu, & vestro luctu non doleo, imò & gaudeo: etiamsi incertus adhuc ante Titi aduentum de optato successu, pœnitebat me vos contristasse: patebat enim quod epistola illa magnam vobis intulerat tristitiam, licet ad tempus duntaxat duraturam. Nunc autem lætor ac congratulor, non quia mœsti fuistis, licet tantùm ad horam; sed quia per mœstitiam illam, ad optatam perducti estis pœnitentiam. [Contristati enim estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur, &c.] Dicam cur gaudeam, Quia tantum abest vt damnum aliquod reportaueritis ex conceptâ per epistolam nostram tristitiâ, quin & lucrum inde maximum consecuti estis: ex amore quippe Dei contristati estis, non ex amore seculi. Illa enim quæ secundùm Deum est tristitia pœnitentiam parit correctionem-ve tam stabilem quàm & salutarem: pœnitentia verò quæ secundùm mundum, mortem gignit æternam, tam horrendam quàm & irreparabilem. [Increpiti, inquit, à nobis, tristitiâ quadam, quæ Deo est placita, vos ipse affeci. Quo fit, vt nullam sitis à me aliquâ in re iacturam perpessi.] Ita Athanas. [Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem. &c.] Quomodo pœnitentia illa, quæ secundùm Deum, non est salutifera? Videte vos & agnoscite. Ecce enim hoc ipsum quod ita contristati fuistis, quantam in vobis peperit diligentiam? [Sed defensionem, &c.] Non solùm solicitudinem, sed & satisfactionem, dum verbis vos defendistis, & ostendistis nec fornicarij fautores esse, sed æquos, imò & seueros peccati censores. [Sed indignationem, &c.] Aduersùs commissum facinus. [Sed timorem, &c.] Ne cui deterius contingat. [Sed desiderium, &c.] Paulum videndi, tanquam patrem pium ac medicum salutarē. [Sed æmulationem, &c.] ζῆλον, studium impigrum ac zelum accensum. [Sed vindictam, &c.] Dum scelus vindicastis pœnaque purgastis impositâ. [In omnibus exibuistis vos, incontaminatos esse negotio, &c.] Tot tantisque conscientiæ bonæ argumentis, probastis demonstrastisque, vos ad infando isto flagitio puros esse & innoxios. [Quando omnia, ait Commentarius Ambros. quæ ad profectum melioris spei pertinent, meditari videntur, zelum habentes Apostoli & præceptoris suis in omnibus officijs humanæ conuersationis, duce fide probos se videri contendunt.]

Athanas. in Paulum.

Qdomodò pœnitentia secundùm Deum salutifera.

Comment Ambros.

[Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coram Deo: ideò consolati sumus, &c.] Quod igitur duriùs scripsi & amariùs: non id feci tantum propter incestuosum, vt corriperetur; aut etiam propter eum qui passus est damnum incestûs, vt in integrum restitueretur: sed cummaximè vt studium declararemus nostrū, diligentiamque, quam habemus de salute vestrâ, vt per amputationem vnius flagitiosi totam seruaremus ecclesiam, sicque tam intrepidè quàm & sincerè Apostolicum impleremus officium. Idcircò, fructu cognito, & accepto successu, consolationem accepimus satisfactionemque. [Quoniam, vt exponit Chrysostomus, & nostrum ergà vos studium ac beneuolentiam ostendimus, & officio plenè ac cumulatè perfuncti sumus. Non enim hoc amputat, quòd fornicatoris illius saluti consultum velit: verum simul quoque suam ergà eos charitatem ostendit.] Vnum facit tanquam præcipuum, alterum tamen non obmittit. [In consolatione autem nostrâ, abundantiùs magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis, &c.] In consolatione autem quam de vobis accepi correctis, Titi gaudium accessit, meumque mirum in modum adauxit: ille enim de vestrâ correctione anxius, vosque meliores tandē nactus ac religiosiores, in immensum lætatus est, sicque spiritus eius à vestrâ recreatus est ecclesiâ. [Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & glorihtio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, &c.] Et si quid Tito retuli, quasi gloriabundus de obedientiâ vestrâ, non sum pudefactus: sed sicut omnia quæ vobis annuntiaui verissima sunt, sic & ea quæ de vobis renuntiaui, de fide ac salute vestrâ exultabundus, talia reperta sunt qualia retuli, tam certa quàm & vera. [Et viscera eius abundantiùs in vobis sunt: reminiscentis vestrûm obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum, &c.] Spiritus Titi per vos refocillatus, idcircò & intimus eius affectus apud vos relictus est; dum secū recolit quantâ cum obedientiâ præscripta nostra susceperitis; dum reuoluit, quantâ cum curâ ac reuerentiâ, tanquam angelum

Chrysost. Hom. 15.

Bonum cōmune in omnibus præcipuè spectandum est.

è cœlo missum exceperitis. [Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.] Nunc gaudeo quòd tales sitis, ita fideles, ita obedientes, vt confidenter vobiscum agere possim, & omnia quæ necessaria sunt ac salutifera, libenter ausim vobis præscribere. [In vobis confidimus, (ita apud Athanas.) videlicet quia dicta mea erga vos omnia & facta animo æquiore & libenti ad vestram ædificationem accepistis: vel si vrgentia nimis sint visa, vel factu grauia sint iniuncta.] Quid enim posthac sperare non debeam, vel mandare non audeam?

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

SVnt ergo inquinamenta carnis & spiritûs: sed quænam illa sunt? Neminem læsit Paulus, neminem corrupit, neminem circumuenit. Quæ illæ corruptelæ?

DISQVISITIO PRIMA.

De inquinamentis.

CArnale ac spirituale non sic semper opponuntur, vt in vnum coire nunquam possint: non ita iunguntur, vt in diuersum non possint abire. Dixerat Apostolus cap. 2. [Non habui requiem spiritui meo.] Græcè ἄνεσιν, remissionem, relaxationem. Nunc & iterum inculcat: [Nullam requiem habuit caro nostra.] Ex Græco, nullam relaxationem, seu nullam remissionem. Quod igitur dederat spiritui, nunc carni assignat: nec tamen alteri, sed ipsimet homini, qui carnalis, nedum sensibilis; qui fragilis, nedum imbecillis: ideoque dicitur caro, quia carne fragili, licet animatâ, id est, adiunctâ parte spiritali componitur. Quid igitur, [Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs?] Seu, vt ex Græco, [Mundemus nos ipsos.] Quin & textus Ambrosianus ad Græcum consonat, sed & spiritum amputat [Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nosipsos ab omni inquinamento carnis, vt perficiamus sanctitatem spiritûs in timore Dei.] Vbi tria notanda sunt. Primum est, [Inquinamentum carnis, vt & ille exponit, multifariè intelligendum esse. Ideo etenim non dixit Apostolus, ab inquinamēto carnis, sed, ab omni inquinamēto, vt tota vitia carnalia fugiamus: omne enim quod lex prohibet, carnale est.] Secundum, Apostolum, non dicere, mūdetis vos; sed, mūdemus nosipsos. Sicut enim ipse diuinis promissionibus donatus est, sic & ab humanis sordibus emundandus. Nam, vti dixit Sapiens: [Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à pecccato?] Tertium, licet omnia vitia carnalia sint, seu in tantum carnis sint, in quantum hominis, tamen sic distincta esse, vt sciat quis vnde peccet, an ex inferiore parte an ex superiore, & ita congruam quærat & attemperet medicinam. [Has ergo habentes promissiones: nempe, (vt exponit Chrysostomus) quòd filij Dei simus: quòd hospitem ipsum & in nobis deambulantem habeamus; quòd Deum ipsum ac patrem possideamus: Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs: hoc est, ita nos comparemus, vt nec impura contrectemus (hoc enim carnis inquinamentum est) nec ea quæ labem animis ac maculam inurunt, hæc quippe est spiritûs impuritas.] Lex quidem spiritalis est, idcircò dum vetat omne vitium tanquam sibi contrarium; vtique demonstrat esse carnale, homini scilicet seu carni inditum. Inde & Apostolus ipse adhuc carnalis, venundatus sub lege peccati; imò quà carnalis, legi Dei nondum in totum subiectus. Sed interest scire quâ parte quis deuiet, inferiore, aut superiore: an ex fragilitate carnis, vel subreptione peccet mentis. Hæc enim vitia carnalis seu veteris sunt hominis, à templo Dei viui depellenda, & indigna Christi consortio.

Ambros. in Paulum.

Prou. c. 20.

Chrysost. Hom. 13.

A

Congrua cuique morbo adhibenda est medicina.

B

Alter sensus, obuius est: vt peccata carnis dicantur quæ per carnem perpetrantur, illa verò spiritûs peccata, quæ per spiritalem seu mentalem consummantur oblectationem: tam ista enim quàm & illa, inquinamenta sunt; dum animam humanam quoquo tandem modo polluunt. [Mundemus: & hoc ideò dicit (secundùm Aquinatem) quia promissiones istæ non dantur nisi mundis. Et ideò, Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs: id est, carnalium & spiritualium vitiorum. Vbi sciendum est quòd omne peccatum quod consummatur in delectatione carnis, est carnale; illud verò quod consummatur in delectatione spiritûs, est spirituale. Et inde est quòd peccata carnalia, si considerentur quantum ad sui consummationem, sunt duo tantùm; scilicet gula & luxuria: cetera verò peccata sunt spiritualia.] In quibus tria subnotanda sunt. Primum est, consummationem non tam esse perfectionem actionis, quàm actionem imperfectionis, seu vitium se per carnem exerat, seu in spiritu resideat. Secundum, stimulo carnis (si fortè) agitatum, seu ab angelo satanæ colaphizatum, tam potuisse maculam aliquam carnis licet modicam ac leuem, quàm spiritûs labem contrahere, ideoque & nonnullâ indiguisse emundatione, aut certè indigere potuisse. Tertium, vtrumque inquinamentum diuinis promissionibus contrarium: [Vos enim estis templum Dei viui.] Nam vti ille dixit: [Vsus templi est; vt Deus habitet in eo: nam templum est locus Dei ad inhabitandum sibi consecratus.] Ideò templum Dei sanctum est, quod sumus nos; nec sanctitati duntaxat aut puritati, sed ipsi Spiritui sancto dedicatum, omni maculæ infenso, omni sorde offenso. [Ipsam meretricem quæ tibi consentit ad malum, (verba sunt Augustini) non audes fortasè introducere in cubiculum tuum, vbi habes lectum tuum coniugalem: sed quæris aliquem abiectum in domo tuâ & turpem locum, in quo turpiter voluteris. Defers ergo honorem cubiculo vxoris tuæ, & non defers templo Dei viui? Non introducis impudicam, vbi dormis cum coniuge tuâ, & tuipse is ad impudicam, cum sis templum Dei? Puto quia melius est templum Dei, quàm cubiculum vxoris tuæ.]

C

Aquin. lect. 1.

Peccata carnalia quæ per carnalem voluptatem consummata.

D

Aquin. lect. 1. c. 6.

E

Augustin. ser. 18. de ve b. Apost. c. 2.

Sensus

Sensus porrò germanus ille est qui ab Apostolo ipso designatus est. [Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.] Quid, caro nostra? Nosipsi. Nullam requiem habuimus, nullam relaxationem. [Sed omnem tribulationem passi sumus.] Seu, vt Ambrosius vertit è Græco: [Sed in omnibus afflicti fuimus.] Caro nostra, homo noster omnem tribulationem passus est, afflictionem omnem expertus. [Quomodo omnem? ait Chrysostomus. Foris pugnæ ab infidelibus: intus timores, ob eos, quorum fides imbecilla erat, ne videlicet in errorem pertraherentur.] Duplex est homo noster, vnus interior, alius exterior: ille in animo, iste in propatulo. [Pugnæ ergo erant corpori, ait Ambros. dum cædebantur: animo, timores: illic enim timor est, vbi intellectus est.] Sic ergo resumendum: homo noster nullam habuit remissionem, sed omnem pertulit afflictionem tentationemque: & exterior quidem, verbera patiendo aut vincula; exterior autem; alia præcauendo aut præsagiendo pericula: & illud quidem carnis est seu corporis, istud verò mentis seu rationis, ex quibus constituitur rationale animal, & integer homo tanquam partibus naturalibus componitur seu essentialibus. [Perstringere igitur non pigebit; (ex Tertulliano) delictorum quædam esse carnalia, id est, corporalia; quædam verò spiritalia. Nam cum ex hac duplicis substantiæ congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quàm vnde constat. Sed non eo inter se differunt, quòd corpus & spiritus duo sunt: alioqui eo magis paria sunt, quia duo vnum efficiunt. Exinde igitur spiritalia & corporalia nominantur, quòd delictum omne, aut agitur, aut cogitatur: vt corporale sit quod in facto est; quia factum, vt corpus & videri & contingi habet: spiritale verò, quod in animo est; quia spiritus neque videtur, neque tenetur. Per quod ostenditur, non facti solùm, verum & voluntatis delicta vitanda, & pœnitentiâ purganda esse. Omnibus enim delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit.] Quid ergo carnale? quod corporale est, quod visibile, quod palpabile. Quid spiritale? quod mentale est, quod intellectuale, quod inuisibile. Quid porrò tandem, Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs? ab omnibus peccatis, seu facto, seu voto commissis. [Communis, ait ille, reatus amborum est, communis & iudex, Deus scilicet: communis igitur & pœnitentiæ medela.] Totus homo, Dei templum est, idcircò & totus repurgandus est, tamque secundùm spiritum, quàm secundùm carnem emundandus.

Chrysost. Hom. 14. — Ambros. in Paul. — Tertullian. l. de pœnit. c. 3. & 4. — Peccatum aut facto aut voto commissũ. — Tertullian. c. 3.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Corruptelis.

TRia à se suisque vitia propellit Apostolus, vel sua potius congerit beneficia. Sed dum suos laudat; [Pseudapostolos notat:] Vti

Chrysost. Hom. 14.

A obseruat Chrysostomus, tanquam alienos & & extraneos. [Capite nos. Neminem læsimus.] Seu, vt habet textus Ambrosian. [Capaces estote nostri. Nemini nocuimus.] Per mala scilicet exempla. [Neminem corrupimus.] Per praua nimirum dogmata. [Neminem circumuenimus.] Per extorta videlicet dona ac munera. Tria igitur sunt vitia, spuriis verbi diuini ministris imputata, sicut & tria sunt beneficia ab Apostolicis viris in Euangelico ministerio exhibita. Primum est, innocentia vitæ: alterum, constantia doctrinæ: tertium, neglectus, imò contemptus pecuniæ.

B De primo. Dicendum de iis qui verbo docent, sed facto nocent; qui instruunt ore seruiuntque, sed opere lædunt ac destruunt. [Messis quidem multa, operarij autem pauci.] Non quærit Christus verbosos, sed operarios: verùm ii pauci sunt, imò ferè nulli. Idcircò addit: [Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.] Quænam illa messis? [Messis multa, ait Hieronymus, populorũ signat multitudinem; operarij autem pauci penuriam magistrorum.] In quibus tria notanda sunt: quorum primum est, dominum messis nõ alium esse quàm Christum Dominũ. [Si enim, ait Chrysostomus, metere misit, quæ Apostoli non laborauerunt, manifestum est, quoniam

C non alia metere misit, sed ea quæ ipse per Prophetas seminauit.] Alterum est, rogandum esse Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. [Ostendit enim, vt & ille ait, quàm magnum donum sit hoc, scilicet vt aliquis habeat virtutem decenter prædicandi, per hoc quod dicit hoc esse orandum.] Vult ipse orari, obsecrari, tanquam de dono singulari, tanquam de ingenti beneficio. Tertium, numerum non ampliasse prædicatorum, sed meritum cumulasse. [Nullum eis adiecit, (verbo Chrysostomi) quia scilicet eos iam duodecim existentes multiplicauit, non numerum adjiciens, sed

D virtutem largiens.] Destinati illi totius orbis magistri, & in omnem terram delegati. [Messis quidem multa, operarij autem pauci.] Sat multi quoad numerum, sed pauci quoad meritum: magistri multi, sed pauci operarij: idcircò rogandus est Dominus, non vt addat ad multitudinem, sed vt virtutẽ adjiciat, & magistros faciat operarios: vt & ipsi incipiant facere & docere, nec solùm dicant facienda, sed & dicenda faciant. [In vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientiâ, in Spiritu sancto, in charitate non fictâ in verbo veritatis, in virtute Dei.] Quomodo enim verbum Dei fit efficax ac fructuosum, nisi per virtutem Dei? Idcircò plus mouent, nedum

E docent quinque verba virtute accincta, quam decem millia suffulta sermone, sed virtute destituta. Imò dicta factis deficientibus viduata, non solùm erubescunt, sed & offendunt, dum scandalum objiciunt, dum Euangelium suffundunt, dum doctrinam reddunt dubiam; nocent porrò, dum paruulos incautosque in ruinam promouent, dum histrionis potius ludicrum, quàm doctoris implent officium. [Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.] Quid est scandalizare?

Matth. c. 9. — Hieronym. in Matth. — Chrysost. Hom 33. in Matth. — Magistri Euangelici debent esse operarii. — 2. Cor. c. 6.

offendiculum obijcere, lapsum facere, & ab Euãgelio recipiẽdo pusillos seu incautos auertere. [Quamuis enim, vti dixit Hieronymus, possit esse sententia generalis aduersus omnes qui aliquem scandalizant, tamen iuxtà consequentiam sermonis, etiam contra Apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando quis maior esset in regno cœlorum videbãtur inter se de dignitate contendere: & si in hoc vitio permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare.] Sunt igitur hi, qui verbo docent, exemplo nocent: qui lædunt, dum ambitione aut vanitate suâ auditum ab Euangelicâ auertunt veritate; qui offendunt, dum scandalum seu offendiculum subijciunt; dum afficiunt aures, & mentes inficiunt.

Hieronym. in cap. 18. Matth.

De secundo. Parùm sit Euangelicis ministris facto lædere, quid autem verbo corrumpere? Missi sunt in orbem terræ, imò dicti sunt sal terræ, vt miseros mortales vindicent à corruptione, quid ergo si tanquam mali medici, nec se ægros curent, & alios etiam sanos putredine onerent? Onerant sanè dum putidam ac rancidam prædicant doctrinam quæ sit oneri potius quàm vsui: non autem veram & Euangelicam, quæ non solùm vsui sit, sed fructui. Sunt autem tria, quæ istam designant, probantque germanam. Prima nota, Antiquitas, imò æternitas. [Sapientia enim ista, vti dixit Clemens Alexand. nupera non est: doctrina est Saluatoris: ille autem virtus Dei, & Dei sapientia, ab æterno genita.] Vnde ille dicit doctrinam suam non esse suam, & ad patrem illam transmittit tanquam ad veram sed æternam originem. Ipse Paulus nihil tradit, nisi quod accepit à Domino, sicut & Dominus à suo hausit principio, qui enim de suo loquitur, mendacium loquitur, dum non per intercurrentes patres, seu docente Christo ac ducente, loquitur, nec ad ipsum regreditur veritatis omnis principium. Vnde nunc tot sectæ, senescentis religionis nuntiæ; vnde tot opiniones, veritatis latentis indices? Vnde non solùm Christiani Christianis aduersi, sed, Fratribus & fratres, & claustra minantia claustris? Eunt in adinuentionibus suis, semitis antiquorum non insistũt, depositum non seruant, memorijs sanctorum non communicant. Non est sanctus, quia diminutæ sunt veritates à filijs hominum: diminutæ veritates, quia diuisæ aut infractæ, dum doctores facti nouatores, dum socij in hostes cõuersi. [Non iam vltra (vt dicam ex Gregorio) cum dogmatibus hæreticorum pugnare queo: cum hostibus, & cum socijs: illi pectus feriunt, minusque voti cõpotes fiunt.] Noua potius condunt, quàm antiqua defendunt; sed licet contemnant veterata, innouata tamen non confirmant. Nunc de nouitatibus quæstio est, de veritatibus dissensio: pugna de sententiarum diuersitate, querela de dignitate auctorum: cum vna debeat apud nos esse sententia, non auctorum patrocinio, sed Apostolorum, imò Christi, imò Dei subnixa suffragio. Secunda nota, sublimitas, imò incomprehensibilitas. Valeant illi ac sileant, qui mysteria corrumpunt & euertunt, dum volunt non esse mysteria; sed sensibus attemperant humanis, iniquis declarant similitudinibus, nec iam ad arcanam reuelationem, sed ad vanam prouocant rationem. [Vbi sunt veteres Ecclesiæ tractatores? ait Hieronymus. Vbi vas electionis, tuba Euangelij, rugitus Leonis nostri, tonitruum gentium, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium tetrò generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur? Vbi Esaias Virginis demonstrator, qui in vnâ quæstione succumbens, ait, Generationem eius quis enarrabit? Repertus seculis nostris haud grandis homunculus, qui de cunctis Ecclesiæ quæstionibus, vno linguæ rotatu, sole clariùs coruscaret.] Suspecta tibi sit ista doctrina, quæ diuina reddit humana quæ sublimia non solùm humilia facit, sed & despicabilia: quæ non tam docet, quàm demulcet; nec tam magisterium exercet, quàm lenocinium. Non solùm vitandæ sunt profanæ nouitates, quæ dum discedunt ab antiquitate, à veritate exeunt; sed & damnandæ sunt vanitates humanæ, quæ dum sensum consulunt, subuertunt Euangelium. Tertia nota, integritas, dum sufficit sibi, & nulli deficit. [Per se enim, vti dixit Clemens, perfecta est, & nullius indiget doctrina Saluatoris.] Illa est quæ prodiga potius quàm indiga: in omnes enim scientiarum ac disciplinarum tramites excurrit, & si quas admittit aut permittit, non eas suscipit vt discat, sed vt corrigat. [Secularem quidem, ait ille, amplector doctrinam, & vt iuniorem, & vt conseruam: scientiam autem tuam, vt perfectam dominam honoro & colo. Ecce ancilla in manibus tuis, vtere eâ, vt lubet, & afflixit eam Sara, quod perinde est ac correxit, & admonuit.] Luxuriantes nimirum palmites succidit, insolescentes comprimit opiniones. Quid ergo illi, qui placitis Philosophorum, ne dicam & Poëtarum fabulis doctrinam suam consarcinant? existimant forsan Euangelium non esse integrum? sed dum mentiuntur ad omnia & omnibus non abundè sufficere, conuincuntur ab Euangelicâ doctrinâ deficere.

Clemens Alexand. l. 1. Stromat.

Gregorius Nazian. orat. ad 150. episcop.

Hier. ep. 61.

Plus decet mirari in diuinis, quã ratiocinari.

Clemens Alexan. l. 1. Stromat.

Clem. Alex.

De tertio. Dum auaritiam accusat Apostolus, ablegat pecuniam. [Neminem circumuenimus.] Hoc est, vt exponit Chrysostomus, [Non rapuimus, non insidias struximus.] Verbum enim Græcum πλεονεκτεῖν, significat aliquid occupare quod tuum non sit, plus iusto possidere, pecuniam indebitam vi vel dolo, seu insufficienti emungere titulo. Certè, primi seductores sunt, dum hypocritæ, qui doctè loqui volunt, non viuere; linguam excolunt, vitam negligunt; nec tam honori sunt quàm oneri. Alij sacrorum corruptores dogmatum, dum humanorum inuentores, nec tam doctores quàm rabulæ; qui non tam seruiunt veritati, quam difficultati succumbunt. Vltimi, malorum omnium auctores, fautoresque, dum Dei verbum elocant potius quam dispensant, dum Euangelium disturbant, & commodis potius suis, quam Christianis aptant institutis. [Neminem læsimus, neminem corrupimus.] Lædere qui-

Chrysost. Hom. 14.

dem aut corrumpere malum est; at circumuenire, pessimum. [Neminem circumuenimus.] Quid rapuimus, quid extorsimus? [Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.] Ita Samuel ad populum: [Conuersatus corām vobis ab adolescentiâ meâ vsque in hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me coràm Domino, & coràm Christo eius: si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis.] Sed Paulus non solùm de se spondet, sed & de suis respondet, tanquam filiis legitimis, fidelibus ministris, paterni moris hæredibus, Apostolici vigoris imitatoribus. [Nunquid per aliquem eorum quos misi ad vos, circumueni vos?] Græcè, ἐπλεονέκτησα, sordidè accepi, aut auarè extorsi? Nihil adeò suffundit antistites Euangelij Christiani, aut verbi diuini præcones; nihil ita dignitatem prostituit, nihil ita aut imperio auctoritatem aut ministerio detrahit maiestatem, ac quæstus rerum sordidus, quibus pretium sine pretio; sicut nihil ita & virtutem dat verbo, & sanctitatem officio conciliat, ac pecuniarum non neglectus solùm, sed & contemptus, quibus lucrum est sine termino. Quidni dent gratis, quod gratis acceperunt; cum nec vendere liceret, si forsan emissent? Cur ad Dei gloriam non dispensent, quod per Dei gratiam susceperunt; cum nec aliter facere deceret, etsi aliter suscepissent? An ideò licita rapina, quia impunita? Inuerecunda certè mercatura est, & tacita violentia. Dominum expectamus venturum, dicturumque procuratori suo: [Voca operarios, & redde illis mercedem suam.] Sed quid à Christo ipso seu patris æterni procuratore, seu humani generis iudice speramus, si spem omnem absumpsimus, omnem exhausimus mercedem? [Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Semper enim, vti Chrysostomus dixit, libentiùs aliquid damus illis, quibus gratis donamus; quia pro solo nostro honore donamus.] Et ideò, [Incipiens à nouissimus vsque ad primos. Quid verò si operarij non sunt? aut si operarij; tam iniqui, quàm & subdoli? Quid si iam receperunt mercedem suam? Quid si qui primi debuerunt esse, fuerunt nouissimi? An libenter dabit? Imò an non acriter incusabit? Discedite à me omnes operarij iniquitatis: quod gratis dedi, sordidè vendidistis; quod pro honore meo contuli, auarè tradidistis; quod commisi pro salute, pro mercede appendistis. Non satis erat exemplo lædere, verbo corrumpere: quid erat opus artibus circumuenire ac sordibus? pecuniam corradere, thesauros conflare, nummos venari, auaritiam consectari? tam Dei dispensatore indignam, quàm Christi traditore dignissimam. Nec plura nunc dicam, etsi plura semper sint dicenda.

2. Corinth cap. 12.

1. Reg. cap 12.

Quod gratis acceptū, gratis tandum est.

Chrysost. Hom. 34. in Matth.

TROPOLOGIA.

Contristati enim estis secundùm Deum.

IAm videri poterat factum satis tropologiæ; sed nunquam sit satis, vbi semper debet qui soluit; vbi si censuræ locus non remanet, vrget tamen stimulus pœnitentiæ. Primò ergo, exponenda est duplex pœnitentia: secundò, opera vtriusque discutienda: tertiò, mora in meliori seu salutari protrahenda.

Quoad 1. Apertè Apostolus duplicem tangit tristitiam, vnam quæ secundùm Deum, alteram quæ sæcundùm seculum: sed tacite innuit duplicem esse pœnitentiam: primam, quæ ex Dei amore; alteram, quæ ex amore sæculi. [Vbi sciendum est, (ex Aquinate) quòd tristitia & gaudium, & communiter omnis affectio ex amore causatur. Tristatur enim quis, quia caret eo quod amat. Qualis autem est amor, talis est tristitia ex amore causata. Est autem duplex amor. Vnus, quo diligitur Deus; & ex hoc causatur tristitia, quæ est secundùm Deum. Amor, quo amatur seculum, & ex hoc causatur tristitia seculi. Amor quo diligimus Deum, facit nos libenter seruire Deo, scilicet quærere honorem Dei, & vacare Deo dulciter. Et quia peccando impedimur à seruitio Dei, & ideò ei non vacamus, nec eius honorem quærimus, idem amor Dei causat tristitiam de peccato, & hæc est tristitia secundùm Deum.] Omnis quidem amor est doloris causatiuus, in eo qui est doloris susceptiuus: dico in eo qui est doloris susceptiuus. Cum beati sint amoris, non tamen doloris susceptiui. Sed quomodo tristitia ipsa, pœnitentia est, cum dicat Paulus tristitiam parere pœnitentiam, non esse? Non negat Paulus tristitiam esse pœnitentiam: sed duo vel tria affirmat: quorum primum est, tristitiam secundùm Deum, nullum afferre detrimentum aut damnum, sed potius fructum conferre non modicum. [Contristati enim estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.] Vnum dicit, alterum intelligendum relinquit. [Quemadmodum enim, (ita Chrysostomus) qui mercatori ea, quæ ad nauigandum necessaria sunt, minimè suppeditat, ipse est qui damnum accipit: eodem modo, nisi pœnitentiæ occasionem vobis præbuissemus, nosipsos damno affecissemus.] Alterum est, tristitiam illam animum corrigere, lapsumque erigere. [Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.] Quasi dicat, exponente Aquinate: [Etsi contristaui vos increpando in primâ epistolâ, non me pœnitet modò, quia correcti estis: etsi olim pœniteret, quando scilicet eram incertus, vtrum tristitia induceret vos ad correctionem vel desperationem; videns quod epistola illa, etsi ad horam vos contristauit: nunc gaudeo, quia estis conuersi. Non gaudeo de hoc, quia contristati estis, sed de correctione: quia scilicet contristati estis, non ad desperationem, sed ad pœnitentiam.] Tertium denique, tristitiam secundùm Deum, talem esse, & ita se habere,

Aquin. lect. 3.

Chrysost. Hom. 15.

Aquin. lect. 2.

Quomodo tristitia cū pœnitentia sit comparanda.

vt & pœnitentia, seu tristitia ipsa salutaris sit stabilisque. [Pœnitentiam in salutem, stabilem operatur.] Salutem operatur stabilitatemque. [Ipsa enim, ait ille, quæ est secundùm Deum, est pœnitentia. Pœnitere enim, est tristari de malo, & secundùm Deum.] Tria ergo habet vera pœnitentia. Primum est, tristari: hoc principium est: nimirum displicere sibi, dolere, compungi, conteri: dolet enim ille, quem fecisse piget, quem errasse pœnitet. [Is enim, ait Lactantius, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos Latinè possumus resipiscentiam dicere: resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insaniâ recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ.] At verò, sicut errare, humanum est, sic & humanum eo modo pœnitere, & humana prorsus pœnitentia. Secundum, de malo: hoc obiectum est: sicut enim medicina non debet præscribi sanis, ita bonis non debet imponi pœnitentia. Vnde Tertullianus de ethnicis: [Quàm autem in pœnitentiæ actu irrationabiliter diuersentur, vel vno isto satis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis suis adhibent.] Verùm ista pœnitentia non iam humana est, sed diabolica: sicut enim humanum est pœnitere de malo, sic & diabolicum dolere de bono. Tertium, secundùm Deum, & hoc motiuum est: si enim amore tui facis aut sæculi, nihil promoues; si autem amore Dei facis, inceptam comples pœnitentiam. Alia incerta est, aut imperfecta, ista tam perfecta quàm & certa [Pœnitentiam certam, ait Augustinus, non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.] Idcircò non solùm perfecta est, sed & diuina.

Aquin. lect. 3. — Lact. l. 6. diuin. institu. c. 24. — Tertullian. l. de pœnit. c. 1. — Augustin. serm. 7. 4. temp.

Quoad 2. Aperta sunt vtriusque apud Apostolum opera. [Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem, stabilem; seculi autem tristitia, mortem operatur.] Quam salutem? æternam. Quam mortem? vtique & æternam. Sicut enim offenditur Deus, cum quis diligit seculum, cum mundana modo concupiscit indebito: sic & irascitur, cum ex eorum amissione vel interceptione tædium concipit, cum ea non carnaliter tantùm sed & ardenter repetit. [Ostendit ergo Paulus, (verba Chrysostomi) tristitiam non semper grauem esse, sed tum denique, cum secundùm mundum concipitur. Quid autem est secundùm mundum? Nimirum, si ob amissas opes, si ob gloriam, si ob alicuius mortem in mœrore verseris, hæc omnia secundùm mundum sunt: ac propterea mortem etiam accersunt. At verò cum mœror iuxtà Deum suscipitur, lætitiâ eâ, quæ in mundo sita est, potior ac præstabilior est. Hæc enim in nihilum desinit, ille pœnitentiam in salutem, cuius nos nunquam pœniteat, gignit. Hoc enim ille mirum habet, quòd qui sic doluerit, eo nomine nunquam pœnitentiâ ducetur: id quod maximè tristitiæ mundanæ proprium ac peculiare est. Quid enim legitimo filio charius atque iucundius? Quid rursus huiusmodi morte acerbius fingi potest? Et tamen parentes, qui in ipsâ doloris flammâ nullius consolationem admittere sustinent, seque ipsos excruciant, ijdem postea ob immodicum luctum pœnitudine afficiuntur; vt qui non modò nihil inde commodi ceperint, sed grauiùs etiam seipsos vexarint atque obtriuerint. At minimè talis est pius mœror, ac iuxtà Deum susceptus. Quin potius duplex emolumentum habet, alterum videlicet, quia hoc efficit vt eum, qui dolet, minimè pœnitendum vnquam sibi putet, quod doluerit: alterum, quia huiusmodi mœror in salutem tandem desinit: quorum vtroque mundana mœstitia orbata est. Nam qui ita dolent, & in perniciem suam dolent: & postquam doluerint, sibi ipsis succensent: quod quidem maximo argumento est, eos non sine incommodo ac detrimento in eiusmodi mœrorem incidisse. At contrà omninò in altero illo mœroris genere vsu venit. Vnde etiam dicebat Paulus, pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur.] Seruat proprietatem natiuæ linguæ: est enim in Græco, ἀμεταμέλητον, non ἀμετανόητον. Ita, vt dixit Augustinus [Laudat Apostolus Corinthios, quòd contristati fuerint secundùm Deum. Sed fortasse quis dixerit, illis Apostolum fuisse congratulatum, quod contristati fuerint pœnitendo: qualis tristitia, nisi eorum qui peccauerunt, esse non potest. Ita enim dicit: Contristati estis secundùm Deum, vt ex nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum est tristitia pœnitentiâ in salutem impœnitendũ operatur: mundi autem tristitia, mortem operatur.] Tantum ex malâ tristitiâ nocumentum est, quantum ex bonâ lucrum. Mortem audis? concipe triplicem, ciuilem, quâ, [Spiritus tristis exsiccat ossa.] Hominem attenuat, mentem atterit, redditque tam ciuilibus functionibus quàm & naturalibus inhabilem. Exinde, naturalem. [Nam, vti dixit Chrysostomus, qui mœrore afficitur, is etiam inuidet ac plerumque interire cogitur: cuiusmodi scilicet mœrore Cain & Esaü laborarunt.] Denique, æternam & irreparabilem. [Multos occidit tristitia.] Nec vitam duntaxat extinxit, sed & in gehennam detrusit; seu in mortem æternam, interminabilem. Salutem audis? cape & vitam triplicem, spiritalem, diuinam, æternam, adeò vt tam pœnitenda sit pœnitentia mala, quàm bona sit impœnitenda. [Qui secundum Deum tristis est, ait Augustinus, in pœnitentiam tristis est de peccatis suis, tristitia de iniquitate propriam iustitiam parturit. Quæ enim secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur. Habuimus enim vitam, cuius nos debuimus pœnitere, habuimus vitam, pœnitendam; sed non possumus peruenire ad vitam impœnitendam, nisi per malæ vitæ pœnitentiam.] In Græco Pauli, ἡ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. An salus permansura in æternum, nec vnquam abolenda: vel potius pœnitentia, sicut crimini nulli, sic & nulli obnoxia discrimini?

Chrysost. Hom. 15. — Quanta sit bonæ ac malæ tristitiæ differentia. — Augustin. lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 8. — Prou. c. 17. — Chrysost. Hom. 4. — Ecclesiast. cap. 30. — Augustin. serm. 151. de temp. cap. 1. & 2.

Quoad 3. Instat Paulus, inculcatque: [Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem?] Seu, vt Augustinus ad Græcum propius. [Ecce enim idipsum secundùm Deum contristari, quantam perficit in nobis indu-

Augustin. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 8.

ſtriam?] Niſi quod melius, [In vobis.] Sed A in omnibus, & in iſtis, & in nobis diligentiam gignit & induſtriam. In his autem tria ſpectanda ſunt. Primum eſt, triſtitiam quæ ſecundùm Deum eſt, veram eſſe contritionem, ſalutaremque pœnitentiam. [Cum peccaueris, ait Chryſoſtomus, ingemiſce: non quod pœnas daturus ſis (nihil enim hoc eſt) ſed quòd Dominũ tuũ offenderis, tã benignũ, tam te amantem, tã denique ſaluti tuæ appenſum, vt filiũ quoque ſuum tuâ causâ tradiderit. Sic te compara, vt ſemper hoc facias, tibique ipſi animum intendas, ac pectus tuum conteras, non ſecus ac ſi quis amiſſo filio vnicè charo in luctu verſetur. Scindite etenim, inquit, corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Porrò, quod fractum eſt, B haudquaquam ſe in altum extulerit: quod contritum eſt, haudquaquam exurrexerit. Ob eamque cauſam alter ait, Scindite: alter autem, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Quantumuis ſapiens ſis, quantumuis diues, quantumuis princeps, pectus tamen ſcinde, nec ipſum altè de ſe ſentire, atque inflari ſine.] Vera quippe pœnitentia in contritione cordis ſita eſt, ſicut & contritio vera, igne amoris accenſa. [Omnis enim dolor in amore fundatur.] Tantum odis peccatum, quantum Deum diligis: & inde pectus tundis, cor tuum ſcindis, vt peccatum latens in pectore, ſeu de corde exiens, deturbes; Deumque C reconcilies tibi, quem delinquendo læſiſti: ſummiſſioni das operam, vt gratiam recipias, quam ſuperbiendo perdidiſti. Secundum eſt, pœnitentiam illam auidam reconciliationis eſſe reſtitutioniſque, ſicut & operatiam. Non differt in longum, nec vanas affert excuſationes, ſed ſuam ad recuperandas benedictiones confert diligentiam. [Tu, inquit Auguſtinus, quid proferas vide, vt quid tibi paretur attendas. Profers frumentum, horreum ſpera: profers ſpinas, ignem ſpera. Sed nondum venit; aut tempus horrei, aut tempus ignis: modò ergo paretur, & non timebitur. Nunquid con- D ſilij corrigendi & mutandæ vitæ in bonam, non eſt locus, non eſt tempus? Nonne ſi vis, hodie fit? Nonne ſi vis, modò fit? Quid empturus es vt facias? quæ emplaſtra quæſiturus es? Ad quos Indos migraturus? quam nauim preparaturus? Ecce cum loquor, muta cor: & factum eſt quod tam ſæpè & tam diu clamatur vt fiat, & quod æternam pœnam parturit, ſi non fiat.] Ita ille quem verè pœnitet, non parcit tempori, quia æternitati conſulit: ambit ſalutem, occaſionemque non inuadit ſolùm, ſed & arripit: ſi verè dolet, medicinam quærit, veram init pœnitentiam. Tertium, non E ſolùm diligentiam afferre, ſed conferre & induſtriam: quâ tandem arte veniam obtineat, & ſolicitudine diuinam extorqueat miſericordiam. Sic quidem peccatum voluntate malâ commiſſum, idcircò & voluntate bonâ, ſeu piâ deteſtatione perſequendum: ex corde factum, ideoque ex corde pœnitendum. Hinc fletus ac gemitus, tam in hoc negotio vtiles, quàm inutiles in alio. [Qui enim, ait Chryſoſtomus, mortem alicuius mœrore proſequitur, iacentem minimè excitat. Qui ob morbum diſcruciatur, is eum adeò non depellit, vt etiam augeat & exaſperet. At cui peccata mœrori ſunt, is ſolus è mœrore fructum capit. Quoniam enim medicamentum iſtud ad hoc tantùm comparatum eſt, idcircò hîc etiam duntaxat vim habet, vtilitatemque ſecum exerit: in alijs rebus non modò non iuuat, ſed etiam obeſt.] Porrò, nihil omittit, ſed attendit, quid plagam ſuam celeriùs curet ac tutiùs, quid-ue gratiam amiſſam meliùs reparet ac cumulatiùs. [Quemadmodum enim, ait ille, medici ægrotis multa quidẽ remedia adhibent; ſed qui ſagaci ingenio eſt, non hoc perpendit, quòd hoc atque illo medicamento vſus ſit is qui aduerſâ valetudine laborat, ſed quam vtilitatem hinc ſit conſecutus: eodem modo hîc etiam res expendenda.] Vulneri quippe non omne medicamentum ſuccurrit, nec offenſioni officium omne ſatisfacit.

Chryſoſt. in Moral. Hom. 4.

Qui pectus tundit occultum extrudit peccatum.

Auguſtin. Enarrat. in Pſal. 63. in fine.

Chryſoſt. Hom. 15.

Chryſoſt. in Eth. Hom. 4.

ANAGOGIA.

Perficientes ſanctificationem in timore Dei.

Triplex timor, ſupplicij, peccati, & Dei. Primus, qui & timor pœnæ, ſanctificationem inchoat: ſecundus, qui & timor culpæ illam obſignat: tertius, qui & timor reuerentiæ, ſanctitatem conſummat. Primus diſponit, ſecundus facit, tertius perficit. Ille etiam malis adhæret, iſte aſſidet iuſtis: hic & in beatis permanet.

Quoad 1. Vix quidẽ intrat amor Dei, niſi præcedat timor ſupplicij: ſed cum ingreditur amor, timor egreditur. Tamen ab illo exordiendũ eſt, ſuppliciumque peccatis debitũ, non à nouitijs tantùm, ſed & à perfectis reuoluendum. [Hæc igitur tu quoque audi: ait Chryſoſtomus, ac, ſi libidinis igne flagras, ignem illum oppone: atque hic confeſtim extinguetur & euaneſcet. Si quid quod turpe & abſonum ſit, loqui geſtis, dentium ſtridorem cogita: & fræni inſtar tibi hic metus erit. Si animũ inducis cuipiam aliquid eripere, audi iudicem imperantem ac dicentem: Ligate manus eius ac pedes, & eiicite eum in tenebras exteriores: ita fiet vt hanc quoque cupiditatem exturbes. Si vino deditus es, nec à crapulâ abſtrahi potes, audi diuitem illum dicentem, Mitte Lazarum, vt extremo digito ſuo linguam meam ignis ardore conflagrantem, refrigeret, nec tamen id obtinentem: atque ita hoc vitio laborare deſines. Si deliciarum amore teneris, afflictionem illam & anguſtiam cogita: & delicias ne quidem cogitabis. Si ſæuus & crudelis es, virgines illæ tibi in mentem veniant, quæ ob extinctas lampades ad thalamum minimè admiſſæ ſunt: & humanitatem quamprimùm indues. Si ſegnitie ac languore torpes, eum, qui talentum abſcondit, ob animum tibi propone: & ignem ipſum acrimoniâ vinces. At fortaſsè alienarum opum cupiditas te arrodit? Vermem illum immortalem in mente habe: ac perfacilè, tum hunc morbum profligabis, tum alia omnia Dei præcepta explebis.] Quis etiam ex bonis, etiam ex perfectis, qui aliquo horum morbo non vexetur, aut certè aliquo non

Chryſoſt. in Moral. Hom. 10.

Bernard de quinque regionib.

tentetur malo? Vnde & Bernardus percurrens omnes regiones. [Quarta regio, inquit, est regio gehennalis. O regio dura & grauis, regio extimescenda, regio fugienda: terra obliuionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in quâ nullus ordo, seu sempiternus horror inhabitat. Locus lethifer, in quo ignis ardens, vbi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, inundatio vinculorum, horribiles dæmonum facies. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea. O Deus quanta distantia inter delicias paradisi, & tineam corrodentem inferni? paratus est ille ignis diabolo, & hominibus similibus eius: vbi sine fine finientur, sine morte morientur, torquebuntur sine cessatione. Viuens igitur in infernum descende, percurre mentalibus oculis tormentorum officinas, fuge scelera & vitia, pro quibus scelerati homines & vitiosi perierunt.] Tria legis ac colligis, quæ simul iungenda, licet in hoc mundo nunquam simul coniuncta. Primum est, æterna esse tormenta sine termino: alterum extrema esse supplicia sine solatio: tertium contraria simul inesse sine vllo vinculo. [Quid illis animis miserius, ait Chrysostomus, quid miserabilius? Nam si cum in carcerem quendam ingressi sumus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes, alios in tenebris clausos conspicimus, animis commouemur, ac perhorrescimus, nihilque non facimus, vt ne in eum locum incidamus, cum ad ipsos gehennæ eculeos obtorto collo trahemur, quinam futuri sumus? Non enim vincula illa ferro confecta sunt, sed igne perpetuo ardente: nec nobis æquales ii, qui cruciandis nobis præficientur (quos etiam sæpenumerò placare queas) sed angeli, quos ne obtueri quidem possis, propter eas, quas Domino intulimus, contumelias, irâ flagrantes.]

Tria simul iungenda, licet nusquam iuncta.

Chryost. in Moral. Hom. 10.

Quoad secundum. Audisti quàm metuenda sit illa malorum excetra: sed aliquid grandius viro bono, aliquid & grauius. [Nihil enim aliud graue atque acerbum est, ait Chrysostomus, quàm in Dei offensionem incurrere. Hoc sublato, non afflictio, non insidiæ, non aliud quicquam prudentem animam molestiâ afficere queat. Quin potius, quemadmodum si exiguam scintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus extinxeris: eodem modo molestia omnis, quamlibet ingens si in animum benè sibi conscium inciderit, confestim perit & euanescit. Eoque nomine Paulus etiam perpetuâ lætitiâ fruebatur, quandoquidem in iis rebus, quæ diuinæ voluntati consentaneæ erant, fidentem animum gerebat, ac tot mala ne quidem sentiebat: verùm quamuis, vt homo, dolore tangeretur, non tamen animo concidebat. Etenim quibusuis armis firmior ac valentior est voluptas ea, quæ secundùm Deum percipitur. Quid enim igne grauius? quid perpetuis cruciatibus acerbius? Sed tamen, quæ vel auditu intoleranda sunt, ea ob gaudium illud, quod diuinitùs concipitur, tolerabilia, atque etiam expetenda fiunt.] Equidem, vt definit Tertullianus: [Hæc prima au-

Chrysost. in Moral. Hom. 1.

Tertullian. l. de pœnit. c. 6.

A dientis intinctio est, metus integer.] Verùm integer non est, si supplicium quidem reformidat, sed non vitat peccatum: cum timor iustorum potiùs peccati sit quam supplicij. Vnde Chrysostomus, illud ad mores trahens, quod Paulus de Deo dixit & Christo, [Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.] Ita edisserit. [Hæc igitur cum animis nostris reputantes, magis verba ista quam gehennam timeamus: magis has res, quàm ipsum cœlorum regnum admiremur: nec in ea opinione simus, vt graue esse iudicemus pœnâ affici, sed peccare. Nam etiamsi ipse in nos minimè animaduerteret, nos tamen de nobis ipsis pœnas sumere deberemus, qui tam ingrati in benè de nobis meritum extitimus. Equidem amasiam quispiam habens, sæpe etiam mortem sibi consciuit, quòd ea potiri non potuisset: atque etiam potiùs, si quid in eam peccarit, ne luce quidem ac vitâ se dignum existimat: nos autem tam suauem ac benignum Dominum contumeliis incessentes, non nosipsos in gehennæ flammam injiciemus? Mirum aliquid, atque ab humanis sensibus alienum, quodque plerisque incredibile videbitur, dicam. Maior ei, qui: cum tam facilem ac benignum Dominum offenderit, pœnas luit, consolatio futura est, si quidem sanâ mente sit, eumque, vt par est, amet: quàm ei, de quo supplicium non sumitur. Atque hoc vel ex communi consuetudine perspici potest. Nam qui hominem sibi charissimum læsit, tum maximè acquiescit, cum à seipso pœnas exegerit, ac mali aliquid perpessus fuerit. Si quis igitur erga Christum eo amore est, quo debet, quid dicam intelligit, quoque modo, ne ipso quidem ignoscente, quin in seipsum animaduertat non sustinebit. Maximum enim ex eo supplicium pendit, quòd ipsum ad iracundiam extimulauit. Quæ cum ita sint, ne gehennam perhorrescamus, sed id potius timeamus ne Deum offendamus. Hoc enim illo atrocius est, cum nobis infensus vultum suum à nobis auertit: hoc quouis supplicio grauius atque acerbius. Peccatum ante omnia timeamus: hoc enim pœna est, hoc gehenna, hoc innumera mala. Nec verò tantùm timeamus, sed etiam fugiamus, ac Deo perpetuò placere studeamus hoc enim regnum est, hoc vita, hoc innumera bona.] Grande quidem malum gehenna, sed leue præ culpâ, imò ferè nullum: qui enim Deum ac Christum diligit, non tam ardere metuit quàm peccare, nec tam pœnam refugit quam offensam. Vnde Tertullianus, vbi dixit, primum nouitij Christiani lauacrum, esse metum integrum: [Exinde (addit) quo ad Dominum senseris, fides sana, conscientiâ semel pœnitentiam amplexata.] Sic enim peccatum badiat, vt nunquam resumat; existimat enim offensionem Dei omni pœnâ atrociorem, gehennamque nihil præ labe reputat.

Chrysost. In Moral. Hom. 11.

B

Qui diligit culpam metuit, & pœnam contemnit.

C

D

E

Tertullian. l. de pœnit. c. 6.

Quoad tertium. Benè ille: [Quoad Dominum senseris.] Tres quippe gradus distinguit quorum primus est metus integer, qui nullum admittat peccatum, imò tanquam rigidus satelles præ metu gehennæ proterat, nondum tamen & conterat. Secundus est fides sana,

quæ magis peccatum reformidet quàm supplicium; non solùm quæ non peccet, sed & quæ nolit peccare; maueltque in æternum ardere sine culpâ suâ, quam vel minimum delictum sine vllâ pœnâ vltrice, aut cessante vindictâ committere. [Fides enim, vti dixit Augustinus, non res est saluandi corporis, sed credentis animi.] Non tormentum spectat, sed peccatum: nec pœnam sed culpam examinat. Tertius ergo restat gradus, quem Tertullianus assignat, nimirum arcanus diuinæ sensus præsentiæ; nec iam pœnæ aut etiam culpæ metus, sed reuerentiæ. Ita Iob cetera iam blandientia contemnens ac terrentia, solumque Deum metuens: [Semper, inquit, quasi timentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.] Aptè & appositè. [Fluctus etenim, vti dixit Gregorius, cum tumentes desuper imminent, cumque eam quam deferunt mortem minantur, nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur: ea ipsa quoque ex naui proiiciunt, pro quibus longa nauigia sumpserunt; cunctæ res in despectum mentis veniunt, amore viuendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit, quæ hîc possidens portat. Nam velut tempestate deprehensi pondus nauis abiicimus, quando ab oppressâ mente desideria terrena remouemus. Fitque vt subleuata nauis enatet, quæ mergebatur onerata: quia nimirum curæ, quæ in hac vitâ deprimunt, mentem in profundum trahunt. Quæ videlicet mens tantò altiùs inter tentationum fluctus attollitur, quantò sollicitiùs ab huius sæculi cogitatione vacuatur.] Qui prospiciunt tumentes super se fluctus, non expauescunt tantùm, sed & proni procidunt, tremulique ad ictum procumbunt. Ita qui maiestatem suspiciunt venientem, non solùm extimescunt præ

Augustin. lib. de catech. rud. cap. 5.

I. b. cap. 31.

Gregorius lib. 0. Moral. cap. 17.

Qui veram vitam quærit, cetera omnia despicit.


A potentiâ, sed & attoniti succidunt pro reuerentiâ. [Bene ergo, ait ille, subditur, Et pondus eius ferre non potui: quoniam qui extremi iudicij aduentum intentâ mente considerat, profectò videt, quia tantus pauor imminet, quantum non solùm tunc videre, sed se etiam nunc præuidere pertimescat. Consideratione namque tanti terroris metu animus palpitat, & intentionis suæ oculos declinans, intueri quod præuidet recusat. Benè ergo dicitur: Et pondus eius ferre non potui: quia cum supernæ maiestatis vim ad iudicium venientis, terroremque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiens, sese expauescit inuenire.] Ita Christus, [Qui, vt Paulus dixit, in
B diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reuerentiâ.] Ita omnes sancti, quibus Psaltes, [Timete Dominum omnes sancti eius.] Nec illi tantùm qui militant, sed & qui triumphant: spiritus enim timoris Domini, quo repletus est Christus, permanet in sæculum sæculi; nec quisquam verè pius, verè sanctus, cui non inhæret iste timor: est enim timor, qui non solùm gratiæ complementum est, sed & ornamentum gloriæ.
C Timor filialis est, timor reuerentialis; & eo plus metuitur Deus, quo plus cognoscitur: eo plus reuerentiæ exhibetur, quo plus diuinæ possidetur sapientiæ. Sicut enim iusti ad iram principis excandescentis contremiscunt, sic & sancti, imò & angeli, licet innocentiâ freti, licet securi de gloriâ, curuantur sub potentiâ diuinâ; & iustitiam reueriti, in tuto quidem, sed in attonito positi, tam profundè sub potenti manu Dei humiliantur, quàm altè sub prospectu Domini arcana contemplantur iudicia.

Gregorius ibidem.

Heb. cap. 5.

Psal. 33.





CAPVT OCTAVVM.

Epigraphe.

EXcitat Corinthios Apostolus proposito Macedonum exemplo, illosque ad largiorem in fideles pauperes collationem prouocat.

TEXTVS.

NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: quòd in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipsorum fuit; & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum: quia secundùm virtutem, testimonium illis reddo, & suprà virtutem voluntarij fuerunt, cum multâ exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij, quod fit in sanctos. Et non sicut sperauimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientiâ, & omni solicitudine, insuper & charitate vestrâ in nos, vt & in hac gratiâ abundetis. Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis. Et consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est; secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. Prouidemus enim bona non solùm coràm Deo, sed etiam coràm hominibus. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis solicitum esse, nunc autem multò solicitiorem; confidentiâ multâ in vos, siue pro Tito, qui est socius meus, & in vos adiutor, siue fratres no-

ſtri Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti. Oſtenſionem ergo, quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.

EXEGESIS LITTERALIS.

IAm ipſos Corinthios ad ſanctos qui erant in Iudæâ, maximè verò Ieroſolymis, ſuis ſubleuandos eleemoſynis cohortatus fuerat: nunc verò acriùs & inſtantiùs, verbo & exemplo ſtimulat.

[Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ: quòd in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipſorum fuit, &c.] Iam præoccupauerat beneuolentiam, & vt ita dicam, coram ipſis Corinthiis inuenerat gratiam, cum dixerat: [Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis. Nunc ergo libenter audet, vrgetque confidenter. Scire vos volo, fratres, quantum boni Deus contulit Eccleſiis Macedoniæ, quantum illis præſtiterit beneficij.] Quodnam illud? quod multa experti incommoda, & per afflictiones probati perſecutioneſque, non ſolùm patienter pertulerunt conſtanterque, ſed & magnum inde retulerunt gaudium. Vexati ſunt, ſpoliati ſunt: [Et altiſſima paupertas eorum, abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum, &c.] Quid dico, ſpoliati? Imò ad fundum vſque exhauſti, & in profundum deiecti: tanta tamen & tam profunda paupertas, tam abundanter quàm & ſimpliciter, tam largè quàm & ſincerè contulit in vſum pauperum; vt non tam inopiam prætenderit, quàm copiam prætulerit. [Votum eorum prædicat, ait Ambroſ. quia cum tenues eſſent in ſubſtantiâ facultatum, animus ipſorum diues inuentus eſt in miniſterio ſanctorum: purâ enim conſcientiâ operati ſunt, non vt hominibus, ſed vt Deo placerent.] Hoc ſciatis, & hoc faciatis. [Quia ſecundùm virtutem teſtimonium illis reddo, & ſuprà virtutem voluntarij fuerunt, cum multâ exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos, &c.] Teſtimonium hoc illis debeo, & reddo; quòd iuxtà vires, imò & ſupra vires, ſpõtaneam fecerunt largitionem; & tenues licet ac pauperes, ampliſſimam nihilominus exhibuerunt collationem: precibus nos inſtantibus obſecrantes obteſtanteſque, vt pecuniam à ſuis collectam & Chriſtianis communicandam ſuſciperemus, noſtroque diſtribueremus miniſterio. Textus Ambroſ. [Quia teſtimonium illis reddo, quòd pro viribus, & ſuprà vires voluntarij fuerunt, cum multis precibus orantes ſuſcipi in gratiam & communionem miniſterij quod fit in ſanctos.] Quaſi rati, gratiam ſibi potiùs fieri, quàm eleemoſynam exigi, licet offerrent amplius quàm vires ac facultates admitterent. [Tam ſimpliciter, ait Commentarius, & deuoto animo obtuliſſe illos ad miniſterium quod vltrà vires eorum, prædicat, vt cum lacrymis deprecantes offerrent, vt vel ſic cogerent accipi à ſe quod accipiendum non videbatur, quia plus erat quam poterat eorum ſubſtantia; ne

Ambroſ. in Paul.

Eleemoſyna iuxtà vires, & ſupra vires data.

Comment. Ambroſ.

A fortè poſtea egeſtas, boni operis pœnitentiam ſuaderet.]

[Et non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam, &c.] Nec ſolùm ſicut ſperauimus, vltrò contribuerunt; ſed & ſpem omnem ſuperarunt & expectationem: non enim ſua ſolummodò omnia, ſed & ſeipſos totos, primùm Chriſto Domino, tum & nobis tanquam eius miniſtris, volente Deo ac mouente tam liberaliter obtulerunt quàm & hilariter: & hoc exemplo admonitus impulſuſque, hortatus ſum Titum precatuſque, vt

B vt quemadmodum aliàs incepit, ita etiam erga vos gratiam iſtam perficiat, vt collectionem communicationemque quam cœpit aliquando, nunc abſoluat. [Sed ſicut in omnibus abundantis fide, & ſermone, & ſcientiâ, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtrâ in nos, vt & in hac gratiâ abundetis, &c.] Gratia iſta inchoata eſt, nondum conſummata; ſed rogaui Titum, & hoc illi impoſui officium; ſicut abundatis fide, gratiâ ſermonis, ſcientia, omni diligentia ac ſolicitudine, inſuper & eximiâ charitate, quam vos habetis ergà nos, ſic & in illâ gratiâ abundetis, non ſolùm libenter largiendo, ſed & largiter tribuendo.

C [Eos laudando, ait Athanaſ. hortatur, dicens: Quemadmodum & ceteris eſtis abundè potiti, ſic & in hac gratiâ abundetis neceſſe eſt. Id eſt, vel vt Macedonas, beneficia impartiendò, excedatis, vel ſimpliciter, vel laxiori liberalitate vtamini.] Si enim tantum ab inopibus datum eſt, quid à diuitibus non ſperandum? [Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans, &c.] Non mihi deeſt imperandi fiducia, ſed nolo imperiosè vobiſcum agere: malo enim propoſito Macedonum exemplo, ingenuum charitatis veſtræ animum comprobare, genium liberalitatis veſtræ teſtatum facere. [Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti,

D quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis, &c.] Non iam dico quantam gratiam præſtiterit Deus Macedonibus, ſed expono quantam Chriſtus exhibuerit omnibus beneficentiam: cum enim in naturâ diuinâ ditiſſimus eſſet, vtpote rerum omnium Dominus, inopiam tamen bonorum elegit temporalium, cum in aſſumptâ naturâ egenus factus eſt; inopiam elegit ac pertulit temporalium, vt diuites fieretis in illo, bonorumque copiam reciperetis ſpiritalium. [Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis, &c.] Dixi nolle me imperiosè, agere, ſed amicè, idcircò heic

Athanaſ. in Paul.

Paupertate Chriſti, diuites facti ſunt Chriſtiani.

non secundùm imperium, sed secundùm consilium; suadeo quod vtile est, quatenus salutare: vobis verò maximè qui Macedonas etiam voto præuenistis, nam ab anno superiore facere & propositum patefacere vestrum cœpistis, licet nondum facto compleuistis: nunc ergo & factum ipsum implete; quod facere cœpistis, absoluite: vt quemadmodum affuit promptitudo animi quâ velletis, ita nobis adsit & plenitudo facti quâ perficiatis, secūdū suāquisque substātiam. [Quemadmodū prompti fuistis ad volēdum, ita prompti ad perficiendum: & hoc secundùm facultatem vestram.] Ita Aquinas.

Aquin. lect. 2.

[Si enim voluntas prompta est; secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate, &c.] Si enim prompta animi voluntas suppetit ad largiendum, secundùm vires & facultates acceptabilis est, secundùm id quod potest, non ex eo quod non potest, iuxtà modulum suum acceptanda est: non enim id suadeo, vt alij plus habeant quàm opus est, vos minùs, sed vt æquitate quadam, ac certâ proportione, æquales sitis omnes, dum cuique sua sufficientia est, nulli inopia: iniquum est enim vt egeant fratres vestri, dum vos affluitis, illi nihil prorsus habeant, dum vos omnia detinetis. [In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit &c.] Alij, aliter interpungunt, sed in eundem sensum recidunt. Dixerat omnia ad certam reducenda mēsuram, quæ fratres redderet æquales, quæ inopiam tolleret, & induceret sufficientiam. Iam verò ne id pigeat, temporalia comparat ac spiritalia. Itaque vestra nunc abundantia temporalis, illorum temporalem suppleat inopiam, vt cum tempus venerit retributionis, illorum abundantia spiritalis, vestram spiritalem suppleat inopiam: vt ita fratres non minùs æquales in spiritalibus sitis quàm in temporalibus, nec minus cuique ad gloriam quàm ad vitam sua sit sufficientia. Ita enim scriptum est Exodi decimo sexto, sed in figuram nostri, Qui multum collegit de manna, non plus habuit; & qui modicum, non minus reperit. [Hæc est æqualitas, ait Ambros. vt quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddantur illis vices in futuro, debitores enim sibi faciunt sanctos. Æquabuntur ergo illic vtrique: sicut in Exodo legitur.] Omnia quippe contingebant illis in figurâ. [Gratias autem Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos, &c.] Gratiæ autem Deo agendæ, cui placuit eundem animum inspirare Tito, vt vos ad opus impelleret, & ita vobis munus exhiberet: nam mihi quidem roganti & exhortanti annuit: sed adhortatione aut obsecratione non indiguit, vtpote suo in hoc propensus desiderio, & ad vos commonendos non tam imperio quàm voto profectus: adeò spontaneus, adeò solicitus. [Vidē, ait Chrysostomus, quomodo cum ostendat, ad hoc vt partes suas obiret, nullius alius exhortatione opus habuisse, cum ait eum suapte quoque sponte excitatum fuisse. Prouinciam hanc præripuit, in thesaurum insilijt: suismet commodis consulere iudicauit, operam vobis nauando: tantaque in eo vis amoris erga vos fuit, vt ne cohortatione quidē nostrâ eguerit.]

Nonnulla iniquitas, vbi tanta inæqualitas.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. Hom. 18.

[Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatē nostram, &c.] Misimus etiam cum Tito, fratrem, qui ex Euangelio vbique prædicato, per omnes Ecclesias famam consecutus est non modicam: nec id solùm, sed & comperegrinus noster publico factus est suffragio, non solum vt mecum prædicaret, sed & idem pecuniæ colligendæ administraret officium: quod non solùm cedit ad gloriam Domini, sed ad animi nostri studium demonstrandum; seu, vt iuxtà Græca, ad excitandam animi vestri diligentiam proficit. [Hoc est, ait Athanas. vt ob id & gloriam assequatur Deus, & vos conferendi promptitudinem. Ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem vestam.] Destinata, quæ iam parata accinctaque. [Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. Prouidemus enim bona non solùm coràm Deo, sed etiam coràm hominibus, &c.] Ideò illos misimus, solicitè cauentes, ne quis nos auidos pecuniæ suspiceretur aut cupidos, arbitreturque summas illas pecuniarias corrogare potiùs quàm erogare. Nostis enim viros, & scitis extra omnem suspicionem positos. Prouidè igitur cauemus, quia prouidemus opera nostra non solùm Deo iudice recta fieri, sed & homine arbitro proba ac iusta censeri. [Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpè solicitum esse, nunc autem multo solicitiorem; confidentiâ multâ, in vos, siue pro Tito, qui est socius meus, & in vos adiutor, siue fratres nostri Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi, &c.] Addidimus his duobus & alium tertium, cuius diligentia nobis plurimis argumentis comprobata est: nunc autem & multo ardentiorem deprehendimus ac diligentiorem: & id fecimus, quia non solùm plenè persuasi sumus, sed & optimè de vobis confisi, quòd illos suscipietis, vt spectatæ vitæ viros, ac famæ integræ, suscipietisque tanquam à me missos. Quis enim Titus? Nonne socius meus, & ad stabiliendam fidem vestram, salutemque promouendam adiutor cooperatorque? Quid & isti duo comites eius? nonne ambo Iudæi sunt, nec minùs secundùm fidem fratres, quàm secundùm carnem, Ecclesiarum Iudaicarum legati, vitâ tales ac doctrinâ, vt in iis maximè Christus clarificatus sit? [Ostensionem ergo, quæ charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.] Itaque, charitatem vestram demonstrate erga fratres illos quos misimus, liberalitatem vestram declarate erga Ecclesias illas, quarum personam gerunt; & quarum referunt indigentiam; & probate gloriatio-

Athanas. in Paul.

Paulus non solùm de conscientia, sed & de fama sollicitus.

nem meam, quâ nempe de vobis apud illos gloriatus sum inanem non esse nec infructuosam. In faciem, Græcè εἰς πρόσωπον. Potest tamen verti, [In conspectu.] Seu, vt loquitur Chrysostomus. [In publico Ecclesiarum cœtu. Quod quidem non leue ducendum est. Magna quippe sacri conuentûs, hoc est Ecclesiarum vis ac potentia.]

Chrysost. Homil.

DISSERTATIONES APOSTOLICÆ.

NIhil ferè in hoc capite quod attentionem non sollicitet, aut suscitet inquisitionem: sed nunc doctrinam muniunt, nunc instruunt disciplinam: alia quippe sunt dogmata rerum, alia morum instituta: nisi quod sicut res exercentur moribus, sic & mores rebus immiscentur.

DISSERTATIO PRIMA.

De gratiâ Ecclesijs datâ.

NOn vult Paulus gratiam abscondi, sed omnibus fieri manifestam: ideò ita infit: [Notam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ.] Gratia illa, gratia Dei est, sed in Ecclesias Macedoniæ collata. [Vult enim, (vt obseruat Chrysostomus) de eleemosynâ verba facere. Vnde etiam occupatione vtens, dixit, Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis. Nimirum ab ijs, quæ iam egregiè præstiterant, ad hoc promptiores alacrioresque reddens. Nec verò protinus dixit, Eleemosynam igitur date: sed animaduerte quæso sagax ipsius consilium, quemadmodum eminus atque ex alto orationem præmuniat. Notam enim, inquit, vobis facio gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ. Gratiam id vocat, ne animis efferantur: ac res aliorum narrans id agit, vt dum alios laudat, diligentiores hos efficiat.] Tria igitur simul iungenda sunt: sapientia Pauli, gratia Dei, animi diligentia. Quoad primum is Pauli stylus ac genius est, vt nunc laudet, nunc culpet: vt & per obiurgationem, laudatione comprimat insolescentem animum; & per laudationem, obiurgatione fatiscentem virum restituat: alterum altero permiscet, & eo artificio, tam boni magistri, quam medici exercet officium. [Haud temerè, ait Athanas. Corinthijs plurimum collaudatis, his verbis subsequitur. Quod eo facit, vt eorum animis prælinitis ad habendam in pauperes charitatem hortetur.] Quoad secundum: is Dei modus est. Quoad vltimum: is Pauli scopus est: idcircò duplex exemplum proponit: primum est Macedonum, quod quidem appositum, sed humanum: alterum Christi, quod efficacissimum. [Hoc modo, ait Ambros. hortatur, vt largiendo quasi pauperes fiant.] In vtroque autem exemplo, gratiæ meminit diuinæ. In primo: [Notam autem vobis facimus gratiam Dei.] In altero: [Nostis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi.] Nec tamen vtrobique gratia eodem modo sumenda est: licet nec multùm diuerso.

Chrysost. Hom. 16.

Paulus admonendo, laudatione temperat & obiurgationem.

Athanas. in Paulum.

Ambros. in Paulum.

Itaque gratia Christi illa est quam contulit nobis, cum pœnam pro nobis pertulit. [Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi. Hic, ait Aquinas, inducit Corinthios ad dandum eleemosynas exemplo Christi, dicens, Volo comprobare ingenium vestrum bonum ad dandum scilicet pauperibus: & hoc facere debetis exemplo Christi. Enim: id est, Quia scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi: quam quidem humano generi contulit. Et hæc dicitur gratia, quia quidquid filius Dei pœnalitatum nostrarum assumpsit totum gratiæ est imputandum: quia nec præuentus alicuius bonitate, nec alicuius virtute coactus, nec inductus sua necessitate.] Christus nostram abstersit miseriam, dum naturam induit humanam: nostram subleuauit infirmitatem, dum diuinam inclinauit maiestatem: à culpæ vulneribus sanauit nos, dum nos in visceribus visitauit misericordiæ. Non vos stimulat tantùm pietatis ac benignitatis sacramentum, non vos prouocat ad subueniendum pauperibus, ad fratribus succurrendum? Gratia verò Dei, donum est gratuitum, à Deo ipso vel generaliter collatum, vel specialiter. [Positâ, ait ille, exhortatione ad bonum in generali, hic consequenter exhortatur Corinthios ad quoddam bonum particulare: scilicet ad largitionem collectarum pro sanctis, qui erant in Hierusalem. Nam sicut Act. 15. dicitur, & Apostolus tangit Galat. 2. Apostoli imposuerunt Paulo, & Barnabæ, vt proponerent verbum salutis Gentibus, exhortando eos ad subueniendum sanctis qui erant in Hierusalem: qui venditis omnibus, & positis ad pedes Apostolorum, in maximâ erant paupertate: & ad hoc inducit eos ad præsens. Et hoc est quod dicit, Notam vobis facimus gratiam: id est, gratuitum donum Dei: & dicit hoc esse gratiam: quia quidquid boni facimus, est ex gratiâ Dei. Data est ergo gratia Dei in Ecclesijs Macedoniæ, dum illæ inspiratæ sunt eleemosynas profundere, collectas facere: dum per gratiam Dei largiter operatæ sunt, & in misericordiæ opus effusæ: non enim tantam de thesauro pecuniam deprompsissent, nisi copiosam à Deo recepissent gratiam. Ita sicut disserit Augustinus: [Vt se illi homines dent formandos ad iustitiam, cum terruisset populos Psalmus, & dixisset, Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est, & honor regis iudicium diligit: veluti quærentes iam populos territos, quomodo iusti viuere debeant, quia in seipsis non possunt habere iustitiam, commendauit illis & plasmatorem iustitiæ illorum, & secutus ait: Tu parasti æquitatem, iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Debemus enim & nos habere iudicium, debemus habere iustitiam: sed ille in nobis facit iudicium & iustitiam, qui nos fecit in quibus faceret. Exaltate Dominum Deum nostrum. Verè exaltate, benè exaltate. Laudemus & exaltemus illum qui fecit ipsam iustitiam: quam habemus, ipse in nobis fecit. Qui in nobis coronaturus non merita nostra, sed dona, quantum debet exaltari?] Hæc est ergo gratia Dei quæ data est, dum per gratiam datam facta sunt bona opera.

Aquin. lect. 2.

Aquin. lect. 1.

Coronat sua dona Deus, dum nostra coronat merita.

Augustin. Enarrat. in Psal. 98. cir. med.

At non vna gratia Dei Macedonibus data est, [Duas enim, vti Chrysostomus obseruauit, imò tres ipsis laudes Apostolus tribuit. Primam, quod tentationes strenuo animo perferrent: alteram, quòd egentibus opem ferre possent: postremam, quia quamuis ipsi inopiâ laborarent, munificentiam tamen in eleemosynis exhiberent. Nam illis suæ quoque facultates ereptæ fuerant. Idque significabat, cum in eâ Epistolâ, quam ad ipsos scribebat, diceret, Vos enim imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæâ: quoniam eadem passi estis à contribulibus vestris, quæ illi à Iudæis. Cum ergo dixisset, Notam vobis facio gratiam Dei, non dixit, quæ data est in hac vel in illâ ciuitate: verùm vniuersam gentem laudibus vehit, dicens, In Ecclesiis Macedoniæ. Mox ipsam quoque gratiam declarat: Quoniam in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit. Quidnam autem his verbis sibi vult? Vtrumque, inquit, incredibilem quendam in modum ipsis contigit, nempe & tribulatio, & lætitia. Ex quo magna quoque admiratio nascebatur, qui fieret, vt tanta voluptatis vbertas & copia ex afflictione ipsis oriretur. Neque enim duntaxat mœrorem illis nullum tribulatio pepererat, sed lætitiæ quoque ipsis causam præbuerat: idque cum grauis ac multiplex esset. Quantæ simul gratiæ in vnum confertæ. Tot ac tantis tribulationibus persecutionibusque explorati, probati, nec patientiam tantùm tenere: sed & lætitiam ostendere; nec ostendere tantùm, sed & hilaritatis voluptatisque proferre abundantiâ. [Et altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum. Vtrumque rursus hoc cum mirâ exuberantiâ. Quemadmodum enim multiplex afflictio, multiplex gaudium, atque adeò gaudij abundantiam peperit: ita ex magnâ paupertate ingentes eleemosynæ opes ortæ sunt.] Quænam illa paupertas altissima? Seu, vt ex Græco, [Profunda:] nisi, maxima, & quasi extrema. Sed mirum, quod sicut maxima tribulatio causa fuit amplius gaudendi, sic & extrema paupertas occasio fuit amplius largiendi. Nec abundanter tantùm dederunt, sed & simpliciter, id est, ex simplicitate cordis, & intentionis puritate. Non enim tam apud Deum quæritur quid, quàm quomodo, nec tam munificentia exigitur quàm innocentia. Ita Salomon: [Scio Deus meus quòd probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.] Est enim simplicitas cordis, mentis sinceritas, & puritas intentionis, quâ tam ingenuè & piè datur aliquid, nec aliud in dando spectatur quàm vt miseria subleuetur proximi, & inde amplietur Dei gloria.

Chrysost. Hom. 16.

Pauperes in alios sunt nonnunquam liberaliores.

Chrysost. Idem.

1. Paral. c. 29.

Gratia igitur ista fuit quòd Macedones in maximâ tribulatione non solùm patientes fuerint, & hilares: verùm & in summâ paupertate, non solùm alacres fuerint, sed & liberales: illic, quo plus malum increuit, plus accreuit gaudium: istic, quo minor fuit subueniendi facultas, maior affuit voluntas largiendi; imò & eo plus dederunt, quo minus habuerunt. Non est paradoxum istud: aut si est,

A tam verum est, quam & Apostolicum. [Homo enim, vt definit Aquinas, ex duabus causis habet promptum animum ad dandum: scilicet ex abundantiâ diuitiarum, sicut diuites vel ex contemptu diuitiarum: & sic idem facit in paupere contemptus, quod facit in diuite abundantia: & ideò dicit Apostolus, altissima paupertas, id est maxima, sic supra abundauit, id est, effectum abundantiæ fecit.] Sed causam aperit Apostolus tam contemptûs, quàm & effectûs, dum addit, [In diuitias simplicitatis.] Vnde enim liberales? quia simplices. Vnde porrò simplices? [Quia, vt & ille ait, cor eorum erat solùm ad Deum, & ex hoc pro-

Aquin. lect. 1.

Aquin. ibid.

B uenit contemptus diuitiarum.] Non erant corde duplici, nec diuisus illorum erat animus, sed totus in Deum collectus. Qui toti in terram proiecti, sic adhærent terrenis, vt vix aut ægrè dent pauperibus, quasi aliquid à se cum dolore separent: qui paulò à terrâ subleuati, nonnihil dant vltrò, sed ampliora, imò & meliora sibi seruant: qui verò in cœlum sublimati sunt, terrena despiciunt, & ea generoso animo non tanquam munera, sed tanquam onera projiciunt. Ita Glossæ, altissima paupertas, eadem quæ nobilissima ac sublimissima. [Facit enim paupertatem altam eleuatio spiritûs suprà res

C temporales, & contemptus earum. Et sic eorum paupertas altissima erat, qui non habebant diuitias, & contemnebant eas.] Etiam quas habuerant, projiciebant tanquam onerosas, credebantque sibi munus fieri, ac pondus detrahi, si quis iuuaret accipiendo, si quis subleuaret, onus diuidendo: toti enim Deo intenti erant, toti cœlo affixi. Hæc est ergo gratia altissima ac summa: quia non solùm dederunt Macedones quod oportebat, sed & dederunt sicut oportebat: animo scilicet tam simplici, quam & sublimi; tam sublimi, quàm & cœlesti; puro & innoxio, nec rerum temporalium pondere prægrauato, nec labe terrenorum af-

Glos. in Paulum.

Qui cœlestia aspirant, terrena conculcant.

D fectuum sordidato. Tanta ergo fuit liberalitas, quanta fuit simplicitas; tanta largiendo abundantia, quanta viuendo innocentia. Et vos igitur, ô Corinthij, estote simplices, & eritis liberales. Nolite diligere mundum, & mundana contemnetis. Deum solum diligite, in cœlum animo generoso intendite, & illa solùm quæ sursum sunt, sapietis.

DISSERTATIO SECVNDA.

De testimonio illis reddito.

E TEstis Apostolus: [Testimonium illis reddo.] Testis Paulus, id est, tam fidelis, quàm & idoneus. De quibus verò testis Paulus? De tribus, quæ nemo crederet, nisi Paulus diceret. Primum est, supra virtutem obtulisse: secundum, exhortationem & ipsos fecisse: tertium, tandem & ipsius Pauli spem vicisse.

Quoad primum. Parùm sit dedisse secundùm virtutem, quid verò suprà virtutem: nec dedisse tantùm, sed promptè, nedum liberè? [Quia secundùm virtutem, testimonium illis reddo, & suprà virtutem voluntarij fue-

runt] Testis ille, qui aderat & videtat : nec sensibus tamen testimonium nixum est, sed suffultum virtutibus. Testor, Græcè μαρτυρῶ. Et scimus quia testimonium eius verum est. Trium autem testis est Apostolus. Primum est, dedisse secundùm virtutem : id non adeò mirum, idcircò testimonium non præposuit Apostolus, sed interposuit. [Secundùm virtutem.] Testimonium præmittendum non est, quia tam facile creditu, quàm factu tam vulgare. Nobis tamen mirabile. Quotusquisque enim id facit? Dare enim secundùm virtutem, non est tantum dare superflua, quomodo capillos pectendo deiiceres potiùs quàm demeteres; sed & ea quæ ornamento sunt & in pretio, quomodo capillos detondendo potius deponeres quàm nectendo expingeres. [Pro viribus. Quantum, vt exponit Ambros. dignum fuit, & Deo placitum, qui vires illorum sciuit.] Ne, illi grande opus faciunt, qui vile onus decutiunt; qui superfluos non tam detrahunt capillos, quàm caducos sentiunt profluosque : tota ipsa capillatura resecanda est, si fidelibus tanquam Domini pauperibus est necessaria. Secundum, dedisse suprà virtutem : & ideò mirum, vt præmittendum fuerit Pauli testimonium : [Testimonium illis reddo, quia & suprà virtutem.] Supra vires facultatesque. Non solùm suis non pepercerunt facultatibus, sed suis etiam necessitatibus & vestitum detraxerunt & victum : tantum enim dederunt, vt & ipsi eguerint; tam parum audierunt necessitatem, vt & ipsi senserint paupertatem. [Eiusmodi, ait Chrysostomus, libertatem præstiterunt, cuius multò maior, quàm paupertatis amplitudo esset.] Triplex quippe gradus, superfluitatis, dignitatis, necessitatis : primus infra virtutem, secundus iuxtà virtutem, tertius suprà virtutem; hucusque peruenerunt Macedones, id est supremum attigerunt gradum. Tertium, quòd voluntarij. Græcè αὐθαίρετοι, vltronei, spontanei, & ad tribuendum largiendumque promptissimi. Non enim inducias petierunt, non deliberandi tempus aut concertandi, sed protinus pecunias suas profuderunt in eleemosynas. [Neque enim, vt ille ait, donorum amplitudine vel tenuitate, sed donantium animo ac voluntate liberalitas æstimatur.] Nec enim qualis sit manus spectatur, sed qualis animus.

Ambrof. in Paulum

Chrysost. Hom. 16.

Tres gradus distinguendi in danda eleemosyna.

Chrysost. ibidem.

Quoad 2. Quantis agimus, vt Christianum compellamus ad officium; vt & debitum exigamus, nec quicquam proficimus? At illi non rogantur, sed rogant; nec arbitrantur alteri gratiam impendere, sed eam putant sibi contingere. [Cum multâ exhortatione obsecrantes nos, gratiam & communicationem ministerij quod fit in sanctos.] Ipsi adhortantur, deprecanturque; nec precibus duntaxat, sed & rationibus inducunt, imò & cogunt. Quid est enim obsecrantes? Id est, vt exponit Aquinas : [Non solùm rogauerunt, sed etiam per rationes nos induxerunt : vt habeant gratiam & communicationem ministerij : id est, vt liceret eis dare sua pauperibus sanctis qui sunt in Hierusalem, non reputantes se facere gratiam nobis, sed quòd eis gratia fiat.] Ita ille agebat, cum dicebat : [Melius est vt accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerunt coràm eo.] Mirum charitatis ingenium est, mirum & liberalitatis artificium. Non sunt adhortandi ad largiendum, qui voluntarij sunt, sed adhortantur ipsi ad suscipiendum : non sunt deprecandi, sed deprecantur, suadent, persuadent, instant, impetrant; opportunè importunè vrgent, extorquentque si non ab inuitis, certè à minùs spontaneis voluntariisque. [Quoniàm, ait Chrysostomus, hoc potissimum apud Corinthios efficere ac consequi studebat Apostolus, vt cum inductione animi & voluntate largirentur, in eâ re præsertim immoratur, dicens, Cum multâ exhortatione : & obsecrantes nos. Non eos, inquit, rogauimus, sed ipsi nos.] Tria ergo dantium genera. Primum, est eorum qui annuunt aliis petentibus : secundum, eorum qui petunt, vix aliis annuentibus, creduntque se beneficium aut donum non facere, sed accipere : tertium, eorum qui vim faciunt renuentibus, coguntque recipere quod ipsi constituunt effundere. Hæc vis Deo grata est. [Non enim perit quod effunditur.] Imò perit si non effunditur. [Vides quòd affluant, non vides quod effluant?].

Aquin. lect. 1.

4. Reg. 5.

Chrysost. Hom. 16.

Tria sunt liberalium aut largientium genera.

Augustin. in Psalm.

De tertio. Vim omnem sermonis excesserunt, dum tanti tamque ardui spem vicerunt Apostoli. [Et non sicut sperauimus : sed semetipsos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.] Multum quidem ab illis sperauimus licet egenis, sed omnem superarunt exspectationem : multum præsumpsimus, sed suprà omnem dederunt contuleruntque præsumptionem. Quamuis enim de paupertate suâ excipere possent, quamuis de reciprocâ necessitate sibi possent metuere : tamen & reliqua omnia tribuerunt quasi cæduos capillos, nec nuditati præcauerunt aut paupertati. [Locuples vtique testis Apostolus : Nunquam fore sperauissemus, inquit, vt, cum in tantâ calamitate ac paupertate versarentur, nos etiam ipsi adurgerent, ac tantopere obsecrarent. In omnibus rebus eorum obedientia spem nostram exspectationemque superauit.] Quid igitur non de vobis cogitandum est, ô Corinthij, qui diuites estis & opulenti, qui rogati estis & interpellati, qui non minùs eloquentes quàm docti, qui mira scitis, mira dicitis? Nonne, qui in omnibus abundatis fide & sermone & scientiâ, in hac etiam gratiâ, non dicendi iam, sed faciendi ac largiendi, non ratiocinandi, sed operandi, abundabitis : num tam affluenter dabitis quàm & alacriter? Sed tria superaddenda sunt, quæ sunt vera largitionis omnis ac liberalitatis principia. Primum est, semetipsos dedisse Domino. [Quid autem est, ait Chrysost. Domino semetipsos dederunt? Hoc est, dicarunt, & consecrarunt. Non enim partim Deo, partim mundo, sed omnia Deo : atque etiam seipsos totos ei dederunt.] Qui ergo dedit animam suam, quomodo recusabit substantiam suam? Qui seipsum & totum tradidit & integrum, an & sua denegabit? Secundum, semetipsos tradidisse, non solùm Deo, sed & Apostolo. [Primum Domino, deinde

Chrysost. Hom. 16.

Quænam largitionis ac liberalitatis sint principia.

Chrysost. ibidem.

Aquin. lect. 1.

nobis.] Nimirum, vt exponit Aquinas: [Tanquam Dei vicariis.] Non diuiserunt inter Deum & nos: sed quod diuino consecrarunt ministerio, per nos dispensarunt, & ad Deum per nos retulerunt. Tertium, & hoc fecisse, [Per voluntatem Dei.] Non humano sensu, sed diuino instinctu. [Quoniam enim dixerat, ait Chrysostomus, Semetipsos nobis dederunt, non, inquit, humano affectu, sed iuxtà Dei voluntatem hoc quoque ab iis factum est.]

Chrysost. Hom. 16.

DISSERTATIO TERTIA.

De Paulino imperio.

INdulget, sed non iubet: placetque remittere, quia non lubet impellere. [Vide, ait Chrysostomus, quomodo assiduè illis indulgeat, quomodo minimè grauem ac violentum ac imperiosum se præbeat. quoniã enim perpetuam admonitionem adhibuit, ac Macedonas summis laudibus extulit, ne hoc vis cuiusdam, coactionis speciem habere videatur, ait, Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem etiam vestræ charitatis sinceritatem comprobans. Non vt dubitans (neque enim istud hoc loco significat) sed probam eam efficiens ac declarans, & firmiorem reddens. Ob id enim his verbis vtor, vt vos ad eandem animi promptitudinem extimulem. Ob id studium eorum commemoraui, vt animi vestri propensionem illustrem atque excitem.] Mauult ergo proponere exemplum, quàm præceptum imponere; mauult ducere, quàm impellere; consilio agere quam imperio. [Et consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est.] Alienæ potius vtilitati cõsulit, quàm auctoritati propriæ: idcircò amicis potius eligit verbis agere quàm regere basilicis. [Vide rursus, ait ille, quantam curam adhibeat, ne grauis ac molestus sit, atque his duabus rebus sermonem mitiget, dum ait, Consilium do: &, Quod vtile est. Neque enim cogo ac vim infero, inquit, atque ab inuitis extorqueo: sed in his verbis, tam eorum, qui accipiunt, quàm, vestram vtilitatem mihi propono.] At ego ex Paulo tria mihi propono differtanda. Primum est, nullum imperium maius esse Apostolico: secundum, consilium consistere cum imperio: tertium, melius verbum consilio procedere quàm imperio.

Chrysost. Hom. 17.

Imperium speciem habet cuiusdã coactionis.

Chrysost. ibidem.

Quoad primum. Principes sunt Apostoli, super omnem terram à Deo constituti, id est toti mundo præpositi, ideoque regum omnium potentissimi. [Ipsorum quippe iussa, pro suo tantùm tempore lata, ait Chrysostomus, & valida intra eorum fines, iussa autem piscatorum per vniuersum orbem terræ extensa sunt. Imperator Romanorum Persis nõ posset leges ferre, nec Persarũ rex posset leges ferre Romanis: hi autem Palestini, & Persis, & Romanis, & Thracibus, & Scythis, & Indis, & Mauris, & vniuerso denique orbi terrarum leges dederunt, nec solùm dum ij viuerent, firmæ, & ratæ fuerunt, sed iis etiam mortuis confirmatæ sunt; & qui eas leges acceperunt, mallent animam millies profundere,

Chrysost. Hom. 44.

Imperium à tribus rebus commendatum.

A quàm ab illis desciscere.] Tria sunt quæ commendant imperium, præstantque verè augustum, verè gloriosum. Primum est, vniuersalitas, si nullo loco excluditur, si nullo concluditur termino. [Vide, ait Augustinus, templum regis, quàm latè diffusum. Hæc est Catholica Ecclesia.] Vniuersalis, vbique diffusa; quæ nec finem timet, nec habet limitem: tam latè patet imperium Apostolicum. Secundum, firmitas, quid enim vniuersalitas prodest, si subest infirmitas? Vnde cum de tanto imperio dixisset pater ad filium: [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.] Statim addit: [Reges eos in virgâ ferreâ.] Id est, vt exponit Augustinus, [In inflexibili iustitiâ.] Alia

Augustin. Enarrat. in Psal. 44. vers. fin.

B sceptra videntur arundinea, adeo nutant vniuersa: at illud tam firmum quàm & iustum, tam immutabile quàm & inflexibile. Tertium, dignitas, quid enim magnum aut gloriosum stirpibus imperare aut corporibus? At grande & illustre animabus imperare ac spiritibus. [Aliud ergo imperij genus est, ait Chrysostomus, ac ciuili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Illud nimirum, quod in Ecclesiâ viget, cuius etiam ipsius mentionem Paulus facit, cum ait: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Hoc enim imperium tanto ciuili excel-

Augustin. Enarrat. in Psal. 2. circa med.

Chrysost. in Moral. Hom. 15.

C lentius est, quanto cœlum terrâ: imò etiam multò præstantius.]

Quoad secundum. Varia sunt imperandi genera, sed quo mitiora sunt, eo sunt gratiora. Olim non solùm familiares sed & humiles erant medici, tamen & imperatores dicti, monitaque eorum seu consilia, præcepta dicta sunt & imperia. [Medico, ait Seneca, qui nihil amplius quàm manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, sine vllo affectu facienda vitandaque præcipiens, nihil amplius debeo: quia me non tamquam amicum vidit, sed tamquam imperator.] Ita lego, &

Sen. l. 6. de benef. c. 16.

D ita legendum puto ex sensu & contextu. Quidam tamen volunt, [Imperatorem.] Reuera enim medici olim serui & inglorij, aut certè fortis nõ dignioris: idcircò Varro lib. 1. de re rust. [Vicinos habent quibus imperent, medicos, fullones, fabros.] Et Alfenus lege 26. de Libert. [Medicus qui putaret, multò plures imperantes sibi habiturum.] Patronos nimirum dominosque. Verùm & vsus reclamat & sensus: non enim æger medico, sed ægro imperat medicus: quin & si me vidit vt imperatorem, plus illi debeo, quia non solùm medicatus, sed & veneratus est: etsi enim nullo forsan affectu, non tamen sine vllo cultu: coluit

Ægro imperat medicus, non æger medico.

E enim, cum me vt regem ac imperatorem habuit. Vult ergo Seneca, me nihil amplius illi debere, seu salarium sufficere, nec me debere illi honorarium, quia me non tam amicè aut honorificè inuisit, quàm basilicè: obambulans enim ad me venit, venam obiter tetigit, nonnihil festinanter præscripsit, sine curâ, sine diligentiâ, sicque ægrum me quidem censuit & indigum, sed inter subditos potius quàm amicos recensuit. Itaque imperatores medici dum præscribunt, præcipiunt, dum ordinant,

nec seruis solùm suis, sed & patronis imperant. Quocirca non malè reponunt, qui ita legunt. [Non me tanquam amicus visit, sed tanquam imperator.] Itaque tria obseruanda sunt in Seneca. Primum est, amicum opponere ac medicum. Ita ille ibidem. [Tantum aliis vacauit, quantum valetudo mea permiserat. Huic ego non tamquam medico, sed tamquam amico, obligatus sum.] Alterum, proprium esse medicorum, imperare. Ille, [Si intrassem, inquit, valetudinarium, exercitatus medicus ac sciens, aut domum diuitis, non idem imperassem omnibus per diuersa ægrotantibus.] Nihil omittendum, quia nihil non necessarium. Tertium, imperia medicorum esse despotica. [Eosdem ægros vide, ait & ille, si mortis periculum admotum est propius, medicorum genua tangentes: omnia sua, vt viuant, paratos impendere.] Nam, vt dixit Epictetus: [Si mors seni aduenit, vitam desiderat, medicum accersit, & orat submissè nihil omittere industriæ in medendo.] Veniam nimirum rogans, obtestans misericordiam. Itaque serui sint seruorum medici, tamen & imperatorum imperatores sunt, regum præceptores, dum salutaria consulunt, dum consilia suggerunt tuendæ vitæ necessaria.

Seneca lib. 1. de ira cap. vlt.

Sen lib. de breuit. vit cap. 8.

Quoad tertium. Paulus noster, & pater & medicus: id est, amicus simul ac medicus, non tamen corporum, sed animorum, quibus consilia gratiora sunt quàm imperia. [Nihil enim eum, qui imperium gerit, (verba Chrysostomi) æquè indicat, vt amor atque indulgentia erga eos quibus præest. Nam & patrem non modò sobolis procreatio facit: sed etiam post procreationem amor. Quòd si vbi natura est, tantus amor requiritur: quantò magis vbi gratia? Ita Moses subditorum amore ductus, ingentes opes ac thesauros omni sermone sublimiores reliquit, potius habens affligi cum populo Dei. Quin prius etiam, quàm dux creatus fuisset, rebus ipsis populi moderator erat. Quarè perquàm stolidè ad eum Hebræus ille dicebat, Quis te constituit principem ac iudicem super nos? Quid ais? opera cernis: & de nomine dubitas? Perinde ac si quis medicum peritissimè secantem, atque ægrè corporis parti opem afferentem, conspiciens dicat, Quis te medicum constituit, ac secare iussit? Ars nimirum ipsa vir optime, ac morbus tuus. Eodem modo hunc quoque artis scientia ad talem dignitatem euexit. Neque enim imperium tenere, dignitas tantùm est: sed ars etiam, & quidem artium omnium præstantissima & sublimissima. Nam si externum ac profanum imperium ars est, & scientia omnium præclarissima: multò profectò magis hoc Apostolicum. Tanto quippe hoc imperium illo præstantius, quantò illud reliquis antecellit: imò verò longè etiam magis. Primum namque non hoc præcipuo studio spectat, vt perpetrata scelera vindicet, sed vt ne omninò quidem perpetrentur. Deinde si perpetrata sint, non vt ægrotantem de medio tollat: sed vt ipsa deleantur. Ad hæc, rerum quidem huius vitæ paruam omninò rationem habet: verùm pro cœlestibus omnia agit ac decernit.] Sed dum agit ac decernit, consilio

Chryost. in Moral Hom. 15.

Ars artium est regimē animarum.

A potiùs agit quàm imperio, meliusque procedit ac feliciùs, dum consulendo decernit, quàm dum cogendo præcipit. [Qui enim præsentis vitæ imperio potiuntur, ait ille, tantò iis, penes quos Ecclesiasticum imperium est, inferiores sunt, quantò minùs præclarum est inuitis, quàm volentibus imperare. Nam hoc etiam naturæ consentaneum imperium est. Etenim illic quidem omnia metu ac necessitate perficiuntur: hic voluntas liberaque animi sententia omnia exequitur. Nec verò hac tantùm ratione hoc imperium illi præstat, verùm ob hanc etiam causam, quòd non solùm imperium est, sed etiam paternitas, vt ita dicam.

Chrysost. ibidem.

B Nam patris mansuetudinem ac suauitatem habet: cumque maiora præcipiat, ea tamen persuadet.] Itaque sicut suadendo docet, sic & iubet consulendo: talia enim præcipit, & ea suggerit consilia, quæ non solùm vtilia vitæ æternæ consequendæ, sed & planè necessaria: vt & dictata, seu præcepta, sint ipsamet imperia, nec tam facto quàm verbo dissimilia. Actum enim de iis qui monitis placitisque non acquiescunt: & qui audire renuunt & obedire, seipsos, non tam auctoritatis opprimunt mole, quàm pernicie voluntatis inficiunt.

C

DISSERTATIO QVARTA.

De gratiâ à Christo collatâ.

SIcut duo exempla, sic & duplex gratia. Primum exemplum à Macedonibus. [Notam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ.] Alterum à Christo deductum. [Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi; quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues: vt illius inopiâ vos diuites essetis.] Duo illa exempla ad eundem collimant finem, sed gratiam diuersam indigitant. Vult enim inducere

D Paulus Corinthios ad liberalitatem, idcircò primò Macedonas proponit, qui cum iam essent pauperes nedum tenues, copiosè tamen contulerunt, se suaque sancto deuouerunt ministerio, tum & exemplum adducit Christi, qui cum ditissimus esset, vtpote rerum omnium tam cœlestium quàm & terrestrium Dominus: nihilominus propter nos egenus factus est. Vbi tria ab Aquinate obseruata sunt. Primum est, non dicere Apostolum, cum fuisset pauper, sed cum esset pauper: secundum, non solùm pauperem factum, sed & egenum: tertium, eo modo factum pauperem seu egenum, quo hominem, sed abiectum. Et inde patet

E quàm diuersa sit gratia quæ Macedonibus à Deo collata est, & ea quæ à Christo Domino omnibus hominibus allata. [Est ergo gratia ista, ait Aquin. Quoniā propter nos egenus factus est, & dicit, Egenus, quod plus est quàm pauper. Nam egenus dicitur ille, qui non solùm parùm habet, sed qui indiget seu eget: pauper verò ille, qui parùm habet. Est autem factus egenus, non ex necessitate, sed ex voluntate, quia gratia ista tam non esset gratia. Dicit autem, esset, non fuisset, ne videretur Christus amisisse diuitias spirituales, cum assumpsit

Aquin. lect. 2.

Quomodo simul in vnum diues & pauper.

paupertatem. Sic enim assumpsit hanc paupertatem quòd illas inæstimabiles diuitias non amisit. Psalm. 48. Simul in vnum diues & pauper.] Sed iam tria restant dissertanda. Primum est, Qualis fuerit paupertas Christi: alterum, quomodo nos illius inopiâ ditati fuerimus: tertium, quanta sit illa gratia.

Quantum ad primum. Nunc egenum vocat Christum Apostolus, nunc inopem, nedum pauperem: & ex Græco verbo significat, non solùm pauperem factum, sed & passum paupertatem. [Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.] Quis illud dixit? Dauid: non tamen in personâ suâ, sed in personâ Christi: vnde & addit: [Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.] Id est purus, ab omni labe, ab omni sorde alienus. [Hoc verò, (vt dicam ex Augustino) quoniam sanctus sum, nescio vtrum potuerit fortè alius dicere nisi ille, qui sine peccato erat in hoc mundo: peccatorum omnium non commissor, sed dimissor. Agnoscamus ergo vocem dicentis, quoniam sanctus sum: vtique in illâ formâ serui quam assumpserat.] Plus est, quod & Christus mendicus sit. [Et persecutus est hominem inopem & mendicum.] Quis persecutus, & quem persecutus est? Iudas Dominum. [Quia, vt ait Augustinus, non est dedignatus Dominus pauper fieri cum diues esset, vt illius paupertate nos ditaremur. Mendicum autem intelligam, quia dixit mulieri Samaritanæ; Da mihi bibere: & in cruce ait: Sitio.] Sunt ergo tres gradus, pauperem esse, id est parùm habere, inopem esse, id est nihil habere: mendicum esse nedum egenum, vestitum scilicet aut victum quærere: & hic extremus, & altissimus omnium gradus. Primus quippe gradus, non tam miseriarum cumulus est, quàm modus diuitiarum. [Quis sit diuitiarum modus, quæris? ait Seneca. Primus, habere quod necesse est.] Natura quippe paucis contenta: vitam poscit, non copiam, nec tam commoditati consulit quàm necessitati. Cui enim quod satis est, satis non est, nihil ei satis est. Alter gradus, penuriam quidem patitur, verùm si non solùm succurratur ab amicis, sed & præueniatur, nondum in extremam redigitur angustiam. Mendicus porrò, non solùm nihil habet, in quo pauperem superat; sed & ad alienum, ne dicam & extraneum pendet arbitrium, in quo quemuis inopem exsuperat. Tria enim simul congesta sunt, quæ patientiam probant, dum parant molestiam. Primum est petere, nihil durius: alterum, spem inter pendere ac timorem, nihil acerbius: tertium, repulsam ferre & ignominiam, nihil contumeliosius. Et quidem parum est pauperem fieri, multum verò paupertatem pati: nam paupertatem pati non est aliud quàm omnibus pauperum angustiis, omnibus moestiis premi: omnes difficultates subire, incommoditates sustinere: quod ipsis mendicis accidit, aut nullis accidit.

Augustin. in expos. Psal 85. post init.

Augustin. Exposit. 2. Psal. 108. cir. med.

Sen ep. 2.

Tria simul in mendicitate sunt congesta.

Christus ergo omnium pauperrimus, nihil prorsus habuit, cum extremam elegerit inopiam, ne dicam altissimam, id est, ad fundum vsque & ad extremum exhaustam. Quid altissima paupertas? [Ingens, ait Chrysostomus,

Chrysost. Hom. 16.

A atque omnem vim sermonis excedens] Sed id repertum est in Christo, quo altiùs ascenderet, aut quo se profundiùs demitteret. [Ille Dominus in humilitate, ait Tertullianus, & ignobilitate incessit, domicilio incertus: nam filius, inquit, hominis non habet vbi caput collocet.] Non fero illos Christianos, qui Christum nollent, nisi esset formosus; nollent illum regnare super se, nisi dominationem terrenorum haberet, proprietatem temporalium: id est, volunt Christum sed Iudaicum, regem colunt, sed terrestrem; id est, non spiritalem, sed temporalem. [Non enim, vti dixit Augustinus, rex Israël Christus ad exigen- B dum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed rex Israël, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat.] Quid illi cum terrenis, quæ semper proculcauit? Quid illi cum vanis, quæ semper abdicauit? Si summa proprietas, vbi summa paupertas? si dominatio terrenorum, vbi terrenorũ abdicatio? maximè cũ vbi titulus ambitiosior est, illic & animus sit elatior. Inde & Apostoli, perfectissimi vitæ Christianæ magistri, nullã habuerunt proprietatẽ, imò summam coluerũt paupertatem, C [Quid dixerunt? ait Augustinus. Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te] Ex instituto scilicet & voto. Ita Franciscus auitæ disciplinæ præcipuus restaurator, Minoritanæ familiæ fundator inclytus, Christi crucifixi viuus repræsentator, paupertatis non minùs quàm humilitatis suprà omnes mortales ambitiosus amator: omnem prorsus proprietatem, imò legem omnem tam paupertatis minuendæ, quàm ineundæ proprietatis abrogauit; dum nummum, vsque ad contactum, suis amputauit. Quod non sic intelligendum est, quasi nullum ius habeant, alioquin non tam religiosi essent quàm iniuriosi, vt qui ius fasque concuterent D sed qui ius suum teneant, quasi munus alienum. Est enim hocce seu iuris seu muneris genus, in tantum non suum, seu non proprium, in quantum ab alio dependens; non absolutum sed ad alium sese referens, vtpote in alieno constitutum arbitrio. Sic enim & mortalium pauperrimi, sic & pauperum miserrimi, ius habent vtendi, quandiu placet domino concedenti; sicque tenent vt nihil habeant, nihil tamen in alio, ius habenti solidum & integrum, non possideant.

Tertullian. l. de Idolol c. 18.

Augustin. Tract. 51 in Ioan.

Augustin. con. 3. Ps. 103.

Fratres minores nihil habent, & omnia possident.

Quoad secundum. Ita sumus ditati paupertate Christi, sicut morte eius sumus viuificati. [Attendamus, ait August. ad indiciũ dilectio- E nis & promissionis Dei. Tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Quis mortuus est? Vnicus. Pro quibus mortuus est? Vtinã pro nobis, vtinã pro iustis. Sed quid? Etenim Christus, ait Apost. pro impiis mortuus est. Qui donauit impijs mortem suam. Quid seruat iustis nisi vitam suam? Apparuit ergo hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ accipere quod hîc abundat opprobria, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostrâ, ad talia commercia venit. Quid hîc dedit? quid hîc accepit?

Aug. Enar. in Psal. 148 circa med.

Christus pertulit mala nostra & bona sua contulit.

accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum: accepit contumelias, mortem, crucem. Attulit nobis de illâ regione bonâ, & in regione nostrâ ipse pertulit mala.]Eat nunc aliquis Valentinianus, & dicat, Christum quidem assumpsisse carnem, sed cœlestem, humanitatem induisse, sed spiritalem. [Quomodo enim, ait Tertullianus, contemni & pati posset, si quid in illâ carne de cœlesti generositate radiasset? Ex hoc ergo conuincimus nihil in illâ de cœlis fuisse, propterea vt contemni & pati posset.] Itaque sicut terrenâ carne assumpta, terrenæ labis maculas purgauit; verâ morte susceptâ, æternæ mortis pœnas expiauit, gloriam denique conciliauit per ignominiam: ita per inopiam nobis abundantiam peperit, per voluntariā cessionem bonorum honorumque temporalium dissimulato excellentiæ seu eminentiæ dominio, nobis amplissimam spiritalium opum possessionem contulit. Abeant nouantes aut sileant: non enim minùs pestilens, nedum insolens præsumpta opinionum temeritas, quàm profana vocum nouitas. [Exierunt nonnulli, ait Siricius, qui statuta maiorum contemnentes, castitatem Ecclesiæ præsumptione suâ violarunt, voluptates populi sequentes, Dei iudicium non timentes.] Vnum nobis præsidium est, antiquis niti, & cū ipsis loqui. Quòd si fecerimus, si tritis patrum nostrorum institerimus vestigiis: [Cessabit ambitio, ait ille, dissentio conquiescet, & schismata non emergent; locum non accipiet diabolus sæuiendi, manebit vnanimitas, iniquitas superata calcabitur, charitas spiritali feruore excitabitur, pax prædicata labiis concordabit.]

Tertullian. lib. de carne Christi. cap. 11.

Siricius epist. ad epis. Afr.

Quoad tertium. Iam præcipis quanta sit illa gratia à Christo collata, sed nondum in totum percipis: [Causamquippe, vt ait Aquinas, quare Christus voluit fieri egenus, subdit Apostolus, cum dicit, Vt illius inopiâ, diuites essetis: id est, vt illius paupertate in temporalibus, vos essetis diuites in spiritualibus. Et hoc propter duo: scilicet propter exemplum, & propter sacramentum. Propter exemplum quidem, quia si Christus dilexit paupertatem, & nos exemplo suo debemus diligere eam. Diligendo autem paupertatem in temporalibus, efficimur diuites in spiritalibus. Propter sacramentum autem, quia omnia quæ Christus egit aut sustinuit, fuit propter nos. Vnde sicut per hoc quod sustinuit mortem, liberati sumus à morte æternâ & restituti vitæ; ita per quod sustinuit inopiam in temporalibus, liberati sumus ab inopiâ in spiritualibus, & facti diuites in spiritualibus.] Cape mysterium, & expende gratuitum Christi Domini beneficium. Nulla mors peior, quàm illa ad quam damnati eramus; cum non solùm æterna esset, sed & omnibus malorum omnium generibus onerata: idcircò nulla mors atrocior, quàm illa cui Christus seipsum addixit, cum non solùm ignominiosa esset, sed & omnibus dolorum omnium speciebus cumulata. Nulla maior paupertas, quàm illa, cui eramus obnoxij, cum spoliata esset donis omnibus supernaturalibus, & in naturalibus vulnerata: ideò nulla paupertas maior illâ quam suscepit Christus, cum non solùm affectibus

Aquin. lect. 2.

Quomodo Christus nobis in exemplum factus & sacramentum.

A omnibus destituta esset, sed & nonnullis naturalibus minuta defectibus. Ille ergo, cum Deus esset, non minùs temporalium omnium Dominus quàm æternorum ac spiritualium per gratiam infinitam, per immensam misericordiam factus est homo, non solùm passibilis ac mortalis, sed & miser quâ pauper, egenus, mendicus: re ac proprietate in assumptâ naturâ destitutus, ad nihilum redactus, & in totum exhaustus, vt nos ditaret affatim, & spiritualibus diuitiis, æternis cumularet muneribus. [Cogitate, inquit, (ita Chrysostomus) ac cum animis vestris reputate gratiam Dei: nec temerè ac negligenter eam præterite: verùm, B quæ & quanta sit illius magnitudo, coniicite. Ita fiet, vt nullis vestris rebus parcatis. Ille gloriam suam exinaniuit: vt vos, non illius opibus, sed egestate ditemini. Si adduci nequis, vt egestatem diuitiarum efficientem esse credas, fac animo tuo se obiiciat Dominus: & de eâ re ambigere desines. Nisi enim ille pauper factus fuisset, tu diues minimè extitisses. Diuitias porrò hoc loco appellat pietatis cognitionem, peccatorum purgationem, iustitiam, sanctificationem: ac mille alia bona, quæ nobis largitus est, ac largietur.] In quibus tria simul occurrunt, non minùs mira, C quàm & inaudita. Primum est, contrarium ex contrario educi: vitam ex morte, copiam ex paupertate: alterum, supremum excessum, produci ab extremo defectu, totum ex nihilo, abundantiam bonorum omnium ex profundissimâ rerum omnium inopiâ: tertium, æterna fieri ex temporalibus, inuisibilia ex visibilibus, spiritalia ex corporalibus, nihilumque ipsum in diuinum adduci commercium.

Chrysost. Hom. 17.

DISSERTATIO QVINTA.

De æqualitate & inæqualitate.

D ÆQualitatem inducit Apostolus, nec tamen præcipit paritatem: si enim omnes omninò ex æquo diuites sunt, iam desunt pauperes, si desunt pauperes, iam diuites deficiunt, etiam dum proficiunt: nullos enim amicos facient de mammona iniquitatis, dum nullos inuenient, per quos admittantur, & in æterna recipiantur tabernacula. Nullus tamen proficit, nisi qui deficit: vnde Christus: [Facite vobis amicos de mammonna iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.] Vnde & Chrysostomus: [Euacuemus, inquit, iustè diuitias, congestas iniu- E stè.] Non solùm quod tu iniquè congesseris, sed & quo ab iniustis congestum, tu legitimè collegeris: cum necesse sit ex diuitibus prædecessoribus aliquem raptorem fuisse vsurpatorem ve: itaque euacuanda labes, purganda iniquitas, res aliena pauperibus restituenda vt hæredibus, rapacitas expianda reparandaque. Deficiendum est, decrescendumque de prouectu, de statu, si vis saluus fieri, vel tutus, si vis cum pauperibus & à pauperibus in æterna tabernacula recipi. Sed si omnia tua dederis, si in totum & vsque ad nihilum defeceris: iam non habebis vnde tribuas, vn-

Luc. cap. 16.

Chrysost. Hom. 11. ad pop. Antioch.

Iniquæ dicitur quia ab iniquis & iniustis partæ.

de quotidiana peccata continuis redimas eleemosynis. Proficis ergo dum deficis: sed si in totum deficis, si teipsum exhauris, profectum sistis, dum proficiendi, & in hoc negotio agendi neruum abscindis: & dum malum curas alienum, tuum aduocas. [Non enim vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate: in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum: vt fiat æqualitas, sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit. [Tria ergo disserenda sunt. Primum, quænam præscripta diuitum ac pauperum æqualitas: secundum, quænam futura bonorum omnium communitas: tertium, quænam proposita æqualitatis figura & communitatis.

De primo. Æqualitatem appetit Apostolus, ideoque semel & iterum repetit; sed admittit inæqualem, ideoque nullum suis spoliat, vt alium vestiat extraneis. Admittit, inquam, quia cuperet omnes esse æquales, tam pauperes quàm & continentes, velletque cum Christo & seipso, tam profundissimam profiteri paupertatem, quàm summam operari liberalitatem; parcit tamen nec præcipit, quia cum infirmis agit, mundo adhuc addictis ac commercio. Corinthus quippe, ciuitas negotiosissima simul & opulentissima, ideoque non luxûs tantùm, sed & luxuriæ feracissima; occasionem potiùs colligendi quærens quam tribuendi, imò rationem causata non largiendi; & si non de egestate suâ, saltem de alienâ otiositate, aut necessitate præsumptâ excipiens. [Possent ergo dicere isti, (ita Aquinas) Si damus eleemosynas pauperibus sanctis, qui sunt in Hierusalem, ipsi otiosi viuent, & nos damna patiemur, & sic efficiemur miseri. Itaque Apostolus hanc suspicionem excludit, cum dicit, Non enim ita moneo vos eleemosynas dare, vt aliis sit refrigerium, dum otiosè viuerent de eleemosynis vestris: vobis autem sit tribulatio, id est paupertas quâ vos affligeremini. Illud autem quod dicit, condescendendo fecit, quia infirmi erant; & fortè deficerent, si egestate premerentur: quamuis melius esset totum dare pauperibus & affligi pro Christo. Dicit ergo, Non intendo tribulationem vestram, sed quandam æqualitatem: non quæ sit secundùm quantitatem, sed secundùm proportionem.] Geometricam vocant non arithmeticam, & ad certam quandam reuocant mensuram, vt summa in excessu aut defectu tollatur inæqualitas, & nonnulla in affectu inducatur æqualitas: vt illi quidem habeant, isti verò non indigeant; vt si copia non sit, adsit tamen sufficientia. [Quia ergo, ait Chrysostomus, Corinthios alloquebatur, vbi esurire malebat, ob eam causam admonitionem suam temperat. Illos quidem, inquit, qui suprà vires largiuntur, laudo: hos tamen, vt idem faciant, haud adigo. Non quod nollet: sed quia imbecilliores erant. Alioqui cur illos hoc nomine laudibus effert, quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij eorum

Aquin. lect. 2.

Æqualitas, vt habeant alii, non alii tamen indigeant.

Chrysost. Hom. 17.

A fuerit, & altissima paupertas eorum superabundauerit in diuitias simplicitatis eorum: & quòd supra virtutem tribuerint? An non perspicuum est, eum his verbis id agere, vt hos quoque ad earundem virtutum studium incitet? Quocirca etiamsi minora ipsis concedere videtur, hoc tamen eo consilio facit, vt ipsos, per illa ad hæc subuehat.] Scopum ostendit quo tendant, sed præceptum non imponit, quo vltrò accedant, nec tam ex imperio, quàm ex consilio.

De secundo. Actum est de temporalibus, nunc agendum de spiritualibus: sed quia & ipsa suum tempus habent, remque continent ac rationem: de re agendum, de tempore, de ratione. De re quidem: tanta communitas debet in Ecclesiâ Christianâ esse, quanta & societas. [Ecclesia enim, vti dixit Ambrosius, quædam forma iustitiæ est, commune ius omnium: in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui seipsum sibi abnegat, ipse iustus, ipse dignus Christo est.] Religiosi ius habent non singulare in temporalibus, sed commune, Minoritani nullum præter alienum beneplacitum, vt qui aliundè acciperet, aut mensæ assidere t alienæ: Christiani, seu fideles omnes ius habent vniuersale in spiritualibus. Commune corpus, commune & opus; communis domus, vt & sensus & affectus communis. [Et quidem, ait Chrysostomus, si concordia perfectè seruaretur à nobis, nullam aliam domum præter hanc haberemus. Et hoc quod dixi non esse durum, testantur illa tria millia, & quinque millia hominum, quibus & domus vna, & mensa vna, & anima vna erat. Multitudinis enim credentium, inquit, vnum erat cor, & anima vna. Sed quia longè ab illorum virtute absumus, & per domos disiuncti sumus, saltem quando huc conuenimus, id omni studio faciamus. Nam etsi in aliis rebus pauperes, & inopes sumus, hoc loco saltem cum huc ad vos intramus, cum charitate nos suscipite: cumque, Pax vobis, dico: Et cum spiritu tuo, non voce solùm, sed animo quoque respondete.] Ingressus quippe Ecclesiam suam Episcopus, tesseram communicationis proferebat, referebatque populus in vnam fidelium omnium, & præsulum & aliorum concordiam. Pacem inibant, & eo symbolo innuebant, bona omnia, quæ in Ecclesiâ fiunt, esse communia. De tempore: duplicis æqualitatis meminit Apostolus, sed secundùm tempus distribuit. Prima æqualitas, est bonorum temporalium: & hæc, [In præsenti tempore.] Altera, bonorum spiritualium. [Vt fiat æqualitas.] Non dixit, vt prius, [Ex æqualitate in præsenti tempore.] Sed, [Vt fiat æqualitas.] Quia futurum tempus denotat. Nimirum, [Vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.] Supplete nunc, & in momentaneâ hac necessitate quod fratribus vestris deest in temporalibus, & ipsi tunc seu in die illâ supplebunt quod vobis deerit in spiritalibus: date & dabitur, cumulate & compensabitur. [Quid enim est quod ait? (verba Chrysostomi) Vos opibus floretis illi vitæ integritate, & libertate ac fiduciâ apud

B Ambros. lib. 1. de off. c. 28.

C Chrysost. Hom. 33. in Matth.

D Spiritalia bona inter Christianos ipsos communia.

E

Chrysost. Hom. 17.

Deum. Proinde de opibus quæ vobis redundant, ipsis autem desunt, eis impertite: vt de eâ fiduciâ, quâ ipsi abundant, vos autem indigetis, ipsi vicissim accipiatis.] Cum scilicet Christus acceperit tempus, & vnicuique secundùm opera sua reddiderit. Iam verò de ratione: præcipua sanè ratio communitatis, est ipsa charitatis communicatio: dignum enim & æquum est, vt qui dat recipiat, metatque ille qui seminat. [Vt scilicet, ait Aquinas, sicut illi sustentatur eleemosynis vestris, ita vos ditemini precibus illorum apud Deum. Sicut enim illi non ita ditantur de bonis vestris temporalibus, sicut vos estis diuites, ita nec vos bonis illorum spiritualibus ditemini sicut illi.] Itaque non ex dimidio, sed ex æquô: cur enim alij aliis spiritalem abundantiam communicare nollent, cur charitatem ac pietatem iis recusarent, quorum temporalem copiam experti sunt; cur supplicare pro eis parati non essent, à quibus pietatis opera, charitatis receperunt officia? Ita par quidem pari redditur communicando, sed inter communicantes, non tam par pari, quam simile simili æquando, vt sint omnes non tam æquales quam non dissimiles, retribuitur.

Aquin. lect. 1.

De tertio. Non solùm communicationem per rationem inducit Apostolus, sed & historiam vertit in allegoriam. [Postquam enim, ait Chrysostomus, eos non tantùm dare sed etiam maiora vicissim accipere demonstrauit, aliâ quoque ratione alacres eos ad dandum efficere molitur, illud ostendens, quòd ne si sua quidem aliis minimè impertiuerint, quicquam tamen amplius habituri sint, etiamsi omnia domi congesta habuerint. Ac veterem historiam profert, ad hunc modum loquens, Sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Hoc autem in manna contigit. Nam & qui amplius & qui minus collegerant, eandem mensurã habere comperiebantur: credo quòd Deus hac ratione intemperantiam & inexplebilem auiditatem coerceret. Hoc porrò eò dicebat Paulus, tum ob ea, quæ tunc contigerunt, Corinthiis metum iniiceret: tum vt eos dehortaretur, ne plus habendi cupiditate vsquam tenerentur; nec ob id quòd minùs, quam alij haberent, angerentur.] Historia deprompta ex Exodo: [Collegerunt, alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxtà id quod edere poterant, congregauerunt.] Allegoria verò ex Apostolo, qui sufficientiam indicit, excludit luxuriam. [De lege, inquit Augustinus, testimonium posuit: cum enim præmisisset, Vt vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia fiat in vestram inopiam: subiungit & dicit, Sicut scriptum est: Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non defuit illi.] Ita nimirum aptissimè historiam inflectit in allegoriam, nec donum solummodo mannæ, sed & vitæ cursum producere ad institutum potuit. [Hoc namque, vti dixit Chrysostomus, in fluxis quoque & perituris rebus locum habere, ac non in manna solo, cernere est. Nam cum omnes vnum tantummodo ventrem expleamus, vnum vitæ cursum conficiamus, & vno tantùm corpore cooperiamur, nihil profectò, nec amplius diuiti ex opum affluentiâ, nec pauperi minus ex egestate futurum est.] Sed istud ex naturâ est, illud ex gratiâ.

Chrysost. Hom. 17.

Historia ad scopũ Paulinum directa

Exod. c. 16.

Augustin. lib. .. contr. aduers. leg. & Prop. c. 7.

Chrysost. Hom. 17.

A B C D E

DISSERTATIO SEXTA.

De discipulis à Paulo missis.

De Tito nullum omninò potest esse dubium: cum illum non solùm nominet Apostolus, sed & collaudet. [Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.] Viso Macedonum animo, ad hoc adductus sum & impulsus vt adhortarer Titum precarerque. [Posito namque exemplo Macedonum, ait Aquinas, ostendit se consequenter permotum esse hoc exemplo, cum dicit, Ita vt rogaremus Titum: quasi diceret, intantum nos permoti fuimus hoc exemplo de liberalitate Macedonum, vt scilicet rogaremus Titum: vt quemadmodum cœpit vos monere ad benefaciendum, postquam vidit vos correctos, ita perficiat in vobis & spiritualiter gratiam istam de largitione eleemosynarum, vt non desit vobis.] Nec renuit ille, sed volens lubensque consentit. [Gratias autem Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi. Quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos.] En quomodo & nominat simul & collaudat. [Prudentiam Pauli animaduerte, ait Chrysostomus. Dei beneficium hoc esse ostendit, proindeque eius auctori gratias agit: vt videlicet hac quoque ratione animos eorum moueat atque incitet. Nam cum Deus illum excitarit, & ad vos miserit, ipse proculdubio per illum petit.] Et quidem princeps legationis Titus, ideoque principaliter signandus commendandusque. Sed & tria pertractanda sunt. Primum est, Quinam eius comites ac socij: alterum, cur plures in hoc opus adhibiti: tertium, cur charitatem liberalitatem-ve Paulus ostendi velit in faciem Ecclesiarum.

Aquin. lect. 1.

Titus princeps Apostolicæ legationis.

Chrysost. Hom. 18.

Quoad 1. Duo socij Tito sunt superadditi: sed si vnus alio illustrior, nullus aliô est notior. De primo Paulus: [Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam quæ ministratur à nobis.] Duas habes notas, quarum prima fauere videtur Lucæ, altera Barnabæ: nec ille tamen aut iste est: sed Silas, seu Siluanus, cui si vtraque nota non competit, non competit alteri. Prima est: [Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.] Lucæ est, vt putas: tum quia Ignatius hunc locũ laudat in gratiam Lucæ, cũ quia Ecclesias relegens Epistolam in eius festo, hunc ipsũ indigitet. Non puto ego: tum quod Euangelium Lucæ nondum esset editum, tum hanc Paulus scripsit Epistolã, cum quod Apostolus

Ignat. Ep. ad Ephes.

non loquatur de Euangelio scripto, sed prædicato seu annuntiato. Primum patet ex Actuum initio. [Primam quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere.] Primum ergò condidit Euangelium, mox & Acta subdidit, tanquam librum secundum, seu appendicem consequentem ad primum. At multis post annis ab ista Epistolâ Acta dedit, ergo nondum scripserat Euangelium: ideoque nec laus eius tunc esse poterat in Euangelio à se conscripto. Alterum liquet ex tritâ loquendi formâ, quâ Paulus centies Euangelium loquitur, nec tamen vsquam scriptum comminiscitur. Agit enim de Euangelio verbo tenus annuntiato, & in manus tradito. Quoad Ignatium verò, hoc quidem elogio Lucam exornat; sed quo testimonio, non enuntiat. Quoad festum, legitur quidem Epistola, sed sensu accommodationis potius, quam textu intelligitur scriptionis. Ita in festo Magdalenæ, Euangelium Mariæ Virginis, propter solam nominis consonantiam. Ita alibi sæpè scriptura trahitur in sensum alterum, nec tamen cogitur, sed ducitur. Porrò si ista nota Lucæ competere posset, altera tamen non competeret: etsi enim tandem adhæsit Paulo, nunquam tamen peregrinationis comes ab Ecclesiis in eam gratiam ordinatus est: imò & ipse post ordinationem accessit, nec tam ritu, quàm nutu socius Pauli factus est. Et Barnabas quidem ab Ecclesijs ordinatus est: sed cùm scripta est hæcce epistola, desierat comes esse Pauli, & assumpto Marco Cyprum abierat. Posthac autem nulla iunctio vtriusque, imò nulla Barnabæ mentio. [Paulus autem electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus.] Et quidem, quòd Barnabæ conferendus sit in Euangelio prædicando, patet ex eo quod cum illo recensetur inter [Viros primos in fratribus.] Quòd autem & Barnabæ præferendus in isto pauperum sanctorum ministerio, liquet ex eo quod χειροτονηθεὶς, [In hanc gratiam ordinatus] sit. Barnaba enim digresso, Silas in hoc opus electus est, & Paulo comes adiunctus. Quoad tertium fratrem, Titi socium & comitem. [Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpè solicitum esse: nunc autem multò solicitiorem.] Potest ille esse Apollo: potest, inquam, nec tamen necesse est. [Tractat, ait Aquinas, de tertio nuntio: scilicet de Apollo: fuit enim primus, qui post Apostolũ prædicauit apud Corinth. 1. Corinth. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit. Hic autem turbatus de peccato ipsorũ recessit, & solicitudinẽ quam antè pro ipsis habebat, post posuit. Nunc verò, auditâ conuersione eorum, factus est de salute ipsorum solicitior, quàm antea esset.] Potest igitur, nec tamen necesse est: non enim tractat Paulus de prædicatione, sed de solicitudine: alij verò potuerunt esse multo soliciti.

Euangeliũ Pauli prædicatum nõ scriptum.

Act. c. 15.

Aquin lect. 3.

Quoad secundum. Annotatum est ab eminentissimo Peronio probatumque, summum Pontificem olim vnum quidem aut alterum legatum ad concilia vniuersalia destinasse, sed & conciliũ Romæ aut in vrbe opportunâ coactum suos delegasse. Est enim summus Pontifex, quâ Romanæ episcopus Ecclesiæ, non

Peron. ad Reg. Ang.

A solùm Patriarcha Ecclesiæ occidentalis, sed & caput vniuersalis Ecclesiæ. Quà igitur Patriarcha, mittebat nuntios ab Ecclesiâ occidentali ordinatos, id est, publicis designatos suffragijs, vt in vnam conuenirent Ecclesiam: quà caput, suos delegabat, & suo nomine, vt & suâ vice præsiderent, sedem referrent & auctoritatem. Aliquid simile repræsentat Paulina legatio. [Eos, ait Chrysostomus, commendat Paulus, qui ad hoc munus obeundum perrexerant: inter quos principem locum Titus tenebat.] Ille propriè tam legatus Pauli, quàm & socius. [Siue pro Tito, qui est socius meus, & in vos adiutor.] Id est, vt ille exponit: [Si pro Tito aliquid feceritis, non vulgari cuipiam homini feceritis. Socius quippe meus est, nec vtcumque adiutor, sed & in iis rebus, quæ vestra intersunt, in vestro profectu, atque incremento, in amicitiâ, in studio erga vos.] Inde legati à latere, tanquam socii, & cum pari auctoritate delegati. De aliis verò idem Chrysostomus, seu Paulus in Chrysostomo. [Ipsi fratres vestri sunt, inquit, & Apostoli Ecclesiarum: hoc est, ab Ecclesiis legati sunt.] Tales sunt, tamque laudabiles, vt in ipsis laudetur Christus glorificeturque: electi sunt enim ab Ecclesijs Iudææ & Antiochiæ, tanquam primores viri, illustres, præcipui. Dixi, Aliquid simile: non enim de concilio agitur, sed de subsidio pecuniario: nec tam auctoritatem suam Paulus statuere nititur, quam suspicionem depellere. Idcircò enim tot ac tantos delegat, aut delegari procurat, vt in munere duorum vel trium stet illud ministerium, & omnis iniquitas os suum oppilet. [Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur à nobis. Prouidemus enim bona, non solùm coràm Deo, sed etiam coràm hominibus.] Itaque, vt notauit Aquinas: [Assignat causam, quare mittat tam solemnes nuntios. Dicit ergo: Causa quare tam solemnes nuntios mittimus, est ista, vt sciatis, negotium huiusmodi inesse cordi nostro. Nimirum vt vitemus vituperium quod posset mihi impingi ab aliquibus: vel negligentiæ, si non mitterem strenuos: vel fraudis, si non mitterem securos. Et isti strenui erant & prompti & securi quia dati ab Ecclesiis, & electi per Spiritum sanctum. Deuitantes hoc, & benè dico, deuitantes, quia in hac plenitudine eleemosynarum, prouidere debemus, bona id est vt opera nostra bona sint; non solùm coràm Deo, vt illi placeamus; sed etiam coràm hominibus, vt scilicet eis bona videantur.] Conscientiam enim Deo debemus, famam debemus proximo.

Chrysost. Hom. 18.

B

Chrysost. ibidem.

C

Aquin. lect. 3.

D

Debetur conscientia Deo, fama proximo.

Quoad tertium. Vult illos Paulus publicè suscipi, & honorificè haberi. [Ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite, in faciem Ecclesiarum.] Id est, vt exponit Chrysostomus, [Nunc planum facite, quàm me ipsi ametis, quamque ego rursus in vobis non frustrà ac temerè glorier. Hoc porrò ita demum planum facietis, si beneuolentiam ipsis charitatemque præstiteritis.] Sed cur, [In faciem Ecclesiarum?] Seu, ex Græco, [Et in faciem.] Vel quia ab Ecclesiis ipsis transmissi, quarum præferunt personam & gloriam referunt. Vel quia

E

Chrysost. Hom. 16.

Chrysost. Hom. 13. in Matth.


ipsi pro honore suo, & imposito munere, in legitimâ suscipiendi sunt Ecclesiâ. Ibi enim cœtus Christianus, illic coactus opum Christianarum thesaurus, nec spiritalium duntaxat sed & temporalium. Ita Chrysostomus: [Communis omnium domus, inquit, est Ecclesia, in quam vobis priùs ingressis nos intramus, discipulorum formam retinentes: ideoque communiter omnibus statim atque ingressi fuerimus, vt illis datam legem sequamur, pacem offerimus. Hîc porrò magnæ illæ nostræ opes positæ sunt, hîc spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est & admirandum? Nam hæc mensa longè pretiosior est atque iucundior: & lucerna hæc quàm illa, vt norunt qui cum fide oleo peruncti, à morbis liberati sunt. Arca etiam hæc multò melior, magisque necessaria. Non enim vestes, sed misericordiam inclusam continet: quamuis pauci sint, qui eam possideant. Hic & lectulus est valdè illo præstantior: diuinarum enim Scripturarum requies quouis lecto suauior est. Itaque

Quanto domus Dei præstet domibus seculi.

A millies potius malim in domum alicuius vestrûm ingressus destitui, quam hîc prædicans non audiri. Hoc mihi molestius esset quàm illud; quandoquidem magis propria hæc est, quàm illa.] Illic ergo tanquam in domo Dei, diuina tractabantur negotia, vbi & diuina celebrabantur mysteria. [Neque enim, ait ille, homo est qui benedicit, sed per illius manum ac linguam regi ipsi capita eorum, qui adsunt, offerimus. Ac tum inclamant omnes, Amen. Neque enim ad parietes diaconus loquitur, cum ait, Oremus pro Catechumenis. Verùm

Chrysost. in Moral. Hom. 2.

B nonnulli adeò amentes, atque ignaui ac dissoluti sunt, vt non modò in Catechumenorum, sed etiam fidelium tempore stent atque confabulentur. Hinc omnia subuersa sunt, hinc omnia perierunt.] Non enim domesticas solùm Ecclesias violauimus, sed & publicas; cum non domestica tantùm, sed & secularia, non iam in domo seculari, sed in domo Dei tractauimus.



CAPVT NONVM.

Epigraphe.

Missis legatis, filum quasi abruptum retexit Apostolus, propositumque cui destinati illi, expedit negotium.

TEXTVS.

Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaïa parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio prouocauit plurimos. Misi autem fratres: vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac substantiâ. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem non tamquam auaritiam. Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitiâ, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit: dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: Vt in

omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium huius officij, non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantem vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias Deo super inenarrabili dono eius.

EXEGESIS LITTERALIS.

Largitionem sollicitat Apostolus, mercedem æquiparat: ficut enim qui plus seminat, vberiorem colligit messem; sic & qui plus dat, ampliorem mercedem recipit.

[Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis, &c.] Dixi me mittere tres fratres, monui vt eos dignè excipiatis, charitatemque ostendatis vestram ac publicam liberalitatem: de subsidio autem pauperibus fidelibus ministrando nihil ferè dixi, quia de eo scribere, aut vos in id impellere, nimium duxi, imò superfluum: iam enim facere constituistis ab anno superiore, &, credo, perficietis; sed etsi non irritatore, monitore tamen indigetis. [Cum tanta, ait Athanas. de his superiùs dixerit, dicturusque deinceps sit, asserit tamen inane id fore & superuacaneum, si rursum iisdem de rebus ad eos perscripserit. Id autem agit prudentiùs, vt Corinthios magis alliciat. Pudebit enim cum tanti se fieri à Paulo viderint, si eius æstimatione arguantur inferiores.] Itaque, [Ex abundanti.] Idem est, ac non necessarium, seu superuacaneum. [Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones, Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio prouocauit plurimos, &c.] Dico superfluum esse, cum nouerim expeditam voluntatem vestram ad largitionem faciendam: & de prompto animo vestro glorior apud Macedonas, dicendo, Achaia, cuius caput Corinthus, iam ab anno superiore, ad collectam faciendam parata est: & exemplo vestro plurimi, vt idem vellent, imò & facerent, incitati sunt. [Misi autem fratres: vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac substantiâ, &c.] Præmisi autem Titum, & duos eius socios, ne gloriatio nostra, quâ de vobis gloriati sumus apud Macedones, in hoc loco, seu negotio, vana sit imò & falsa: eos ergo misi, vt quemadmodum dixi & Macedonibus renuntiaui, parati sitis: ne si venerint illi mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (ne dicamus vos) in hac & gloriandi & prouocandi materiâ: quibus enim aut animus pudibundior, aut vultus suffusior nobis, qui vanè spopondimus; an vobis, qui malè & sponsioni respondetis ac gloriationi? [Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant vos, vt præparent benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam auaritiam, &c.] Duxi igitur necessarium tres illos præmittere, vt præueniant vos, antequam ego veniam cum Macedonibus; agantque apud vos, vt parata sit collecta, iam ab anno repromissa præterito, sitque largo animo non parco comparata. [Vt solicitudinem suam adhuc manifestet, ait Ambros. rogasse se dixit fratres, per quos admoniti adimplerent quod promiserant: & non implebant. Cum supra Titi dicat voluntarium profectum, hoc est, non illi fuisse extortum, sed mox vt audiuit, libenter amplexus est, vt videatur voluntarius ad illos profectus propter spem illorum: nunc non ideò se rogasse hos significat quasi nolentes ire, sed suum affectum probat circà illos, quando volentes ire insuper rogat; vt & sine morâ aliquâ fiat quod & illi volunt, & hic precatur: vt tantum offerant, quantum non pœniteat.]

Athanas. in Paulum.

Alii aliorũ exemplo ad bonum stimulati.

Ambros. in Paul.

[Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, &c.] Intelligite quod dico, tamquã benedictionem, non tamquã auaritiã: Quia enim parũ seminat, parũ & metet: ille autem agricola qui copiosè seminat, copiosè etiam colliget. [Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitiâ, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.] Quod dico, non tam donum exigo, quàm animum. Nolo inuitum cogere: sed volo vnumquemque, iuxta animi propositum tribuere, non ex tristitiâ, quasi repugnans; aut necessitate, quasi reclamans, sed adactus abstractusque: hilarem quippe ac liberalem donatorem probat Deus ac remunerat, & non tristem obmurmurantemque. [Licet enim apud homines, vti dixit Aquinas, qui non vident nisi ea quæ parent, sufficiat quòd quis operetur actum virtutis secundùm ipsam speciem actûs: tamen apud Deum, qui intuetur cor, non sufficit quòd solum operetur actum virtutis secundùm speciem, nisi etiam secundùm debitum modum operetur: scilicet delectabiliter & cum gaudio.] Datorem ergo appendit, sed hilarem diligit. [Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi, &c.] Timetis forsan, ne si copiosiùs tribuatis, incurratis inopiam. Nolite timere: potest enim Deus facere, & faciet vt beneficentia vestra redundet in vos, in vosipsos exuberet. Græcè εἰς ὑμᾶς: [In vos,] Ita fiet, vt in omnibus semper omnem plenam vt

Aquin. lect. 1.

habentes sufficientiam, iis etiam largiter vtamini ad exercenda pietatis omnis opera. Sic quippe de viro iusto scriptum est, Sparsit opes suas, & eas distribuit in pauperes: nihil tamen ei deperiit: sed iustitia, quam exercuit, & veram laudem habuit, & æternam mercedem est consecuta. [In carnalibus quidem, ait Chrysostomus, quantum sat sit, ipsis petit: at in spiritualibus, vt etiam abundent, postulat. Postea consultorem ipsis Prophetam adhibet, quæsito videlicet eiusmodi testimonio, quo ad amplissimam munificentiam excitentur. Hoc namque est, quod meritò quispiam miretur, quòd, quæ asseruata pereunt, eadem cum disperguntur, manent, & quidem in perpetuum.] Non aliter conseruatur quam cum datur. [Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo, &c.] Qui autem suppeditat semen seminanti, præstabit panem in cibum (ita enim opto ac spero) & multiplicabit semen vestrum, quasi in terram iactum feracissimam: sed quod præcipuum est, magisque optandum: spiritualibus fructibus cumulabit: vt in omnibus ditati, tam largiter tribuatis quàm & simpliciter; tanta liberalitate affluatis, quantâ & sinceritate; ipsa quippe est quæ Deo placet & hominibus: & hoc promouet vt interueniente ministerio nostro, gratiæ Deo agantur de gratuito munere, & à pauperibus sanctis referantur.

Chryost. Hom. 19.

Quod datur pauperibus, in æternum seruatur.

[Quoniam ministerium huius officij, non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.] Dixerat Deo gratias agi: sed quo modo? eo modo quo fit in sacrificio: est enim διακονία τῆς λειτουργίας, publica administratio, imò religiosa sacri functio ministerij, quo non solùm subuenitur necessitatibus sanctorum pauperum, sed & pingue sacrificium laudis & gratiarum actionis per ipsos Domino rependitur. [Per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in obedientiâ confessionis vestræ, in Euangelium Christi, &c.] Illi quippe per ministerium nostrum, vestram experti munificentiam, Deum glorificant, primò quod Euangelium Christi humili cordis subiectione suscepistis, & fideli oris confessione professi estis. Tum, [Et simplicitate communicationis in illos, & in omnes, &c.] Quod ipsos bonorum vestrorum piâ largitione ac purâ intentione participes feceritis, ceterosque pauperes Christianos. [Deum laudibus prosequuntur, quia tantopere estis Euangelio ipsi morigeri, vt illius iussa abundantiùs exequamini: Euangelium namque eleemosynam impertiri instituit. Eum præterea vel aliam ob causam illi extollunt, & gratias agunt, quia simplicitas hæc & bonitas vestra, non eorum satis duntaxat necessitatibus fecit, sed in omnes fideles paupertate oppressos diffunditur.] Ita Comment. Athanasij nomine, sed Vulgatij mente editus. [Et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem, gratiam Dei in vobis &c. [In hoc etiam abundat officium nostrum, & hunc procreat fructum, vt pauperes sancti pro vobis Deum obsecrent, & oppidò videre vos desiderent, ob gratiam eminentem, quam vobis inesse spondent per singularem beneficentiam. [Gratias Deo super inenarrabili dono eius.] Tantum est illud beneficium, vt verbis explicari nequeat, ideoque gratiæ Deo immensæ de dono eius sunt reddendæ. [Donum enim Dei est, ait Ambros. quòd incitat homines ad bonum opus. Spes enim promissa lacessit ad supradictum ministerium.] Nempe vt & procurent administrentque viri Apostolici, & dent communicentque veri Christiani. In hoc enim religio Christiana posita est vt charitas impendatur, & à Deo tanquam religionis seu pietatis omnis principio in proximum ipsum refundatur. Sint igitur & institutiones Christianæ, quasi functiones præcipuæ:

Comment. Athanas.

Bona innumera ex eleemosynis redundantia.

Ambros. in Paulum.

INSTITVTIONES CHRISTIANÆ.

TRium interest in istis institutionibus Christianis, seu præcipuis functionibus, procurantium scilicet, dantium, & accipientium. Sed quia pauca Paulus de primis & vltimis, multa verò de medijs, nos ijsdem insistemus vestigiis, paucisque præmissis de procurantibus, nonnullis de accipientibus superadditis, iuxtà institutum Apostolicum, sistemus in mediis, seu in largientibus. Sit ergo

LECTIO PRIMA.

De procurantibus.

MInisterium eis assignat Paulus & officium. [Ministerium huius officij.] Sed ministerium, omnium est; officium, solorum pastorum.

SECTIO PRIMA.

De ministerio.

IAm ab illo ingressus est Apostolus. [Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis.] Ita & capite præcedenti, Macedones, [Cum multa exhortatione exhortantes vos, gratiam & communicationem ministerij, quod fit in sanctos.] Nunc porrò: [Quoniam ministerium huius officij non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones Domino.] Sed repetendum est quod præmisit, & illò ascendendum vnde descendit. De sincerâ liberalitate, de piâ largitate. [Quæ, inquit operatur per nos gratiarum actionem Deo. Tum addit: [Quoniam per ministerium, &c.] Per nos igitur, idem est ac per nostrum ministerium. Procuramus ergo, in-

Chrysost. Hom. 20.

stamusque: [Non vt in ea, in quæ minimè decet, (ita Chrysostomus) opes vestras insumatis; sed in ea ex quibus plurima gratiarum actio ad Deum redit. Magnas quippe res Deus arbitrij nostri effecit: ac minora sibiipsi relinquens, maiora, inquit, nobis concessit. Alimenti enim illius, quo corpus vtitur, arbitrium ipse penes se esse voluit: spiritalis autem nobis commisit. Hoc quippe in arbitrio nostro & potestate situm est, vt segetem nostram virentem exhibeamus. Neque enim ea imbres desiderat, partiumque anni temperiem: sed voluntas modò adsit, etiam, ad ipsum vsque cœlum curret.] Quibus distinguit duplex alimentum, corporis scilicet ac mentis: & illud quod minus, quod & commune habemus cum bestiis, in arbitrio diuino: istud quod maius quodque commune habemus cum angelis, in humano constituit ministerio. Sed hac distinctione, seu potius animaduersione, docere voluit, procurantes ministrantesque, non tam debere intendere ea quæ sunt corporis, quam quæ sunt mentis; imò potius ea quæ corporis sunt, ad ea quæ sunt mentis referre: cum minimum sit, miseriarum subleuatio; multum autem, gratiarum actio. [Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Per simplicitatem quippe hoc loco, ait ille, munificentiam Paulus intelligit: quæ quidem per nos efficit, vt gratiæ Deo habeantur. Neque enim hinc solùm eleemosyna existit: sed etiam permultæ gratiarum actionis materia: nec solùm gratiarum actionis, sed etiam multarum aliarum rerum, quas etiam ipsas orationis progressu ponit: vt cum illud demonstrarit, multa hinc emolumenta exoriri, promptiores atque alacriores ipsos reddat. Quænam igitur sunt multa hæc commoda? Audi ipsum loquentem: Quoniam ministerium huius officij non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerij huius glorificantes Deum.]

Duplex alimentum: corporis, & mentis.

Chrysost. ibidem.

A

B

C

D

Inde igitur ministerium istud tam sacrum est quàm religiosum: idque triplicem ob rationem. Prima est, quia impenditur sanctis. [De ministerio, quòd fit in sanctos.] Nam, vt obseruat Aquinas: [Suprà Apostolus induxit Corinthios ad dandum eleemosynas sanctis, qui sunt in Hierusalem, hic verò inducit eos quantum ad modum dandi, vt scilicet hilariter, & abundanter dent.] Cum autem ait Sanctis, qui sunt in Hierusalem, nec sanctitatem circumscribit, nec constringit liberalitatem: tum quòd nihil contrahat sanctitas Christiana ex prærogatiuâ loci, cum quòd vera liberalitas vbique se loci diffundat. [In simplicitate communicationis vestræ in illos & in omnes.] Secunda ratio, quia gratiarum actio per multos Domino redditur. [Abundat per multas gratiarum actiones in Domino.] Seu, vt habet Textus Ambrosianus: [Abundat per multarum gratiarum actiones Deo.] Nimirum vti dixit Commentator: [Hoc opus est, vnde gratiæ agantur Deo ab ijs qui necessarios sumptus accipiunt sub nomine Christi. Nec tantùm

Aquin. lect.

E

Ambros. in Paulum.

ab eis gratiæ referuntur, sed à reliquis fratribus qui pro his gratias agant Deo, commendantes factum ipsorum Domino.] Tertia ratio, quòd inde Deus glorificetur obsecreturque. [Et in ipsorum obsecratione pro vobis.] Et ita iungit Aquinas. [Glorificantes Deum in obsecratione, pro vobis.] Nam, vt exponit Athanas. [Accedit, etiam quòd vestri gratiâ Deum precantur.] Hoc est igitur solemne ministerium, & sacrificium spirituale, de quo Paulus ipse ad Romanos. [Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaïa collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. Obsecro ergo vos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum: vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæâ: & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis.] Quomodo accepta? [Scilicet, vt ait Aquinas ibi, vt ex hac oblatione prouocentur ad gratias agendum Deo, & ad orandum pro ipsis gentibus, à quibus recipiunt.] Quò enim sacrificium, nisi vt gratiæ agantur Deo aut petantur. Pro acceptis enim agimus gratias, de accipiendis solliciti sumus, ideò petimus: & in hoc totum sancti commercij negotium est accipere scilicet & reddere: gratiam accipere, referre gratiam: seu misericordiam impetrare, prædicare gloriam. In hoc Christiana functio est, sicut & tota religio.

Athanas. in Paul.

Rom. c. 16.

Aquin. lect. 3.

Sanctum commercium in accipiendo & reddendo.

SECTIO SECVNDA.

De officio.

MInus ferunt Græca, quàm Latina referunt. [Ministerium huius officij.] Ergo & ministerium & officium est. Sed ex Græcis liquet, tam officium quàm ministerium, procurantium esse; non dantium, minùs autem & accipientium. Quid autem differt ministerium ab officio, nisi quòd illud in opere est, istud in munere: illud in curâ, istud in præfecturâ: illud in voluntariâ functione, istud in impositione onerariâ: adeò vt possit esse ministerium fine officio, nusquam verò sit officium sine ministerio. Vno verbo: primum, administratoris est; alterum, pastoris. Quod porrò præcipuum, imò vnicum pastoris officium? Pascere. Non enim aliter regit, quàm dum pascit. Vnde Psalmus: [Dominus regit me, & nihil mihi deerit.] Seu, vt habet alia littera: [Dominus pascit me.] Non enim aliud est gregem regere, quam gregem pascere. Vnde, vt notauit Augustinus: [Hæc prima causa est, quare arguantur pastores isti: quia seipsos pascunt, non oues.] Si pastores sunt: Nonne pascuntur oues à pastoribus? Si patres: Nonne patres debent filiis thesaurizare? Si principes, nonne debent principes subditis prouidere? Num quæruntur principes, qui saluare non possunt. [De areâ, vel de torculari?] Vnde ille apud Isaiam: [Non sum medicus, & in domo meâ non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.] Reges

In quo differant administrator & pastor.

Augustin. Tract. de past. cap. 1.

4 Reg. c. 2. Isai. c. 3.

ges quippe olim ac principes, dicebantur pastores ac medici, tum quia languoribus medebantur populorum, tum quia necessitatibus opitulabantur miserorum. Sed ex quo princeps venit pastorum, qui seipsum exhausit, qui se suaque pro ouibus suis tradidit: eo meliores pastores quo fideliores illius imitatores; non solùm bona prouidentes, sed & mala pro suis ouibus, quòd Christus & fecit & iussit, sustinentes. [Pertinet enim ad Christianam firmitatem, non solùm operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt.] Quis pastor Christianus? [Vt simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est] Seu, vt est in Græco; πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Quod factus est Christus, fit & pastor Christianus: vt sicut ille verè languores nostros tulit, & infirmitates nostras non spirituales tantùm sed & corporales, sic & ipse omnibus & indigentium omnium subueniat necessitatibus: sicut illo regente nihil nobis defuit, sic & isto pascente, nihil deficiat miseris: sicut ille totum hominem sanũ fecit, sic & iste toti homini, quoad vtramque inopiam, & spiritalem & corporalem consulat.

Augustin. lib de past. cap. 6.

Iustin. Apolog. 2. vers. fin.

Tres autem sunt modi quibus pastor succurrat pauperibus, quibusque officium superat ministerium. Primus est ex proprio patrimonio: alter, ex sacro ærario: tertius, ex thesauro ecclesiastico. De primo Ambrosius: [Omnia, inquit, quæ mea sunt, sunt pauperum.] Nec aliquid reseruat ille, sed argentum suum, fundum suum, porrò quicquid suum est numerat, nec tam suum computat quàm pauperum. Ita Paulinus, ita & alij, qui cum essent diuites, propter suos, pauperes & egeni facti sunt, vt illorũ inopia pauperes ditarentur: qui cum essent felices, facti sunt miseri, vt eorũ miseriâ subleuarentur infelices. Quot egeni, qui de pauperum copiâ diuites facti sunt? quot miseri qui de substantiâ pauperum felices facti sunt? Illi regalem censum inferebant in Ecclesiam, vt pauperes fouerent, redderentque felices: isti insatiabilem appetitum intrudunt in Ecclesiam, vt hæredes spolient, petentes abdicent. Illi non adibant officium, vt inde vitam traherent, aut ducerent pompam, sed vt haberent vnde propriam distribuerent substantiam: isti aut enecti fame, aut vanitate abrepti, ecclesiasticas opes inuolant, thesauros expilant, domosque viduarum deuorant ac pupillorum. Administrator nihil affert de suo, sed de alieno profert thesauro confertque; pastor, sicut propriam promittit operam, sic & propriam impendit substantiam. Modicum habebat Augustinus, & hoc ipsum censebat nimium. [Ego, inquit, presbyter factus sum, & per hunc gradum perueni ad Episcopatum. Tenuem paupertulam meam vendidi, & pauperibus erogaui.] An ille extruere voluisset, qui nec paupertatem voluisset retinere? Audi: [Offeratur mihi, verbi gratiâ, inquit, byrrhum pretiosum, fortè decet episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Si quis meliorem vestem dederit, vendo, quod & facere soleo: vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, vt ego habeam talem, det vnde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosâ

Ambros. epist. 14.

Iustum vt quidat propria recipiat communia.

Augustin. serm 49. de diuers. c. 1.

Augustin. serm 50 de diuers. vlt. med.

A veste erubesco.] Vbi sunt ergo qui decentiam causantur ecclesiasticam, & inde mundanum non tam suggestum æmulantur quam fastum? Quasi verò non omnis gloria filiæ regis abintus sit, quasi vanis hisce pompis suo non renuntiarit sacramento, quasi vestibus ornanda sit non virtutibus, quasi secularibus exuulis, & non spiritualibus diuitiis veneranda. Non tam decentia illa est, quàm macula? nec tam diuini ornamentum statûs, quàm corrupti habitûs argumentum. Qui officium adibant, suum commune faciebant pauperibus; ideoque quod commune pauperibus, B faciebant & suum. Quid igitur si, qui nihil quod suum sit inferunt, & auferunt qud sit alienum? Si nobiles prætendunt dignitatem suam, si tenues ostendunt paupertatem suam? si omnes quæ sua sunt quærunt, & Iesum solum relinquunt: si sola diligunt temporalia, spiritalia negligunt? si vestibus inflantur alienis, si sumptibus epulantur immodicis: si denique solo efferuntur titulo, dum nec officio funguntur, nec ministerio?

Alter modus, ex ærario sacro: sed administrator ea solùm dispensat quæ repererit: pastor procurat, quod non repererit. [Gratias autem qui dedit eandem sollicitudinem C pro vobis in corde Titi. Quid est, eandem? ait Chrysostomus. Eandem quam ego.] Sollicitus Paulus procurando, industrius adhortando. [Vide, ait ille, quam in monendo prudentiam adhibeat. Ab aliis nempè à Macedonibus Corinthios cohortatus est. Notam enim, inquit, facio vobis gratiam quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ. Ab ipsismet etiam cohortationis argumentum traxit, his vtens verbis: Qui quidem non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priori. Tum à Domino quoque exhortationem his verbis duxit, Nostis enim gratiam Domini nostri, quoniam propter vos egenus factus est, D cum diues esset. Rursus ad firmum & validum caput confugit, ab aliis nimirum exemplum petens. Zelotypum enim est mortalium genus. Et quidem par erat, vt illi, Domini potius exemplo, ac deinde præmiorum spe mouerentur: sed quia imbecillioribus animis erant, hac potius ratione ipsos pertrahit. Neque enim quicquam est, quod tantum efficiat, quantum zelus.] Curat, procurat, seque in omnes vertit species, omnes producit rationes, quibus animum moueat, & impleat gazophylacium. Ita vrgebant sancti, imò & diuites palàm suffun- E debant minùs liberales, quia pauperes non ferebant pati, inopiâ simul & repulsâ premi. Iubebant attendi gazophylacium, & ærarium congeri; non quòd aurum seruarent, sed quòd impositum curarent officium. [Non est Episcopi, ait Augustinus, seruare aurum, & reuocare à se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt: tam multi nos inopes interpellant, vt plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare, non habemus.] Tædebat illos non habere quod darent pauperibus, non pudebat à diuitibus petere quod præstarent pauperibus. [Assistebat enim illis fidelis in hac lega-

Chrysost. Hom. 18.

Chrysost. Hom. 19.

Mortalium genus maxime zelotypum est.

Augustin. serm. 49. de diuers. c. 4.

Chrysost. Hom. 20.

stamusque: [Non vt in ea, in quæ minimè decet, (ita Chrysostomus) opes vestras insumatis; sed in ea ex quibus plurima gratiarum actio ad Deum redit. Magnas quippe res Deus arbitrij nostri effecit: ac minora sibi ipsi relinquens, maiora, inquit, nobis concessit. Alimenti enim illius, quo corpus vtitur, arbitrium ipse penes se esse voluit: spiritalis autem nobis commisit. Hoc quippe in arbitrio nostro & potestate situm est, vt segetem nostram virentem exhibeamus. Neque enim ea imbres desiderat, partiumque anni temperiem: sed voluntas modò adsit, etiam, ad ipsum vsque cœlum curret.] Quibus distinguit duplex alimentum, corporis scilicet ac mentis: & illud quod minus, quod & commune habemus cum bestiis, in arbitrio diuino: istud quod maius quodque commune habemus cum angelis, in humano constituit ministerio. Sed hac distinctione, seu potius animaduersione, docere voluit, procurantes ministrantesque, non tam debere intendere ea quæ sunt corporis, quam quæ sunt mentis; imò potius ea quæ corporis sunt, ad ea quæ sunt mentis referre: cum minimum sit, miseriarum subleuatio; multum autem, gratiarum actio. [Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Per simplicitatem quippe hoc loco, ait ille, munificentiam Paulus intelligit: quæ quidem per nos efficit, vt gratiæ Deo habeantur. Neque enim hinc solùm eleemosyna existit: sed etiam permultæ gratiarum actionis materia: nec solùm gratiarum actionis, sed etiam multarum aliarum rerum, quas etiam ipsas orationis progressu ponit: vt cum illud demonstrarit, multa hinc emolumenta exoriri, promptiores atque alacriores ipsos reddat. Quænam igitur sunt multa hæc commoda? Audi ipsum loquentem: Quoniam ministerium huius officij non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerij huius glorificantes Deum.]

Duplex alimentum: corporis, & mentis.

Chrysost. ibidem.

Inde igitur ministerium istud tam sacrum est quàm religiosum: idque triplicem ob rationem. Prima est, quia impenditur sanctis. [De ministerio, quòd fit in sanctos.] Nam, vt obseruat Aquinas: [Suprà Apostolus induxit Corinthios ad dandum eleemosynas sanctis, qui sunt in Hierusalem, hic verò inducit eos quantum ad modum dandi, vt scilicet hilariter, & abundanter dent.] Cum autem ait Sanctis, qui sunt in Hierusalem, nec sanctitatem circumscribit, nec constringit liberalitatem: tum quòd nihil contrahat sanctitas Christiana ex prærogatiuâ loci, cum quòd vera liberalitas vbique se loci diffundat. [In simplicitate communicationis vestræ in illos & in omnes.] Secunda ratio, quia gratiarum actio per multos Domino redditur. [Abundat per multas gratiarum actiones in Domino.] Seu, vt habet Textus Ambrosianus: [Abundat per multarum gratiarum actiones Deo.] Nimirum vti dixit Commentator: [Hoc opus est, vnde gratiæ agantur Deo ab ijs qui necessarios sumptus accipiunt sub nomine Christi, Nec tantùm ab eis gratiæ referuntur, sed à reliquis fratribus qui pro his gratias agant Deo, commendantes factum ipsorum Domino.] Tertia ratio, quòd inde Deus glorificetur obsecreturque. [Et in ipsorum obsecratione pro vobis.] Et ita iungit Aquinas. [Glorificantes Deum in obsecratione, pro vobis.] Nam, vt exponit Athanas. [Accedit, etiam quòd vestri gratiâ Deum precantur.] Hoc est igitur solemne ministerium, & sacrificium spirituale, de quo Paulus ipse ad Romanos. [Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. Obsecro ergo vos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum: vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæâ: & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis.] Quomodo accepta? [Scilicet, vt ait Aquinas ibi, vt ex hac oblatione prouocentur ad gratias agendum Deo, & ad orandum pro ipsis gentibus, à quibus recipiunt.] Quò enim sacrificium, nisi vt gratiæ agantur Deo aut petantur. Pro acceptis enim agimus gratias, de accipiendis solliciti sumus, ideò petimus: & in hoc totum sancti commercij negotium est accipere scilicet & reddere: gratiam accipere, referre gratiam: seu misericordiam impetrare, prædicare gloriam. In hoc Christiana functio est, sicut & tota religio.

Aquin. lect.

Ambrost in Paulum.

Athanas. in Paul.

Rom. c. 16.

Aquin. lect. 3.

Sanctum commercium in accipiendo & reddendo.

SECTIO SECVNDA.

De officio.

MInus ferunt Græca, quàm Latina referunt. [Ministerium huius officij.] Ergo & ministerium & officium est. Sed ex Græcis liquet, tam officium quàm ministerium, procurantium esse; non dantium, minùs autem & accipientium. Quid autem differt ministerium ab officio, nisi quòd illud in opere est, istud in munere: illud in curâ, istud in præfecturâ: illud in voluntariâ functione, istud in impositione onerariâ: adeò vt possit esse ministerium sine officio, nusquam verò sit officium sine ministerio. Vno verbo: primum, administratoris est; alterum, pastoris. Quod porrò præcipuum, imò vnicum pastoris officium? Pascere. Non enim aliter regit, quàm dum pascit. Vnde Psalmus: [Dominus regit me, & nihil mihi deerit.] Seu, vt habet alia littera: [Dominus pascit me.] Non enim aliud est gregem regere, quam gregem pascere. Vnde, vt notauit Augustinus: [Hæc prima causa est, quare arguantur pastores isti: quia seipsos pascunt, non oues.] Si pastores sunt: Nonne pascuntur oues à pastoribus? Si patres: Nonne patres debent filiis thesaurizare? Si principes, nonne debent principes subditis prouidere? Num quæruntur principes, qui saluare non possunt. [De areâ, vel de torculari?] Vnde ille apud Isaiam: [Non sum medicus, & in domo meâ non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.] Reges

In quo differant administrator & pastor.

Augustin. Tract. de past. cap. 1.

4 Reg. c. 6. Isa. c. 3.

A ges quippe olim ac principes, dicebantur pastores ac medici, tum quia languoribus medebantur populorum, cum quia necessitatibus opitulabantur miserorum. Sed ex quo princeps venit pastorum, qui seipsum exhausit, qui se suaque pro ouibus suis tradidit: eo meliores pastores quo fideliores illius imitatores; non solùm bona prouidentes, sed & mala pro suis ouibus, quòd Christus & fecit & iussit, sustinentes. [Pertinet enim ad Christianam firmitatem, non solùm operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt.] Quis pastor Christianus? [Vt simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est] Seu, vt est in Græco; πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Quod factus est Christus, fit & pastor Christianus: vt sicut ille verè languores nostros tulit, & infirmitates nostras non spirituales tantùm sed & corporales, sic & ipse omnibus & indigentium omnium subueniat necessitatibus: sicut illo regente nihil nobis defuit, sic & isto pascente, nihil deficiat miseris: sicut ille totum hominem sanũ fecit, sic & iste toti homini, quoad vtràque inopiam, & spiritalem & corporalem consulat.

Augustin. lib de past. cap. 6.

B

Iustin. Apolog. 2. vers. fin.

Tres autem sunt modi quibus pastor succurrat pauperibus, quibusque officium superat ministerium. Primus est ex proprio patrimonio: alter, ex sacro ærario: tertius, ex thesauro ecclesiastico. De primo Ambrosius: [Omnia, inquit, quæ mea sunt, sunt pauperum.] Nec aliquid reseruat ille, sed argentum suum, fundum suum, porrò quicquid suum est numerat, nec tam suum computat quàm pauperum. Ita Paulinus, ita & alij, qui cum essent diuites, propter suos, pauperes & egeni facti sunt, vt illorũ inopia pauperes ditarentur: qui cum essent felices, facti sunt miseri, vt eorũ miseriâ subleuarentur infelices. Quot egeni, qui de pauperum copiâ diuites facti sunt? quot miseri qui de substantiâ pauperum felices facti sunt? Illi regalem censum inferebant in Ecclesiam, vt pauperes fouerent, redderentque felices: isti insatiabilem appetitum intrudunt in Ecclesiam, vt hæredes spolient, petentes abdicent. Illi non adibant officium, vt inde vitam traherent, aut ducerent pompam, sed vt haberent vnde propriam distribuerent substantiam: isti aut enecti fame, aut vanitate abrepti, ecclesiasticas opes inuolant, thesauros expilant, domosque viduarum deuorant ac pupillorum. Administrator nihil affert de suo, sed de alieno profert thesauro confertque; pastor, sicut propriam promittit operam, sic & propriam impendit substantiam. Modicum habebat Augustinus, & hoc ipsum censebat nimium. [Ego, inquit, presbyter factus sum, & per hunc gradum perueni ad Episcopatum. Tenuem paupertulam meam vendidi, & pauperibus erogaui.] An ille extruere voluisset, qui nec paupertatem voluisset retinere? Audi: [Offeratur mihi, verbi gratiâ, inquit, byrrhum pretiosum, fortè decet episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Si quis meliorem vestem dederit, vendo, quod & facere soleo: vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, vt ego habeam talem, det vnde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosâ

C

Ambros. epist. 14.

Iustum vt qui dat propria recipiat communia.

D

E

Augustin. serm. 49. de diuers. c. 1.

Augustin. serm 50 de diuers. vlt. med.

veste erubesco.] Vbi sunt ergo qui decentiam causantur ecclesiasticam, & inde mundanum non tam suggestum æmulantur quam fastum? Quasi verò non omnis gloria filiæ regis abintus sit, quasi vanis hisce pompis suo non renuntiarit sacramento, quasi vestibus ornanda sit non virtutibus, quasi secularibus exuuiis, & non spiritualibus diuitiis veneranda. Non tam decentia illa est, quàm macula? nec tam diuini ornamentum status, quàm corrupti habitûs argumentum. Qui officium adibant, suum commune faciebant pauperibus; ideoque quod commune pauperibus, faciebant & suum. Quid igitur si, qui nihil quod suum sit inferunt, & auferunt qud sit alienum? Si nobiles prætendunt dignitatem suam, si tenues ostendunt paupertatem suam? si omnes quæ sua sunt quærunt, & Iesum solum relinquunt; si sola diligunt temporalia, spiritalia negligunt? si vestibus inflantur alienis, si sumptibus epulantur immodicis: si denique solo efferuntur titulo, dum nec officio funguntur, nec ministerio?

Alter modus, ex ærario sacro: sed administrator ea solùm dispensat quæ repererit: pastor procurat, quod non repererit. [Gratias autem qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi. Quid est, eandem? ait Chrysostomus. Eandem quam ego.] Sollicitus Paulus procurando, industrius adhortando. [Vide, ait ille, quam in monendo prudentiam adhibeat. Ab aliis nompè à Macedonibus Corinthios cohortatus est. Notam enim, inquit, facio vobis gratiam quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ. Ab ipsismet etiam cohortationis argumentum traxit, his vtens verbis: Qui quidem non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priori. Tum à Domino quoque exhortationem his verbis duxit, Nostis enim gratiam Domini nostri, quoniam propter vos egenus factus est, cum diues esset. Rursus ad firmum & validum caput confugit, ab aliis nimirum exemplum petens. Zelotypum enim est mortalium genus. Et quidem par erat, vt illi, Domini potius exemplo, ac deinde præmiorum spe mouerentur: sed quia imbecillioribus animis erant, hac potius ratione ipsos pertrahit. Neque enim quicquam est, quod tantum efficiat, quantum zelus.] Curat, procurat, seque in omnes vertit species, omnes producit rationes, quibus animum moueat, & impleat gazophylacium. Ita vrgebant sancti, imò & diuites palàm suffundebant minus liberales, quia pauperes non ferebant pati, inopiâ simul & repulsâ premi. Iubebant attendi gazophylacium, & ærarium congeri; non quòd aurum seruarent, sed quòd impositum curarent officium. [Non est Episcopi, ait Augustinus, seruare aurum, & reuocare à se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt: tam multi nos inopes interpellant, vt plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare, non habemus.] Tædebat illos non habere quod darent pauperibus, non pudebat à diuitibus petere quod præstarent pauperibus. [Assistebat enim illis fidelis in hac lega-

Chrysost. Hom. 18.

Chrysost. Hom. 19.

Mortalium genus maxime zelotypum est.

Augustin. serm. 49 de diuers. c. 4.

tione collega Paulus: (verba sunt Chrysostomi) pauperum & in egestate viuentium præfectus & procurator miræ singularisque vigilantiæ ac curæ.] Sibi detrahebant vt redderent pauperibus, nec publico etiam parcebant ærario, vt vrgentioribus prouiderent necessitatibus; propriis etiam laborabant manibus, ne dum honori essent, essent & oneri.

Chrysost. Hom de eleem. & collat.

Tertius ex thesauro ecclesiastico, quem administrator quidem non audet impendere, pastor etiam vasa mystica debet confringere. [Quis enim tam durus, ait Ambrosius, immitis, ferreus, cui displiceat quòd homo redimitur à morte, femina ab impuritatibus barbarorum, quæ grauiores morte sunt: adolescentulæ, pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Commodiùs animas Domino, quàm aurum asseruare. Qui enim sine auro misit Apostolos, Ecclesiam sine auro congregauit. Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrij abstulerint? Nonne melius conflat sacerdos pro alimoniâ pauperum, si alia subsidia desint, quàm vt sacrilegus contemnat & asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus est tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium, nec redempti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat vt vasa viuentium seruares quàm metallorum. His non potest responsum afferri. Quid enim dices? Timui ne templo Dei ornatus deesset? Respondebit: Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tunc vas Dominici, sanguinis agnosco, cum in vtroque videro redemptionem: vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit.] Dicite Pontifices, in templo quid facit aurum? [Sanctus Exuperius (verba Hieronymi) Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios: & ore pallente ieiuniis, fame torquetur alienâ: omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portabat in vitro: qui auaritiam eiecit è templo.] Certè, vt obseruauit Ambrosius: [Numquam dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere. Si enim in sua quis deriuat emolumenta, crimen est: sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, Cur pauper viuit? Nemo potest quæri, quia captiui redempti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum

Ambrof. l. 2 de off. c. 28.

Vasa etiam initiata nonnunquã infringenda.

Hieronym ep. 4. in fin.

Ambrof l. 2 de off. c. 28.

A est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata refringere, conflare, vendere licet.] Nec licet tantum, sed decet nonnumquam, nonnumquam oportet.

LECTIO SECVNDA

De dantibus.

HEic principalis intentio animi, sicut & specialis Pauli contentio. [Pulcrè enim semel, ait Chrysostomus, & iterum, ac tertiò, eleemosynæ mentionem faciens, gratiam eam vocat. Etenim ingens bonum ac Dei donum hoc est, quodque, si præstetur, Deo ipsi nos, quantum fieri potest, similes efficiat. Hoc enim potissimum homo est. Vnde etiam hominis indicium quidam dicens, hoc posuit, Magna res est, inquit, homo: ac magni pretij vir eleemosynæ studiosus.] Quomodo liberales Deo similes? Quia Deus à dando: Christianus ab imitando: vt misericordia tam Christiana sit quàm diuina, tamque Christiano quàm Christo propria. Sed vt vera sit virtus, & verè Christiana, interest scire, de quibus dandum sit, quantum, quibus, quomodo, quando, vbi. Sit ergo

Chrysost. Hom. 16.

B

C

SECTIO PRIMA.

De quibus.

[QVemadmodum, ait Paulus, promptus est animus voluntatis: ita & sit perficiendi ex eo quod habetis.] Certè ex trito illo prouerbio. Nemo dat quod non habet. Quid ergo voluit Apostolus, cum ait, [Ex eo quod habetis?] Corinthios instituit, & nos in illis: id est, vniuersos Christianos, instruitque de tribus. Primum est, vt ex iis dent, quæ legitimè possident: alterum, vt ea solùm ausint dare, quæ iustè possint dare: tertium, vt ea dent, quæ iuuent releuentque.

D

Quoad primum. Eos alloquitur Apostolus qui strĭcto iure possent; sed & eos qui iure suo possident, complectitur. Christus, vt vidimus, nihil proprium possidebat, nullum habebat humanum dominium, sicut & nullum domicilium. [Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet.] Id est, vt exponit Hieronymus. [Quid me propter diuitias, & seculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, v nec hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo.] Tamen quo iure pecuniam accipiebat, eo legitimè tribuebat eleemosynam. [Quidam putabant, ait Euangelista, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis, ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret.] Nimirum. vt dixit Augustinus: [Habebat & Dominus loculos: & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & alijs indigentibus tribuebat.]

Matth. c. 8.

E

Hieronym. in Matth.

Ioan. c. 13.

Augustin Tract. 62. vers. fin.

Ita assuetus erat Iesus egenis aliquid dare, sicut in festis institutum decorumque seruare; vt non minus vnum quàm alterum subierit in mentem discipulorum, nec minus de eleemosynâ monuerit, quàm de ceremoniâ. Ita regulares, maximè verò minores proprietate quidem omni exuti sunt, sed non, vt diximus, omni iure destituti. Idcircò quo iure accipiunt, eo & tribuunt: imò ferè tantum tribuunt, quantum accipiunt: nulli enim ita libenter tribuunt, quàm qui semper accipiunt; nulli tam facilè communicant, quàm qui nihil nisi in commune vindicant; nulli tam dando ac iuuando prompti, quàm qui hoc ipsum quod habent, non retinent; nec ad seruandum possident, sed ad dispensandum. Nec illis tamen sicut nec aliis liceret tribuere, nisi quod liceret habere: datur enim illicitè, quod illegitimè mancipatur: nec habetur legitimè, nisi quod ex lege possidetur.

Quomodo dona iniquorum à Deo improbata.

Quid est ergo, Ex eo quod habetis? Id est, ex eo quod legitimè, quocumque tandem titulo, sed à lege probato possidetis. [Dona iniquorum non probat Altissimus: nec respicit in oblationes iniquorum. Nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.] Non negat Sapiens, iniquos, imò & impios posse donare & communicare: quomodo enim opera satisfactionis ederent, quomodo eleemosynis peccata sua redimerent? Sed negat dona ex iniquitate aut impietate contracta posse Deo probari, vel liberalitate iustificari; quasi in partem quis vellet vocare Deum, egenum-ve, & impunitatem coactis donis, imò & iniquis redimere.

Ecclesi. cap. 34.

Inde, dictum Domini: Quidam, ait Augustinus, malè intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum. Dicunt enim rapere res alienas, mam nona est iniquitatis: erogare inde aliquid, maximè egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, immò de tabulis cordis vestri omninò delendus est. De iustis laboribus facite eleemosynas: ex eo quod rectè habetis, date. Non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Nolite velle eleemosynam facere de fœnore & vsuris.] Malè parta sunt ista, tua non sunt, ideircò non tam tribuenda, quàm restituenda; id est, non tam per affectum misericordiæ, quam per debitum reddenda iustitiæ. Ita Salomon: [Honora Dominum de tuâ substantiâ] & Tobias pater: [Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam.] Tuâ, non alienâ, proprio sed æquo labore parta, non fraude rapta, non ex iniquitate collecta: non furto extorta ac latrocinio.

Augustin. serm. 14 de verb. Dom. cap. 2.

Prouerb. c. 3.
Tob. c. 4.

Quoad secundum. Certum est multa te possidere legitimè, quæ tamen non possis cuicumque dare, licet pauperi, quæ nec altari etiam possis offerre. Ita Christus dicebat Scribis & Pharisæis: [Benè irritum fecistis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, corban, quod est donum quodcunque ex me tibi profuerit, & vltrà non dimittitis eũ quicquam facere patri suo, aut matri, rescindentes verbum Dei propter traditionem vestram quam tradidistis.] Honorate, vt ibidem obseruat Hieronymus, scripturæ stylo, non solùm significat exhibere reuerentiam, sed & eleemosynam impendere. [Honor, inquit, in scripturis non tantùm in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ Dei. Et per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere: & dignus sit operarius mercede suâ. Præceperat ergo Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans; vt filij honorarent, etiam in vitæ ministrandis necessariis, parentes suos. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios; vt si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus.] Non est illa pietas offerentium, sed consulentium cupiditas, quæ lucrum putat esse sacrificium; nec præceptum honestati deputat, sed vtilitati. Verùm quod de filiis in parentes, hoc & de parentibus in filios: sicut enim debent filij succurrere parentibus, ita debent filiis parentes prouidere. [Quicumque, ait Augustinus, vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: immò Deo propitio neminem inueniat.] Nusquam adduci potuit vt similes hæreditates admitteret, ne particeps iniquitatis fieret, aut impietatis: quia non credidit piè suscipi posse, quod iustè non posset donari. Imò placuit etiam iustè donata restitui, si fortè contingeret sortem mutari, remque iam non tam donari quàm subtrahi. [Quàm laudabile factum, inquit, sancti & venerandi Episcopi Aurelij Carthaginensis, quomodo impleuit eos omnes qui sciunt laudibus Dei. Quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi vsufructu, donauit Ecclesiæ. Nati sunt illi filij, & reddidit Episcopus nec opinanti quæ ille donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere: sed iure fori, non iure poli.] O mores, ô quàm laudabiles! Tribuens cogit admittentem, admittens restituit tribuentem: nec ille rogari postulat, nec ipse expectat postulari. Redeundum tamen dicendumque, multorum te legitimum esse possessorem, non tamen æquum dispensatorem. Habes multa, sed & multa debes: habes igitur legitimè quæ possides, sed non benè retines quæ iustè debes: habes ergo, non tamen ad tribuendum, sed ad exsoluendum: habes non vt effundas ex arbitrio, sed vt debito satisfacias: habes, non vt pauperibus impendas, sed vt reddas creditoribus.

Marci c. 7.
Hieronym. in cap. 15. Matth.
Non omnia omnibus sunt passim donanda.
Augustin. serm. 49 de diuers. c. 4.
Augustin. ibidem.

A Quoad tertium. Priùs habere debes, id est legitimè possidere: habet enim latro de facto, sed ex lege non possidet: tum habere debes ad dandum, vt iustè dare possis, nec pietate interdictus sis, nec æquitate prohibitus: nullus enim ita bonorum suorum dominus est, vt aliquam conditionem non admittat, aut legem publicam non sentiat. Postremò, non solùm habere debes ad dandum, sed ad dandum in eleemosynam: multa enim habes legitimè, quæ iustè cuicumque dare possis, sed non habes vt dare possis in eleemosynam: quod enim in eleemosynis, hoc & in beneficijs: in quibus, vti dixit Seneca: [Vtique caueamus, ne munera superuacua mittamus: vt feminæ aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studiis ac litteris dedito retia. Æquè ex contrario circumspiciemus, ne dum grata mittere volumus suum cuique morbum exprobratura mittamus sicut ebrioso vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit esse, non minus, in quo vitium accipientis agnoscitur. Nemo tam stultus est, vt monendus sit, ne cui vestimenta æstiua brumâ mittat, hiberna solstitio. Sit in beneficio sensus communis, tempus, locum, personas obseruet: quia momentis quædam grata & ingrata sunt.] Tam in eleemosynis quàm in beneficiis, illud dandum, quod quis quærit, nec tamen inuenit: sed in beneficiis spectandum quod gratum est, in eleemosynis quod necessarium. Si Corinthij pauperes sanctos suâ ciuitate donarent, vt aliquando donarant Alexandrum Macedonem, Orientis victorem, tam vanum id censeretur quàm & superfluum, imò tam ridiculum crederetur quàm & inofficiosum. [Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?] Quibus tria obseruanda sunt: quorum primum est, eleemosynam ad necessitatem conferri, non ad voluptatem: secundum, necessitatem illam non mentis censeri, sed corporis; agitur enim de eleemosynâ corporali, non spiritali: tertium, illam victu ac vestitu contineri: non quòd aliæ non sint necessitates corporales, sed quod illæ quotidianæ sint, magis obuiæ ac conspicabiles. Sed maximè opportuna eleemosynæ faciendæ pecunia, cui omnia obediant, & ex quâ fiant omnia. Inde victus, inde vestitus, inde quæcumque necessaria sunt, imò quæcumque sunt commoda. Inde & Christus ad Zachæum, aliena restituentem, sua distribuentem pauperibus, quibus pecuniæ etiam malo animo comparatæ, bono tamen animo sunt dispensatæ. [Si iam hoc fecistis, ait apud Augustinum, & pecunias tales habetis, & inde sacellos implestis, inde thesaurizabitis. De malo est quod habetis, iam nolite malum addere: qui habetis de malo, facite inde bonum.] Si non tribuis, saltem restituis: sed ille verè tribuit, qui de thesauro suo tam iustè quàm congruè suggerit necessitatem patienti, qui petenti panem aut vestem tribuit.

Sen. l. 1. de benef. c. 11. & 12.

Quomodo eleemosynę cum beneficiis comparandæ.

Iacob. c. 2.

Augustin. ser. 35. de verb Dom. cap. 3.

SECTIO SECVNDA.

Quantum.

TEstimonium reddit Apostolus, quod Macedones secundùm vires & suprà vires dederint; quòd iuxtà virtutem, & suprà virtutem suam fecerint eleemosynam. Trifariam ergo dari potest: primò, infrà vires: secundò, iuxtà vires: tertiò, suprà vires.

B Quoad 1. Illi dant infrà vires, qui multum habent & parùm tribuunt: quasi perdant quod tribuunt, & id suum credant quod retinent. Idcircò Paulus: [Hoc autem dico, Qui parcè seminat, parcè & metet.] Idem parcum, quod parum. Ita Tertullianus, de tunicis antiquis: [Nec trans crura prodigæ, nec intrà genua inuerecundæ, nec brachiis paræ, nec manibus artæ.] Parcè à parcendo: parcè autem idem quod parè parum-ve. Porrò parcit ille qui non tangit, qui nihil aut parùm decerpit. Ita Nathan ad Dauid: [Parcens ille sumere de ouibus & bobus suis, tulit ouem viri pauperis.] Quis ergo ille qui parcè seminat, nisi ille C qui parùm dat licet multum habeat, qui parcit diuitiis suis licet plurimis: qui dat infrà vires, qui modicum ex copiâ suâ tribuit. Quo sensu dicebat Augustinus Iuliano: [Si parcè egisti, quare animæ tuæ non pepercisti?] Parcit ille, qui auarâ tribuit parcimoniâ, non qui gratâ effundit munificentiâ. [Ad hoc ergo transit Apostolus, nimirum, ait Chrysostomus, vt prolixè ac munificè tribuant. Non dixit, ieiunè, sed mitiore vocabulo vtens, parcè. Quin semen quoque hanc rem appellauit, vt statim tibi ob oculos sese merces objiciat: ac messem D cogitans, plura te accipere, quàm dare intelligas. Proinde non dixit, Qui dat; sed, Qui seminat. Non item, si vos seminaueritis: verùm in genere hoc extulit. Non denique, amplè & copiosè, sed quod eo non paulò maius erat, In benedictionibus. Quoniam enim liberalitas & hilaritas ferè inter se pugnant, atque is quidem, qui multum tribuit, sæpè mœrore afficitur; hic contrà ne doleat, parciùs tribuit; vide quonam pacto, & cum eâ, quæ ipsum decebat, prudentiâ, vtriusque curam gerat. Non enim dixit, pauca sponte & lubenti animo date præstat, quàm multa inuitò: quandoquidem E vtrumque volebat, & vt multum, & libenter tribuerent. Quonam verò modo? Vt præparent vestram benedictionem paratam esse sicut benedictionem, & non tanquam auaritiam. Prius ab eo, quod iucundius erat ac leuius, auspicatur, nempe vt ne grauatim atque inuitis animis largiantur. Benedictio enim est, inquit: nemo autem mœsto animo benedictionem impertit. Ac ne hac quidem dictione contentus, addit, Non tanquam auaritiam: auaritia siquidem, eorum est, qui inuiti tribuunt: ac proinde qui eleemosynam inuitus in aliquem confert, auaritiam is dat, non benedictionem.] Benedictio, larga effusio est, cui opposita est parca & accisa contributio. Vult ergo non parcè dari aut auarè, imò nec vult dari, sed seminari; vt qui plus dederit, plus

Tertullian. l. de pall. c. 1.

2. Reg. c. 12.

Augustin. l. 2. oper. inch. num. 127.

Chrysost. Hom. 19.

Ille dat parcè, qui in multis dat modice.

recipiat; qui plus seminauerit, plus colligat. [Si sumptus facimus ait ille, ita animo comparati simus, tanquam quæstum faciamus. Si pauperibus largimur, nosipsos accipere arbitremur. Nam qui non eo animo dat, nec faciè quidem ac promptè dabit. Quare cum in animo habes spargere, non id solùm specta, quod expendis: sed hoc etiam quòd plura lucraris: & quidem hoc prius quam illud.] Parum enim expendis, & multum lucraris: sed & si multum expenderis, plurimum etiam lucraberis: si enim multum semines, multum etiam colliges.

Chrysost. in Moral. Hom. 11.

Quoad secundum. Illi dant iuxtà vires, qui multum habent, & multum tribuunt; non enim tribuunt sordidè, quasi perdant quod tribuunt, sed id necessarium credant quod retinent. Habent bona, nec tamen inde se reputant bonos: possident prædia, sed inde non tam se honoratos, quàm oneratos existimant: idcircò manus optant, quæ si non exonerent in totum, certè plurimùm subleuent. [Bona sunt & ista: ait Augustinus: quis dubitet? Piscis, ouum, panis, pomum, frumentum, bona sunt hæc: ipsæ diuitiæ in quibus homines extolluntur, & pares suos homines alios non agnoscunt. Ipsæ ergo diuitiæ bonæ sunt, sed ista omnia bona quæ commemoraui, à bonis & malis haberi possunt: & cum bona sint, bonos tamen facere non possunt. Est ergo bonum, quod faciat bonum: & est bonum, vnde facias bonum. Habes aurum, bonum est: habes non vnde sis bonus, sed vnde facias bonum. Quod bonum, inquis, factus sum de auro? Non audisti Psalmum: Dispersit, inquit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Hoc est bonum, vnde sis iustitiâ bonus: fac bonum de bono vnde non es bonus. Habes pecuniam, eroga. Erogando pecuniam, auges iustitiam. Dispersit enim distribuit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iustitia. Illud minuitur quod eras dimissurus, illud minuitur quod eras relicturus: illud augetur quod in æternum es possessurus.] Dicat apertè, sed verè dicat: minuitur onus instabilis pecuniæ, & æternæ pondus accrescit gloriæ. [Deus non solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis vnam viam istam vitæ. Inuenistis vos comites, vnam viam ambulatis. Ille nihil portat: tu nimium oneratus es. Ille nihil secum portat: tu interim plus portas quàm opus est. Onera tus es: da illi de eo quod habes: & illum pascis, & onus minuis. Nihil diues habet de diuitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper: victum & tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus quæ habes? Accepisti victum; accepisti necessarium tegumentum. Necessarium dico, non inane, non superfluum. Quid plus diuitiis tuis capis? Dic mihi. Certè omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sunt pauperibus necessaria.] Superflua sunt, quæ laciniosa sunt, ideoque onerosa: sed quæ tibi onerosa, sunt commoda pauperi, qui te hoc fasce leuat, dum de facultate communicat: & iam nemini est oneri, sed vtrique est fructui. Ita Tobias senior: [Noli auertere fa-

Augustin. lib. de vet. Dom. c. 2. & c. 3.

Bonū quod facis bonū, & bonum vnde facis bonum.

Augustin. ead. serm. 2. 11.

A ciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors.] Quid est, Quomodo potueris? Secundùm vires, secundùm facultates. Idcircò addit. [Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.] Quid ergo? Dimidium bonorum tuorum? Imò, [Mitte, ait Salomon, panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies eũ. Da partes septem, nec non & octo.] Id est, da quicquid potes: da quicquid vides tibi ad vitam momentaneam necessarium non esse, imò dole & ingemisce, hoc tibi necessarium, quod & libenter tribueres, si licenter posses. [Quocirca, (ita Chrysostomus) ne præparcè nos geramus: sed plenâ confertaque manu feramus. An non perspicis quanta histrionibus ac scortis alij largiantur. Dimidium saltem eorum Christo tribue, quæ illi saltatoribus tribuunt. Tantum saltem homini fame laboranti præbe, quantum illi, ambitione ducti, scenicis impertiunt. Illi etenim cinædorum corpus infinito etiam auro conuestiunt: at tu ne tenui quidem veste Christi carnem obuoluis, idque cum nudam eam cernas. Quid? In ventrem ac temulentiam & ganeam sumptus faciens nusquam paupertatis meministi: at cum subleuanda cuiuspiam paupertas est, quouis egentior existis. Atque ita affectus es, vt parasitos & assentatores alenis, perinde oblecteris ac si è fontibus sumptus haurires: cum autem pauperem vspiam cernis, tum demum tibi paupertatis metus ingruat.]

Tob. c. 4.

Eccles. c. 11.

B

Chrysost. in Moral. Hom. 19.

C

Quoad tertium. Illi dant suprà vires, qui non solùm dant quod possunt, sed plusquam possunt iuxta humanum modulum: nihil enim sibi seruant, sed sua dant omnia: & si plus haberent, plus etiam tribuerent. [Hoc maximum incentiuum misericordiæ, ait Ambros. vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quàm possumus: Melius est enim pro misericordiâ causas præstare, quàm prætendere inclementiam.] Dimidium bonorum suorum dedit Zachæus, & si quem fraudauit, reddidit quadruplum: benè fecit: sed & melius fecisset, si totum dedisset: nec iuxtà virtutem tantùm, sed & suprà virtutem tribuisset. [Intuere in Euangelio, ait Cyprianus, viduam præceptorum cœlestium memorem, inter ipsas pressuras & angustias egestatis operantem, in gazophylacium duo, quæ sola sibi minuta fuerant, mittentem. Multum beata illa mulier & gloriosa, quæ etiam antè diem iudicij meruit iudicis voce laudari. Pudeat diuites sterilitatis atque infelicitatis suæ: vidua, & inops vidua in opere inuenitur. Cumque vniuersa quæ dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, vt sciamus quæ pœna diuitem sterilem maneat, cum hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant. Omnes isti ex eo quod abundat illis, miserunt in dona Dei: hæc autem de inopiâ suâ omnem quemcumque habuit victum, misit.] Dare infrà virtutem, est habere multum, & parùm tribuere: dare iuxtà virtutem est retinere quod sat, & reliquum tribuere: dare supra virtutem, nec retinere quod sat est, imò

Ambros. l. 2. de off. c. 28.

D

Cyprian. Tract. de eleemosy. cit. med.

E

Totum tribuit, qui quod sibi necesse est, tribuit.

quod nec necesse est: id est, non superfluum duntaxat, sed & victui & vestitui necessarium tribuere. [Testimonium illis reddo, ait Paulus apud Aquinatem, quod fuerunt voluntarij ad dandum suprà virtutem rerum suarum: & suprà virtutem, quia intantum dederunt, quòd post eguerunt.] Sed qui didicerant vitam pro Christo contemnere, & victum contemnebant; qui diligebant misericordiam, non sentiebant dispendium. [Quantumcumque enim pauper sis, ait Chrysostomus, non es pauperior viduâ illâ quæ omnem substantiam expendit: quantumcumque mendicus sis, non eris pauperior Sidoniâ muliere, quæ pugillum farinæ tantùm habens solicita erat quomodo Prophetam dignè exciperet, tametsi videret circunstantes pueros, & famem vrgentem, neque aliud quicquam haberet repositum.] Certè nullus istorum suprà modum reus: nam qui suprà modum reus, suprà modum etiam eleemosynis faciendis debet esse voluntarius. Clamant patres, & inculcant. Sed nunc mihi res cum illis qui Christianam ducunt vitam, nec publicam agunt pœnitentiam: quanquam, & Christiana vita, publica sit pœnitentia; licet mitiori horrore, & minori transacta dedecore. Hos ergo designat Paulus, hos probat ac commendat, quòd non solùm secundùm virtutem, sed & suprà virtutem tribuerint; quòd non solùm superflua dederint statui, sed & victui necessaria; qui æquales pauperibus facti sunt, vt pauperes fierent æquales diuitibus: qui dignitatem contempserunt, vt exercerent charitatem: qui vitæ suæ obliti sunt, vt alienæ succurrerent.

Aquin. lect. 1 c. 8.

Chrysost. Homil. de eleemosy. & collat.

SECTIO TERTIA.

Quibus.

OMnibus hominibus, si possis: si non possis, omnibus fidelibus: denique, si nec omnibus possis fidelibus, saltem meliores digrioresque eligas donando, aut adiuuando facias.

Quoad primum. Christiana religio nulli noxia, cuiuis benefica. Christiani, misericordiæ viri, sicut & filij gratiæ. [Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, (verba Tertulliani) quia nobis præstamus; qui non ab homine, aut laudis, aut præmij expensum captamus, sed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Malè enim velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquam ex æquo vetamur.] Quod dixerat, [Indifferentis benignitatis:] explicat per istud, [Ex æquo.] Imò iam præmiserat per illud, [Sub exceptione personarum.] Nullum à charitate nostrâ excludimus, nullum repellimus à liberalitate Christianâ: omnes omninò pariter admittimus, omnibus passiua misericordiæ non vulgaris & tamen vulgatæ, non promiscuæ & tamen communis, singulariter, indifferenter tamen impendimus officia. Christiani inuident nemini, nulli non indulgent: nulli malum creant, omnibus bonum procurant; & si possunt, faciunt. Cum dico,

Tertullian in Apolog c. 36.

A nulli malum creare, omnibus procurare bonum: non dico sic indulgentes esse, vt sint etiam socordes; aut sic misericordes, vt sint etiam crudeles. [Si enim quispiam, vt dixit Chrysostomus, Christianis hominibus conuenire dixerit, humanitatem erga peccantem fratrem adhibere; discat ille humanitate eum vti, qui irascitur; non eum, à quo præmaturè qui peccat, vocatur, nec peccati sui sensu affici sinitur. Vter enim, quæso, febre ac phrenesi laborantem misericordiâ prosequitur, isne qui in lecto eum sternit: ac vinculis astringit, atque à noxiis cibis & potionibus arcet, an B qui ei mero se ingurgitandi facultatem præbet, ac sui iuris & arbitrij eum esse iubet, omniaque facere, quæ ab homine sano atque incolumi valetudine fieri debent? An non morbum quoque hic exulcerat, qui humanitatis officio fungi sibi videtur: cum contrà ille morbum pellat ac profliget: Eodem modo hic quoque iudicamus. Humanitatis enim est, ægrotis non vbique indulgere, ac præposteris illorum cupiditatibus adblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios stupri nomine sese obstrinxerat, tam amabat, quàm Paulus, qui eum satanæ tradi iubebat: nemo rursus tam eum C oderat, quam ij, qui peccanti applaudebant. Illi enim ipsius etiam animum inflarunt, ac tumorem maiorem effecerunt: hic autem tumorem compressit, nec ante abstitit, quàm eum integræ valetudini reddiderit.] Indulgent ergo Christiani, sed corporis necessitatibus, mentis nihilominùs succensent improbitatibus: nam animorum vitiis non tangi tam impium est, quàm corporum miseriis inhumanum est non affici. Mouentur Christiani erga omnes mortales, quia eatenus fratres quatenus homines; eatenus proximi, quatenus socij; nec diuersitatem generis intuentur, sed humanitatem pauperis.[Non enim pecunias tantummodo dare, D ait ille, eleemosyna est: sed eo animo dare, qui proximi miseriis commoueatur. Hoc porrò sacerdoces constituit; & quidem eiusmodi sacerdotio fungentes, quod ingentem mercedem afferat. Nam qui eleemosynæ studiosus est; non ille quidem talari veste indutus est, nec coronâ redimitus est: verùm humanitatis ac beneficentiæ stolâ, quæ sacram illam vestem sanctitate superat, conuestitus est; oleoque delibutus, non ex materiâ, quæ in sensum cadat, sed à Spiritu effecto. Imò coronam à commiseratione contextam habet: ait enim scriptura, Qui coronat te in misericordiâ & miserationibus: ac pro laminâ Dei nomen gestat: E imò Dei similitudinem assequitur. Quidni, cum Christus dicat, Similes eritis patri vestro qui in cœlis est?] Id enim clementibus dictum, promissum misericordibus.

Chrysost. in Moral. Hom. 16.

Genuinæ misericordiæ, errantem non corripere.

Chrysost. in Moral. Hom. 11. & in Moral. Hom. 20.

Quoad secundum. Dicebat Tertullianus: [Non sufficimus & hominibus, & deis vestris mendicantibus opem ferre. Nec putamus aliis quàm petentibus impertiendum.] Quibus ergo dandum? Non deis mutis, sed hominibus petentibus. Iam verò fideles petant infidelesque, nec opes fidelibus sufficiant & infidelibus: compatiendum vtique infidelibus, sed exertè fidelibus tri uendum. Non vetat Apo-

Tertullian. c. 42. Apol.

stolus extraneis fieri eleemosynam, quia non improbat: sed eam suis fieri procurat, & tardos accusat pigros've [Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.] Prius dixerat, [Bonum autem facientes, non deficiamus.] Seu vt propiùs ad Græca, [Non defatigemur.] Ratio. [Tempore enim suo metemus, non deficientes.] Certè, vti ibidem dixit Chrysostomus: [Ne quis arbitraretur, doctorum quidem habendam esse curam, eosque alendos, ceteros verò negligendos, ad generalitatem profert orationem: tantaque vehementiâ id facit, vt in Iudæos etiam ac Gentes, licet non eodem gradu, tamen eleemosynam conferre iubeat. Quis autem est ordo? Vt circà fideles maior habeatur solicitudo: & quod in ceteris epistolis facere solet, hoc & hîc facit; non modò loquens de dandâ eleemosynâ, verumetiam de studiosè perpetuoque dandâ. Si quidem hæ voces, seminare, & non oportet defatigari, hoc innuunt. Itaque considera, seminasti eleemosynam: manent te thesauri cœlestes, gloriaque sempiterna. Quemadmodum enim in semente, qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eò quòd oporteat & sementem & messem eiusdem esse generis: sic & in operibus.] Tum & addit, vt & ille legit, exponitque: [Ergo dum tempus habuimus, operemur quod bonum est in omnes, maximè verò ad domesticos fidei. Quemadmodum enim non semper est in nostrâ potestate facere sementem, ita nec dare eleemosynam: Cum enim hinc fuerimus abducti, etiam si millies velimus, nihil effecerimus. Testes nobis sunt huius rei & virgines illæ, quæ quamlibet promptam haberent voluntatem, tamen quoniam abierant non ferentes secum largam eleemosynam exclusæ sunt à thalamo sponsi. Testis est & diues ille, qui Lazarum despexerat, qui quoniam hoc destitutus erat auxilio, & plorans & supplicans vehementer, ne à Patriarcha, nec ab alio quopiam misericordiam impetrauit, sed citrà veniam omnem mansit in perpetuo flammæ cruciatu. Propterea dicit, Dum tempus habemus, operemur bonum ergà omnes: quanquam ergà domesticos copiosiorem exhibet solicitudinem.] Isti enim verè fratres, qui & vnum patrem, & vnam eandemque agnoscunt matrem: qui eiusdem gratiæ consortes, & eiusdem hæredes gloriæ. Isti verè proximi, qui eiusdem religionis, & eiusdem iuris consciį; qui in vnam spem sicut & in vnam fidem conspirant; qui eodem spiritu, & eodem constant affectu. Certè Apostolus de Christianis maximè solicitus. [Et ideò, ait Leo, satisfiat Apostolicis institutis. Dum tempus habemus, sicut ait Apostolus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Præsens namque vita tempus est sationis, & retributionis tempus est messis, quando vnusquisque seminum fructus secundùm sationis suæ percipiet quantitatem.[

Galat. c. 6.

Chrysost. in c. 6. ep. ad Galat.

Chrysost. ibidem.

Oportet sementem & messem eiusdem esse generis.

Leo serm. 5. de col. & eleemosyn. ad fin.

Quoad tertium. Eleemosyna videtur habere aliquid mysterij singularis, & quod dicunt, operis operati, cum ipsa pro nobis oret ad Dominum, quasi se solâ diuinam aduocet misericordiam. [Eleemosynæ, ait Leo, peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extingunt.] Inde Paulus, vt obseruat Chrysostomus: [Negotium hoc appellat communicationem, indicans fieri repensationem. Quod & alibi significans, ait: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos vestra carnalia metamus?] Sed & inde; quo sanctior est accipientis conditio, eo melior communicatio tribuentis. Vnde & in Epistolâ nostrâ. [De ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere ad vos. Postquam enim, ait ille, tot verba de eâ re habuit, ait, Ex abundanti est mihi scribere ad vos. Nec verò in hoc tantùm ipsius prudentia & sagacitas enitet, quòd tam longâ oratione habitâ, supernacaneum esse ait ad eos scribere: sed in hoc etiam, quòd de eadem re cursus verba facit.] Sed de quibus verba facit, fecit, & faciet? De sanctis: de quibus vanum videtur scribere ac superfluum: cum nullus sit qui sanctorum communionem ambire non debeat, & eorum participationem toto redimere bonorum suorum impendio. [Posteaquam enim, ait Chrysostomus, verbis similibus vsus est, subdidit, Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestram inopiam suppleat. Vide quomodo occultè hoc astruxerit, ipsos suprà vires, atque ex penuriâ dare debere. Si enim, inquit, de redundantiâ accipere vis, de redundantiâ quoque tribue. Si autem totum attrahere cupis, de penuriâ quoque ac suprà vires præbe.] Sit ex vnâ parte, opum abundantia, sit ex alterâ virtutum copia. Sint porrò & omnia communia: quis non præferat meliores digniorésque, donando; aut non faciat, adiuuando? quis non de abundantiâ suâ non tribuat abundanter, qui & de penutiâ suâ libenter non detrahat, vt societatem communionemque contrahat cum iustis sanctisque, & cum illis peculio suo de cœlo transfigat? [Quippe, vt & ille ait, qui maiora quàm dat accipit, atque hoc maiora quo præstabiliora sunt cœlestia terrenis.] Omnes quidem Paulus complexus est, sed maximè fideles; quos & sanctos dixit, quia sanctitatem pietatemque spectari voluit ac præferri. Quamuis enim Christiani omnes dicerentur sancti, quòd reuera tales essent omnes aut plurimi: tamen specialiter singulariterque electos dilectos've in oculis habuit, cum suum illis voucrit ministerium. [Atque vt intelligas, ait Chrysostomus, Paulum dum hoc factitat, confusione non vti, neque omnia miscere, sed optimam diuisionem nouisse, non simpliciter scripsit: Omnibus qui Romæ estis: sed cum definitione, Dilectis Dei. Hæc enim optima discretio, & declarat vnde sanctificatio. Vnde enim sanctificatio? à dilectione. Quum enim dixisset, dilectis: addidit & illud, Vocatis sanctis: ostendens quòd hinc nobis bonorum fons omnium.] Vult ergo sanctos, non solùm nomine, sed & ipsâ re; nec professione tantùm, sed & actione sanctâ; nec debito duntaxat, sed & officio qui certam suam electionem & vocationem piis operibus faciant, qui fidem suam religiosis sermonibus reddant testatam: vult animo pios ac Deo charos, non quod in eleemosynâ dandâ, bonorum malorum-ve inquisitio instituen-

Leo eodem serm.

Chrysost. in c. 6. ep. ad Galat.

Chrysost. Hom. 19.

Chrysost. Hom. 17.

Chrysost. in cap. 6. ad Galat.

Chrysost. Hom. 1. in ep. ad Rom.

Sancti in eleemosyna administrâda præferendi.

da sit: sed quod in contrahendâ societate, & communicatione eligendâ, facienda sit discretio. Eos enim iustè præferimus, à quibus in æterna recipi tabernacula piè confidimus; quibuscum victuri, & in æternum regnaturi.

SECTIO QVARTA.

Quomodo.

Aquin. lect. 1. in c. 8.

HIc nodus, vbi & modus est. [Apostolus enim, vt notauit Aquinas, qui commendauit liberalitatem Macedonum quantum ad quantitatem dati, commendat eam quantum ad voluntatem dandi, cum dicit, Quia voluntarij fuerunt.] Non igitur tam liberalitas exploranda est, quàm voluntas; talis quippe liberalitas dicenda erit, qualis & voluntas. Vt autem bona sit ac pia: sit primò facilis: secundò, humilis: tertiò, spiritalis.

Quoad facilitatem. Non intuetur Deus manum, sed animum; non quid, sed quomodo. [Multum enim & paucum, vti dixit Chrysostomus, Deus, non munerum quantitate, sed dantis facultate metitur. Ex quo fit, vt plerumque eo, qui obolum duntaxat pependit, minùs tu pependeris, qui centum aureos stateres pependisti.] Memento Euangelicæ illius viduæ:] Quam, ait Cyprianus, cum animaduerteret Dominus, & videret, non de patrimonio, sed de animo opus eius examinans, & considerans non quantum, sed ex quanto dedisset, respondit & dixit: Amen dico vobis, quoniam vidua ista plus omnibus misit in dona Dei.] Iam aduertit Paulus, cum dixit capite præcedenti: [Non solùm facere, sed & velle cepistis ab anno priore.] Quid dico, facere, imò & velle; quid enim prosit facere, si desit velle? Quid si aperiatur manus, nec tangatur animus: si larga sit dantis operatio, & nulla cordis compassio? Vnde Gregorius in illa Iobi verba, [Flebam quondam super eum qui afflictus erat; & compatiebatur anima mea pauperi. Quamuis, inquit, vera compassio est passioni proximi ex largitate concurrere, nonnunquam tamen cum exteriora quæque abũdè ad largiendũ suppetunt, celeriùs dantis manus dationem inuenit, quàm animus dolorem. Vnde scire necesse est, quia ille perfectè tribuit, qui cum eoquod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit vt priùs in se dolentis passionem transferat, & tunc contrà dolorem illius per ministerium concurrat. Et hanc pietatis formam mediator nobis Dei & hominum dedit: qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subuenire tamen moriendo hominibus voluit. Et vt quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos voluit. Vnde & prædicator egregius vt ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis accenderet, dixit: Propter nos egenus factus est, cum diues esset. Qui si etiam dicit: Non vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio: hæc proculdubio condescendendo infirmis intulit, quoniam quibusdam inopiam ferre non valentibus, tolerabilius est minus tribuere, quàm post largitatem suam ex inopiæ angustiâ murmurare. Nam vt ad magnâ largiendi studia audientium mentes accenderet, paulò post intulit dicens: Hoc autẽ dico: Qui parcè seminat, parcè & metet. Plus ergo nonnunquam esse dicimus compati ex corde quàm dare: quia quisquis perfectè indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat. Nisi enim dantis manum bona voluntas vinceret, eiusdem prædicator egregius discipulis nõ dixisset: Qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priori. Facilè quippe est in bono opere obedire etiam volentem. Sed hæc magna in discipulis virtus extiterat, eos bonum quod illis præceptum est, & antè voluisse.] Non dubitabat de facilitate, qui dubitare non poterat de voluntate; nec de voluntate eorum dubitare poterat quos norat non solùm obtulisse sponte, sed & consulentem præcipientem-ve præuenisse. Vnde & addit: [Nunc verò & facto perficite.] Eadem voluntate, eadem promptitudine: [Vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi.] Tam promptè, quàm facilè; tam facilè, quàm vltroneè. [Non ex tristitiâ aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.] Lubentem, facilemque. [Scio enim promptum animum vestrum.] Eleemosynæ scilicet largiendæ. [Eleemosyna verò, vti dixit Chrysostomus, tum demum est, cum tu prompto atque alacri animo, cum largè & copiosè tribuis: cum teipsum, non dare sed accipere existimas: cum perinde ac beneficium accipiens, & quæstum faciens, ac non tanquam perdens, largiris.]

Chrysost. in Moral. Hom. 19.

Cyprian. Tract. de eleemos. circ. med.

Gregorius l. 10. Moral c. 26.

Compassio non tam in opere quam in dolore.

Chrysost. in Moral. Hom. 16.

Quoad humilitatem. Nolo Senecam inuitum ad partes nostras trahere, cum misericordiam ipse proscribat velut vicinam miseriæ, imo tanquam animæ maculam abiiciat. Scio Christianum non fuisse: sed si paganicè vixit, scripsit Christianè, nisi quod Stoïcum vbique erexit supercilium. Ita igitur ille de sapiente. [Succurret, inquit, alienis lacrymis, non accedet: dabit egenti stipem, non hanc contumeliosam, quâ pars maior hominum qui se misericordes videri volunt, abiicit & fastidit quos adiuuat, contingique ab his timet: sed vt homo homini, ex communi dabit.] Putas humilem? [Sapiens, inquit, magnas opes, munus fortunæ, fructumque virtutis, non repudiabit, nec excludet. Nec iactabit illas, nec abscondet: alterum infruniti animi est, alterum timidi & pusilli, velut magnum bonum intrà sinum continentis. Habebit vtique opes, sed tamquam leues & auolaturas: nec vlli alij, nec sibi graues esse patietur. Donabit. Quid erexistis aures? quid expeditis sinum? Donabit aut bonis, aut eis quos facere poterit bonos. Donabit cum summo consilio, dignissimos eligens: vt qui meminerit, tam expensorum quàm acceptorum rationem esse reddendam. Habebit sinum facilem, non perforatum: ex quo multa exeant, nihil excidat.] Credas & sapientem? Audias & censorem. [Quis nostrûm contentus fuit, aut leniter rogari, aut semel? quis non, cum aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industriâ non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates

Sen. l. 2. de Clem. c. 6.

Sen. l. de vita beat. c. 23.

Sen. l. 1. de benef. c. 1.

cessitates elusit? In angusto verò comprehensus, aut distulit, id est, timidè negauit; aut promisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, & vix exeuntibus verbis? Errat, si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassauit, expectatione torsit. Gratus aduersùs eum quisquam potest, qui beneficium aut superbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt molestiâ careret, dedit? Non est ergo negligenter dandum, nec tardè quidem: quia cum in omni officio magni æstimetur dantis voluntas; qui tardè fecit, diu noluit.] Quid dicas tandem, nisi quod ille dicit: [O magnum virum, optimè diuitem, si opus ad hanc vocem consonet?] Imò dicas, quod ille non dicit. [Nam, vt ego ipse dicam (ex Hieronymo) propter gloriam hoc facere videtur, vt ipse iustus esse videatur.] Liberalitas tam adulterina, quam fucata humilitas; cum si vera sit, Christianorum sit, non Philosophorum.

Qui tardè dedit, ille diu noluit.

Sen. l. de vita bea. c. 21.

Hieronym. lib. 1 Comment. in matth.

Audiamus igitur Christum ipsum, tam verè docentem quàm & dignè succensentem. [Attendite ne iustitiam vestram faciatis coràm hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere antè te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem.] Audiamus & credamus. [Nam, vti dixit Chrysostomus, cum ad largiendum non miseratione, sed beneficij euulgandi studio duceris, non modò id eleemosyna non est, sed est etiam contumelia: fratrem quippe traduxisti. Etiam ij, qui in theatris spectant, tum cinædis largiuntur, tum aliis qui in scenâ versantur: nec tamen ea res eleemosyna est. His porrò non dissimilis est, qui gloriæ cupiditate laborat.] Dat enim pecuniam, vt si non voluptatem, saltem gloriam recipiat.

Matth. c. 6.

Chrysost. in Moral. Hom. 19.

Quoad spiritalitatem. Spiritalem dico voluntatem, quæ in Deum tendit, quæ propter ipsum facit, nec aliam mercedem in eleemosynâ dandâ quærit, nec aliam laudem expetit. [Non enim virtus, vti Hieronymus dixit, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet. Et si à rectâ viâ paululum declinaueris, non interest, vtrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cum verum iter amiseris.] Dicamus ex Paulo: [Vetera transierunt: ecce facta sunt noua: omnia autem ex Deo.] Sint misericordes & ethnici, sed misericordia inanis est, vtpote per vanam gloriam subornata. Sint misericordes Iudæi, sed illa misericordia carnalis est, vtpote retributionis spe temporalis prouocata. [Apud eos, ait Chrysostomus, qui futura non perinde, vt oportet, credunt, præsentia maiorem ad excitandos animos vim habent quàm futura. At iam rerum vices ita mutatæ sunt, vt & anima noua (perpurgata enim est) & corpus nouum, & nouum adorationis genus, & pollicitationes nouæ, & testamentum, & vita, & mensa, & vestis, &, vt vno verbo complectar, omnia noua sint. Etenim pro terrenâ Hierusalem, cœlestem metropolim accepimus: pro visibili templo templum spiritale cernimus: pro lapideis tabulis carneas, pro

Hieronym in cap. 5. Matth.

Chrysost. Hom. 11.

A circumcisione, baptismum; pro manna, corpus Dominicum; pro aquâ è petrâ expressâ, cruorem è latere profluentem; pro virgâ Mosis aut Aaronis, crucem; pro terrâ Iudæis promissâ, cælorum regnum; pro sexcentis sacerdotibus, vnum Pontificem; pro agno rationis experte, agnum spiritualem. Hæc aliaque huius generis Paulus animo voluens, dicebat, Noua facta sunt omnia. Omnia autem ex Deo.] Ita & idem Paulus: [Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs. Hoc est, vt exponit & idem Chrysostomus, ita nos comparemus, vt nec impura contrectemus (hoc enim carnis inquinamentum est) nec ea quæ

Chrysost. Hom. 13.

B labem animis ac maculam inurunt: hæc quippe est spiritûs impuritas. Ac ne hoc quidem contentus, adhuc subiungit, Perficientes sanctificationem in timore Dei. Non enim propterea statim puri efficimur, si nihil impuri attingamus: sed ad hoc vt sancti simus, aliud præterea requiritur, nempe vt studium atque industriam, vt animi attentionem ad pietatem adhibeamus: Quin aliud quoque per hæc verba, In timore Dei, subindicat, modum videlicet, quo sanctitas plenè ac cumulatè præstari queat. Porrò per sanctificationis vocabulum hoc loco non pudicitiam duntaxat intelligit, sed eiusmodi animi habitum, qui ab omni peccati labe purus sit atque immunis. Sanctus enim est, qui puritate præditus est. Purus

Et in Moral. Hom.

C autem tum demum effici quispiam poterit, si non scortatione duntaxat vacet, sed etiam auaritiâ, arrogantiâ: quæ cum in omnibus rebus fugienda sit, tum potissimum in eleemosynâ.] Si eleemosynam facis, vt laudem captes, instinctus superbiæ est: si ipsam facis, vt mercedem reportes temporalem, affectus auaritiæ. Opus edis pietatis, opus charitatis, sanctitatisque, sed perficienda pietas illa sanctitasque, vt non fiat inaniter, non fiat carnaliter, sed spiritaliter: non fiat ex spe præmij terreni, aut æterni etiam timore supplicij; sed sicut oportet, sicut decet sanctos perfectosque, ex

Est eleemosyna inanis, est carnalis, est & spiritalis.

D timore Dei sancto, seu amore casto in seculum seculi permanente. Spera retributionem, sed in resurrectione iustorum: spera laudem, sed in retributione operum.

SECTIO QVINTA.

Quando.

Nota est temporis: & ad id dicendum est primò, nullum non esse tempus eleemosynæ faciendæ: secundò, nonnullum tempus

E videri commodius: tertiò, ex paruis magna, æterna fieri ex momentaneis.

Quoad primum. Duas inuenerunt artes, aut potius duas commenti sunt artes Christiani, quibus se muniant, & onus faciendæ in alios rejiciant eleemosynæ. Primò enim ad animi reuocant præparationem, non ad executionem facti: quòd si inde deiecti, postremò ad consilium, non ad præceptum prouocant: contestati totum negotium aut in otio, aut in voto constitutum. His respondebant Christus

& Paulus, suadebuntque rem præcepti esse, non consilij; executionis, non præparationis. Christus quidem: [Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.] Paulus verò [Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.] Et vtroque prior Psaltes, insinuatus a Christo, laudatus à Paulo: [Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.] Nimirum, vt obseruauit Ambros. [Misericordia hæc, iustitia appellata est: quia sciens qui largitur, omnia Deum communiter omnibus dare, quia Sol eius omnibus oritur, & pluit omnibus, & terram omnibus dedit: idcircò diuidit cum iis, qui copiam terræ non habent, ne beneficiis Dei priuati videantur. Iustus ergo est qui sibi soli non detinet, quod scit omnibus datum: & iustus non solũ in tempore, sed & in æternum, qui in seculo futuro hanc habebit secũ in perpetuum.] Isti sunt iusti, qui emunt regnum cœlorum, qui nolunt videre bona hominum in terrâ morientium, sed credunt videre bona Domini in terrâ viuentium. [Quanti valet hoc quod non videtur & emitur? (ita Augustinus) Tantum quantum quisque habere potuerit. Propter hoc & ille, Sparsit, dedit pauperibus. Non vibebat, & emebat: sed ille thesaurum seruabat in cœlo, qui esurire & sitire in pauperibus dignabatur in terrâ. Non mirum est igitur, si iustitia eius manet in seculum seculi: custode illo, qui condidit secula.] Loquitur Psalmus, loquitur & Christus, necnon & Paulus, non iis, qui, vt dixit Gregorius: [Nihil sibi reseruant, sed vitam immolant & substantiam.] Qui relinquunt non possessiones tantùm, sed & cupiditates omnes, dum seipsos Deo & totos offerunt. Isti non tam emunt cœlos, quam rapiunt; & semel datis omnibus aut conculcatis præceptum dandi redimunt, aut conuertunt in propositum ministrandi. Loquitur ergo iis qui habent, aut habere possunt; nec retinent quod possunt spargere. Verùm si iustus est qui tribuit, iniustus est qui non tribuit. & si iustitia illius manet in seculum seculi, culpa istius & immisericordia manet in seculum seculi. [Sunt fortè aliqui diuitum, ait Leo, qui licet nullis largitionibus pauperes Ecclesiæ soleant adiuuare, alia tamen mandata Dei custodiunt, & inter diuersa fidei & probitatis merita, venialiter sibi æstimant vnam deesse virtutem. Verùm hæc tanta est, vt sine illâ cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. Quamuis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis moribus ornatus insignibus, misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. Ait enim Dominus: Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. In illo verò magno summoque iudicio, quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri, tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summâ omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum.] Itaque sicut nullum non est tempus faciendæ iustitiæ, sic & nullum non est faciendæ eleemosynæ: nullum tempus non habile, sicut & nullum opus illius non laudabile.

Ambros. in Paulum.

Cur misericordia dicta sit iustitia.

Augustin. Enarrat. in Psal. 111. in fine.

Gregorius Hom. 10. in Ezechiel.

Leo ser. 5. de coll. & eleem. cit. med.

A Quoad secundum. Quamuis dies omnes fidei ac saluti solemnes, tamen sicut ieiuniis celebrandis nonnulli destinati sunt, sic & nonnulla faciendis ac colligendis eleemosynis designata sunt tempora. Et posset quidem dici de isto officio, quod dixit Tertullianus de baptismo. [Omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile: si de solennitate interest de gratiâ nihil refert.] Nihilominus, sicut aliud tempus ieiunandi, & aliud tempus temperandi; vt istud perpetuum sit, illud certâ solennitate constitutum: sic & aliud tempus operandi, & aliud largiter solemniterque communicandi: vt illud reducatur ad officium,
B istud sequatur ieiunium. Ita Leo vtrumque copulans, & ad vtrumque simul adhortans: [Ad omnia, inquit, opera pietatis, omnium nobis qualitas prosit annorum, nec beneuolentiam Christianam difficultas temporalis impediat. Oriatur de cordis agro, quod terra non dedit. Semper illi quod largiatur occurrit, cui benè velle non deficit. Nouit Dominus vasa hospitali viduæ in opus pietatis suæ vacuata complere: nouit aquas in vina conuertere: nouit de paucissimis panibus quinque millia esurientium saturare populorum. Et ille, qui in suis pascitur, quæ potuit augere dando, po-
C test multiplicare sumendo. Tris verò sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiunium, & eleemosyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosiùs obseruandum, quod Apostolicis accepimus traditionibus consecratum, vt illa diligentiùs exequamur. Oratione enim propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulque per omnia Dei in nobis imago renouatur, si & in laudem eius semper parati, & ad purificationem nostram sine cessatione soliciti, & ad sustentationem proximi indesinenter simus intenti.] Indesi-
D nenter quidem quoad pietatem, specialiter verò quoad solennitatem. Nec tamen soli dies esuriales solemnes sunt, sed & festiui, celebresque: nam sicut Apostolus primam sabbati colligendæ ordinauit eleemosynæ; [Ideò, ait ille, satisfiat Apostolicis institutis. Et quia die Dominicâ prima est futura collectio, omnes vos deuotioni voluntariæ præparate, vt vnusquisque secundùm sufficientiam habeat in sacratissimâ oblatione consortium. Exorabunt pro vobis & ipsæ eleemosynæ, & ij qui vestris muneribus iuuabuntur, vt ad omne opus bonum idonei semper esse possitis.] Dies isti tam esuriales quàm & festiui singulariter bonis operi-
E bus, piisque actionibus dicati sunt: illi quidem ad exorandam misericordiam, isti ad gratiam recolendam: idcircò, illi abstinentiæ consecrati sunt, isti lætitiæ: in illis seueriùs ieiunandum, in istis orandum attentiùs: sed tam isti quàm & illi eleemosynis adiuuandi sunt, ne dicam & armandi. Nam, vt & ille ait: [Quoniam ad destruendas antiqui hostis insidias in die, quo impij sub idolorum suorum nomine diabolo seruiebant, prouidentissimè in sanctâ Ecclesiâ primâ est instituta collectio, æquum est per omnes Ecclesias cum voluntariis oblationibus eleemosynatum conuenire. Habeant

Tertullian. l. de baptis. c. 19.

Leo serm 7. de ieiun. dec. mens. & col.

Tria sunt ad religiosas actiones pertinentia.

Leo. ser. 6. de col. & eleem. in fine.

Leo ser. 3. de col. vlt. med.

In hoc misericordiæ commercio etiam pauperes lucrum, & ad sustentationem egentium de quantacunque substantiâ, aliquid, quod eos non contristet, excerpant.] Sunt illi dies indictiui: adeò vt tria sint dierum illorum genera, in quibus largiter operandum sit, singulariterque spargendis vacandum eleemosynis.

Quoad tertium. Multa sunt salutis opera proposita, multa pietatis officia: sed nonnulla quæ videbuntur plus onerosa, alia censebuntur minus efficacia: eleemosyna tam expedita quam & actuosa, tamque vtilis quàm & facilis, quæ ex paruis magna faciat, ex caducis momentaneisque repromittat æterna. [Hoc in Euangelio Dominus docet: ait Cyprianus; nam cum denotarentur discipuli eius quòd ederent, nec priùs manus lauissent, respondit, & dixit: Qui fecit quod intus est, fecit & quod foris est: verùm date eleemosynam, & ecce munda sunt omnia vobis. Misericors docet ac monet misericordiâ fieri: monensque & ostendens vnde mundi & purgati esse possimus, addidit eleemosynas esse faciendas.] Quid est, [Quod superest, date eleemosynam.] Quasi vnum supersit salutis remedium, quod minoris sit laboris, & maioris vtilitatis. [Laudata est eleemosyna, ait Augustinus, facite & probate. Sed paulisper attendite quod Pharisæis dictum est. Pharisæi isti Iudæi erant, quasi egregij Iudæorum. Nobiliores enim atque doctiores tunc Pharisæi vocabantur. Baptismo Christi abluti non erant, in Christum filium Dei vnigenitum, qui inter illos ambulabat, & ab eis non agnoscebatur, nondum crediderant. Quomodo ergo dicit eis, Date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis? Quid est, Facite eleemosynam? Facite misericordiam. Facite veram eleemosynam. Quid est vera eleemosyna? Misericordia,] Putabant illi eleemosynam in quantitate sitam; non in qualitate; & in eo errabant; imò tribuebant quidem pecuniam, sed non faciebant eleemosynam, sicut non veram iustitiam, ita nec veram exercebant misericordiam: nam si nonnulla apud ipsos misericordia, nondum vera, quia nondum Christiana, nondum fide ac charitate suffulta: sed Iudaïca adhuc & Pharisaïca, carne immersa & sanguine. Facite ergo veram eleemosynam; facite veram misericordiam; non pecuniâ sed iustitiâ grauidam, non pondere sed opere pretiosam: & ecce munda vobis, ecce tuta sunt omnia: dum enim quis modo debito alienæ inopiæ miseriam subleuat, propriam animæ procurat munditiam. Ita, vt dixit Leo: [Multis diuinarum scripturarum testimoniis edocemur, quantum eleemosynarum meritum, & quanta sit virtus. Certum est enim, vnumquemque nostrûm animæ suæ benefacere, quoties misericordiâ suâ inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis apud nos largitas esse debet; si credimus sibi vnumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cœlo, qui Christum pascit in paupere.] Nec tam imponitur tibi sumptus lautè pascendo, quàm piè volendo animus exigitur. [In hoc enim opere, vt ille ait, etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas: quoniam fidelium largitas, non de muneris pensatur pondere, sed de beneuolentiæ quantitate. Sit diues munere copiosior; dum pauper animo non sit inferior. Quamuis enim maior speretur reditus de maiore semente, potest tamen de exiguâ satione multus fructus prouenire iustitiæ. Iustus enim est iudex & verax; qui neminem fraudat meritorum. Et ideò nos curam pauperum vult habere, vt in futuræ retributionis examine, misericordibus, quam promisit, misericordiam largiatur.] Quid scyphus aquæ nihil illo minus, nihil & præsentius: qui tamen in fide dederit; qui in nomine Christi dederit, non perdet præmium, imò æternum regnum recipiet.

Cyprian. Tract. de eleemosyn. post. init.

Augustin. serm. 36. de ve b. Dom. c. 1. & c. 4.

Facit eleemosynam, qui facit veram misericordiâ.

Leo serm. 1. de coll. à princip.

Leo ser. 3. de coll. vlt. med.

SECTIO SEXTA.

Vbi.

De loco quidem non interest: tamen sicut prima sabbathi, seu dies Dominica, speciatim à Paulo assignata est; sic & Ecclesia nominatim destinata. [In faciem Ecclesiarum.] Tunc enim inopes maximè cogitandi sunt; cum fideles omnes congregandi. Ita Leo: [Ventura, inquit, Dominica dies, collectarum futura est. Hortor & moneo sanctitatem vestram, vt singuli quique & pauperum memineritis & vestri, & pro possibilitate virium vestrarum intelligatis in egentibus Christum.] Cum collecti eritis, collectam facite: beatus qui intelligit super egenum & pauperem, capitque Christum ipsum in paupere vestiri ac pasci à diuite. [O mira prudentia, & bonitas creatoris, vt vno facto duobus vellet esse succursum. Benignitatem itaque in hoc & dispensationem diuinæ pietatis agnosce. Idcircò enim te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui; pauperem ab egestatis labore, teque à peccatorum multitudine liberaret.] Mementote igitur pauperum, & illis eleemosynam, imò & vobis misericordiam impendite. Sed cur in Ecclesiâ?

Primò ad exemplum: vt alij nimirum prouocentur, tamque piâ æmulatione quàm certâ stimulentur religione. Æmulationem distinguo & religionem, & illam tam volo piam, quam istam esse certam. Ita Tertullianus, de virginibus vanitatem potius spirantibus, quàm aspirantibus ad sanctitatem, & institutum religiosum, non tâ religione amplexantibus quàm æmulatione. [Referunt; inquit, aliquando dictum à quadam cum primum quæstio ista tentata est, & quomodo ceteras sollicitabimus ad huiusmodi opus? Scilicet felices nos facient, si plures erunt; & non Dei gratia vel merita cuiusque. Virgines Ecclesiam, an Ecclesia virgines ornat Deo, siue commendat? Confessa est igitur gloriam esse in causâ. Porrò vbi gloria, illic sollicitatio; vbi sollicitatio, illic coactio; vbi coactio, illic necessitas; vbi necessitas, illic infirmitas. Meritò itaque dum caput non tegunt vt sollicitentur gloriæ causâ, ventres tegere coguntur infirmitatis ruinâ: æmulatio enim illas, non religio producit: aliquando & ipse venter deus earũ, quia facilè virgines fraternitas suscipit.] Cœtus scilicet fratrum;

Leo serm. 1. de col. vers. fin.

Leo eodem serm.

Tertullian. l. de veland. virgi. c. 14.

Ecclesia, quæ ipsa est fidelium societas, sanctorum conuentus Christianorum. Exemplum postulo, & volo publicum, sed non ad ambitionem: nec æmulationem reprobo, sed illam probo, quæ religionis stimulo prouocata est, non coactionis æstro concitata. [Pertinet ad oculum mundum, ait Augustinus, non intueri in rectè faciendo laudes hominum, & ad eas referre quod rectè facis: id est, propterea rectè facere aliquid, vt hominibus placeas. Cauetè, inquit Dominus, facere iustitiam vestram coràm hominibus, vt videamini ab eis: id est, cauete hoc animo iustè viuere, & ibi constituere bonum vestrum, vt vos videant homines. Non si ab hominibus videamini, sed si propterea iustè viuatis, vt ab hominibus videamini. Nam vbi erit, quod in principio sermonis huius dictum est, Vos estis lux mundi: & reliqua vsque ad id quod ait, Vt videant opera vestra bona. Sed non ibi constituit finem. Addidit enim, Et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.] Itaque, vt & ille dixit: [Non sibi debent fideles occultare bona opera sua, quibus inuitandi sunt ab inuicem, vt alter alterum possit ad Christianæ fidei communionem inuitare. Generaliter autem hîc iustitiam Christus nominat, deinde particulariter exequitur. Est enim pars aliqua iustitiæ, opus quod per eleemosynam fit, & ideò connectit dicendo: Cùm ergo facis eleemosynam noli tuba canere: ad hoc respicit, quod superius ait, Cauete facere iustitiam vestram coràm hominibus, vt videamini ab eis.] Bonum facere opera bona, quæ videantur ab hominibus; malum facere opera bona, vt videantur ab hominibus: illic enim pietatis exemplum est, istic argumentum vanitatis. Idcircò in publicâ Ecclesiâ, non vt se iactent, sed vt inuitent alios nondum accinctos: non vt glorientur illi, sed vt isti prouocentur. Velim animaduertas, ait Chrysostomus, quàm nouo modo Paulus hoc inuehat. Non enim dixit, Hos imitemini: sed quid? Vestra æmulatio prouocauit plurimos. Vides quemadmodum hos per illos, ac vicissim illos per hos excitet? Ob eam caussam non dixit, Illos imitemini: neque enim hoc tantùm ad eorum animos zelo inflammandos vim habebat. Quonam autem modo? Vestrum illi exemplum secuti sunt: ne committite, magistri, vt discipulis inferiores sitis.] Mutua illa veræ pietatis exempla sunt, & publica Christianæ charitatis incentiua; quibus bona mens allicitur, nec tam æmulando quam zelando, conuincitur.

Augustin. l. 1. de serm. Dom. in monte c. 1.

Augustin. eod. l. c. 2.

Aliud facere quod videatur, aliud facere vt videatur.

Chrysost. Hom. 19

Secundò ad emolumentum. Panegyrim vitam nostram reputat Gregorius Nazianzenus in Iambicis, sed illam maximè in Ecclesiis exerceri autumat Chrysostomus: ibi enim tanto maiora sunt œconomiæ spiritalis lucra, quanto sunt ampliora sanctæ pietatis commercia: [In tremendis mysteriis, ait iste, vt sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit. Hæc enim verba, Et cum spiritu tuo, nihil aliud, quàm hoc significant. Rursus ea oratio, quâ Deo gratiæ aguntur, vtrisque communis est. Neque enim ipse solus gratias agit: sed etiam plebs vniuersa. Ad hæc, cum pax danda, vicissimque accipienda est, omnes æquè

Gregor. Naz. in Iamb.

Chrysost. in Moral. Hom. 18.

A inter nos exosculamur.] Miscentur artes, opesque, cum publicentur preces, & omnia euulgentur sancti conuentûs, & Christiani ritûs mysteria. [Propterea, ait ille, is qui ordinandi munus obiturus est, preces tum poscit: acclamantque ea, quæ norunt, qui norunt, qui mysteriis initiati sunt. Neque enim fas est coràm profanis cuncta detegere. Interdum autem ne quicquam quidem inter sacerdotem interest, & eos quibus præest, velut cum tremenda mysteria percipienda sunt. Æquè enim omnes ad ea admittuntur: non quemadmodum in veteri testamento, alia sacerdos, alia subditus edebat; nec plebi fas erat iis vesci; quibus sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet. Omnibus siquidem vnum corpus, vnum poculum proponitur.] Omnia conferuntur in commune, nedum proferuntur, Christianæ religionis, ac sanctæ pietatis negotia. [Inuitati sumus ad nuptias, ait Augustinus, vbi nos ipsi, si benè agimus, sponsæ erimus. Inuitati sumus ad mensam, vbi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum. Ideò quod solebat vanitas per gulam perdere, incipiat iustitia per misericordiam pauperibus erogare; quod luxuria vel gula dissipauit in mundo, pietas reponat in cœlo. Et licet hoc expediat, vt semper eleemosynas facere debeamus: præcipuè tamen in sanctis solemnitatibus secundùm vires nostras abundantiùs erogemus, pauperes antè omnia ad conuiuium reuocemus. Non enim est iustum, vt in populo Christiano ad vnum Dominum pertinente, alij inebrientur, alij famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus, vnius serui sumus, vno pretio redempti sumus, pari conditione in hunc mundum intrauimus, simili etiam exitu migraturi sumus. Et si benè agimus, ad vnam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum capturus est regnum? Quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit habere baptismi sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum inuitatus est ad conuiuium angelorum? Rogandi quidem sunt & parentes & vicini: sed rariùs rogandi sunt. Et non nimis sumptuosa & delitiosa, sed tam parca & sobria vel honesta debent illis conuiuia præparari, vt remaneat vnde possint pauperes, efici, vnde possit aliquid indigentibus erogari.] Communicatio ista, certa negotiatio: in quâ negotiari non aliud est quam lucrari. Idcircò, vt notat Cyprianus: [Dominus doctor vitæ nostræ, & magister salutis æternæ viuificans credentium populum, & viuificatis consulens in æternum, inter sua diuina mandata & præcepta cœlestia nihil crebrius mandat & præcipit quàm vt insistamus eleemosynis dandis, nec terrenis possessionibus incumbamus, sed cœlestes thesauros potius recondamus. Qui negotiatorem cœlestis gratiæ, & comparatorem salutis æternæ, distractis omnibus rebus suis, pretiosam margaritam, hoc est vitam æternam Christi cruore pretiosam, de quantitate pa-

B C D E

Chrysost. ibidem

Augustin. serm. 1. de temp. cit. med.

In rebus spiritualibus, negotiari lucrari est.

Cyprian. Tract. de eleemos. cit. med.

trimonij sui dicit debere mercari.]

Tertiò ad remedium: cur enim Ecclesiam intras, nisi vt infirmitatibus tuis, vulneribus tuis medelam quæras, iniquitatibus misericordiam inuenias? At sicut iudicium sine misericordiâ ei qui non fecit misericordiam, ita iudicium ex misericordiâ ei qui facit misericordiam. [Numera, ait Chrysostomus, remedia quibus vulnera tua sanantur: præstat ea, quæ omnibus antecellit eleemosyna misericordiaque in iuuandis tam pecuniâ quam studio atque officio proximis.] Alia quippe remedia sunt: sed istud tam præsens, quàm & conueniens. Vnde in Ecclesiâ, hinc baptisterium, illinc & gazophylacium: vt & qui adhuc naturâ filius est iræ, supplicium euadat;& qui post baptismum adhuc reus est concupiscentiæ, inueniat remedium. [Felix operarius, ait Augustinus, cultor eleemosynarum, eo quòd ære suo comparauerit cœlum, & dans panem esurientibus, delictorum suorum presserit incendium. Cui propheta tale exhibet testimonium, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: & patronum habet Spiritum sanctum in tali causâ. Talis operarius felix viuit, & securus iam moritur: cum quo ambulat patrimonium immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum pascit alterum dando. In die iudicij nullam poterit incurrere perniciem, qui comparauit eleemosynis pietatem.] Itaque, vt & ille dixit: [Remedia peccatorum, medicina est eleemosynarum. Eleemosyna enim à morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras. Patrocinatur in die iudicij vt flammas æternas non timeat. Misericordia est quæ iram Dei auertit & peccata dimittit, ignes futuros extinguit: sicut Salomon dicit, Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis. Si quid das, illud transmittis, vbi in futuro tibi repones: non vnde carnaliter saturetis, sed vnde spiritaliter glorieris: non vnde ventrem repleas, sed vnde flammas extinguas, quia scriptum est, Eleemosyna à morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras.] Eleemosyna igitur baptismum reducit, dum peccatum extinguit. [Sicut enim lauacro aquæ salutaris, ait Cyprianus, gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operationibus iustis delictorum flamma sopitur. Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt, quid deberent facere peccantes, magisteria diuina docuerunt. Operationibus iustis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari.] Vnde ille ad diuites & locupletes. [Qui, inquit, locuples ac diues es, eme tibi à Christo aurum ignitum, vt sordibus tuis tanquam igne decoctis, esse aurum mundum possis, si eleemosynis & iustâ operatione purgeris. Eme tibi albam vestem, qui secundùm Adam nudus fueras, & horrebas antè deformis, indumento Christi candido vestiaris. Et quæ matrona locuples & diues es, vnge oculos tuos non stibio diaboli, sed collyrio Christi, vt peruenire ad videndum Deum possis, dum Dominum & operibus bonis & moribus promereris. Locuples & diues Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis.] Nihil infers in gazophylacium, nihil offers in sacrificium? Cur in Dominicum properas, nonne vt miseriis tuis inuenias remedium? Esto igitur & tu misericors, respicito corbonam, velut gratiæ arcam & aram misericordiæ: sicut enim catechumeni baptisterium spectant vt morbi naturalis antidotum, sic & baptizati gazophylacium prospectant velut inueterati languoris, & erroris quotidiani remedium.

Chrysost. in orat. Hom. 4.

Augustin. Hom. 17 ex 50. à princ.

Augustin. l. 50. Hom. 4. in princip.

Cyprian. Tract. de eleem. post. init.

Cyprian. cit. med.

Quod baptisterium catechumenis hoc baptizatis gazophylacium.

COROLLARIVM.

Re vera tam iusta quàm gratuita misericordia est: vnde nunc à Paulo gratia vocata est, nunc iustitia. [Per iustitiæ namque vocabulum, vt obseruauit Chrysostomus, hoc loco benignitatem, atque humilitatem intelligit Apostolus. Iustos quippe homines efficit, peccata, ignis in modum absumens & conficiens, cum largissimè profunditur.] Sed perfecta debet esse gratia, misericordia debet esse perfecta, vt sit & perfecta iustitia. [Perfecta est autem misericordia, vti dixit Augustinus, vt antè occurratur esurientibus, quàm roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia quæ precibus extorquetur. Sed si tacet mendicus, loquitur pallor in facie, penè lassus, fessus & elisus, nusquam suspectus. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem; ne quod debetur Domino, vendices tibi.] Vnde & ille ad suos: [Date, inquio, pauperibus: rogo, moneo, præcipio, iubeo. Quicquid vultis, date pauperibus. Non enim occultabo charitati vestræ, quare hunc sermonem necesse habui vobis promere. Ex quo hic sumus euntes ad Ecclesiam & redeuntes, pauperes interpellant nos: & dicunt vt dicamus vobis vt aliquid accipiant à vobis. Nos monuerunt loqui vobis: & cum se vident non accipere à vobis, inaniter arbitrantur nos laborare in vobis. Expectant aliquid & à nobis. Damus quantum habemus: damus sicut possumus. Nunquid tamen ad eorum necessitatem implendam idonei sumus? Quia ergò ad necessitatem eorum implendam idonei non sumus, vel ad vos legati ipsorum sumus.] O procurator, ô pastor, qui & misericordiam exercet ac iustitiam, qui ministerium implet & officium. [Consilium, inquit, do lucrorum, disce mercari. Laudas enim mercatorem qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam?] Ita pastor & adhortator Cyprianus: [Apud Salomonem, ait, legimus: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hic pro te exorabit ab omni malo. Et iterum: Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit; aut impetrabit de diuinâ pietate aliquid in precibus, qui ad preces pauperis non fuerit humanus. Sed vt intelligas hæc omnia Deo dari, & cum quisque hæc facit, Deum promereri, Christus illud Dei dona appellat, vt magis ac magis possit esse manifestum,

Chrysost. Hom. 19.

Augustin. l. 50 Hom. 3. post init.

Augustin. ser. 5 de ver. Dom. c. 11.

Perfecta misericordia quæ præuenit pauperem, & preces præuenit.

Augustin. cod. loc. c. 4.

Cyp. Tract. de eleemos. cit. med. & vltra.

quia qui miseretur pauperis, Deo fœnerat.]

Nec sat tamen vt perfecta sit misericordia. [Sed talis esse debet ipsa misericordia, vti dixit Augustinus, quæ suscipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ animam grauet. De bono, de iusto labore, de propriâ facultate, non de pauperum egestate. Cum iudicare cœperit Deus, dicturi sunt hi qui de fraudibus viuunt, & de spoliis miserorum eleemosynam faciunt: Domine præcepta tua seruauimus, & in nomine tuo misericordias fecimus, pauperes pauimus, nudos operuimus, & peregrinos hospitio recepimus. Quibus dicturus est Deus: Quod dedistis, dicitis; quod rapuistis, non dicitis. Quos pauistis, memoramini: quare non recordamini quos necastis? Quos operuistis, gaudent: quos expoliastis, plangunt. Quos hospitio recepistis, retinetis: & obliti estis quantos de suis habitaculis expulistis? Ego misericordiam fieri iussi, fraudes & rapinas exerceri non mandaui. Vnus repletur panibus, quem de rapinis satiasti: & benedicet Dominus non te, sed eum quem necasti.] Quomodo illa humanitas quæ inhumanitas est, quomodo misericordia, quæ est sæuitia? Tam non benè luxuriosus suum prodigit, quàm non dignè iniustus non suû impendit. [In hoc opere, ait Leo, quantum quis possit, quantumque non possit, solus veraciter ille discernit, qui nouit, quid quibusque contulerit. Non solùm enim spiritales opes & dona cœlestia Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipsius largitate proueniunt, vt meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, quàm dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei iustè & sapienter vtendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati. Nam diuitiæ quidem, quantum ad ipsas species earum atque substantias pertinet, bonæ sunt, & humanæ societati plurimum prosunt, cum à beneuolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit, vt tam pereant malè conditæ, quam insipienter. Huiusmodi diuites egentiores sunt omnibus egenis. Perdunt enim illos reditus, quos possunt habere perpetuos: & dum breui nec semper libero incumbunt vsui, nullo iustitiæ cibo, nullâ suauitate misericordiæ pascuntur, foris splendidi, intus obscuri: abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fame afficiunt, & nuditate dehonestant: qui de ijs, quæ terrenis horreis commendarunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt.]

Postremò vt perfecta sit misericordia, non solùm excipiendi sunt pauperes, sed & inquirendi. [Vigilandum est enim, vti dixit Leo, vt quem modestia tegit, & verecundia præpedit, inuenire possimus. Sunt enim qui palàm poscere ea, quibus indigent, erubescunt, & malunt miseriâ tacitæ egestatis affligi, quàm publicâ petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, beatus enim qui intelligit super egenum, & pauperem, & ab occultâ necessitate releuandi; vt hoc ipso amplius gaudeant, quum & paupertati eorum consultū fuerit & pudori. Rectè enim in egeno & paupere, ipsius Iesu Christi Domini nostri persona sentitur, qui cum esset diues, sicut dicit Apostolus, inops factus est, vt nos suâ paupertate ditaret. Et ne deesse nobis sua præsentia videretur, ita humilitatis & gloriæ suæ temperauit mysterium, vt quem regem & Dominum in maiestate patris adoramus, eundem in suis pauperibus pasceremus, liberandi ob hoc in die malâ à damnatione perpetuâ, & pro intellecti pauperis curâ, regni cœlestis consortiis inserendi.] Mysterium est, requirendum est; arcanum est, perscrutandum est: illi sine cessatione studendum, illi incumbendum sine defatigatione. [Audi, ait Chrysostomus, perutilem admonitionem illis pronuntiatam verbis: Eleemosynæ, inquit, & fides te non deserant: non dixit, semel facito, aut bis, aut ter, aut decies, aut centies; sed perpetuò; te non deserant, inquit. Nec verò dixit, ipsas ne deseras: sed, ipsæ te non deserant; ostendens nos esse, qui ipsarum egeamus, non ipsas nostri; docensque nihil nobis non faciendum esse, vt illas apud nos retineamus: Circumda eas, inquit, gutturi tuo. Quemadmodum diuitum filij decus aureum circa collum gestant, illudque nunquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circumferentes; ita & eleemosynam nobisipsis circumdemus oportet, declarantes nos esse patris misericordis filios.] Quid ergo? Tædet laboris, aut honoris pudet? [At dedi, inquis. Benè habet, ait ille: sed non est intermittendum hoc facere. Nam tum duntaxat tibi certa erit excusatio, cum, quod des, non habueris, ac rebus omnibus carueris. Quandiu autem habueris, etiamsi sexcentis dederis, sint autem alij qui fame conflictentur, nulla tibi excusatio suppetet.] Dandum, iterumque dandum: imò vigilandum, ne quis pudori parcens egestate conficiatur, instandum vt sibi potius consulens fruatur liberalitate.

Concludimus ergo ex eo quod præmisimus, liberales nimirum misericordes-ve esse Deo similes. [Imitare Deum tuum, ait Augustinus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et ecce veniet tibi pluuia antequam roges, descendet vbertas in nocte, dum adhuc in lecto es: ex præcepto vigilat dies, excubant elementa, fructus te nesciente effunduntur. Iactat cœlum & parturit terra: tot cellaria messium, dum nescimus, sic accipimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus. Et tu homo, modicus est ipse panis, & precibus vendis? Creuit in deserto cibus, dum impenditur victus: sic eleemosyna, si indigentibus erogetur. Magnum opus est eleemosyna, vt faciat homo quod fecit Deus, qui hos paucos esurientes in terrâ dimisit.] Magna gratia egenos pascere, imò maior quàm mortuos suscitare. Dicat ipse Chrysostomus: [Maior hæc gratia est, quàm mortuos ad vitam reuocare. Christum enim fame laborantem alere, multò maius ac præstantius est, quàm in nomine Iesu à morte ad vitam homines excitare. Illic enim Deo beneficium das: hîc ille tibi. Porrò non iis, qui beneficium accipiunt, sed qui dant, merces est constituta. Etenim in miraculorum editione debitorem te Deus habet: in eleemosynâ autem, tu Deum tibi obstrictum habes.] Certè

Augustin. l. 50. Hom. 47. post. init.

Leo ser. 1. de coll. & eleem. post. init.

Materia boni non debet esse causa peccati.

Leo ser. 4 de col. & eleem. vers. fin.

Verecundi sunt sollicitè perquirendi.

Chrysost. digress. Moral. in c. 1. ep. ad Phil.

Chrysost. in Moral. Homil. 17.

Augustin. Hom. 39. inter 50. in med.

Chrysost. in Moral. Hom. 16.

tunc Deo sumus similes, cum benignitatis, cum bonitatis ex animo sumus imitatores. [Vnde, vti dixit Leo, plenum pietatis & iustitiæ est, vt de iis, quæ nobis cœlestis pater misericorditer contulit, nos quoque alios adiuuemus. Non enim sibi ad effectus operum suorum humana ratio sufficeret, nisi plantationibus & rigationibus solitis Dominus incrementa præberet.] Et inde est, vt obseruat Augustinus, quod sicut Deus liberalitatem compensat, sic & crudelitatem castigat. [Crudele est enim, vt de quo habes, non des ei quem scis non habere. Graue est, vt de tuâ abundantiâ, non sustentes egentis inopiam. Vnde semper flagellamur in frugibus, quia benè egentibus non facimus. Da, de quo dederit tibi Deus. Ipse te diuitem fecit, ideò redde illi quod suum est. Si tibi dicat Deus: Teipsum ego feci: quod viuis, meum est; quod habes, ego dedi, & ingratus es: aufero quæ dedi, nego quod donaui, dimitto te quem feci, & sine me viue, si potes. Ego sum qui diuitem & pauperem feci, prærogatorem te constitui in bonis meis: non quia ambobus non habui vnde darem, sed per pauperem volui te probare. Da, quid dubitas? Quia si dederis, ego plura dabo. Quid tibi vindicas, quod ambobus dedi? Quare tu solus comedis, quod ambobus creaui? Quare tuo labori hoc assignas, aut tuum esse putas? Aufero auxilium meum, habe laborem tuum: aufero misericordiam, & tunc apparebit miseria tua. Ad hæc quid dicturus es miser? Miser es, qui miseros non vides, & eris solus.]

Leo ser. 5. de ieiun. deci. mi mens. post init.

Augustin. l. 50. Hom. 47. cit. & vlt. med.

Deus compensat liberalitatem, crudelitaté castigat.

LECTIO TERTIA.

De accipientibus.

ET isti instituendi sunt, cum non minùs sæpè virtutibus egeant quàm facultatibus, nec egestatem nec liberalitatem sustineant: impatientes, inuidentes. Suadenda igitur patientia, dissuadenda inuidia.

SECTIO PRIMA.

De patientia.

HAbent quo purgentur diuites, habent quo mundentur. [Dedit nobis Deus secundum baptismum (ait Augustinus) In horreis nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione vnius panis extinguat.] Habent & pauperes quo probentur, coronenturque. [Nolite, ait Ambrosius, hanc refugere paupertatem, quam sequitur regnum cœlorum.] Multi tamen illam refugiunt, multi illam non ferunt, triplicem ob causam: pudoris, laboris, timoris.

Augustin. l. 50. Hom. 39. vers. fin.

Ambrof. Apol 2. Dauid. c. 11.

Quoad primum. Pudet inter pauperes accenseri, inter humiles recenseri, ne dicam & abjectiores. [Quid verò? (ait Chrysostomus) An non innumeros sanctos cernitis? Quid sanctos dico? Imò ipsum sanctorum Dominum

Chrysost. in Moral. Hom. 19.

A stipem petentem videtis?] Certè nec diuites omnes reprobandi, nec pauperes omnes approbandi: sunt enim mali pauperes, sicut & boni diuites. [Neque enim, vti dixit Ambrosius, sancta omnis paupertas, aut diuitiæ criminosæ: sed vt luxuria infamat diuitias, ita paupertatem commendat sanctitas.] Tamen sicut apud diuites seminarium est vitiorum, sic & apud pauperes virtutis omnis promptuarium. [Bona paupertas, ait ille, quæ quod habuerit, non amittit. Bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamen thesauros scientiæ atque sapientiæ. Nolite quasi vilem despicere paupertatem. Iste pauper

Ambrof. l. 8 in Luc. post. init.

Ambrof. Apol. 2. Dauid c. 11.

B clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Nolite quasi magnis inuidere diuitiis. Diuites eguerunt & esurierunt. Sed si vultis habere bona, Dominum quærite. Inquirentes enim Dominum, non deficient omni bono. Pauper erat Petrus, & quem donaret nummulum non habebat: sed pretiosiorem omni pecuniâ donabat salutem. Pauper ille erat Lazarus in Euangelio: sed ille qui antè in ostro diues iacebat & purpurâ, optabat post exitum vitæ stillante digito pauperis refrigerari. Quamuis ille ostro superbus regio & purpuratis vestibus, vulnera pauperis diues fastidiosus horruerit, tamen in

Nec omnes diuites mali, nec boni omnes pauperes.

C inferis locatus optabat eo loci fuisse quo Lazarus.] Pudet paupertatis, quia pudet humilitatis; pudet inopiæ, quia pudet parcimoniæ. [Multò tamen, ait ille, pulcrius est hordeaceos panes non erubescere, & apponere quod habes, quàm negare. Elisæus qui sibi nihil reliquit; populis abundauit. Elisæus ergo hordeaceos panes non erubuit apponere, nos erubescimus simplices intelligere creaturas, quæ simplicibus & suis declarantur vocabulis?] Idcircò [Tu propriis esto contentus, (ait & ille) & aliena te damna non pascant. Bonus cibus est simplicitas, innocentiæ suæ bona ha-

Ambrof. l. 6. Hexam. c. 2.

Ambrof. l. 5 Hexam. c. 8

D bens: insidiari nescit alienis, nec auaritiæ facibus inardescit, cui lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium. Et ideò beata est, si bona sua nouerit cum veritate paupertas, & omnibus præferenda thesauris: quia melius est exiguum cum Dei timore, quàm thesauri magni sine timore.] Pudeat pudoris nostri: pudeat innocentiam declinare, captare superbiam: fumum spargere, luxum diligere.

Quoad secundum. Tædet laborare, quasi labor paupertatis supplicium sit, & non natiuitatis præiudicium. [Homo ad laborem nascitur, & auis ad volatum.] Quibus verbis docetur, non debere inde humanam mentem atteri, sed potius in spem certam prouehi. [Ad

Iob c. 5.

E laborem quippe nascitur homo, (ita Gregorius) quia nimirum is qui acceptâ est præditus ratione, considerat, quòd valdè sibi sit impossibile, vt hæc peregrinationis suæ tempora sine gemitu euadat. Vnde benè Paulus cùm tribulationes suas discipulis enumeraret, adiunxit: Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus. Sed in eo quòd caro flagellis affligitur, mens ad appetenda altiora subleuatur: Paulo rursus attestante, qui ait: Et licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Homo ergo ad labo-

Gregorius l. 6. Moral. c. 7.

A rem nascitur, & auis ad volatum: quia inde mens ad summa euolat, vnde caro in infimis duriùs laborat.] Scio nonnullos diuites immunitatem à lege communi prætendere, nobilitatem speciali exceptione probare, iustitium sibi indicere, otium sibi in negotium adscribere. [In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.] Sed si in labore hominum non sunt, sunt in labore dæmonum; & si non flagellantur cum illis, cum istis cruciantur. Hæc enim diuina lex est, nedum humana: & sicut illius asseclæ à cœlestibus visitantur, ita refugæ tentantur à dæmonibus. [Agnoscant homines, ait Bernardus, quia qui in laboribus hominum non sunt, visitari ab angelis non merentur. Agnoscant quàm placeat supernis ciuibus labor, cuius spiritualis intentio est: quandoquidem & eos qui pro victu corporis, corporali vrgente necessitate laborant, suo dignantur alloquio. Nimirum humanam in eis agnoscunt ordinationem, quâ constituit Deus, vt in sudore vultûs sui vescatur Adam pane suo. Nonne accedit ad consolationem ipsa quoque quæ pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio & allocutio angelorum? Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram, vt iam non mereamini habere cœlestem. Quam multi enim nobiles secundùm carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes huius seculi, illâ horâ in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est nouam videre lucem, scire magnum illud gaudium, angelos audire cantantes, Gloria in excelsis Deo.] Desidiosi & otiosi audiunt potius tentantem diabolum, quàm angelum cantantem; & dum vitæ fugiunt onera, in retia decidunt superbiæ, in vitia impingunt concupiscentiæ; id est ruunt in peius, & laborem sibi adsciscunt pondere grauiorem, & onere importabilem. [Grauis quippe labor, vti dixit Gregorius, hanc ipsam præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam quandoque percipere, & perceptam cum omni circumspectione custodire. Grauis labor est, hoc cum magnâ fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendit, nouerit diu stare non posse.]

Psal. 71.

Bern. ser. 3. in Nat. Dom. infin.

Pauperes in consolatione angelorum, diuites in tentatione dæmonum.

Gregorius 1 6. Moral. c. 7.

Quoad tertium. Morbus est timoris tam importunus, quàm & omnibus communis, etiam & diuitibus. [Quid enim, ait Chrysostomus, afferre potes, cur paupertatem formides, cur opes expetas? Metuo, inquis, ne aliorum fores adire cogar, atque alios rogare. Multos quippe assiduè hoc in precibus vsurpantes ac dicentes audio, Ne me eò redigi sinas, vt hominum ope atque auxilio opus habeam: & quidem hæc audiens ingentem risum edo. Puerilis siquidem est hic metus. Nulla enim dies, nulla, vt ita dicam, res est, in quâ alij aliis non indigeamus. Itaque inconsiderati atque arrogantiâ tumentis animi hæc verba sunt, nec rerum naturam perspicuè agnoscentis. An non cernis nos omnes eâ esse conditione, vt alij aliorum ope carere nequeamus? Nam & artifice miles opus habet, & artifex mercatore, & mercator agricolâ, & seruus libero, & herus seruo, & pauper diuite, & diues paupere; & qui nihil operis facit, eo, qui eleemosynam præbet, & qui præbet, eo, qui accipit. Etenim is, qui eleemosynam accipit, maximè necessarium, atque adeò omnium præstantissimum munus explet. Nisi enim pauperes essent, salus nostra magnâ ex parte profligata & euersa esset, vt qui, vbi pecunias serere possemus, non haberemus. Ex quo fit, vt pauper, qui omnium minimè vtilis esse videtur, omnium maximè sit vtilis. Porrò si alterius ope indigere turpe est, nihil aliud reliquum est, quàm vt intereamus. Neque enim fieri potest vt viuat, qui hoc timet.] Imò timor ille tam vanus, quàm & sibi infensus. Times paupertatem, quia refugis dependentiam: imò quo maiorem habes copiam, eo B duriorem necessitatem incurris per ineuitabiliorem dependentiam. [Ecquid enim hæc, ait ille, quæ nihili æstimanda sunt, metuis? ad hæc contremiscis? Ob hæc paupertatem reformidas? Nam si diues fueris, eo pluribus & vilioribus indigebis. Quò enim ad maiores opes perueneris, eò magis te huic maledicto subiicies. Ita, quid optes ac preceris, nescis, dum opes eò petis, vt nullius opem desideres: perinde ac si quis mare ingressus, vbi & nautis, & naue, & amplissimo apparatu opus est, vota faciat, vt nullius omnino hominis operâ atque auxilio indigeat. Nam si animum in- C duxeris haud magnopere quoquam opus habere, paupertatem opta. Ita fiet, vt si cuiusquam ope indigeas, pro pane tantùm aut veste indigeas.] In paucis nempe, ac ferè nullis. [Quantum est enim, vt Ambrosius dixit, quod hominem alat? Aut si quæris quod aliis etiam abundet ad gratiam, id quoque non multum est. Melior enim est hospitalitas in oleribus cum gratiâ, quàm vitulorum pinguium præparatio cum discordiâ.] Ita tam non audiendus timor, quàm nec pudor verendus est.

Chrysost. in Moral. Hom. 17.

Mundus in mutua constitutus est dependentia.

Chrysost. ibidem.

Ambros. l. 5. Hexam. c. 8.

SECTIO SECVNDA.

D *De inuidiâ.*

Egimus de patientiâ, sed pauperum: de quâ Psaltes: [Patientia pauperum non peribit in finem.] Eorum scilicet: [Qui, vt dixit Augustinus, videntur nunc in obliuione esse cum peccatores felicitate huius seculi florere existimantur, & iusti laborare. Sed patientia, inquit, pauperum non peribit in æternum.] Et benè, patientia pauperum: quasi diuites omnibus egeant virtutibus, pauperes solâ indigeant patientiâ. Si enim, vt Christia- E num decet, patienter tolerent incommoda huius vitæ, & incessanter adspirent ad futuræ gaudia, tandem exaudiuntur, & in cœlestem admittuntur hæreditatem. [Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.] Nempe, vt Augustinus exponit: [Desiderium illud quo æstuabant, cum in angustiis & tribulationibus huius seculi Domini diem concupiscerent.] Sic ergo & de inuidiâ nunc agimus, sed pauperum: quanquam omnes ferè inuidi pauperes, quâ nimirum illi egentes sunt, seu aliquo bono destituti. [Inuidere enim, vt obseruat Gregorius, non possumus, nisi eis quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus est qui

Augustin. Enar. in Psal. 9 vlt. med.

Augustin. ibidem.

Gregor. l. 5. Moral. c. 31.

qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo minor sit cuius inuidia torquetur. Hinc est quòd hostis callidus primo homini inuidendo surripuit, quia amissâ beatitudine, minorem se immortalitate illius agnouit. Hinc est quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit: quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit, cuius Deus hostiam accepit, & quem meliorem se esse exhorruit, ne vtcunque esset, amputauit. Hinc Esaü ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perditâ, quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat, minorem se eo quem nascendo præibat ingemuit. Hinc Ioseph fratres sui Ismaëlitis transeuntibus vendiderunt: quia cognito reuelationis mysterio, ne se fieret melior, eius profectibus obuiare conati sunt. Hinc Saül Dauid subditam lanceam intorquendo prosequitur, quia quem magnis quotidie augeri virtutum successibus sensit, vltrà se excrescere expauit.] Sed sicut specialis patientia pauperum est, sic & specialis inuidia: pauperes enim inuident, primò sterilibus diuitibus: secundò, concurrentibus pauperibus: tertiò, omnibus felicibus.

Qui inuidet, de bono dolet alieno, & non suo.

De primo. Non inuident pauperes diuitibus quibus & assident: sed diuitibus sterilibus, à quibus petunt, nec tamen accipiunt. [Pauper, ait Ambrosius, manus tuas quærit, mendicus fructum tuum quærit. Qui à te non vult nisi quod necessitati suæ prosit, pauper est: manus tuas quærit.] Atque vtinam hoc tantùm requireret, quod sibi duceret necessarium: nulla enim inuidia esset, si nulla esset concupiscentia. Sed dum vltrà naturæ modum expetunt, locum faciunt inuidiæ: desinunt esse pauperes spiritu, & esse diuites affectu incipiunt. Certè, vt notauit Ambrosianus Commẽtator in Paulum: [Vix fit vt humilis zeletur potentem, scit enim non sibi competere in quo illi possit inuideri: sed aut æquali inuidetur, aut propè æquali.] Vix inuideret pauper diuiti, si nec ipse iam diues esset affectu, si nec ipse quæ possidet diues, actu concupisceret. Vnde qui inuidiæ prostare timet, renuntiare debet concupiscentiæ. [Paulus quidem, ait Chrysostomus, hanc vitæ rationem adeò exquisitam, & ab ineunte ætate susceptam, tantam nobilitatem, tanta studia proiecit, ac damna putauit (cum antea lucra essent) vt Christum lucraretur; nos verò neque pecuniam contemnimus, vt Christum lucremur; sed malumus futuræ vitæ iacturam facere, quam præsentium rerum: quanquam hæc nihil aliud sunt, quam damnum. Cedo enim sigillatim expendamus ea, quæ in diuitiis insunt. An non damnum censeri illud debet, quod laborem quidem habet, lucrum verò nullum? Quid enim, dic mihi, vtilitatis ex multis, ac pretiosis vestibus? atque istis induti quid lucri facimus? Nihil planè, sed damnum duntaxat reportamus: quomodo? quoniam & pauper vilem, tritamque vestem ferens in maximis caloribus nihilo deterius fert æstum, quàm tu quinimò ille facilius: trita enim & vnica faciliùs sinit respirare, ac recreari corpora: quæ autem nouè confecta est, etiamsi aranearum telis tennior, non item. Nihil ergo plus quoad vsum & commodum, sed

Ambros. in c. 31. Prou. c. 6.

Ambros. in epist. 2. ad Cor. c. 10.

Chrysost. dig. mor. ser. 10 in c. 2. ad Phil.

Vnde nata inter pauperes ac diuites inuidia.

A plus auri effusum est tibi.] Et id est, quod inuidiam acuit inter diuites, nedum inter pauperes, dum pompam instruit, & vanitati potius consulit quàm necessitati. Sed & pauperes dum accipiunt, concupiscentiam accendunt nonnunquam, & ita proruunt in inuidiam.

De secundo. Non solùm ingratis inuident diuitibus, sed & alijs accipientibus, pauperibus nimirum concurrentibus. [Difficile namque est, vt loquitur Gregorius, vt hoc alteri non inuideat, quod adipisci alter exoptat: quia quicquid temporaliter percipitur, tanto fit minus singulis, quanto diuiditur in multis: & B idcircò desiderantis mentem liuor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditùs alter accipiens adimit; aut à quantitate restringit.] Inde pauperes maximè laudabiles, dum vident aliis dari, & non inuident, imò & ex animo gaudent multis communicari. [Glorificantes Deum in obedientiâ confessionis vestræ in Euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes.] Id est, vt exponit Chrysostomus: [Non gaudent illi quidem, inquit, quòd res eas, quarum inopiâ premuntur, ipsis subministretis, ac paupertatem eorum subleuetis: ceterùm multò maiorem hoc C illis voluptatem affert, quòd Euangelio ita vos submisistis. Cui rei hoc argumento est, quod tam prolixè ac munificè tribuitis: id enim Euangelium præscribit. Atque ob eam causam, (addit) Deum laudibus efferunt, quòd non erga eos duntaxat, sed etiam erga omnes tam liberales estis. Atque hoc rursus ad eorum laudem ac prædicationem spectat, nempe quòd pro iis quoque gratias Deo agant, quæ in alios conferuntur. Neque enim, quæ sua sunt, duntaxat quærunt: sed aliorum quoque incommodis consulunt: idque cùm in extremâ paupertate D versentur. Quod quidem magnæ eorum virtutis indicium est. Nihil enim perinde inuidiâ æstuat, vt id hominum genus, quod egestate laborat. At illi hoc vitio vacant: tantùmque ab eo absunt, vt ob vestra in alios beneficia discrucientur, vt ex illis non minùs voluptatis capiant, quàm ex iis, quibus ipsi afficiuntur.] Rarissimi certè huiusmodi pauperes, & si qui sunt, maximè inter ceteros, etiam inter perfectos sunt maximè laudabiles: tantò enim laudis vberior copia est, quanto certior est virtutis euidentia.

Gregorius l. 5. Moral. c. vlt.

Chrysost. Hom. 20.

Quinam pauperes sint præcipue laudabiles.

De tertio. Nonnunquam similitudo causa E inuidiæ est, nonnunquam dissimilitudo. Inuidet figulus figulo, inuidet miser felici, velletque omnes esse infelices, vt illa mater quæ filium amiserat suum, cupiebatque omnes exinde steriles. [Oderat omnes matres, ait Seneca, & in Liuiam maximè furebat: quia videbatur ad illius filium transisse, sibi promissa felicitas.] Verùm tam similitudo, quàm dissimilitudo, & felicitatis ignorantiam denotant, & charitatis accusant penuriam. Inuides magnatibus, inuides principibus; quia censes eos tam felices quàm & splendidos. Parcerem, si non aberrares: imò cur parcerem, dum à verâ exulares sententiâ, Sed ego forsan inuiderem, si nescirem tam miseros quàm elatos. [Quem enim mihi afferes? ait Chrysostomus Regemne? At neque ille vitam curis solutam viuit,

Sen lib. de consol ad Mar c. 2.

Chrysost. digres. Moral. vlt. in ep. ad Phil.

ſed multis moleſtiis, atque angoribus refertam. Non enim ad diadema ſpectes, ſed ad ſolicitudinum procellam, vnde illi tumultus maximus exoritur: non ad purpuram, ſed ad animam illâ ipſâ purpurâ nigriorem. Non æquè corona ligat caput, atque animam ſolicitudo: non ad ſatellitum numerum ſpecta, ſed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim priuatam domum tot curis abundantem reperias, quot regiam. Mortes ſingulo quoque die imminentes à ſuis etiam ipſis: & antè menſam, & antè poculum verſatur ſanguis. Noctu verò, dici non poteſt, quam ſæpè ſomniis, ac viſis excitati proſiliant. Quid igitur tali vitâ fieri miſerabilius poteſt?] Beatos putabas quos ille probat miſerrimos: illis tanquam feliciſſimis inuidebas, quos demonſtrat infeliciſſimos. Sed ſi veram cogitas felicitatem, ſi Chriſtianam auſcultas charitatem, procul omnis aberit inuidia, liuoremque omnem euacuabit aut copia ſpiritalis aut cœleſtis gloria. [Qui ergo, ait Gregorius, liuoris peſte plenè carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non anguſtat, quæ & omnibus vna eſt, & ſingulis tota, quæ tantò largior eſſe oſtenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo liuoris, eſt affectus ſurgens internæ dulcedinis, & plena mors eius, eſt profectus amor æternitatis. Nam cum mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur; tantò magis proximum diligit, quantò minùs ex profectu illius ſua damna pertimeſcit. Quæ ſi perfectè in amore cœleſtis patriæ rapitur, plenè etiam in proximi dilectione ſine omni inuidiâ ſolidatur: quia cum nulla terrena deſiderat, nihil eſt quod eius erga proximum charitati contradicat.] Sed ſat ſit de vitiis pauperum: nunc & aliquid de ipſorum officiis.

Magnates ac principes quàm ſint infelices.

Gregorius l. 5. Moral. c. 31.

SECTIO TERTIA.

De conſtitutis pauperum officijs.

DEbent diuites pauperibus, debent & pauperes diuitibus. Inde debito perſoluto gratias agit Apoſtolus, imò & exigit: plus enim debent pauperes, quàm debent diuites. [Gratias autem Deo ſuper inenarrabili dono eius. Per donum autem, ait Chryſoſtomus, hoc loco tot ac tanta illa bona intelligit, quæ tam iis, qui accipiunt, quàm qui dant, per eleemoſynam comparantur.] Sed dantes, eleemoſynâ acceptâ, & miſeriâ ſubleuatâ, officio ſuo perfuncti ſunt: accipientes verò non ſolùm hoc ipſum debent, ſed & tribus remanent obſtricti, Gratiarum ſcilicet actioni, glorificationi, obſecrationi.

Chryſoſt. Hom. 20.

De gratiarum actione. Inenarrabilis gratia Dei, quâ excitantur diuites ad tribuendum, largiendumque, quâ & ipſi innumeris locupletantur beneficiis. [Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem.] Vt non tam detis, quàm abundetis, non tam largiamini, quàm locupletemini; non tam effundatis, quàm colligatis. [Potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt

A in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.] Nimirum, vt & aliis tribuatis. [Non tamen dixit, vt aliis quoque tribuatis: (ita Chryſoſtomus) ſed, abundetis. Nec ſimpliciter dixit, Implere: ſed, abundare facere. Quid eſt autem gratiam abundare facere? Complures eleemoſynam dare pertimeſcunt, dicentes, Ne fortè in paupertatem incidam, ne fortè aliorum ope atque auxilio opus habeam. Vt igitur hũc metum extinguat, adiungit, Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Hoc eſt, tot tantiſque operibus vos cumulabit, vt huiuſmodi benignitate ac munificentiâ copioſiſſimè vti poſſitis.] Votum eſt, an oraculum, B quo & copiam prædicit, & diuinam obſtringit potentiam: Vouet, ſpondetque illos abundaturos in omnem ſimplicitatem: daturoſque animo non ſolùm liberaliſſimo; ſed & ſinceriſſimo: ſemen enim illud eſt, quod qui plus aptè ſpargit, plus etiam iuſtè colligit. [Vt enim triticum, ait ille, florentes ſegetes reddit, ita etiam eleemoſyna ingentes iuſtitiæ manipulos efficit. Sed poſteaquam tantam ipſis vbertatem exoptauit, rurſus vbinam ea impendi debeat, his verbis vtens: Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actio-C nem Deo. Non vt in ea, in quæ minimè decet opes veſtras inſumatis, inquit, ſed in ea, ex quibus plurima gratiarum actio ad Deum redit.] Vnde illa gratia, quod diuites non ſolùm affluenter tribuant, ſed & ſimpliciter, vnde tanta liberalitas in largitione, tanta puritas in intentione, quòd tam copioſè profundant, quàm & innoxiè: Nonne id ex Deo? Igitur, [Gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius.] Seu, vt ex Græco: [Gratia autem Deo.] reddenda ſcilicet referenda-ve. Quanta enim & quantæ gratiarum actionis materia? [Quoniam miniſterium huius officij non ſolùm ſupplet ea D quæ deſunt ſanctis: ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.] Seu, vt habet Textus Ambroſianus: [Abundat per multorum gratiarum actiones Deo.] Et explicat. [Inde gratiæ aguntur Deo; ab iis qui neceſſarios ſumptus accipiunt ſub nomine Chriſti, non mendicitati ſubiecti, ſed Deo, de cuius bonis ali ſe norunt.]

Chryſoſt. Homil. 19.

Chryſoſt. Hom. 20.

Eleemoſyna, gratiarum actionis materia.

Ambroſ. in Paulum.

Pauperes facilè gratias ei agunt, de cuius manu accipiunt: rariſſimè autem ei de cuius penu hauriunt. Ita Iob? [Si deſpexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum; & abſque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus E ouium mearum calefactus eſt.] Et hoc quidem non culpandum, imò & laudandum eſt: ſed à riuulo remeandum ad fontem, à beneficio procedendum ad originem. Diues quidem dedit, quia habuit & voluit: ſed quis facultatis largitor, quis & auctor voluntatis? Quis dedit diuiti vnde tribueret? quis illi perſuaſit vt daret? [Gratias autem Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem in corde Titi.] Illum Deus excitauit, illum animauit. [Cauete, ait Chryſoſtomus, ne exiſtimeris humanitùs hoc contigiſſe. Ideò enim dicit Apoſtolus; Gratias autem Deo. Dei beneficium hoc eſſe oſtendit, proin-

Iob. c. 13

Beneficium omne à Deo collatum eſt.

Chryſoſt. Hom. 18.

deque eius auctori gratias agit.] Sed & illud aduertendum est, quod aduertit Gregorius in laudato Iobi testimonio. [Ignoto enim, inquit, proximo misertum se indicat, quem praetereuntem vocat, quia videlicet apud piam mentem plus natura valet quàm notitia.] Natura nimirum persanata: id est, plus gratia valet quàm notitia. Quid enim, peregrinum suscipere, incognitum vestire, pascere, bona sua tam largiter quàm & simpliciter tribuere, sine vllâ spe retributionis temporalis, absque expectatione vllâ fauoris specialis: quasi seratur in vanum & inane, quasi effœtum ac sterile solum conspergatur? [At Deus tibi audi quid dicat, ait Augustinus. Quid? Vis fœnerari? vis minus dare, & plus accipere? Ecce mihi da, dicit Dominus: ego accipio minus, & dabo plus. Audis, Sursum corda, & curas dicere, Habemus ad Dominum. Si aliquid illuc misisti, habes quod ibi quæras. Si nihil misisti sursum, non habes quod ibi quæras.] Sed qui voluntatem tribuendi dedit, & aurem tribuit audiendi. Non dedisset diues, nisi Deus mouisset voluntatem; non dedisset, nisi tribuisset facultatem: idcircò primariæ ac præcipuæ gratiæ Deo agendæ sunt, qui & affectum inspirauit, & effectum procurauit.

Gregorius l. 21. Moral. c. 14.

Augustin. l. 50 Hom. 3. c. 3.

De glorificatione. Glorificare Deum, est gloriam eius prædicare, illum magnificare ob collatam gratiam. [Per probationem ministerij huius glorificantes Deum, in obedientiâ confessionis vestræ in Euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos & in omnes.] Quantum illud donum, ex quo gratiarum actiones Deo referuntur, ex quo & laudes conferuntur. [Ipsius enim gloriam, vt exponit Chrysostomus, ob confessionis vestræ obedientiam prædicant. Ne enim eos ostendat hoc duntaxat nomine, quòd beneficiis accepti sint, gratias agere, vide quàm altos ac sublimes eos reddat. Quod enim in eâ Epistolâ quam ad Philippenses scribit, ait, Non quia requiro datum, hoc ipsis quoque testimonio suo tribuit.] Vult pauperes non tam gaudere de collato munere, quàm de bono opere; non tam de paupertate subleuatâ, quàm de probatâ charitate; non tam de beneficio corporali, quàm de spiritali incremento; non tam de miseriæ subsidio, quàm de augmento gratiæ. [Probantes enim, ait Ambros. mentem eorum in hoc opere, magnificant in eis Dominum, cuius spe firmati obediunt Euangelio Christi in subiectione mentis.] Eodem animo debet eleemosynam accipere pauper Christianus, quo debet tribuere diues Christianus. [Cur autem non sciat, inquit Tertullianus, me Dei causâ fecisse, vt & Deus potiùs glorificetur?] Non solùm vt egenus subleuetur, sed quod præcipuum ac summum est, vt glorificetur Deus. Debet ergo pauper in hoc gaudere, non quòd diuites liberales sint, sed quòd liberales diuites sint in operibus suis, quòd fidem suam probent per manifestam charitatem; quod obedientiam, quam Euangelio debent, obsignent per munificentiam; quòd per submissionem quàm Deo exhibent, laudem concilient; quòd per officium, conflent meritum; quod ex animo tanta pietatis ac charitatis exerceant opera, & inde thesaurum habeant in cœlo repositum.

Chrysost. Hom. 20.

Ambros. in Paulum.

Tertullian. l. de Idolol. c. 22.

Vnde Deus in eleemosyna glorificandus sit.

De obsecratione. Si pauperes, vtique sunt supplices: sed si boni pauperes, vtique sunt cœlestes patroni. [Si enim, ait Gregorius, eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubiò pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur.] A diuite beneficium est, à paupere patrocinium: ab illo subsidium, ab isto suffragium. [Et in ipsorum obsecratione pro vobis: desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.] Non dico, quòd abundantes erunt in iudicio futuro, vos fortè inopes: sed dico quod in hoc æuo patroni vestri sunt & aduocati. [Pro vestrâ enim charitate Deum rogant & obsecrant, (ita Chrysostomus) vt vestro conspectu sibi frui liceat. Hoc autem non ob opes vestras expetunt: sed vt gratiam vobis diuino munere concessam oculis vsurpent.] Seu, vt exponit Ambros. [Commendant factum ipsorum Domino, vt paucis tribuentes multorũ obsecrationibus cõmendentur.] Hoc igitur debent pauperes, preces nimirum supplicationesque, debent pro tribuentibus obsecrare, & pro impensâ eleemosynâ diuinam exorare misericordiam. [Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hic pro te exorabit ab omni malo. (ita legit Cyprianus) Et apud Salomonem, iterum: Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit Dominum, & non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit; aut impetrabit de diuinâ pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.] Diuinum igitur est dare pauperibus, pauperum orare pro diuitibus. Hoc boni diuites seu verè Christiani, hoc pij pauperes ac verè religiosi. [Occurristis vobis, (ita absoluo ex Augustino) pariter ambulatis viam. Tu noli premere, tu noli fraudare. Iste eget, ille habet: fecit autem ambos Dominus. Per eum qui habet, iuuat egentem; per eum qui non habet, probat (saluatque) habentem. Audiuimus, diximus, timeamus, caueamus, oremus, perueniamus.] Audiant omnes, & diuites & pauperes, faciant & perueniant.

Gregorius l. 21. Moral. c. 14.


Egeni non tam supplices quàm cœlestes patroni.

Chrysost. Hom. 20.

Ambros. in Paulum.

Cyprian. Tract. de eleem. cit. med

Augustin. ser. 8. de diuers. c. vlt.



CAPVT DECIMVM.

Epigraphe.

ADuersùs æmulos pseudapostolos causam commendat suam, affirmatque nec erubescentiam timere se, nec mensuram excedere.

TEXTVS.

IPse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam quâ existimor audere; in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundùm carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Quæ secundùm faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos. Nam, & si ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostrâ, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam. Vt autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas: quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis: hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi vsque ad vos. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: vsque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi. Non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundùm regulam nostram in abundantiam, etiam in illa quæ vltrà nos sunt euangelizare, non in alienâ regulâ in iis quæ præparata sunt gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem Deus commendat.

EXEGESIS LITTERALIS.

NOn patitur Apostolus dignitatem suam seu Apostolicam auctoritatem contemni: talemque vult se credi verbo absentem, qualem & in facto præsentem.

[Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis, &c.] Ipse ego, de quo obtrectant æmuli Iudæi, blatterantque: ego, inquam, qui coràm seu præsens humiliter me inter vos gero, absens autem fidenter audenterque vobiscum ago: ipse ego obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi. Mansuetudo in animo præcipuè residet, modestia, Græcè ἐπιείκεια, comitas, benignitas sese in facto exhibet. [Rogo autem vos ne præsens audeam per eam confidentiam quâ existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundùm carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundū carnē militamus, &c.] Ita exordior, ita loquor, obsecrando, non imperando, ne cum venero, vosque inuenero incorrectos, cogar seueriorem exerere potestatem, fidentiùs liberiusque in quosdam agere, per eam audaciam, quâ dicunt illi me agere, imprimuntque, aliis, dum præsumunt, nos secundùm humanos sensus aut corruptos affectus procedere. Præsumunt, inquam, licet enim carnem adhuc gestemus, non tamen humanam, aut secundùm inclinationem carnalem exercemus militiam. [Corinthij, inquit Aquinas, specialiter imponebant Paulo, quòd cum esset præsens apud eos conuersaretur humiliter, & cùm esset absens scriberet eis valdè durè. Causa autem quare hoc sibi imponebatur, est quia isti arbitrabantur, Apostolum secundù n carnem ambulare: homines enim qui in carnalia tendunt, blandè se habent ad homines & humiliter. Sed hæc ratio nulla est, & vana: & ideò destruit eam, dicens; Quòd nos simus in carne, non possumus negare, sed quòd nos regulemur secundùm carnem, ponendo in bonis carnalibus finem, siue intentionem nostram, hoc est falsum.] Vita quidem nostra militia est, sed spiritualis, non carnalis. [Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia, &c.] Dixerat non se viuere, seu non se militare, vel agere se secundùm carnalem inclinationem. Probat. Nam arma ministerij Apostolici, non sunt arma carnalia, mundana, secularia: sed potentia diuina, quæ valeat ad euertenda aduersariorum, fidem ac religionem oppugnantium, machinamenta, quæ omnibus præualeat ingenij humani viribus: quæ diruat quicquid aut excelsum in sapientiâ humanâ, aut arduum in mundanâ industriâ, si sese aduersùs fidem ac veritatem

Modestia à modo agē-di dicta est.

Aquin. lect. 1.

A erigat: quæ captiuum ducat ingenium omne, quantumuis sublime, quantumuis superbum; inducatque ad obediendum Christo, seque submittendum Euangelio: quæ auctoritatem puniendi habeat ac corrigendi, quæ seueriorem potestatem aduersùs inobedientes ac contumaces exerceat: quàm & ego in reliquos exercebo, cum vos in ordinem ac meliorem frugem reduxero. [Hoc loco, vti dixit Athanas. Corinthios terrefacit, illud (inquiens) expectamus, vt vobis me cohortante iam emendatis, alios incurabili morbo affectos, & per vos destitutos, mox prædicemus. In promptu namque habemus supplicia, quæ his, vobis inter eos versantibus, prohibemur inferre, ne & vos corripiat illata plaga.]

Athanas. in Paul.

B [Quæ secundùm faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos, &c.] Quidam, Quæ secundùm faciem sunt, videtis? quasi corripiat: alij, quasi instruat, ex iis quæ manifesta sunt, & omnibus perspicua, rem expendite, & litem componite. Si quis sibi persuadeat se Christi ministrum esse, hoc in seipso etiam atque etiam perpendat, quòd & ministerium nobis sit concreditum. [Nunc, ait Ambros. vult eos quæ palàm sunt & aperta considerare: quia de Apostolo nemo credentium non plus æstimet quàm de se, quanto magis nemo minus quàm de se debeat æstimare:] Hoc luce clarius: si enim alius Christi est, quomodo Apostolus non est Christi: vtpote ab eo missus legatusque? [Nam, & si ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostrâ, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam.] Dixi me Christi esse, & quasi de pari contendi. Tamen si aliquid amplius & illustrius addidero, de potestate quam mihi Christus ipse tradidit, vt vestram salutem proueham, non vt impediam, profectò non pudefiam, veritatem enim dicam [Vt autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas: quoniam quidem, inquiunt, graues sunt & fortes: præsentiam autem corporis infirma, & sermo contemptibilis: hoc cogitet qui eiusmodi est: quia quales sumus verbo per epistolam absentes, tales & præsentes in facto, &c.] Dixerat habere se ampliorem potestatem: non solùm gloriatus, sed & quodammodo prætentatâ virgâ fuerat comminatus. Sed, ne videar, addit, velle potentiam tantùm ostentare, & metum per epistolam incutere. Ita enim dicunt æmuli mei objiciuntque, epistolas meas, minaces esse terribilesque: meam autem præsentiam corporalem, multum de austeritate sermonis & asperitate potestatis remittere: adeò vt illa demissa sit, & quasi contemptui exposita. Verùm quicumque sit ille, qui hoc dicit: hoc apud se cogitet reputetque, quia quales sumus absentes sermone per epistolas transmisso, tales & præsentes opere sumus erimusque exequendo. [Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis, &c.] Non enim sustinemus nos inferre aut

Ambros. in Paul.

C

D

Talis Paulus absens in verbo, qualis præsens in facto.

E

comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis, &c.] Non enim sustinemus nos inferre aut conferre quibusdam qui se ambitiosè exaltant, nec se tam rebus commendant quàm sermonibus: sed factis potius respondemus quàm dictis. [Secundùm ea, (ita Aquinas) quæ sunt in nobis commensuramus facta nostra & dicta: & illa dicimus de nobis, quæ sunt proportionata nobis, id est commensurata factis nostris.]

Aquin. lect. 1.

[Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi vsque ad vos, &c.] Porrò non vltrà metam egrediemur, neque vltra mensuram gloriabimur; sed secundùm mensuram quam nobis impertitus est Deus, seu iuxtà regulam nobis ab eo præscriptam: quæ quidem cum iam multas percurrerit prouincias, etiam vsque ad vos peruenit. Ita voluit Deus, ita me etiam ad vos perduxit. [Probabile erat, ait Chrysostomus, eos iactando eò vsque progressos fuisse, vt se orbem terrarum conuertisse, atque ad extremos vsque terræ fines perrexisse dicerent, multaque alia eiusmodi de se magnificè prædicarent. At nos, inquit, non ita.] Illi & laboris terminum, & modum operis prætergressi: nos metas à Deo ipso concessas emensi. [Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos: vsque ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi, &c.] Neque enim objici potest, nos de alieno gloriari, aut de termino egredi à Deo nobis præscripto: nam & vsque ad vos peruenimus in Euangelio Christi propagando. [Non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundùm regulam nostram in abundantiam, etiam in illa, quæ vltrà vos sunt, euangelizare, non in alienâ regulâ in iis quæ præparata sunt gloriari, &c.] Certè cum de vobis gloriamur vt filiis, non gloriamur de alieno labore, aut de iure extrà mensuram nobis datam præsumpto. Speramus autem, fide vestrâ per ministerium nostrum accrescente, nos ampliùs abundantiusque de profectu vestro magnificatos iri, secundùm regulam operi seu labori nostro impositam ac superpositam: & vt etiam in illis locis quæ vltrà vos sunt euangelizem, nec tamen in iis quæ ab aliis exculta sunt, & quasi disposita prædicem, quasi verò super alienum ædificem fundamentum. [Manifestum est, ait Comment. Ambros. quia vir prudens non in his confidit, neque gloriam sperat, quæ in aliorum laboribus constant. Ideò & Apostolus non audet in hos qui aliis prædicantibus crediderunt, ne in alienis laboribus gloriari videretur: sed hoc nititur, vt eis prædicet, quibus non erat annuntiatum, vt gloriam labori suo quærat.] Ad ampliandi Euangelij seu Christi gloriam. [Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat, &c.] Dico me gloriari: sed addo, & dico ei qui vult gloriari, vt non in seipso glorietur, sed in Christo, seu in donis ab eo acceptis. Quisquis enim seipsum commendat, non statim probatus est, quasi præsumptâ dignus gloriâ: sed quem commendat Dominus approbatque dum gratiam suam & gloriam communicat.

Chrysost. Hom. 21.

Regula euangelizādi Paulo præscripta.

Comment. Ambros.

A B C D E

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

Redeo in tritam ab initio orbitam, & inquiro primò, quinam Pauli sint æmuli: secundò, quænam sit verborum eius differentia. De æmulis ergo, tum & de verbis.

DISQVISITIO PRIMA.

De Pauli æmulis.

Si æmuli sunt, vtique sunt pseudapostoli. [Non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.] Hoc præmiserim: quasi præfatus, malos superbosque nec à malis sustineri posse nec à bonis: sed à malis ferri non posse ex typho superbiæ humanæ; à bonis, ex zelo diuinæ gloriæ. [Inter superbos sunt semper iurgia.] Superbus superbum non patitur, & in eo quod non patitur, tam superbiæ vitium deprehenditur quàm discordiæ. [Elatum, inquis, supercilium ferre nequeo. Ecquid, inquit Chrysostomus, tu alium arrogantiæ insimulans, teipsum per hanc accusationem probro afficis? Arrogantis enim est hominis, superbi animi fastum ac tumorem ferre non posse.] Non patitur humilis superbum, & dum non patitur, alienam damnat superbiam, & propriam probat patientiam. [Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos.] Quid hoc? Patientia in sustinendo est: quomodo ergo ille patiens, qui non sustinens? imò qui nec sustinet, nec ferre valet ac sustinere? [Sunt namque nonnulli, ait Ambros. qui reprehendere proximos nesciunt, nisi irâ inflammati. Sunt etiam multi, qui eos à quibus aliquam iniuriam pertulerunt, etiam pro minimis delictis impatienter insectantur: eos verò quos diligunt, non solùm non reprehendunt, quamuis grauiter deliquerint, sed etiam totâ virtute defendunt. O infelix amicitia, quæ illum quem diligit, tacendo & defendendo, diabolo tradit: illum verò cui iratus est, reprehendendo à diabolo abstrahit. Correptio ergo illa iusta est, quæ ex Dei zelo & amore fraterno descendit: quæ non propter iram vindicandam, sed propter animam proximi saluandam profertur.] Iustus ergo superbis resistit, quia tam vitium odit superbiæ, quàm malum iniustitiæ: sed nec patientiæ tenorem amittit nec modestiæ, quia tam patienter quàm & prudenter corripit. Idcircò ita infit Paulus: [Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem & modestiam Christi. Vtrumque etenim, vti Chrysostomus ait, hoc loco ostendit, nimirum & potentiam, & le-

Apocal. c. 2.

Prouerb. c. 13.

Chrysost. Moral. Hom. 17.

Apocal c. 2.

Ambros. in cap. 2. Apo.

Culpanda superbia, sed seruanda patientia.

Chrysost. Hom. 21.

nitatem ac patientiam: vt qui tam obnixis verbis, tamque accuratè roget atque obsecret.] Didicerat à Christo Domino mitem esse ac humilem, nihil tamen de studio aut zelo remiserat.

Chrysost. Ibidem.

Sed inde prima nota pseudapostolorum elicienda est, dicendumque illos oppidò superbos fuisse ac tumidos. [Posteaquam enim, ait ille, institutum de eleemosynâ sermonem, vt oportebat, absoluit, atque insuper de patientiâ suâ & tentationibus verba fecit, tempestiuè iam ad obiurgatoriam orationem se confert, pseudapostolos perstringens. Quoniam enim nonnulli erant, qui magnificè de se sentirent, ac seipsos Paulo anteferrent, eumque vt vanum & arrogantem, vt nullius pretij hominem, vt nihil sani docentem traducerent (nam hoc corrupti eorum animi vel maximum erat indiciū) vide quemadmodū eos obiurgare incipiat. Ipse autem ego Paulus. Vides quâ acerbitate, quâ auctoritate loquatur. Hoc enim perinde est ac si diceret: Obsecro vos, ne me cogatis, ac meâ aduersùs eos, qui me paruipendunt, & carnalem hominem esse existimant, potentiâ vti sinatis.] Sed apertius eorum superbiam denotat & arrogantiam, sugillatque asperiùs. [Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant.] Nam, vt Chrysostomus dixit [Hoc loco illos, & arrogantiæ morbo laborare, & magna de seipsis loqui ostendit: eoque vt seipsos commendantes, perstringit. At nos, inquit, nihil eiusmodi facimus: verùm si quid etiam magni patramus, ad Deum omnia referimus.] Ita faciunt boni ministri, non faciunt falsi, seu pseudapostoli, quia omnia sibi tribuunt. Sed tam insulsa ipsorum arrogantia, quàm & ridicula: cum tam factis destituta sit, quàm verbis tumida. Quid enim Paulus? Nec verbis parcus, nec encomiis? [Hoc, ait ille, totâ passim epistolâ facit. Nec verò quispiam aberrabit, qui hanc epistolam, Pauli encomium appellarit: adeò copiosè, & quæ diuinæ gratiæ sunt, & quæ ad ipsius patientiam attinent, describit.] Sed quod commendat verbis, factis probat. [Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.] Non ex alieno animæ corruptæ iudicio, sed ex proprio conscientiæ sanæ testimonio. [Ostendit rationem dicti sui, ait Aquinas. Pseudapostoli enim seipsos verbis tantùm commendant, & à factis suis non commendantur, contra illud Prouerb 27. Laudet te alienus, & non os tuum.]

Arrogantia, tumida verbis, factis destituta.

Chrysost. Hom. 21.

Chrysost. Hom. 21.

Aquin. lect. 2.

Altera nota. Illi viribus humani ingenij freti, nec tam armis fidei suffulti, quàm animi proprij sensibus. Negari non potest illos fuisse, saltem nomine ac specie Christianos; licet re Iudæos. Imò si pseudapostoli fuerunt, fuerunt & magistri, licet falsi: vel quia prædicarent falsa, vel quia vera vanis interpolarent fabulis. [Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quòd sicut ipse Christi est, ita & nos.] Se seruos Christi iactitabant, imò & ministros, qui ius haberent prædicandi, dicerentque, labia nostra à nobis sunt, Quis noster Dominus est? Qui munus euangelizandi assererent sibi quasi alienis non indigerent aut præceptis

A aut consiliis. [Ita loquitur Apostolus, ait Comment. Ambros. aduersùs eos quorum tangit superbiam, qui se præsumentes inflatione animi, minùs quàm dignum erat de Apostolo sentiebant, quasi non egerent præceptis eius. Quos commonet, vt si de se confidant, quia erant serui Christi, non vtique deberent de Apostolo dubitare, sed & de eo quamuis impar sit, vel similiter sentire, cum vtique magis præferre sibi deberent magistrum gentium.] Sed sciendum est, Iudæos, transfugas tandem ac rebelles factos, castrisque desertis, & propriis armis abiectis, quasi per nouam sed ingeniosam idololatriæ speciem, relictâ lege suâ, & vernaculis scripturæ

Comment. Ambros.

B diuinæ testimoniis, ad Platonem ac Zenonem confugisse, ethnica consuluisse oracula, mūdanam adhibuisse sapientiam & eloquentiam, similesque pestes, ac ranas Ægyptiacas, tam loquaces quàm & inanes, conatos intrudere in Ecclesiam Christianam. Patet in Philone Platonizante, in Iosepho semiethnico: aliisque similibus, arma aliena inuadentibus, qui curribus & equis iam freti, nec viribus aut armis diuinæ protecti potentiæ. [Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.] Hîc enim, vti monuit Chrysostomus. [De prædicatione disserit, ostendens eam minimè humanam esse, nec inferiore ope indigere.

Chrysost. Hom. 21.

C Quocirca non dixit, Non iuxta carnem viuimus; sed, non secundùm carnem militamus: hoc est, bellum quidem ac dimicationem suscepimus: at carnalibus armis minimè decertamus, nec humanis auxiliis non tuemur. Arma enim nostra non sunt carnalia. Quænam enim arma carnalia sunt? Facundia; vis dicendi, aliaque eiusmodi. At nostra arma haudquaquam talia sunt. Qualia ergo? Potentia Deo. Nec dixit, Nos haudquaquam carnales sumus; sed, arma nostra: nam de prædicatione verba facit, potentiamque vniuersam Deo ascribit: Ned dixit, spiritualia (quanquam hoc vocabulum adhibendum esset, vt carnalibus opponeretur) sed, potentia: per hoc nimirum,

Militia Euāgelica humanis armis seu externis non tractanda disciplinis.

D illud quoque significans atque ostendens, quòd illorum arma infirma & imbecilla sint. Nec dixit, Nos potentes sumus: nam tametsi nos hæc arma gestemus: at ipse tamen est, qui per ea dimicat & operatur.]

Tertia nota. Sicut ex superbiâ inuidi facti sunt, sic & ex inuidiâ detractores impostoresque. [Rogo autem ne præsens audeam; per eam confidentiam quâ existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundùm carnem ambulemus.] Absens rogo, ne audeam in quosdam, qui arbitrantur nos

E secundùm hominem agere, secundùm carnem procedere. [Quia, vt dixit Ambros. qui spernit spiritalia, putat illa carnalia.] Inuidebant ex superbiâ, detrahebant ex inuidiâ: dictitantes, obmurmurantesque, doctrinam Pauli, nullius esse pretij, sed seruilem, vilem protritam, purè putè humanam. [Quosnam porrò eos intelligit, quibus comminatur? ait Chrysostomus. Eos videlicet, qui de nobis ita existimant, tanquam secundùm hominem ambulemus. Nam eum illi, vt hypocritam, vt improbum atque arrogantem insimulabant.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. Hom. 21.

Ego ille, coràm humilis, ego ille vilis, vt ipsi aiunt, Rogo vos ne præsens audeam hac confidentiâ, quâ existimor audere in quosdam, Vides quanta sit stomachatio? quamque his verbis eos perspicuè arguat? Hoc significat, cum ita, Eâ confidentiâ, Nec dixit, quâ paratus sum, sed, quâ existimor. Needum enim mihi hoc constitutum est: verùm ipsi quidem causam atque occasionem præbent: at ego tamen ne sic quidem hoc facere in animum induco. Atqui, non vt suas ipse iniurias vlcisceretur, hoc faciebat, sed vt Euangelium tueretur.] Mirum, quòd omnia, quorum conscij erant, aut saltem rei, in Apostolum regererent, ipsi carnales, arrogantes, hypocritæ improbi, miseri rabulæ, secundùm carnem ambulantes, fauorem consectantes, hæc ipsa Paulo obiicerent: quanquam nec mirum, cum is sit malorum genius, & oculus inuidorum. Sed id omnem excedit admirationem, quòd inuidia ipsa non solùm detrahat, sed & imponat; nec ementitis solùm infletur coloribus, sed & de alienis glorietur laboribus. [Non in immensum gloriantes in alienis laboribus. Magnam, ait Chrysostomus, his verbis reprehensionis notam illis inurit, tum quòd immodicè gloriarentur, tum quòd de alienis laboribus. Nam cum sudor omnis Apostolorum esset, illi de ipsorum laboribus sese venditabant. At nos, inquit, huiusmodi res habentes, non perinde gloriamur, vt illi qui nihil habent: nec nobisipsis quicquam adscribimus: verùm omnia Deo.] Habes characteres veræ & adulterinæ doctrinæ, germanæ ac spuriæ, Apostolicæ & pseudapostolicæ: sed vide tu & caue ne fortè arma projicias Apostolorum, & in pseudapostolorum castra te inferas.

Superbi, inuidi, inuidi detractores, impostoresque.

Chrysost. Hom. 22.

DISQVISITIO SECVNDA.

De verbis Apostoli.

NOn generatim de omnibus dico: sed de quibus speciatim, non scio. [Vt autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas (quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis) hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales sumus in verbo per epistolas, absentes, tales & præsentes in facto.] Quales illæ epistolæ? An quæ ad ipsos scriptæ Corinthios? Potest, sed non est necesse sententiam ad vnam aut alteram epistolam constringere: nam & aliæ iam vulgatæ erant: tamen, quia præsentiam comparat cum absentiâ, sermonem cum epistolâ, imò & epistolas suas connotat tanquam graues & fortes, melius & liquidiùs de solis Corinthiacis intelligitur; veriùs & sermo ille qui ore promitur, & coràm dicitur: sed quis ille, & id incertum est, & intutum asserere: quamuis verum sit dicere, sermonem Pauli omnem, tam certum esse, quàm & Apostolicum, diuinum ve. [Vt autem non existimer à pseudapostolis, seu à vobis: (ita Aquinas) tanquam terrere vos, vel timorem vobis incutere, per epistolas nostras quas vobis mittimus, quem quidem timorem non incutiebam vobis in præsentiâ. Quoniam ipsi scilicet pseudapostoli, inquiunt, Epistolæ, scilicet Pauli, Graues sunt, id est durè & grauiter punientes: Et fortes, id est, absque timore. Sed præsentia non talis: immò infirma, id est debilis & humilis: quod respondet ei quod dicit, Fortes. Et sermo, scilicet prædicatio sua & collocutio & exhortatio, Contemptibilis, quod respondet ei quod dicitur, Graues. Sed qui est huiusmodi: id est, qui talia dicit, de nobis cogitet, id est certò sciat, quia, Quales sumus verbo per epistolas, absentes, tales & præsentes in facto, id est, tales erimus præsentes, cum venerimus ad vos, quales sumus per epistolas, absentes, si necesse fuerit.] Eadem vbique constantia, si eadem vtrobique exigentia: eadem agendi & dicendi forma, vbi eadem est causa, ideoque si nonnulla differentia est, illa rerum tota est, non sermonum.

Aquin. lect. 2.

Notanda rerum non sermonum differentia.

Ex his tria colligenda sunt, & de verbis Apostoli construenda. Primum est, rumorem illum sparsum ab æmulis inuidisque. [Hoc enim illi dicebant, ait Chrysostomus, quòd cum præsens ipse esset, nullius omninò pretij homunculus, sed vilis ac despicabilis esset: cum autem abesset, tum demum intumesceret, ac magnificè loqueretur, ipsosque vexaret ac minis insectaretur, hoc quippe per hæc verba declarat, Quoniam quidem epistolæ, inquiunt graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.] Nec abnuit Paulus se tenuiter Corinthiis locutum tanquam paruulis, seque cum illis cum timore ac tremore, tam humiliter quam simpliciter conuersatum, [Qui in facie quidem humilis sum.] Et, [Præsentia corporis infirma.] Sed occurrit iniuriæ, obsistit calumniæ: nam humilitas traducebatur in vilitatem, simplicitas in indignitatem vertebatur. Dicebant illi, Paulum timere, nec audere fidenter loqui, sed submisse potius quàm humiliter, majestatem ac grauitatem in epistolâ potius præseferre quàm in cathedrâ, & ita sermones eius parænesesque risui exponebant ac contemptui. [Ille enim, vti dixit Ambros. potest videri terrere per epistolas, qui neque auctoritatis alicuius est, neque præsens fiduciam habet arguendi: absens autem ideò audet, quia præsens timet.] Alterum est, nihil æmulis in mentem venisse, aut de sermonis inelegantiâ, aut de formâ corporis: sed de facilitate quam præsens seu coràm monstraret, & de seueritate quam absens reseruaret. Dicebant sermonem contemptibilem, non quia nullius nitoris, sed quia nullius tumoris: præsentiam præsumebant infirmam, non quia nullius maiestatis, sed quia nullius austeritatis, quasi nullius vigoris esset, nullius roboris, quia grauitatem omnem deposuisset asperitatemque: [Hoc nempe dicebant, ait Chrysostomus, quòd magna quidem per litteras commemoraret, ceterùm præsens, nullius esset pretij.] Tertium est, Apostolum dicere se æqualem, tam facto quàm verbo similem, tam præsentem quàm absentem, id est, vno verbo, rumori seu objectioni satisfacere. [Ideò enim, vti dixit Ambros. non se alium esse absentem quam præsentem

Chrysost. Homil. 22.

Ambros. in Paul.

Eadem præsentis æque & absentis constantia.

Chrysost. Homil. 22.

Ambros. in Paulum.

sentem probat, quia non erat præsumptor. Cui enim non est data potestas, absens potest audere, præsens autem pudorem patitur. Ideò Apostolus non erubescit dum corripit, quia fiducia potestatis hoc agit.]

Distinguit ergo Paulus tempora, sicque tela omnia obtrectantium & calumniantium discutit. [In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.] Nec potestas deest, nec voluntas seueriùs agendi, corrigendique asperiùs, vbi subest causa vlciscendi, seu grauis & indissimulabilis corripiendi materia: sed expecto vos ad pœnitentiam, ne simul multos inuoluam: & cupio vos correctos morigerosque, vt paucos, atque vtinam nullos reperiam puniendos. In quibus tria notanda sunt. Primum est, gladium spiritalem in manu Ecclesiæ positum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. [Mihi, ait Hieronymus, antè presbyterum sedere non licet: illi, si peccauero, licet tradere me in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Et in veteri quidem lege, quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus, lapidabatur à populo: aut, gladio ceruice subjectâ, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens, spirituali mucrone truncatur: aut, eiectus de Ecclesiâ, rabido dæmonum ore discerpitur.] Vnde & de Vigilantio hæretico: [Miror, inquit, sanctum Episcopum, in cuius parochiâ esse presbyter dicitur, acquiescere furori eius, & non virgâ Apostolicâ, virgaque ferreâ confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat.] Alterum est gladium illum spiritalem non facilè exerendum, cum Ecclesiæ potestas data sit à Christo: [In ædificationem, & non in destructionem.] Idcircò, vbi iustè timetur destructio generalis potius quàm specialis ædificatio, temerè exercetur: malè enim adhibetur remedium, ex quo irritatur malum, non curatur. [Hoc ergo, vti dixit Augustinus, sine labe pacis & vnitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cum congregationis ecclesiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est. Neque enim potest esse salubris à multis correptio: nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem.] Et id quidem, vt dixit Apostolus: [Vt non possideamur à satana. Ipse est enim, vt exponit Augustinus, qui per imaginem quasi iustæ seueritatis crudelem sæuitiam persuadet, nihil aliud appetens venenosissimâ versutiâ suâ, nisi vt corrumpat atque dirumpat vinculum pacis & charitatis: quo conseruato inter Christianos, vires eius omnes inualidæ fiunt ad nocendum.] Tertium, in hoc laudandam Pauli Apostoli prudentiam, qui nihil non possit, nihil tamen velit, nisi quod ædificationi consonum, quod charitati quod benignitati congruum. [Quid visceribus illis mitiùs, ait Chrysostomus, leniusque fingi possit? quippe qui suos alienis permixtos cernens, plagam quidem inferre vult, ceterum se cohibet, atque indignationem tantisper reprimit, quoad illi secesserint, vt hos solos feriat, vel potius ne hos quidem. Ob id

Hieronym. epist. 1. vlt. med.

Hieronym. epist. 53. cir. med.

Augustin. lib 3. cont. epist. Parm. cap. 2.

Augustin. eod. lib. cap.

Vindicta malorum Deo nonnumquam remittenda.

Chrysost. Hom. 21.

A enim his minatur, atque se illos tantummodo recuperare cupere, vt & isti quoque correcti ad meliorem frugem migrent, ne in quenquam iram effundat.] Commendat obedientiam, ne offendat, quam puniat inobedientiam.

TROPOLOGIA.

Ad destructionem munitionum.

Triumphus ille Apostolicus, sed perpetuus in Ecclesiâ Christianâ successus est quo de impiis triumphat & hæreticis, & intellectum captiuat in obsequium. Totum autem in destructione, in captiuatione, in punitione stat negotium.

B Quoad destructionem. Diximus quidem potentiam Ecclesiasticam ad ædificationem esse, non ad destructionem: sed sicut productio melioris, non tam dicitur corruptio, quàm generatio, ita constructio veritatis non tam destructio dicitur quàm ædificatio. Corruptio intelligitur, cum in peius ruit; ædificatio verò, cum in melius desinit. Et in eo perspicitur distinctio veritatis & erroris: nam error, dum ædificat, destruit; veritas autem, dum destruit, ædificat. Ita Tertullianus de hæreticis. [Negotium est illis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsorum opus non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.] Id est, veritatem destruunt, vt errorem ædificent. Contra verò homines Dei errorem destruunt, vt veritatem ædificent; perdunt, vt saluent, occidunt, vt viuificent: illi in peius semper proficiunt, dû difformant; isti in melius semper, dum reformant, extruunt. Ita Deus ad Ieremiam: [Ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes.] In dumetis priùs auerruncandæ sunt spinæ, quàm serendi flores: in malis, priùs euellenda sunt vitia, quàm virtutes inserendæ: sed quia plures sunt spinæ, quàm flores, plura vitia quàm virtutes, idcircò plus euellendum quam plantandum est, plus destruendum quàm ædificandum: verùm quia quæque virtus plurimùm constituta inter duo vitia: cum plantatur, hinc euellitur, inde destruitur: cum ædificatur, hinc disperditur, inde dissipatur. Denique, euellitur vt plantetur, vt ædificetur, destruitur. [Vt ædifices & plantes.] Missi sunt Apostoli ad perdendum, ad destruendum: sed perdunt vt plantent, destruunt vt ædificent. Tradit Paulus incestuosum, satanæ: an vt perdatur? Imò, [Vt spiritus saluus sit in die Domini.] Tradit & Hymenæum, & Alexandrum: an vt pereant? Imò, [Vt discant non blasphemare.] Ad quid ergo Apostoli? [Ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei.] Munitiones sunt loca munita: duplici autem modo loca munita sunt: arte nimirum, & naturâ: arte quidem, cum ingenio

Tertullian. lib. de præscrip. cap. 42.

Ierem. 1.

1. Corinth. cap. 5.

1. Timoth. cap. 1.

ſo conſilio : naturâ, cum in locis editis, arduis, ac præruptis : inde quot montes, tot arces; quot iuga, tot mœnia. Ita igitur, vt notauit Aquinas : [Muniunt ſe aliqui contrà Deum dupliciter. Aliqui aſtutis conſiliis : & quantum ad hoc dicit Apoſtolus, Conſilia deſtruentes. Aliqui verò per ſuperbiam, vel altitudinem ingenij proprij : & quantum ad hoc dicit, Et omnem altitudinem : ſcilicet ſuæ ſuperbiæ.] Sunt aliqua ingenia, grandia nata, quæ ſublimia ſunt, quæ alta ſapiunt : ſunt & alia minora, nec tamen minora, quia externis erudita diſciplinis, ſcientiis exculta Philoſophicis : & quod in naturâ deſideratur, compenſatur induſtriâ. Munita ſunt iſta loca, & machinis extructa & conſiliis : ſed ſi ſe erigant aduersùs fidem Chriſtianam, ſi ſe extollant aduersùs diuinam veritatem, corruent, concident : Apoſtoli enim diuinâ armati ſunt potentiâ, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei. Ita militant, ita triumphant, dum ſuperbos deiiciunt de ſuperbiâ ſuâ, dum aſtutos in ſuâ comprehendunt aſtutiâ, dum & artem & omnem diruunt altitudinem.

Aquin. lect. 1.

Loca naturâ aut arte munita, diſiecta ſunt.

Quoad captiuationem, Illa non eſt corporum, ſed mentium : nec tamen inferior, imò tantò illuſtrior, quantò mentium victoria nobilior eſt quàm corporum : nec nobilior duntaxat, ſed & tam victo neceſſaria, quàm vincēti glorioſa. [Ne enim, vti dixit Chryſoſtomus, munitionis audito nomine, quicquam quod ſub ſenſum cadat, cogites ; per id quod ſubiunxit, ſpiritale hoc eſſe bellum declarauit. Munitiones enim iſtæ, non corpora, ſed animos obſident. Munitionum ergo vocabulo faſtum intelligit, captionumque dialecticarum atque argumentationum vim. Conſilia deſtruentes, atque omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei. Perſiſtit in metaphorâ, vt ſignificantius ſe exprimat. Quamuis enim munimenta ſint, quamuis turres, atque aliud quiduis, armis tamen cedunt Apoſtolicis. Et captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Quia enim captiuitatis nomen durius erat, tropum hunc confeſtim diſſoluit, his verbis vtens, In obſequium Chriſti : à ſeruitute in libertatem, à morte ad vitam, ab exitio ad ſalutem. Neque enim eò tantùm venimus, vt aduerſarios ſternamus : ſed vt eos ad veritatem transferamus.] Ex quibus tria colligenda ſunt. Primum eſt captiuitatem iſtam ſeu captiuationem, non corporalem eſſe, ſed ſpiritalem : [Captiuantes omnem intellectum.] Alterum, non tam captiuitatem dicendam quàm libertatem : [In obſequium Chriſti.] Illi enim parere, regnare eſt. Tertium, captiuari animum intellectumve, ſeu potius liberari per fidem Chriſti, per veritatem Dei : [Et veritas liberauit vos.] Diuina ſcilicet ſcientia ac ſapientia, vos ab errore ſeculi vindicabit, vos liberabit à patre mendacij. Alta quidem ſunt humana ingenia, ſed, ô altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei : aſtuta ſunt, ſed non eſt fortitudo, non eſt conſilium aduersùs Dominum. [Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi?] Quò illa ſapientiæ mundanæ machinamenta? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius ſeculi. [Si ſapientiam, ait Auguſtinus, quanto magis ſtultitiam?] Imò quomodo ſapientia Dei non vincat ſtultitiam ſeculi, cum & ipſa Dei ſtultitia peruincat ſapientiam ſæculi? [Quia quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus : & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.] Quid igitur? alta ſunt humana ingenia? fortia ſunt? Imò aduersùs fidem, aduersùs veritatem deiecta ſunt & inualida. [Neque enim, vt Chryſoſtomus dixit, ancipiti Marte pugnabat Paulus : verùm nullo negotio victoriam obtinebat. Ob eamque cauſam, Non vincimus tantùm ac ſuperiores exiſtimus, dixit, ſed, In captiuitatem redigimus : quemadmodum ſcilicet ſuperiùs etiam non dixit, Tormenta propugnaculis admouemus, ſed, Munitiones deſtruimus. Armis quippe, inquit, longe eos antecellimus. Non enim verbis pugnamus, ſed rebus aduersùs verba : non in carnali ſapientiâ, ſed in ſpiritu manſuetudinis ac potentiæ.] Diuinæ ſcilicet, non mundanæ. Idcircò, vt & ille ait : [Eum quidem plerique hæretici cum conſcindere ac truncare aggreſſi ſint, ipſe tamen etiam diuulſus atque in membra diſtractus, ingentis roboris ſpecimen edit. Siquidem & Marcion, & Manichæus eo vſi ſunt, verùm conciſè ac truncatim : ac ſic tamen etiam à partibus confutantur. Nam & manus ſola fortiſſimi huius viri, cum apud ipſos eſt, perfacilè eos fundit ac fugat : & pes ſolus, cum apud alios eſt, eos inſectatur, ac deiicit ; vt ex eo tibi potentiæ ipſius magnitudinem ac præſtantiam intelligere queas, quippe qui etiam carne vndique conciſus, cunctos tamen hoſtes ſubigere atque expugnare poſſet.]

Chryſoſt. Hom. 21.

Liberantur mali, dum in obſequiū Chriſti captiuantur.

1. Corinth. cap. 1.

A

Auguſtin. ſerm. 12. de temp.

1. Corinth. cap. 1.

B

Chryſoſt. Hom. 21.

C

Chryſoſt. In Mora. Hom. 21.

D

Quoad punitionem, quam vltionem vocat Apoſtolus, indicatque paratam, nempe ad frangendam contundendamque contumaciam : ita Tertullianus : [Ad officium hæreticos compelli, non inlici dignum eſt : duritia vincenda eſt, non ſuadenda.] Nihil non facit veritas Chriſtiana, vt captiuet intellectum hæreticorum in obſequium Chriſti & officium inuitet, vt obediant fidei, vt cedant veritati : ſi tamen nimirum duri ſunt & obſtinati, eos ſubigit, punit, compellit ; nec iam docet, ſed coercet. Ita, vt Chryſoſtomus notauit : [Paulus vt præſtantiſſimus medicus, & pater communis, & patronus ac procurator, Vos, inquit, expectamus, vt poſteaquam noſtris admonitionibus ac minis correcti ac repurgati, atque ab eorum ſocietate abducti fueritis, tum demum illis, qui incurabili morbo laborant, ſolis relictis, ſupplicium inferamus, cum vos prorſus ab ipſis abſceſſeritis. Ita omnia agebat, ita omnium commodis conſulebat, impedimenta ſubmouens, peſtiferos homines coercens, vndique curſitans. Neque enim pugnando negotia ad hunc modum conficiebat : ſed vt ad paratam promptamque victoriam pergens, trophæum ſtatuebat, diaboli propugnacula, dæmonumque machinas diruens, demoliens, ac ſolo æquans : atque mortales prorſus omnes ad Chriſti caſtra traducebat,

Tertullian. lib de ſcorp. cap. 2.

E

Chryſoſt. Hom. 22.

Duritia ſit diſcendaeſt, aut perſuadenda.

ac ne tantillum quidam temporis ad resumendos spiritus sibi concedebat; ab his ad illos, ab illis rursus ad alios transiliens: non secus atque præclarissimus quispiam imperator, quotis die, vel, vt rectiùs loquar, quauis horâ, trophæum erigens.] Parcebat subiectis, superbos debellabat; duros increpabat, rebelles contumacesque compescebat. Nempe alios comprehendebat, quomodo comprehensus fuerat à Christo; subigebat improbos vt seruos fugitiuos, quomodo & ipse subactus. [Cum enim Christus Petrum & alios Apostolos solo verbo vocasset, Paulum priùs Saulum, Ecclesiæ suæ postea magnum ædificatorem, sed horrendum antea vastatorem, non solùm voce compescuit, verumetiam potestate prostrauit, atque vt infidelitatis tenebris sæuientem ad desiderandum lumen cordis vrgeret, priùs corporis cæcitate percussit.] Quin & si duriùs aliquid agendum est, si seueriùs animaduertendum plectendumque: non est ista violenta Christianorum oppressio, sed voluntaria hæreticorum obstinatio: quomodo enim obdurescunt, nisi quia obstinatè cedere nolunt, aut credere? Sed quo magis obstinati sunt, eò magis agitandi: quia vera voluntatis culpa est, non pura potestatis inopia. Idcircò præcipiendum, corripiendumque, vt sciant quid credere debeant, & agnoscant suo se vitio non facere. [Melior est enim, ait idem Augustinus, tristitia iniqua patientis (quid si iusta?) quàm lætitia iniqua facientis. Ipsa lætitia iniqua facientis, ipsa est fouea: illuc quisque cum ceciderit oculos perdit. Te doles, quia perdidisti vestem: & illum non doles, quia perdidit fidem?] Si doles, cur non coërces? cur non punis, cur non subigis? Nec enim illa sæuitia est, sed misericordia: charitas est, non crudelitas. [Et cum blandiris, pater es: ait ille: & cum cædis, pater es. Ideò enim blandiris filio tuo, ne deficiat; ideò cædis, ne pereat.] Ita semper de impiis & hæreticis triumphat Ecclesia Christiana, aut docendo aut cædendo: aut dum in obsequium captiuat Christi, aut dum ad errati damnat supplicium.

Augustin. epist. 50, cit. med.

Augustin. Enarrat. in in Psal. 56. vlt. med.

Augustin. in Psal. 98.

ANAGOGIA.

Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Nihil Paulo nobilius, nihil etiam gloriosius: non enim vetat gloriam, imò & illam cumulat, dum in tuto collocat. [Ostendit, ait Aquinas, quòd non excedit mensuram suam, quantum ad id in quo gloriatur, dicens: Quia si ego glorior in eo in quo gloriandum est, non excedo. Qui gloriatur, in Domino glorietur.] Potest autem hoc exponi tripliciter.

Aquin. lect. 3.

Primo modo, In Domino glorietur: [Vt illud, In Domino, denotet obiectum gloriandi, quasi dicat: Ex hoc glorietur, quòd habet Dominum amando & cognoscendo. [Ita apud Ieremiam: [Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum

Ierem. c. 9.

A Dominus.] Certè quicumque dignè ac legitimè gloriatur, de aliquo bono gloriatur. Sunt autem tres bonorum species, animæ, corporis, fortunæ: cum enim homo corpore & animâ sit compositus, & ad vtrumque nonnullis indigeat adminiculis, etiam tria bonorum genera computat. Bonum animæ, vt sapientia, & istud bonum honestum est: bonum corporis, vt fortitudo, & istud bonum delectabile: bonum fortunæ, vt diuitiæ, idque bonum vtile est. Quid ergo? sapiens es? ne glorieris in sapientiâ tuâ. Fortis es? ne glorieris in fortitudine tuâ. Diues es? ne glorieris in diuitiis tuis. Cur enim in istis gloriaris nisi quia bona sunt,
B nisi quia humanæ sunt obiecta gloriæ? Sed hæc bona, tam singularia sunt, quam & caduca. Vnde Deus Moysi, dicenti, [Ostende mihi gloriam tuam.] Respondit: [Ego ostendam omne bonum tibi.] Cetera enim aut bona non sunt, aut modica. Vnum porrò bonum est quod non solùm verè & per se bonum est, sed omnia comprehendit bona, imò & excedit: ab illo enim tanquam à principio manat quicquid bonum dicitur; nullum tamen bonum, suum adæquat principium, quia partem solummodo seu portionem boni sortitur ab illo, non totum & integrum complectitur.
C Bonum est, sed in aliquo genere, in aliquo ordine: bonum est, sed participatum est, id est, diminutum, vtpote alieno mensuratum arbitrio. Bonum verò in tantum Deo attribuitur, inquantum summum dicitur & infinitum: nullum enim non bonum in seipso continet, nec ab alio, sed à seipso, naturâ suâ possidet. Vnde dicendum est cum Aquinate: [Quòd solus Deus est bonus per suam essentiam. Vnumquodque enim dicitur bonum secundùm quod est perfectum. Perfectio autem alicuius rei triplex est. Prima quidem, secundùm quod in suo esse constituitur. Secūda verò, prout aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam
D operationem necessaria. Tertia verò perfectio alicuius est per hoc, quod aliquid aliud attingit sicut finem. Vtpote prima perfectio ignis consistit in esse, quod habet per suam formam substantialem. Secunda eius perfectio consistit in caliditate, leuitate, siccitate, & huiusmodi. Tertia verò perfectio eius est secundùm quod in loco suo quiescit. Hæc autem triplex perfectio nulli creato cōpetit secundùm suam essentiam, sed soli Deo, cuius solius essentia est suum esse, & cui non adueniunt aliqua accidentia & ipse ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est vltimus finis rerum omnium.] Quæris sapientiam, quæris potentiam?
E [Sapiens corde est, & fortis robore.] Quicquid quæris bonitatis, quicquid perfectionis, in illo inuenis tanquam in fontali principio: non enim bonus aut perfectus est ex accidentali dono, sed naturâ suâ, essentiâ suâ: vt tam necesse sit illum esse bonum summum ac supremum, quàm impossibile est non esse Deum. Vis ergo gloriari? Gloriare, sed in Domino, tanquam vero, imò & vnico gloriæ humanæ obiecto: habes enim omne bonum, habes essentiam omnis boni, dum illum possides: possides autem, dum cognoscis ac diligis. Quæcumque alia gloria, vana est, quia vanis

Exod. cap. 33.

Deus solus, summum bonum est & infinitū.

Aquin. 1. p. q. 6. art. 3. in corp. int.

Iob. cap 9.

subnixa bonis: at ista tam vera quam solida, quia vero naturæ humanæ bono nititur, & ad ipsum enititur gloriæ æternæ principium.

Alio modo, Glorietur in Domino, id est, secundùm Deum. Aliud quippe est gloriari de Domino, aliud secundùm Dominum gloriari: illud namque obiectum: istud verò motiuum est. Itaque sicut potest aliquis gloriari de bono creato secundùm Deum, sic & potest de Deo seu bono increato secundùm mundum gloriari. Nonnulli gloriantur de malo, & hoc pessimè. [Quid gloriaris in malitiâ? Attendite, ait Augustinus, gloriam malignitatis, gloriam hominum malorum. Quæ est gloria? Quid gloriatur in malitiâ qui potens est? id est, qui in malitiâ potens est, quid gloriatur? Opus est potentem esse: sed in bonitate, non in malitiâ. Aliquid magnum est gloriari in malitiâ. Ædificare domum paucorum est; destruere, multorum. Ergo ea quæ ad destructionem fiunt, facillimè fiunt: Qui autem gloriatur, in Domino glorietur? qui gloriatur, in bonitate glorietur.] Iam sunt & alij qui gloriantur de Domino, sed non secundùm Dominum. Gloriabatur quidem de Domino suo populus Iudaicus, sed non secundùm Deum. [Gentilium quemque, ait Gregorius, ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat & dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit.] Gloriatur ergo de indultâ lege, de diuinâ benignitate, de tantâ potentiâ, quanta & misericordiâ; quæ non fecerit taliter omni nationi, quæ in manu potenti & brachio excelso populū suum eduxerit de Ægypto; quæ tanta ediderit, tanta promiserit. Sed si gloriatur secundū cupiditatē, non secundū charitatem: id quidē est gloriari de Domino, sed non secundū Dominum, ideoque nec gloriari in Domino: non enim ei viuebat carnalis ille populus, sed suo ventri; nec tam Deo seruiebat quàm sibi. [Quid est enim aliud, ait Augustinus, Non sibi, sed ei viuant: nisi vt secundùm carnem non viuant in spe terrenorum & corruptibilium bonorum; sed secundùm spiritum in spe resurrectionis, quæ iam ex ipsis in Christo facta est? Hinc idem Apostolus alibi dicit, Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Et ne putaret quisquam eos dictos, qui nondum mortui sunt, statim subiecit, Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: id est, qui in spe carnalium bonorum sunt, Deo placere non possunt: vos autem non estis in spe carnalium, sed in spe spiritualium: id est, regni cœlorum: vbi & ipsum corpus per illam mutationem in suo quodam genere spiritale erit, quod modò animale est.] Sic & Apostoli, vt pote Iudæi aliquando de Domino suo gloriati, sed carnaliter, nondum spiritaliter; secundùm seculum, non secundùm Deum. Idcircò Christus ad eos: [Expedit vobis, inquit, vt ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.] Nimirum, vti dixit Augustinus: [Videbat quid illa sua verba in eorum cordibus agerent: spiritalem quippe nondum interiùs habentes consolationem, quam per Spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant. Et quia se amissuros esse illum vera denuntiantem dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus.] Pollicebantur sibi regna terrena: adhuc vanis gloriabantur, non veris: id est, de Domino quidem, sed non in Domino, non secundùm Deum, non secundùm spiritum gloriabantur, sed secundùm sensum, secundùm seculum, secundùm carnem, secundùm hominem. Et quot etiamnum Christiani, qui parùm Christiani? Gloriantur de Domino, sed non gloriantur in Domino; non enim secundùm spiritum diuinum, sed secundùm humanum affectum: ducuntur affectu sæculi, rerum prospectu temporalium, non aguntur spiritu Dei.

Augustin. Expos. Ps. 51. à princip.

Gregorius Hom. 40. in Euang.

Multi de Domino, & sed non in Domino gloriati.

Augustin. lib. 11. cont. Faust. cap. vlt.

Ioan. cap. 16.

Augustin. Tract. 94. in Ioan. in med.

Tertio denique modo, In Domino glorietur: id est, vt exponit Aquinas: [Vt gloriam suam reputet se habere à Deo, totum quod cedit ad gloriam suam referens in Deum. Et sic accipitur hîc cum dicitur; Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quasi dicat, Glorior de prædictis: sed non quasi hoc à me habeam, sed à Deo: & hoc etiam est mensura vestra: Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Verè ergo debemus in Domino gloriari, non nobis imputare gloriam nostram, sed Deo. Nam non est, id est comprobatus à Deo vel hominibus ille, qui seipsum commendat: sed ille, quem Deus commendat: id est, commendabilem facit, bonis operibus & miraculis. Nam Deus est causa totius boni operis per homines facti.] Hæc est mensura veræ gloriæ, quæ sicut nunquam obmittenda est, ita nunquam excedenda. Certè, nullum ex Apostolis reperias, qui tanta de se prædicet, tamque magnifica: quidni, cum vbique non solùm de hominibus, sed & de dæmonibus nullo triumphet negotio? [Cum vnicâ tunicula, ait Chrysostomus, in aciem ingressus, hostium vrbes vnà cum ciuibus capiebat: arcuumque & hastarum, & telorum, ac denique omnium rerum instar erat Pauli lingua. Loquebatur enim ille tantummodò: & protinus ipsius verba quouis igne acriùs ac vehementiùs in hostes labebantur: ac dæmones quidem abigebat, homines autem ab ipsis correptos ac detentos ad se reducebat.] Veniebat, videbat, vincebat vno verbo, tam promptè tam facilè quàm & dicebat. Quidni ergo dicat, quidni referat? [Inde etiam subdit, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et hoc, inquit, diuinitùs nobis contingit. (verba sunt Chrysostomi.) Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Non dixit, Nos sumus, sed quem Deus commendat. Vides quàm modestè loquatur. Quod si sermonis progressu altiùs loquitur, ne mirum tibi videatur. Id enim Paulinæ quoque prudentiæ est. Nam si vbique demissè abiecteque locutus fuisset; tantam illis plagam minimè inflixisset, nec discipulos errore liberasset. Siquidem accidit interdum, vt & intempestiuâ modestiâ quispiam vtens, detrimentum afferat; & contrà, eximium aliquid de se opportunè prædicans, prosit: quemadmodum ipse quoque fecit. Itaque vtrimque ipsius mode-

Aquin. lect. 3.


Chrysost. Hom. 21.

Chrysost. Hom. 21.

Nulla fu perona obrepit, vbi interuenit modestia.

stia elucet, tum quia haud plus, quàm effecerit, dicit: tum quia hoc ipsum Deo acceptum refert. Secundùm enim mensuram, inquit, regulæ quâ mensus est nobis Deus. Ac propterea non vltra gloriamur, quàm quousque nobis peruenire concessum est.] Vnde modestia nisi à modo? vnde modus nisi à mensurâ? vnde mensura nisi à Deo? Qui hanc seruat mensuram, modestiam seruat: nec incurrit arrogantiam, sed addit prudentiam: nec offendit largiùs laudando se, sed offendit parcius laudando se: quia res non humanæ, sed diuinæ est gloriæ: nam dum modicum subtrahitur laudi, magnum fidei periculum inuehitur. [Veniat igitur in medium vnus pro omnibus ille prædicator egregius. (ita loquitur Bernardus) Eia beatissime Paule afflue deliciis tuis. Certè cum Euangelium ab Hierusalem per circuitum ad Illyricum prædicasses, cum sine sumptu ipsum Euangelium posuisses, cum cœlestes thesauros fideique sacramentum Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus vt prudens ac fidelis dispensator erogasses; cum mortificationem Iesu in tuo mortali corpore circumtulisses, & inter multas admirandas virtutes tuas, quas tu potuisti facere, nos vix possumus enarrare, etiam illud cum omni auctoritate, sine omni arrogantiâ, cum esses Apostolorum tuo iudicio minimus, tamen ausus es dicere: Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui. Magnæ, & vt ita dicam, deliciosæ deliciæ. Sed ne illas amittas, innitere super dilectum tuum. Non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum. Rursum afflue: quoniam vt verum fatear, delectant valdè tales deliciæ. Omnia possum, ait. Iterum innitere: In eo, inquit, qui me confortat. Iterum dicit Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur: hoc est, qui deliciis affluit, super dilectum suum innitatur.] Nihil melius, nihil & tutius.

Bernard. serm. 61. ex pit. & var. vers. fin.



CAPVT VNDECIMVM.

Epigraphe.

TOtus est Paulus vt seipsum commendet velut Christi Apostolum, pseudapostolos tanquam diaboli ministros depretiet. Pars igitur vna, de commendatione: de depretiatione, altera.

PARS PRIMA.

De commendatione.

TEXTVS.



Tinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me: Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quem non prædicauimus; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Euangelium, quod non recepistis: rectè pateremini. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientiâ: in omnibus autem manifestati sumus vobis. Aut numquid peccatum feci, meipsum humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis? Alias Ecclesias expoliaui accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedoniâ: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, &

seruabo. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringe-tur in me in regionibus Achaiæ. Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. Quod autem facio, & faciam: vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos.

EXEGESIS LITTERALIS.

CVm determinauerit posse hominem gloriari, si in Domino glorietur: id aggreditur intrepidè; cum non tam seipsum, quàm commissum à Domino exaltet ministerium.

[Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, &c.] Certè, iudicatur vulgò laudare seipsum, hominis esse vani, capitisque parùm sani: & ita fit ei qui causam facti nescit: sed patiamini vos, me tantisper gloriari, Paulumque à Paulo commendari. [Sed & supportate me: Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo, &c.] Verùm, quod opto, & id peto: Tolerate me aliquantulum & sustinete: nam erga vos zelotypus sum, sed Dei zelo: ego namque tanquam spiritalium pronubus nuptiarum, ita vos despondi vni viro nimirum Christo, vt illi vos velim, velut virginem incorruptam tradere, fidem vestram impollutam assignare incontaminatamque. Textus Ambrosianus. [Vtinam sustineretis pusillum imprudentiam meam, sed & patimini me. Zelans enim sum vos Dei zelo: nam paraui vos vni viro virginem castam exhibere Christo.] Sensus, seu commentarius: [Quæ locuturus est, amore eorum dicturum se ostendit, vt non magis ad laudem eius proficiat, sed ad profectum illorum. Virgines enim vult eos esse in fide. Vnde & corruptores fidei zelatur ab his, vt in die iudicij incontaminatos eos assignet iudici Christo.] Nuptiæ illæ in hoc seculo præparantur, consummantur in futuro. [Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo, &c.] Vereor autem ne quo modo diabolus sub formâ serpentis seduxit Euam suâ versutiâ, sic & corrumpantur cogitationes vestræ, & ab illâ simplicitate virginali quæ in Christo est, diuertantur. [Id in ambiguo posuit, dicens, Ne fortè. Is namque serpens ingentia pollicendo Euam deceperat, ita & Apostoli isti mendaces & iactabundi, permagna quædam vobis edisserunt, vt suâ versutiâ vestram circumueniant simplicitatem. Vobis quidem impenderinteritus, me verò vrget formido.] Ait, Ne fortè ex Græco, Ne quomodo: ne quo pacto. Hæc ex Titulari Athanasio.

Comment. Ambros.

Nuptiæ in hoc mundo paratæ, in futuro consummatæ

Athanas. in Paul.

[Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quem non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepimus; aut aliud Euangelium, quod non recepistis: rectè pateremini, &c.] Sed veniunt alij & meliora tradunt ac præstantiora, Certè si ille qui venit alium Chistum tradit, quem nos non tradimus, aut alterum spiritum accipitis, quem non accepistis: denique si alterum tradit Euangelium, quod non suscepistis; rectè illum magistrum

A exciperetis sustineretisque; quasi qui ampliorem Christi notitiam, meliorem Euangelij disciplinam afferret, potiora Spiritûs sancti dona suo promitteret ministerio. [Corinthij, ait Aquinas, poterant suspicari quòd ideò zelum haberet de eis, quia timeat ne dimittant doctrinam suam propter doctrinam pseudapostolorum: vnde poterant dicere: Constat quòd minùs bona sunt dimittêda propter magis bona: ergo si pseudapostoli meliora doceant non debes turbari, si acquiescamus eis. Et ideò hanc excusationem ponit ostendendo, quòd nihil maius quàm Apostolus, docent & prædicant.] Pompa verborum inflatior, non tamen melior rerum substantia. [Existimo enim nihil me minùs fecisse à magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientiâ: in omnibus autem manifestati sumus vobis, &c.] Dicant illi se imbutos fuisse aut missos ab eximiis summisque Apostolis: sed ego nihil minus ab illis fui, nihil minus feci. Obiiciant me non habere peritiam artis, nec quærere sermonis elegantiam. De hoc non contendo, sed dico me scire quicquid ad fidem stabiliendam suppetit, quicquid conuenit ad salutem promouendam. Probè me nostis: nec enim subdolè apud vos conuersatus sum, aut artificiosè concionatus. [Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euanglizaui vobis, &c.] Sed præsentia corporis infirma. Quid ergo vitium est, deposuisse seueritatem, vt augerem vestram in Deum pietatem? Peccatum est propriis manibus victum quæsisse, & sine sumptu Euangelium posuisse? [Quod ait, hanc sententiam habet. (ita Chrysostomus) In summis rerum angustiis versatus sum. Hoccinè igitur est, quod mihi vitio vertitis? atque ob eam causam aduersùm me animos effertis, quod meipsum depressi, mendicans atque in arctum redactus, ac fame laborans, vt vos exaltemini? Amplius enim ædificabantur.] Inde maiora mutuabantur pietatis & charitatis argumenta.

Aquin. lect. 1.

B

Aliud pompa verborũ aliud rerum substantia.

C

Chrysost. Hom. 23.

D

[Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos, & egerem; nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedoniâ: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo, &c.] Manibus propriis laboraui, non quòd non haberem potestatem manducandi ac bibendi, iure ministerij, sed quia cum essem apud vos, & egerem, nulli vestrûm oneri esse volui, meo iuri cedendo, nihilque quod segnes aut minus liberales grauaret, accipiendo. Quid ergo? pauperiores Ecclesias exspoliaui, & quasi denudaui, vt & vobis ministrarem; stipendium ab eis accepi, vt vobis militarem: laboraui quandiu potui, vt victitarem; & vbi non potui, quod deerat necessitati meæ suppletum est

à Macedonibus seu Philippensibus, dum ab illis semel & iterum missum est. Denique quod hactenus feci, & faciam in posterum: nihil enim à vobis accipiam: gratis ministrabo, & cauebo semper ne cuiquam sim oneri. Procul timor absit, & iræ. [Arguit Corinthios, ait Athanas. oneri sibi duxisse, alimoniam Paulo præsenti subministrare. Rectè autem seruabo, inquit, perinde ac si dicat: Neque velim existimetis eiusmodi me dixisse, tanquam aliquid in futurum accepturus sim à vobis, sed seruaui: hoc est, abstinui antehac, ne vobis oneri essem; & seruaturus in posterum sum, abstinebo.] Exprobrat, an prouocat? [Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaïæ. Quare? Quia non diligo vos: Deus scit, &c.] Species iuramenti est. Non creditis me deinceps id facturum? Testem adhibeo Deum, tam veracem quàm & iustum, quòd hæc gloriatio Euangelij sine sumptu ponendi non per me abrumpetur apud vos, & in vniuersâ Achaiâ. Cur ita? an quia non amo vos, & idcircò vestra recuso munera? Iterum iurat, tamque propositum, quàm & animũ suum interposito obsignat sacramento. Quod autem facio, & faciam: vt amputem occasionẽ eorũ, qui volunt occasionem, vt in quo gloriantur inueniantur sicut & nos, &c.] Cur ergo renuis à nobis accipere? cur non solùm id facis, sed & facturum te in posterum promittis? Vt amputem occasionem iis qui quærunt occasionem. Qualem? gloriandi. In quo? inueniri sicut & nos. Quomodo? in eo quòd pares & æquales erimus, si quid acceperimus: illi enim accipiunt: si nos ergo acceperimus, iam similes erimus. [Gloriam pseudapostolorum, ait Ambros. in pecuniis erat accipiendis. Ideò Apostolus hoc refutauit, ne illis similis videretur.] Sed quia non obuius videtur ille sensus, disquisitioni exponendus est.

Athanas. in Paulum.

Cur quod potuit Paulus, non tamen voluerit.

Ambros. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

DVm vltima illa resonant adhuc & instant, euoluendus est nodus difficultatis, & exponendus paritatis modus: dein & nonnulla carptim excerpenda, sicut & passim dispersa.

DISQVISITIO PRIMA.

De modo paritatis.

NOn solùm recusat Apostolus res Corinthiorum, sed & animorum amputat suspiciones. [Ne putetis, inquit, me ideo hæc dixisse, vt accipiam, vestrosque animos magis ad me pertraham. Nam ne quis existimaret eum hoc nomine discruciari, aut infenso & irato animo hæc commemorare; gloriationem quoque hanc rem appellat. Quid enim, si detis? inquit. At ego non accipio. Gloriatio hæc mea, ὀ φραγήσεται; non obstruetur: metaphora ductâ à fluminibus, quorum in morem

Chrysost. Hom. 25.

A fama ipsius vbique fluebat, quia nihil acciperet. Non inquit, largitione vestrâ libertatem meam obstruetis.] Quod dixi me non accepisse, non id dixi vt deinceps accipiam, nam etsi dederitis, & si tribueritis, non accipiam, nec cursum inceptum prædicandi apud vos gratis; abrumpam. Quid ergo? si nobis iratus non es, forsan à nobis auersus es? non accipis, quia non diligis? Imò à vobis non accipio, quia vos diligo. [Itaque, ait ille, res contrarias ab ipso amor exprimebat, nempe vt & acciperet, & non acciperet. Contrarietas porrò hæc, ex eorum, qui dabant, affectu nascebatur. Non tamen dixit, Propterea non accipio, quia vehementer vos amo, quoniam ad hunc modum

Chrysost. ibidem.

B imbecillitatem eorum accusasset, atque in anxietatem animos eorum coniecisset: verùm ad aliam causam sermonem conuertit. Quam tandem? Vt amputem occasionem eorum qui quærunt occasionem: vt in quo gloriantur inueniantur sicut & nos. Quandoquidem operam dabant, vt ansam aliquam inuenirent, hanc quoque amputare oportebat. Hoc enim solùm erat: in quo gloriabantur. Vt itaque nullâ re superiores essent, hoc quoque correctum oportuit. Nihil quippe mundanos perinde ædificat, vt nihil accipere.]

Res diuersæ ab vno amore expressæ.

C Serpentina pseudapostolorum astutia: vnde & vana eorum gloria. [Nam, vt Athanasius dixit, cum calleret diabolus, his qui præsentibus bonis incumbunt esse pergratum, eos se nactos præceptores fuisse, qui ab se nihil deposcant, instruxit & falsos Apostolos vel id callidâ quadam & latenti exigendi arte dissimulare. Qui sanè, & si erant prædiuites, cum nihil capere viderentur, clam oblata captabant: & ideò non in quo promerentur, sed in quo gloriantur subiecit. Cuius rei cum esset Apostolus non ignarus, statuit animo secum nihil à quouis se vel pressum inopiâ accepturum, vt illis demeret occasionem ne quam inuenirent se criminandi opportunitatem.] Astu-

Athanas. in Paulum.

D tia est, an superbia? Non enim simulant tantùm, sed & inde iactandi se & gloriandi ansam captant. [Atqui, ait Chrysostomus, præstantem virum, non modò de iis, quæ ipsi desunt gloriari non conuenit, sed ne de iis quidem, quæ habet. Quemadmodum beatus hic vir faciebat, patriarcha Abraham, dum dicebat, Ego autem sum terra & cinis. Nam quoniam nulla peccata habebat, quæ commemorare posset, verùm virtutibus resplendebat; idcircò cum nec grauem vllam aduersùm se reprehensionis ansam reperisset, ad naturam confugit. Et quoniam terræ nomen quodammodo

Chrysost. Hom. 23.

E honestum est, ideo cineris vocabulum adiunxit. Vnde etiam alius quispiam dicebat, Quid superbit terra & cinis?] Fingebant ipsi non accipere, & inde gloriabantur; accipiebant tamen, sicque ementitâ inflabantur gloriâ. Quid ergo faciet Apostolus? Reuera non accipiet, vt illis amputet occasionem gloriandi, & exprobrandi Paulo quod accipiat, ideoque nec sine sumptu prædicatum ponat Euangelium. Ne quidem ergo in summâ penuriâ, vel modicum quid recipiet, vt ne efferri ex hac parte possint; sed probet eos paritate reuinci, ac similitudine.

Iustus qui culpam non sentit, ad naturam confugit.

Tota difficultas in eo est, vt deprehendatur in quo gloriabantur illi pseudapostoli. Nam, [In quo,] vt notauit Aquinas, intelligi potest [Vno modo, Non accipiendo,] Alio modo, [Scilicet accipiendo.] Sed vt addit ille. [Hoc solum quærebant.] Nimirum accipere, & inde etiam gloriam quærere. Cum enim & primarij acciperent Apostoli, Petrus, Iacobus, à quibus iactabant se imbutos; inde & illi ostentabant se de Apostolico viuere ministerio, vt veros verorum Apostolorum discipulos. Quid? quod non solùm accipiebant, sed & deuorabant? [Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit.] Tantum ergo abest vt illi non acciperent, quin & nimis acciperent, fraude etiam nedum arte extorquerent. In quo igitur illa paritas, si accipiant illi, & Paulus non accipiat? Imò summa disparitas, si deuorent illi tam auidè, Paulus recuset tam modestè. Optabant igitur, instabantque vt Paulus acciperet, vt & eis par fieret, vt nihil haberet præstantius; & si fortè in aliquo faciliùs vinceret, in isto tamen nequaquam præcelleret. [Erant ergo multi, ait Augustinus, qui occasionem habere cupiebant acquirendi & vendendi Euangelium, quibus eam volens amputare, Apostolus manibus victum suum tolerauit. De his enim dicit, Vt amputem occasionem, iis qui quærunt occasionem. Dixit etiam, Bonum est mihi magis mori, quàm gloriam meam quisquam inanem faciat. Hoc nimirum dixit; quia iam statuerat propter quosdam occasionem quærentes manibus suis victum transigere. Si enim Euangelizauero, inquit, non est mihi gloria: id est, si Euangelizauero, vt ista fiant in me: id est, si propterea Euangelizauero, vt ad illa perueniam, & finem Euangelij in cibo & potu & vestitu collocauero.] In hoc ergo erunt sicut Paulus, si Paulus accipiat: & inde iactabunt se in multis quidem esse Paulo superiores, sed in isto saltem pares æqualesque. [Igitur, (vt concludam ex Ambros.) Apostolus hoc refutauit, ne illis similis videretur: quia nisi hoc ab Apostolo fuisset vitatum, maior occasio illis data fuisset accipiendi, aut magis extorquendi, quando in hac re formam ab Apostolo datam ostenderent.]

Aquin. lect. 3.

Augustin l. 2 de ser. Dom. in monte c. 16.

Victus propter Euange. lium, non Euangelium propter victum.

Ambros. in Paulum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De modo disparitatis.

IS qui venit, iactabat se meliora dicere ac præstantiora: & id confutat Paulus, dum se magnis comparat Apostolis. Tria ergo disquirenda sunt. Primum, Quis ille qui venit: alterum, quo se iure iactet: tertium, quàm iustè se Paulus comparet.

De primo. Non omnis qui venit abiiciendus est: [Venit enim Ioannes: venit filius hominis.] Et Christus ipse: [Ego veni in nomine patris mei: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.] Venit ergo Christus venit & antichristus. [Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum.] Sicut ergo non omnis ille qui venit,

Matth. c. 11.

Ioan. c. 5.

2. ep. Ioan.

A Græcè ἐρχόμενος, reiiciendus est; ita nec omnis qui venit, recipiendus: sed sicut ille, cuius aduentus à Deo probatus, admittendus est; ita ille, cuius aduentus diuino destitutus est testimonio respuendus. Ita Tertullianus de Marcione. [Quum hæretica, inquit, dementia eum Christum venisse præsumeret, qui nunquam fuerat annuntiatus; sequebatur vt eum Christum nondum venisse contenderet, qui semper fuerat prædicatus: atque ita coacta est cum Iudaico errore sociari, & ab eo argumentationem sibi struere, quasi Iudæi certi & ipsi alium fuisse qui venit, non modò respuerint eum vt extraneum, verùm & interfecerint eum vt aduersarium.] Sed & ipse Marcion cum suo Christo non solùm erchomenos, sed & eperchomenos, vt sæpè exprobrat Tertullianus & B probat. [Statim, inquit, à me audire debebit, Quisquis es eperchomene, prius ede qui sis, & à quo venias, & quod in nobis tibi ius. Planè si à Deo venis, & illi agis, admittimus increpationem: Si verò ab alio, dicas velim quid nobis vnquam de tuo commisisti. Asinus de Æsopi puteo modò venis, & iam exclamas. Quisquis es eperchomene, priùs ede qui sis, à quo venias, quod tibi ius sit in nobis?] Apostolus ergo non reprobat eum qui venit, sed explorat an superuenerit: examinat enim quid afferat, quid promittat, quid doceat, seu quam habeat doctrinam.

Tertullian. l. 3. aduers. Mar. c. 6.

Tertullian. l. 4. aduers. Mar. c. 15.

C De secundo. Quidnam ille dicit, qui venit? Certè, vt notauit Chrysostomus, [Magnum periculum imminet, altumque præcipitium, si leuiter hoc prætereamus: aditumque omnibus hæresibus præbet id quod dictum est. Quænam ergo horum verborum sententia est? Sic se iactabant illi, tanquam Apostoli non perfectè docerent, atque ipsi plus aliquid quàm illi afferrent. Verisimile enim est, quod illi multa blatterantes, stultam quandam congeriem atque colluuiem in huiusmodi dogmata inuehebant. Vnde etiam & serpentis, & D Euæ, quæ ad eundem modum amplitudinis maioris expectatione decepta fuerat, mentionem facit. Quoniam igitur illi, vt verisimile est, externâ sapientiâ vtentes, multa nugabantur, hoc inquit, Si quid præterea dicerent, atque alium Christum prædicarent, quem prædicari oportet, nos autem prætermisissemus, rectè sustineretis. Ob hanc enim causam adiecit, Quem non prædicauimus. Si autem eadem fidei capita, quid amplius? Quicquid enim dixerint, nihil amplius dicturi sunt, quàm quæ diximus.] Verùm id non est alium Christum prædicare, sed aliter, seu eleganter euangelizare. Igitur sermonis elegantia in causâ est, non dogmatis substantia. [Si ergo talis prædi- E cator, (ita apud Aquinatem) prædicat vobis alium Christum, scilicet excellentiorem quàm illum quem nos prædicauimus, quod non potest esse: aut alium spiritum, scilicet meliorem accepistis per talem, quàm accepistis per nos, id est ministerio nostro, quod non potest esse: aut prædicat vobis aliud Euangelium, id est aliam prædicationem vel doctrinam, quam per nos non recepistis: Si, inquam, alia & meliora facerent vobis: rectè pateremini.] Inducant alium Christum, si possunt, alterum proferant

Chrysost. Hom. 23.

Aquin. lect. 2.

proferant Euangelium, alium inferant spiritum: & si hæc meliora sunt ac præstantiora, laudo si suscipitis ea: sed non possunt, quia vnus est Christus, vnum Euangelium, & vnus spiritus: nihil ergo melius afferunt ac præstantius: nego igitur quod dicitis: & si nullus disparitatis modus, nisi in præsumptione, quis titulus dignitatis nisi in contentione?

De tertio. Multi sunt Apostoli, sed non omnes æquales; quidam enim parui quidam magni: imò sicut in paruis nonnulli nobiles, nonnulli ignobiles, sic & inter magnos, nonnulli minores, nonnulli maiores. De paruis, [Salutate Andronicum & Iuniam, qui sunt nobiles in Apostolis.] De magnis, alius Iacobus minor, alius maior: illi enim qui inter magnos sunt maiores præcellentioresque, dicuntur à Paulo, [Suprà modum Apostoli.] Ii nempe sic dicebantur, [Qui videbantur columnæ esse, Iacobus, & Cephas, & Ioannes.] Denique tam de magnis quàm de paruis. [Visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.] Et magistris nimirum & discipulis. Licet enim omnes essent discipuli, respectu Christi: quidam tamen erant primarij, quasi aliorum magistri. Ita Hieronymus de duodecim fontibus & septuaginta palmis: [Nunquam, ait, prius occurrerunt fontes purissimi, nisi vbi magistrorum doctrina prorupit. Nec dubium, quin de duodecim Apostolis sermo sit: de quorum fontibus deriuatæ aquæ, totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante, duodecim fuisse Apostolos & septuaginta discipulos minoris gradûs: quos & binos ante se Dominus præmittebat. De quibus & Paulus refert, quòd apparuerit Dominus primum vndecim, deinde Apostolis omnibus; alios volens intelligi primos, & alios secundos Christi discipulos.] Omnes quidem discipuli: quia à Christo edocti: omnes & Apostoli, quia & à Christo missi. [Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos antè faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus.] Discipuli ergo omnes sunt Apostoli, Apostoli omnes sunt discipuli; sed isti primi, illi secundi; isti magni, illi parui.

Rom. cap. 16.

Galat. c. 2.

1 Corinth. cap. 15.

Hieronym. epist. 127. Manf. 6.

Apostoli & discipuli alij primi alii secundi.

Iam ergo concludendum est primò, Paulum per magnos Apostolos, intelligere magistros non discipulos, & si discipulos, primos tamen, veros Apostolos, præstantes, excellentes. [Vide, inquit Chrysostomus, quo pacto sermonem temperet. Non enim dixit, Nihil amplius quã ego, Apostoli dixerunt. At quomodo? Existimo, hoc est, arbitror me nihilo posteriorem fuisse excellentibus Apostolis.] Concludendum secundò, inter magnos Apostolos, etiam maiores seu illustriores respicere. Ita capite sequenti: [Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt suprà modum Apostoli.] Concludendum tertiò, non se præferre improuidè, sed tam iustè quàm & dignè conferre. [Nam (ita loquitur apud Chrysostomum) si quid, quòd in rem esset, à nobis prætermissum, ipsi impleuissent, haud vllam causam diceremus, quin operam illis daretis. Sin autem omnia cumulatè à nobis præstita sunt, nihilque omissum est, quâ tandem de causâ vos illi ceperunt? Inde ergo subdit, Existimo enim me nihil minus habere à magnis Apostolis: non iam scilicet cum illis, sed cum Petro reliquisque huiusmodi comparationem faciens. Itaque si isti vllâ in re me superant, sanè & illos. Nam quoniam eo nomine inferiore conditione esse videbatur, quòd illi, vt qui eum antecessissent, in maiore famâ essent, ac luculentior quædam circa eos species esset, atque isti sese introducere parabant, ob eam causam sese illis cum auctoritate sibi conueniente comparat. Vnde etiam non sine laude mentionem eorum facit. Neque enim simpliciter Apostolos dixit, sed magnos & eximios, Petrum videlicet, & Iacobum, & Ioannem indicans.

Chrysost. Hom. 23.

Chrysost. ibidem.

Paulus cum primis collatus Apostolis.

DISQVISITIO TERTIA.

De modo sermonis.

MOdicum indicat Paulus, dum vocat imperitum. [Nam etsi imperitus sermone.] Quid imperitus Græcè, ἰδιώτης? qui illiteratus, qui humanis excultus non est litteris. Ita de Petro & Ioanne: [Comperto quòd homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur.] Et hoc miraculum à Domino factum, vt imperiti peritos in admirationem raperent, illiterati, litteratis terrorem iniicerent. Ita & de Paulo: [Disputante autem illo de iustitiâ, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus est est Felix.] Quid hoc, quòd accusatus iudicem tremefaciat, vinctus Felicem; imò infelicem, ideò non dicam, miser liberum, sed liber miserum perterrefaciat? Certè non possumus dicere Paulum esse in totum illiteratum, cum excessus potius quàm defectus ei ab inimicis ipsis exprobratus sit. [Loquente eo & rationem reddente, Festus magnâ voce dixit: Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: Non insano (inquit) optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.] Confirmat quod de multis litteris certum, cum ait, [Veritatis.] Sed purgat excessum, cum addit, [Sobrietatis.] Nec enim plus sapiebat quàm oportebat sapere in mysteriis; nec plus verbis dicebat, quàm oportebat dicere. Quid ergo quòd insanus ille sanos edoceat, despectus superbos, nec præsides tantùm sed & reges suadeat? [Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri.] Quis ergo insanit, an qui ignorantiam discutit, an qui obiicit insaniam: Reuoluas quid coràm præside seu Felice seu infelice actum sit inter Tertullum oratorem quendam, & Paulum doctorem verum & irrefragabilem; & aduertas tantum interesse inter vtrumque oratorem, quantum inter putidum assentatorem, & veracem causidicum. Denique in omni defensione semper obtinuit, & efficaci persuasit oratione. Quin & in ipso auditorio, in quo accusatus est insaniæ, aut nimiæ insimulatus litteraturæ: [Loquebantur adinuicem dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat ho-

Actuum cap. 4.

Act. cap. 24.

Act. cap. 26.

Quanta scientia Pauli, nec non & eloquentia.

Act. c. 2.

Act. cap. 26.

Philipp. c. 1. mo hic; si non appellasset Cæsarem.] Quin & coràm Cæsare Nerone, imò Leone: [In omni prætorio, & in ceteris omnibus:] causam dixit; certam, nec alieno suffragio, sed patrocinio suo retulit victoriam. Quid porrò Paulus de seipso? [Ego sum vir Iudæus, nutritus secus pedes Gamalielis, eruditus iuxtà veritatem paternæ legis.] Quis ergo dicat Paulum imperitum & illitteratum, qui ab ætate ineunte litteris operam nauauerit, & in Academiâ omnium florentissimâ, sub magistro omnium famosissimo, in studiis vitam consumpserit? Inde & ethnici ipsi: [Vocabant Paulum Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.] Quasi tantā profunderet facundiā, quantam præferret sapientiā.

Act. cap. 22.

Act. cap. 14.

Quid ergo est? An se Paulus inuoluit? Non se magis Paulus inuoluit, quàm ne fallit Hieronymus, cum nunc disertum negat, nunc affirmat. Et quidem de cæteris Apostolis, nullus altercandi, aut etiam dubitandi locus est. [Venerabiles enim & vero Deo digni Apostoli Christi cum essent in omnibus puritate vitæ & animi virtutibus clari, non magnipendebant sermonis ornatum, quippe in quibus anima erat diuinis ornata virtutibus, simul & signorum gratia quæ eis à Domino nostro Iesu Christo concessa fuerat; quâ confidentes, non in suasoriis humanæ sapientiæ verbis summam prædicationis Dominicæ collocabant, sed in ostensione spiritûs & in virtute, per quam mirabilibus consummatis, & verborum suorum fide factâ, vniuerso orbi, regni cœlorum scientiam tradiderunt.] Ita Eusebius, qui & inde ad Paulum transit Apostolum, quem intèr cæteros Apostolos eruditiorem dicit in sermonibus, & in sensibus præpotentem. Itaque non potuit is qui venit Paulo obiicere, illum esse præ cæteris Apostolis imperitum & illiteratum: cum illi reuera illiterati essent, & Paulus publico omnium testimonio peritissimus esset ac litteratissimus. Idcircò comparatio instituenda non est cum ceteris Apostolis, sed cum aduentitijs pseudapostolis. Vnde ex Græco, non est redditio causæ, sed inchoatio sententiæ. [Sed etsi impetitus sermone.] Noua quippe obiectio est, non continuata connexio. [Hoc non ad Apostolos pertinet, ait Ambros. quia non erant eloquentes, vt pote sine litteris, pleni tamen Spiritu sancto: sed hoc tangit quos præferebant Corinthij causâ accurati sermonis, cum in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus dulcis.] Non ergo dicere poterant Corinthij Paulum ceteris Apostolis docendo minorem, cum scirent eloquentiorem: sed poterant illum conferre cum suis aduentitiis. [Quoniam enim, ait Chrysostomus, hoc nomine superiores illi erant, qui Corinthios corrumpebant, quòd non rudes & indocti essent, id quoque ponit, quo ostendat se propterea non modò pudore minimè affici, sed etiam gloriari. Nec dixit, Si ego imperitus, & illi quoque. Hoc enim visum fuisset esse hominis, & illos traducentis, & istos attollentis. Verùm rem ipsam, hoc est externam sapientiam deiicit. Ergo cum in magnis comparatio facienda erat, seipsum Apostolis confert: cum autem ostendendum id, quod imbecillitatis cuiusdam speciem habebat, non item. Quin potius cum reipsâ congreditur, ostenditque hoc lucro & commodo cessisse.]

Apostoli litteris humanis non exculti.

Ambrof. in Paulum.

Chrysost. Hom. 23.

Quid est magnum ac validum? scientia diuina. Quid paruum & inualidum? Humana facundia. Apostoli igitur humanâ destituti facundiâ, sed diuinâ præditi scientiâ: pseudapostoli humanâ præditi facundiâ, diuinâ scientiâ destituti: idcircò validi illi, isti infirmi; illi verè periti, isti verè imperiti: vera enim peritia doctorum Apostolicorum non in dicendo sita est, sed in docendo: non in facundiâ humanâ, sed in diuinâ scientiâ.

B Verùm, voluit Deus Apostolos eligere sermone imperitos, vt doceret peritiam humanam non esse prædicando Euangelio necessariam: voluit & Paulum addere, sermone peritissimum, vt ostenderet peritiam illam esse promouendo de se inutilissimam, nec tam proficere, quàm officere; nec tam illustrare, quàm obscurare. Itaque non probo Paulum vt Cilicem ineloquentem barbarismos & solecismos, iuxtà vsum prouinciæ, aut viciniæ contagium redolentem. Nam licet natus reuera fuerit [In Tarso Ciliciæ.] Nutritus tamen educatusque, [In istâ ciuitate.] Nimirum Hierosolymitanâ. Verùm sicut ea quæ habuit secundùm legem carnalem, flocci duxit præ gratiâ Christianâ; ita quæ secundùm scientiam acquisiuit humanam, nihili fecit præ diuinâ scientiâ. [Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.] Quomodo detrimentum fecisset, si lucrum non habuisset? quomodo proiecisset, quod non habuisset? Imò relinquere quod non possideat, spernere quod non habeat, necessitatis est potius quàm voluntatis: vera autem gloria in eo est, quòd possis, nec tamen velis; quod ad manum habeas, & in contemptum negligas. Reuera igitur Paulus eloquens erat, arte præpotens, nec minus sermone quàm opere: sed virtute vti maluit, quàm arte; scientiâ niti diuinâ, quàm eloquentiâ humanâ: nam licet eam adhibuerit, vbi ipsam censuit adhibendam, non tamen vnquam consuluit: apud aliquos interdum produxit, apud Corinthios in totum exclusit [Atque in priore quidem epistolâ, ait Chrysostomus, vehementer in hoc ad prædicationem non modò nihil vtilitatis afferre, sed etiam Christi gloriam obscurare. Veni enim inquit, non in sublimitate sermonis aut sapientiæ ad vos: vt non euacuetur crux Christi. Ac multa alia eiusmodi. Quid igitur dixit? nempe quòd scientiâ illi imperiti essent: quæ quidem summa est imperitia.] Nitorem scilicet excolere sermonis, splendorem virtutis spernere.

Act. cap. 22.

C

Philippens. cap. 3.

Spernere quod non habes, necessitatis potius quā voluntatis.

D

E

Sicut ergo quod in eo fuit legalis iustitiæ, produxit quidem vbi producendum esse iudicauit, nec tamen vsquam ostentauit ad pompam, sed reduxit ad gratiam Christianam, ita quod in illo fuit secularis sapientiæ, impēdit vbi impendendū censuit; sed traduxit potius quam produxit; & si quid attulit, in diuinam contulit scientiam. Vno verbo, eloquentiam voluit, sed Christianā diuinamque, quæ non tam artē calleat quàm virtutē, quæ non tam sonos quam neruos habeat; quæ cordibus potius illabatur,

quàm sensibus blandiatur; quæ non tam auribus pruriat, quàm mentibus imprimat; quæ non tam Rethoricæ consulat præcepta, quàm instituta proferat sapientiæ. [Si quis ergo, ait Augustinus, imperitè peritus artis eloquentiæ præcepta Apostolum secutum fuisse contendat, nonne à Christianis doctis indoctisque ridebitur? Et tamen quis non videat quid voluerit dicere, & quam sapienter dixerit? Quantâ enim sapientiâ ista sint dicta, vigilantes vident. Quanto verò eloquentiæ cucurrerint flumine, & qui stertit, aduertit. Certè si quid eius proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illis epistolis vtique proferimus, quas etiam ipsi obtrectatores eius, qui sermonem præsentis contemptibilem putari volebant, graues & fortes esse confessi sunt.] Fatebitur ergo Paulus ingenuè sibi curam sermonis non esse, nec artis affectare gloriam, quæ demulceat potius quàm persuadeat: imò & inde gloriabitur: potuit enim, sed noluit; ne affectatâ sermonis curâ: meditata foret crucis iniuria; ne studium eloquentiæ, præiudicium faceret sapientiæ. Non tamen negat, imò satis demonstrat, eloquentiam se habere quæ magnitudine conciliet animos, non tumore inflet; illam ducere, ne dicam & trahere vt famulam, sapientiamque seu scientiam diuinam vt dominam colere. [Hoc ergo dicens, (concludo ex Ambros.) non se loqui nescire voluit intelligi, sed propter eos qui non per fidem, sed per eloquentiam commendari volebant, Et in eo tamen se dixit imperitum, quod non habet crimen. In eo autem quod acquirit salutem, & cuius ignorantia non caret crimine, non se imperitum pronuntiauit: quia qui imperitus est in sermone, reus non est apud Deum: qui autem scientiam Dei non habet, reus est ignorantiæ: quia non licet ignorare, maximè quod pertinet ad salutem. Qamobrem Apostolus spretâ eloquentiâ id agebat, vt fides teste virtute acceptabilis esset: vt non fidem eloquentiæ commendaret, sed virtus cui cedit eloquentia.]

Augustin. l. 4 de doct. Christ. c. 7.

Alia eloquentia profanis alia sanctis propria.

Ambros. in Paul.

DISQVISITIO QVARTA.

De modo prædicationis.

NOn solùm tumidi erant pseudapostoli eloquentiâ suâ, sed & suâ onerosi auaritiâ. [Quæ secundùm faciem sunt, videte.] Seu, vt eligunt legunt ve Græci: [Quæ secundùm faciem sunt, videtis.] Secundùm faciem sunt, quæ nota omnibus, quæ sensibus conspicua. [Quasi diceret, ait Chrysostomus, Ab his, quæ externè patēt, homines probatis & expenditis, à carnalibus, à corporeis. Quid est, ab iis quæ externè patent? Si quis opibus circumfluit, si quis animo intumescit, si quis adulatorum gregibus stipatus est, si quis magna de se prædicat, si quis inanis gloriæ studio ducitur, si quis virtutem, quâ caret, ementitur. Hoc enim hæc verba significant, Quæ secundùm faciem sunt, videtis.] Secundùm nostra, Expendite & probate, quæ non solùm apparent, sed & patent; aduertite, quod negare non potestis nec dissimulare, si cordati estis aut sensa-

Chrysost. Hom. 22.

A ti. Nonne videtis quantâ intumescant insolentiâ ob eloquentiam vanam quantâ ad pompam ducendam sordescant auaritiâ? Ego quidem iam dixi me non prædicare in sublimitate sermonis, nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: nunc dico me gratis euangelizare. [In omnibus autem manifestati sumus vobis.] Nostis tam me non affectasse eloquentiæ fucum, quàm auaritiæ probrum declinasse. [Hic quippe, vt & ille dixit, falsos Apostolos perstringit, vt in versutiâ ambulantes. Quin hæc quoque de se antè prædicabat, quòd non iuxtà personam viueret, nec fraudulento animo atque ad quæstum prædicaret. Quo fit, vt vbique magnificè de se sentiat, quòd nihil humanæ gloriæ causâ faceret, nec res suas occultaret. Vnde etiam testes eos citat: & nunc scilicet, cum ait, Vobis: & priùs, cum dicebat, Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis.] Probè ergo scitis, & rectè agnoscitis: & si nondum creditis, fidem meam obstringam, diuinamque inducam veritatem. [Est veritas Christi in me: quoniam hæc gloriatio non infringetur in me, in regionibus Achaïæ.] Quæ illa gloriatio? [Quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis. Alias Ecclesias expoliaui accipiens stipendium ad ministerium vestrum: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo.]

Pseudapostoli tam auar. sunt, quam tumidi.

Chrysost. Hom. 23.

B

C

Multa heic quæri possunt: & primò quidem, Quid sit, Gratis Euangelium Dei Euangelizare? Gratis Euãgelizare est sine vllo sumptu Euãgeliũ ponere, nihil omnino accipere. [Pseudapostoli prædicabant propter quæstũ (ait Aquinas) Vt ergo Corinthij reciperent Apostolũ, & pseudapostolis auferret occasionem quæstûs, gratis prædicauit eis sine sumptibus propriis.] Id est, priuatis ac personalibus. Duobus ergo modis potest gratis prædicari. Primò, sumendo sumptus ad personæ sustentationem, non tamen in mercedem doctrinæ, & ita prædicabant alij Apostoli; pseudapostoli verò quæstum reputabant, & lucrum. Secundò, nihil omninò accipiendo, ne quis iure aut iniuriâ queri possit, aut quocumque modo Euangelij cursus intercipi. [Et cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui venerunt à Macedoniâ: & in omnibus sine onere me vobis seruaui & seruabo.] Nota, [Apud vos.] Et, [Vobis.] Quanquam enim nullus vnquam Apostolus aut vir Apostolicus Euangelium ad quæstum exponeret, aut pretium pro suo reposceret ministerio; sed quiuis gratis daret, quod gratis acceperat; oblationem, sustentationem ve reciperet, qui ministrauerat: statuit tamen Paulus nihil omninò à Corinthiis accipere, & sine vllo sumptu Euangelium ponere: tum quia pseudapostoli non solùm accipiebant, sed & capiebant; cum quòd Corinthij, licet opulentissimi, pecuniæ tamen suæ essent retinentissimi. Vt ergo & sordes illorum abstergeret, & mentes istorum acueret, placuit in summâ etiã indigentiâ, nihil prorsus accipere, & propriis potius laborare manibus, & alienis sumptibus supplere, quàm à Corinthiis aliquid sumere. [Debitum quidem erat, ait Ambros. vt sumptus ab iis acciperet, quibus prædicabat Euan-

Aquin. lect. 3.

D

Gratis datur quod sine vllo pretio dispensatur.

E

Ambros. in Paulum.


gelium Dei: sed vt ad vtilitatem eorum proficeret, refutauit: qui enim à peccantibus accipit, arguendi auctoritatem amittit.] Cum ergo ait Paulus: [Aut nunquid peccatum feci, meipsum humilians, vt vos exaltemini?] Ius quidem suum exponit, sed præsumptum onus adimit. [Dicit ergo: (ita exponit Aquinas) Rectè dico quod nihil minus feci à magnis Apostolis, nisi fortè hoc reputetis malè & minus factum, quia diminui de auctoritate meâ, non accipiens sumptus à vobis. Nunquid peccaui, diminuens de auctoritate meâ? Quasi dicat, Non. Ratio enim humiliationis meæ non est propter lucrum proprium, sed propter promotionem vestram. Vt vos exaltemini: id est, in fide confirmemini. Corinthij enim auari erant, & ideò si à principio accepisset sumptus, fortè destitissent à fide.] Idcirco depressus, & ad arctam redactus angustiam. *Aquin. lect. 2.*

Quæri potest secundò, An potuerit Paulus alios expoliare, vt Corinthiis ministraret, cum non potuerit vestitos denudare, vt nudis succurreret. Inde tamen gloriandi ansam arripuit: nobisque reliquit gloriandi materiam. [Quod enim in eo admirationem habet, inquit Chrysostomus, istud est, quòd cum illud dicere posset, se manuum labore sibi victum parasse, non tamen hoc dixit: verùm illud demum, quod pudorem illis incutiebat, nec ad ipsius laudem commendationemque pertinebat: nempe, Ab aliis accepi. Nec dixit, accepi; sed expoliaui: hoc est diripui, pauperesque eos reddidi. Quodque maius est, non ad profusos sumptus, sed ad necessarios vsus: stipendij enim vocabulo necessarium cibum intelligit. Quodque etiam grauius, Ad ministerium vestrum. Vobis prædicabam, inquit, & cum à vobis ali deberem, ab aliis id percipiebam. Illi ne præsentem quidem alebant: alii ad eum, etiam longè remotum, mittebant. Et ne dicerent, Quid igitur, si habebas? subiunxit, Et cum egerem, non grauaui vos: leuiter eos feriens, tanquam grauati, huiusmodi collationis munere fungerentur. Nam quod deerat, inquit, suppleuerunt fratres qui venerunt è Macedoniâ. Hoc enim ad Macedones scribens, dicebat, Ad vsus meos mihi misistis semel & iterum. In eo autem quod dixit, Quod deerat, mihi suppleuerunt, ostendit ne se hoc quidem postulasse.] Laborabat ille, nec aliquid postulabat: sed si quid supplendum, ex oblatâ suppletum est eleemosynâ. Nec laboris tamen meminit nec collationis, quia non laborabat, quasi ius non haberet accipiendi, quod obiectum ab ipsis aduersariis aut præsumptum: sed temperabat, vt haberet ius agendi efficaciùs: ab aliis enim plurimum accipiebat, ab aliis autem ne modicum quidem etiam oblatum sustinebat: [Vt enim multum hoc ostendat fuisse, inquit Ambros. non parùm, ait, Alias exspoliaui Ecclesias: non parua significans se in eos impendisse. Cum enim dicit, Exspoliaui, multa accepta & data significat, non extorta.] Miles fuerat Paulus, & idcircò militaria vsurpat vocabula, sed eo animo vt ostendat se potuisse ab omnibus accipere tam præsentibus quàm & absentibus, & onus non tam secundùm opus, quàm secundùm munus diuidere. *Chrysost. Homil. 23. — Militaria verba à Paulo selecta. — Ambros. in Paul. — Aquin lect. 2.*

A [Ratio est, ait Aquinas, quia Ecclesia est sicut vnum corpus. Videmus autem in corpore naturali quando deficit virtus in vno membro, subministrat humores & virtutem, accipiens ab aliis membris.] Ita iure fecit Paulus, dum ex munere publica munia distribuit.

Denique quæri potest, Cur fidem suam obstrinxerit, diuinamque interposuerit veritatem? [Est veritas Christi in me, ait, (apud Athanas.) hoc est, pro veritate, quæ in Christo Iesu inesse constat, asseuerarim, inquit, haudquaquam à vobis, me aliquid accepturum.] Quare? quia non diligo vos? [Deus scit.] Eandem nimirum obstringit veritatem. *Athanas. in in Paulum.* *Aquin lect. 3.*

B [Dicit ergo (secundùm Aquinatem) Non solùm gratis vobis euangelizaui, & nulli onerosus fui: sed etiam in omnibus seruabo me sine onere, sicut vsque modò seruaui. Est veritas Christi in me. Quasi dicat: Hoc quod dixi, verum est, quia veritas Christi loquitur in me. Vel hoc potest accipi per modum iurantis, quasi dicat: Deus qui est veritas & est in me scrutans corda, sit mihi testis, quòd ita seruabo me. Non minuetur in me hæc gloria, quod scilicet gratis prædico vobis, & à licitis abstineo, propter salutem vestram. Habitabant namque Corinthij in maritimis, & erant intenti mercationibus, & tales consueuerunt esse auari.] Admodum diuites, sed parùm liberales: Philippenses contrà tenues, & oppidò liberales. Ab istis igitur recipiebat etiam absentibus, ab illis abstinebat, etiam præsentibus. Et ne dubitarent auari illi & parum humani, de animo Pauli, & immobili non accipiendi proposito, iurat nusquam accepturum se: sed ne hæsitarent quonam recusaret consilio: iterum iurat, id facturum se non inimicitiæ studio, sed beneuolentiæ. Ita iurauit, ita statuit. [Qui enim statuit, ait Ambrosius; non mouetur, non metuit ne cadat: si enim metueret, non iuraret; si trepidaret, non cum iurisiurandi statueret sacramento. Nemo benè iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare igitur, indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est. Et benè iurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit. Lux tibi præeat, si iurare disponis: id est, cognitio veritatis præcedat, vt vinculum sacramenti tibi non possit nocere. Vbi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior. Denique ideò Dominus qui venit docere paruulos, imbuere nouos, firmare perfectos, ait in Euangelio: Non iurandum omninò, quia infirmis loquebatur: non enim ad solos Apostolos loquebatur, sed ad turbas. Voluit ergo te non iurare, ne periures. Iurauit. Dominus, nec pœnitebit eum. Iuret ergo ille, quem sacramenti sui pœnitere non potest. Noli vsurpare exemplum sacramenti, qui implendi sacramenti non habes potestatem.] Habuit Paulus potestatem, sicut & veritatem tenuit: idcircò tantâ fiduciâ iurare potuit, quantâ & constantiâ: & vbi poposcit charitas: aut necessitas imposuit, etiam iurare debuit. *C — Ambros. octon 14. in Psal. 118. — D — Tanta fiducia iurandi quanta & constantia. — E*



TROPOLOGIA.

Despondi enim vos.

SPonsalia sunt, sed spiritalia. Quis ergo paranymphus? Paulus. Quæ sponsa? Ecclesia? Quæ dos? Fides ipsa. Quando consummandum est matrimonium: Quando Ecclesia sine rugâ aut maculâ. Sed id ad Anagogiam: nunc ad Tropologiam.

Paulus paranymphus. [Despondi.] Amat Paulus, idcirco & zelat; vnde, cum amantes sint tanquam amentes, & amare simul & sapere vix superis sit concessum: insipientiam sibi obiicit, dum reiicit calumniam. [Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ.] Quid hoc? [Planum reddit, ait Chrysostomus, se eorum beneuolentiæ maiorem in modum confidere, atque & eos amare, & vicissim ab illis amari. Vel potius, non tam à simplici ac vulgari beneuolentiâ, quàm à feruenti quodam & insano amore oportere ait eos, se etiam insipienter gerentem perferre. Vnde etiam subiunxit, Æmulor enim vos Dei æmulatione. Non dixit, Amo enim vos: sed, quod multò vehementius erat, ponit. Zelotypiâ enim laborant eorum animi, qui ergà eos, quos amant ardentiùs affecti sunt. Neque enim aliunde oriri queat zelotypia, quàm ab acri ac vehementi amicitiâ. Sed ne putent se ab eo, vel honoris, vel pecuniarum, vel alterius cuiusquam rei causâ expeti, adiecit, Dei æmulatione. Deus etenim zelo affici dicitur, non vt perturbationem aliquam suspiceris (Deus enim ab omni perturbatione remotus est:) verùm vt omnes intelligant, cum non aliam ob causam, quàm ob eos ipsos, quos zelotypia prosequitur, omnia facere: non vt ipse quæstum aliquem hinc faciat, sed vt eis salutem afferat. Despondi enim vos. Quare non meâ causâ, sed illius, cui vos despondi, zelo ardeo. Nimirum se pronubæ, illos autem sponsæ loco constituens.] Zelotypus est Apostolus, sed Dei zelo, seu Christi studio: bonus certè zelus, cum non ad seipsum reflexus sit, sed in Deum directus: sicut enim paranymphus, cuius curæ commissa est sponsæ custodia, sic eam obseruat; vt non ferat ab alieno diligi, aut ipsam cum extraneo colloqui: nec tamen sibi zelat, sed alteri, amico nimirum sponso: ita Paulus æmulationem habet, sed Dei; obseruationẽ habet, sed Christi: illi namque aduigilat, illi adlaborat. Rarus ille zelus, sed tãto ille charior, quanto rarior. [In hominibus, ait Chrysostomus, non ita zelus efficitur, verùm ob priuatam quietem: non propterea quòd contumeliâ afficiantur qui amantur, verùm quòd non amentur ij qui amant, sed superentur, minoresque partes ferant apud eos quos amant. Hîc autem non ita se res habet. Non enim, inquit Paulus, id mihi curæ est, ne inferiore apud vos conditione sim, sed ne vos deprauatos & corruptos videam. Huiusmodi enim Dei zelus est, huiusmodi quoque meus, vehemens simul ac purus.] Illa puritas, angelica est, sicut & diuina sanctitas. Idcircò angelus ad Mariam Virginem missus est, qui non solùm tanti boni nuntius foret, sed & tanti paranymphus connubij. Virgo, inquit Ambrosius, [Sola in penetralibus, quam nemo virorum viderit, solus Angelus repererit: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab angelo salutatur.] Aut angelus igitur, aut Paulus, cuius conuersatio in cœlis est, cuius communicatio cum angelis: dignus gratiæ nuntius, idoneus sponsæ Christianæ paranymphus. Despondi vos: [Sponsalium enim, ait Chrysostomus, hoc tempus: alterum, nuptiarum. Ideò non dixit, Magister vester sum, nec, meâ causâ hæc dico: sed, Æmulor vos Dei æmulatione: despondi enim vos.]

Chrysost. Hom. 23.

Quàm pura fuerit Pauli zelotypia.

Chrysost. ibidem.

Ambros. 2. Comment. in Luc.

Chrysost. Hom. 23.

Ecclesia sponsa, ex omnibus nimirum fidelibus composita: nec vniuersa solùm Ecclesia, sed & vniuersæ Ecclesiæ, ex pluribus coactæ fidelibus. [Ecclesia quippe ipsa, ait Augustinus, cuius membra sunt, Christi coniux est: quæ fidei, spei, & charitatis integritate, non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis & coniugatis fidelibus, tota virgo est. Vniuersæ quippe Ecclesiæ cuius illa membra sunt, Apostolus dicit, Aptaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo.] Nec Ecclesiæ duntaxat vniuersæ, sed & cunctis Ecclesiis eam gratiam pollicitus est Apostolus: quod enim Corinthijs annuntiat, hoc & aliis non denegat. [Ad hunc modum, ait Chrysostomus, tota Ecclesia virgo est. Etenim ad omnes & coniugatos, & coniugatas Paulus loquitur.] Certè quælibet anima Christiana, sponsa est Christi, maximè si illi consecrata. [Nec enim immeritò, vt dixit Ambrosius, viuendi sibi vsum quæsiuit è cœlo, quæ sponsum sibi inuenit in cœlo.] Sed si quælibet anima, quanto magis quælibet Ecclesia: denique si quælibet Ecclesia, quanto magis vniuersa: In tantum enim est sponsa Christi, in quantum est pura, seu per simplicitatem, & castitatem purificata, nullis erroribus fœdata, nullis polluta hæresibus. Ita Augustinus ad Faustum Manichæum: [Attende, inquit, & erubesce, vt corruptionem tuam à serpente adultero perhorrescas: cuius astutiam si apud Moysen credendam non putasti, apud Paulum cauere debuisti: qui veram ecclesiam volens virginem castam exhibere Christo, Timeo, inquit, ne sicut serpens Euam fefellit in versutiâ suâ, ita corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate, quæ est in Christo. Hoc tu cum audires, vsque adeò tamen desipuisti, vt venenatis incantationibus eius amens facta es, vt aliis multis hæresibus aliud atque aliud idem serpens, tibi autem etiam se Christum esse persuaserit. Porrò si erant multæ fallaciis eius variis & multiformibus irretitæ, quæ tamen hanc admonitionem Apostoli veram fatentur, tu quantum adulterata es, quam in longinquo prostituta es, quæ ipsum pro Christo habes, à quo Apostolus Christi seductam Euam atque corruptam clamat, vt ab eo virginem sponsam Christi tali admonitione custodiat? Non timet Ecclesia Christi Hebræorum nominum obiectionem, intelligit & amat, nec curat imperi-

Augustin. l. de bono vid. c. 10.

Chrysost. Homil. 23.

Ambros. l. 1. de virgin. post init.

Augustin. l. 15. cont. Faust. c. 9.

Ecclesia Dei nullo diaboli veneno infecta.

ri, poterat ipse putari qui non erat. Respuit à se falsum honorem, vt teneat solidam veritatem. Quid ergo tu es qui nobis dicis, Qui habet sponsam sponsus est? Amicus sponsi. Multos adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam, amatam, fœdam vt pulcra fieret, illo emptore, illo liberatore, illo decoratore, possidere volunt: & id agunt verbis suis, vt pro sponso amentur. Amicum sponsi audiamus, non adulteros sponsi: audiamus zelantem, sed non sibi. Ponite aliquem peregrè profectum, commendasse amico suo sponsam suam. Vide quæso te, ne fortè me absente pro me aliquis ametur. Qualis ergo ille qui custodiens sponsam vel vxorem amici sui, dat quidem operam, vt nullus alius ametur: sed si amari pro amico voluerit, & vti voluerit commendatâ sibi, quàm detestandus vniuerso humano generi apparet? Sic & ipse Apostolus amicus sponsi, zelat & ipse, non sibi, sed sponso. Audi vocem zelantis. Zelo Dei vos zelo, dixit; non meo, non mihi, sed zelo Dei. Vnde? Quomodo? Quam zelas? Cui zelas? Desponsaui enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Omnis Ecclesia virgo appellata est. Diuersa sunt membra Ecclesiæ, sed omnes isti vna virgo est. Vbi est ista virginitas? Pauca membra in corpore, sed omnia in mente seruant virginitatem. Quæ est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, sincera charitas. Hanc virginitatem timebat ille, qui zelabat sponso: à serpente corrumpi. Commendauit Dominus noster Iesus Christus amico suo sponsam suam, peregrè profectus est accipere regnum suum, sicut dicit ipse in Euangelio, & tamen præsens est maiestate.] Paulus quidem amicus sponsi, sed Christus sponsus est: imò ille seruus, qui Ecclesiam colit vt dominam; iste Dominus, qui Ecclesiam vt sponsam diligit. [Et huius rei figuram, ait Chrysostomus, gerebant ea, quæ tempore Abrahæ contigerunt. Etenim ille fidelem seruum misit, qui puellam ethnicam desponderet. Eodem modo hic quoque Deus seruos suos misit, qui filio suo Ecclesiam desponderent, ac prophetas, antiquitùs his verbis vtentes, Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum. Vidisti prophetam despondentem? Vide etiam Apostolum cum magnâ fiduciâ hoc verbum proferentem ac dicentem, Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.] Vides prudentiam, vides & modestiam? Præconem se clamat, illum iudicem ac regem: seruum se, illum dominum: se amicum probat, illum sponsum ac virum. [Quasi dicat, ait Aquinas, Non pro me, sed Christo, qui est sponsus.] Illũ spectate vt sponsum, illum vt virum amate. [Vir Ecclesiæ, Christus Iesus.] vt dixit Tertullianus. Ille solus qui Ecclesiam habet vt sponsam; ille solus qui è latere eductam, qui emptam sanguine, vt suam retinet: idcircò ille sponsus, ille maritus est.

Inter fideles pauci virgines corpore, multi mente.

Chrysost. Hom. 23.

Aquin. lect. 1.

Tertullian. l. de Coron mil. c. 14.

Quoad secundum. Nuptiæ quidem parantur in hoc seculo, sed nondum consummantur. [Despondi vos vni viro.] Sed ex Græco, [Aptaui vos.] Seu, [Paraui.] Quidni? cum & sponsus ipse pararetur aptareturque. Certè, vt notauit Augustinus, agens de Hebræis, [In

Augustin. l. 22. cont. Faust. c. 2.

A iis quæ faciebant omnes illius gentis homines, vel de illis diuinitùs fiebant, prophetia venturi Christi & Ecclesiæ perscrutanda est: omnia enim illa, sicut dicit Apostolus, figuræ nostræ fuerunt.] Sicut ille totus populus, vnus fuit propheta, tam linguâ quàm & vitâ: sic & in singulis patriarchis & prophetis, singula sunt aut dictorum aut factorum mysteria. [Quid ergo, ait ille, sibi velit in sacramento Christi & Ecclesiæ, quòd Isaac tantus Patriarcha cum coniuge suâ luserit, coniugiumque inde sit cognitum, videt profectò quisquis, ne aliquid errando in Ecclesiam peccet, secretum viri
B eius in scripturis sanctis diligenter intuetur: & inuenit eum maiestatem suam, quæ in formâ Dei æqualis est Patri, paulisper abscondisse in formâ serui, vt eius capax esse humana infirmitas posset, eoque modo se coniugi congruenter aptaret. Quid enim absurdum, imò quid non conuenienter futurorum prænuntiationi accommodatum, si propheta Dei carnale aliquid lusit, vt eum caperet affectus vxoris, cum ipsum Verbum Dei caro factum sit, vt habitaret in nobis?] Tota ergo Christianæ vitæ conuersatio, nonnulla tanti coniugij præparatio est & coaptatio. Ita vox turbarum mul-
C tarum in cœlo dicentium: [Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se:] Fausta nuntia. [Ideò gaudeamus, (verba Ambr.) ideò exultemus, eò quòd misericordia conditoris nostri, Ecclesiam suam, quæ sumus nos, ita sibi coniungere sit dignatus, vt sponsa coniungitur sponso suo, quatenus simus cum ipso vna caro, sicut dicit scriptura: Erunt duo in carne vnâ: quod Apostolus de Christo & Ecclesiâ intelligendum esse docuit. Vxor autem eius præparauit se, id est, Ecclesia quæ vxor agni
D dicitur, variis virtutibus semetipsam ornauit.] Præparatur, cum ornatur. Sicut enim excultæ per annum fœminæ, antequam nuptum traditæ: [Vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vterentur:] Antequam scilicet traderentur Mardochæo: sic enim, [Compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant.] Id est, inibant coniugium parataque consummabant nuptias. Ita igitur priùs disponenda, priùs componenda est Ecclesia, tum vni viro, regi Christo tradenda est. Sed rem vide mirabilem, quæ nulli viro data est,
E vtpote soli Christo seruata. [O rem nouam! exclamat Chrysostomus. In mundo virgines antè matrimonium manẽt: post matrimonium non item. Hîc autem non sic. Verùm etiamsi virgines antè hoc matrimonium non sint, post initum matrimonium virgines efficiuntur. Ad hunc modum tota Ecclesia virgo est. Etenim ad omnes & coniugatos, & coniugatas Paulus loquitur.] Consummatio matrimonii carnalis violat virginitatem, consummatio matrimonij spiritalis virginitatem consecrat: custodit habentibus; non habentibus restituit. [Nouit enim ille, vti Augustinus dixit, coniugem virginem sinè corruptione fœtare, quem in ipsâ etiam carne potuit mater sine corruptione procreare.] Ecce sponsus venit, sed virginum. [Despondi enim vos vni viro virginem

Augustin. eod l. c. 46.

Christiani conuersatio, æterni est matrimonii præparatio

Apocal. c. 19

Ambros. in Paulum.

Esth cap. 2.

Chrysost. Hom. 23.

Augustin l. de bon. vid. c. 10.

castam exhibere Christo.] Tanto scilicet viro tradere & assignare. Virgo sponsus, virgo sponsa, sed tam virginale matrimonium, quàm spiritale connubium. Omnes virgines: nec enim virginitas seu puritas illo coniugio minuitur, sed munitur.

Quoad tertium. Eædem cœlestes voces adhuc resonant inclamantque: [Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.] Vbi & Ambrosius. [Prandium, inquit, electorum nunc est, quando in Ecclesiâ dapibus Euangelicis pascuntur. Cœna verò erit, quando post resurrectionem in cœlesti beatitudine æternâ gloriâ perfruentur. Et quia prandium quod nunc agitur, & bonos & malos recipit, non omnes beati sunt qui in eo videntur recumbere. Illi autem soli beati sunt, qui in illâ cœnâ, quæ post finem mundi futura est, recipientur.] Non dicitur, Beati qui ad prandium nuptiarum vocati sunt, sed qui ad cœnam nuptiarum agni: sicut enim cœna, vltima diei refectio est; sic gloria, vltima animi perfectio. [Videamus ergo, (cum Chrysostomo) quid secum ferens Christus nos desponderit, quam dotem. Non aurum, non argentum: sed cœlorum regnum.] Iam hinc tamen, si nulla adhuc cœna, multa nihilominus antecœnia. [Adhibe, ait Tertullianus, sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nullæ formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt. Malunt enim Deo nubere: Deo speciosæ, Deo sunt puellæ. Cum illo viuunt, cum illo sermocinantur: illum diebus & noctibus tractant: orationes suas, velut dotes, Domino adsignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescumque desiderant, consequuntur.] Nonnihil gratia delibat, sed consummat gloria: in quâ tam beata æternitas, quàm æterna felicitas: illud transeunter, istud permanenter; tamque verum ac certum præstat gaudium, quàm &

Apocal. c. 9.

Ambros. ibidem.

Chrysost. Hom. 25.

Tertullian. l. 1. ad Vxo. c. 4.

A perpetuum. [Quid est enim quod est? (ait Augustinus) Quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est, quia non manet.] Christus venit ad nuptias, signumque fecit omnium primum, ne dicam & illustrissimum. [Excepto enim miraculo, ait ille, aliquid in ipso facto mysterij & sacramenti latet: quia & nos aqua eramus, & vinum nos fecit, sapientes nos fecit. De thalamo processit tanquam sponsus, & inuitatus venit ad nuptias. Si non venit ad nuptias, non habet sponsam. Et quid est, quod ait Apostolus, Aptaui vos vni viro, virginem castam exhibere Christo? Habet hic sponsam quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit Spiritum B sanctum. Si quis sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat vxorem. Dominus autem securus moriens: dedit sanguinem suum pro eâ quam resurgens haberet.] Vnum fit sponsus & sponsa, idcircò sapientia illa æterna, nos sibi coniungens, sapientes fecit, cum essemus insipientes; vino inuisibili nos inebriauit, cum priùs essemus infelici corrupti contagio: nos reddidit beatos, cum per peccatum essemus damnati. [O beata regio supernarum virtutum! (exclamem cum Bernardo) vbi beata Trinitas à beatis facie ad faciem videtur. Locus est voluptatis, vbi torrente voluptatis potantur iusti. Locus lætitiæ, vbi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundan-C tiæ, vbi nihil deest videntibus eum. Locus suauitatis, vbi apparet Dominus suauis vniuersis. Locus pacis, vbi in pace factus est locus eius. Locus admirationis, vbi sunt mirabilia opera eius. Locus satietatis, vbi satiabimur, cum apparuerit gloria eius. Locus visionis, vbi videbitur magna visio. Locus splendoris, vbi iusti fulgent sicut splendor firmamenti: vbi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth clamare non cessant.]

Augustin. in Psal. 121.

Augustin. Tract. 8. in Ioan. cit. med.


Sponsa Christi & sanguine empta, & dotata beatitudine.

Bern. de 5. regionibus.

PARS ALTERA.

DE DEPRETIATIONE.

TEXTVS.



Nam eiusmodi pseudapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum. Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier) quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientiâ, in hac substantiâ gloriæ. Quia multi gloriantur

secundùm

ſecundùm carnem : & ego gloriabor. Libenter enim ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientiâ dico) audeo & ego : Hebræi ſunt, & ego : Iſraëlitæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego : Miniſtri Chriſti ſunt, (vt minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies, quadragenas, vnâ minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, noċte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus : in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor ? quis ſcandalizatur, & ego non vror ? Si gloriari oportet : quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula, ſcit quod non mentior. Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet : & per feneſtram in ſportâ dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.

EXEGESIS LITTERALIS.

PSeudapoſtoli erant apud Corinthios in pretio, & neſcio quo fato ſuos obſederant: ideò ipſos eleuat Paulus, ſuaque merita, tam ex neceſſitate commendat, quàm ex veritate.

[Nam eiuſmodi pſeudapoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, &c.] Dixerat nouos illos magiſtros occaſionem quærere, gloriationem alteri inuidere, ſibi aſſerere. Nunc apertiùs eos denotat, dum vocat pſeudapoſtolos, id eſt falſos Apoſtolos, doloſos operarios, qui transfigurent in Apoſtolos Chriſti, cum miniſtros potius repræſentent diaboli. [Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ : quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum, &c.] Quod dixi, mirum videtur : nec tam mirum tamen : nam ſi angelus tenebrarum transfiguratur in angelum lucis, malus in bonum ; non eſt adeò mirandum tanquam quid magnum, ſi & eius miniſtri transfigurentur velut Dei miniſtri, ſi pſeudapoſtoli figuram ac perſonam Apoſtolorum, veritatem ac pietatem ; ſeu veram annuntiantium iuſtitiam, mutuentur. [Cum enim, ait Comment. Athanaſ. horum inſtructor ſatanas ille ad quoduis facinus ſit audentior, nil mirum ſi hunc eius diſcipuli imitantur.] Sed aliud figura, aliud ſubſtantia. Non enim tales ſunt, quales ſe fingunt. Verùm Deus, qui nec tam falli poteſt, quàm nec fallere, laruam tandem detra- *[margin: Comment. Athanaſ.]*

A het, pœnamque repetet iniquis factis debitam. [Iterum dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier) quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientiâ, in hac ſubſtantiâ gloriæ, &c.] Filum abruperat commendationis ac gloriationis : iterum reſumit, aitque: Quod loquor, non ſecundùm Deum loquor. Sed intercurrit parentheſis. Interim dum me prædico ac commendo, nolite me inſipientem reputare : ſi autem renuitis votis meis conſentire, ſaltem vt inſipientem ſuſcipite me ac B ſuſtinete : ſi enim æmulos meos toleratis vſque ad nauſeam gloriabundos, quidni concedatis mihi modicam delibare gloriam? Quid eſt ergo quod volo dicere ? Volo iterum laudes meas prædicare, meas enarrare virtutes : licet id Deus non præcipiat, aut conſulat, imò prohibeat aliquando, ideoque gloriatio mea aliqualem inſipientis hominis ſpeciem redoleat ; nec tam appareat eſſe ſecundùm legis ſtatutum, quàm ſecundum genium vanitatis : nec quaſi ſecundùm obedientiam, ſed quaſi ſecundùm inſipientiam. C [Secundùm Deum non loquitur, ait Ambroſ. quia ad carnis tumorem hæc pertinent; nec de inflatione apud Deum ſurgit gloria, quia apud Deum humilitas glorioſa eſt. Quaſi in inſipientiâ in hac ſubſtantiâ gloriationis. Non plenam dixit inſipientiam, ſed ex parte: veritas enim eſt. Sed quia elatio vitioſa res eſt: ideò quamuis verum ſit quod dicitur, quaſi in inſipientiâ tamen eſt vnumquemque laudare ſe.] *[margins: Inſipientiæ ſuſpectus, qui cupidus eſt gloriæ. — Ambroſ. in Paulum.]*

[Quoniam multi gloriantur secundùm carnem : & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes : cum sitis ipsi sapientes, &c.] Quandoquidem multi ex Iudæis istis pseudapostolis gloriantur secundùm res carnales visibilesque, ego quoque gloriabor : non vt fastum probem, sed vt meum commendem ministerium : nec id vobis erit ingratum, nam vos quasi sapientes prudentesque, alienam facilè sustinetis insipientiam.

Aquin. lect. 4.

[Possent, ait Aquinas, Corinthij dicere : Quare debemus te supportare, si es insipiens? Et dicit Apostolus quòd ideò, quia cum vosipsi sitis sapientes in oculis vestris & in vestrâ reputatione, assueti estis supportare insipientes, pseudapostolos scilicet.] A quibus tanta tamque grauia sustinenda sunt. [Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, &c.] Suffertis enim si quis illorum imperiosè vos regit, & opprimit tanquam seruos ; si quis expilat, si quis variis artibus vexat vos, ne dicã & variis extortionibus onerat ; si quis suprà vos vanâ erigitur iactantiâ, si quis contumeliam quasi alapam molitur impactam. [Secundùm ignobilitatem dico.] Quod dico, in faciem cædere, non intelligo faciem imprimere, sed ignominiam facere, obiicere contumeliam :

Chrysost. Hom. 24.

[Hoc enim dicebat, ait Chrysostomus, non quod eorum ora verberarent, sed quòd eos despuerent, atque dedecore & ignominiâ afficerent. Adiecit enim, Secundùm ignominiam dico. Non enim mitiùs vobiscum agitur, quàm cum his, qui in faciem cæduntur : non enim faciles & humani domini, sed graues ac molesti.] Nulla acerbior dominatio, nulla conuersatio insolentior : omnia enim inuadunt, pecuniam emungunt ac substantiam, libertatem & honorem opprimunt.

Contumeliam facere, idem ac in faciem cædere.

[Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte : in quo quis audet (in insipientiâ dico) audeo & ego, &c.] Sic se iactant illi, vt me etiam tanquam inferiorem contemnant ; vt qui non habeam vnde glorier, quasi non valeam in hac substantiâ, nec similem aucuper gloriationem. Sed in quocumque quis audeat, audebo & ego. Dico audebo, quia laudare se, sicut species arrogantiæ est, sic & species insipientiæ : sed id dico, vt elationem istorum reprimam, ostendamque me in nullo minorem inferioremque.

[Hebræi sunt, & ego : Israëlitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego : Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) plus ego, &c.] Quid dixi me non inferiorem ? cur non & addo me superiorem ? In quocumque enim genere glorientur, aut secundùm legem, aut secundùm fidem, aut adæquo eos, aut etiam supero. Si enim dicant se Hebræos esse, non Græcos Græcistas-ue, & ego primitiuam gentis meæ linguam teneo, vernaculam, patriam-ue calleo. Si Israëlitas, quasi non solùm idiomate se dicant Hebræos, sed & genere : & ego Israëlita sum : denique, & de semine Abrahæ, eximij illius & summi patriarchæ. In hoc ergo æquales sumus. Sed si adiiciant se ministros Christi esse : regeram & ego (quasi insipiens dico, sed meæ parcendum insipientiæ) Nobi-

A

liùs & ego sum excellentiusque : seu (vt est in textu Ambrosiano:) [Magis ego.] Tamen ; vt ille Commentator notat :

Comment. Ambros.

[Vera de se dicens, insipientem se pronuntiat, vt intelligatur coactus ad laudem suam prorupisse. Nam qui sponte ea refert quæ ad laudem eius proficiant, imprudentem se non dicit.] Cur ergo plus seu excellentiùs ? [In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter, &c] Cur ergo excellentiùs ? quia plura pro ministerio Euangelico, seu Euangelio propagando passus incommoda : probatusque pluribus ac grauioribus laboribus, in carceribus frequenter, in verberibus in-

B

solenter, in quotidianis vitæ amittendæ periculis. [A Iudæis, quinquies, quadragenas, vnâ minus, accepi.] Non poterat excedi numerus plagarum quadragenarius, sed fortean vna demi poterat & altera. Iudæi ergo quinquies Paulum flagellarunt, nec excedentes propter legem, nec parcentes propter sæuitiem, vnde quadraginta semper plagas vnâ demptâ numerarunt.

Ministeriũ non tam miraculis probatum quàm supplicijs.

[Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, &c.] Hoc quidem à contribulibus : à gentilibus verò ter virgis cæsus sum, & ab vtrisque semel lapidatus sum. Ter naufragium pertuli, & in profundum abreptus, diem egi ac noctem, diuinaque tandem ere-

C

ptus prouidentiâ.

Athanas. in Paul.

[Quid ad Euangelium, si naufragium feceris? (ita Athanas.) Quia Euangelij gratiâ diuulgandi, longius sæpè maritimũ iter nauigando emensus, naufragus fui : diem verò & noctem in in profundo subnatans egi.]

In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, &c.] Itinera non solùm molesta, sed & periculosa : & vbique sparsa pericula: quanta enim pericula fluminum, nauigando; quanta latronum, errando ? Quanta à contribulibus,

D

quanta à gentilibus ? nunc in ciuitate, nunc in solitudine : nunc terrâ, nunc mari: paratæ enim vbique insidiæ : quanta denique à falsis fratribus, hostibus domesticis, simulatis, fidelibus, sed veris infidelibus?

Chrysost. Hom. 25.

[Vbique certamina proponebantur, (ait Chrysostomus) Sed vide alterum belli genus. Non enim ab hostibus solùm, sed etiam ab illis, qui fraternæ beneuolentiæ speciem præseferebant, petebatur, magnaque animi contentione ac prudentiâ opus habebat.] Quis enim fluuium tabulâ traiiciat, aut effugiat è cymbâ periculum ? [In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, &c.] Quot & aliæ mo-

E

lestiæ pro Euangelio toleratæ, quot labores pro Christo exantlati, difficultates fatigationesque etiam vltrò susceptæ ? Vigiliæ multæ multa ieiunia, aut assumpta, aut etiam imposita: nunc inediam ferens, nunc & aëris temporis-ue iniuriam, frigore & nuditate persentiens. [Præter illa quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor ? Quis scandalizatur, & ego non vror ? &c.] Dixi ea quæ sunt extrinseca, & corpus tangunt : sed sunt præter ista, & alia quæ angunt animum, &

mnhus expetunt Apostolicum : instant enim quotidie omnes Ecclesiæ, & responsum à me expectant aut solatium. Quis enim fidelium infirmatur per occasionem, & ego non infirmor per compassionem? Quis in casum per exemplū adigitur,& ego non tanto vror dolore quanto amore afficior? [Compati se dicit omnibus, ait Ambros. & condolere eo affectu, quo prouideat vulneri medicinam.] Nec minor illa cura, nec segnior vigilantia. [Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior, &c.] Si cogor gloriari, non gloriabor de iis quæ animum efferunt, redduntque gloriosum, sed in iis quæ cordis firmitatem probant, dum infirmitatem tentant corporis. Deus omnium conscius, nouit etiam me vera dicere, nihil addere: nec illum audeo iudicem aut testem in falsa adducere, quem in sæcula benedicendum censeo. [Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sportâ dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.] En & aliud periculum, à quo per inuidiam Iudæorum propè oppressus, sed è quo prouidè per fratrum ereptus industriam. Id contigit Damasci, vbi ἐθνάρχης, qui genti præerat nomine Aretæ regis, excubias suas ad capiendum me in illâ ciuitate disposuerat: sed nocte per mœnia dimissus sum in sportâ: & ita de manibus eius liberatus sum, & maioribus curis laboribusque reseruatus.

Ambrof. in Paulum.

Qua Paulus liberatus sit industria.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

PAulus eloquentiam non curat, & tamen omnes superat eloquentes: gloriam fugit, & omnes vincit ambientes. Sed quænam eloquentia: quæ & gloria?

DISQVISITIO PRIMA.

De eloquentiâ.

NOn illa vana est, quæ de ore loquentis exeat, sed quæ de pectore procedat sapientis: non lasciua illa, quæ coloribus adumbrata, pigmentis fucata, non tam dulcescat, quàm insolescat; sed illa casta quæ sententiis grauida, & munita virtutibus, nihil moliatur quod non exequatur. [Sicut ergo, ait Augustinus, Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quòd eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus. Scribens namque ad Corinthios in secundâ Epistolâ, redarguit quosdam qui erant ex Iudæis pseudapostoli, eique detrahebant; & quia seipsum prædicare compellitur, hanc sibi velut insipientiam tribuens quàm sapienter dicit quamque eloquenter! Sed comes sapientiæ, dux eloquentiæ, illam sequens, istam præcedens & sequentem non respuens. Iterum dico, inquit, ne quis me existimet insipientem esse, alioquin velut insipientem suscipite me, vt & ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in

Augustin. lib. 4. de doct. Christ. cap. 7.

A stultitiâ, in hac substantiâ gloriæ, quoniam quidem multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor. Libenter enim sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Toleratis enim si quis vos in seruitutē redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciē cædit: secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus. In quo quis audet, in insipientiâ dico, audeo & ego. Hebræi sunt? & ego. Israëlitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Ministri Christi sunt? & ego. Insipiens dico, super ego. Porrò autem qui nouit agnoscit, quòd ea cæsa, quæ commata Græci vocant, & membra, & circumitus, cum decen-
B tissimâ veritate interponerentur, totam istam speciem dictionis, & quasi eius vultum, quo etiam indocti delectantur, mouenturque, fecerunt. Quod verò post hunc impetum interpositâ narratiunculâ quodammodò requiescit & requiescere facit auditorem, quid decoris, quid delectationis habeat, satis dici non potest. Sequitur enim dicens: Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit, quòd non mentior. Ac deinde quomodo periclitatus fuerit, & quomodo euaserit, breuissimè narrat.] Nihil eloquentius, sed nihil sapientius; est enim eloquentia
C natiua & sana, quæ simplicitatem demonstret potius, quam artē ostentet; quæ rē curet potius quā sermonē, quæ de venâ procedat sapientiæ, & sine arrogantiâ de palmâ contendat elegātiæ.

Natiua sapientiæ diuinæ eloquentia.

Puta igitur Paulum tam eloquentem esse, quàm & sapientem. [Iterum dico: ne quis me putet insipientem esse: alioquin velut insipientem accipite me: vt & ego modicum quid glorier.] Tanta necessitas loquendi, quanta eloquendi suauitas. Sed cum & in illo tanta sapientia sit, quanta & eloquentia: quærendum primo cur loqui se dicat in insipientiâ? [Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientiâ.] Qui de eloquentiâ
D dubitauit, iam dubitabit & de sapientiâ: [Ob eamque caussam dixit, Quod loquor: non caussam, (verba Chrysostomi) sed verba reprehendens. Etenim scopus adeò eximius erat, vt & verbis ornamentum afferret. Cur autem non tam accuratâ sermonis diligentiâ vsus est? Quia aliò properat. Porrò, priùs dixit, Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ: nunc autem, vt in insipientiâ.] Quid ergo? nec sapientia iam est, nec eloquentia? Vtraque sanè eximia: sed illa non ex tritâ sapientiæ mundanæ regulâ, ista non ex accuratâ facundiæ humanæ diligentiâ. [Accipite, id est, (Aquinate interprete) supportate me,
E Velut insipientem. Et dicit, Velut: quia licet ipsi reputent eum insipientem, tamen in rei veritate non est insipiens. Quod ergo dicit, Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientiâ: dicit ex hypothesi, sicut illud quod suprà dixit, Velut insipientem. Vnde ibi posuit, Velut: hic ponit, Quasi. Ac si diceret, Si non rationabiliter commendarem me, tunc illud quod loquor in commendatione meâ, Non est secundùm Deum, id est, secundùm rationem diuinæ sapientiæ. Et tunc meritò acciperetis me, non secundùm Deum loqui, sed insipienter:

Chrysost. Hom. 24.

Aquin. lect. 4.

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.] Equidem laudare se studio vanitatis & excellentiæ propriæ, insipientia est; ex charitatis autem zelo & gloriæ diuinæ, sapientia: licet enim ministros Euangelicos tam deceat humilitas omnis, quàm omnis vanitas dedeceat: tamen sicut nulla vanitas est; vbi veritas est diuina; sic & vbi charitas adest Christiana, non deest sincera humilitas. Denique licet Deus iactantiam vetet, probet modestiam: tamen sicut iuramentum illi nonnunquam placet, licet iurare prohibeat, ita nec proprium aliquando displicet eloquium, licet laudare se dissuadeat. Sicut ergo Paulus videtur quasi in insipientiâ loqui, licet in verâ loquatur sapientiâ: ita videtur non loqui quasi secundùm Deum, cum tamen secundùm Deum loquatur, loquatur secundùm Dominum.

Iuramentũ à Christo vetitum, & tamen aliquando licitum.

Quærendum secundò. Cur & ipse Paulus sectetur pseudapostolos, licet eos insectetur? [Quoniam multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor.] Quid ergo? Viuet secundùm carnem, secundùm carnem sapiet? At sapere secundùm carnem mors est: adeo non viuit secundùm veritatem, qui secundùm carnem sapit. Respondeo primò, non exertè dixisse Paulum velle se secundùm carnem gloriari, sed tantùm velle se gloriari: [Multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor.] Si licet pseudapostolis secundùm carnem gloriari, non licet mihi gloriari secundùm æquitatem? Si enim illi in re tam vtili ac contemptibili, quidni ego in re nobili & illustri? Et inde non solùm Hebræum se dicit, sed & Christi ministrum: aliaque simul ac plurima congerit; quibus non solùm gratia commendatur diuina, sed & æterna gloria comparatur. Respondeo secundò, per carnem non intelligere Paulum carnalem affectum, sed sensibilem apparatum. [Quid est, ait Chrysostomus, secundùm carnem? hoc est, ab externis rebus, à nobilitate, ab opibus, ab eruditione, à circumcisione, ab Hebræis auis, ab eâ, quâ apud plerosque florent, existimatione. Quod etiam alibi facit, dicens, Si quis videtur confidere in carne: ego amplius.] Quid est, confidere in carne? In iis quæ carnalis sunt legis, carnalis nobilitatis: vt Hebræum esse, circumcisum esse, de semine Abrahæ, & alia quæ tam carnalia, quàm & externa, carni ac sensui exposita. Respondeo tertiò, etiam secundùm carnem potuisse Paulum gloriari, noluisse tamen malos seu pseudapostolos æmulari. Illi enim, vt resoluit Aquinas: [Quia ex Iudæis erant, gloriabantur secundùm carnem, dicentes se esse filios Abrahæ, & ex hoc volebant haberi in reuerentiâ à Corinthiis & auctoritate. Dicit ergo Apostolus, dato quòd sit insipientia, quod glorier secundùm carnem: tamen quoniam multi pseudapostoli gloriantur secundùm carnem, & ego etiam gloriabor secundùm carnem. Prouerb. 26. Responde stulto secundùm stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Sed licet sit eadem materia gloriationis, non tamen est eadem intentio, & idem finis: quia pseudapostoli commendabant se propter gloriam propriam, & vt ipsi habe-

Chrysost. Homil. 24.

Aquin. lect. 4.

Actio nonnunquam eadem, sed diuersa intentio.

A rentur in auctoritate, & possent lucrari: Apostolus autem gloriabatur, vt verbum Dei per eum prædicatum, esset maioris auctoritatis & ponderis, & fructum faceret Christo.] Mirum, quòd ex vitio antidotum faciat, & gloriando fastum comprimat. [Quemadmodum, ait Chrysostomus, si quis claro genere natus, ac philosophicum vitæ genus amplexus, alios ob nobilitatem magnificè de se sentientes videat, atque eorum fastum deprimere cupiens, generis sui splendorem commemorare cogatur, non vt se insolenter efferat, sed vt eos humiles reddat. Atque illic quidem hoc facit Paulus, ob eos, qui in hoc confidebant.]

Chrysost. Hom. 14.

B Quærendum tertiò. Cur, si affluat in sapientiâ Paulus, nihilominùs in eloquentiâ diffluat? Quid enim laciniosum istud, ne dicam & superfluum? [Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego.] Nam qui Hebræi sunt, nonne sunt Israelitæ? & qui Israelitæ, nonne sunt de semine Abrahæ? Nihil tamen inane in Paulo: imò nihil in illo non grande. Ita Augustinus Paulinam demiratus eloquentiam: [Hinc iam, inquit, singulis quibusque cæsis interrogando positis, singula itidem cæsa responsione redduntur; tria tribus: Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Quarto autem cæso simili interrogatione posito, non alterius cæsi, sed membri oppositione respondet, Ministri Christi sunt? Insipiens dico, super ego.]

Augustin. lib. 4. de doct. Christ. cap. 7.

C Græcè ὑπὲρ, id est super. Sed esto, det Paulus non concedendo, vel potius quam interroget, non resolnendo: nihil tamen diffluit, vbi oratio semper ascendit accrescitque. [Non enim, vti monuit Chrysostomus, Hebræi omnes Israëlitæ erant.] Nam siue Hebræi dicantur ab Heber, quasi Heberæi, siue ab Abram, quasi Abræi: siue ab [Eber] qui & Abraham: nam [Eber,] Hebræâ linguâ, idem est ac trans, seu vltra: sicque vocatus est Abraham Genes. cap. 14. [Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo] Primus autem sic à Chananæis appellatus est, quia trans fluuium

Chrysost. Hom. 25.

D Eufratem natus & inde aduectus in terram Chanaam. Sed vnde vnde nomen patronymicum deriuatum sit, iis tamen seruatum est, qui patriam seruabant linguam, quique non nomine solùm Iudæi erant, sed & idiomate. Non dicit Paulus, Iudæi sunt, & ego: nam & Græci etiam seu ἑλληνισταὶ Græcistæ, Iudæi erant, non tamen Hæbræi. Paulus autem non solùm Iudæus, sed & Hebræus, quia licet natus in Ciliciâ, Pharisæus tamen à Pharisæis, tanquam Hæbræus ab Hebræis, vernaculâ linguâ imbutus est; moxque non solo tantùm addictus, sed

Abraham primus appellatus est Hebræus.

E & dialecto instructus. [Cum audissent autem quia Hebræâ linguâ loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.] Linguam ergo suam iactitant, quâ Deus, quâ & Christus vsus est: & ego linguâ donatus Hebræâ. Sed ne dicant, me sermone duntaxat Hebræum esse non genere: & ego sum ex Israële: porrò & ex semine Abrahæ ex stirpis origine, ex principe generis. [Quantum igitur ad nationem & linguam, dicit Apostolus, (Aquinate interprete) Hebræi sunt, & ego: scilicet linguâ & natione; quasi dicat, ita sicut & illi.

Actuum c. 22.

Aquin. lect. 5.

Tum adæquat se eis quantum ad genus, dicens Israelitæ sunt, & ego. Et quia dicebant se esse participes promissionis Abrahæ, cum essent de semine eius, addit, Semen Abrahæ sunt & ego. Et de istis tribus dicitur Philipp. 3. Si quis alius sibi confidere videtur, ego magis.]

DISQVISITIO SECVNDA.

De gloria.

AVdis Paulum iurare passim, audis & affatim laudare seipsum. Credin' ergo næuos esse militi glorioso insolitos? Imò scito titulos esse nobili Apostolo concreditos. [Est solertia certa, ait Sapiens, & ipsa iniqua. Et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo: & est qui se nimium submittit à multâ humilitate: & est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre quod ignoratum est.] Delinquitur ergo per adulterinam humilitatem, velut per humanam vanitatem: & proficitur per veram sinceritatem, velut per diuinam veritatem. Nonnulli ieiunant, sed per intemperantiam: alij humiliant se, sed per superbiam: fastum calcant, sed maiori fastu; superbum damnant, sed tumidiori affectu insolentiorique. [Ecce, inquit Tertullianus, lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros aliâ superbiâ deculcat.] Id est, superbiæ dæmonem & arrogantiæ, per alium non minùs infestum, imò tetriorem proculcat improbioremque. Malo Apostolum Paulum sese commendantem, quàm pseudapostolum humiliantem se: amo excelsum illius animum; damno abiectum istius genium: placet mihi sancta illius superbia, displicet mihi stulta istius modestia. Scio Christum verè humillimum, lego tamen & sanctè superbum. [In proximo, ait ille, est aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis.] Tam superbus quàm & indubitatus est: & inde triumphat, vnde superat. Ita & Sapientia. [Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ & iustitia.] Non omnis qui legitimè gloriosus est, malè superbus est; sicut nec omnis qui iustè inglorius, dignè excelsus est. Sunt ij superbi, qui sublimes; qui & humiles superant, qui gratiâ præstant ac sapientiâ: qui aliis præcellunt, & illis gloriâ fiunt illustriores ac magnificentiâ. Boni illi superbi ac laudabiles: sicut & humiles illi tam contemptibiles quàm & reprobi, qui per verbum humilitatem fingunt, & per pallium ostendunt vanitatem. Laudet se Paulus, probabitur; humiliet se pseudapostolus, reprobabitur: iste enim inanis & vanus in humiliatione suâ, ille humilis & verus in laudatione suâ comprobabitur.

Eccles. c. 19.

Tertullian. in Apol. c. 46.

Tertullian. l. de Spect. c. 30.

Prouer. c. 8.

Superbus qui gloriosus dum superat & triumphat.

Primò, dum se exaltat, humiliat; deiicit se, dum extollit. Mirus mirandusque vbique, sed heic maximè Apostolus. [Cum enim, vti dixit Chrysostomus, multis aliis nominibus Paulum quispiam suspicere atque admirari possit, tum hoc potissimum, quod cum in maximam necessitatem inciderit seipsum extollendi; vtrumque assequitur, nempe vt & hoc

Chrysost. Hom. 22.

A faciat, & tamen ex suarum laudum prædicatione nullam inuidiam sibi conflet. Id quod perdifficile sanè est, magnamque prudentiam requirit. Nam & modestiam tenet, & magnificum quiddam de se prædicat.] Se commendat Paulus, sed ita commendationem temperat, vt nescias superet-ne, commendatio an humiliatio; vt quæras an se extollat vel deprimat. [Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ. Ingressurus enim iam iamque in suas laudes, ait ille, magnâ præmunitione vtitur. Idque non semel atque iterum facit. Quanquam alioqui argumenti necessitas ad eum purgandum sufficiebat: & ea, quæ

Chrysost. Homil. 23.

B persæpè ab ipso dicta fuerant. Nam qui peccata ea, quæ Deus è memoriâ eiecerat, in memoriâ habebat, ob idque Apostoli quoque nomine indignum se esse aiebat, perspicuum vtique est, vel admodum stupidis ac vecordibus, quòd non gloriæ studio ista dicit, quæ nunc dicturus est. Etenim, vt mirum aliquid dicam, hoc ei ad gloriam plurimum incommodi afferebat, quod suas laudes ipse prædicaret. Id enim plerosque offendit. Tamen ne hoc nomine stultorum animos læderet, quòd magnificis de se sermonibus vteretur, ex abundanti multas

Qui sibi iniuriam, nulli facit inuidiam.

C hasce præmollitiones adhibuit.] Quænam muniones quæ præmollitiones? [Velim consideres, inquit, quemadmodum quoties in suas laudes ingredi parat, occupatione quadam vtatur. Alioquin velut insipientem accipite me. Stulta enim res est, inquit, gloriari.] Quis gloriæ studio teneatur, cùm sapientiæ periculo? Quis se factum insipientem fateatur, laudando se, cum præsumat potiùs quàm diffidat factum se esse sapientem laudando se, qui se aliter quàm humiliter commendat? Laudabit se pseudapostolus, sed tantâ inuidiâ, quantâ & arrogantiâ: Laudabit se Apostolus, sed tantâ præmollitione quantâ & præcautione. Quis

Chrysost. Hom. 24.

D gloriam quærat, & obiiciat sibi insipientiam? Scit Paulus humiliari, scit & exaltari; & dum sibi iniuriam, nulli facit inuidiam.

Secundò, dum ponit modum, imò modicum decerpit. Proprium superbiæ est semper ascendere, nunquam consistere: nec mensuram nouit, nec admittit regulam. [Nos autem ait Apostolus, non in immensum gloriabimur: sed secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus.] Quid in immensum? Græcè, εἰς τὰ ἄμετρα: vltrà modum, vltrà terminum: absque mensurâ & regulâ. Vnde enim superbia & arrogantia, nisi quod sursum se semper

E erigant, sibique plus iusto tribuant? Vnde & ambitio? nisi quod ambitiosi semper quærant, nec paruo contenti, in alias subinde insanias, sine fine sese efferant? Quid est ergo, Non in immensum gloriamur? Id est, vt exponit Aquinas, [Non excedimus mensuram nostram commendando nos] Paulus paulùm gloriabitur, excessum moderabitur. [Alioquin velut insipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier.] Glorianter ipsi in immensum, & inde se plurimum sapientes arbitrantur prudentesque. Me velut insipientem accipite, sed finite saltem, vt modicum glorier, vt meipsum æmuler, non tam laudando me, quam nonnihil de laude delibando, [Sic quoque,

Aquin. lect. 3. in cap. 10.

Chrysost. Hom. 24.

ait Chrysostomus, moderationem in hac re adhibuit Apostolus. Non enim dixit, Vt glorier: sed, vt modicùm glorier. Cumque paulùm gloriatus esset, rursus etiam alterâ præmollitione vsus est, dicens, Quod loquor, non secundùm Deum loquor, sed vt in insipientiâ in hac substantiâ gloriæ.] Quanta, quæ dici poterant ab Apostolo Paulo de signis, de prodigiis, de visionibus, de virtutibus? Nihil horum meminit. Quid ergo producit? quæ carnis sunt, quæ infirmitatis: quæ modica sunt, quæ minima: nullius ferè pretij, nullius meriti. [Dicit enim modicùm, ait Aquinas, quia commendauit se de gloriâ, quæ est secundùm carnem, quæ valdè modica est.] Quàm modestus, qui vbique modum ponit: quàm sobrius, qui parcitatem potius excuset, quàm nimietatem accuset? [Aut nunquid peccatum feci meipsum humilians?]

Quomodo seruanda, laudando se modestia.

Aquin. lect. 4.

Tertiò denique, dum gloriam quærit sed non suam: verùm & quodcumque laudat, quodcumque commendat, in Deum refundit, omnis boni, sicut & meriti omnis principium. Laudat se Pharisæus, & multa bona commendat; quæ videtur Deo tribuere, dum censetur illi de omnibus gratias agere. Verùm in portu naufragium facit, dum contemptu tumentem insanientemque aperit animum. [In quo quis audet, (in insipientiâ dico) audeo & ego. Audaciam videlicet & insipientiam appellat, ait Chrysostomus, magni aliquid de se prædicare, idque quamlibet etiam vrgente necessitate: quo nimirum nos doceat rem huiusmodi summopere fugere. Nam cum omnibus etiam virtutis muneribus perfuncti, inutiles tamen nos vocare debeamus, quâ tandem is veniâ dignus esse queat, qui nullâ necessariâ causâ impulsus, seipsum attollit ac iactat? Ob eã causam Pharisæus ea quoque passus est, quæ passus est, atque in portu naufragium subiit, quòd ad hunc scopulum ratem suam allisisset. Ob eam causam Paulus, etsi summâ necessitate constrictum se conspiciens, tamen refugit ac detrectat, atque identidem admonet, huiusmodi rem insipientiæ notâ non carere.] Repetit, imprimitque. [Ministri Christi sunt, (vt minus sapiens dico) plus ego.] Quid? vt minùs sapiens dico? Græcè, παραφρονῶν λαλῶ. Desipiens loquor. [Ex hypothesi nimirum, vt exponit Aquinas, quâ careret causâ commendationis, aut iusta non vrgeret instantia. Dico quòd insipienter agam, cum tamen ipse sapienter ageret, cùm hoc non faceret pro sui iactantiâ.] Si quæ verò superest insipientiæ & audaciæ suspicio, ferenda pro Deo, resque tota ac series in ipsum referenda. Iactat se Pharisæus, quia nullâ prouocatus instantiâ, se commendat. Sed qui naufragium facit in portu, mare quidem traiicit, mercesque suas ad portum vsque vehit; sed quasi emenso itinere, nullo fluctu absorptus, nullo impetu abreptus, concidit. [Quid rogauerit Deum, ait Augustinus, quære in verbis eius, nihil inuenies. Ascendit orare: noluit Deum rogare, sed se laudare. Parùm est, non Deum rogare, sed se laudare: insuper & roganti insultare.] Ita ille infit: [Deus tibi gratias ago.] Benè est. Tandem, [Velut etiam hic publicanus.] In fine

Chrysost. Hom. 25.

Pharisæus quomodo in portu naufragium passus.

Aquin lect. 5.

Augustin serm. 36 de verb. Dom. c. 2.

A deficit. Non solùm ergo iactat se, dum nulla subest commendationis causa; sed & insultat alteri, dum roganti exprobrat. Nihil ille ad Deum transmittit, nihil in eum refundit, quem potius in fratre lædit rogante: & cum diuitias aduexerit suas, totum quod acquisierat aut præsumpserat, amisit. Paulus verò, non tam se laudat, quàm illum, cuius gerit ministerium: vnde & illum in testem aduocat & iudicem, quia gloriam non quærit suam, sed Dei ac Domini. [Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quòd non mentior.]

B

DISQVISITIO TERTIA.

De nono gloriationis titulo.

QVi gloriantur, de auctoritate gloriantur, de dignitate, de sublimitate: Paulus de infirmitate, de incommodis, de periculis. [Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.] Lætabitur in tentationibus, in tribulationibus, in afflictionibus gloriabitur. Fiet infirmus infirmis, afflictus afflictis, & inde gloriam trahet non modicam. [Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?] Crede Paulo, crede Chrysostomo. [Non dixit, Non mœstitiæ sum

Chrysost. Hom. 25.

C particeps? sed perinde atque eodem ipso affectu ac morbo laborem, ita perturbor ac tumultuor. Vide rursus incredibilem quandam doloris magnitudinem, quæ quidem in hoc inflammationis titulo inest. Incendor, inquit, atque ardeo. Quod quidem maius omnibus, & grauius erat. Nec de maioribus hæc dicebat, minores autem contemnebat: verùm abiectissimum etiam quemque, quicumque is esset, inter necessarios reponebat. Vnde dicebat, Quis infirmatur? &, quemadmodum si ipse vniuersa orbis Ecclesia esset, sic in vnoquoque membro discruciabatur.] Sed vnde id? Audi.

Chrysost. ibidem.

D [Solicitudo omnium Ecclesiarum. Istud præcipuum omnium caput est, ait ille, quòd animus quoque ipsius distorquebatur, atque cogitatio distrahebatur. Nam si quispiam vnius tantùm curam gerens, seruosque & procuratores atque administratores habens, plerumque præ curarum mole ne spiritum quidem ducere potest, tametsi alioqui nemo sit, qui negotium ei facessat: cogita, quæso, quidnam hic pertulerit, qui non vnius domûs, sed vrbium, ac populorum, ac nationum, atque adeò totius orbis curam gerebat: & quidem pro tanti momenti rebus, cum tot essent à

E quidus vexabatur, ipseque solus esset, tantaque pateretur, eaque solicitudine afficeretur, vt nullus pater pro filio in tali curâ versetur. Sed ne dicas, Quid enim si solicitus quidem erat, sed vtcunque ac leuiter, subiunxit quàm acris ac vehemens ea cura esset, dicens, Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, in his quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Videsne quemadmodum nusquam ob miracula, sed ob persecutiones, & tentationes glorietur?]

Quanta fuerit in Paulo totius orbis cura.

Et hæc quidem præter illa quæ extrinsecus

Athanaſ. in Paulum.

in quibus, vt monet Athanaſ. [Maiorem tentationum partem obmiſit. quod vtique præter illa quæ extrinſecùs ſunt, inquit, prætendit. Quin potius neque ea quæ meminiſſet ſigillatim expreſſit, ſed illa recenſuit, quotum numerus facilè poteſt comprehendi. Quinquies dicens, & abundantiùs, & frequenter.] Concipe innumera laborum ac certaminum examina, quæ quanta ſint aut qualia, vix numerari poſſit, vix poſſit explicari: nam cum in nonnullis numerum notat, alia indicat eſſe ſupra numerum, ideoque plura diſſimulat quàm enumerat. Porrò etſi alicubi numerum exprimat, alicubi ſupprimat; nullibi tamen fructum exponit, aut effectum oſtendit: & modeſtiam ſeruans, & totam in Deo ſuo collocans fiduciam. [Omiſſis ergo omnibus miraculis, ait Chryſoſtomus, à tentationibus exorditur, adhunc modum loquens: In laboribus abundantiùs, in plagis ſuprà modum. Hoc enim illo maius eſt: nempe cædi ac verberibus affici. Comparationem quippe prouehit, atque oſtendit ſe, non pronuntiantem, ſed demonſtrationem eam, quæ ex rebus ipſis exiſtit, inducentem, peculiarem Apoſtolici muneris notam retinere atque conſeruare.] Verſatur Paulus in Apoſtolico miniſterio, nec inde gloriatur; ſed quòd legitimè in illo certat, quòd pro illo laborat impigrè, atque adeò nouo non poteſtatis, ſed infirmitatis; non exaltationis, ſed tentationis gloriatur titulo. Inde probandus eſt verus Apoſtolus, inde & laudandus, ſi plus omnibus laborat: non ſi plura patrarit prodigia, ſed ſi plura, pro Euangelio promouendo tolerarit incommoda.

Chryſoſt. Hom. 25.

Vnde probandus verus Apoſtolus laudanduſque

Sed quæri poteſt primò, Quomodo in mortibus frequenter, cum ſtatutum ſit omnibus hominibus ſemel mori, & Paulus ipſe ſemel tantùm ſit mortuus? Imò non ſemel mortuus, ſed plures mortes perpeſſus. [Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres.] Affirmat ſimul & iurat, vt vel iuranti credas, ſi fortè non credas affirmanti. Triplex igitur reſponſio. Prima eſt, miraculosè eum à morte ereptum: adeò vt ſecundùm ordinarium naturæ curſum deberet vitâ cedere, & ſecundùm potentiæ diuinæ effectum viueret; & ſi non à morte inflictâ, certè infligendâ reſurgeret. [Apoſtolus Ioannes, vt narrat Tertullianus, in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt.] In illo tamen ſupplicio, calicem paſſionis bibit, ignem ſuſtinuit tribulationis, & promiſſo perfunctus eſt martyrio. Nihil enim gratia gratiæ præiudicat, nec potentia diuina meritum aut præmium abiudicat patientiæ. Secunda eſt, eum ſæpè pro mortuo derelictum, humanoque extinctum iudicio. Ita in Actibus: [Superuenerunt quidam ab Antiochiâ & Iconio Iudæi: & perſuaſis turbis: lapidanteſque Paulum, traxerunt extrà ciuitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.] Tertia denique, eum mortis periculum frequenter incurriſſe, & impetum irruentem, imò & ictum ſuſtinuiſſe imminentem impendentemque. Ita apud Tertullianum: [Locales clades, & frequentiæ mortium.] Frequentes nimirum mortes, ob quotidiana aut locorum aut morborum diſcrimina: in quibus luctus vbique pauor, & plurima mortis imago.

1 Cor. c. 15.

Tertullian. lib. de præſcript. c. 36.

Quomodo Paulus pluries ſit mortuus.

Act. cap. 14.

Tertullian. c. 10. Apol.

Sic ergo quotidie moriebatur Paulus, & imago mortis ob oculos eius inceſſanter voluebatur, ob continua mortis pericula. [Dicit ergo, In mortibus frequenter: (ait Aquinas) id eſt, in periculis & terroribus mortis. Vnde dicebat ipſe Rom. 8. Mortificamur totâ die.] Perſæpè enim Paulus in pericula mortifera coniectus eſt, vno, vt ita dicam gradu, ab ipsâ morte diſtantia.

Aquin. lect. 5.

Quæri poteſt ſecundò, Quid ſint illæ quadragenæ à Iudæis ipſis inflictæ? Plagæ ſunt, aut iuxtà legem, aut infrà legem impreſſæ. [Si fuerit cauſa inter aliquos, & interpellauerint iudices: quem iuſtum eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. Sin autem eum qui peccauit, dignum viderint plagis: proſternent, coràm ſe facient verberari. Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus antè oculos tuos abeat frater tuus.] Heic tria aduertenda ſunt. Primum eſt: diſtingui grandius peccatum, quale eſt ſuperſtitionis; & leuius, quale eſt fraudis: & illud quidem morte damnari, iſtud autem flagellatione mulctari. Quamuis enim tam tam ille qui fraudem committit, quam ille qui ſuperſtitionem incurrit, dicatur impius; non æquatur crimen iuxta tenorem ſententiæ, ſed nomen iuxtà Scripturæ morem conſeruatur. [Eſt itaque leuis impietas, ait Auguſtinus, quæ verbere digna eſt: & eſt grauior, quæ morte digna eſt.] Alterum eſt, etiam in plagis adhibendis, modum fuiſſe impoſitum: minus enim luere debet, qui minus admiſit, vt pro menſurâ peccati ſit plagarum modus, creſcat ſcilicet aut decreſcat ictuum numerus. Tertium, verberationis ſeu flagellationis terminum in plagâ præfixum quadragenariâ. [Ne fœdè laceratus antè oculos tuos abeat frater tuus.] Ex quibus etiam tria elicienda ſunt: primum eſt, Paulum non inſimulatum criminis grauioris: alioqui non flagellatione plectendus fuiſſet, ſed lapidatione tollendus: ſecundum, nunquam minuiſſe de numero: ideoque nec plagarum modum iuxtà peccati menſuram impoſuiſſe: tertium, detractam vltimam ex conſuetudine potius quàm ex manſuetudine: nam quod detractum de multitudine, grauitate compenſatum eſt. [Iudæi, ait Aquinas, vt viderentur miſericordes, ſemper faciebãt citrà mandatum legis, dantes pauciores quàm quadraginta, ſecundùm quod eis videbatur. Quia ergo odio habebant Paulum, quando flagellabant eum, dimittebant ſibi de numero prædicto quantò minus poterant: ſcilicet vnam tantùm minus, dantes ſibi triginta nouem. Et hoc eſt quod quinque vicibus accepit: id eſt, recepit quadraginta plagas.] Non vt miſericordiam exercerent, ſed ne contraherent infamiam.

Deuter. c. 25

Auguſtin. l. quæſt. ſup. Exod. 45.

Iudæi volebant videri legem miſericordes videri.

Aquin. lect. 5.

Quæri poteſt tertiò, Quomodo Paulus die ac nocte in profundò maris fuerit? Nonnulli Cyzicenum carcerem commentati ſunt; qui ex eo quod eſſet profundiſſimus, profundum maris dictus eſt: cui aliquâ ex parte comparandus qui Athenis teterrimus erat carcer, Barathrum appellatus. De iſtis carceribus, fides ſit penes auctores: ſed quale eſt, vt Paulus qui

Videſis Bar. Tom. 1. An. 58.

iam de carceribus Abundantiùs dixerat iterum ad carceres redeat? Quale est, vt qui iam grauiora proposuerat flagellationis, lapidationis, ac frequentis mortis pericula, per diurnam incarcerationem absoluat, pœnam breuem, & omnium leuissimam? Quale est, vt post ternum naufragium, diuertat ad aliud profundum maris, & iam in dubium adducat naufragium? Adde primò in Græcis non haberi, [In profundo maris.] Sed simpliciter, [In profundo.] Adde secundò, nullam prorsus aut in Epistolis, aut in Actibus Cyzici mentionem fieri. Adde tertiò, id & ansam iis præbere, qui fingunt Paulum non tam in profundo mersum, quàm in puteo quodam, cui nomen Bythos, absconditum. Itaque aut simpliciter accipiendum est, quod Paulus narrat historicè; aut si subtiliter coniiciendum est, idem fieri potest in iis quæ perspicuè commemorat. [Quidam ergo, ait Chrysostomus, id ita accipiunt, quod in medio mari fuerit: quod quidem ad similitudinem veri accedit. Nam aliud ne admiratione quidem dignum est: neque ita positum fuisset, tanquam naufragio maius.] Non solùm ergo ter naufragium passus est Apostolus sed & vndis abreptus absorptusque: adeò vt noctem & diem in profundo maris fuerit: sed sicut Damasci charitate fraternâ, sic & in mari, ope diuinâ liberatus sit. [Pericula sunt mortis illata. (ait Aquinas) Primò, ex numero: Quia ter naufragium feci, id est pertuli. Secundò, ex continuitate, quia, Nocte, & die in profundo maris fui, quod est grauius: quia ad litteram dicit, quòd cum pluries passus sit naufragium, tamen semel stetit sub aquâ per diem, & noctem, diuinâ eum protegente virtute. Vnde poterat dicere illud Ionæ 2. Et proiecisti me in profundum in corde maris: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. Circumdederunt me aquæ vsque ad animam: & subleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.] Nam sicut Ionas vitæ redditus, sic & Paulus diuinâ virtute ereptus est.

Chrysost. Hom. 25.

Aquin. lect. 6.

Paulus ad instar Ionæ ex vndis marinis ereptus.

TROPOLOGIA.

Et sic effugi manus eius.

FVgit ergo persecutionem fidelis Christi minister, aciem generosus miles deserit. Non fugit, sed effugit; non deserit, sed occurrit. Primò igitur sciendum est, certamen fieri posse etiam effugiendo: secundò, discrimen vitari debere, acquiescendo: tertiò. fugam illam non tam timiditatis esse, quàm fortitudinis, nedum charitatis.

Quoad primum. Narrat Paulus non solùm pericula sua, sed & certamina: vt probet se non solùm assiduè laborasse, sed & strenuè decertasse. [Vide Paulum Apostolum, ait Augustinus, quid patiebatur. Vide quis quid patiebatur. Præter illa, inquit? quæ extrinsecus sunt. Dixit enim multa quæ patiebatur, & cœpit dicere interiora, præter illa quæ extrinsecùs erant: quæ patiebatur à malis persecutoribus Christi: Incursus in me quotidianus, solicitudo omnium Ecclesiarum. Et vide qualis solicitudo: quàm paterna, quàm materna. Videte quomodo cædebatur, vt vindicaretur in omnes affectiones eius. Dicamus affectiones eius, in quas vindicabat Deus. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Quanto maior charitas, tanto maiores plagæ de peccatis alienis.]

Augustin. Enarrat. in Psal. 98 ver. fin.

Non solùm proponit pericula sua turmatim, sed & sigillatim exponit: verùm quot pericula sunt, tot sunt incommoda [In itineribus sæpè, periculis latronum, periculis fluminum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.] Et in his, teste Chrysost. [Plura prætermissa, quàm enumerata sunt. Imò ne ea quidem, quæ enumerando recensuit, qualia sint, verbis explicari potest. Neque enim omnia speciatim posuit: verùm illa demum commemorauit, quorum exiguus, atque eiusmodi, qui facile percipi posset, numerus erat, ter & ter dicens, & semel: alia autem non item quòd videlicet ea sæpenumerò pertulisset. Nam & Iudæi bellum ipsi inferebant, & Gentiles aduersùs eum in procinctu stabant, & falsi fratres cum eo luctabantur, & fratres infirmitate laborantes ac scandalum patientes m[...]rore ipsum afficiebant. Vndique ipsi tumultus & perturbatio erat, à suis, ab alienis. Iudæi enim suprà omnes eum bello lacessebant, propterea quòd præ cæteris omnibus eos confunderet, maximumque furoris eorum atque amentiæ argumentum præberet, quòd tam subitò ab iis ad Christum sese transtulisset. Tumultus, commotiones, populorum oppugnationes, vrbium impetus. Ingens aduersùs eum bellum, tum à suis, tum ab alienis, tum ab hypocritis excitabatur: fluctusque vbique & præcipitia erant, in habitabili orbe, in desertis locis, in terrâ, in mari, intus, foris: intestinum bellum, densique, atque aliis alij superiecti fluctus, curarum agmina, cogitationum conflictus. Ac ne necessarius quidem cibus ipsi suppetebat, nec quamlibet tenue indumentum: verùm ille. Orbis terrarum pugil nudus dimicabat, & fame oppressus decertabat. Hæc nimirum Apostolici muneris nota est. Per hæc texitur Euangelium] Quid ergo post tanta certamina, imbellem producet fugam, & in finem, non tam gloriam colliget, quàm ignominiam? [Perspice itaque, ait ille, quanta belli vis esset, quippe cum ob ipsum ciuitatem præsidio cinctam teneret. Porrò cum bellum dico, Pauli zelum dico. Nam nisi acer ipse ac vehemens extitisset, non vtique tanto furore præfectum incendisset. Hæc sunt animi Apostolici, nimirum tot aduersa pati, nec tamen vsquam subuerti; sed forti ac generoso animo ea, quæ accidunt, perferre: non autem periculis obuiam ire, nec in ea insilire. Vide ergo quemadmodum hîc obsidionem effugere sustinuerit; per murum demissus in sportâ. Quanquam enim ex hac vitâ discedere cupiebat: at hominum tamen salutem expetebat,

Chrysost. Hom. 25.

Quot & quanti aduersarij in Paulum erecti.

Chrysost. ibidem.

bat. Vnde etiam sæpè eadem moliebatur, vt se prædicationi seruaret. Ac ne humanis quidem artibus, cum tempus ita postularet, vti recusabat. Vsque adeò prudens ac vigilans erat.] Bellum non solùm arduâ virtute, sed & arte tractatur humanâ, prælium non solùm telis, sed & clypeis; non solùm machinis, sed & prudentiâ instauratur ac vigilantiâ. Extincto duce, bellum consumptum est; seposito, spes manet victoriæ: ita species pugnæ est, prudenter secedere, & spem gloriæ semper alere.

Quoad secundum. Paulus solus petebatur ad necem immeritam, nec vllam populus Christianus secessu Pauli perniciem patiebatur, imò excessu Pauli cladē patiebatur penè irreparabilem: quidni igitur precibus fratrum acquiescat secedendo, imò quidni vtilitatibus eorum consulat, non tam retrocedendo, quam cedendo? Tria requisiui: quorum primum est; vt pastor solus seu priuatim ad necem petatur, nam si totus grex impetatur, si persecutionem patiatur Ecclesia: non debet pastor fugere in discrimine ouium, & Ecclesiam deserere, tantis expositam periculis. Alterum est, vt nihil detrimenti plebs incurrat in absentiâ pastoris, nam si viderit lupum venientem rapientemque, & fugerit ouesque dimiserit, mercenarius est, nomine pastoris indignus: cum pastor Ecclesiam defendere debeat, & animam pro ouibus suis ponere. Tertium denique, vt non tam deserat gregem, quàm secedat ad salutem: cedendo nimirum importunitati, & se vtilitati seruando: ne non, rogatus, scandalum potius relinquat quàm promittat solatium; ne, sui tantùm studiosus sollicitusque, hominis potius negotium, quàm pastoris agat officium. Quem petebant Iudæi? Paulum Apostolum. Quò petebant? ad necem. Cur ad necem? vt scintillam extinguerent fidei, cum tamen & alij remanerent qui doctrinam munirent fidei. [Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in vnum Iudæi vt eum interficerent. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum submittentes in sportâ.] Factum audimus, requiramus mysterium. [Ille Deus tam reuerendus, (verba Aquinatis) tam diligendus, tam timendus, scit quòd non mentior: scilicet in his quæ dixi, & dicturus sum. Nam præpositus qui Damasci sub Aretha rege, genti Damascenorum præerat, custodiri faciebat ciuitatem, inductus à Iudæis: vt me nimirum comprehenderet, & comprehensum assignaret Iudæis, ne amplius prædicarem: sed ego effugi manus eius. Aliquando igitur quæritur persona prælati tantùm, aliquando cum prælato totus populus. Quando ergo quæritur prælatus solus, tunc debet committere curam alteri, & absentare se. Et sic fecit Paulus. Quando verò quæritur totus grex, tunc debet præponere vtilitatem & salutem gregis saluti corporis sui. Sed fugit Paulus pericula, vt præseruaretur ad maiora: nec defuit ei cura de ouibus, eas commendando, & vtilitati earum se, per fugam

Tria sunt ad fugam pastoris necessaria.

Act. cap. 9.

Aquin. lect. 4.

A præseruando.] Aliud est oues relinquere corporis absentiâ, aliud relinquere sedulitatis incuriâ: illud nunquam debet, illud debet nonnunquam. [Nam, (ita loquitur Cyprianus) sicut Domini mandata instruunt, cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inuerecundam præsentiam nostram, seditio, quæ cœperat, plus prouocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quo minus secundùm Domini præcepta, fratribus nostris, in quibus possem, meâ mediocritate consulerem, quantum secundùm
B legem fidei & timorem Dei Domino suggerente, nostra mediocritas potuit niti. Et quid egerim, loquuntur vobis epistolæ pro temporibus missæ, in quibus allocutio & persuasio nostra non defuit.]

Cyprian. l. 3. epist. 5.

Quoad tertium. Multum est dicere fugam istam charitati potius imputandam quàm timiditati: nec tamen satis est: asserendum enim non tam formidinis esse quàm fortitudinis. [Nunquid, ait Augustinus, quando Paulus Apostolus, ne illum comprehenderet inimicus per fenestram in sportâ submissus est, & effugit manus eius, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat, impletum
C est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, vt seipsum seruaret Ecclesiæ, quem propriè persecutor ille quærebat.] Non fugit ille, sed secessit, nec timiditati concessit, sed importunitati: non seipsum seruauit sibi, sed toti Ecclesiæ: dissolui enim optauit, & instanti potius iniuriæ cedere quàm deformi fugæ: mortem non timuit, imò & mori voluit: sed substitit, constititque discedere potius quàm excedere; permanere potius in vitâ ad salutem alienam, quàm ad propriam vtilitatem gaudere gloriâ. Virum fortem censent Stoïci, si munus vitæ in fortunæ faciem impegerit, qui mortem sibi consciuerit: & non vident imbellem
D esse & ignauum, qui vitam non ferat aut fortunam, qui stationem deserat, & fugiat in perniciem: certè humano illi errore decepti sunt, imò & improuido timore victi, ne dicam & furore abrepti diabolico. Sed sicut timiditatis vitium est vitam abrumpere, sic & charitatis imò & fortitudinis vitam retinere, & eam ad diuinam gloriam impendere. [Qui enim in hac re non falluntur errore, (ita ex Augustino) contrà suum timorem Domino miserante atque adiuuante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione grauiora, quæ multò amplius
E sunt tremenda, contingant. Fit autem hoc vbi Dei charitas flagrat, non vbi mundi cupiditas fumat. Charitas enim dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Itaque & Apostolus Paulus persecutoris principis illius insidias non fugisset, nisi se aliis quibus necessarius erat, seruare voluisset. Propter quod ait: Compellor autem ex duobus concupiscentiam habens dissolui & esse cum Christo magis optimum, manere in carne necessarium propter vos. Denique sanctus Dauid, ne se committeret periculis præliorum & fortassis extingueretur, sicut ibi dictum est,

Augustin. ep. 180. post init.

Augustin. eadem epist.

Lucerna Israël, à suis hoc petentibus sumpsit, non ipse præsumpsit: quando enim est commune periculum, magisque timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam viuendi prosit officio, nullâ ratione faciendum est.] Sciunt igitur Christiani, sciunt sancti, non solùm charitatis esse, sed & fortitudinis, nonnunquam vitâ cedere, nonnunquam in vitâ permanere: sicut enim illius aggredi est, sic & regredi: sicut illius procedere, sic & secundùm regulam prudentiæ & personæ exigentiâ, secedere. Pugnatur insequendo, pugnatur fugiendo: non ergo tam fuga quàm pugna est, nec tam cessio quàm cautio. [Si enim, vti dixit Gregorius, obuiare hostibus, si vltrò pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursu nostri feruoris debemus, quid est quòd Paulus prædicator egregius, qui tanto impetu contrà cuneos aduersantes irruebat, nisi eum per amicos & discipulos charitatis frena tenuissent, de seipso fatetur, dicens, Effugi? Quid est quod eques iste modo sponte armatos cuneos impetit, & modò se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit? nisi hoc quòd necesse est in eius artificiosâ virtute discamus aduersariorum pugnam & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare. Necesse quippe est vt per omne quod agimus, in mentis trutinâ positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus: & cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxiè declinet: dummodò se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Vnde prædicator sanctus cùm Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit aduersitati confligere: quia & semetipsum quem profuturum multis nouerat, vidit posse deficere, & aut nullis se ibi aut paucis prodesse.] Sic multi antistites, non minùs fortes quàm sancti, Athanasius, Cyprianus, aliique, honestam arripuerunt fugam, nec vllâ gloriæ suæ maculam reliquerunt.

Gregorius. l. 31. Moral. c. 14.

Qui se cauendo subducit, nullâ fugiendo incurrit maculam.

ANAGOGIA.

Transfigurantes se in Apostolos Christi.

Triplex ergo genus Apostolorum Christi. Primum est eorum qui se dicunt, & non sunt: alterum, eorum qui sunt, nec se dicunt: tertium, eorum qui se tam factis demonstrant, quàm verbis affirmant.

Quoad 1. Se iactabant illi Apostolos Christi, nec tamen erant; quià licet Euangelium annuntiarent Christumque prædicarent; nec à Christo tamen missi, nec prædicando addicti Euangelio; ideoque vmbrâ solâ, solâ figurâ, tamque falso nomine, quàm nullo iure Apostoli. Tria proposui, quorum primum est, annuntiasse Euangelium, Christum prædicasse: non enim auderent se Apostolos Christi dicere, nisi Christum prædicarent; nec Christi ministros se præsumerent inscribere, nisi annuntiarent Euangelium. [Ministri Christi sunt: plus ego.] Nec sineret Apostolus eos prædicare, certare crederet; nec haberet vt Christianos, sed vt ethnicos & publicanos, si à fide ac reli-

A gione sciret alienos. [Si ergo pseudapostolos dicit operarios dolosos, ait Tertullianus, transfiguratores sui, per hypocrysin scilicet, conuersationis non prædicationis adulteratæ reos taxat. Adeò de disciplinâ, non de diuinitate diffidebatur.] Eundem sanè Deum prædicabant eundem annuntiabant Christum: sed Iudaïcam permiscebant disciplinam, instituta interserebant legalia. Alterum est, nec à Christo missos, imò nec ab ipsis Apostolis, ideoque nec prædicando addictos Euangelio. Quod non à Christo: nam eiusmodi magistri sunt pseudapostoli, Paulo Apostolo, & à Christo

Tertullian. l. 5 aduers. Mar. c. 11.

B vocato legatoque contrarij. Quod nec ab ipsis Apostolis: nam eiusmodi se ingerebant, currebantque ipsi à nullo missi Apostolo. [Quidam ex nobis exeuntes, quibus non mandauimus, turbauerunt vos verbis.] Quod illi nec Christo, nec prædicando addicti Euangelio: nam operarij dolosi sunt, nec tam fidei quàm ventri seruiunt. [Quid ais? (inquit Chrysostomus) Qui Christum prædicant, qui Euangelium aliud non inducunt, pseudapostoli sunt? Maximè, inquit. Atque hoc præsertim nomine, quòd hæc omnia ficto animo faciunt, vt fallant. Quoniam enim exploratum habent, se non

Act c. 15.

Chrysost. Hom. 24.

C aliter gratos acceptosque fore, veritatis laruâ assumptâ, ita demum imposturæ fabulam agunt.] Operarij tam mali quàm subdoli. Tertium denique, illos tam falso nomine, quàm nullo iure Apostolos. Si enim pseudapostoli sunt, falsi sunt; si falsi, nulli sunt. [Et inde hos insectatur Apostolus, dicens, Transfigurantes se in Apostolos Christi. Larua tantùm, ait *ille*, ac pellis ouis ipsis inest. Et non mirum. Si enim Satanas transfigurat se in angelum lucis, non magnum est si ministri eius transformantur velut ministri iustitiæ. Itaque, si quid admirari

Chrysost. ibidem.

D oportet, hoc demum est quod admirari oportet: non autem quod isti agunt. Nam cum eorum magister nihil non audeat, ac moliatur, nihil mirum discipulos quoque ipsius exemplum sequi. Quanam ergo ratione eos agnoscemus? Ab ipsorum operibus, quemadmodum à Christo dictum est. Ob idque Paulus, & sua rectè facta, & illorum vitia inter se conferre cogitur: vt ex comparatione, falsi atque adulterini perspicui fiant.] Quantum distat inter angelum bonum & malum? quantum inter lucem & tenebras: ille enim totus lucidus est, iste totus tenebrosus: si ergo satanas se transfigurat in an-

E gelum lucis, nonnulla bona malè suggerendo; quanto magis minister eius simulat sibi creditum iustitiæ annuntiandæ ministerium? Sed sicut malus angelus nusquam esse potest bonus, ita pseudapostolus nusquam esse potest Apostolus: si enim diaboli minister est, quomodo minister est Christi? Sed minister Christi est prædicatione, minister diaboli conuersatione: laruam circumferunt isti ac figuram ministerij sancti, vitam ac disciplinam deserunt: claue præditi scientiæ, virtute destituti sapientiæ.

Pseudapostoli ministri Christi prædicatione, diaboli conuersatione.

Quoad 2. Illi verè sunt, nec se dicunt, qui Christum annuntiant sincerè; qui Euangelium prædicant bonâ voluntate, id est, verâ charitate nullâ cupiditate. [Ite angeli veloces, ait Isaïas, ad gentem conuulsam, & dilaceratam; ad populum terribilem, postquem non est alius;

Isaïæ c. 18.

ad gentem expectantem & conculcatã.] Vnum est in Apostolico ministerio quod placeat, alterum quod deterreat: quod placet, amor dignitatis & honoris: quod deterret, timor mortis ac difficultatis. Ite angeli veloces. Quid angeli? nuntij. [Quàm pulcri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem.] Nempe, vt docet Tertullianus: [Creator Euangelium repromisit, dicens per Esaiam, Ascende in montem excelsum, qui Euangelizas Sioni; extolle vocem in valentiâ tuâ, qui Euangelizas Hierusalem. Item ad Apostolorum personam, Quàm tempestiui pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona: vtique & nationibus Euangelizantium; quoniam &, In nomine eius, inquit, nationes sperabunt, Christi scilicet, cui ait, Posui te in lucem nationum.] Tam Angeli Apostoli sunt, quàm Apostoli sunt angeli: vtrique enim in ministerium missi, vtrique ad annuntiandum gaudium magnũ, seu ad Euangelizandũ electi. Primi prædicauerunt Angeli, tanquã Apostoli; secundi Euangelizauerunt Apostoli tanquã angeli: vtrique veri, vtrique admittendi. Inde, vt & ille admonet: [Lucet sensus eius, qui suam præmisit personam: Sed & si nos, aut angelus de cœlo, aliter Euangelizauerit. Verbi enim gratiâ dictum est. Ceterùm, si nec ipse aliter Euangelizaturus, vtique nec Angelus.] Ite igitur Angeli, ite Apostoli, & viri Apostolici. Ite Angeli veloces, & vt nubes volate. Cur ita? quia ad gentem expectantem & conculcatam. Inde, Quàm tempestiui: seu, vt scitè licet indiscretè ex Græco legit Tertullianus: Quàm maturi pedes Euangelizantium bona! Quot, qui expectant, bello pressi intestino; oppressi, conculcati, præfocatique à diabolo? Ite velociter; ardenter concurrite. Ite ad gentem expectantem & conculcatam. Ad gentem expectantem. Ex Hebræo. [Ad gentem lineæ, lineæ. Kau, Kau.] Ite vsque ad lineam, ipsam etiam pertransite: quia multi adhuc gemunt sub dæmonum tyrannide, multi sub pondere degunt peccatorum. Itis tempestiuè, maturè contenditis. Ite angeli veloces, ite nobiles Apostoli. Sed scitote vos ire ad gentem conuulsam ac dilaceratam, ideoque nec inde optandas dignitates aut opes expectandas: scitote vos ire ad populum terribilem, post quem non est alius; ideoque mortem non timendam, nec verendam sæuitiem. Ministerium suscipitis Apostolicum, & illo tenditis, in quo nondum prædicatum est Euangelium. Quid vobis cum cupiditate illorum, qui pietatem lucrum putant, & fidem in proprium prædicant commodum? Quid vobis cum timiditate eorum, qui vitam veritati præferunt, & morti submittunt conscientiam? Quid vobis cum grandibus illis ciuitatibus, cum ciuilibus illis gentibus: in quibus lucri plurimùm, parùm periculi? Ite ad gentes tam pauperes quàm & feroces: ex quibus nihil expectandum, nisi quod timetur; nihil reportandum, nisi quod horretur. Nusquam Christum annuntiabitis, nisi vbi applausus & luxus est? Nusquam Euangelium seminabitis, nisi vbi reditus & sumptus est? primum vanitatis est, alterum cupiditatis.

Isaiæ c. 52.

Tertullian. lib. 5. adu. Mar. cap. 2.

Angeli Apostoli sunt & Apostoli sunt angeli

A Neutram admisit Apostolus; vtramque proscripsit Christus, tamque vanitatem per charitatem exclusit quàm cupiditatem. [Ecce enim, ait Gregorius, binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit: quatenus hoc nobis innuat, quia qui charitatem ergà alterum non habet prædicationis officium suscipere nullatenus debet.] Qui tali spiritu aguntur, seu spirituali ducuntur affectu, verè sunt Apostoli, licet non se iactent tales; qui absimili ducuntur affectu, certè non sunt Apostoli, licet se tales iactitẽt: aut si sunt, mei nõ sunt, quia nec Christi.

Gregorius Hom. 17. in Euang.

Quoad 3. Veri Apostoli, & Apostolici viri, se veros factis demonstrant Apostolos, nedum verbis affirmant. Duo sunt Apostoli magni, imò maximi: Petrus & Paulus: & quod dicitur de illo, in isto perficitur. Vnum promittitur Petro, alterum præcipitur. Quod promittitur, Portas inferi non præualituras aduersùs soliditatem fidei, nec vndas aduersùs nauem Petri. Minus tamen dicitur quàm promittitur: nam non solùm totus non superabit Petrum mundus, sed totum mundum Petrus superabit. [Hæc est luculenta Pauli victoria: ait Chrysostomus: hoc Ecclesiæ trophæum: sic diabolus sternitur ac profligatur. Quo enim maiora pericula illi diabolus creabat, eo magis vincebatur. Neque enim vnum tentationis genus, sed varia ac multiplicia comparabat. Alia enim laborem, alia mœrorem, alia metum, alia dolorem, alia curam, alia infamiam, alia hæc cuncta simul afferebant. Et tamen in omnibus superabat. Ac quemadmodum si miles vnus, ab vniuerso terrarum orbe bello impetitus, inter medios hostium cuneos versetur, nec quicquam aduersi patiatur; sic etiam Paulus solus inter Barbaros, inter Gentiles, vbique terrarum, atque in omnibus maris partibus apparens, inuitus manebat: torrentis instar omnia peragrans, atque obstacula subruens: ac velut vnus & idem athleta luctans, currens, & pugnis certans, aut vt miles muros oppugnans, pedestrem vel naualem pugnam iniens, sic ipse quoque omne certaminis genus obibat; vno corpore terram vniuersam comprehendebat, vnâ linguâ omnes fundebat ac fugabat.] Hoc signũ accepit Hieremias Propheta, quo & efficaciam promissionis, & numinis sensit præsentiam. [Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersùm te, & non præualebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.] Quod præcipitur Petro, Vt occidat & manducet: non tam subuertat quàm conuertat, non tam euellat quàm plantet, non tam destruat quàm ædificet. [Sacrilegam quippe societatem, vti dixit Augustinus, Dominus Christus illo igne comburit, de quo in Euangelio dicit, Ignem veni mittere in terram: dum in eum credunt gentes, & igne virtutis eius diabolica in eis forma soluitur. Totum illud corpus vituli aurei comminuitur: id est, ab illâ malæ conspirationis conflatione discissum, verbo veritatis humiliatur: & comminutum in aquam mittitur, vt eos Israelitæ, id est Euangelij prædicatores, ex baptismo in sua

B

C

D

E

Chrysost. in Moral. Homil. 25.

Hierem. cap. 1.


Augustin. l. 22. cont. Faust. cap. 93.

Vitulus aureus mactatur vt bibatur.

membra, hoc est in corpus Dominicum transferant. Quorum Israëlitarum Petro de ipsis gentibus dictum est, Macta & manduca: si macta & manduca: quare non etiam, Comede & bibe?] In bellis externis, mortes frequentes, ruinæ continuæ; in quibus resurrectio nulla est, nulla reparatio: heic verò moriuntur vt resurgant, vt viuant occiduntur. [Sic consideres velim. (ait Chrysostomus) Naufragium quippe subiit Paulus, vt orbis terrarum naufragium sedaret ac comprimeret; quidlibet patiens, vt aliorum mala solueret. Noctem & diem in imis maris gurgitibus egit, vt homines ex profundo maris extraheret. In labore versatus est, vt laborantes reficeret ac recrearet. Plagas sustinuit, vt iis, quibus diabolus vulnera intulerat mederetur. In carcere commoratus est, vt eos, qui in vinculis ac tenebris sedebant, in lucem educeret. In mortibus frequenter, vt acerbis mortibus liberaret. Atque vt scintilla aliqua in stipulam incidens, in naturam suam vertit ea quæ vruntur: ad eundem hic quoque modum inuadens, omnes ad veritatem traducebat.] Ita mortificabat & viuificabat, deducens ad inferos ac reducens; diligens homines, errores interficiens: impietatem euertens, & ad veritatem transferens.

Chrysost. in Moral. Homil. 15.

A



CAPVT DVODECIMVM.


Epigraphe.

Ampliat gloriam suam Apostolus, tandemque excusat licentiam. Erunt igitur capitis sectiones duæ: vna de ampliatione, de excusatione altera.

SECTIO PRIMA.

De Ampliatione.

TEXTVS.



SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo antè annos quattuordecim, (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem, (siue in corpore, siue extrà corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet suprà id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum.

EXEGESIS LITTERALIS.

Dicit hinc se beneficio reuelationis attolli, illinc deprimi stimulo carnis: additque se propriis potius infirmitatibus, quam Dominicis visionibus gloriari.

[Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini, &c.] Intermittit ea quæ infirmitatis sunt, & accedit ad ea quæ sunt dignitatis. Ideò, [Si gloriari oportet. Si gloriandum esset, in eo sanè esset gloriandum: sed nec in eo gloriandum est: commemorare enim visiones, aut enarrare reuelationes Domini, si non habet causam, olet iactantiam. Textus Ambrosianus [Si gloriari oportet, non expedit mihi.] Qui humilitatem profiteor, qui auersor vanitatem. [Quia enim, ait Chrysostomus, ad alterum gloriationis genus migraturus est, idcircò ait, Gloriari quidem non expedit mihi.] Sic ferè sonant Græca, sed nostra minimè dissonant.

Chrysost. Hom. 26.

[Scio hominem in Christo antè annos quattuordecim, (siue in corpore nescio, siue extrà corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum &c.] De se vtique loqui necesse est, aut temerè gloriari. Ait ergo se probè nouisse quendam Christianum fidelem-que, raptum ante annos quattuordecim vsque ad supremum cœlum; sed nescire se, an ille in corpore, siue extra corpus fuerit; remque cognitionem ve Deo committere, vtpote omnium conscio. [Et scio huiusmodi hominem, (siue in corpore, siue extrà corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, &c.] Loquor quod scio, fateor quod nescio. Scio ergo talem hominem raptum fuisse in paradisum, & audisse ineffabilia verba, ideoque humanis verbis inenarrabilia. Sed siue ille in corpore fuerit, siue extrà corpus: fateor ingenuè, non probè scio. [Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis, &c.] Assumpsit igitur personam, sed nunc eam dimittit. Pro huiusmodi quidem homine quasi gloriæ ac felicitatis compote, liberè gloriabor: pro me autem miseriæ adhuc ac mortalitatis consorte, non gloriabor, nisi in afflictionibus meis, in continuis persecutionibus. [Sic, inquit Comment. Ambros. de se non gloriatur, dum non apertè de se profitetur. In infirmitatibus sanè, inquit, meis gloriabor. Exponere enim pressuras passionum, & infirmitates angustiarum, non videtur gloriosum, sed flebile. Idcircò se in his gloriari dicit, sciens tamen quia ad profectum perducunt remunerationum cœlestium. Quid enim tam gloriosum in futurum Christiano, quàm exitia pro Christo sibi illata narrare?]

Cur de passionibus potius quam de visionibus gloriatus sit Apostolus.

Comment. Ambros.

[Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis existimet suprà id quod videt in me, aut aliquid audit ex me, &c.] Non gloriabor nisi in tribulationibus meis: tamen & si voluero gloriari in diuinis reuelationibus, reuera non desipiam, veritatem enim dicam, post indictam

A narrandi gloriandique necessitatem. Verùm abstineo à recen endis arcanis, ne quis mihi plus tribuat, quàm quod ex operibus meis, aut ex meis colligat sermonibus. [Eam præcipuè ob causam Paulus obticebat, ait Athanas. ne eum homines in Deum referrent: eoque perpetuo de seipso silentio vtebatur. Et si quando dicere quidpiam cogebatur, obscurè tamen & adumbratè verba iactabat, ne maius aliquid de se homines opinarentur.] Nam si Melitenses, [Dicebant eum esse Deum.] Si Lystrenses, ei tanquam Deo, immolare parabant, quid fecissent, si tanta miracula vidissent, vel audissent oracula. [Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.

Athanas. in Paulum.

Act. cap 28.

B Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur, &c.] Et ne fortè reuelationum magnitudine erigar in superbiam, datus est mihi impactusque stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me deprimat reprimatque ne extollar in insolentiam. Super hac molestiâ ter Christum rogaui, vt iuberet eum absistere: sed responsum accepi à Domino, dicente, Sufficit ad malum peruincendum beneuolentia mea, quâ tibi conferenda est victoria: nam potentia mea, Græcè δύναμις, maximè in infirmitate ac humilitate non agnoscitur tantùm, sed & perficitur. [Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis,

Tunc virtutem accipit, cum agnoscis infirmitatem,

C vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum.] Si virtus Christi perficitur in infirmitatibus, libet potius in infirmitatibus meis gloriari, (si gloriandum est) quàm magnificis æstimari reuelationibus: & ita lubet, vt immoretur in me virtus Christi Domini, magis magisque confirmetur. Cum enim tentationes adeò cum gratiâ diuinâ sint vtiles, placeo mihi in infirmitatibus meis, nimirum in contume-

D liis, in persecutionibus, in angustiis seu necessitatibus, pro Christo meo toleratis: nam cum illis subiicior, imbecillis quidem infirmitate meâ, sed diuinâ virtute fortis efficior. [Tunc vincit Christianus, ait Ambros. cum perdere putatur: & tunc perdit perfidia, cum se vicisse gratulatur. Plaudit ergo, cum illi insultatur; & surgit, cum premitur: tuncque gloriandum docet, quando iniuriis humiliatur: à Christo enim virtus tolerandi præbetur plusque addit medicina Christi ad salutem, quàm infirmitas detrahit sanitati.]

Ambros. in Paulum.

E PAVLVS RAPTVS IN TERTIVM cœlum.

Raptus est Paulus, aut nullus alius: palàm quippe se aperit, cum addit: [Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ.] Igitur tam Pauli est sublimitas, quàm & infirmitas: sed vtraque non referenda tantùm sed & conferenda. Sit ergo

PRIMA COLLATIO.

De sublimitate.

MAgnitudinem dixit, non multitudinem, ideoque sublimitatem intelligit: quanquam enim multas alias insignes ac præclaras reuelationes habuerit Apostolus, vt patet & heic de facto sibi responso à Christo Domino: & alibi: [Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.] Istius tamen meminit solius, vt sublimioris illustriorisque reuelationis: [Quam, (vt loquar ex Hieronymo) per partes volumus explanare, ne simul proposita atque differta, lectoris confundat memoriam.] Plures igitur erunt partes: quarum sit

Act. c. 27.

Hieronym: in c. 11. Isaię.

PARS PRIMA.

De visione ac reuelatione.

SEponit tantisper infirmitatem, & venit ad sublimitatem. [Si gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones, & reuelationes Domini.] Seu, vt ex Græco: [Veniam enim ad visiones & reuelationes Domini.] Possum quidem gloriari de infirmitatibus humanis, cum sint Pauli: at quomodo possum gloriari de diuinis visionibus ac reuelationibus cum sint Domini? Non oportet, quia nec decet: vnde enim visiones ac reuelationes, & à quo datæ? Ita lectio referenda. Sed iam visio cum reuelatione conferenda est, aut reuelatio cum visione.

Statuendum est igitur primò, tam visionem, quàm & reuelationẽ fieri posse à dæmone: cur enim Paulus distinguit visiones & reuelationes Domini, nisi quia innuit esse visiones ac reuelationes diaboli? [Nec hæc sola species erit, ait Tertullianus, summarum prædicatrix potestatum, sed & periculorũ & exitiorum; vt cũ Cæsar in prælio perduelliũ Bruti & Cassij Philippis æger, maius tamen aliàs discrimen, Attorij visione, destituto tabernaculo, euadit: vt quum Polycrati Samio filia crucem prospicit de Solis vnguine & lauacro Iouis. Reuelantur & honores & ingenia per quietem, præstantur & medelæ, producuntur & furta, conferuntur & thesauri.] Species illa, species visionis & reuelationis est, sed nocturnæ, & vtique diuinationis dæmoniacæ, cuius auctores Telmessenses, aut certè illuminatores. [Excellentes quidam in Telmeso viri, ait Tatianus, diuinationem, quæ ab insomniis fit, inuenêre.] Nempe species illa, in quâ quis, vt dixit Maro: [Sub nocte silenti, multa modis simulacra videt volitantia miris: & varias audit voces,] Verùm nec somno concluditur, nec comprehenditur termino: cum hoc genus oraculis olim stipatus orbis fuerit, & vbique vim suam resperserit. [Nam, ait Tertullianus, de oraculis etiam ceteris, apud quæ nemo dormitat, quid aliud pronuntiabimus, quàm dæmoniacam esse rationem eorum spirituum, qui iam tunc in hominibus habitauerint, vel memorias eorum affectauerint ad omnem malitiæ suæ scenam, in istâ æquè specie diuinitatem mentientes, eademque industriâ etiam per beneficia fallentes medicinarum & admonitionum, & prænuntiationum, quæ magis lædant iuuando, dum per ea quæ iuuant, ab inquisitione veræ diuinitatis abducunt, ex insinuatione falsæ. Et vtique non clausa vis est, nec sacratiorum circumscribitur terminis, vaga & peruolatica, & interim libera est. Quo nemo dubitauerit, domus quoque dæmoniis patere; nec tantùm in adytis, sed in cubiculis homines imaginibus circumuenire.]

Tertullian: l. de An. cap. 46.

Tatian. orat. ad Græc.

Tertullian. 46. de Anim.

Visiones ac reuelationes etiam ethnicis freq̃uentes.

Statuendum est secundò, tam visiones quàm reuelationes fuisse à Christo Domino. Heic enim quæstio est de ministerio Apostolico, concesso sibi à Christo, & aduersùs æmulos, seu pseudapostolos extollendo. [Ministri Christi sunt? Et ego] Aut si sine interrogatione: Demus etiam eos esse Christi ministros, sed nunquid sum ego? Imò magis ego. [Nam eiusmodi pseudapostoli sunt, operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi: & non mirũ: ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis: non est ergo magnum si ministri eius transfigurentur sicut ministri iustitiæ.] Lis ergo inter ministros Christi, & ministros diaboli, inter operarios iustitiæ, & operarios iniustitiæ: vtrimque visiones, vtrimque transfigurationes: sed in iis quæ à Christo, veritas & gratia; ab iis quæ sunt à diabolo, vanitas & fallacia. [Sunt enim, vti dixit Chrysostomus, etiam angeli tenebrarum, hi qui diaboli sunt. Ac multos diabolus ad hunc modum fefellit, dum se in angelum lucis transfigurauit.] Visibili scilicet transfiguratione, aut spiritali visione. [Et ne magnitudo reuelationum extollat me: Ter Dominum rogaui.] Quem? à quo scilicet reuelationum magnitudo. [Et dixit mihi Dominus: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.] Quis ille Dominus? Ille qui dixit, [Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.] Eius est gratia, cuius est virtus: sed tam virtus quàm gratia Christi est, militem suum confortantis, ministrum suum animantis, supplicem suum gratificantis: igitur & gratia visionum ac reuelationum à Christo collata Apostolo. [Veniam ad visiones & reuelationes Domini.] Idem, ac Christi Domini: seu tanquam ex obiecto, seu tanquam ex principio. [Vtrumque, ait Aquinas, scilicet visio & reuelatio quandoque quidem fit à Deo; quandoque verò à malo spiritu: Apostolo autem facta est, & visio & reuelatio à Domino, non à malo spiritu; quia secreta quæ vidit, plenè intellexit à Domino. Vnde dicit: Veniam autem ad visiones, & reuelationes Domini.] Non à malo spiritu, ergo à Domino: nec tertium membrum instituendum erat, quia Christus est Deus: ideoque si à Christo Domino, vtique à Deo: sed persona Christi notatur, quia de gratiâ agebatur ministerij.

Chrysost. Hom. 24.

Christus Dominus visiones ac reuelationes impertitur.

Aquin. lect. 1.

Statuendum est tertiò, plus esse reuelatio-

nem quàm visionem, & idcircò Paulum vtramque gradu suo recensuisse & ordine. [Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini.] Quasi dicat, non solùm visiones, sed & reuelationes: illæ enim vulgares sunt, istæ speciales. [Definimus enim (ita Tertullianus) à dæmoniis plurimùm incuti somnia, etsi interdum vera & gratiosa, affectantia atque captantia: quanto magis vana, & frustratoria, & turbida; ludibriosa, & immunda? A Deo autem, pollicito scilicet & gratiam Spiritûs sancti in omnem carnem, ea deputabuntur, quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, reuelatoria, ædificatoria, vocatoria; quorum liberalitas soleat & in profanos destillare, imbres etiam & soles suos pariter quante Deo iustis & iniustis. Siquidē & Nabuchodonosor diuinitùs somniat: & maior penè vis hominum ex visionibus Deum discunt.] Adeò vulgares visiones, vt etiam profanis communicatæ sint; sed reuelationes speciales, vt quæ sint sanctis reseruatæ. [Reuelatio igitur includit visionem, (vt resoluit Aquinas) & non è conuerso. Nam aliquando videntur aliqua, quorum intellectus, & significatio est occulta videnti, & tunc est visio solùm: sicut fuit visio Pharaonis, & Nabuchodonosor. Sed quando cū visione habetur significatio intellectûs eorum, quæ videntur, tunc est reuelatio. Vnde quantum ad Pharaonem, & Nabuchodonosor, visio de spicis, & de statuâ, fuit solùm visio: sed quantum ad Ioseph, & Danielem, qui significationem visorum habuerunt, fuit reuelatio, & prophetia. Reuelatio quippe, est amotio velamenti. Potest autem esse duplex velamen. Vnum ex parte videntis, & hoc est infidelitas, vel peccatum, vel duritia cordis. Aliud ex parte rei visæ, quando scilicet res spiritualis proponitur alicui sub figuris rerum sensibilium.] Sunt ergo aliquæ visiones, sed signatæ adhuc & velatæ, ideoque resignandæ ac reuelandæ. Itaque qui figuram tenet, nondum habet intelligentiam: sed qui visa rimatur, qui contemplatur mysteria, & visione donatur & reuelatione.

Tertullian. l. de An. c. 47.

Aquin. lect. 1.

Multi visiones habent, qui non habent reuelationes.

PARS SECVNDA.

De tempore.

NIhil nunc dico de homine, tum quia iam dixi, ipsum esse Paulum; cum quia nonnihil adiiciam in alterâ sectione. De tempore igitur. [*Scio hominem in Christo antè annos quattuordecim.*] In quo vnum manifestum est, alterum requirendum.

Quod manifestum est: Paulum tam re modestum esse, quàm nomine modicum: & vbique humillimum. Infinitas habuit reuelationes visiones innumeras: vnicam produxit. [Magnā certè, ait Chrysostomus, hæc reuelatio est: nec tamen hæc sola fuit, sed aliæ complures: verùm ipse vnam ex multis ponit. Nam quod multæ essent, audi quid dicat, Ne magnitudo reuelationum extollat me.] Diceres Paulum plures narraturum visiones reuelationesque. [Veniam autem ad visiones & reuelationes

Chrysost. Hom. 26.

A Domini.] Ad id se accingit: sed cùm accedit, vnicam exprimit; & cum iam esset in procinctu, ceteras omnes alto premit silentio. [Verumenimuerò, dixerit aliquis, ait ille, si eas premere atque occultare cupiebat, omninò ne significationem quidem vllam quamlibet obscuram dare, nec quicquam eiusmodi dicere debebat: sin autem dicere in animum inducebat, faciendum ipsi erat, vt apertè eas dilucideque exponeret. Quid igitur afferri potest, quamobrem nec perspicuè eas exposuit, nec omninò reticuerit? Nimirum ideò factum est, vt hinc quoque ostendat, inuitum se ac repugnantem ad id accedere. Ob idque etiam quat-B tuordecim annorum tempus posuit. Neque enim frustrà huius temporis mentionem fecit, sed vt demonstret, quòd qui tot annos tacitum id tenuerat, haudquaquam id nunc enuntiasset, nisi summa eum necessitas impulisset: verùm æquè tacuisset, nisi fratres pereuntes vidisset.] Hoc debemus pseudapostolis persecutoribus Pauli, quod hæreticis debemus interpolatoribus Euangelij. Necesse erat hæreses esse, vt veritas Euangelij patesceret: necesse erat & persecutores esse æmulationesque, vt Pauli humilitas inclaresceret. Quinquies à Iudæis flagellatus est, ne vnus quidem Lucas meminit. Ter virgis cæsus à Romanis, ter naufragium passus: & in illo semel tantùm Lucas, C in isto ne semel quidem rem prodidit. Nunc flagellis verberatus, nunc virgis vstus, nunc vndis iactatus, & in profundo demersus maris: & id semper tacuisset humilitas Pauli, nec rescisset vllus aut amicorum aut inimicorum, nisi charitas compulisset, aut coegisset necessitas.

Chrysost. ibidem.

Plures habuit reuelationes Paulus, sed vnicam edidit.

Sed est quod non videas solum, quin & obstupeas, in hac etiam vnicâ visione, seu præclarâ reuelatione, modestiæ suæ tenorem seruasse, & speciem in tantâ lucis ac splendoris abundantiâ propalasse nescientiæ. [Circà visionem, ait Aquinas, vtitur Apostolus quadam distinctione. Dicit enim se circa huiusmodi reuelationem, scire quædam, & quædam nescire.] Non potuit diutiùs supprimere quod sciebat, ne charitatem læderet; sed voluit & quod D nesciebat addere, ne humilitatem minueret. [Scio hominem antè annos quattuordecim.] Latet & tertius Paulinæ aculeus modestiæ. Quid enim antè annos quattuordecim? Quod narro, nouum non est, sed longò annorum spatio confirmatum: non enim ab heri & nudius tertius diuinis incæpi frui alloquiis: & si antè annos quattuordecim tantis visionibus, tamque præclaris donatus sum reuelationibus, quid putatis de ceteris subsequentibus annis? sed narro nouitiatûs mei præludia, profectûs E mei incrementa dissimulo. [Quòd si, ait Chrysostomus, iam inde ab ipsis primordiis talis erat Paulus, vt eiusmodi reuelatione dignus haberetur, cum nondum tot ac tantis virtutum ornamentis præditus esset, cogita, quæso, quantus vir in quattuordecim annis euaserit. Vide ergo quemadmodum hîc quoque modestè se gerat, cum quædam narrat, quædam autem se ignorare confitetur. Et quidem sufficiebat, cum raptum suum commemorasset, tacere: at nunc pro suâ modestiâ hoc quoque adiungit.] Nimirum occasiones quærit augen-

Aquin. lect. 1.

Chrysost. Hom. 26.

dæ humilitatis: nam visiones quidem ac reuelationes producit, sed annis fortean primores potius quàm meritis: & in isto etiam visionum cœlestium oceano, scintillas nescientiæ, ne dicam & guttulas interserit ignorantiæ. Sublimitatem humilitate temperat, celsitatem tenuat paucitate: vtramque confert, tamque ex certis quàm & incertis, certissimam refert victoriam.

Quod requirendum est: quandonam contigerit illa reuelatio: non enim quia ab ipsis contigisse primordiis asserit Chrysostomus, conuersionis tempus intelligit. Sed notat virum, vix adhuc virum, & adhuc prope nouitium, vt ad summum tandem perducat virtutis perfectionisque fastigium. Dicendum igitur primò, non prius contigisse quam antè annos quattuordecim à scriptione epistolæ. Paulus enim tempus protelat quantum potest, vt ostendat tamdiu latuisse, nec vlli comitum aut sociorum patuisse. Scit quidem Paulus illum hominem, & si Paulus non esset, nec illum hominem scisset: solus enim ille nouit, quiuis alius nescit. Interest igitur tempus producere, quo tacuit: sed si plures annos quàm quattuordecim non recensuit, plures esse quàm istos non censuit. Dicendum secundò, Paulum non illam tangere, quam habuit in conuersione, sed quam habuit à conuersione. Et quod visionem habuerit in conuersione, negare nullus potest, cum palàm Paulus asserat. [Vnde rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni.] Quod etiam reuelationem habuerit, affirmare quiuis potest, cum & Christus subostendat: [Ecce enim orat.] Nempe tribus illis diebus, quibus, [Non manducauit, neque bibit.] Sed quod fuerit visio ista, aut illa reuelatio, de quâ nunc Apostolus, proponi potest, sed non debet admitti: nam à conuersione Pauli ad scriptionem huius epistolæ, intercurrunt anni ferè quatuor supra viginti. Paulus enim anno Christi trigesimo quinto conuersus est, Tiberij decimo nono: & epistolam scripsit anno Domini quinquagesimo octauo, Neronis secundo. Dicendum tertiò id contigisse, quando Paulo Antiochiâ in Iudæam misso vt collectam deferret, & officio peracto, iterum Antiochiam reuerso: [Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.] Hucusque enim Paulus Iudæis prædicauerat, in quorum synagogis toties vapulauerat. Nunc ad conuersionem accingitur gentium, ideoque ampliationem charismatum consequitur. Contigit igitur illa visio anno Domini quadragesimo quarto, Claudij secundo: à quo tempore vsque ad hunc annum Domini quinquagesimum octauum, Neronis secundum, quo scripta est secunda hæc ad Corinthios Epistola, facilè intercedunt anni quattuordecim. Nunc verò si repetas annos decem, à conuersione ad specialem illam missionem, & à missione ad scriptionem addas quattuordecim, viginti quattuor plenè conficiunt.

Quandonam contigerit Pauli reuelatio.

Act. c. 26.

Act. cap. 9.

Act. cap. 13.

PARS TERTIA.

De conditione.

QValis fuerit illa visio, determinare certò nullus potest, cum ipse Paulus, tam visionem sciat, quàm conditionem nesciat. Dixi, visionem scisse, conditionem nescisse: quia nonnunquam fit visio, & videns non aduertit, idcircò nec visio scitur. Ita Petrus, [Nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum. Et ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum.] Nonnunquam scitur visio, & nescitur conditio. Ita Paulus: [Siue in corpore, nescio; siue extrà corpus, nescio.] Nec id dandum humilitati; & veritati denegandum: nam vbi veritas deest, vera non potest esse humilitas. Idcircò Paulus iterum inculcat, vt non humilitatem duntaxat, sed & sinceritatem ostendat. Siue in corpore siue extrà corpus, nescio.] Imò non soli sibi scientiam subtrahit aut notitiam, sed & cuiuis alteri, solique committit diuinitati. [Deus scit.] Quod heic non tam iurantis est, quàm cognitionem soli Deo reseruantis. [Quid igitur? (ait Chrysostomus) Itane mens atque anima rapta est, vt interim corpus mortuum manserit? An corpus quoque raptum est? Id verò dicere non licet. Nam cum Paulus ipse, qui raptus est, & cui tot ac tantis arcanis frui contigit, minimè compertum habuerit, multò sanè magis hoc nobis ignotum est Nam id quidem exploratum habebat, quòd in paradiso esset, ac ne id quidem item eum fugiebat, quin in tertio cœlo versaretur: at modum haud perspicuè norat.] Sciebat pro certo, hominem suum raptum fuisse vsque ad tertium cœlum: sed an cum corpore, vel sine corpore, nesciebat, neutrum affirmabat, imò vtrumque nescire se confirmabat. Idcircò, vt dixit Augustinus: [Ista impudens est inquisitio id scire volentium, quod se ille cui hoc præstitum est, saluâ vtique fide nescire testatur.] Temerarium quippe est definire, quod se de seipso iterum iterumque affirmat non posse dicere.

Sed aliud est, aliquid infallibiliter definire, aliud rationabiliter conijcere. Idcircò conijciendum primò, Animam Pauli non fuisse in raptu à corpore separatam. Nam si anima separata est, toties moreretur Paulus, quoties raperetur. [Opus mortis, ait Tertullianus, in medio est, discretio corporis animæque.] Mors non est aliud quàm corporis animæque separatio. Vnde vanum ille existimat quod scriptum de animâ Hermotimi, quasi per occasionem vacaturi hominis progressa de corpore & regressa, nec historiam computat, sed fabulam. [Genus fuerat grauioris aliquanto soporis: aut tale quid vitij, quod etiam Epimenidem in fabulam impegit, quinquaginta penè annos somniculosum.] Non fuit igitur anima Pauli à corpore separata: alioquin toties mortuus fuisset, quoties raptus, & toties suscitatus, quoties mortuus: quod nullus exertè dicet, quia nec credet facilè. Conijciendum secundò, Paulum raptum, sed [In spiritu.] Quomodo Ioannes,

Act. c. 12.

Chrysost. Hom. 26.

Nullus certò scit quid Paulus de seipso nesciit.

Augustin. l. de pec. orig. c. 13.

Tertullian. l. de Anim. c. 44.

Tertullian. eod. l. c. 44.

Ambrof. in cap. 1. Apocalyp.

Ioannes, vt Ambrosius monuit, [In spiritu se fuisse dicit, quia tanta mysteria, non carnalibus, sed spiritalibus oculis videri poterant. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs Dei.] Ita & apud Ezechielem. [Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter cœlum & terram: & adduxit me in Ierusalem in visione Dei. Et ecce ibi gloria Dei Israël, secundùm visionem quam videram in campo.] Verùm, sicut admittenda non est animæ licentia sine morte fugitiuæ, ita constringenda non est Pauli gratia, quasi sola imagine describenda. Idcircò coniiciendum vltimò, imò & concludendum, Paulum & animâ & corpore, id est, totum & integrum raptum vsque ad tertium cœlum: & tamen nesciit Paulus, quia non aduertit: nam cum raptus esset, id est, alienatus à sensibus corporeis, nihil sensit de corpore; ideo an in corpore fuerit, vel extrà corpus, definire non potuit. [Aufertur enim ab animâ actualis conuersio ad phantasmata & sensibilia, vti Aquinas dixit, ne impediatur eius eleuatio in id quod excedit omnia phantasmata. Nec fuit in raptu Pauli necessarium, quòd anima sic separaretur à corpore, vt ei non vniretur quasi forma: fuit autem necessarium intellectum eius abstrahi à phantasmatibus & sensibilium perceptione.

Ezech cap.

Anima rapta à sensibus corporeis suspensa est.

Aquin 2.2. q. 175. art. 5 in fin. corp.

In quo miranda Pauli modestia, qui id quod in infirmitatibus suis probè sibi notum erat, non solùm affirmat intrepidè, sed & iureiurando, seu Deo teste confirmat. [Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, scit quod non mentior.] Quod autem in visionibus & reuelationibus Dominicis minimè certum erat, iterum atque iterum nescire se declarat. [Quàm ab omni fastu, ait Chrysostomus, alienus esset Paulus, considera. Etenim cum de Damascenorum ciuitate verba faceret, fidem sermoni suo astruit; hîc autem non perinde. Nec enim hoc admodum confirmare volebat.] Et quidem vt Ambrosius notat: [Non dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse leuari ad cœlos, & tolli in paradisum Dei patris cœlestem.] Sicut enim immortales nonnunquam, licet rarissimè descendunt in terram mortalium; quidni & mortales licet difficillimè in terram ascendunt viuentium? Sed dubitat quid de seipso, vel in seipso factum fuerit; seu, id quod non aduertit, dissimulat. [Visio enim Pauli, ait Aquinas, quantum ad aliquid fuit similis visioni beatorum, scilicet quantum ad id quod videbatur; & quantum ad aliquid dissimilis, scilicet quantum ad modum videndi, quia non ita perfectè vidit sicut sancti qui sunt in patriâ. Arrepto enim Apostolo à carnis sensibus in tertium cœlum, hoc defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quæ angelis inest; quod siue in corpore, siue extrà corpus esset, nesciebat: hoc vtique non deerit receptis corporibus in resurrectione mortuorum, cum corruptibile hoc induet incorruptionem.] Erat igitur in corpore, sed mortali, in carne, sed corruptibili: sed cum raptus esset abreptusque, meminisse quidem potuit visionis, sed nescire potuit cuius esset

Chrysost. Hom. 26.

Ambrof. in Paulum.

Aquin. 2. 2. q. 175 art. 6. Resp. ad 3.

A conditionis. Tamen dum dubitat, insinuat se raptum in corpore; nullus enim qui se raptum putat, dubitat se raptum mente in cœlum, sed sine corpore. Sicque meliùs ac simpliciùs dicitur Paulus raptus vsque ad tertium cœlum, dum totus, corpore scilicet, nedum mente raptus creditur. Nec Paulus inter tot reuelationes, illam elegisset exponendam, nisi aliquid eximium, imò & extraordinarium, , quod aliis non contigerat, imò quod aliis sibi non obuenerat; iustè, sed sobriè coniecisset.

Alius cognoscendi modus in corpore mortali, alius in immortali.

PARS QVARTA.

B

De naturâ raptûs.

SCribit Aristoteles, Saturnum, primum omnium somniasse: traducit Aristotelem Tertullianus, atque tam insanè quàm & ridiculè delirasse. [Solum, si fortè ridebo, qui se existimat persuasurum quòd prior omnibus Saturnus somniarit: nisi si & prior omnibus vixit: Aristoteles, ignosce ridenti.] Somniarit plurimum Saturnus, quà melancholicus: sed sicut non prior vixit, ita nec prior somniauit: omnes quippe mortales somniant, etiam & infantes. Nam vt ille dixit: [Infantes qui C non putant somniare, cum omnia animæ pro modo ætatis expurgantur in vitâ, animaduertant succussus & nutus, & renidentias eorum per quietem, vt ex re comprehendant, motus animæ somniantis facilè per carnis teneritatem erumpere in superficiem.] Et hæc quidem non sine causâ: imò duplex causa est: prima, quod raptus seu extasis aliquid commune habeat cum somnio. [Cum enim, ait Tertullianus, quies corporibus euenit, quorum solatium proprium est, vacans anima à solatio alieno, negotiosa & exercita semper ex perpetuitate motationis, quod diuinitatis & immortalitatis est ratio, non quiescit; & si caD ret operâ membrorum corporalium, suis vtitur. Concipe gladiatorem sine armis, vel aurigam sine curriculis, gesticulantes omnem habitum artis suæ atque conatum. Pugnatur, certatur; sed vacua iactatio est. Nihilominùs tamen fieri videntur, quæ ferri tamen non videntur. Actu enim fiunt, effectu verò non fiunt. Hanc vim ecstasim dicimus, excessum sensûs, & amentiæ instar. Sic & in primordio, somnus cum ecstasi dedicatus, Et misit Deus ecstasin in Adam, & obdormiuit Somnus enim, corpori prouenit in quietem; ecstasis animæ accessit aduersùs quietem; & inE de iam forma, somnium ecstasi miscens, & natura de formâ.] Altera causa, quia sicut in somnio, alia longè scientia eius, aliud experientia; sic & in ecstasi, seu raptu. [Ego, ait ille, me nunquam ita dormisse præsumo, vt ex his aliquid agnoscam.] Ita nec me raptum scio, vt aliquid ex his præsumam aut edisseram: sed sicut acœmeti, & expertes somni discurrere de somniis possunt; sic & qui raptûs seu ecstaseos extorres, possunt nihilominus de illo, non se ingerentibus profanis, sed sanctis edocentibus, disserere.

Tertullian. lib. de ani. m. c. 46.

Tertullian. eod lib. c. 49.

Tertullian. cap. 45.

Natura raptus non multum à somniis dissita.

Tertullian. cap. 45.

Primò igitur, raptus videtur in nomine violentiam aliquam sonare, sed verus in re nullam importare: aut si nonnulla est, à vi dicenda est seu virtute; id enim rapi dicitur, quod vi seu virtute potentiori: [Velut fulgure rapido:] Vti dixit Tertullianus, abripitur.

Tertullian. cap. 44.

Inde & dicitur cursus fluuiorum rapidus, cum impetu magno, & valido transitu deuoluitur: ideoque non tam violentia est, quam vehementia. Secundò cum raptus sit animæ, & illa duabus facultatibus sit prædita, intellectiuâ scilicet, & appetitiuâ, posse raptum in vtraque contingere, seu posse vim & virtutem illam, vtramque facultatem afficere:

Raptus non in essendo, sed in agendo constitutus.

cum enim vis ista in hoc consistat vt ecstasin faciat, id est animam extra se constituat, nec tamen constituat in essendo, sed in agendo; virtutem illi suam tam in volendo, quàm in cognoscendo imprimere potest, seu potest animam suprà modum vel supra solitum, intelligentem diligentemque efficere. Ita apud Dionysium, amor ecstasin facit:

Dionys. cap 4. de diuin. nomin.

[Non sinens amatorem sui ipsius esse, sed amatorum.] Dum scilicet amans à se exit, & in rem amatam prorumpit. Tertiò, raptum sicut & somnium procurari posse triplici virtute, humanâ, diabolicâ, diuinâ. [Aliquando, ait Aquinas, aliquis dicitur rapi à seipso, quando propter aliquid homo efficitur extrà seipsum, & hoc est idem quod extasis.]

Aquin. lect. 1.

Illa nimirum est, quam, vt dixit Tertullianus: [Sibimet ipsa anima videtur inducere ex intentione circumstantiarum.]

Tertullian. lib. de anim. cap. 47.

Porrò eadem facilitate diabolus raptum procurat, quâ sensum illigat; nisi quòd non sinitur vim suam semper exerere, imò sæpè repellitur. [Sicut enim, ait ille, dignatio Dei & in ethnicos, ita & tentatio mali & in sanctos, à quibus nec interdiu absistit, vt vel dormientibus obrepat quà potest, si vigilantibus non potest.]

Tertullian. ibidem.

Quod autem Deus raptum immittat, notius est quàm vt disputari debeat aut probari: cum enim supremum in humanam animam imperium exerceat, & actum non solùm sub imperio teneat, sed & in arbitrio: cum naturam peruincat, & attollat per gratiam: tam rapere illam extrà se potest, quàm suprà se; tam modum agendi extraordinarium potest, quàm & ordinarium non suspendere solū, sed & extēdere. Tales sunt omnes visiones & reuelationes Domini, quibus sancti illustrati sunt, quibus donati Patriarchæ, Prophetæ sublimati.

Agimus quidem de raptu, seu ecstasi, nec de omni tamen, sicut nec de omni impetu: non enim agimus de eo qui à dæmone est, aut ab homine: nec de eo præcipuè qui est in parte appetitiuâ, sed in cognitiuâ facultate: dicimusq; ex Aquinate: [Raptus est ab eo, quod est secundùm naturam, in id quod est suprà naturam, vi superioris naturæ eleuatio.

Aquin. lect. 1.

In quâ quidem definitione tangitur eius genus, dum dicitur eleuatio. Causa efficiens, quia vi superioris naturæ. Et duo termini motûs: scilicet à quo, & in quem, cum dicitur ab eo quod est secundùm naturam, in id quod est suprà naturam.] Sed cum dico eleuationem, intelligo eleuationem mentis, non voluntatis: nam eleuatio voluntatis fit per charitatem, quæ inest omnibus sanctis iustis-ve.

Aquin. ibid.

[Per appetitiuam enim virtutem, ait ille, homo efficitur ex-

A trà seipsum, quando non curat quæ sunt sua, sed quæ perueniunt ad bona aliorum, & hoc facit charitas. 1. Corinth. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt.] Charitas, inquam, sed diuina; nam si humana est, non tam charitas est quàm cupiditas; quæ licet sit simia charitatis, & fingat aliena curare, sua tamen reuera procurat; nec tam extrà se rapitur, quàm in se semper relabitur; dum voluptati seruit aut vanitati, nec tam alium quàm bonum proprium diligit. Mens verò Christiana, licet eleuetur per fidem, tamen aliud est eleuari ad aliquid videndum quod sit suprà naturalem conatum, & aliud eleuari ad videndum suprà naturalem

B modum. Naturalis quippe modus humanę cognitionis est, vt cognoscat simul per vim mentalem, quæ est intellectus; & corporalem, quæ est sensus. Tunc igitur homo rapitur seu efficitur extrà se secundùm virtutem cognitiuam, quando abstrahitur ab hoc ordinario agendi modo: dum intellectus ab hac naturali dispositione cognitionis remouetur, & ab vsu sensuum & sensibilium rerum abstractus ad aliqua mouetur peruidenda.

Fides suprà naturalem conatum, non suprà naturalem modum.

Sed cum id fieri possit dupliciter, vno modo per defectum virtutis, vt in freneticis & mente captis; vel per excessum virtutis: tam illa depressio mentis est, quàm ista mentis eleuatio: maximè cùm à Deo est, qui non solùm abstrahit intellectum, sed & ad seipsum, vitam cœlesti quàm & in totum

C supernaturali attrahit.

PARS QVINTA.

De excellentiâ raptûs.

Raptus est Paulus, sed raptus vsque ad tertium cœlum, raptus in paradisum: id est, excellenter raptus, sublimiter, eminenter: nec enim sententiam repeteret, nisi recoleret excellentiam.

D Primò igitur, vnicus quidem raptus narratur ab Apostolo, sed qui suo modo præferatur: non enim solùm æquipollet duobus, sed & omnibus præpollet. [Scio raptum huiusmodi. Et scio quia raptus est.] Quandonam? [Ante annos quattuordecim.] Quid vidit, quid audiuit? [Arcana verba, quæ non licet homini loqui.] Idem ergo tempus, idem & munus est: & cum iam non alium teneamus paradisum quàm cœlum, habeamusque non terrestrem locum sed cœlestem, tam felicitati quàm & immortalitati destinatum; non aliud est rapi in cœlum, quàm in paradisum

E rapi. [Si enim propriè quidem est nemorosus locus, vt Augustinus loquitur, translato autem verbo, omnis etiam spiritalis quasi regio, vbi animæ benè est, meritò paradisus dici potest, non solum tertium cœlum, quicquid illud est, quod profectò magnum sublimiterque præclarum est, verumetiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Vnde & Ecclesia in sanctis temperanter & iustè & piè viuentibus paradisus rectè dicitur, pollens affluentiâ gratiarum, castisque deliciis. Quapropter

Augustin. lib. de Gen. ad litt. c. 34.

Paradisus locus felicitati & immortalitati destinatus.

& animæ illius latronis, cui dixit Saluator noster, Hodie mecum eris in paradiso, illum præstitit paradisum, siue in tertio cœlo, siue vbicumque alibi, quò post tertium cœlum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid vnum est diuersis nominibus appellatum, vbi sunt animæ beatorum. Nec incongruenter arbitramur, & illuc Apostolum esse raptum, & ibi fortassis esse paradisum, & si dici oportet, paradisum paradisorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis est in omni creaturâ, quid eâ lætitiâ præstantius quæ in Verbo Dei est per quod facta sunt omnia?] Et cœlum quidem iam ab initio quieti ac felicitati destinatū est, sed à Christo Domino dedicandum: itaque sicut per mortem contulit paradisum, id est beatitudinem; sic & per ascensionem, paradisum seu felicitatem, id est felicitatis immortalitatisque locum in cœlum transtulit.

Secundò, vnus quidem beatitudinis est locus, sed triplex est cœlum: & in tertio cœlo paradisus constitutus est: sicut & gehenna, diabolo & angelis eius iam ab initio parata, in abstruso & infimo loco recondita. Primum cœlum, secundùm scripturas nostras, est cœlum aëreum, in quo volucres cœli, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, seu nubes & aquæ cœli pluuiales. Alterum, cœlum sidereum, in quo stellæ omnes tam fixæ, quàm & errantes. Tertium denique quod tandem dictum est empyreum ad distinctionem ceterorum: corporeum quidem & ipsum, vt pote velut templum Christo Domino consecratum, aut tanquam regnum recipiendis paratum electis: sed mirâ luce, & igneâ charitate decoratum. Ibi sunt, quicumque beati sunt immortalesque, tam homines quàm & angeli, cum vna sit electorum omnium ciuitas, vna societas. [Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris,] Ibi videtur facies patris, ibi sedes constituitur maiestatis. [Dei sunt angeli, ait Augustinus, quia Deum non reliquerunt; nostri sunt, quia suos ciues habere cœperunt. Sicut ergo nunc illi vident Deum, ita & nos sumus visuri facie ad faciem: facies enim Dei, manifestatio eius intelligenda est.] Raptus est igitur Apostolus vsque ad tertium cœlum, id est vsque ad cœlum empyreum: raptus in paradisum, locum scilicet æternitati ac felicitati dicatum: nec enim alius locus est paradisus ac tertium cœlum: sed illud mirum est & inauditum, vt homo adhuc mortalis migret in regionem immortalitatis; homo adhuc miserabilis, sedem occupet beatitudinis. Vsque ad tertium cœlū, per sublimitatem contemplationis: in paradisum per suauitatem delectationis: vtroque enim modo raptus est Paulus, non solùm mente, sed & voluntate, & vbertate inebriatus, & torrente potatus. [Cœlum ergo (ex Aquinate, dicit, altitudinem quandam cum claritate, paradisum verò quandam iucunditatem. Fuit enim vtrumque collatum Apostolo, vt scilicet sublimaretur ad illam altissimam claritatem cognitionis, & hoc significat, cum dicit, Ad tertium cœlum: & vt sentiret suauitatem diuinæ dulcedinis, vnde dicit, In paradisum.]

Vna hominum & angelorum ciuitas, sicut & vna omnium felicitas.

Matth c 18

Augustin. l. 22. de Ciuit. Dei cap. 29.

Aquin. lect. 1.

Tertiò, vna quidem fuit visio, vna & reuelatio; sed multa simul sunt visa, multa in illâ

A mentis eleuatione, in illâ felicitatis participatione reuelata sunt. Parcit enim Apostolus, dum omnes ad vnam redigit; & visiones nihilominus dicit reuelationesque, dum per vnam omnes comprehendit. Sed omnes dico quas habuit in illâ reuelatione, nam & mensuram suam habuit per gratiam, non comprehendit per gloriam. [Paulus enim, ait Ambrosius, de inferioribus dicit: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et vas electionis ex parte scit, vas perditionis totum scit? Scio, inquit, hominem, siue in corpore, siue extrà corpus nescio, Deus scit, qui raptus est in paradisum, & audiuit ineffabilia. Paulus
B raptus vsque ad tertium cœlum, seipsum nesciuit.] Est enim visio Domini, id est Christi, sedentis in sede maiestatis, nondum Dei beatitudine præmiantis: à Christo Domino audiuit verba, dum multa ab illo didicit mysteria: sed per fidem accepit, non vidit per speciem. [Cur ergo raptus est? Meâ quidem sententiâ, ait Chrysostomus, ne reliquis Apostolis inferior esse videretur. Nam quia illi cum Christo consuetudinem habuerant, idcircò eum, vt gloriam ipsi conciliaret, in paradisum rapuit. Siquidem ingens huius loci nomen erat, atque vbique hominem sermone celebrabatur.]
C Hanc igitur reuelationem profert Apostolus tam pro excellentiâ raptus, quàm pro fructûs copiâ. Tunc quippe raptus est, cum ad conuersionem gentium missus est. Sicut enim Petrus de gentium vocatione per excessum mentis seu raptum instructus est, sic & Paulus: sed quia Petrus Iesum viderat, non est raptus in cœlum, sed è cœlo instructus: Paulus quia Christo non assueuerat, in cœlum non mente solùm, sed & corpore raptus est, vt ab ipso Christo, & de ministerio instrueretur & de mysterio; per verba etiam ineffabilia edoctus est, vt magnis etiam conferretur, ne dicam & in eo præferretur, Apostolis: vidit enim & audiuit, sensi-
D bus quidem communibus, sed aliquatenus tunc spiritalibus.

Ambros. l. 5. de fide c. 8.

Chrysost. Hom. 26.

Aliud visio Domini, aliud Dei fruitio.

PARS SEXTA.

De raptûs circumstantia.

VIdit Paulus Christum in cœlo, vidit Dominum in paradiso. [Et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.] Arcana sunt, quæ non sunt dicenda: ideoque & arcana vocat, seu, vt ex Græco [Ineffabilia.] Quia tanta est illorum sublimitas, vt ad illa referenda & exprimenda impar sit humana infirmitas. Itaque non datur dicere posse, quia
E conatus humanus ab arcanorum distantiâ, seu mysteriorum præstantiâ superatur: non enim tam denegatur licentia fandi, quàm declarandi notatur insufficientia: & dum dicitur non licere homini loqui, non tam præceptum imponitur silenti, quàm dicenti silentium. [Spiritalis enim homo quilibet, (vti dixit Augustinus) potest alterum hominem docere quod nouit, si proficiendo capaciorem faciat Spiritus sanctus, in quo & ipse doctor aliquid amplius addiscere potuit, vt sint ambo docibiles Deo: quanquam & inter ipsos spiritales sunt vtique aliis capaciores atque meliores: ita vt quidam

Augustin. Tract. 98 in Ioan. vers. fin.

Humanum eloquium diuinis victum mysteriis

illorum ad ea perueniret, quæ non licet homini loqui.] Non est illa prohibitio concedentis, sed loquentis conditio; talis enim est arcanorum circunstantia, tam sublimis visionum reuelationumque excellentia, vt si humanus vtcumque capere possit animus, nullatenus tamen humanum promere aut exprimere possit eloquium. [Quia, vt dixit Athanas. in diuinitatis arcanis, & mysticis rebus versatus est: quas quia incognitæ sunt & inexplicabiles, nisi quis mortalem hanc & abiectam conditionem excesserit, assequi cognitione non poterit.] Vincit enim Deus scientiam nostram, vincit & eloquentiam; & arcana Dei, secretiora fidei mysteria, nisi fides credat, sermo non explicat.

Non igitur arcana doctrina est, quam Apostolus aliquos docuerit, aliquos celauerit; sed priuata gratia quam potuerit accipere, reddere non potuerit. [Etsi enim, vti dixit Tertullianus, in tertium vsque cœlum ereptus Paulus, & in paradisum delatus audiit quædam illic, non possunt videri fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent? cum ita fuerit conditio eorum, vt nulli hominum proderentur. Quòd si ad alicuius conscientiam manauit nescio quid illud, & hoc se aliqua hæresis sequi affirmat; aut Paulus secreti proditi reus est, aut & alius postea in paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit.] Vndique captat occasionem diabolus, & vbique nunc ex manifestis, nunc & ex occultis instillat errorem. [Hac namque occasione, vt monuit Augustinus, vani quidam Apocalypsim Pauli quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissimâ præsumptione finxerunt; dicentes hanc esse, vnde dixerat raptum se fuisse in tertium cœlum & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Vtcumque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, quod adhuc non licet homini loqui. Cum verò dixerit, quæ non licet homini loqui: isti qui sunt, qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui:] Ita sicut nihil tam bonum, quo mali non abutantur; sic & nihil tam verum quo non abutantur hæretici. [Sed cur ita locutus est, inquies (ita Chrysostomus) vt ansam volentibus daret? Non dedit ipse: sed eorum amentia, qui ipsius verbis, haudquaquam vt par est, vsi sunt. Nam quod ad eum attinet, non vafer quispiam ac varius erat, sed simplex & perspicuus: at isti verba ipsius ad suam sententiam detorserunt. Quandoquidem & totus hic mundus, ingens quidem ac præclarus est, diuinæque sapientiæ argumentum, & cœli Dei gloriam enarrant, & dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: & tamen ad hunc plerisque offendere contigit.]

Tertullian. l. de præscr. c. 24.

Augustin. Tract. 98. in Ioan. in fin.

Diabolus ex omnibus errorem commentus.

Chrysost. in Moral. Homil. 21.

Sed vt absoluamus ea quæ de sublimitate sunt: cur non potuit Paulus & mente & corpore à terrâ in cœlum rapi, ad contuendum & audiendum Iesum: si alius potuit à paradiso in montem Tabor ad conspecti Christi transferri alloquium? [Quid enim tam Christus Creatoris, ait Tertullianus, quàm secum ostendere prædicatores suos? cum illis videri, quibus in reuelationibus erat visus: cum illis loqui, qui eum fuerant allocuti: cum eis gloriâ suam communicare, à quibus Dominus gloriæ nuncupabatur: cum principalibus suis, quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque, alter initiator veteris testamenti, alter consummator noui? Igitur & Petrus meritò contubernium Christi sui agnoscens indiuiduitate eius, suggerit consilium, Bonum est nos hîc esse. Bonum planè, vbi Moyses scilicet & Helias. Et, Faciamus hîc tria tabernacula, vnum tibi, & Moysi vnum, & Heliæ vnum: sed nesciens quid diceret. Quomodo nesciens? vtrumne simplici errore, an ratione quam defendimus in causâ nouæ prophetiæ, gratiæ ecstasin, id est, amentiam conuenire? In spiritu enim homo constitutus, præsertim quum gloriam Dei conspicit, vel quum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute diuinâ.] Qualis illa amentia? sublimissima, sapientissima. [Quomodo enim, ait ille, Moysen, & Heliam cognouisset nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset & similitudines, Lege prohibente; nisi quia in spiritu viderat: & ita quod dixisset in spiritu non in sensu constitutus scire non potuit.] Idem ergo Paulo contigit quod & Petro: sciebat vterque quid videret, neuter sciebat quid diceret: contemplari potuit vterque, effari neuter potuit: vbi enim spiritûs diuini inundatio est, ibi sensûs humani suppressio; & vbi excellentia visionis, ibi sermonis penuria. Raptum se nouit Paulus, & raptum in tertium cœlum, sed quo modo, nescit: nouit se verba edoctum ineffabilia: sed & inde nescit loqui, quia ex quo Christum Dominum vidit, eloqui non potuit. Quid ergo præterea referendum est aut conferendum, quod aut vidit Petrus, aut Paulus audiit, proferre, imò nec mutire potuit? [Posset quidem dici, ait Augustinus, non nisi in locum aliquem corporalem hominem rapi potuisse cum corpore: sed quia & hoc ita posuit vt nescire se dixerit, vtrum in corpore, an extra corpus raptus sit, quis audeat dicere se scire, quod nescire se Apostolus dixit? Cum enim vel in somnis vel in ecstasi corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino à corporibus, nisi cùm homo redditus corporis sensibus, recognoscit se in illis imaginibus fuisse, quas non per sensum corporis hauriebat.]

Tertullian. l. 4 aduers. Mar. c. 22.

Petrus in monte Tabor quomodo raptus.

Tertullian. ibidem.

Augustin. l. 12. de Gen. ad litt. c. 4. & 5.

COLLATIO SECVNDA.

De infirmitate.

VIdisti Paulum reuelationum excellentiâ sublimatum, nunc videas humiliatum tribulationum angustiâ. [Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ.] Sed quis stimulus, quis angelus? Conferendum.

PARS PRIMA.

De stimulo.

STimulum audimus, & stimulum carnis, sed nondum concipimus. Deus certè, vt notat Augustinus. [Firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit, Virtus in infirmitate perficitur: & non ei totiens oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine reuelationum extolleretur.] Non pro certo definit, sed relinquit in dubio. [Nescio quem.] Non quod ille nesciat, sed quòd & solerter credat inquirendum, & prudenter definiendum.

Augustin. l. de nat. & grat. c. 27.

Primò igitur aduertendum, non tam concipiendum stimulum quàm palum, Nam quando dicitur, [Durum est tibi contra stimulum calcitrare:] In Græco quidem est κέντρον, [Stimulus.] Heic verò, σκόλοψ, [palus.] Lignum acutum, carni infixum. Ita ex Græco, [Datus est mihi σκόλοψ carni.] Seu, in carne. Quid igitur σκόλοψ? Idem quod σταυρὸς. Quod Latinè dixeris vallum seu palum peracutũ, vt figi posset & infigi. Ita Eustathius in Homerum [Scolopes recta ligna & acuta, quæ & stauros vocabant, in quibus appensi cruci aut vallo figi dicebantur.] Iam intelligis aliquid crucis esse in scolope, sed nondum capis in tantum esse crucis in carne, in quantum doloris. Scolopem dixeris, an sudem dixeris, parùm interest. [Nam & Apostolus refert, ait Tertullianus, datum sibi sudem angelum satanæ vt colaphizetur.] Sed interest scire quid crucis sit in sude seu in scolope. Itaque crucem vocauerunt quicquid pungeret & affligeret: crux enim à cruciando seu vexando. Vnde Plautus in Aulul. [Quæ te mala crux agitat?] Inde & [Pædagogus cruciarius.] Ita & Tertullianus febrem reponit, [Inter ceteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam.] Id est, innuit malam aut maximam esse crucem, seu sudem acutissimum, vt quæ miserum hominem, mortalem-ve ægrum cruciat, dum erogat. Causa, vel quia dolores omnes, cruces dixerunt, ab acerbissimo omnium supplicio: vel quia cruces omnes, dolores senserunt; supremumque dolorem in titulum crucis erexerunt, dixeruntque staurum ab isto doloris compendio. Quid igitur crux? Lignum præacutum carni infixum: priùs enim lignum carni infixum, quam caro affixa ligno. [Nam, vt dixit Hesychius, antiqui maleficos sudi infigebant, acuto ligno penetrantes spinam & dorsum, sicuti assos in verubus pisces.] Ita intelligunt σκόλοψιν καὶ σκολοπίζειν: [vt adactum per medium hominem, (vt ait Seneca) qui per os emergat stipitem.] Deinde homo infixus rudi palo & informi ligno: Postremò affixus extensusque in patibulo, nec iam simplici ligno, sed duplici. Vult ergo Apostolus dicere cruciari se in carne seu crucificari; crucem suam in carne gerere, dolorem sentire acutissimum; quasi qui sude transfixus esset, seu qui palo, ligno-ve præacuto suffixus. Sed quid pungit in carne, seu cruce afficit?

Act. c. 9.

Tertullian. l. de fug in persec. c. 1.

Tertullian. l de præscr. c. 1.

Cur dolores cruces dicti sint, & vnde.

Sen. ep. 14.

Aduertendum secundò, crucem illam, fuisse

A dolorem corporis vehementissimum, seu scolopem capitis acutissimum. [Cum enim ait Augustinus, esset magnæ gratiæ, & magna dona meruisset à Deo, qui dicit quodam loco: Propter magnitudinem autem reuelationum ne extollar. Intendite, rem tremendam vobis dico: Propter magnitudinem, inquit, reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Quid est hoc, fratres? Ne extolleretur tanquam iuuenis, colaphizabatur tanquam puer. Et à quo? Ab angelo satanæ. Quid est hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer.] Cephalalgiâ nimirum, quâ nihil acutius, nihil & vehementius. Cùm autem dicit Augustinus Paulum fuisse tunc iuuenem, non adolescentem intelligit, sed virum perfectum: imò addit, tanquam: scit enim non tam florentem ætate, quam deficientem; in quâ decrescunt quidem carnis vitia, sed incommoda accrescunt corporis. [Tam perfectus erat, ait ille, vt tamen timendum esset ne extolleretur: nam non poneret Deus medicamentum, vbi vulnus non esset. Et rogauit vt tolleretur, æger ille rogauit, vt auferretur medicamen. Propter quod ter Dominum rogaui, inquit, vt auferretur medicamen. Propter quod ter Dominum rogaui, inquit, vt auferret eum à me, id est, stimulum carnis à quo colaphizabatur, aliquem forte dolorem corporis. Rogaui, inquit, vt auferret eum à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Ego noui quem curo, non mihi det qui ægrotat consilium. Tanquam emplastrum mordax vrit te, sed sanat te. Rogat medicum vt tollat emplastrum: & non tollit, nisi cum fuerit sanatum quò posuerat.] Sanè, si sanatus est Apostolus, tardè admodum sanatus est. [Huic enim tanto viro perficiendo, ait Augustinus, necessarium fuit ab illo angelus satanæ non auferretur, ne magnitudine reuelationum extolleretur.] Topicum illud erat remedium, nec ægroti tædio, sed consilio medici remouendum. Vbi reuelationes? in capite. Vbi igitur dolores? in capite: ibi enim remedium, vbi periculum. Dignum caput pretiosumque thesauro diuinitatis; sed infirmum muniendumque sigillo infirmitatis. Datus est mihi stimulus carnis meæ, hic infirmitatis meæ cruciatus est, qui me stimulet & lancinet, qui me acutissimè pungat, angatque vehementissimè; qui tot colaphos carni imprimat, quot stimulos concitat capiti. Qui cephalalgiam norunt, sciunt vehementiam. Raptus à vehementiâ, cruciatus à vehementiâ: sed quâ parte sublimatus, eâ maximè humiliatus est.

Augustin in Expos Psal. 130. cit. med.

B

Augustin. Enarrat in Psal 98. vers fin.

C

D

Augustin. 2. de pec. 1. me. & rem. c. 16.

Remedium apponitur, vbi conspicitur periculum.

E

Aduertendum tertiò, posse stimulum carnis ad Gentis supplicium, quo confixus tanquam patibulo, pati poterat, non poterat mori. [Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israëlitæ.] Et, [Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum ho-

Romani c. 9

Rom 10.

norificabo, si quomodo ad æmulãdum prouocem carnem meam, vt saluos faciam aliquos ex illis.] Quid ergo, Carnem meam? Gentem meam. Quid porrò, Stimulus carnis meæ continuus dolor, quem ob duritiam cognatorum meorum perpetior: mœror, quo excrucior ob Iudæorum inuidiam. Iudæi enim admodum inuidi, semper Paulum persecuti sunt, quòd se Gentium diceret Apostolum, quòd se ostenderet patronum, Græcosque & Romanos sine lege, sine circumcisione admitteret. [Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem suam dicentes. Tolle de terrâ huiusmodi: non enim fas est eum viuere.] Et in id ducit verbum satan, etsi non cogit. [Satan enim Hebræorum linguâ, vt notat Chrysostomus, aduersarium sonat. Nam scriptura de Salomone verba faciens, ait, Non erat Satan in diebus ipsius (hoc est aduersarius) qui bellum ipsi inferret, aut molestiam exhiberet. Quod ergo ait Apostolus, hanc habet sententiam: Deus prædicationem lætè ac feliciter progredi non permisit, quò animos nostros demitteret, verùm aduersarios in nos impetum facere passus est. Quemadmodum enim Iudæos diaboli filios vocat, quòd illius opera imitarentur: sic etiam Satanæ angelum omnes eos nuncupat, qui fidei doctrinæ obsistunt.] Ij maximè Iudæi, naturâ suâ tam inimici quàm inuidi. [Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.] Illi ergo repleti zelo, sed amaro; non secundùm scientiam, sed secundùm inuidiam; œstro doloris, imò & furoris perciti, semper & vbique infesti fuerunt Paulo Apostolo, semper illum cruciarunt, semper gentiles ipsos, quos optabat fideles, aduersùs ipsum concitarunt. Denique semper eum colaphizarunt, dum eum tanquam vilem tractarunt ac contemptibilem: in faciem enim cædere, est depretiare, reprobare, exprobrare, spernere, despuere.

Act. c. 22.

Chrysost. Hom. 26.

Iudæi natura sua seu genio suo inuidi.

Act. cap. 13.

PARS SECVNDA.

De angelo.

Si angelus satanæ, vtique est angelus malitiæ. Quid ergo Pauli corpus, imò & caput diabolo permissum? Quidni? [Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer. Dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis satanæ, sed hoc non possunt nisi permissi. Nam & Iob sanctus probatus est. Permissus est ad eum probandum satanas, & percussit eum vulnere, vt vermibus putresceret. Immundus enim permittebatur, & sanctus probabatur. Nescit diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cum sæuit. Sæuiens intrauit in cor Iudæ, sæuiens tradidit Christum, sæuiens crucifixit: & crucifixo Christo redemptus est orbis terrarum. Ecce sæuitia diaboli diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæuiendo enim quos tenebat amisit, redemptos sanguine Domini, quem cum sæuiret effudit. Si sciret tantum damnum se passurum, non funderet in terram pre-

Augustin. in expofit. Psal 130. cir. med.

A tium quo redemptum est genus humanum. Sic ergo ille angelus satanæ quasi libenter permissus est colaphizare Apostolum, sed tamen Apostolus curabatur. Et quia illud quod medicus apposuerat, molestum erat infirmo, rogauit medicum vt auferret. Quomodo cum medicus apponit visceribus aliquod forte epithema, molestum & ardens, inde tamen curandus est ille cuius viscera tumebant: cum ille inde ardere cœperit & cruciari medicamento, rogat medicum vt auferat medicamentum; medicus autem consolatur, monet eum patientiam, quia nouit quàm vtile sit quod apposuit. Ita & B Apostolus sequitur & dicit, cum dixisset: Datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet: prædixit autem quare: Ne magnitudine reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me: hoc est dicere: Rogaui medicum, vt auferret à me molestũ epithema, quod mihi apposuerat.] Immissionem scilicet per Angelum malum, dolorem capitis, crucem corporis. Ecquid mirum si hoc ipsum in Paulum permissus sit, si tantum ausus est in Christum Dominum? Certè, vt dixit Gregorius: [Cum dicitur Deus homo vel in montem excelsum, vel C in sanctam ciuitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expauescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensamus. Quid enim mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi?] Ecquid magnum si permissus est Apostolus angelo malo cruciari, qui à ministris eius permissus est flagellari, lapidari, cædi, occidi? Ecquis non dico Apostolorum, sed & electorum omnium non à diabolo tentatus, ab illo non vexatus, cruciatus?

Iusti omnes à diabolo tentati ac cruciati.

Gregorius Hom. 16 in Euangel.

D Sed quis scrupulus, non dicam, stimulus: quæ difficultas, non dicam, absurditas: cum veteres nonnulli, plures & alij stimulum carnis contendant esse sensum libidinis, & si dolori parcant, non parcant pudori? Quid ergo? [Angelicus iuuenis, senibus satanizat in annis?] Ille cælebs, ille virgo, ille castus, ille pudicis vnguiculis: qui in religione Iudaicâ, quæ fœtebat nubentium contagio, imò quæ pollebat & numero vxorum, & filiorum priuilegio, castitatis puritatisque fuit eximiæ, licet iam ætatis prouectæ; qui in religione Christianâ carnem consecrauit, qui ne fornicationem quidem nominari voluit, qui æditualem legem templo Dei dedicando sanciuit, qui ne mulie- E rem circumducere constituit, qui solus inter angelos ipsos in spiritali scholâ, in cœlesti Academiâ conuersari potuit; ille, inquam, rem infandam propalabit, pudendam libidinem æternis consignabit litterarum monimentis? Itane Paulus propè sexagenarius, quando secundam scripsit Epistolam ad Corinthios: & si nunquam malum persanatum est, itane Paulus propè septuagenarius, quando apud Romanos vitam posuit: itane, inquam, adhuc ardebat æstu libidinis, aut certè sensu gemebat voluptatis, non dico in eâ sanctitate, quâ nullus præualuit: sed dico, in eâ ætate, quâ nullus non elanguit? Nec peteduum cur dolorem

Stimulus carnis non est sensus libidinis.

capitis non absterserit? sed petendum potius cur non æstum libidinis extinxerit. Quid enim melius, supplicium, an propudium; honestus pœnæ sensus, quem quiuis non appetat solùm, sed & sibi imponat; an pudibunbus concupiscentiæ fœtus, quem quiuis horreat, nullus sibi placere audeat in ipso vel applaudere? Sed nihil petendum est: Paulus enim nec ab isto malo liberationem petisset, nisi intermissionem suo attulisset ministerio. [Iussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi. Et cum astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus: si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, & nuntiauit ei dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus est. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit, Etiam. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciuit, quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.] Cur aliàs non excepit de ciuilitate suâ, cum eadem arte potuisset euadere? Quia noluit: nec tunc etiam excepisset, nisi gloriam inde Christo concepisset accessuram? Ille qui alios dicto sanabat, qui possessos liberabat imperio: Timotheum medicinâ iuuat non potentiâ: nec putat gratiam bonis, sed infirmis non proficienti sed deficienti permittendam.

Actuum cap. 22.

Certè patiar potius in quasuis alias opiniones abstrahi, quàm vredines libidinosas, volente Deo, adsidente diabolo, in Paulo sene reperiri, ne dicam flammas infames in Paulo succendi virgine. Ad hoc ergo ventum est vt gloriari iubeat de carnali tentatione, de bestiali libidine; liceat de infami venere, de innominabili gloriari turpitudine? Nam cum infirmitatem suam narrasset Apostolus, tantamque eleuasset sublimitatem, addit, concluditque: [Propter quod placeo mihi in infirmitatibus.] Et priùs: [Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.] Quamuis enim plures inuoluere vno berbo potuit infirmitates, vt contumelias, angustias, necessitates, persecutiones: vnam tamen præ ceteris habuit: vnde non dicit Angelos satanæ, sed angelum satanæ. Quid ergo, gloriam captabit ex prurigine carnis, quæ non est à patre? triumphabit in pudendis, quæ ex confusione? [Stimulus ergo carnis est, crucians corpus meum (ita Paulus apud Aquinatem) per infirmitatem corporis, vt anima sanetur. Iste autem stimulus, est angelus satanæ, id est angelus malignus. Et ille angelus à Deo missus seu permissus, sed satanæ: quia satanæ intentio est, vt subuertat: Dei verò, vt humiliet & probatum reddat.] Quòd fuerit vehemens corporis afflictio, dicit ipse, [Ad litteram] exprimi. Quod autem illa vehemens corporis afflictio, non fuerit titillatio carnis, sed capitis concussio, seu cephalalgia, traditio suggerit, & applaudit ratio. De traditione, res nota apud Augustinum, dicerem & apud Hieronymum, ni scirem commentarium Hieronymo non adscribendum, sed Pelagio. Nec tamen ille, quisquis sit, in totum inutilis est, nam si auctor irrefragabilis sanæ sententiæ non est, potest tamen esse famæ publicæ fidelis relator: ideo dum testatur eam famam passim apud Christianos nedum apud suos vulgatam, traditione munit sententiam. Sed ea ratio est, quòd angelus satanæ non tam profectum Pauli priuatum impedire voluit, quàm cursum publicum Euangelij: idcircò cum nullus in animum accessus esset, sensum obsedit; nec tamen in ea consedit parte inferiori, quæ Paulinæ perfectionis augmentum retardaret; sed in illâ superiori, quæ in totum cohiberet Euangelicæ prædicationis officium. Idcircò nec Paulus intercessisset, si nullum præsensisset ministerij sui præiudicium: sed quod cogitauit diabolus in malum, vertit Deus in bonum: & de malitiâ diaboli, facta est Pauli medicina. Sicut enim cogitans Christum occidere, perdidit imperium; sic & cogitans Paulum affligere, non dimouit, sed potius promouit Euangelium.

Aquin. lect. 3.

Diabolus in astutia sua comprehensus.

PARS TERTIA.

Quomodo datus.

NOn tam onus, quàm munus est: non enim ille angelus tam impactus ad pœnam, quàm datus ad gratiam. [Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ.] Accedit ille, & discedit. [Rogaui Deum, vt discederet à me.] Idcircò ille minister est satanæ, qui partes eius ageret, & pro viribus res crescentis iam abrumperet religionis. Cum enim Paulus esset dux verbi, & caput legationis ad gentes: ipsummet concussit caput: vt percusso pastore, dispergerentur oues; & capite prostrato, destituerentur tam fideles quàm & infideles. Sed requirendum primò, à quo datus sit ille angelus: secundò, quâ lege datus: tertiò, quis tandem successus.

De datore, nullus alius requirendus est, quàm Christus Dominus. [Propter quod ter Dominum rogaui.] Seu, vt ex Græco [Propter hoc.] Propter hunc stimulum, seu propter hunc angelum satanæ, malitiæ operarium: nam medicum adit, qui medicamentum ministro suo aut curando aut seruando apposuit. [Sciendum est enim, vt Aquinas docet, quod plerumque sapiens medicus procurat & permittit superuenire infirmo minorem morbum, vt maiorem curet vel vitet: sicut vt curet spasmum, procurat febrem: hoc euidenter in se beatus Apostolus à medico animarum Domino nostro Iesu Christo ostendit. Christus enim velut medicus animarum summus, ad curandum graues animæ morbos, permittit plurimos electos suos, & magnos, in morbis corporum grauiter affligi. Quia ergo in bonis est maximè materia superbiæ, quia eius materia est bonum, permittit aliquando suos electos impediri ex aliquâ sui parte, vt per infirmitatem, vel per aliquem defectum humilientur, & homo sic humiliatus recognoscat se suis viribus stare non posse. Quia igitur Apostolus magnam habebat superbiendi materiam, & quantum ad specialem electionem, quâ à Domino electus est: & quantum ad secretorum

Aquin. lect. 3.

Custodia Paulinæ sapientiæ adhibita.

cognitionem, quia hic dicit se raptum in tertium cœlum, & in paradisum: & quantum ad virginalem integritatem: & quantum ad bonorum operationem: & specialiter quantum ad maximam scientiam quâ emicuit, quæ specialiter inflat: ideò Dominus adhibuit ei remedium, ne in superbiam extolleretur. Et hoc est quod dicit, Ne magnitudo reuelationis mihi factæ, extollat me in superbiam: Datus est mihi, id est, ad meam vtilitatem & humiliationem.] Certè Christus seminator est casti consilij: quomodo ergo libidinis incentor, vel auctor pruriginis, vt in Apostolo suo virginalem integritatem vitiet aut tentet, quam per Virginem non minuit, sed sacrauit? Verùm, sicut Iobo data est custodia in præsidium animæ, sic & Apostolo datus est angelus satanæ in remedium superbiæ: non enim Paulus angelo, sed Paulo datus est angelus. [Permissionem verberis, ait Gregorius, comitatur custodia protectionis; & electum suum diuina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit: alia illius prodit, alia protegit. Cum enim adiungit, Verumtamen animam illius serua, potenter pius adiutor innotuit, quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, quem aduersarij sui iaculis eiiciens abscondit.] Rigidus quidem satelles, angelus satanæ, non tamen Apostolo datus in offensam animæ, sed in sapientiæ, sed in gratiæ custodiam: ille namque, qui gratiam donauit & sapientiam, vtrumque adhibito præseruauit satellitio.

Gregorius l. 5. Moral. c. 5.

De lege, nihil aliud datum aut concessum, quam colaphizare, seu verberare. [Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.] In colaphis enim tria sunt spectanda, inflictio pœnæ, humiliatio personæ, probatio constantiæ. Colaphizabat ergo Paulum angelus satanæ, dum in faciem tantùm cædebat, seu dum caput solummodo cruciabat: nec enim alibi imprimuntur colaphi quàm faciei, nec alibi alliduntur quàm capiti. Vnde Terentius in Adelph. [Colaphis tuber est totum caput] Et Plautus, [Colaphum tibi ducam, & formulam tibi scribam quòd caput durum habeas.] Inde ergo colaphizare, colaphum infligere, manum incutere, pugnum illidere inter verbera acuta & grauia. Is ergo colaphus est impactus capiti, ictus nimirum, ne dicam & impulsus acutissimus, & grauissimus impetus, qui functionibus eminentioribus iustitium interponat, & minutis, sed acerbis, punctiunculis, toties cædat, quoties feriat. Iam illa non solùm inflictio pœnæ est, sed & personæ humiliatio. Nam vt dixit Augustinus: [Facies est quâ quisque cognoscitur. Et legimus Apostolum: Toleratis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Deinde continuò subiungit, Secundùm ignobilitatem dico, vt exponat quid sit in faciem cædi, hoc est contemni atque despici.] Colaphum impingimus ei, quem spernimus, dum nobiliorem partem percutimus, & ita totum hominem deiicimus. Is est dolor, qui totum hominem pessundat & attenuat, dum caput cruciat: qui

Terent in Adelph.

Augustin. l. 1. de ser. Dom. in mo. c. 14.

In faciem cædi est contemni ac despici.

A contemplationem sistit, dum cogitationem intercipit: qui iam elatum vsque ad tertium cœlum, ad solum deiicit. Ita humiliat, non solùm cum caput tentat, sed & dum propositum omne dissipat, omne institutum euacuat. Porrò non solùm humiliatio personæ est, sed & constantiæ probatio. In eo enim maximè probata est Christi patientia, quod alapis sit percussus, cum non solùm sæuitia interuenerit, sed & contumelia. [Saginari, inquit Tertullianus, voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur. Mira æquanimitatis fides!] Toties non affligi solùm, sed & deiici, quoties percutitur; toties derideri, quoties B cæditur. Si permissum fuisset Paulo dolorem sibi eligere, si iussum infligere: omnes potius afflixisset corporis partes, quàm caput attigisset. Fortitudo eius in capite eius: & sicut qui offendit leonem febre suâ correptum, latentem & absconditum, vix regem credit animalium: sic & qui videret Paulum capite percussum, dolore prostratum, inermem, & suo ferè inutilem ministerio, vix diceret arduum esse illum Apostolum, sublimem & quasi aliorum omnium principem.

Tertullian. l. de patient. cap. 3.

C Denique quoad successum: tam ille acceptus Deo, quàm infestus diabolo. [Hoc enim agit Deus, vt sanet omnia; (verba sunt Augustini) sed agit iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Proculdubiò quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit. Virtus in infirmitate perficitur.] Neque enim hoc agebat diabolus, sed Deus, a quo angelus Apostolo est traditus, ideircò pugna non tam aduersùs Paulum, quàm aduersùs Deum inita à diabolo: & hoc de Apostolo dicendum, quod de Iobo dictum est à Gregorio. [Diabolus non contrà illum, sed contra D Deum certamen proposuit, materia verò certaminis beatus Paulus in medium fuit. Sed cum sanctum virum satan tentare appetit, & tamen Domino, vt manum suam extendere debeat dicit, valde notandum est; quia feriendi vires nec ipsi sibi tribuit, qui contra auctorem omnium singulariter superbit.] Itaque nihil malitiâ suâ promouere potuit, quia semper victus est potentiâ: nec Euangelij cursum, nec Apostoli perfectum cohibere valuit, quia diuinâ præpeditus prouidentiâ. Itaque non toties Paulum aggressus est diabolus, quoties placuit; sed toties, seu quando, & quantum concessit Deus: E nec concessit, nisi vbi nullum gloriæ suæ accessit præiudicium, vbi nullum sistendi Euangelij fuit periculum. Poterat enim suos mittere, aut committere, vbi agere non poterat; & vbi deerat doctrinæ verbo, aderat exemplo patientiæ. Magnum sanè afflictionis & humiliationis argumentum, quod nemo facilè crederet, nisi ipse apertè diceret. Sed & ipse successum ostendit afflictionis humiliationis-ve, dum malum suum, carnis stimulum, corporis virium, imò & capitis detegere omnibus, omnibus conscribere voluit. [Apostolus doctor gentium, ait Augustinus, pater fidelium per Euangelium, accepit stimulum carnis à quo colaphizaretur. Quis nostrûm hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus hoc non passum fuisse Paulum: cum ei quasi honorem

Augustin. l. de nat. & grat. c. 27.

Gregorius l. 1. Moral. c. 5. & 6.

Pugna contra Deum & per Deum victoria.

Augustin. con. 2. in Psal. 58. in med.

rem deferimus, mendacem facimus. Sed quia verax est, & verum dixit: oportet vt credamus datum illi esse angelum satanæ.] Videtis hoc caput honoratum à Domino, sed scitote tentatum à diabolo: in illo quidem diuini thesauri reconditorium est, sed & in illo humanæ theatrum miseriæ. Hoc caput tantarum conscium reuelationum, humiliationis etiam & deiectionis argumentum. Credite magna dicenti, credite parua dicenti: nihil dissimulo, sed sicut sublimitatem meam vel coactè prodo, sic & infirmitatem ingenuè meam aperio.

PARS QVARTA.

Cur non exauditus Apostolus.

TEr Dominum rogauit Paulus, vt malum tam molestum, & Euangelio infestum promouendo depelleret, aut minueret, nec obtinuit. [Ter Dominum rogaui, vt discederet à me.] Liceat dicere de Paulo, quod de Christo dixit Augustinus. [Satagentis, soliciti, in tribulatione positi, verba sunt ista. Orat multa patiens, de malo liberari desiderans.] Nec malè de Apostolo, quod de Christo: neuter enim exauditus, dum neuter à malo seu inflicto seu infligendo liberatus. Ter Deum rogat Christus, ter Christum rogat Apostolus. [Et id, ait Chrysostomus, summæ humilitatis argumentum est, non celare quòd ferendis insidiis impar esset, grauiterque laboraret: atque vt liberaretur, preces ad Deum adhibendæ ipsi essent.] Non solùm orat Apostolus, sed & instat, eundem sermonē dicens, & tertiò eandem precem supplicationemque offerens: cur ergo non est exauditus? Primò, quia non expediebat: secundò, quia plus recipiebat, quàm petebat: tertiò, quia non tam passus repulsam, quàm certam assecutus victoriam.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 54. init.

Chrysost. Hom. 26.

Quoad primum, multi vsque adhuc sunt filij Zebedæi, qui orant & instant: sed quod petunt, nesciunt. [Sciendum est enim, ait Aquinas, quòd infirmus nesciens processum medici apponentis mordax emplastrum, rogat medicum, vt remoueat; quod tamen sciens medicus causam quare faciat, scilicet propter sanitatem, non exaudit eum, quantum ad voluntatem petentis, magis curans de eius vtilitate. Sic Apostolus sentiens stimulum sibi grauem esse, ad singularis medici confugit auxilium, vt eum remoueat. Ter enim expressè & deuotè rogauit, vt Deus tolleret ab eo, scilicet stimulum. Sed sequitur responsio Domini, Sufficit tibi gratia mea. Quasi dicat, Ego rogaui, sed Dominus dixit mihi, Non est tibi necessarium, quòd infirmitas corporis recedat à te.] Imò necessarium est tolerare, quia iustum est dignitatem per humilitatem conseruare. [Ipse erat, ait Chrysostomus, cui ista diuino beneficio contigerant. Vnde etiam hæc verba subnectit, Et ne magnitudo reuelationum me extollat, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui me colaphizet. Quid audio? Isne, qui præ Christi amore, nec cœlorum regnum, nec gehennam quicquam esse ducebat, vulgi honores alicuius pretij esse censebat

Aquin. lect. 3.

Chrysost. Hom. 26.

Vbi maior acquisita est perfectio, ibi maior adhibenda præcautio.

A ita vt his etiam attolleretur, vt perpetuo frœno opus haberet? Non enim dixit, Qui colaphizatus est, sed, Qui colaphizet.] Sed quanto quis magis sanctus, tanto magis elationi & præsumptioni est obnoxius: & quanto maior perfectio acquisita est, tanto maior adhibenda præcautio. [Hoc malum, ait Augustinus, superbia est, impediens perfectionem. Iactet se quisque de diuitiis, iactet de pulcritudine & de viribus corporis: ista certè omnia mortalia sunt. Ridendi sunt qui se de mortalibus iactant à quibus rebus plerumque aut viui deseruntur, aut mortui necesse est vt eas deserant. Illud est vitium capitale, quod cum quisque benè pro-
B fecerit, superbiâ tentatur, vt perdat totum quod profecit. Denique omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est. Non itaque mirum, quia sic est humilis Apostolus vt dicat: Quando infirmor tunc fortis sum. Nam hoc vitio ne ipse tentaretur, quale sibi medicamentum dicit appositum contra tumorem à medico, qui sciret quid curaret. Ne magnitudine, inquit, reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.]

Augustin. con. 2. in Psal. 58. circ. med.

C Quoad secundum. Ratum illud verbum Domini Ioannis cap. 15. [Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.] Quid ergo? [Aut Paulus discretè petiuit, & tunc debuit exaudiri: aut indiscretè, & tunc peccauit.] Sed ita resoluit ille qui proponit. [De vnâ & eadem re potest homo dupliciter loqui: vno modo secundùm se, & naturam illius rei: alio modo, secundùm ordinem ad aliud. Apostolus autem, quia nondum reuelatum ei erat illud secretum diuinæ prouidentiæ, vt ad vtilitatem suam cederet, considerabat sibi malum quantum in se est, & ideò petierat suam amotionem, nec in eo peccauit: sed Deus qui
D ordinauerat hoc ad bonum humilitatis suæ, non exaudiuit eum quantum ad eius voluntatem; quòd tamen sciens postmodum Apostolus gloriabatur cum diceret, Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Et licet nō exaudierit eum quantum ad voluntatem, exaudiuit tamen eum quantum ad eius vtilitatem. Vnde dicit Hieronymus in epistolâ ad Dominum: Bonus Dominus, qui sæpè non tribuit quod volumus, vt tribuat quod mallemus.] Verbum igitur nusquam cassum est aut irritum, quia promissum tam fideliter quàm & abundanter exoluit, qui plus meliusque reddit, quàm promisit. [Qualem, ait Augustinus, tumorem timuit, qui
E mordacissimum epithema accepit. Ergo quoniam Dominum ter rogauit, vt ab illo ille stimulus auferretur: non auditus est ad voluntatem, quia exauditus est ad sanitatem.] Quid petiit Paulus? sanitatem? Habebit: imò & aliud melius ac dignius habebit, sanitatem mentis, securitatem salutis. [Multi, ait ille, clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: sed ad salutem, & non ad insipientiam. Clamauit Paulus vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non est exauditus, vt auferretur: & dictum est ei, Sufficit tibi gratia mea. Ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad

Ioan. cap. 15.

Aquin. lect. 3.

Qui nō exauditur ad voluntatem exauditur ad sanitatem.

Augustin. ser. 3. de verb. Apost. c. 5.

Augustin. in Expos. 2. Psal. 21. post init.

sapientiam: vt intelligat homo medicum esse A Deum, & tribulationẽ medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Ad vtilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est diabolus. Dæmones petierunt se ire in porcos, & exauditi sunt. Dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur. Sed illi exaudiuntur ad damnationem, Apostolus non exauditur ad salutem.] Ita plus recepit, quàm petiit: & sicut displicet diabolo exauditum esse, sic & placet Paulo non esse exauditum: quia dum non exauditur ad nutum, exauditur ad solatium.

Quoad tertium. Non dico Paulum passum repulsam, sed dico, petendo & non obtinendo, B securam assecutum victoriam. Video raptu celeberrimo exultantem, &, vt ita dicam, in curru sublimissimo triumphantem: idcircò dolor apponendus, id est monitor adhibendus est. [Patitur Apostolus aliquid, quod non vult; ait Hieronymus, pro quo ter Dominum deprecatur. Sed dicitur ei: Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur; & ad reuelationum humiliandam superbiam, monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur, in similitudinem triumphantium; quibus in curru retro comes adhærebat, per singulas acclamationes ciuium dicens: Hominem te esse memento.] Hoc egit Deus in Paulo, quod egit in mundo. Nihil cultius, nihil ornatius, inde & mundus dictus est; sed ne deus haberetur præ pulcritudine, ne præ magnitudine summus crederetur, relictus est imperfectus; sed inde perfectus, quod imperfectus est. Quid Paulus in illâ reuelationum altitudine, in illâ acclamationum magnitudine? nonne cor eius eleuabitur, imò nonne velut deus adorabitur? Non est igitur exaudiendus, nec abstergendus næuus, vt securè triumphet, & in eo quod se hominem adhuc sentit & agnoscit, perfectionem cumulet. [Inde subiungit ipse, ait Chrysostomus: Veritatem enim dicam. Parco autem ne quis me existimet suprà quod videt, aut audit ex me. Hæc certa & indubitata causa est. Nam etiam ob miraculorum magnitudinem dij ipsi habiti sunt. Quemadmodum ergo Deus in elementis vtrumque fecit, nempe vt & imbecilla ea, & præclara crearet; alterum, vt ipsius potentiam prædicarent; alterum, vt hominum errorem prohiberent: sic etiam hîc quoque simul & admirabiles & imbecilles erant, vt ex operibus ipsis infideles erudirentur. Nam si eximij solùm & admirabiles manentes, nec vllum imbecillitatis argumentum circumferentes, sermone suo vulgus prohibere voluissent, ne maiora, quàm veritas pateretur, de ipsis existimarent, non modò nihil perfecissent, sed etiam contrarium planè effecissent. Etenim illæ laudum recusationes, quas per sermonem fecissent, ab humilitate potius & modestiâ proficisci visæ fuissent, maioremque ipsis gloriam admirationemque peperissent. Ob id ergo factum est, vt opere ipso, ac rebus ipsis eorum imbecillitas detegeretur.] Inde omnes sancti, quid humani passi sunt, vt per imperfectionem promouerent perfectionem; & per maculam, securam tenerent victoriam.

Hieronym. epist. 25. cit. med.

Chrysost. Hom. 26.

Sancti omnes humani aliquid expressi.

PARS QVINTA.

Vnde gloriatus.

VIsiones ac reuelationes Pauli non sunt, sed Domini: nemo autem gloriatur in eo quod suum non est, sed alienum. Vnde ergo gloriabitur Apostolus? [Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.] Apostoli sunt infirmitates, reuelationes sunt Domini: non vult ergo gloriari in reuelationibus Dominicis, sed in propriis infirmitatibus. Verùm tria sunt disquirenda. Primum, Quales sint infirmitates: secundum, Quanta inde illi gloria: tertium, quantus gloriæ complexus & lætitiæ.

Quoad primum, satis declarat Apostolus, quid per infirmitates intelligat. Cum enim dixit, [Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.] Statim se exponit, cum ita concludit. [Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.] Et, [Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.] Quibus verbis quales sint infirmitates describit, cum materiam apponit & formam. Materia C est, quicquid pati homines possunt, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco; seu verbis, seu factis illatum; seu vitam lædat, seu famam concutiat; tam longè enim funditur infirmitas humana, quàm latè panditur misera mortalitas. [Cur ergo durum sit, ait Hieronymus, quod quandoque patiendum est? & cur dolemus quemquam mortuũ? ad hoc enim nati non sumus, vt maneamus æterni.] Iam illud vitium naturæ est, aut innatæ culpæ supplicium. Quicumque nascitur, infirmus nascitur; id est, omnibus mortalis vitæ, seu fragilis naturæ calamitatibus obnoxius. Miserabilis materia nedum vilis, sed forma nobilis quæ dat esse diuinum, & ad summum subleuat fastigiũ. [Pro Christo.] Miseræ D infirmitates, sed gloriosæ, si propter Christum toleratæ sint; nec iam humanæ necessitates sint, sed virtutes Christianæ. [Ob idque dicebat Apostolus: (apud Chrysostomum) pro Christo contumeliis affici, vexari, opprimi cupio.] Hæ nempe sunt infirmitates, sed iam illustres ac glorificatæ. Videas philosophos in nullis esse diuitiis, imò & in multis angustiis; sed scias philosophos & eo magis inglorios, quo magis vanæ gloriæ cupidos. [Non est satis, ait Hieronymus, perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proiicere quod in momento & perdi, & inueniri potest. Fecerunt hoc E plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quàm mundi philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris.] Sint illi pauperes, sint & martyres. [Tales enim, ait ille, stulta philosophia habuit martyres.] Esuriãt, sitiant, patiantur, moriantur: sed eo miseriores, quo infirmiores: & inde deteriores, quo miseriores; quia monstra sunt vanitatis, & cupiditatis mancipia. Christianus orbitatem, cœcitatem, paupertatem, omnes denique humanæ vitæ necessitates: dolorem, languo-

Hieronym. epist. 25. cit. med.

Non quid patiaris, sed propter quid, attendendum est.

Chrysost. Hom. 16.

Hieronym. ep. 26. vlt. med.

Hieronym. epist. 25.

rem, mortem, contumelias, angustias, tribulationes, persecutiones, tormenta, supplicia, & omnia humanæ seu inhumanæ sæuitiæ tolerabit ingenia, & in omnibus exultabit infirmitatibus, in omnibus gloriabitur, quia nec propter seculum, nec propter seipsum, sed propter Christum patitur.

Quoad 2. plus ex iis honoris colligitur, quàm sanguinis funditur: & si momentanea patientia exhibetur, æterna pollicetur præmia. [Sic, ait Chrysostomus, tres pueri, sic Daniel, & Moses, & Ioseph. Omnes hinc splendorem ac magnas coronas consecuti sunt. Quod enim auro ignis, hoc animis est afflictio, spurcitiem abstergens, puros eos efficiens luculentos & illustres reddens.] Glorificandi illi, imò & deificandi, non tamen à mundo, cuius tam infirma potentia est, quàm vana gloria; sed à Deo, cuius tam certum testimonium est, quàm regnum perpetuum. [Romanorum senatus, ait ille, Alexandrum decimum tertium Deum esse censuit: is enim hanc potestatem habebat, vt deos crearet atque conscriberet. Itaque, cum res omnes à Christo gestæ nuntiatæ sunt, Romam misit is, qui Iudæorum nationi præerat, sciscitans ex ipsis num eum quoque Deum creare placeret. Id verò illi facere recusarunt, quòd iniquo atque infenso animo ferrent antè decretum suum atque sententiam, crucifixi potentiam effulgentem, vniuersum orbem ad sui cultum & venerationem attraxisse. Hoc porrò vel inuitis ipsis ita diuinitùs procurabatur: vt ne humanis suffragiis atque sententiis Christi diuinitas promulgaretur, atque vnus è multis illis ipse esse censeretur, qui ab ipsis creati ac designati fuerant. Ita Deus ad hunc modum sanctos omnes per afflictionem, & anxietatem duxit: simul nempe & ipsos iuuans, & aliis consulens, ne videlicet maiorem, quàm par esset, de ipsis opinionem conciperent. Sic enim idolorum cultus primùm robur atque imperium obtinuerunt: cum nimirum homines, ampliori, quàm æquum esset, admirationi haberentur.] Promittit diuinitatem diabolus, sed edentibus: promittit diuitiatem mundus, sed superbientibus: tam mendax ille, quàm iste, fallax: nam & ille in veritate non stetit, & iste à felicitate excidit. Quomodo dabunt, quod non habent? Nec ergo exhibent quod promittunt. Promittit Deus felicitatem immortalitatemque, sed esurientibus, sed humilibus, sed patientibus. Idcircò illos affligi sinit, permittit opprimi, ne mundus in deos suos transferat, ne diabolus alios decipiat. Diuinitas illa, seu diuina & vera felicitas, non est huius seculi, sed futuri: non est opus mundi, sed munus Dei: ipse enim qui suos in hoc æuo abiecit, ipsos in alio vt diuos proponit: qui persecutiones & necessitates immisit, honores & laudes reddit, & per contumelias, per angustias, ad summam adducit gloriam: vt qui plus infirmatus, sublimior euadat, qui plus perpessus, fiat illustrior.

Chrysost. in Moral. Hom 26.

Chrysost. ibidem.

Antiqua, sed nulla deos faciendi licentia.

Quoad 3. putas Paulum gloriabundum solummodo in infirmitatibus suis, putà & gaudentem sibique placentem. Gloriatur, sed libenter. [Igitur libenter gloriabor in infirmitatibus meis, id est, (vt exponit Aquinas) mihi ad vtilitatem meam datis. Et hoc quia magis coniungitur Christo.] Parùm est. [Placeo mihi in infirmitatibus meis.] Id est, vt & ille ait: [Multum delector & gaudeo dictis infirmitatibus meis.] Ita & omne præmium occupabat, & omne simul gaudium existimabat: nec enim putabat præmium parari, nisi ei qui pro Christo libenter patitur; nec gaudium sperari, nisi quis pati pro Christo lætabitur. Ita gratus gloriæ complexus ac lætitiæ: imò iustus, ne dicam & necessarius: sicut enim in suppliciis martyrum, seu tormentis persecutorum, non solùm ignominia est, sed & sæuitia: sic & ignominiam excludere gloria debet, & sæuitiam compensare lætitia. [Omne gaudium existimate.] Id est, magnum, perfectum, integrum. Ita Petrus, vt Cyprianus proponit: [Posuit in Epistolâ suâ, dicens: Charissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit, nec excidatis tanquam nouum vobis contingat, sed quoties communicatis Christi passionibus per omnia gaudete, vt in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Christi, beati estis, quia maiestatis & virtutis Domini nomen in vobis requiescit. Quòd quidem secundùm illos blasphematur, secundùm nos autem honoratur. Et hoc didicit, Domino dicente: Gaudete in illâ die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Gaudere namque nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen militiæ dedimus, vt pacem tantummodò cogitare, & detrectare, ac recusare militiam debeamus, cum in ipsâ militiâ primus ambulauerit Dominus, humilitatis, & tolerantiæ & passionis magister, vt quod fieri docuit, prior faceret; & quod pati hortatur, prior pro nobis pateretur.] Exemplo igitur firmat, quod verbo imperat: nam proposito sibi gaudio crucem sustinuit, confusione contemptâ, & in persecutionibus, in necessitatibus suis sibi complacuit.

Aquin. lect. 3.

Iustus lætitiæ complexus & gloriæ.

Iacob. cap 1

Cyprian lib. 4. epist. 6.

PARS SEXTA.

Quæ virtus Christi.

PLus consecutus est Apostolus patiendo, quàm euadendo: nam infirmitatem ferendo humanam, diuinam virtutem adeptus est, firmam, permanentem. [Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.] Primò ergo quærendum est quænam sit illa virtus Christi: secundò, quibus insit: tertiò, quàm excellenter constanterque in Apostolo Paulo præfuerit.

Quantum ad primum. Virtus illa, virtus non est; aut si est, humana non est, sed diuina: id est, potentia à Deo, seu à Christo efficacia, In Græco enim non ἀρετὴ; [Virtus.] Sed δύναμις: [Potentia.] Nec humana, sed diuina. [Virtus mea.] Seu [potentia mea.] Infirmus es, vexatus es: inde mea potentia non probatur solùm, sed & confirmatur: dum non solùm animum addit patienti; sed & metum

Chrysost. Hom. 16

obiicit persequenti. [Ne meæ hoc imbecillitati adscribas, (ita apud Chrysostomum) quòd multi sint qui tibi insidias struant, teque cædant & exagitent, ac flagris concidant. Nam hoc potius potentiam meam indicat. Virtus enim mea, inquit, in infirmitate perficitur: cum videlicet vos persecutionem patientes, eos qui vos persequuntur, frangitis ac superatis, cum iactati atque vexati, de iis, qui vos vexant, palmam refertis; cum vinculis adstricti, eos, qui flagris vos cædunt, in fugam vertitis. Vides quemadmodum ipse aliam causam afferat, aliam Deus? Ipse enim ait, Ne extollar, datus est mihi stimulus carnis. Contra autem hanc à Deo allatam causam fuisse ait, nimirum se istud idcircò permittere, vt potentiam suam ostendat.] Duos effectus parit, & superbiam comprimit humanam, & diuinam ostendit potentiam. [Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.] Necesse non est, imò non expedit, à te stimulum carnis auferri, te integræ ac perfectæ restitui sanitati; quia ad tolerandam hanc infirmitatem, imò ad superandam vexationem omnem, & omnem persecutionem, sufficit tibi bona & beneplacens voluntas mea; sufficit tibi potestas mea, tam certò quàm & gratuitò impendenda. Nolo te liberare, sed te volo de tanto malo triumphare, non euadendo aut cedendo, sed vincendo: nam potentia mea victoriam affert, dum confert patientiam: sicque non solùm declaratur animando certantem, sed & consummatur coronando triumphantē. Idem ergo potentia Dei, quod gratia Dei; idem diuina potestas, quod voluntas bona ac gratuita. Illa namque gratia virtus est, quâ Deus suos iuuat, fortesque præstat & illustres. Ista est gratia, quæ non solùm efficit, sed & perficit; quæ non solùm velle & perficere operatur in electis, sed & totam in illis vitæ Christianæ œconomiam modulatur. [Quanquam igitur ipsum satanam elatio prima deiecerit, (ita Augustinus) tamen summus ille medicus, qui benè vti nouit etiam malis, de angelo satanæ adhibuit contra elationis vitium, salubre, quamuis molestum medicamentum; sicut consueuit fieri antidotum, etiam de serpentibus contra venena serpentium. Quid est ergo, Sufficit tibi gratia mea, nisi ne deficiendo succumbas sub colapho angeli satanæ? Et quid est, Virtus in infirmitate perficitur, nisi quia in isto loco infirmitatis hactenus perfectio potest esse virtutis, vt in ipsâ infirmitate præsente elatio reprimatur? Quæ vtique infirmitas, futurâ immortalitate sanabitur.] Nulla enim infirmitas erit, vbi perfecta tam mentis quàm corporis aderit sanitas: nec locus supererit patientiæ, vbi campus securus erit victoriæ.

Diuina beneuolentia erga electos efficacissima.

Augustin. l. 3 ad Bonif. S. 7.

Quantum ad secundum. Cum ait Paulus concluditque, [Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.] Innuit potentiam diuinam non solùm in infirmis tribulatisque residere, sed & fixam consistere, vt in dies accrescat, viresque addat maiores ac potentiores. [Ostendit, inquit Chrysostomus, se propterea illustriorem fieri, Deique potentiam hac ratione magis elucere. Ob eamque causam ait, Libentissimè igitur

Chrysost. Hom. 16.

A gloriabor: Non mœsto atque afflicto animo hæc dixi, quæ suprà enumeraui, aut etiam hoc quod nunc dixi, nempe datum mihi stimulum esse: sed velut eo nomine glorians, maioremque hinc vim contrahens. Vnde etiam subiungit, Vt inhabitet in me virtus Christi: nam quanto magis tentationes augebantur, tanto etiam magis gratia crescebat, ac permanebat.] Quod in Paulo Apostolo, hoc & in quolibet iusto. [Quicumque enim in Christo proficimus, (verba sunt Augustini) non nos putemus sine flagello profuturos: quia quantumlibet proficiamus, vt iam homines quod in nobis non inueniant quod reprehendant, nouit ipse peccata nostra, reprehendit ille qui nouit omnia.] Reuera, [Si potuit, ait ille, Paulus Apostolus extolli magnitudine reuelationum, nisi acciperet angelum satanæ qui se colaphizaret, quis de se possit esse securus? Quid enim? Cum videro quæ non poteram videre, & cepero quæ non poteram capere, iam securus ero? Perfectus ero? Non, quamdiu hic viuis. Audistis namque quo conclusit modo Apostolica lectio: quomodo ille qui accepit colaphum ne extolleretur in reuelationibus, quanta ei reuelabantur, propter ipsam reuelationum magnitudinem, quia poterat extolli, nisi acciperet angelum satanæ. Et tamen cui tanta reuelabantur, quid ait? Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse. Paulus dicit: Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse: quia ad hoc accipit colaphizantem angelum satanæ ne extolleretur in magnitudine reuelationum suarum. Quis audet dicere quia comprehendit? Ecce Paulus non apprehendit & dicit. Non me arbitror apprehendisse. Et quid ais ô Paule? Adhuc curro, inquit, vt apprehendam. Adhuc Paulus in viâ est, & tu te putas in patriâ?] Adhuc in loco es, in quo cuique sua inest infirmitas, quia nondum tota sanitas; in quo cupiditas nonnulla, quia nondum etiam in electis, integra, perfecta, & tota charitas. Sed agnoscere debes infirmitatem tuam, & per sinceram humilitatem, diuinam allicere virtutem? illa enim in humilibus requiescit, illa infirmitatem erigit in virtutem: illa in paruulis emicat, & in afflictis, sed summissis inhabitat.

Augustin. Enarrat. in Psal. 98. versu.

B

Augustin. in Expos. Psal. 130 vlt. med.

C

Qui agnoscit infirmitatem, virtutem accipit.

D

Quantum ad tertium. Videt Paulus sentitque virtutem Christi in se perfici: idcircò audet & dicit: [Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.] Vnde potens? quia dum humanâ tentatur infirmitate; & eam libenter tolerat, imò & inde fidenter suam captat gloriam, diuinâ virtute roboratur. [Quid tibi mirum videtur, (ait apud Chrysostomum) Dei potentiam tum demum ostendi? Ipse quoque tum firmus ac potens sum: Siquidem tum maximè gratia accedit. Quemadmodum enim abundant ipsius passiones: ita etiam abundat consolatio nostra. Vbi afflictio, illic etiam consolatio: vbi consolatio, illic & gratia.] Paulus, eximius prædicator, doctor egregius, qui verbo Dei in totum orbem intonuit, qui Philosophū, qui oratorem animi zelo perdomuit. Illene qui infirmâ valetudine prædicabat, ille qui cephalalgiâ laborabat, qui capitis dolore, & continuâ

E

Chrysost. Homil. 16

ferè expirabat doloris vehementiâ? Sed quanto infirmior, tanto potentior: tunc enim illi, virtus non euidentiùs solùm, sed & magnificentiùs assistebat diuina, iamque illa non humano sermone, sed fulgure rapido feriebat hostes, rebelles prosternebat. Et ideò noluit Christus infirmitatē auferre, sed virtutem conferre placuit, vt non superbiret Paulus, sed integrum diuinæ seu potentiæ seu gratiæ effectum tribueret. [Tunc enim, vti dixit Augustinus, mens eius adhuc erat vbi inflaretur magnitudine reuelationis, donec impleretur solido ædificio charitatis. Quid est enim aliud elatio quàm inflatio? Et vtique de charitate verissimè dictum est, Charitas non inflatur.] Concludendum igitur dicendumque ex Tertulliano. [Habere videtur diabolus propriam iam potestatem, si fortè in eos qui ad Deum non pertinent, semel in stillam situlæ, & in puluerem areæ, & in saliuam nationibus deputatis à Deo, ac per hoc diabolo expositis in vacuam quodammodo possessionem. Ceterùm, in domesticos Dei nihil illi licet ex propriâ potestate; quia quando liceat, id est, ex quibus causis, exempla in scripturis signata demonstrant. Aut enim ex causâ probationis conceditur ei ius tentationis prouocato vel prouocanti: habes exemplum Iob. Aut ex causâ reprobationis traditur ei peccator quasi carnifici in pœnam, vt Saül; Et abcessit, inquit, spiritus Domini à Saüle, & concutiebat eum spiritus nequam à Domino, & suffocabat eum. Aut ex causâ cohibitionis, vt Apostolus refert datum sibi sudem angelum satanæ vt colaphizaretur: Nec hanc speciem permitti diabolo in sanctos humiliandos per carnis vexationem, nisi simul vt & virtus tolerantiæ scilicet in infirmitate perfici possit.] Audin' vexationem corporis, non carnis tentationem? Ad sanctos humiliandos sudem dari, probandosque, sed per humilitatem superari: id est, infirmitatem confortari per virtutem: virtutem per patientiam probari, confirmari per constantiam?

Augustin. lib. de grat. Christi cap. 11.

Tertullian. lib. de fug. in persec. cap. 2.

Tribus de causis concessa diabolo potentia.


Quis ergo conqueratur affligi, imò quis non glorietur se à Christo respici? [Omnibus dico, ait Augustinus, quia in tribulatione positus Christianus probatur, si non derelinquit Deum suum. Nam quando benè est homini, desertus est sibi Christianus. Ignis intrat in fornacem, & fornax aurificis magni sacramenti res est. Ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto operatur. Ignis ille non est diuersus, & diuersa agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In quibus autem habitat Deus,


Augustin. Exposit. 2. in Psal. 21. post init.

A vtique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati. Et si fortè petierit inimicus diabolus, & concessum illi fuerit; siue aliquo dolore corporis, siue aliquo damno, siue amissione suorum, fixum cor habeat in illo qui se non subtrahit; & si quasi subtrahit aurem ploranti, sed apponit misericordiam deprecanti. Nouit quid agat qui nos fecit, nouit & reficere nos. Bonus est structor qui ædificauit domum: & si aliquid ibi ceciderit, nouit resarcire. Nouimus & legimus quàm multos patres nostros sperantes in se eruit Deus: eruit ipsum populum Israël de terrâ Ægypti: eruit tres pueros de camino ignis: eruit
B Danielem de lacu leonum: eruit Susannam de falso crimine: omnes inuocauerunt, & eruti sunt. Nunquid defecit ad filium suum vt in cruce pendentem non exaudiret? Tam multi inuocauerunt: & statim ad tempus, non in futurâ vitâ, sed continuò liberati sunt: Dominus autem flagellabatur, & nemo subueniebat: leuabatur in ligno, & nemo eruebat. Quare? Tenete ista duo, quid, & quare.] Mors Christi, non solùm supplicium crucifixi est, sed & mundi pretium. Pati voluit ille, qui alios eruit; sed & per pretium, comparauit præmium, vt & quos eruit, promptiùs exaudiret; & quos non eruit, altius erigeret.
C [Quare senes impij, ait Hieronymus, seculi diuitiis perfruuntur? quare adolescentia rudis, & sine peccato pueritia, immaturo flore metitur? Quid causæ est, vt sæpè bimuli trimulique, & vbera materna lactentes à dæmonio corripiantur, repleanturque leprâ, morbo regio deuorenturque? & è contrario, impij, adulteri, homicidæ, sacrilegi, vegeti, atque securi de suâ sanitate, in Deum blasphement? Iudicia Domini abyssus multa. Bonus est Deus, & omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit: sed, quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius: durum
D quidem, sed tolerabile; quia sustulit ille, qui dederat. Imminebit super hæc & dura pauperies, frigus, languor, & nuditas: extremam expectabo mortem, & breue putabo malum, quod finis melior subsequetur. Consideremus quid ethicus ille psalmus sonet: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Hoc non potest dicere, nisi ille, qui ad vniuersa, quæ patitur, magnificat Dominum; & suo merito imputans, in aduersis de eius clementiâ gloriatur.] Is nimirum est qui non de suis viribus, sed in suis gloriatur infirmitatibus.

Cur iustus liberatus, & Christus non est erutus.

Hieronym. epist. 25. cir. med.





SECTIO SECVNDA.

DE EXCVSATIONE.

TEXTVS.

Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt suprà modum Apostoli: tametsi nihil sum: signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientiâ, in signis, & prodigiis, & virtutibus. Quid est enim, quòd minus habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minùs diligar. Sed esto: ego vos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos: circumueni vos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne iisdem vestigiis? Olim putatis quòd excusemus nos apud vos? Coràm Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram. Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos: ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiâ, & fornicatione, & impudicitiâ, quam gesserunt.

EXEGESIS LITTERALIS.

COactum se dicit in gloriationem prosiliisse, non inuitum tamen iterum ad Corinthios venire; sed veritum ne multa displiceant, & seuero egeant remedio: sicque in luctum concludit.

[Factus sum insipiens, vos me coëgistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minùs fui ab iis, qui sunt suprà modum Apostoli: tametsi nihil sum, &c.] Ex Chrysostomo, & ex Græco: [Factus sum insipiens gloriando.] Nam [Absolutâ de suis laudibus oratione, hîc minimè gradum fixit: verùm se rursus excusat, ac de iis, quæ dixit, veniam petit; necessitate nempe adductum se fuisse dicens, non voluntate, animique inductione.] Igitur, laudando me, ac gloriando, hoc feci quod faciunt ij, qui minùs sapiunt: sed si eos imitatus sum, in id à

Chrysost. Hom, 17.

A vobis impulsus sum: me enim potius defendere debuistis vt Apostolum vestrum, quàm calumniatoribus & obtrectatoribus meis præbere auditum, vel accessum permittere. In nullo enim defui, nec aliquid minus præstiti, quàm illi qui Apostolorum primi sunt atque præcipui: tametsi nihil sim ex meipso, nihil possim nisi à Christo. [Signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientiâ, in signis, & prodigiis, & virtutibus, &c.] Ex Græco, & ex Ambrosio. [Signa tamen Apostoli facta sunt

Miracula verū Apostolatum confirmantia.

B in vobis.] Talia nimirum miracula quæ paterent omnibus, & Paulum etiam contumacibus probarent Apostolum: licet enim quouis casu patrata sint, nullo tamen fastu. [Sic se humiliat, vt erigat: patientiam tamen primam memorat, quia diu illos portauit quasi impatientes ægros, vt adhibitâ medicinâ signorum atque virtutum curaret vulnera erroris illorum. [Ita Comment. Ambros. [Quid

Comment. Ambros.

est enim, quod minùs habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam, &c.] Sicut autem inferior non fui magnis Apostolis in ministerio Euangelico, ita nihil minùs habuistis ab aliis, inferiores non fuistis ceteris Ecclesiis, à quocumque, etiam à meipso fundatis: nisi quòd alias exspoliaui Ecclesias, vos autem nullo sumptu oneraui, nihil à vobis accepi. Minùs inde habetis? Imò minùs impendistis. Iniuriam à me accepistis? imò gratiam: sed si iniuriam potius putatis quàm gratiam: parcite, ignoscite, hanc mihi iniuriam remittite.

[Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis, &c.] Num hæc dico, vt si defueritis aliquando, memineritis de cetero? Imò ecce tertiò dispono venire ad vos, vt inseruiam: & nihil accipiam; in isto enim ministerio, non quæro vtilitatem meam, sed vestram salutem: semino spiritalia, temporalia non exigo: non enim patrum est à filiis accipere, sed potius illis dare, patrumque assignare patrimonium. [Ne videatur idipsum sæpe proferre, ait Athanas. tanquam de cetero sit ab his quidpiam accepturus, sic inquit: Neque enim quia nihil accipiam, idcircò neque ad vos proficiscor: Quin & tertiò me paro iterum, neque grauabo vos: non enim vestra à vobis deposco, hoc est, pecunias, & fortunæ bona: sed vos, hoc est animæ vestræ salutem.] Ita pater spiritalis, ita doctor cœlestis. [Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minùs diligar, &c.] Tantum abest, vt exigam quæ vestra sunt, quin & mea, imò, & si opus est, meipsum impendam pro salute vestrâ: nihil excipio, non vitam ipsam, quam ex animo expendam: licet vicem non rependatis, & vehementissimè diligentem vos, frigidè diligatis. [Sed esto: ego vos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo vos cepi, Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? &c.] Dicent fortasse nonnulli: Equidem nihil palàm accepisti, sed astutè; per alios extorquendo, socios tuos fraude potius quàm iure committendo. Numquid ergo per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? ἐπλεονέκτησα, extorsi quæ vestra sunt, per fraudes & sordes accepi? Quis id audebit dicere, aut probare poterit? [Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne iisdem vestigiis? &c.] Adhortatus sum Titum vt vos adiret, illi addidi fratrem non ignobilem. Num vel quid minimum Titus à vobis extorsit? Hominem nostis, & scitis tam auaritiæ ac cupiditatis vacuum, quàm salutis vestræ percupidum. Nonne & nos eodem animo conuersati sumus apud vos, nonne & iisdem institimus vestigiis? [Apertum est, ait Ambros. quia quando ab iis quos misit, nihil tale dictum aut factum est; vna eorum sententia probatur in bono, exclusâ suspicione auaritiæ. Omnia igitur quæ possent ex aduerso proponi, non tacet, vt se purget per omnia: quia nihil per circumuentionem egit apud eos, sed simplicitate.]

Athanas. in Paul.

Filij carnales minus erga parentes quam in filias potentes sunt propensi.

Ambros. in Paulum.

A

[Olim putatis quòd excusemus nos apud vos? Coràm Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram, &c.] Putatis iterum: Græcè πάλιν, non πάλαι: rursum ergo forsan existimatis me hac dixisse, vt excusem commendemque apud vos: me purgasse, vt humanam comparem gloriam? Non hæc mea mens, mihi credite: testis mihi sit Deus, quòd in Christo loquor, nec in commendationem nostram, sed in salutem vestram glorior. [Veritus, ait Comment. Athanas. ne assentatoris fungi officio videretur, sic inquit: Nequaquam ad gratiam vobis hæc loquimur, tanquam excusatione vtentes: sed perinde ac Deo spectante, & in Christo loquimur: hoc est, per Christum ita enuntiamus. Nam ædificandi vos gratiâ, nihil accepi: non vt vos obturbarem, sed iuuarem potius & prodessem.] Alij parua reiiciunt, vt accipiant maiora, subdolâ auaritiâ: alij pecuniam recusant, vt acquirant gloriam, secretâ superbiâ. Deus scit, me negotium Christi agere, animam, non pecuniam aut gloriam quærere. [Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis, &c.] Amor meus, pro salute vestrâ: timor meus, de perditione vestrâ. Timeo enim ne fortè cum ad vos veniam, non correctos inueniam: & ita me inueniatis tristem potius quàm lætum, nec tam inspiciatis vt patrem benignum, quàm seuerum iudicem. [Ne fortè contentiones, &c.] Hoc est etiam quod timeo, ne quo modo sint inter vos pugnæ verborum, solo altercandi ac superandi susceptæ studio. [Æmulationes.] Liuida ingenia. [Animositates.] Iræ amaræ.] Dissensiones.] Peruersa improborum seu factiosorum studia. [Detractiones.] publicæ. [Susurrationes.] Clancularia. [Inflationes.] Ex animo superbo intumescentes. [Seditiones,] Tumultus seditiosi, & subitanei impetus. [Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiâ, & fornicatione, & impudicitiâ, quam gesserunt.] Et hoc igitur timeo, ne cum secundò ad vos venero, contristet me Deus meus, & ita humiliet: lugendo multos ex iis qui iam diu peccauerunt, inconditè agendo, viuendoque impudicè, & nondum debitam de vitâ anteactâ egerunt pœnitentiam. [Manifestat, ait Aquinas, eorum malitiam, quantum ad mala præterita, de quibus non pœnituerunt, cum dicit, ne iterum cum venero humiliet me Deus, id est, affligat apud vos.]

Comment. Athanas.

C

Inde suboritur timor, vnde amor nascitur.

D

Aquin. lect. 6.

E

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

SIc se excusat Paulus, vt frænum teneat victoriæ: sic ius suum relaxat, vt debitum imponat beneuolentiæ. Sit ergo

DISQVISITIO PRIMA.

De victoria.

TRiumphat Paulus, & palmam ostentat in victoriam: sed tanto victoria certior & illustrior, quanto & verbis probata euidentiùs, & factis solemniùs confirmata.

PVNCTVM PRIMVM.

De verbis.

HVcusque Apostolus incessit gloriabundus, & ad certam non inanibus verbis, sed efficacibus argumentis processit victoriam. Insurgant æmuli, & insipientiam mihi obiiciant per inuidiam. [Factus sum insipiens, vos me coëgistis.] Insipientiam purgat necessitas, inuidiam propulsat humilitas, charitas coronat superbiam.

Quoad necessitatem. Sapientiæ palmam amittit, qui sine necessitate, sine vtilitate seipsum extollit; sed manifestam extremæ dementiæ notam incurrit, qui in publicam sese ruinam erigit. [Si igitur ipsi pseudapostoli ita se iactarent, vt id sine vestrâ fraude facerent, nec vos in exitum impellerent: (ita apud Chrysostomum) haudquaquam eò progressus essem, vt in eiusmodi sermones meipsum demitterem. Quoniam autem vniuersam Ecclesiam labefactabant, vtilitatis vestræ causâ insipientiæ vitio laborare coactus sum. Posteaquam enim, per ea, quæ dixit, id, quod in animo habebat, effecit, liberè iam atque audacter vitium huiusmodi notat; quo videlicet omnes erudiat, ne, nisi summa necessitas vrgeat, quisquam suas laudes prædicet.] Si veritas desit, diabolicum est; si insit veritas, sed absit necessitas, humanum est: expectanda igitur summa & extrema necessitas, nedum veritas socianda, vt Christianum sit, laude dignum ac mercede. Quod verum sit, quod dicit Apostolus, veritatem adducit in testem: quòd verò planè & absolutè necessarium eo ostendit, quo se coactum asserit. [Non enim, ait ille, animus noster attollitur, cum nos ea scimus, & cum ad alios efferimus. Neque enim rectè factorum natura fastum atque arrogantiam afferre consueuit: sed vulgi testimonium atque cognitio. Ob eam causam ait, Non expedit mihi: ac ne maiorem auditorum animis de me cogitationem immittam. Etenim pseudapostoli ea, quibus carebant, de seipsis prædicabant: hic contrà ea etiam, quæ ipsi insunt, reticet atque occultat: idque cum tanta ipsi necessitas incumbat: aitque, Non expedit mihi: quo nimirum omnes doceat multo etiam magis huiusmodi rem fugere.] Tanta ergo & tam magnifica, nulli omninò, nisi Deo soli nota, æterno pressisset silentio Apostolus, nisi extremitas impulisset, coegisset necessitas. [Videsne, inquit Chrysostomus, quo pacto magnam sibi loquendi necessitatem impositam esse ostendat. Velim ergo consideres, quemadmodum in suas laudes ingredi parat, occupatione quadam vtitur. Stulta enim res est, inquit, gloriari. Ego verò hoc, non vt stolidus facio: sed vt coactus. Qui igitur ne hanc quidem suspicionem reformidabat, quantam vim ad loquendum sustineret, quámque huiusmodi sermonem parturiret, ac profundere cogeretur, tecum velim consideres.] Insipientem putabit me, qui non cogitabit renitentem. Causa me abripit, tam iusta quàm necessaria; cogitque occulta diuulgare, manifesta commendare: sed necessitate, non voluntate hanc suscepi prouinciam: non id ex voto, aut animo: nec tam expetitum opus, quàm onus impositum.

Chrysost. Hom. 27.

Ad laudem tolerabilem veritas & necessitas.

Chrysost. Homil. 26.

Chrysost. Hom. 24.

A

B

Quoad humilitatem. Nullus hominum adeò magnificè sese extulit, nullus mortalium adeò submissè sese exinaniuit: si enim sustinenda Dei gloria, seipsum vsque in cœlum inferet; si exhibenda Pauli persona, vsque in abyssum seipsum deiiciet. [Nihil enim habui ab iis, qui sunt suprà modum Apostoli: tametsi nihil sum.] Certè, vt obseruat Chrysostomus: [Cum nulla necessitas vrgebat, minimum etiam Apostolorum se dicebat, ac ne Apostoli quidem nomine dignum: cum autem tempus id postulabat, nihilo inferiorem se esse præstantissimis quibusque Apostolis.] Sed & tria ex illo adnotanda sunt. Primum est, quòd cum se posset præferre, cum plus omnibus laborauerit; maluit conferre, vt vbique suam retineret modestiam. Alterum, quòd non solùm recenseat reuelationes, sed & tentationes admisceat; vt memor moris sui, & non tam Apostolum gratiâ commendet diuinâ, quàm Paulum propriâ temperet miseriâ. Tertium, si gloriari oportet potius quam humiliari, extraneam assumet personam, & illi gloriam, sibi autem tribuet insipientiam. [Scio hominem, quoniam raptus est in paradisum. Pro huiusmodi ergo gloriabor: pro me autem non gloriabor. Quibus verbis haud istud indicabat, alium fuisse, qui raptus fuerat: verùm, vt simul, & quantum fas erat, diceret, & interim de se apertè loqui vitaret, ad hunc modum orationem conformauit. Num enim alioqui consentaneum fuisset, cum de se verba faceret, alium in medium proferre? Quid igitur affertur, quamobrem istud sic posuerit? Pro huiusmodi gloriabor. Quid ita? Si enim alius raptus est, quid tu gloriaris? Ex quo illud intelligi datur, eum de seipso hæc prædicasse. Quòd si subiunxit, pro meipso autem non gloriabor, nihil aliud his verbis significat, quàm quòd nullâ vrgente necessitate nihil huiusmodi leuiter ac temerè dicturus sit. Aut certè, vt rursus, quod dixerat, quantum fieri poterat, adumbraret.] Parùm est inuitum ac repugnantem laudare se: multum, laudantem occultare se: sub vmbrâ alterius latêre, personâ carere, vt & modestiam seruet, & declinet inuidiam. [Cum igitur multis aliis nominibus, ait ille, Paulum quispiam suspicere atque admirari posset; tunc hoc potissimum, quòd cum in maximam necessitatem inciderit seipsum extollendi, vtrumque assequitur, nempe vt & hoc faciat, & tamen ex suarum laudum prædicatione nullam inuidiam sibi conflet.]

C

D

E

Chrysost. Hom. 25.

Chrysost. Hom. 26.

Quomodo modestia seruatur, & declinatur inuidia.

Chrysost. Homil. 22.

constet.] In eo non solùm singularis modestia est, sed & specialis prudentia.

Quoad charitatem. Nec cessisset Paulus necessitati, si nihil debuisset charitati: nec humilitatem suam exposuisset periculo, nisi publicam scrupulo prætulisset vtilitatem. [Si igitur sermonis progressu, ait Chrysostomus, altiùs loquitur, ne mirum tibi videatur. Id enim Paulinæ quoque prudentiæ est. Nam si vbique demissè abiecteque locutus fuisset, minimè discipulos ab errore liberasset. Siquidem accidit interdum, vt & intempestiuâ modestiâ quis vtens, detrimentum afferat; & contra eximium aliquid de se opportunè prædicans, prosit: quemadmodum ipse quoque fecit. Neque enim paruum periculum imminebat, ne discipuli eò adducerentur, vt de Paulo sinistram aliquam opinionem imbiberent: non quòd Paulus humanam gloriam captaret. Nam si eam appetiisset, non magna illa & admiranda, quæ antè quattuordecim annos ipsi contigerant, tanto tempore silentio compressisset: nec profectò, qui vrgente etiam necessitate ita dicere cunctabatur ac refugiebat, ea tum dixisset, nisi magnâ necessitate constrictus fuisset. Quocirca non humanæ gloriæ studio ac cupiditate ductus hæc dicebat: sed vt discipulis consuleret. Multorum quippe salutem sibi ob oculos proponebat, in hoc videlicet omnia sibi posita existimans.] Vanus est ille, qui vera etiam de se narrat, vt propriæ seruiat cupiditati; ille autem non tolerandus solùm sed & amandus, qui etiam mira de se renuntiat, vt alienæ saluti consulat. Sciebat Paulus sibi parari inuidiam, & pressuram suscitari, laudando se ac commendando. [Et tamen, ait Chrysostomus, ne hoc quidem facere supersedebat: verum vnum, id spectabat, vt auditorum saluti consuleret.] Indignationem pseudapostolorum sese verbis & fallaciis venditantium incurrebat, sed eruditionem discipulorum propriis præferebat incommodis, offensionem contemnebat malignantium, deceptionem comprimebat obtrectantium. [Nam & totus hic mundus, ait ille, ingens quidem & præclarus est, diuinæque sapientiæ argumentum, & cœli Dei gloriam enarrant, & dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: & tamen plerisque ad hunc offendere contigit. Partim enim adeò immodicè, ac suprà quàm æquum esset, eum admirati sunt, vt Deum esse arbitrarentur: Partim rursus in tantâ pulcritudinis ipsius ignoratione versati sunt, vt indignus ipsis videretur, qui Deum auctorem haberet, magnaque proinde ex parte perniciosæ cuidam materiæ assignaretur. Atqui Deus vtrosque communiuerat, eo nimirum ita condito, vt & magnitudine ac pulcritudine præditus esset, ne ab ipsius sapientiâ alienus esse censeretur; & rursus alienâ ope indigeret, ne sibi ipsi sufficere posset. Et tamen ipsi à rationibus suis cæcati, in contrarias opiniones inciderunt, seque mutuò confutantes & accusantes, diuinamque sapientiam, per eas ipsas rationes, quibus in errorem inducti sunt, ab omni culpâ & reprehensione vindicantes.] Quod de mundo, hoc & de Paulo. Proponet quidem infirmitates suas, sed & suas exponet dignitates: cæcitatem dolebit stultorum, malignitatem irridebit inuidorum: referet reuelationes & visiones, signa & prodigia, sed omnia in charitatem, in Dei maiestatem, & vtilitatem proximi conferet. Sicut enim intempestiua quædam modestia est, sic & pia quædam est superbia: & sicut illa reprobanda est, sic & ista coronanda.

Chrysost. Homil. 22.

Chrysost. Homil. 23.

Chrysost. in Moral. Homil. 21.

Quæ intempestiua modestia, & pia superbia.

PVNCTVM SECVNDVM.

De factis.

HVcusque verbis: nunc & factis agendum est. [Nunc enim, ait Chrysostomus, non eodem modo: verùm maiori cum auctoritate ac potestate, vt qui ex his, quæ antè dixerat, liberiùs loquendi facultatem nactus esset. Ego enim debui commendari: nihil enim minus habui ab iis, qui sunt suprà modum Apostoli tametsi nihil sum: signa tamen Apostoli acta sunt in vobis. Nullæ meæ partes desideratæ sunt, verùm Apostolatûs mei experimentum præbui.] Primò ergo inquirendum, Quæ sint signa Apostoli: secundò, Quotuplicia sint: tertiò, Quomodo inde iustè gloriabundus Apostolus.

Quoad primum. Cum ait, signa Apostoli seu Apostolatûs sui facta esse apud Corinthios, innuit nonnulla esse miracula singularia, &, vt ita dicam Apostolis ipsis propria; vt quæ characterem habeant missionis Apostolicæ, & auctoritatem supremæ potestatis obtineant. [Quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur. Petrus autem dixit: In nomine Iesu Christi Nazareni surge; & ambula. Et apprehensâ manu eius dexterâ, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.] Tria obseruanda sunt in isto miraculo Apostolico. Primum est, quòd natus esset claudus. Sed & in eo triplex reflexio est: prima, ita claudum fuisse, vt bajulandus esset portandusque: [Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa.] Altera, quòd vitium non solùm innatum esset, sed & quadraginta annorum spatio cumuloque obfirmatum. [Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.] Tertia, quòd tot miraculi testes essent, quot vitij. [Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Hierusalem: manifestum est, & non possumus negare.] Nonnulla mala accidunt, quæ arte sanantur; alia nobis innata sunt, quæ ætate dissipantur: sed quando innata sunt, & tanto temporum obdurata curriculo, nec arti subiacent nec ætati, nec spem præbent nec suspicionem. Sunt & alia innata, & confirmata, sed quæ incerta sint & obscura, & si fortè sanata sint, non tam admirationi quã dubitationi sint exposita. At iste claudus ex vtero matris suæ, iam annum supergressus quadragesimum,

Chrysost. Homil. 27.

Actuum cap. 3.

Actuum cap. 4.

Quartæ claudo sanato circumstantiæ.

quotidie ad portam templi expositus, & ad eandem templi portam expeditus: id est, omnibus non audientibus tantùm, sed & videntibus. [Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat.] Secundum quod obseruandum, Claudum protinus exurgere, ad primum Petri verbum imò imperium incedere. Nonnulli enim conualescunt, sed tractu temporis, sed verbis aut remediis iteratis, nec tam corporis tractu quàm attritu: sensimque ac paulatim emergunt. At iste continuò, subitò, in momento. [Et protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ.] Tertium, Claudum istum non solùm conualuisse, sed & ampliores accepisse vires. [Ambulans & exiliens. Cognoscebant autem illum: impleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi.] Quidam accipiunt gratiam, sed diminutam; & si vsum recipiunt, non tamen ad cumulum. At isti & donum sanitatis collatum est, & augmentum roboris.

Act. cap. 3. & 4.

Miraberis Christum aliquando cunctatum, minoraque operatum miracula. Ingens virtus, aperuisse oculos cœci nati. Vnde quidam dixerunt: [Non poterat hic, qui aperuit oculos cœci nati, facere, vt hic non moreretur?] Ille enim non solùm cœcus erat natus, sed & iam cæcitate sicut & ætate prouectus. [Ætatem habet, ipse de se loquatur.] Tamen nec subitò curatus est, nec sine remedio. [Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoriâ Siloë. Abiit ergo, & lauit, & venit videns.] Sed triplex responsio est. Prima, quòd miracula Christi non solùm diuina sunt opera, sed & mysteria cœlestia. [Ea quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, (verba sunt Augustini) stupenda atque miranda; & opera, & verba sunt: opera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt] Non enim sanitatem tantummodò conferunt, sed & instruunt mentem, dum per visibilia transferunt ad inuisibilia. Quid enim sputum? Certè non tam collyrium est quàm mysterium: & ideò cunctandum erat, vt non tam inclaresceret cæcitas, quàm veritas patesceret. Secunda, quòd Christus aliquando maxima etiam faciendo, non solùm admirationi occurrerit, sed & dubitationi præcauerit: vt cum de tot languentibus vnum sanauit paralyticum, quasi proclamatæ salutis tædio confectum, & de tot dormientibus vnum suscitauit Lazarum, quatriduanæ mortis infectum senio. [Quomodo processit ligatis pedibus miraris, ait Augustinus, & non miraris quia surrexit quatriduanus. In vtroque potentia Domini erat, non vires mortui.] Tertia, quòd Apostoli, siue maiora fecerint, siue minora, non propriâ virtute, sed virtute diuinâ fecerint. [Per discipulos, ait Augustinus, facta sunt magna: sed ille per illos, qui & per seipsum: ipse quippe illis dixerat: Sine me nihil potestis facere. Quando claudus ille, qui sedebat ad portam, ad vocem Petri surrexit, & suis pedibus ambulauit, ita vt homines mirarentur, sic eos allocutus est Petrus, quia non in suâ potestate ista fecit, sed in virtute illius, quem ipsi occiderunt.] Quando ait Augustinus, Petrum non

Ioan. c. 11.

Augustin. Tract. 44. in Ioan. init.

Cur Christus minora operatus miracula.

Augustin. Tract. 49. in Ioa. vers. fin.

Augustin. Tract. 31 in Ioan. cir. med.

A in suâ potestate claudum curasse, non adimit potestatem quam habuit: [Quod autem habeo, hoc tibi do:] Sed ostendit non habuisse vt propriam; nec per naturam exercuisse, sed per gratiam: quomodo in Christo tam propria quàm & innata, cum & ipse naturâ filius non gratiâ: seu, vt ait Leo. [Non adoptiuus, sed proprius: non aliunde creatus, sed ex Deo patre genitus.] Christus ergo non in nomine Petri, sed Petrus in nomine Christi operatus est. [Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël: quia in nomine Domini nostri Iesu Christi, iste astat coràm vobis sanus.]

Act. cap. 3.

Leo Homil. de transfig. Dom.

Act. cap. 4.

B Sunt ergo nonnulla miracula, quæ edunt Apostoli, & quæ audaciam pseudapostoli suffundunt aut fallaciam [Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.] Paria hucusque faciunt Magi, vel certè similia; nec victi sunt à Moyse & Aarone. Tandem, [Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes, & non potuerunt. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.] In tertiâ nimirum plagâ defecerunt, diuinamque senserunt potentiam. [Quod enim, ait Augustinus, dixerunt Magi ad Pharaonem, Digitus Dei est hic: quoniam non potuerunt educere cyniphes: senserunt profecto cum artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus velut potentior in eis esset Moyses, suos conatus fuisse frustratos, vt non possent educere cyniphes, sed digito Dei, qui vtique operabatur per Moysen. Digitus autem Dei; sicut Euangelium manifestissimè loquitur, Spiritus sanctus intelligitur.] Erat igitur verum miraculum, non humanâ arte, aut fraude diabolicâ, sed diuinâ editum potestate. Signum supremæ auctoritatis factum per Moysen & Aaronem, quasi per veros Apostolos, & à Deo vero missos: superans portentum humanæ vanitatis, magosque seu fallaciæ operarios, ab ipsis separans ministris iustitiæ. Ita igitur Paulus: [Nihil minus feci ab his qui sunt supra modum Apostoli: scilicet, (vt exponit Aquinas) Petro, & Iacobo, & Ioanne, qui videntur à quibusdam digniores Apostoli. Nihil minus feci ab eis, nec quantum ad prædicationem, nec quantum ad conuersionem, ostensiones miraculorum, perpessiones laborum: immò plus, quia plus omnibus laboraui. Et ideò dicit, Signa Apostolatus mei facta sunt super vos, à Deo, inquantum credentes conuersi estis.] Tanta illa miracula, vt fidem impresserint, conuersionem extorserint: adeò manifesta potentia virtutis, adeò certa & indubitata numinis præsentia. [Ne, inquit Paulus, (apud Chrysostomum) hoc inspicias, an vilis & exigui pretij ego sim: verùm an non his, quæ ab Apostolo expectanda erant, tibi frui contigerit.] An non talia ediderim miracula qualia edunt Apostoli Christi: an non opera produxerim, qualia veri producunt Apostoli: an non fidem veritatem. ve factis congruis munierim.

Exod. cap. 7.

Exod. cap. 8.

C Augustin. in Exod. quæst. 25.

Magi in tertia plaga superati.

D Aquin. lect. 4.

E Chrysost. Hom. 27.

Quoad secundum. Non tantùm signa sunt Apostolica, sed & omnigena. [In signis, & prodigiis, & virtutibus.] Hic non verborum strepitus est, sed miraculorum exercitus. [Pa-

Chrysost. Hom. 27.

pæ? (exclamat Chrysostomus) quantum rectè factorum pelagus paucis verbis præteriit. Quot homines ab eo à morte ad vitam reuocati, quot cœci curati, quot leprosi mundati, quot dæmones eiecti sunt? Ne enim aliqui dicerent, Etiamsi magnus es, ac multa gessisti, at non tot tamen ac tanta, quot & quanta Apostoli in reliquis Ecclesiis gesserint, idcirco subdidit, Quid est enim quod minus habuistis præ ceteris Ecclesijs?] Nulla vbique gentium miracula patrata sunt, quæ ego apud vos non patrauerim: nulla mirabilia, quæ & ego non perpetrarim. [Hæc ergo tria distinguntur, ait Aquinas, quia virtus est quid commune ad omnia miracula: nam virtus est vltimum de potentiâ: & ideò aliquid dicitur virtuosum, quia ex magnâ virtute. Quia ergo miracula fiunt ex magnâ virtute, scilicet diuinâ, ideò dicuntur virtutes. Signum verò, refertur ad minus miraculum: prodigium autem ad maximum.] Miracula, sunt mirabilia; sed mirabilia, alia parua sunt, alia magna: porrò, sicut inter parua, nonnulla minora, alia grandiora: sic & inter magna, nonnulla maiora, alia maxima. Parua sunt, quæ sunt secundùm naturam, sed non fiunt secundùm naturam, vt subitanea infirmi sanatio: nam quod naturæ vis fecisset cum tempore, sine tempore fecit impositio manûs, aut vnius verbi prolatio, vel etiam nutûs indicatio. Magna sunt, quæ totam vincunt naturam, nec humanam duntaxat industriam, sed & angelicam scientiam, diuinamque tam euidenter quàm & efficaciter ostendunt potentiam. Ita cæci nati illuminatio, mortui suscitatio: ad hæc enim deficit natura, & sola sufficit gratia. In genere ergo Paulus omnes virtutes edidit, omnigena miracula: tum & ad ea descendit, dum in specie inter parua & magna distinguit, inter quæ & maiora comprehendit & maxima. Vultis quantitatem, vultis qualitatem? innumera sunt, eximia sunt: & in illis eximijs & innumeris, nonnulla sunt, quæ & expectationem excedunt & cogitationem.

Aquin. lect. 4.

Nonnulla sunt secundum naturam in facto sed non in modo, id est non fiunt secundùm naturam.

Quoad tertium. Vnum præmisit Paulus, quod sensit signorum omnium in Apostolico ministerio maximum. [Signa Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientiâ.] Non enim minus, imò plus afficit tangitque conuersatio quàm prædicatio. Sed patientiam nominauit Paulus, quia non solùm perfectum opus habet, virtutesque omnes continet: sed quia ad fidem faciendam, mentemque permouendam apprimè censuit necessariam. [Doctrina viri per patientiam noscitur.] Vultis signa, vultis miracula? Hoc primum & maximum: audire blasphemiam, accipere contumeliam, & tenere patientiam. [Vide, ait Chrysostomus quid primum collocet: nimirum patientiam. Hoc enim Apostoli specimen atque argumentum est, nempe omnia forti animo ferre.] Sed cùm dicit, [In omni patientiâ:] Intelligit per omnem patientiam, perfectam, virtutem integram: & cum nulla virtus integra sit & perfecta citra charitatem, per omnem patientiam ostendit veram charitatem: quanquam enim quis habere charitatem possit, & nullum facere miraculum: tamen & hoc ostentum portentumque, si quis miraculum facere possit, & non habere charitatem. [Neque enim, vti dixit Ambrosius, videtur ille, qui habet omnem fidem, ita vt montes transferat, charitatem non habere.] Non videtur, non quod forsan esse non possit, sed quod non sit; & si forsan sit, maximum illud sit prodigium. [Paulus loquatur; ait Augustinus, Si sciam, inquit, omnia sacramenta, & habeam omnem prophetiam & omnem fidem: & quantam fidem: ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Nemo ergo fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum: & Donatus orauit, & respondit ei Deus de cœlo. Primò, aut falluntur, aut fallunt. Postremò, fac illum montes transferre: Charitatem autem, inquit, non habeam, nihil sum. Videamus B vtrum habuerit charitatem. Crederem, si non diuisisset vnitatem. Nam & contra istos, vt sic loquar mirabiliarios, cautum me fecit Deus meus, dicens: In nouissimis temporibus exurgent pseudoprophetæ, facientes signa & portenta, vt in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus.] Fortean esse possit aliquod verum miraculum sine charitate, sed si sit, nouum est prodigium, ideoque nec ordinarium est; nec citò credendum. Deus enim non solet eam gratiam nisi amicis conferre; & si dispenset nonnunquam iusto, sed arcano iudicio: id tam mi- C rum, quàm quod rarissimum.

Prouer. c.15.

Chrysost. Hom. 27.

Ambros. epist. 74.

Augustin. Tract. 13. in Ioan. vers. fin.

Miracula nulli fere sine charitate concessa.

Proponit igitur primò patientiam omnem, seu virtutem integram, perfectam charitatem: tum & signa subdit & prodigia: sed cum subdit; [In signis & prodigiis:] Turbam simul producit miraculorum Apostolicorum omnigenam; quam aduersùs æmulos armaret, id est; aduersùs pseudapostolos, cum ceteris illis Apostolis, suo vindicaret ministerio. [Ipse Apostolus Paulus, (verba Augustini) post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inueniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ec- D clesia illi omninò non crederet. Sed cum cognouisset eum hoc annuntiantem, quod etiam illi annuntiabant, in eorum communione atque vnitate viuentem accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia & illi operabantur: ita, eum Domino commendante, meruit auctoritatem, vt verba illius hodie sic audiantur in Ecclesiâ, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur.] Nulla secta non aliquo gloriatur miraculo: sed Paulus Apostolus non tam dono miraculorum Apostolicorum, quam Apostolorum in vnâ charitate & eadem societate gloriatur consortio. [Itaque, ait ille, & voce Domini auditâ, ad E Ananiam tamen missus est, vt illo sacerdotio quod in Ecclesiâ constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei reciperet. Non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere, nam quis alius hæc fecit etiam in Ecclesiâ? sed vt ipsa societas congregatorum fidelium approbando inuicem atque communicando veræ fidei, doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis vel signantur sacramentis, tanquam vnam speciem veri coloris obducas,

Augustin. l. 28. cont. Faust. c. 4.

De quo maxime gloriabūdus fit Apostolus.

Augustin. l. 2. quæst. Euang. c. 10.

Ad hoc etiam pertinet quod idem dicit Apostolus, Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Ipsa enim collatio vnam doctrinæ speciem, exclusâ omni varietate monstrabat.] Paulus igitur Apostolus ceteris vnitatis symbolo, seu charitatis vinculo sociatus Apostolis: sed quia nouissimus vocatus est, signis amplius prodigiisque amplius ditatus est: vt quod minus videretur vocationis tempore, maius dignationis munere redderetur. [Noli, ait Hieronymus, fidem pensare temporibus: ne me idcircò meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus, & vas electionis, de persecutore mutatus, nouissimus in ordine, primus in meritis est: quia, extremus licet, plus omnibus laborauit.]

Hieronym. ep. 13. post. init.

DISQVISITIO SECVNDA.

De beneuolentiâ.

Victoriam retulit Apostolus aduersùs pseudapostolos, nunc suam ergà Corinthios ostendit beneuolentiam. Semel & iterùm aduentabit, nusquam onerabit.

PVNCTVM PRIMVM.

Quoties aduentarit.

Audiamus dicentem, sed intelligamus promittentem. [Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos.] Nondum aduenit, sed promittit: nec aduentum recenset, sed animum ad rem profectionem-ue spondet paratum.

Primò igitur certum est Apostolum plusquam semel Corinthum adiisse, & Apostolicum exercuisse ministerium. Quòd adierit, habemus ex scripturâ. [Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum.] Quod plusquam semel adierit, habemus ex coniecturâ validissimâ. Tenemus namque epistolam ad Romanos Corintho missam: at mitti non potuit in primo aduentu, cum non solùm vltimam maturaret collectam, sed & Hierosolymam properaret, & inde Romam. Porrò Epistola ad Romanos, eodem anno scripta est, quo secunda ad Corinthios: si ergo nec prima scripta est, nisi post aduentum primum, necessariò epistola ad Romanos ad secundum est aduentum differenda. Ita, iudice Baronio, audiendus est Lucas, cum scribit: [Postquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: vbi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam: habuitque consilium vt reuerteretur per Macedoniam.] Nam per Græciam, intelligit regiones omnes quæ ab Achaiâ vsque ad Illyricum interjacent, sed maximè quæ totam complent Achaïam, in quâ Corinthus: & inde secundus Corinthum aduentus: nam antequam rediret Paulus in Macedoniam, Corinthum versùs iter direxit, & inde ad Romanos scripsit. Non igitur semel tantùm Paulus Corinthum venit, sed semel & iterum reuisit. [Quòd autem dicit, ait Chrysostomus, hanc habet sententiam: Non quia nihil accipio, idcircò ad vos non accedo: verùm & tertiò ad vos proficisci paro, nec vobis oneri ero. Ecce tertiò iam paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis.] Accinctum se tertiò dicit ad iter paratumque: & cum iam semel accessisset, conatus in totum irritus, nisi Corinthum adhuc semel iterum-ue inuisisset.

Act. c. 18.

Bar. Tom. 1. Annal. 58.

Act. c. 20.

Achaia maximè per Græciam comprehensa.

Chrysost. Homil. 27.

Certum est secundò non plusquam semel & iterum adiisse, seu semel tantùm & iterum inuisisse. Ita ab initio Epistolæ. [Et hac confidentiâ volui priùs venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis.] Secundam dicit, non tertiam; & voluisse, non tamen & fecisse: imò palàm aperit se defuisse, nec adhuc plusquam semel affuisse. [Cum ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, vt sit apud me Est & Non? Ego autem testem Deum inuoco & animam meam, quòd parcens vobis, non veni vltrà Corinthum.] Cogitauerat ergo Paulus de profectione, & in mente proposuerat: sed excusationem postea iniit, & rationem addidit, quòd parcens, seu indulgens non vltrà venisset Corinthum, id est, semel tantùm aduenisset. Idcircò cum ait, [Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos:] Intelligit animi præparationem seu dispositionem, non executionem propositi. Post primum quippe aduentum statuit, imò & promisit semel atque iterum adire Corinthum: sed licet bis ex voto, semel tamen de facto rediit. [Non ergo dicit, Tertiò venio, ait Aquinas, quia benè ter paratus fuit ire ad eos, sed tamen non iuit nisi bis. Paratus enim fuit ire primâ vice, & tunc iuit, & conuersi sunt. Secundâ vice fuit paratus, & fuit impeditus propter peccatum eorum, & tunc non iuit, de quo excusat se in principio huius epistolæ. Modò est paratus ire tertiò, id est tertiâ vice, & iuit. Vnde bis iuit, & ter fuit paratus ire.] Iam antè scriptionem postremæ huius epistolæ, se ad iter accinxerat, sed ex iusto consilio animum verterat, & resciderat propositum. Nunc & rursus pedem infert, nec refert amplius: sed cum vnâ gratiâ frustrati sint Corinthij, secundâ tantùm donati sunt, non tertiâ.

2. Cor. c. 1.

Aquin. lect. 5.

Corinthii secundâ tantùm gratiâ donati, non tertiâ.

Certum est tertiò subsequentia verba ex primis istis capienda. [Ecce tertiò hoc venio ad vos.] Non enim hoc promittit, quasi velit, bis iam se venisse, & tertiò profecturum aduenturumque: sed distinguit hoc tertium propositum à secundo, in eo quod secundum cassum fuerit & irritum, sed tertium hoc & vltimum erit efficacissimum. Quid est ergo, Ecce tertiò hoc venio ad vos?] Id est, vt exponit Chrysostomus: [Priusquam adsim, rursus scribo.] Scitote me venturum ad vos: & id tam certum, ac si iam adessem, ac limen tangerem: sed antequam perueniam, moneo vos agere pœnitentiam, ne virgam potius aduersùs incorrectos exerceam, quam

Chrysost. Hom. 29.

Aquin. lect. 5. in cap. vlt.

clementiam. [Promittit ergo, (ex Aquinate) suum aduentum, dicens, Ecce ego venio: quasi dicat; Certum sit vobis, quod venio ad vos. Et ideò cauete vobis ne inueniam vos imparatos. Et dicit, Tertiò: non quòd tertiò iuerit, sed quia tertiò iam parauerat ire, etsi non iuerat nisi semel, in secundo apparatu impeditus.] Non igitur alia est istorum verborum, quàm & aliorum sententia: idem testimonij sensus, quia idem animus Apostoli, qui ter quidem parauit, sed iterum duntaxat adtentauit. Ne tamen putarent Corinthij mentem fore mobilem, & inefficacem voluntatem, occupat Apostolus, & se quasi proficiscentem repræsentat progredientemque. [Ecce tertio hoc venio ad vos.] Nam vt aduertit Ambros. [Superiùs præparatum se dixit, nunc iam venturum significat.] In altero quidem apparatu, voluntas affuit profectionis, sed facultas defuit: in isto quasi aduentu, promissionis aderit efficacitas. Non igitur prior istis verbis infringitur intelligentia, sed potius statuitur, firmiorque stabilitur sententia. Reuera enim ter Paulus induxit adire Corinthum, sed semel tantùm & iterum, non autem ter adiit.

Præsumendus, effectus vbi accinctus est animus.

Ambros. in cap. 13.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo exonerarit.

IN hoc minus habuerunt Corinthij præ ceteris Ecclesiis, quod minus dederunt; quia quod non dederunt, perdiderunt. [Quid est enim quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non grauaui vos?] Alias expoliaui Ecclesias, vestris autem peperci, quia nihil à vobis in vsus & sumptus accepi. An in hoc minus habuistis, an aliquam inde contraxistis iniuriam? imò gratiam potius experti estis beneuolentiamque, quasi aliis prælati Ecclesiis. Porrò si querimini plusculum vobis indultum, si arbitramini gratiam istam vobis verti in iniuriam, cum lucrum istud, damnum sit; & retentio pecuniæ, sit gratiæ minutio: nihil dicam, sed adiiciam, donandam mihi esse hanc iniuriam: non enim culpâ meâ accidit, sed vestrâ parcimoniâ; ideoque non meæ voluntati, sed infirmitati vestræ tribuenda. [Quid est enim, ait Chrysostomus, Quod minus habuistis præ ceteris Ecclesiis? Non minorem, quàm ceteri, gratiam accepistis. Nisi quòd ego ipse non grauaui vos: donate mihi hanc iniuriam: siquidem iniuriæ hoc ducebant, quod Apostolus à se id impetrari minimè passus esset, vt quicquam ab ipsis sumeret; nec tantum fiduciæ concepisset, vt ab his ali sustineret. Si hoc, inquit, mihi crimini vertitis: non dixit, Malè me accusatis: sed non sine magnâ suauitate, A vobis peto, vt mihi huius peccati gratiam faciatis. Quoniam enim hoc, assiduè vsurpatum & inculcatum, probrum ipsis afferebat, idcircò etiam assiduè illud mitigat. Vbique enim cauet, ne ostendat eorum imbecillitatem in causâ esse, cur nihil ab ipsis accipiat: ne hinc animos eorum feriat. Ob id-

Chrysost. Hom. 27.

A que sic loquitur: Si hoc peccatum esse ducitis, veniam peto. Hoc enim solertis animi est, nimirum incidere, & vulnus obligare.] Percellit simul & lenit, beneuolentiam simul ostendit ac solertiâ. Si quis reatus est, in Corinthios ipsos refundendus est: innocens tamen à reis veniam postulat, vt culpam comprimat. Tota causa in infirmitate Corinthiorum & parcitate reponenda: alias nihilominus causas conquirit Apostolus, & partes suas facit, ne sordes alienas tangat aut detegat. Scit illos minùs habuisse, dum suam sibi seruarunt pecuniam; sed nouit sermonis inuertere figuram, ne offensam inde contrahant, & beneuolentiam Apostoli conuertant in animi diffidentiam.

Tanta in Paulo solertia est, quanta beneuolentia.

B Et id suauius facit blandiusque, cum subiungit: [Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.] Non grauabo vos, non sumptibus impensisque vtilibus aut etiam necessariis ad victum ac vestitum onerabo. [Nec dixit, Quia præparati estis, inquit Chrysostomus, quia offendimini, quia imbecillitate laboratis. Sed quid? Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Maiora quædam posco? nempe animas loco pecuniarum, salutem auri loco. Sed quoniam res nondum suspicione carebat, tanquam videlicet ipse dolore quodam aduersùs eos commoueretur, ob eam causam rationem quoque ponit. Quandoquidem enim verisimile erat eos dicere, An non licet nobis; quæ nostra sunt habere, non sine magnâ suauitate ac venustate defensionem ipsorum in hæc verba subiungit, Non enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis: magistrorum videlicet ac discipulorum vice, parentes ac filios collocans, ac demonstrans se debito quodam munere perfungi, cum tamen ad id minimè adstrictus esset. Non enim ita imperauit Christus: sed pro suâ erga eos indulgentiâ his verbis vtitur.] Tria igitur sunt obseruanda: quorum primum est, Apostolum potuisse sumere sumptus ex iustitiâ, sed remisisse ex indulgentiâ. An illud minus? imò plus: potuit enim, sed noluit: licet enim impensa illa pecunia, non tam æquitatis onus sit, quàm opus pietatis: ne tamen oneri imputetur quod debetur operi; vel putetur graue, quod censetur laudabile: veniam, (inquit) & nihil accipiam. [Aliquando, ait Aquinas, contingit, quòd ideò aliqui non accipiunt vno tempore, vt reseruent se ad aliud tempus, in quo possint, & plus accipere & audaciùs. Ne ergo illi simile crederent de Apostolo, vt ideò noluisset primâ vice recipere ab eis, vt postmodum reciperet plus, dicit quod non solùm hoc fecit olim, sed etiam paratus est facere in futurum.] Parcens nimirum, indulgensque. Alterum est, duplicem quidem proferre rationem, sed nullum inde causæ suæ inferre præiudicium. Aliud est enim prædicationem ordinare ad quæstum, aliud, salutem animarum procurando, victum sumere, qui enim fructum quærit, quæstum non intendit, sed Euangelium; fitque piscator non pecuniarum, sed animarum: quin & filij ingrati sunt, qui subsidium denegent necessa-

C

Chrysost. Hom. 27.

D

Aquin. lect. 5.

E

Quomodo dent filii, & parentes thesaurizent.

rium, & egentibus non communicent parentibus. Tertium, aliud donare, aliud thesaurizare: dare enim, ministrare est in subsidium præsentaneum; thesaurizare autem, congregare, & in futurum reponere. Cum ergo ordine naturæ filij succedant parentibus, non è conuerso; filij dant parentibus, sed parentes filiis thesaurizant.

Denique vt causam plenè peroraret; & inuiolatam demonstraret beneuolentiam: obiectionem occupat, sicque omnem purgat suspicionem. [Sed esto, Ego vos non grauaui; sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Numquid per aliquem eorum quos misi ad vos, circumueni vos.] Obiectio in primis verbis; responsio in vltimis: soluit enim, & interrogationem, & omnem elidit suspicionem. [Obscurè admodum, ait Chrysostomus, hæc verba à Paulo dicta sunt, non tamen frustrà nec temerè. Nam quoniam de pecuniis, purgationeque ob eas, sermo ipsi institutus erat, non abs re verba sua obscuritate quadam inuoluit. Quod autem ait, est eiusmodi: Equidem ipse per auaritiam vos minimè circumscripsi. Verùm quispiam hoc fortasse dicere queat, quòd quanquam nihil ipse sumpserim, tamen cum vafer & subdolus essem, id molitus sum, vt ij, qui à me missi erant, suo nomine aliquid à vobis postularent, sicque per eos sumpserim, atque ita me compararim, vt aliorũ manu accipiens, interim tamen acceptæ pecuniæ opinionem à me remouerẽ. At ne hoc quidem dicere quisquã possit. Vosque ipsi testes estis. Vnde etiam interrogandi modo sermonem producit, dicens, Rogaui Titum, & misi cum eo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem, quo ego, pacto ambulauit? Hoc est, nihil ipse accepit. Vides quantum accuratæ sinceritatis incrementum sit: quòd nempe non modò se ipse purum ab accipiendo seruauerit; sed eos quoque, quos miserat, ita regat atque componat: quò videlicet ne tantillam quidem occasionem his præbeat, qui eum carpere gestiebant.] Abraham nihil quidem accipit, victum tamen suis diuidit vernaculis: Paulus, ne modicum suis permittit sociis. Si quis accepisset, iure suo id fecisset: sed quis fecit quis accepit? [Omnia autem, charissimi propter ædificationem vestram.] Insimulabatur astutiæ. [Coràm Deo, in Christo loquimur. Quasi dicat, ait Aquinas, Teste Deo, hoc in veritate dico.] Tanta sinceritas in factis, quanta in verbis veritas. Accusabatur amarulentiæ. [Omnia autem propter ædificationem vestram.] Non accipimus, non quia contemnimus vos, aut minus diligimus; sed vt ædificemus vos, & inuiolatam in omnibus erga vos demonstremus beneuolentiam. Nihil cautius, nihil & suauius.

Chrysost. Homil. 28.

Causa plene ab Apostolo perorata.

Aquin. lect. 5.

A

TROPOLOGIA.

Timeo enim, ne fortè cum venero.

Metuit Apostolus ne duriùs agere cogatur: inde patris benignitas. Punit tamen, ne scelere incautiùs adstringatur: inde æquitas iudicis. Pœnitentiam exigit: inde & iustitiam iungit & clementiam.

Quoad primum. Sicut hominem nihil magis ornat quàm humanitas, sic & fidelem nihil magis quàm charitas commendat. [Nihil, ait Chrysostomus, eo homine inutilius fingi potest, qui amare nescit. Hanc legem latrones etiam persæpè ac sicarij, & sepulcrorum effossores amplexi sunt: cumque vel salem duntaxat communem inter se habuissent, aliam mentem induerunt, atque ob mensæ commercium mores suos mutauerunt. Tu verò non salem duntaxat, sed verba etiam & negotia, & ingressus cum aliquo communes habens, non eum amas? Quod si hoc dictu quoque horrendum est, multo vtique horribilius est, cum in rebus ipsis cernitur. Siquidem fratrum nomina habemus: res autem hostium. Cumque membra omnes vocemur, ferarum tamen ritu inter nos dissidemus.] Id est parùm homines sumus, parùm fideles, mali fratres, infideles Christiani.. Moneat nos Paulus & vrgeat, vt qui tantum benignitatem exercet, quantam habet charitatem. [Cum enim aliunde etiam ex multis rebus, ait ille, tum vel hinc maximè Pauli sapientiam, paternumque affectum perspicere licet: nimirum quàm in denuntiandis quidem suppliciis multus ac vehemens sit, in inferendis autem segnis ac tardus sit. Neque enim de iis, qui peccabant pœnas statim sumpsit: sed semel atque iterum admonuit. Ac ne sic quidem in contumaces animaduertit: sed rursus admonet ac denuntiat, dicens, Tertio hoc venio ad vos. Postea, ne cunctatio segnitiem illis pariat, vide quo pacto hîc quoque eos corrigat, assiduè nempe interminans, ac plagas intentans, atque hisce verbis vtens, Si venero iterum, non parcam. Hoc porrò idcircò facit ac loquitur, vt hac quoque parte omnium Dominum imitetur. Nam & Deus assiduè quidem comminatur, ac sæpè pœnas denuntiat: sed non sæpè punit & cruciatum infert. Hoc itaque ipse quoque facit. Ob idque etiam antè dicebat, Parcens vobis non veni vltrà Corinthum. Quid est, parcens vobis? Hoc est, ne vos sceleribus deuinctos inueniens, ac sine vllâ emendatione in his perstantes, pœnâ & cruciatu afficiam.] Dat nimirum significationem, vt fugiant à facie arcus. [Vides, ait Chrysostomus, quo pacto simul, & indignationem, & paternam beneuolentiam præ se ferat? Quid enim est, quod dicit, ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos. Quid, humiliet? Atqui gloria hæc est, nempe accusare, pœnâ afficere, rationes exposcere, iudicis loco & gradu sedere. At humiliationem tamen hoc vocat. Atque hoc sermonis progressu apertiùs dicit, humiliationemque id maximè dicit, nimirum in inferen-

B Chrysost. in Moral. Hom. 27.

C

Chrysost. Hom. 29.

D Pronus in beneficium, tardus ad supplicium.

E

Chrysost. Hom. 28.

dæ pœnæ atque supplicij necessitatem incidere. Quid porrò est cur non dixit, Ne cum venero, humiliet; verùm, ne cum venero, humiliet me Deus? Quoniam nisi propter ipsum, nullâ me ea res curâ & solicitudine affecisset. Neque enim, vt imperium ac potestatem habens pœnas exigo: sed quia ipse ita edixit.] Quanta benignitas, charitas quanta, quæ ne de supplicio quidem cogitaret, ni Deus ipse suo præciperet imperio. [Perit igitur & fidelis elapsus in spectaculum quadrigarij furoris, & gladiatorij cruoris, & scenicæ fœditatis, & xysticæ vanitatis in lusus, in conuiuia secularis solemnitatis, in officium, in ministerium alienæ idololatriæ; aliquas artes adhibuit curiositatis; in verbum ancipitis negationis aut blasphemiæ impegit, ob tale quid extra gregem datus est, vel & ipse fortè irâ, tumore, æmulatione, quod denique sæpè fit, dedignatione castigationis abrupit, debet requiri atque reuocari.] Officium pastoris est, oues aberrantes pedo in caulas adigere: sed officium patris est, filios minùs morigeros consilio ac monito fouere, contumaces etiam ac rebelles in semitas reducere: sed à tergo inclamat, vt iram effugiant, instat sedulò, ne in vindictam incidant. Requirendi sunt qui perierunt, imò & compellendi: sed ille paternus animus, qui requirere iubet ac compellere; monet etiam lenitatem adhibere, benignitatem impendere: vt qui peccauit, seueritatem auertat; & qui aberrauit, ad mentem redeat.

Tertullian. l. de pudicit. c. 7.

Quantum ad secundum. Timet Paulus incorrectos inuenire, ne inclementiùs cogatur agere: audet tamen & obduratos plectere, ne reus proditi arguatur officij: sicut patrem benignitas decet, sic & iudicem æquitas: & sicut illum sæuitia, sic & istum dedecet incuria. [Timeo enim ne fortè, cum venero, non quales volo inueniam vos: & ego inueniar à vobis qualem non vultis.] Viden' patrem, viden' iudicem? Primis enim vobis benignitas inclamat, in aliis emicat seueritas. [Magnum aliquid, ait Chrysostomus, ac molestum dicturus est: ac proinde excusationem ponit, quò videlicet eorum, quæ dicturus est, asperitatem mitiget. Nec dixit, Vt & ego inueniar à à vobis, Qualem nolo: sed ad feriendum accommodatiùs, Qualem non vultis.] Timet horretque Apostolus paratum improbis obduratisque supplicium: vellet equidem omnes inuenire tam pios quàm & pacificos: idcircò & admonet, præcauetque. Sed si obsurduerint peccatores, si admonitionibus defuerint & præcautionibus: timet ne seueritatem exerceat aduersus insensatos, adeò dura & aspera: timet ne improbos lugeat tanquam mortuos: vel ne eos feriat anathemate, virgam exerat, inferatque plagam morte teteriorem. Certè, Moyses mortalium omnium mansuetissimus erat, mucronem nihilominùs exeruit, impiosque sine vllo respectu internecione deleuit, prostrauitque vno impetu. Dauid, regum omnium clementissimus, omnes tamen interficiebat peccatores terræ, disperdebatque. Omnes enim veræ sequaces sapientiæ, seu, vt loquitur Gregorius Nazianzenus: [Omnes philosophiæ dediti ac Dei amore præditi, ta-

Chrysost. Homil. 28.

Sancti in offensis propriis benignissimi, in diuinis puniendis acerrimi.

Gregorius Nazian. orat. 21. vlt. med.

A metsi alioquin pacati atque moderati sint, hac tamen in re lenes & faciles esse non sustinent, cum per silentium & quietem Dei causa proditur: verùm hîc admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres & feroces (huiusmodi enim zeli æstus est) citiusque aliquid, quod non oporteat, emouerint, quàm, quod ex officio sit, prætermiserint.] Zelus est an æstus? Zelans æstus, aut zelus æstuans. [Itaque, ait Tertullianus, tria millia hominum à parentibus proximis cæsa, quia tam proximum parentem Deum offenderant, transgressionis & primordia & merita dedicauerunt. In Arithmis autem, quum diuertisset Israël apud Sethim,
B abeunt libidinatum ad filias Moab, inuitantur ad idola, vt & spiritu fornicarentur: edunt denique de pollutis eorum, dehinc & adorant deos gentis, & Beelphegor initiantur. Ob hanc quoque idololatriam mœchiæ sororem, viginti tria millia domesticis obtruncata gladiis diuinæ iræ litauerunt.] Non parcunt sancti, vbi causa Dei vindicanda est: sicut enim in propriis iniuriis ad ignoscendum promptissimi sunt, sic & in offensis diuinis ad puniendum sunt ardentissimi: nullum agnoscunt, nec fratrem, nec amicum, nec parentem: in omnes animaduertunt ex æquo; ne dicam & zelo sæuiunt. Apage mihi istos molles & eneruies viros; sed parùm viros, qui muliebriter se vbi-
C que gerant, nec vnquam acriter culpam reprehendant: & dum veniam omnibus permittunt indiscretè, indiscretè etiam ab omnibus culpam contrahunt. [Venia, ait Gregorius, ipsi opus habent, vltrà modum aliis ignoscentes: vt sic vitium non modò non reprimatur, sed etiam doceatur.] Paulus benignitate quidem patris suspiciendus, sed & iudicis seueritate verendus est: præuenit, ne immitiùs plectere cogatur: punit tamen acrius quos reperit incorrectos; ne dum faciliùs ignoscit, particeps arguatur.

Tertullian. l. de Scap. c. 3.

Gregorius orat. 21.

Quoad 3. Luget Paulus fletque miseros & insensibiles peccatores tanquam mortuos; sed
D vt eos lacrymis suis suscitet, & ad iustam stimulet pœnitentiam. [Illius doctoris, ait Bernardus, libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas. Si persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando studeas oportebit.] Dolet Paulus in Corinthiis contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones: sed maximè ac præcipuè scelera deflet & enormia crimina. [Et lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non
E egerunt pœnitentiam super immunditiâ & fornicatione, & impudicitiâ quam gesserunt.] Inter peccata namque carnalia. [Quædam sunt contra naturam, (ita Aquinas) & ideò dicit Apostolus, super immunditiâ: id est, luxuria contra naturam. Quædam sunt, quæ committuntur cum mulieribus corruptis: scilicet viduis seu coniugatis, & ideò dicit, Et fornicatione. Quædam sunt, quæ fiunt in corruptione virginum, & ideò dicit, Et impudicitiâ quam gesserunt. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditiam, pudicitia. Galat. 5.] Non solùm ergo augendo repræsentat culpam,

Bern. serm. 59. in Cant. post. init.

Aquin. lect. 6.

sed & lugendo gemendoque inuitat ad pœnitẽtiam. Grandis & enormis culpa, sed nondũ desperata est plaga: nullum enim tam grande scelus, nullum facinus tam enorme, cui Deus veniam non concedat, si legitimam inueniat pœnitentiam. [Id si dubitas, ait Tertullianus, euolue quid Spiritus dicat Ecclesijs. Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incusat: Pergamenos docentes peruersa reprehendit: Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat: & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti.] Tam pius nemo, & tam pater nemo: sed sicut, merito filij, veniam concedit, sic & Paulus exemplo sui promittit misericordiam. [Dicitur pelicanus tanquam colaphis rostrorum occidere paruulos filios suos, eodemque in nido occisos à se lugere per triduum. (verba sunt Augustini) Postremò dicunt matrem seipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere: quo illi superfusi reuiuiscunt. Fortasse hoc verum, fortasse falsum sit: tamen si verum est, quemadmodum illi congruat qui nos viuificauit sanguine suo, videte. Congruit illi quòd matris caro viuificat sanguine suo filios suos? satis congruit. Nam & ipse gallinam se dicit super pullos suos. Habet enim paternam auctoritatem, habet maternum affectum: sicut & Paulus & pater est & mater est, non per seipsum, sed per Euangelium. Pater, vbi dicit: Etsi habeatis multos pædagogos in Christo, sed non multos patres, in Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui. Mater autem, vbi ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed quomodo congruit Christo, quòd ipsa auis occidit filios suos? An & illi non congruit, Ego occidam, & ego viuificabo: ego percutiam, & ego sanabo? An verò Saulus persecutor moreretur, nisi de cœlo percuteretur? Aut prædicator excitaretur, nisi illius sanguine viuificaretur?] Scit ergo Paulus Corinthios per inuidiam, per impudicitiam mortuos, ideoque lugendos plangendosque; sed vouit ille, misericordiam Dei iam expertus, sanguine Christi suscitandos ad vitam; si velint, si veram egerint pœnitentiam: idcircò & paternum, monendo, & maternum, fouendo, colligit animum; vt & iustitiam simul iungat ac clementiam, & per pœnam debitam ad diuinam perducat indulgentiam.

Tertullian l. de pœnit. c. 8.

Augustin. con. 1. in Psal. 101. cit. med.

In patientia iustitia simul coeunt & clementia.

ANAGOGIA.

Ego verò libentissimè impendam.

DOctores, pastoresque, patres sunt spirituales: inde officium suum maximè agnoscunt in tribus rebus: quarum prima est, thesaurizare filiis suis: altera, nihil non impendere: tertia, seipsum superimpendere.

Quoad 1. Non solùm thesaurum abnuit Paulus, sed & thesaurum ipse promittit, dum se thesaurizare filiis suis asserit. [Pro suâ, ait Chrysostomus, ergà eos beneuolentiâ his verbis vtitur: eoque nomine quiddam etiam maius adiungit. Non enim duntaxat dixit, Nec enim debent filij parentibus thesaurizare: sed hoc quoque adiecit, quòd parentum sint partes, vt filiis thesaurizent.] Sed parentes carnales thesaurizant carnalia, spiritales spiritalia, similes nimirum similia congregant. [Cum ergo, (ait Paulus apud Aquinatem) sim pater vester spiritualis, & vos sitis filij mei, nolo quòd vos thesaurizetis mihi, sed ego vobis.] Quanti scientiæ ac sapientiæ thesauri, quanti pietatis ac charitatis in Paulo absconditi? Omnes tamen nobis, nedum Corinthiis reseruati, omnes commodati. [Omnia enim charissimi, propter ædificationem vestram. Quid omnia? omnia, ait ille, quæ dixi, & de reuelationibus & de tribulationibus, facio seu dico: omnia propter ædificationem vestram.] Vani sunt mortales, fatui parentes, qui semper laborant, & in ventum seminant, in vanum thesaurizant. [Vnus est; & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur, oculi eius diuitiis: nec recogitat, dicens, Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.] Acceperat pater à filio, etsi fortè nec verbo nec exemplo profecerat. [Quæ vanitas! ait Augustinus. Thesaurizat, & non cognoscit cui congregabit ea. O insana vanitas! Delirare tibi videor auare, cum hæc loquor, anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim videlicet homo magni consilij, magnæque prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ. Homo cordatus nihil prætermittis omninò, vnde numus super numum acquiratur. Prorsus colligis, thesaurizas, dic mihi, cui congregabis ea? Dicturus es, Filiis meis seruo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis. Filiis meis, inquis, seruo: Sed à te quæro, Scis eum possessurum cui seruas? aut si nondum natus est, scis nasciturum? Seruas filiis, incertũ est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum vbi reponendus est. Nescio quos thesauros habes absconditos in terrâ, cum procedis, non eos tecum portas. Venisti ad audiendum sermonem, ad colligendas interiores diuitias, cogitas de exterioribus?] Sicut ergo homo duplex est, interior & exterior; sic & thesaurus duplex, aut interiorum diuitiarum, aut exteriorum: ille veritatis, iste vanitatis: periturorum ille, iste æternorum. Thesaurizant parentes carnales, sed peritura perituris, imò etiam tam incerta quàm incertis: ignorant enim cui ea congregent: imò & ei fortè thesaurizant cui exprobrent. [Rursus, ait Sapiens, detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboraui: habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit: Et est quidquam tam vanum?] Thesaurizant patres spiritales, nec ignorant cui congregent: tot enim hæredes habent, quot fideles; tot filios, quot Christianos; quos aut bonos sapientesque inueniant aut faciant. Humiliatur Paulus per tribulationem, exaltatur per reuelationem: dicit facitque: mea sunt ista omnia, tam ædificationi meæ, quàm & publicæ

Chrysost. Hom. 28.

Aquin. lect. 5.

Aquin. ibidem.

Eccles. c. 4.

Augustin. Enarrat. in Psal. 38. vlt. med.

Duplex thesaurus, diuitiarum, caducarum & æternarum.

Eccles. c. 2.

æ instructioni reposita. [Siue tribulamur pro vestrâ exhortatione & salute, siue consolamur pro vestrâ consolatione, siue exhortamur pro vestrâ exhortatione & salute.] Mihi thesaurizat Paulus & tibi, dum omnibus congregat fidelibus: mea sunt exempla vitæ, mea sunt instituta doctrinæ, vtpote in hæreditatem collata, & ad posteritatem transmissa. 2. Cor. c. 1.

Quoad 2. Quid non impendit Paulus? imò cui rei parcit, si nihil excipit? [Ego vero libentissimè impendam] Quid? quicquid meum, aut quicquid ad manum est, non solùm in spiritualibus, sed & in temporalibus. Imò nihil habeo quod meum sit, nec retineo, quia quicquid est, non mihi ipsi, sed filiis meis relictum est. [Principes, ait Aquinas, non dederunt prælatis propter se, sed propter pauperes, prælati enim sunt parentes nostri spirituales. Et ideò non dederunt eis, sed pauperibus: prælatis autem datur tanquam pauperum dispensatoribus. Dicit ergo Paulus, Ego sum pater vester, ideò paratus sum dare vobis. Et hoc est quod dicit, Ego libentissimè impendam vobis bona, non solùm bona spiritualia prædicando, & exempla monstrando, sed etiam temporalia. Hæc tria ministrare debet quilibet prælatus suis subditis. Vnde Dominus dixit ter Petro Ioan. 21. pasce oues meas: id est, pasce verbo, pasce exemplo, pasce temporali subsidio.] Hoc fecit Paulus princeps doctorum, sed prior fecit Christus princeps pastorum. [Quando misi vos sine sacculo & perâ, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.] Sed ad huius loci obscurissimi intelligentiam, tria sunt obseruanda. Primum est, Christum hæc dixisse cum ad passionem iret, & gregem suum diuinæ committeret prouidentiæ: non enim iussit eum qui sacculum non haberet, emere gladium; sed monuit eum qui timeret periculum, cauere exitium. [Etenim ea quæ sunt de me finem habent.] Implenda sunt de me, quæ de me scripta sunt. Iam instant certamina, iam adstant discrimina: tempus adest insidiarum, non prærogatiuarum; tempus non honorum, sed præliorum. Itaque per gladium, violentum designauit insultum, & animum obfirmauit aduersùs periculum. Alterum, non sic Christum suos paternæ dimisisse prouidentiæ, vt negligentiam induceret; aut ita vacuos misisse, vt doceret socordiam. [Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram.] Quid est, [Sed nunc?] Cum vos relinquo tanquam & præceptore & altore destitutos, cum vos desero tanquam oues sine pastore & tutore errantes. Nunc ergo qui habet sacculum pecuniarum, tollat similiter & peram victuariam: nunc curam sui agat & quærat alimoniam. [Attende ipsum Dominum Christum, ait Augustinus, mutantem quæ dixerat, & aliud dicentem: Quando misi vos, inquit, sine sacculo & perâ & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dicit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Intellige

Aquin. lect. 5.

Luc. c. 22.

Aliud inconstantia præcipientis, aliud temporis circumstantiæ.

Augustin. l. 22. cont. Faust. c. 77.

A quemadmodum nullâ inconstantiâ præcipientis, sed ratione dispensantis pro temporum diuersitate, præcepta, vel consilia, vel permissa mutentur.] Tertium, Christum suis affuisse, quandiu præfuit; quandiu vixit, prouidisse. [Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo.] Ita fouit & pauit, vt nihil deesset; imò & illis melius esset sacculo & perâ destitutis, quàm perâ accinctis & sacculo. [Nam, inquit Augustinus, & tunc sine sacculo & perâ ierunt, & nihil eis defuit: sicut eius interrogatio & eorum responsio declarauit.] Ita sancti antistites, boni pastores, non sibi B thesaurizabant, sed gregi; imò seipsos fraudabant, vt suos alerent: fouerent egenos. [Infirmorum, ait Cyprianus, & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: sed & peregrinis, & si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate meâ propriâ: quæ quantitas, ne fortè iam vniuersa erogata sit, misi & aliam portionem, vt largiùs & promptiùs circa laborantes fiat operatio.] O patrem! ô pastorem! ô antistitem!

Ioan. c. 17.

Augustin. l. 22. cont. Faust. c. 77.

Cyprian l. 3 epist. 24.

Quoad 3 Quid superest, si nihil non impendit Paulus, si nulli rei parcit, si nihil excipit? Si iam nihil est quod impendatur, est tamen C quod superintendatur. [Quandoquidem itaque dare opus est, (ita apud Chrysostomum) Ego libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris. Etenim lex quidem naturalis hoc sanxit, vt parentes filiis thesaurizent: ego verò eâ re non contentus, meipsum insuper vobis trado. Et in hoc incredibilis quædam ipsius liberalitas elucet, quòd non solùm non accipit, verùm etiam insuper donat: neque id vulgariter, sed cum magnâ munificentiâ, atque ex eo quod ipsi deest. Hoc enim vocabulo, Superimpendar, istud tacitè indicatur. Nam etiam si carnem ipsam, salutis vestræ causâ expendere oporteat, nullam ipsius rationem habeo.] D Non est mentitus ille, qui dixit, [Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro animâ suâ.] Nam vt exponit Gregorius: [Dum venire ictum contrà faciem cernimus, manum palpebris apponimus, vt ab ictu oculos defendamus: & corpus vulneri obiicimus, ne in corpore teneriori vulneremur.] Homo cuncta sua dabit, quibus operitur aut protegitur, sed seipsum seruabit: partem parte redimet, cute cutem proteget, sed vix totum se & integrum prodiget. Quid est ergo, [Et superimpendar ipse?] Parùm mihi est impendere mea, quæ non solùm commoda sunt, sed sunt etiam necessaria: insuper E meipsum offeram totum, tradamque integrum in mortem, in consumptionem, nec vitæ parcam propriæ, vt viuatis vos, & gloriam acquiratis æternam. [Licet plus vos diligens, minùs diligar à vobis.] Tria sunt expendenda. Primum est, vitam tibi subtrahere, vt succurras alteri: secundum, animam tradere, vt conferas gloriam: tertium, pro filiis ingratis, totum quod es, & quod habes impendere. Quantum illud fastigium? sed si vno nictu deprehenditur, non tamen vno gradu conscenditur. [Considera, ait Chrysostomus, quotnam gradus ista res habeat. Accipere oportebat, ipse autem non

Chrysost. Hom. 27.

Gregorius l. 3. Moral. c. 2.

Chrysost. Hom. 27.

accipiebat: hæc prima laus. Et cum inopiâ premeretur: hæc secunda est. Et cum ipsis prædicaret: tertiam habes. Et insuper largitur: hîc quarta est. Nec vulgariter largitur, sed copiosè: quinta hæc est. Nec pecunias duntaxat, sed etiam seipsum: sexta. Et pro his à quibus haud magnopere amabatur: septima. Ac denique pro his quos maiorem in modum amabat: octaua hæc est.] Alius studet vtilitati suæ, ego vestræ saluti: quis horum plus vos diligit, aut quem abundantiùs debetis diligere? Abundantiùs pro vobis laboraui, quàm pro aliis, nunquid ergo amplius & præ aliis debetis diligere? Debent filij parentem diligere vel iratum: vos non benignum duntaxat, sed & impensè diligentem vix suscipitis, adeò frigidè diligitis. Si maxima charitas est, dare animam suam pro amicis suis; quanta, illam dare pro ingratis? Hoc episcopalis virtutis est, aut muneris pastoralis: nec enim verus aut dignus episcopus est, qui non omni modo, & omni momento, etiam pro perfidis liberandis animam suam dare paratus non est. [Nec interest, ait Cyprianus, vnde episcopo aut terror, aut periculum veniat, qui terroribus & periculis viuit obnoxius, & tamen fit de ipsis terroribus ac periculis gloriosus.] Itaque, vt absoluam ex Gregorio, pastorum vigilantissimo, episcoporum præstantissimo. [Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer ouibus impendere: postremum verò, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. A primo autem hoc minimo peruenitur ad postremum maius. Sed cum incomparabiliter longè sit melior anima quâ viuimus, quàm terrena substantia quam exterius possidemus: qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?] Si nec à primo gradu incipit, quomodo ad vltimum perueniet? si in minimo deficit conflictu, quomodo ad summum euadet perfectionis pastoralis fastigium? qui reiicit gradum, quomodo statum attinget?

Summum episcopalis perfectionis fastigium.

Cyprian. l. 1. epist. 3.

Gregorius Homil. 14. in Euang.



CAPVT DECIMVMTERTIVM.


Epigraphe.

COmminatur Apostolus inclementiam, apprecatur gratiam. Erunt igitur huiusce capitis partes duæ: comminatio, & apprecatio.

PARS PRIMA.

De comminatione.

TEXTVS.



ECce tertio hoc venio ad vos: In ore duornm vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens, iis qui antè peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei, Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. Spero autem quòd cognoscetis, quia non sumus reprobi.

EXEGESIS LITTERALIS.

TImorem incutit, vt ad meliorem reducat frugem: honorem infringi non permittit aut minui, vt virtutem exerat, & indissimulabilem ostendat potestatem.

[Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, &c.] Iam aliqua delibauimus de verâ verborum istorum intelligentiâ. Tertiò enim venit, qui tertiò quidem hoc voluit, sed tandem accedit. En ergo tertiâ vice ad vos venio, bonâ voluntate vos circumuenio: sed quot vices, tot & testes aduersùm vos: quot testimonia, tot & præiudicia. [Vt enim, ait Athanas. ex scripto constat, in duorum, trium-ve testium ore, hoc est testimonio, omne verbum statutum, id est, omne quod ambiguum est, confirmatum iri, sic & in tertio meo aduentu, quodcumque sum comminatus, stabit, & aduersùm vos confirmabitur, nisi vos pœniteat commissorum.] Quot profectiones, tot & professiones. [Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens, iis qui antè peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam, &c.] Iam dixi præsens, iterumque dixi, vt præsens, & nunc absens dico ac denuntio, iis qui antè peccauerunt, ceterisque omnibus tanquam futuris comminationis vel commonitionis meæ testibus: quòd si rursum ad vos peruenero, non parcam, nec vltrà differam: licet hucusque distulerim, sicque aliquo pacto pepercerim cunctando expectandoque. [An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? &c.] An ergo periculo & experimento vestro probare vultis Christum verè per me loqui velut Apostolum suum: & iudiciariâ aduersùs impœnitentes contumacesque fungi potentiâ? Certè iam satis erga vos declarauit virtutem suam, seu delinquentes castigando, seu humiles exaltando; vt potestatem potius formidare debeatis, quam infirmitatem ei valeatis affingere. [Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis, &c.] Equidem crucifixus est Christus & mortuus secundùm carnem passibilem ac mortalem: sed nunc viuit impassibili vitâ & immortali, quam per diuinam virtutem assecutus est, seu gloriosam resurrectionem. Sic & nos Apostoli multis tribulationibus, multis persecutionibus illius exemplo, sumus, prædicando & ministrando, obnoxij: tamen & ad instar Christi, virtute Dei pollebimus erga vos, viuacemque, vbi opus erit, exercebimus potestatem. [Hoc, inquit Ambros. ad Apostolorum personam pertinet, qui Christum prædicantes, infirmabantur, dum iniuriis agebantur. Sed viuemus cum eo ex virtute Dei ergà vos. Manifestum est enim, quia si à perfidis infirmabantur, apud credentes non erat hæc infirmitas, sed profectus: quia hinc potentiores fiunt fideles, dum infirmantur.]

Athanas. in Paul.

Sancti de suo infirmi, sed de Christo potentissimi.

Ambros. in Paulum.

A [Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate.] Quid experimentum quæritis aliunde quàm ex vobis ipsis? Vosmetipsos explorate, examinate vos, si fidem habetis, & meam, diuinam-ve credetis potestatem. [Ad quid de me dixerim, (ita Comment. Athanas.) quia in me loquitur Christus, vtque & si potestas sit mihi & vis affligendi, cruci tamen affixum sectatus, nihil vestra disquiro: & si vosipsi velitis diligenti curâ timari, & facta vestra expendere, Christum in vobis spectabitis, si fidem estis perfectiorem adepti. Fit itaque, vt si in vobis discipulis adstruatur Christus inesse, longè magis & in me præceptore est permansurus.] Vult ergo inde confir-B mare quod dixerat, & ad propriam experientiam, dubium, aut scrupulum quem attigerat, remittere. [An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis, &c.] Si vosmetipsos solerter tentaueritis, si vos prudenter probaueritis, vtique cognoscetis Christum in vobis esse, & inde concludetis, multo magis esse in me fidem docente, potestatemque exerente: cognoscetis, inquam, nisi fortè viles effecti estis ac degeneres, vtpote tantâ destituti notitiâ. [Spero autem quòd cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.] Sed, si excideritis ab illâ virtute, si signis & testimoniis excellentiæ vestræ sitis destituti: confido tamen quòd experimento disC cetis, quòd pro certo agnoscetis, non esse nos tales, non esse viles ac reprobos, imo potius virtute inuincibili ac cœlesti potestate præditos. [Quia isti Corinthij, ait Aquinas, possent dicere, Nos non sumus reprobi, sed ideò non tenemus documenta tua, quia non sunt recta, sed reprobanda. Et ideò dicit, Quicquid sit de vobis, tamē spero quòd ex vitâ & doctrinâ nostrâ quam ostendi vobis, cognoscetis quia non sumus reprobi, & non docuimus mala, nec exclusi sumus à potestate quam dicimus nos habere.] Vindicandi scilicet ac castigandi. Neu potestatem istam infirmam existimare aut ig-D nobilem, sed eam potius maturâ declinate pœnitentiâ: nam nisi meritam præueneritis sententiam, vel serò cognoscetis quanta sit ministerij nostri potentia.

Comment. Athanas.

Reprobus dicitur qui tanquam indignus abijcitur.

Aquin. lect. 1.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ *in litteram.*

QVid inter aduentum & testimonium? Quid inter experimentum & iudicium? Priùs ergo de testimonio : tum & de experimento.

E

DISQVISITIO PRIMA.

De testimonio.

EX antiquâ lege: [Non stabit testis vnus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.] Inde ergo verbum accepit Apostolus, & produxit in testimonium. Nam, vt aduertit Chrysosto-

Deu. c. 19.

Chrysost. Hom. 29

ritis, [Testimoniorum loco aduentus suos, ac pœnæ denuntiationes posuit. Quod autem ait, hanc habet sententiam: Semel dixi, atque iterum, cum ad vos accessi: & nunc item per litteras dico. Ac si quidem me audieritis, quod cupiebam contigit. Sin autem verba mea contempseritis, deinceps necesse erit, vt præstem quæ dixi, ac supplicium irrogem. Idcircò ait: Prædixi, & prædico, vt præsens bis, nunc etiam absens scribo iis qui peccauerunt, & reliquis omnibus, quòd si iterum venero, non parcam. Nam si in ore duorum aut trium stat omne verbum, bis affui, & dixi. Ac nunc quoque per epistolam dico. Iam itaque deinceps necesse est verba mea vera inueniri. Non enim est quod existimetis litteras meas inferioris auctoritatis esse quàm præsentiam. Vt enim præsens dicebam: sic nunc quoque absens scribo.] Connititur ergo Apostolus ad legem Mosaïcam & numero duorum vel trium aduentuum vtitur loco duorum vel trium testium: vt nimirum tot conuictiones sint, quot testificationes; tot testificationes, quot perfectiones: quasi non eminus cognouerit quid agendum sit, sed potius bis terue denuntiauerit, resipiscendum, melius viuendum sanctiusque. Tria igitur in his adnotanda sunt. Primum, parem vbique esse Pauli Apostoli auctoritatem, seu præsentis, seu absentis: seu dicentis, seu scribentis, ideoque tam scriptum, quàm verbum loco esse testimonij, aut testimonio interuenire ternarij. [Vt enim præsens dicebam, sic nunc quoque absens scribo.] Pari auctoritate, quia pari veritate. Alterum est, Paulum tamen aliter de præsentiâ loqui, aliter de absentiâ: nam de præsentiâ, [Vt præsens.] De absentiâ verò, [Et nunc absens.] Reuera enim, vnâ tantum vice præsens fuerat; alterâ autem, tanquam præsens; quasi affuisset secundâ vice, licet ex aliquâ necessitate defuisset: voluit, sed vix potuit: affuit voluntas, facultas defuit. [Semel dixi, atque iterum, cum ad vos accessi.] Tertium, Chrysostomum ex Græcis legisse, [Bis.] Sic enim, [Idcircò ait Paulus: Prædixi, & prædico, vt præsens bis, nunc etiam absens scribo.] Sic enim Apostolus computat, numerumque conflat ternarium.

Numerus duorum vel trium testiũ ad causam diiudicandã requisitus.

Accedit Aquinas, aut certè non multum recedit tam legendo, quàm & intelligendo. [Hoc quod dico de aduentu meo ad vos, ita certum est, sicut testimonium duorum, vel trium. Tum & seueritatẽ sententiæ cõminatur dicens: Prædixi enim & prædico. Vbi primò, insinuat ordinem iudiciarium quo est procedendum, in quo exigitur, vt præcedat trina ammonitio. Et quantum ad hoc dicit, Prædixi vobis, vt præsens, bis, quando scilicet eram vobiscum. Et nunc absens prædico, vt sic ter admoneat. Et dicit, tertiò: non quod tertiò iuerit, sed quia iam tertiò parauerat ire.] Ego, vt præsens, bis, vel quando aderat, vel quando ire parauerat, & siue per Epistolam, siue per nuntium, aduentum, & suam promiserat præsentiam: quasi licet absens corpore & effectu, spiritu tamen & voluntate computaretur præsens: & nunc absens, sed aduentum pollicitus suum: totuplex testium, quotuplex aduentuum numerus diuino reputaretur iudicio. [Etsi er-

Aquin. lect. 1.

A go, ait Augustinus, de aliquo alio in secundâ ad Corinthios Epistolâ locutus est Apostolus, & ibi tamen significauit quantâ charitate in quẽque debeat ecclesiastica vindicta procedere. Atenim, Ecce tertiò hoc veniam ad vos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Prædixi & prædico sicut præsens secundò, & nunc absens iis qui antè peccauerunt, & ceteris omnibus: quia si venero iterum, non parcam. Quid aliud dixit hîc, Non parcam: nisi quod superius ait, Et lugeam multos: vt luctus eius impetraret flagellum à Domino quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem non poterant ita corripi, vt ab eorum coniun-

Augustin. l. 3. cont. ep. Parm. c. 2.

B ctione se ceteri continerent, & eos erubescere facerent. Multi enim erant, nec dici de his poterat, si quis frater nominatur fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere: sed ait, Ne iterum cum venero ad vos humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiâ & luxuriâ & fornicatione quam gesserunt: per luctum suum potius eos diuino flagello coërcendos minans, quàm per illam correptionem, vt ceteri ab eorum coniunctione se contineant: si enim contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est.]

Vindicta ecclesiastica non eodem semper modo stringenda.

C Equidem nonnulla sunt peccata, quæ lacrymis potius, quam verbis egeant; quæ silentium potius imponant, quàm promittant solatium; quæ taceant quidem, sed melius luctibus planctibusque dolorem ac pudorem exprimant, quàm sermonibus. [Si graue peccatum est, ait Ambrosius, quod pœnitentiæ lacrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater Ecclesia. Compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cum suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit vrgeri.] Fides nonnunquam recipit quod oratio non præsumit. Vnde Bernardus, ad sorores Lazari, flentes quidem,

Ambros. l. 5. Comment. in Luc.

D sed nihil audentes: [O sanctæ mulieres, inquit, Christi familiares, si fratrem vestrum amatis, cur eius misericordiam non flagitatis, de cuius potentiâ dubitare, pietate diffidere non potestis? Respondent: Sic melius tanquam non orantes oramus, sic efficaciùs tanquam diffidentes confidimus. Scimus quidem quòd omnia potest: sed hoc tam grande miraculum, tam nouum, inauditum, etsi eius subest potentiæ, multum tamen excedit vniuersa merita humilitatis nostræ. Sufficit nobis potentiæ locum pietati dedisse occasionem; malentes patienter expectare quid velit, quàm impudenter

Bern. Tract. de grad. humilit. 11.

E quærere quod forsitan nolit. Denique quod nostris meritis deest verecundia fortasse supplebit.] Sunt profectò deflendi, quos deflet Paulus lugetque tanquam mortuos. [Deplorat enim, ait Athanas. & luget peccantes. Neque omnes dixit, sed multos. Nec peccatores simpliciter, sed pœnitentiam non agentes. Sunt namque istiusmodi non iniuriâ deplorandi, qui sunt in vulnere accepto pertinaces.] Paulus verò nec lacrymis nec verbis contentus est: sed hortatur, ne flere cogatur ac lugere; ne de verbis procedat ad verbera, &

Athanas. in Paulum.

Nonnulla peccata lacrymis, alia factis expiãda.

flagella flagellis ingeminet. [En hoc tertiò venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Hoc, inquit Ambros. secundùm legē dixit, vt aliquis duobus aut tribus testibus, aut purgetur aut condemnetur. Ita & hi tertio aduentu Apostoli, vt purgati inueniantur, commonet. Prædixi enim, & prædico, vt præsens secundo aduentu, & absens nunc scribo. Pridem se dixisse significat præsentem, vt corrigerent se, ne cum pudore corriperentur: & nunc iterum absentem se eadem dicere contestatur, vt post secundam correptionem, si se non emendauerint, parci eis non debeat.]

Ambros. in Paulum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De experimento.

Dubitabant Corinthij, vel certè dubitare se simulabant, an Christus per Apostolum loqueretur, aut per Christum comminaretur Apostolus. Sed dubium omne abstergit, dum commune facit periculum: certamque reddit rationem, dum probationem instituit legitimam. Vultis ergo experiri, Christum per me loqui tanquam Apostolum suum, imò & vestrum? Non me, sed vosmetipsos tentate & probate. [An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Iesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis?] Primò igitur experimentum committit non singulari cuiusque iudicio, sed communi Ecclesiæ concilio; secundò non tam probationem promittit sui, quàm reprobationem distorti ostendit iudicij: tertiò, non tam loquendi constantiam firmat, quàm puniendi probat potentiam.

Quoad primum. Aliud est probare seipsum quoad conscientiam, aliud probare quoad doctrinæ vel disciplinæ regulam. Quoad conscientiam remittit Apostolus vnumquemque sibi, reique sententiam proprio committit arbitrio. [Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.] Heic non de doctrinâ ratio est, sed de conscientiâ: non enim dubitabant Corinthij de veritate corporis & sanguinis Dominici, sed indignè sumebant & malè quod benè credebant, dum non diiudicabant corpus Domini: sic enim sumebant quasi ab aliis cibis minimè secernerent, sicque accedebant quasi profanam ac communem adirent mensam, non cœlestem ac diuinam. Vult ergo Apostolus vnumquemque probare seipsum, ne reatum incurrat corporis Dominici, tam malè tractati, quàm indignè accepti, ne ad condemnationem potius quàm ad sanctificationem sumat, dum non ad beneficium manducat sed ad iudicium. Vbi verò de doctrinâ ratio est, aut de disciplinâ, non tam conscientia pulsatur cuiusque priuata, quàm publica Ecclesiæ expectatur sententia. [Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsos vos probate. An cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est?] Fidem nominat, seu doctrinam sanam; idcircò probationem ac notitiam certam non ad singulare cuiusque iudicium, sed ad commune reuocat Ecclesiæ Corinthiacæ suffragium. [Vosipsos tentate si estis in fide. Inuicem, ait Ambros. vt se fratres discutiant, præcipit: sollicitiores enim fiunt, si secum inuicem conferant. Tentationem ergo hanc probationem voluit intelligi: quia omnis probatio tentatio est, non tamen omnis tentatio, probatio. Si enim Deus tentare dicitur, probatio est: si autem diabolus tentare dicatur, tentatio est, quia euertere nititur. Et homo aliquando tentat vt probet, aliquando, vt capiat.] Triplex igitur tentatio, diuina, diabolica, humana: prima semper ad bonum, secunda semper ad malum, tertia nunc ad bonum nunc ad malum: prima semper probat, altera semper vastat, vltima media est, nam aliquando decipit, aliquando instruit. De istâ loquitur Apostolus, sed quæ ad instructionem sit, non ad deceptionem. Vult enim Corinthios de fide secum inuicem conferre, & inde, an Christus in ipsis sit, id est, an vera sit illorum Ecclesia, & verè Christiana, publico definire iudicio. [An non cognoscitis vos, quòd Christus Iesus in vobis est? Quia si probare, ait ille, vos inuicem nescitis, nescitis religionis & professionis vestræ fidem.]

1. Cor. 11.

Ambros. in Paulum

Omnis probatio tentatio est, nō omnis tentatio probatio.

Ambros. ibidem.

Quoad secundum. Reprobus dicitur non ille solus qui æterno addicitur supplicio, seu à diuinâ reiicitur gratiâ, sed & qui tanquam vilis proiicitur & inutilis. Ita, [Pepercit Saül, & populus, Agag, & optimis gregibus ouium: quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.] Sic & alibi: [Argentum reprobum vocate eos.] Spernendum scilicet, proiiciendumque. Vult ergo Paulus de fide in commune conferri, sanam doctrinam publico fidelium, maximè præsidentium calculo stabiliri. Sed si iudicium aberrauerit, non tam diuinum erit, sed humanum, ideoque reprobandum. Ita apud Augustinum: [Ouium vitam certum est arbitrio pendere pastorum. Sed væ qui dicunt, quod bonum malum, & tenebras lucem, & lucem tenebras, & amarum dulce, & dulce amarum.] Conferendum est, ouibusque de fide ac religione proferendum à pastoribus iudicium: sed nonnunquam distortum esse potest ecclesiæ singularis testimonium, ideoque tam reprobum quàm & improbum reiici debet, & vt nullum contemni. Probate igitur vosmetipsos si estis in fide, cognoscite non tam me, quàm vosmetipsos, & aduertite Christum in vobis esse, in vobis per fidem præesse virtutemque permanere. Quod si malè probatis & improuidè, si temerè iudicatis ac peruersè, reprobi estis: seu, vt ex Græco: [Quid reprobi estis.] Quid insulsi & reiectitij: mente reprobi estis, quia virtute destituti: corrupti sensu, quia iam affectu deprauati: excidistis à primâ charitate, ab antiquâ generositate, ideo præcipitium potius incurristis, quàm certum intulistis iudicium. [Arguit ipsos, ait Athanas. corruptos esse his vitæ bonis. Nam etsi plerique fidem haberent, edere tamen miranda non poterant: vtpote qui vitâ essent & moribus deprauati. Inquit igitur, vti perspicuum est, nullam habetis vestri cognitionem, neque quòd in vobis sit Christus sentitis: nec manet quidem ille in vobis, qui reprobi in vitâ estis: qui ex signorum gratiâ excidistis, quam

1. Reg. c. 15.

Ierem. c. 6.

Augustin. epist. 86.

Corruptus sensus, vel affectus corruptus est.

Athanas. in Paulum.

olim exceperatis.] Destituti estis signis, quibus certitudinem fidei vobis asserebatis, quibus Christum in vobis esse certò ac liquidò cognoscebatis, sed signis illis destituti estis, quia viles effecti estis ac degeneres, quia vitiis repleti, mundanis addicti: idcircò experimentum vestrum non præscribit aduersus meum ministerium, sed vestrum suffundit iudicium.

Quoad tertium. In multis loquendi constantia est, quibus deest puniendi potentia: nam illud æquanimitatis est, istud auctoritatis. [Si venero iterum, non parcam.] Puniam, vindicabo, castigabo. [An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?] Comminando scilicet, ac denuntiando: non tam an loquar ex veritate Apostolo reuelatâ, quàm an vtar potestate à Christo traditâ, impœnitentes in virgâ ferreâ regendo, contumaces tanquam vas figuli confringendo. [Quod igitur ait, est eiusmodi. (ita Chrysostomus) Non iam diutiùs cunctabor, si vos (quod Deus auertat) emendationis expertes inuenero; sed pœnas haud dubiè inferam, ac quod dixi, præstabo. Mox cum ingenti animi permotione ac vehementi acrimoniâ & indignatione in eos inuehens, qui ipsum tanquam imbecillem cauillis incessebant, præsentiamque ipsius suggillabant, his verbis vtitur: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? His enim verbis simul & hos ferit, & illos perstringit. Quod igitur dixit, hunc sensum habet: Quandoquidem periculum facere vultis, an Christus in me habitet, rationesque à me exposcitis, eaque de causâ me, vt vilem & contemnendum homunculum, sannis impetitis, tanquam potentiâ illâ destitutum: hac me minimè carere scietis, si (quod nolim) occasionem mihi præbueritis.] Hucusque verbis duntaxat actum est minisque; timeo ne tandem de verbis veniendum sit ad verbera, ne de minis, dilatione omni sublatâ, cunctatione omni submotâ, transeundum sit ad supplicia: sed spondeo, quod in hoc casu, sicut & in omni alio euentu, cognoscetis nos non esse reprobos & viles, quasi verbis acres, factis nullos; sed tantâ firmitate, quantâ & auctoritate præditos. Experiemini, sed damno vestro, Christum non solùm comminantem per nos, sed & per nos operantem: comperietis & fatebimini, res ipsas non esse sermonibus impares, animaduersiones nostras eo grauiores esse quo tardiores, nec tam strepitu verborum quàm flagellorum impetu rebellibus intimatas. [Non ergo, ait ille, per causæ modum istud ponit, sed potius vt stomachans, eosque, quibus contemptui erat, incessens, Equidem ipse, inquit, huiusmodi experimentum vobis præbere nolo. Sed si ipsi causam præbueritis, meque concitare in animum induxeritis, ex ipsis rebus intelligetis. Quoniam enim per ipsas res experimentum sumere cupitis, nos minimè reprobos esse comperietis. Ita postquam minas intentauit, pœnam iam velut pro foribus collocauit,] Si inane vestrum est scrutinium, contemptibile non erit nostrum iudicium.

Apostolus tanta firmitate, quanta & auctoritate præditus.

Chrysost. Homil. 19.

Chrysost. ibidem.

A

TROPOLOGIA.

Si venero iterum non parcam.

Potest illud, iterum, coniungi cum verbo subsequenti, vel cum præcedenti. [Si venero, iterum non parcam.] Quasi iam semel pepercerit. Vel, [Si venero iterum, non parcam] Quasi diu distulerit. Vel si neutrum curet verbum, sed extremam duntaxat denuntiet sententiam. In isto aduentu, quasi in promptu expediendo. [Non parcam.] Hinc tres propositiones.

B

Prima est, difficiliùs ignosci in ipso recidiuatu, quam in primo lapsu. Ita Christus homini iacenti iuxtà piscinam probaticam. [Vis sanus fieri?] Sed [Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.] Primus sapientiæ gradus, à peccato cauere: primus pœnitentiæ gradus, peccato occurrere vel succurrere. [Ex duobus igitur, vti Ambrosius dixit, constat Ecclesia: vt aut peccare nesciat, aut peccare desinat. Pœnitentia enim delictum abolet, sapientia cauet.] Primum quidem optabile, sed difficile: alterum tolerabile, dum in primo gradu consistit: ideoque tam facile remedium est, quàm malum veniabile. [Vis sanus fieri?] Quasi in manu, aut in assensu positum sit remedium; nec difficilius aut tardius sit sanari posse, quàm velle sanari. Sed si iam sanatus, iterum pecces; si, veniam assecutus & gratiam, rursum te inquines; tanto difficilior indulgentia est, quanto culpa intolerabilior. Caue ne deterius tibi aliquid contingat. [Nam, vti dixit Augustinus, qui arguitur, id est accusatur, metuendum est ne in finem habeat damnationem.] Itaque verba illa non solùm adhortantis sunt, sed & comminantis; tantamque difficultatem in ipso recidiuatu, quantam in primo lapsu facilitatem demonstrantis. [Quis porrò non intelligat, ait ille, animam diu dilatam à medico, vt ei persuadeatur in quæ mala se peccando præcipitauerit? Quod enim facilè sanatur, non multum cauetur. Ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Simul vt etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparetur qui se nolunt conuertere ad Deum: si tantam difficultatem conuertentes patiuntur. Dum ergo nos conuertimur, id est mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum: durum sentimus & laboriosum ad serenitatem & tranquillitatem diuinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Et in tali difficultate dicimus, id est, adiuua nos vt perficiatur in nobis conuersio. Et ideò postquam dixit, Conuertere Domine, addidit, Et erue animam meam: tanquam inhærentem perplexitatibus huius sæculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsâ conuersione patientem.] Facilè quidem annuet Christus volenti, petenti promptè suam pacem concedet, & integram restituet sanitatem. Verùm, vt Bernardus dixit: [Si dixerit mihi

C

D

E

Ioan. cap. 5

Ambros. lib. 7. Comment. in Luc.

Augustin. Enarrat in psalm. 6. circ. med.

Augustin. ibidem.

Difficultas sanationis custodia est sanitatis.

Bernard. ser. 3. in Cant. circ. med.

Iesus, dimittuntur tibi peccata tua; nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam quantum profeci? Si rursus pedes meos quos laueram, inquinauero, nunquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum, iacui diu in luto fecis: sed erit sine dubio recidenti quàm iacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es, vade, iam amplius noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.] Malum quippe incidere, sed peius recidere: humanum pati, durum quidem; sed reuerti ad vomitum, deterius. [Facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum: &, sus lota in volutabro luti.] Ita bonum est venenum euomere, sed pessimum resumere; pulchrum sordes abluere, virus expuere, onus proiicere, sed deterrimum repetere. [Fundant, ait Augustinus, vomant in confessione quod portant. Pectus premitur crapulâ iniquitatis: euomant eam in confessione: sed non canino more redeatur ad vomitum.] Qui incidunt, humano more incidunt, parcendum naturæ fragili: qui resurgunt, Christiano more resurgunt, gratiæ cœlesti deferendum: qui recidunt, canino more incidunt, iniquiori malitiæ succensendum. In primo casu, visus est gratiæ; in ipso recidiuatu, abusus est indulgentiæ: ideò seuerius procedendum est duriusque, nec tam facilè nec tam promptè ignoscendum.

2. Pet. c. 2.

Augustin. Tract. de decē chord. cap. 13.

Secunda propositio, Diuturnam in quouis peccato permanentiam, non tam clementiam aduocare, quàm sollicitare iustitiam. [Tu quidem fortasse, ait Gregorius Nazianzenus, bone & humane agricola, Dominum supplex rogabis, vt ficulneæ adhuc parcat, nec eam sterilitatis accusatam adhuc succidat, verùm tibi permittat, vt stercora vndique in eam iniicias, hoc est, lacrymas, gemitus, preces, chameunias, vigilias, animæ & corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quæ ex peccati confessione, contemptiorique vitæ genere existit: at incertum est, an Dominus illi parcet, vtpote etiam locum occupanti, cum interim alius misericordiâ egeat, atque ob longanimitatem, quæ ipsi exhibetur, deterior fiat. Graue est facilioris medicinæ loco difficiliorem & molestiorem adhibere, ac proiectâ misericordiæ gratiâ, suppliciis seipsum obnoxium reddere. Heri chananæa anima eras, & per peccatum in terram inclinata: hodie à Verbo erecta es. Ne rursus curueris, ac velut catenis quibusdam ferreis à diabolo depressa, in terram propendeas, atque ita afficiaris, vt iam vix vllâ ratione surrigi, caputque attollere queas. Heri sanguinis profluuio tabescebas: hodie siccato profluuio ad pristinum florem rediisti. Fac purgationem serues, ne alioqui sanguinis defluuio rursus labores, Christumque iam surripiendæ salutis causâ, prehendere nequeas. Neque enim Christus sæpiùs sibi aliquid surripi amat, tametsi mirè benignus & facilis. Heri in lecto iacebas, corpore fractus & solutus. Elatus es è grabbato, imò grabbatum extulisti, ac beneficium acceptum velut in columnâ incisum omnibus spectandum pro-

Gregorius Nazianzen. orat. 40. eit. med. & vlt.

Beneficium acceptum omnibus proponendum.

A posuisti. Caue ne admisso peccato rursus in grabbato iaceas, hoc est in corporis voluptatibus fracti ac dissoluti, malâ & pestiferâ quiete. Magnam hanc vocem, Lazare veni foras, in sepulchro iacens audiisti, ac prodiisti, non quatriduo, sed multis diebus mortuus: caue ne rursus emoriaris, iisque, qui in sepulcris habitant, aggregeris, ac peccatorum tuorum funibus constringaris. Incertum est enim, an rursus è sepulcro ad vitam excitaberis, vsque ad postremam illam & communem resurrectionem, quæ, quicquid factum est, ad iudicium adducet, non iam vt curetur, sed vt iudicetur, rationemque eorum reddant, quæ rectè vel malè coaceruarint.] Scimus multos

B mortuos à Christo suscitatos, cum præter tres nominatos in Euangelio, legamus, [Mortui resurgunt.] Sed ad nullum legimus turbatum Christum. [Turbauit semetipsum.] Infremuit spiritu, & seipsum turbauit. [Quid est, ait Augustinus, quòd turbas semetipsum Christus, nisi vt significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tantâ mole peccati grauaris & premeris? Magnus reus est, quem mortis quatriduum & illa significat scriptura. Attendisti, vidisti reum, computasti tibi. Illud feci, & pepercit mihi Deus: illud commisi, &

C & distulit me: Euangelium audiui & contempsi. Quid facio, quò eo, vnde euado? Quando ista dicit, iam fremit Cristus.] Quatriduanus es, & non fremis; in vitiis, in luxuriis inueteratus, putridus totus, & non contremiscis? obduruisti aduersus misericordiam, & non times iustitiam? obsurduisti ad patientiam, & non paues ad vindictam? Est tamen quod turbes teipsum, est sanè multum quòd cogites, quòd fremas, quod contremiscas, quod timeas, quod paueas, ne derelinquat ille, Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël. [Quas iustitias, inquit Augustinus, & quæ iudicia? Quia & quicquid

D hic humanum genus antè perpessum est cum esset nix & nebula, & crystallus, merito perpessum est superbiæ elationis in Deum.] Dedit tibi tempus ad pœnitentiam, & eo abusus es in superbiam: duritiâ quadam stupidùs in Christum, incuriâ gelidus, totusque crassâ nebulosus ignorantiâ: non pauitas, non reformidas ne puniat Deus, iustoque tandem sæuiat iudicio?

Augustin. Tract. 49. in Ioan. vlt. med.

Augustin. Exposit. in psal. 147. vers. fin.

Tertia propositio, vbi debita præcessit correptio, & nulla correctio successit, non tam fouendum malum mulcendum-ve quàm exscindendum, districtaque censurâ coercendum. [Iis namque, vti dixit Leo, seueritate

E congruâ coercendis debet diligentia pastoris vigilanter insistere, ita vt his, quibus prodesse non potuerit correptio, non parcat abscissio. Oportet enim nos Euangelici meminisse mandati, quod ab ipsâ veritate percipitur. Vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur quia melius sit, his in Ecclesijs carere membris, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluè extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his, qui intus sunt, in eis, quos decipiunt, vulneremur.] Non omnis patientia probanda est, nec laudanda omnis misericordia: quæ

Leo epist. 76. vlt. med.

In quo segnis patientia & crudelis misericordia.

enim segnis illa patientia, quæ crimina dissimulando aut tolerando, multiplicat; quæ dum permittit, committit? Quæ crudelis illa misericordia quæ indulgendo & ignoscendo occidit, quæ alienis parcendo peccatis, nec iis parcit, propriisque semet illaqueat? Iustè ille impatiens est, qui scelus inolitum non patitur; dignè ille immisericors, imò benè clemens & indulgens, qui inueteratum facinus vlciscitur; qui gladium exerit aduersùs impium, qui sceleratum merito plectit supplicio. [Nam, vti dixit Optatus Mileuitanus, quædam mala malè fiunt: quædam mala benè fiunt. Malum malè latro facit: malum benè iudex facit, dum vindicat quod latro peccauit. Denique dum Phinees, filius sacerdotis, adulterum cum adulterâ inueniret, leuauit cum gladio manum, & inter duas voces Dei dubius stetit. Hinc ad illum sonabat, Non occides: inde sonabat, occidetis vtrosque. Si feriret peccaret: si non feriret, delinqueret. Elegit melius peccatum, vt percuteret. Et fortè non defuerant, qui huius rei vindicem quasi homicidam notare voluissent: sed vt ostenderet Deus, aliqua mala benè fieri, locutus est, dicens, Phinees mitigauit iram meam: & placuit Deo homicidium, quia vindicatum est adulterium.] Oleum nonnunquam vino permiscendum est, venenum etiam veneno nonnunquam coërcendum, vulnera aceto, perfricanda, scelera flagello, nedum flabello purganda. [Sæpiùs ergo prædicit Apostolus, (verba sunt Chrysostomi) atque in interminatione constanter permanet. Si autem in peccatis obstinati maneant, tum demum reipsà pœnam se inflicturum minatur. Nam posteaquam superiùs se hoc, nisi necessitate coactum, facere non posse ostendit, ac luctum & humiliationem eam rem appellauit; ac sese ipsis excusans, semel & iterum ac tertiò prædixisse asseruit, quodque nihil non agat ac moliatur, quò supplicium atque animaduersionem propulset, eosque verborum terrore meliores efficiat, tum verò graue illud & horrendum collocat dicens, Si venero iterum non parcam.] Non præcipitat iudicium, sed vbi tanta præfuit admonitio, & nulla profuit correptio, supplicium aggrauat. [Et ex hoc, (vt aduertit Aquinas) ordinatum est in Ecclesiâ, vt præcedat trina monitio, antequam quis sententiam excommunicationis fulminet: quia contingit, quòd aliqui, licet sint in peccatis & offendant, tamen ex solo verbo admonitionis corriguntur & satisfaciunt. Quod si quis admonitione non ducitur, ne magis insolecat, adhibenda est seueritas sententiæ.] Ita priùs in correptione, paterna demonstratur benignitas; sed si fructus nullus speratur ex admonitione, iustè lenitas patris, seueritate iudicis aggrauatur, & iudicii tarditas grauitate compensatur supplicij.

Optat. Mileuit. l. 1. aduers. Parm. in med.

Chrysost. Homil. 29.

Aquin. lect. 1.

A

ANAGOGIA.

Vosmetipsos tentate si estis in fide.

Fides triplex est: prima, quæ simplex & nuda: altera, quæ aliis ornata virtutibus, bonisque operibus cumulata: tertia, quæ heroïca, signis ac prodigiis conspicua. Primam ac secundam non abdicat Apostolus, sed tertiam indigitat.

Quoad primam. Fides verborum est, quâ nimirum verbis creditur diuinis, sicque prima

B animæ Christianæ aperitur iustitia. [Est enim fides, vti dixit Chrysostomus, origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illâ fastigium sublimitatis ascendit. Est enim fides innocens ac pura crudelitas, quâ ad Deum accedimus, quâ præceptis insistimus, quâ expiatâ mente Dominum veneramur. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet, felix est; qui deseruerit, miser. Per illam enim venimus ad Christum: per illam pergimus ad Deum: per illam properamus ad cœlum.] Tria sunt fidei proposita: scopus, via, modus: quò, per quid, & quomodo. Scopus seu terminus, cœlum est, non quatenus sublime corpus, sed quatenus diuinæ maiestatis thronus, seu æternæ felicitatis quæ in cœlo, seu in Deo est, domicilium. Illò enim tendimus, vnde descendimus; nec vllam habebimus requiem, nisi cum ad nostram recurrerimus originem. [Reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.] Non dixit ad cœlum, sed ad Deum, quia illò spirat, à quo dimanat; nec cœlum curat, si Deo ipso est vacuum. Via, Christus est, per illum quippe contenditur, imò nec aliter quàm per illum contenditur: quia vna est progrediendi via, vna & ingrediendi ianua. [Dicant pagani: (inquit Augustinus) Benè viuimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse benè viuere, vt detur illi semper viuere: nam cui non datur semper viuere, quid prodest benè viuere? Non est autem cuiquam spes vera & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus, & per ianuam intret in ouile.] Cæci sunt illi, aut inflati, idcircò aut vitam nesciunt, aut viam contemnunt, idcircò nunquam perueniunt. Modus, vera, Christiana, seu diuina iustitia. Inde tria sunt in scripturis sacris spectanda, promissa, præcepta, sacramenta. Promissa, scopum ostendunt: præcepta, modum præscribunt: sacramenta, Christum repræsentant demonstrantque. Per fidem ergo credimus promissis diuinis, præceptis, institutis: seu potius, non tam diuinis verbis, quàm Deo ipsi credimus, instituenti, præcipienti, promittenti. Sed hoc habet fides, quòd Christum quidem prospectet per quem tendit, scopum indigitet ad quem tendit; sed & iustitiam ipsam inchoat, ac delineat: cum enim priùs formanda sit in mente, quàm in voluntate; debet anima priùs

C

D

Chrysost. Hom. de fide, spe, & charit.

Fides deuotionis principium, religionis fundamentum.

Eccles. c. 12.

Augustin. Tract. 4 in Ioan. post. init.

per

Chrysost. Homil. de fide.

per fidem acquiescere primæ veritati, quàm supremæ per charitatem adhærere bonitati. [Est ergo, ait Chrysostomus, fides pactum cum Deo, cum Christo placitum, consignatio promissorum. Denique quoties ad istam fidem acceditur, & pactum inter Deum & hominem firmatur: tunc homo Deo se credere profitetur, & a Deo homini pignus quoddam Spiritûs sancti tribuitur.] Benè ergo Paulus, [Vosmetipsos tentate, si estis in fide.] Nimirum, vt exponit Aquinas: [Si estis in fide, quam prædicaui vobis, & à me accepistis de Domino Iesu Christo, an excideritis ab eâ, & sitis prolapsi in aliam.] Sicut enim per illam formatur anima Christiana, sic per illam reformatur: idcircò inde primò examinanda est, inde tentanda: si enim euertitur fundamentum perfectionis spiritualis, frustrà sanctitatis pietatisve ædificium erigitur.

Aquin. lect. 1.

A

B

Quoad secundam. Fides est factorum, quâ nimirum fit quod creditur, sicque illa, quæ priùs nuda, & piis operibus, & Christianis vestitur virtutibus. Idcircò Paulus non solùm dicit, [Vosmetipsos tentate, si estis in fide.] Sed & addit: [Ipsi vos probate.] Quasi fidem reprobet simplicem, vel vnum per alterum explicet. Quòd dico, Tentate si estis in fide, non intelligo fidem verborum, sed fidem factorum. Idcircò addo, [Ipsi vos probate.] Id est, vt exponit Aquinas: [Examinate & considerate actus vestros. Ipsi vos probate, an sitis in operibus bonis, & vtrum conscientia remordeat vos aliquid mali fecisse.] Hoc præcipuè examinandum est, explorandumque. [Si enim, vti dixit Chrysostomus, aliud gesseris, quàm voueris, & fidei nomen perfidâ voluntate dissolueris: non modò præmiorum compos esse non poteris, sed & destinato supplicio necesse est subiungaris. Aliud est enim esse quod diceris: aliud dici quod non sis. Non potest ad præmium tendere, qui professionem noluerit adimplere: nec accipere poterit quod promittitur, nisi antè impleuerit quod iubetur.] Præmittenda est ergo fides, sed spes subiungenda; quæ tum in actione perficitur, cũ & dilectione subrigitur. [Spes est, ait ille, futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ deuota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum. Spes est, inquam, cognitio fidei, credulitatis propinquitas, destinatum præmiorum tempus, futura expectatio meritorum. Quæ duo, id est, fides & spes, ita certâ sibi vice coniuncta sunt, vt altera sine alterâ stare nõ possit. Quicquid enim fides credendo acquirit, hoc spes sustinendo præsumit. Fides gloriam inchoat, spes sustinendo consummat. Illa fundamentum ponit, hæc ipsum hominem construit. Illa dat principium, hæc Christianum perducit ad summum. Illa initia credulitatis aggreditur, hæc consummationem virtutis meditatur. Illa quod promittitur, credit: hæc quod sperat, iam cernit. Nec quisquam poterit fidei fructum percipere, nisi qui spei gloriam voluerit consummare. Vt enim sine fide spes non habet firmitatem: ita sine spe fides non potest habere mercedem.] Verùm sicut fides sine spe inanis est, sic & spes sine charitate sicut & fides inutilis. [Ipsam

Aquin. lect. 1.

Chrysost. Hom. de fide, spe & charit.

Chrysost. ibidem.

Spes fulcit charitatem, charitas spem erigit.

enim fidem, vt dixit Augustinus, non facit vtilem, nisi charitas: sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.] Fides nimirum credit, spes contendit, sed charitas efficit. [Fides namque est, (ita Chrysostomus) quâ futura credimus: spes quâ ventura præsumimus: charitas, quâ & Deum diligimus, & proximos honoramus. Idcircò cessat fides, vbi quod creditum est, venerit: cessat & spes, vbi quod speratur, affuerit. Tunc enim quod speratur, cessat: quia quod speratum est, præsens est. Sola charitas æterna est: quia cum Deo in sanctis est: & ideò maior est. Denique nullum charisma sine charitate perfectum est, nullum donum sine dilectione aptum. Quicquid enim charismatis aut doni quisque meruerit, desertum charitate non stabit. Omnia enim quæ Spiritus sanctus deuotis aut impartit, aut donat, aut charitate perficiuntur, aut sine charitate effectum nullum sortiuntur. Inchoatur in mundo, perficitur in cœlo: quæritur in seculo, inuenitur in regno. Charitas est, quæ & fidem adiuuat, & spem sibi sociat, & vtramque secum Deo munerãti assignat. Hic enim nec fides cœpta perficitur, nec spes proposita cõsummatur. Quid denique sublimius esse potest charitate, cum ipsa charitas Deus sit? Vt & iam si quid comparaueris, parùm sit: si quid sociaueris, minus, dum charitas Deus est: cui comparabile nihil est.] Non semper credendum, nec semper sperandum; sed semper amandum, semper diligendum. Idcircò illud præcipuè explorandum est, si fides spe munitur; si spes charitate perficitur: si enim fides spe firmata sit, & charitate formata; non tantùm aliis abundabit virtutibus, sed & piis vacabit operibus.

Augustin. l. 15. de Trinit. c. 18.

Chrysost. Hom. de fide, spe & charit.

C

Quoad tertiam. Fides est signorum. Hæc heroïca & eximia, ita vt dæmones subiiciat, montes transferat. Sicut enim prima fides Christianos à non Christianis distinguit, altera bonos secernit à malis: sic & tertia sanctos præ bonis ad summum dignitatis potestatisque fastigium euehit. [Vosmetipsos tentate, si estis in fide.] Si de primâ fide, nullus Christianorum nescit; si de secundâ, nullus scit: idcircò vanè tentatur aut temerè, quod iam compertum, aut nunquam comperiendum: frustra probatur quod iam patet, aut quod omnes latet fideles. Quid ergo? Tentate, probate, non si in fide verborum estis aut factorum, sed si in fide estis signorum & prodigiorum. [Fidem signorum dicit, ait Athanas. quam magis singuli vendicabant.] Fidem quidem, sed potentem, dæmonia subiicientem, prodigia facientem. Vnde de Christo dixerat: [Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Quod enim ait, tale est: (verba Chrysostomi) Num, si quid etiam faciam, ac de iis, qui peccauerunt, supplicium sumam, ego sum qui punio & pœnas sumo? Imò verò Christus ipse est, qui in me habitat. Quòd si hoc non creditis, verum experimentum capere vultis, per eius, qui in me sedem habet, opera, id mox perspectum habebitis. Non enim in vobis infirmus est: sed potens. Cur autem adiecit, In vobis, cum ipse vbique viribus polleat? Nam siue infideles, siue dæmones, siue quicquid

D

E

Athanas. in Paulum.

Chrysost. Hom. 29.


tandem illud esse queat, supplicio afficere voluerit, id potest. Quidnam ergo sibi vult hæc adiectio? Nimirum hoc vocabulo ideò vsus est, vt ab iis rebus, quarum iam periculum fecerant, vehementer eos commoueat.] Tum & addit: [Vosmetipsos tentate si estis in fide. Postquam enim, ait ille, per ea, quæ dixit, istud ostendit, quòd etsi vltione non vtitur, non tamen tanquam Christum in seipso non habeat, hoc minimè facit; sed vt illius lenitatem imitetur, qui cum cruce afficeretur, non se vlciscebatur, rursus alio modo idem efficit. Atque à minori ad maius argumentum ducens, à discipulis ita orationem astruit. Quid enim de me magistro loquor, qui in tantâ curâ versor, ac totum terrarum orbem fidei meæ commissum habeo, totque ac tanta miracula edidi? Nam si vos, qui de discipulorum loco ac numero estis, vosipsos examinare volueritis, Christum in vobis quoque habitare conspicietis. Quòd si in vobis, multò certè magis in magistro. Nam si fidem habetis, Christus etiam in vobis est. Etenim tunc temporis ij, qui fide prædit erant, miracula patrabant. Ob id ergo subiecit, Vosmetipsos tentate, ipsi vos probate, si estis in fide. An non cognoscetis vos, quòd Christus in vobis est? Quòd si in vobis, multò magis in magistro. Mihi ita-

Chrysost. ibidem.

Aliud profiteri fidem, aliud virtutem operari.

A que hæc ille de eâ fide intelligere videtur, quæ in miraculorum editione sita est. Nam si fide illâ præditi estis, inquit, Christus in vobis est.] Non solùm per fidem, sed & per virtutem: sed per operationem spiritualem: per fidem signa edentem & prodigia. Sed illa probanda, & exploranda, quia nonnulla fallacia sunt; si autem vera sunt, profectò sunt nostra; cum tam Christi sint, quàm & Dei. [Nullus dicat, Verum est, (verba Augustini) quia ego dico: aut ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias B mortuorum nostrorum orant, & exaudiuntur: aut quia ille frater noster aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit. Remoueantur ista vel figmēta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum: aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus. Quæcumque autem talia in Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt: non ideò ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in eâ fiunt.] Idem de miraculis quod de sacramentis: si enim vera sunt, nostra sunt; licet ab hæreticis surrepta, aut ab extraneis.


August. l. de Vnit. Eccles. c. 19.



PARS SECVNDA.

DE APPRECATIONE.

TEXTVS.



ORamus autem Deum vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos autem vt reprobi simus. Non enim possumus aliquid aduersùs veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem. Ideò hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis. Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

PRecatur Paulus perfectionem Corinthiis, & eos ad pacem adhortatur. Tum mutuis salutationibus exhibitis, gratiam apponit, & ita vltimam absoluit epistolam.

A [Oramus autem vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos autem vt reprobi simus, &c.] Votū est Apostoli. Dixerat enim, [Spero autem quòd cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.] In quo probi seu probati sunt illi, qui sunt in pretio non solùm ob sanctitatem, sed

& ob auctoritatem: sicut reprobati, qui sunt in opprobrio non tantùm ob iniquitatem, sed & ob indignitatem ignobilitatemque. Dicens autem sperare se Corinthios auctoritatem suam potestatemque in puniendis malis cognituros, timuit ne cogitarent virgam intentari censoriam, puniendique iactari potentiam. Ideò addit, Non hoc appeto, imò opto, & oro Deum meum, vt nihil admittatis censurâ dignum ecclesiasticâ; non vt nos appareamus castigando vindicandoque illustres & insignes, sed vt vos non solùm abstineatis à malo, sed & quod bonum est impleatis: nos autem maneamus tanquam inglorij & abiecti, sine vsu potestatis, sine sensu dignitatis. [Probati enim videntur, ait Ambros. dum iudicant peccatores auctoritate à Deo concessâ. Si ergo quos iudicent non sunt, cessante in his auctoritate quasi reprobi videntur. Non hoc orat, vt his benè agentibus, dum non auderent corripere, quasi humilientur, & humiliati velut reprobi appareant, sed orat pro eis, vt à malis temperent. Non vt nos, inquit, probati appareamus: id est, non in auctoritate videamur, vobis peccantibus.] Cupio vos innocuos, aut correctos, vt nihil, quod puniam, inueniam: vt in gradu permaneam humilitatis meæ, non in suggestu diuinæ sedeam potestatis. [Non enim possumus aliquid aduersùs veritatem, sed pro veritate, &c.] Tunc apparebo velut reprobus, auctoritate ac potestate vacuus, si nihil mali feceritis, si quod bonum est impleueritis: censura enim Apostolica non euertit quod rectum ac iustum est, sed potius asserit ac statuit. [Hoc dicit, ait ille, quia, potestas non est data contrà veritatem, vt arguant benè viuentem: sed pro veritate, vt vindicent in eum qui inimicus est legis. Ideoque cessabit potestas, si quod bonum est fecerint.] Potestas scilicet punitiua ius nullum habet, nullum tunc vsum exercet. [Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationẽ &c.] Textus Ambros. [Gaudemus enim, cum nos infirmamur, vos autem fortes estis.] Non sumus cupidi ostentandæ potestatis, sed gaudemus ita vos perfectos aut correctos, vt virgæ nostræ non sitis obnoxij. Et hoc oro & voueo, vt non solùm subtrahatur nobis correptionis materia, sed & vobis perfectionis summa conferatur.

Ambros. in Paulum

Ambros. ibidem.

Nullum ius potestatis, vbi nullum opus iniquitatis est.

[Ideò hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem &c.] Tantum abest vt cupiam correctorem agere vel censorem: imò potius hæc absens scribo, ne cum venero, præsens ve adero, cogar vti seueritate, si quos incorrectos inuenero; & eâ auctoritate vlcisci, quam ad muniendam disciplinam dedit mihi Dominus, non ad infringendam. [Postquam, ait Athanas. hoc plurimum comminando iam pertulit, excusans, inquit; Ideò ad vos istiusmodi vel absens scribo, quia mallem solis litteris hanc meâ terminatum iri duritiem, non re præferri. Nã si nondum edomitos vos ipse & emendatos comperero, acrioribus necesse erit vos pœnis afficiam.] Non opto me validum in tormentum vestrum, vt qui bonum vestrum quæro, non

Athanas. in Paul.

A exitium. [De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum, &c.] Postremò gaudere Corinthios iubet & valere. Et id quidem fiet, si consummati sint, & in statum integrum restituti: si inuicem ad bonum exhortentur, si & eadem sententiâ, & mutuâ fœderentur concordiâ: tunc enim aderit Deus pacis & dilectionis, & ampliora donabit gratiæ suæ beneficia. [Ideò, ait Aquinas, Deus pacis & dilectionis: quia qui est in verâ pace cordis, est in charitate: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et quia homo non meretur nisi per pacem & B dilectionem.] Ista erga Deum, illa erga proximum. [Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti, &c.] Hoc signum pacis, ac dilectionis symbolum, sed sanctæ, sed Christianæ. Salutate inuicem, sicut salutant vos sancti: omnes in osculo sancto, omnes eodem charitatis ac pietatis vniti consortio. [Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis. Amen.] Gratuita Christi beneuolentia, quâ nos redemit: Patris beneficentia, quâ sic mundum dilexit, vt filium miserit: & magnificentia Spiritûs sancti, quâ tam largiter quàm liberaliter dona sua diffundit, sit cum omnibus vobis per multiplicia benignitatis, C charitatis, & bonitatis beneficia. Amen. Ita gratiam abundanter petit, ita feliciter concludit epistolam.

Aquin. lect. 3.

Christiani eodem pietatis & charitatis glutino copulati.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

IN hypographe epistolæ apud Athanasium; seu potius Vulgarium. [Missa fuit è Philippis per Titum & Lucam] Primò ergo de missione: tum & de salutatione.

D DISQVISITIO PRIMA.

De missione.

TRia disquiri possunt: quando, vnde, & per quos missa sit epistola, id est, tempus, locus, baiulus. Et quidem quoad tempus: de vno certissimum est, de altero ferè certum. Illud certissimum, scriptam esse ante eam quæ missa est ad Romanos: nam in eâ quæ est ad Corinthios, maturatur collecta, & in eâ quæ est ad Romanos, affirmatur iam parata. Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanE ctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaïa, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem Placuit enim eis: & debitores sunt eorum.] Heic autem: [Misi autem fratres: ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte. vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac substantiâ. Necesse ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse.] Hoc

Rom. c. 15.

2. Cor. c. 9.

verò propè certum, vtramque epistolam, eodem anno scriptam, nempe Christi Domini quinquagesimo octauo, Neronis secundo: nam sicut non multum temporis distat inter primam & secundam ad Corinthios; sic & parùm restat inter secundam ad Corinthios, & Epistolam ad Romanos. Primam ad Corinthios scripsit Paulus, cum adhuc esset Ephesi, sed iam de profectione cogitaret. [Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos citò, si Dominus voluerit.] Et in fine: [Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo.] Sicut enim Corintho Ephesum venit, sic & Epheso tandem Corinthum redit: digressus anno quinquagesimo septimo: anno sequenti, vtramque & ad Corinthios & ad Romanos dedit epistolam.

Quid differt inter epistolas ad Corinthios & ad Romanos.

1. Cor. c. 4.

Quoad locum. Paulus Ephesinâ vrbe relictâ venit in Macedoniam, à Macedoniâ in Græciam, non pedestri itinere, sed vsus nauigatione. Nam per Ægeum mare Cycladas adnauigans peruenit Cretam; & sicut recedens Epheso, Timotheum reliquit Episcopum, sic & Cretensi Ecclesiæ, Titum præfecit, alterum discipulum amantissimum. E Cretâ autem, venit Nicopolim, quæ est ciuitas iuxtà sinum Ambracium posita in prouinciâ Acarnaniæ, quâ terminatur Epirus à Græciâ per Acheloum flumen diuisa. [Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare.] Porro Latini putant Epistolam è Troade, Græci è Philippis missam. De Troade, duo constant: primum est, Paulum Epheso digressum, illùc venisse: alterum, illic Titum non inuenisse. [Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.] Ex quibus patet non ibi scriptam fuisse Epistolam: tum quia nullam ibi traxit moram, cum quia tunc Titum suum non habuit. [Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.] Quoad Philippos, probabile: probabilius de Macedoniâ: probabilissimum denique scriptam esse Nicopoli: tum quod illic hiemauerit, cum quòd ibi Titum suum receperit. Ita cohærent omnia, nec facilitatis tantùm speciem, sed & veritatis præbent imaginem.

Tit. cap 3.

Vndenam missa sit Epistola.

2. Cor. c. 2.

2. Cor. c. 9.

Quoad baiulos. Sicut tres primæ fuerunt perlatores, sic & secundæ. [Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: vt & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti. Gaudeo autem in præsentiâ Stephanæ, & Fortunati, & Achaici.] Sicut enim illi administratores gratiæ, sic & Epistolæ perlatores. Heic autem. [Gratias autem Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cum solicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.

1. Cor. c. 16.

2. Cor. c. 8

Tres vnius epistolę perlatores.

A Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis solicitum esse: nunc autem multò solicitiorem. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.] Tria heic conueniunt. Primum est vtrobique perlatores illos laudari, & tanquam insignes baiulos commendari, aut celebres nuntios. Alterum est, in primis, solum Stephanam iam ab initio nominatum: [Baptizaui autem & Stephanæ domum.] ceteros minus esse notos. In aliis, solum Titum suo nomine expressum: ceteros subindicatos potius fuisse quàm demonstratos. Tertium, in primis, Stephanam fuisse caput missionis; ceteros, comites tantùm & socios: in aliis, Titum fuisse principem lationis, reliquos, tanquam fratres adhibitos & assessores. Nec mirum tot destinatos vnius epistolæ gerulos: nam & in concilio Hierosolymitano: [Placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesiâ, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum.] Testes nimirum fideles, quorum alij scriptis fidem facerent, alij verbis eadem assererent. [Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referrent eadem.]

1. Cor. c. 1.

B

Act. cap. 15.

C

DISQVISITIO SECVNDA.

De salutatione.

Dvplex ordo salutantium est, præsentium scilicet atque absentium [Salutate inuicem in osculo. Salutant vos omnes sancti] Sancti sanctè salutant & salutantur, dum inuicem exosculantur, dum labia labiis sociant, & pacis mutuæ ac dilectionis symbolo fœderantur. [Notandum est enim (cum Aquinate) quòd osculum est signum pacis. Nam per os, in quo datur osculum, homo respirat. Et ideò quando homines dant sibi mutua oscula, signum est quòd vniunt spiritum suum ad pacem.] Conciliantur enim corda, cum ora sociantur; congressusque labiorum, nexus est animorum. [Ob eam causam, ait Chrysostomus, etiam ex peregrinatione aliquâ reuersi, mutuò nos osculamur, animis videlicet ad mutuum congressum accedentibus. Hoc enim potissimum membrum est, quod animi affectum nobis prædicat.] Exosculatio illa, humana salutatio est; quâ non solùm apprecamur bona, sed & ipsa pro genio adoperamur & modulo. Ita, vt & ille obseruauit: [Postquam Paulus dixit, Salutate inuicem in osculo sancto, subiunxit, Salutant vos omnes sancti: vt videlicet hinc quoque spem lætam ipsis afferat. Hoc quippe osculi loco posuit, per salutationis vocabulum ipsos inter se copulans. Siquidem ab eodem ore, quo osculum manat, sermones etiam fluunt. Vides ergo quemadmodum omnes, tam corporibus longè dissitos, quàm vicinos inter se conciliet; hos nempe per osculum, illos per litteras.] Sicut enim vnum est Christianorum omnium corpus, sic & spiritus vnus esse debet, vnum cor,

Aquin. lect. 3.

D

Chrysost. Homil. 30.

Chrysost. ibidem.

E

Vna Christianorum omnium anima.

& anima vna. Quam bonum enim & quàm iucundum habitare fratres in vnum voluntatibus concordare, communicare facultatibus, eadem ali mensâ, eodem tecto protegi, animo animaque misceri, & indiuisibilem osculis mutuis societatem profiteri. [Qui habent, ait Iustinus, indigentes omnes adiuuant: & assiduè alij cum alijs sumus: precibusque finitis, mutuis nos inuicem osculis salutamus.]

Iustin. Apolog. 2 pro Christ. in fin.

Sed sicut pax triplex est, sic & tria sunt osculorum genera. [Est pax simulata, ait Aquinas, & hæc est eorum, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Quæ quidem fit per osculi fraudulentiam. Prouerb. 27. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Est & pax mala & turpis, quando scilicet conueniunt ad malum faciendum. Sap. 14 In magno viuentes inscitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Et hæc fit per osculum libidinosum. Prouerb. 7. dicitur de malâ muliere, apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur. Est & pax sancta quam fecit Deus. Philipp. vlt. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum. Et hæc fit per osculum sanctum, quia vnit spiritum ad sanctitatem. Et de hoc osculo dicitur hìc, in osculo sancto. Et ex hoc inoleuit consuetudo, quòd fideles & sancti viri in signum charitatis & vnionis se inuicem osculantur. Et datur pax in Ecclesijs in osculo sancto.] Semper fuit osculum, & osculum semper fuit pacis & dilectionis symbolum: sed sicut nonnulla pax est falsa, nonnulla & mala dilectio: sic nonnullum osculum, quod aut falsæ pacis, aut malæ dilectionis non tam symbolum sit, quàm artificium. Pax falsa, illa est quæ ficta & simulata. Ita, [Dixit Ioab ad Amasam: Salue mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum.] Pax illa, Iudæ proditoris est, qui osculo filium hominis tradidit, id est, fictam pacem, veræ pacis symbolo prodidit. Est & dilectio seu pax, quæ dici potest vera, dum ficta non est; bona tamen dici non potest, dum in malo est, & ideò mala & peruersa. Sed duplici titulo potest mala esse ac peruersa: primò, si in malum seu exitium alterius conspirat, qualis latronum aut sicariorum; tuncque seditiosa est: altero, si rem fœdam perpetrat, si illicitam conciliat voluptatem; tuncque libidinosa est: vera quidem, sed pessima. De vtroque in simulati suntChristiani. Et de primo quidem. [Propterea publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia veræ religionis homines solemnia eorum conscientiâ potius, quàm lasciuiâ celebrant.] De altero. [Sed eiusmodi vel maximæ dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam.]

Aquin. lect. vlt.

Pax triplex, ideò & tria osculorum genera.

1. Reg c. 20

Tertullian. c. 35. Apol.

Tertullian. c. 39.

Verùm sicut sanctis pax tam sincera quàm & sancta: sic & nullum aut rebellionis aut libidinis scandalum: pax multa diligentibus legem Dei, quia non solùm vera, sed & bona: & non est illis scandalum, quia nullum aut impermissæ voluptatis, aut peruersæ iniquitatis commercium. [In cuius perniciem aliquando conuenimus? (ait idem Tertullianus) Hoc sumus congregati, quod & dispersi, hoc vniuersi, quod singuli: neminem lædentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coëunt; cum pij, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia.] Bonorum scilicet, castorumque Ecclesia. Proinde tam sancta sunt oscula Christianorum, quàm pia fratrum concordia. [Quid est enim, ait Chrysostomus, Salutate inuicem in osculo sancto? Non ficto, non subdolo, quemadmodum Iudas Christum osculatus est. Ob id enim nobis datum est osculum, vt charitatis igniculus ac fomes sit, vt affectum inflammet, vt hac ratione nosipsos mutuò amemus, velut fratres inuicem se amant patresque vicissim filios, imò etiam multò vehementiùs. Illa enim naturæ sunt: hæc gratiæ: ad hunc modum animæ inter se deuinciuntur.] Non enim tam corporum vinculum est, quàm animorum: vt dum exteriori exercetur signo, interiori celebretur officio. Ita, vt docet Augustinus: [Post sanctificationem sacrificij, dicimus orationem Dominicam. Post ipsam dicitur, pax vobiscum, & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis: si quod ostendunt labia, fiat in conscientiâ.] Id est, non tam fit vnio corporum quàm cordium: aut dum accessio labiorum fit, fit etiam non vera tantùm, sed & pia ac sancta, id est, verè Christiana animorum coniunctio.

Tertullian. ibid. c. 39.

Chrysost. Hom. 30.

In osculo sancto non tam labiorum vnio quam animorum.

Augustin. ser. 81. de diuers. vlt. med.

Porrò, quantum pietatis ac sanctitatis osculum à libidinoso contactu, aut motu seditioso alienum est: cum in eo contenta sint non solùm officia dilectionis, sed & religionis mysteria. [De hoc nimirum sancto osculo, (vti dixit Chrysostomus) aliud quoque afferri potest Quid tandem? Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alij alios osculamur. An non cernitis quotnam homines etiam huiusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manutenentes, atque ori manum admouentes. At per has portas, & ianuas, ingressus est Christus, & ad nos ingreditur cum communicamus. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit. Eâ igitur præsertim de causâ mutua oscula iungimus.] Mos ille antiquus, quo sicut res sacras venerantur homines, sic & postes templorum seu ædium sacrarum osculantur, limina, pauimenta. Plena sunt istis omnia: sed vnus mihi pro omnibus erit Arnobius. [Cum, inquit, per omnia supplices erant templa, cum deorum antè ora prostrati limina ipsa conuerterent osculis.] Sed apud sanctos, seu Christianos eo religiosiora sunt oscula, quo sanctiora sunt vestibula. [Etenim, ait Chrysostomus, is, qui sacris initiandus est, ad sacerdotis os, tanquam ad oraculum accedit. Siquidem animam suam iam inde à progenitorum tempore perdidit: atque ad eam exquirendam accedit. Tum Deus ipsi velut per oraculum indicat quanam ratione ipsa inueniri possit. Itaque os istud vel ipso quoque propitiatorio augustius atque horribilius existit: nam propitiatorium illud nunquam eiusmodi vocem emittebat, verùm de rebus inferioris momenti disserebat, nimirum de bellis ac terrenâ pace: hæc autem omnia, de cœlo, & futurâ vitâ, rebusque nouis, ac men-

Chrysost. Hom. 30.

Arnob. l. 1. adu. Gent.

Chrysost. Homil. 30.

Ora Christianorum, vt templorum vestibula.

tis captum excedentibus. Audiant ergo qui obscœna loquuntur, qui conuitia proferunt: ac exhorrescant, cogitantes quales turpent ac dedecorent. Audiant qui obscœnè osculatur. Audi quæ oracula Christus per os tuum ediderit: atque illud ab omni macula purum custodi.] Tanto enim puriora esse debent oscula Christianorum, quanto religiosiora sunt sancto mysteria.

TROPOLOGIA.

Gratia Domini nostri Iesu Christi.

GRatiam attribuit Domino nostro Iesu Christo, sed immensam: charitatem patri, sed ineffabilem: communicationem sancto Spiritui, sed tam largam quàm & liberalem: tandem in nos omnia refundit trium personarum beneficia.

Quoad .1. Gratia est, sed immensa: vtpote gratuita Christi Domini beneficentia.] Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est cum esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.] Scitis, sed non satis expenditis. [Cogitate, inquit, (apud Chrysostomum) ac cum animis vestris reputate gratiam Dei: nec temerè ac negligenter eam præterite; verùm, quæ & quanta sit illius magnitudo, coniicite. Ille gloriam suam exinaniuit: vt vos, non illius operibus, sed egestate ditemini] Quibus tria expendenda sunt ac reuoluenda. Primum est, Christum exhausisse seipsum. [Exhausit semetipsum acceptâ effigie serui.] Ita Tertullianus ex proprietate verbi Græci. Et hoc exinanire seipsum, totum se exhaurire est: & gloriam suam exinanire, idem est, ac nullam sibi stillam reseruare, sed totum pelagus ab umere; totum se à supremo in extremum, à summo in imum deiicere. Alterum, totum illum thesaurum in nos effudisse, Quid enim si sese euacuasset, & alios repleuisset? Aut si sibi soli studuisset, & egenti petentique minimè subuenisset? [Deum nos, ait Tertullianus, à Phophetis & à Christo, non à Philosophis, nec ab Epicuro erudimur. Qui credimus Deum etiam in terris egisse, & humani habitûs humilitatem suscepisse ex causâ humanæ salutis, longè sumus à sententiâ eorum qui noluntDeum curare quidquam.] Adeò nos curat, vt nulla ei de aliis rebus inesse cura videatur; adeò nos amat, vt nihil ipse nobis non refundat, nihil non largiatur. Tertium, nos inopiâ suâ ditasse, non copiâ; infirmitate, non virtute sublimasse. [Nisi enim, ait Chrysostomus, ille pauper factus fuisset, tu diues minimè extitisses. Dinitias quippe hoc loco Apostolus appellat pietatis cognitionem, peccatorum purgationem, iustitiam, sanctificationem, ac mille alia bona, quæ nobis largitus est, ac largietur. Sed hæc omnia paupertatis beneficio nobis cōtigerunt. Cuius paupertatis? per id nimirum, quòd carnem suscepit, atque homo effectus est, eaque pertulit, quæ pertulit.] Verùm, non solùm placet expendere, sed & secundùm illius monitum, coniicere, quanta sit, & quàm immensa Christi Domini beneficentia. Nàm sicut concludendum à stultis

2. Cor. c. 8

Chrysost. Hom 17.

Tertullian. l. adu. Mar c. 10.

Tertullian. l. 2 aduers. Marc. c. 16

Chrysost. Hom. 17.

A Dei, ad sapientia Dei: sic & ab infirmis Christi ad sublimia Christi coniiciendum est. Nam si stulta Dei reuincunt sapientiam mundi, quanto magis quæ sunt Dei sapientia? Et si sapientia Dei suffundunt sapientiam mundi, quanto magis mundi stultitiam? Ita, si Christus nos infirmitate suâ sublimauit, quanto magis nos suâ sublimabit virtute? si nos inopiâ suâ ditauit, quanto magis suâ nos ditabit copia? si tantis per humanitatem tam infirmam quàm pauperem cumulauit beneficiis, quantis per diuinitatē tam gloriosam quàm diuitem cumulabit? Omnis enim gratia, omnis & gloria ab ipso est tanquam à suo principio. [Sciendum namque est, (vt docet Aquinas) quòd modus est duplex appropriandi aliquid diuinis personis. Vnus est essentialiter, alius causaliter, essentialiter autem appropriatur diuinis personis, sicut patri potentia: quia ipse est potentia essentialiter, inquantum est principium. Filio sapientia, inquantum est Verbum. Spiritui sancto amor, inquantum est bonitas. Hic verò Apostolus non appropriat ista hoc modo, scilicet per essentiā, quia sic omnia apropriarentur Spiritui sancto, sed appropriat per causam. Et ideò cum gratia sit donum, quo dimittuntur nobis peccata; & remissio peccatorum sit nobis facta per filium, qui carnem nostram accipiens, pro peccatis nostris satisfecit: propter hoc Apostolus, Christo gratiam attribuit.] Illa porrò gratia, non solùm in remissione peccatorum omnium constituta est, sed & in virtutum omnium infusione, in collatione munerum omnium. Est enim benefica illa voluntas Christi, & gratuita liberalitas saluatoris Dei, quâ nobis omnia sua contulit, quâ nos in societatem suam, id est, in æternam hæreditatem transtulit.

Aliud in Christo cōpendi debet, aliud coniici.

B

Aquin. lect. 3.

C

Quoad 2. Iam præluserat Apostolus, dixeratque. [Exhortamini: idem sapite: pacem habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.] Benè, [Idem sapite, pacem habere. Siquidem fieri potest, (obseruante Chrysostomo) vt nonnulli, quamuis idem sentiant, non tamen pacem colant: nimirum cum in fidei quidem doctrinâ consentiunt, ceterùm in mutuis negotiis dissident. At vtrumque exigit Paulus: Et Deus dilectionis & pacis erit vobiscum. Non enim solùm monet atque hortatur: sed etiam optat ac precatur. Aut quippe id optat ac precatur: aut quòd futurum est, prædicit: vel potius vtrumque simul facit. Si enim hæc feceritis, inquit, hoc est, si idem sentiatis, ac pacem colatis, Deus quoque vobiscum erit. Deus siquidem, charitatis & pacis est Deus, atque his rebus gaudet & oblectatur. Hinc vobis quoque pax futura est, nimirum ab ipsius charitate.] Sed iam apertè & exertè: sicut enim præmisit, sic & absoluit. [Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei sit cum omnibus vobis. Postquam enim, ait Chrysostomus, eos, tum per salutationes, tum per oscula inter se copulauit, rursus voto ac precatione orationem concludit, ac perquàm sedulò & accuratè ipsos cum Deo quoque connectit.] Parùm erat nos vnà coniunctos, si Deo non vniremur; nos osculo copulatos, si cum ipso quoque Deo non connecteremur. Verùm hæc ipsa quæ nos

D Chrysost. Hom. 30.

E

Chrysost. ibidem.

cum proximo charitas vnit, cum Deo connectit: ab eo quippe est, si vera seu sancta charitas est: sed sicut in Christo connotatur persona filij, sic & in Deo person patris indicatur. [Quid est enim, ait Augustinus, iustificati in sanguine ipsius? Quæ vis est sanguinis huius, obsecro, vt in eo iustificentur credentes? Et quid est, reconciliati per mortem filij eius? Itane verò cum irasceretur nobis Deus pater, vidit mortem filij sui pro nobis, & placatus est nobis? Nunquid ergo filius eius vsque adeò nobis iam placatus erat, vt pro nobis etiam dignaretur mori: pater verò vsque adeò adhuc irascebatur, vt nisi filius pro nobis moreretur, non placaretur? Et quid est quod alio loco idem ipse doctor gentium: Quid, inquit, ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Nunquid nisi iam placatus esset pater, proprio filio non parcens pro nobis eum traderet? Nonne videtur hæc illi velut aduersa esse sententia? In illa moritur pro nobis filius, & reconciliatur nobis pater per mortem eius. In hac autem tanquàm prior nos dilexerit pater, ipse propter nos filio non parcit, ipse pro nobis eum tradit ad mortem. Sed video quòd & antea pater dilexit nos non solùm antequam pro nobis filius moreretur, sed antequam conderet mundum, ipso teste Apostolo, qui dicit: Elegit nos in ipso antè mundi constitutionem. Nec filius sibi patre non parcente pro nobis velut inuitus est traditus, quia & de ipso dictum est, Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.] Quid ergo est? Sic Deus pater dilexit mundum, vt filium suum daret, sed volentem, sed & pariter concorditerque diligentem. Charitas tamen tribuitur Patri, quia nisi præiisset bona patris voluntas, filiumque proprium mundo dedisset redimendo: adhuc in peccatis essemus, adhuc essemus suppliciis obnoxij. Itaque benignitas quidem à Christo est sicut & humanitas: sed charitas in Deo, sicut in suo principio.

Augustin. l. 1. de Trin. c. 13.

Filius à patre traditus est, sed non inuitus.

Quoad. 3. Communicationem seruat Apostolus Spiritui sancto, vt quod non dat in ordine, reddat in munere. [Vbi sunt ij, ait Chrysostomus, qui Spiritum sanctum, propterea quod in Epistolarum initiis collocatus non est, eiusdem proinde essentiæ minimè esse contendunt? Ecce enim nunc cum patre & filio ipsum recensuit. Ac præterea istud quoque afferri potest, quòd cum in Epistolâ ad Collossenses dixisset, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, filium tacuit, nec, vt in omnibus epistolis, adiecit, Domini nostri Iesu Christi. An ergo propterea ne filius quidem eiusdem essentiæ erit? Quin & filij mentionem facit, & patrem interim silentio præterit. Ad Corinthios enim scribens, his verbis vtitur, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Quid ergo, heus tu, an non isti in Patris nomine baptizati sunt? Id si ita est, ergo nec abluti, nec sanctificati sunt. Quid ergo causæ est, quamobrem non dixerit, Abluti estis in nomine patris? Quia nihil referre censebat, an modò huius, modò illius personæ meminisset: ea

Chrysost. Hom. 30.

In vna persona, intelligenda est altera.

A namque, quæ ad Trinitatem pertinent, diuisionem omnem respuunt.] Quod vnius est, est etiã alterius; quod operatur vna persona, operatur & altera imò & in vnâ, altera cõnotatur. Communicatio tamen attribuitur Spiritui sancto, quia ibi innuitur maiestas, vbi potestas ostenditur. [Communicatio enim diuinorum, vti dixit Aquinas, fit per Spiritum sanctum, quia est distributor donorum spiritualium. 1. Corinth. 12 Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus. Et ideò Spiritui sancto attribuit communicationem Apostolus, cum dicit, Et communicatio sancti Spiritûs.] Communicatio est vltimæ personæ, quia aliis personis communis est: accipit à patre, accipit à filio: & quod

Aquin. lect. 3.

B per commune consortium accipit, in commune etiam beneficium distribuit. [Per donum enim, quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt quibusque propria diuiduntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, & alij alia: quamuis ipsum donum, à quo propria cuique diuiduntur, omnes habeant, id est, Spiritum sanctum. Nam cum multa dona commemorasset Apostolus, omnia, inquit, hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult.] Inde ergo patet excellentia Spiritûs sancti, inde munificen-

Augustin. l. 15. de Trin. c 19.

C tia, inde maiestas elucet & auctoritas: quòd dona Dei dispenset ac communicet ad arbitrium, quòd gratiam ac gloriam sub imperio suo contineat, quod principatum in muneribus & charismatibus exerceat. [Sic ergo Apostolus, (concludo ex Aquinate) in salutatione suâ optat omnia necessaria, cum dicit, Gratia Domini nostri Iesu. Gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est. Charitas etiam est nobis necessaria, quia oportet nos vniri Deo. Et quia hoc est à Patre, inquantum dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Rom. 5. Commendat autem Deus suam charitatem:

Aquin. lect. vlt.

D ideò illi, vt principio istius charitatis, attribuit charitatem. Denique, communicatio Spiritûs sancti, sit semper cum omnibus vobis. Gratia Christi, quâ iustificamur & saluamur, charitas Dei patris, quâ illi vnimur; & communicatio Spiritûs sancti, diuina nobis dona tribuentis.] Ita pater omnia suâ dilectione disposuit, ita filius suo sanguine omnia promeruit, ita Spiritus omnia suâ voluntate distribuit.

ANAGOGIA.

Perfecti estote.

E PErfectionem vocat, quam priùs dixerat consummationem. [Hoc & oramus vestram consummationem] Tria autem sciri debent de hac perfectione. Primum, Quid sit: alterum, in quo sit: vltimum, vnde, seu à quo sit. Tria enim ferè in omni dissertatione sunt necessaria.

Quoad primum. Quando dicit Paulus, [Perfecti estote.] Tantumdem est ac si diceret, Integri estote, seu, redintegramini, reparamini, in perfectum & integrum instauramini. Sic consummatio, seu perfectio, Græcè κατάρτισις,

non tam perfectio est, quàm refectio. Quasi diceret, Reficimini, restituimini, in integrum & perfectum reponimini. Id nempe quod alibi dixit, [Renouamini spiritu mentis vestræ.] In quo tria obseruanda sunt. Primum, non dixisse, renouamini statu carnis vestræ; sed renouamini spiritu mentis vestræ: nondum enim tempus renouandæ carnis, sed immutandæ mentis: adhuc suspirant sancti & aspirant, dum adoptionem expectant, seu corporis sui redemptionem. Alterum, non dixisse, formamini, aut conformamini; sed renouamini; quasi diceret, reformamini: in quo ostendit, alium fuisse aliquando hominem, non carnalem, sed spiritalem; non corruptum, sed integrum & perfectum. Tertium, id non dici solùm iis qui sublimiorem amplectuntur perfectionem, sed & omnibus fidelibus, iis etiam qui communem & vulgarem perfectionem sequuntur, præcipi. [De cetero, fratres, perfecti estote.] Renouamini, redintegramini, restituimini omnes qui fideles estis, & reficimini: perfectio enim Christiana non alia est, quàm ista refectio. Ex quibus eliciendum est primò, hominem nunc non esse integrum, sed deficientem, ne dicam defectum, abscissum, mutilatum. Secundò, reparandum, reformandum, & redintegrandum iuxta primæuam suam originem seu nouam conditionem: id enim redintegratur, quod in pristinum statum reuocatur. Tertiò, totam & integram seu refectionem seu reparationem non in corpore, sed in mente constitutam: etsi enim corpus etiam reficiendum sit, non est tamen opus huius æui, sed futuri. Hæc omnia paucis complexus est Irenæus. [Perfectus homo, commixtio & adunitio est animæ assumentis Spiritum patris, & admixta ei carni quæ est plasmata secundùm imaginem Dei.] Tria enim efformant hominem præstantque integrum ac perfectum: corpus terrenum, anima rationis capax, Spiritus Dei. In primo, choicus, seu limacius; in secundo, animalis; in tertio, spiritalis, consummatus. [Si enim, ait ille, substantiam tollat aliquis carnis, id est plasmatis, & nudè idipsum solum spiritum intelligat, iam non spiritualis homo est, quod tale est, sed spiritus hominis, aut Spiritus Dei. Cum autem spiritus hic commixtus animæ vnitur plasmati, propter effusionem Spiritûs, spiritualis & perfectus homo factus est, & hic est qui secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animæ Spiritus, animalis est verè, qui est talis, & carnalis derelictus imperfectus erit; imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per Spiritum.] Tria sunt in homine perfecto & integro: plasmatio carnis, expressio imaginis, additio similitudinis, quæ est imaginis perfectio. [Commixtio enim & vnitio horum omnium, ait Irenæus, perfectum hominem efficit.] Factus homo ad imaginem & similitudinem, seu imago & similitudo: id est, imago integra & perfecta: sicut enim fit imago per animam rationalem seu rationis capacem, sic & similitudo per Spiritûs participationem, seu diuinitatis ipsius communicationem. Quid ergo nunc deest homini? non corpus, non anima: nascitur enim animal rationale, id est, scientiæ capax ac disciplinæ: solus ergo deest Spiritus, vt perfectus sit ac consummatus. [Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.] Deficit homo, dum perdit spiritum, & animâ spiritu destitutâ, corpus ipsum seu plasma corrumpitur, & in puluerem suum tandem reuertitur. Quid est refectio, seu redintegratio? Spiritûs restitutio. [Scit enim Paulus, reintegrationem, vt & ille loquitur, & adunitionem trium, vnam & eandem esse salutem.] Hæc ergo perfectio, hæc consummatio Christiana, fidei, imò saluti necessaria.

Irenæus l. 5. adu. hæres. c. 6.

Homo integer ac perfectus, ex tribus rebus.

Iren. ibidē.

Psal. 75.

Quoad secundum. Perfectio illa seu consummatio Christiana in tribus constituta est. Primum est, declinare à malo: alterum, facere bonum: tertium, ipsum bonum, verum facere; bonum benè ac rectè facere. Quoad primum: [Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis.] Quoad alterum: [Sed vt vos quod bonum est, faciatis.] Quoad tertium: [Non enim possumus aliquid aduersùs veritatem, sed pro veritate.] Quid aduersùs veritatem? aduersùs rectitudinem, aduersus integritatem. [Nec aduersùs veritatem quicquam possumus, hoc est, vos, vestras vitæ rationes Deo probantes, supplicio coërcere. Ceterùm quando id nequimus, ob eam causam ne volumus quidem, imò contrarium cupimus.] Vestram optamus perfectionem, oramus vestram consummationem: vt nihil sit quod vindex castiget potentia, sed quod probet coronetque misericordia. Ideò, perfecti estote. [Quid est, ait ille, perfecti estote? perfecti efficiamini, ac, quæ desunt, expleatis.] Primus gradus est declinare à malo: nam totus homo nunc in maligno positus est: hic primus ergo terminus, à quo recedendum est: à malo saltem abstinendum: sed sicut corpori nondum informato, deest anima, quæ motum exerat; sic & operi inchoato deest promotio quæ in bonum tendat: & hic secundus est gradus, qui non solùm malum abiicit, sed & in bonum prouehit. Nondum tamen perfectio est, nondum consummatio: nam sicut corpori deest actio quæ illi per animam aduenit; sic & actioni deest intentio, vt opus rectum sit, vt sit verè bonum, seu verum opus iustitiæ, quod non in eo est quod efficitur, sed in modo quo efficitur: sicut autem corpus per animam informatur, vt possit operari; sic & anima per Spiritum consummatur, vt benè ac rectè possit operari. [Qui enim pignus Spiritus habent, inquit Irenæus, & non concupiscentiis carnis seruiunt, sed subiiciunt semetipsos spiritui, & rationabiliter conuersantur in omnibus, iustè Apostolus spirituales vocat, quoniam Spiritus Dei habitat in ipsis.] Quid est igitur rationabiliter conuersari? subiici spiritui: sicut enim intantum corpus pollet, inquantum animæ subiacet, sic & in tantum anima rationabiliter dirigitur, in quantum spiritui subiicitur: sicut enim corpus organicum de se tantùm veræ animationis capax est, sed per aduenientem animam absoluitur; sic & anima de se tantum veræ rationis capax est, sed per spiritum superuenientem perficitur. Denique sicut in corpore nullus est motus vitalis nisi qui ab animâ producitur, sic & in

Chrysost. Hom. 29.

Chrysost. Hom. 30.

Irenæus l. 5. adu. hæres. c. 8.

Rationabiliter conuersari est spiritui subiici.

& in animâ nullus est actus regularis nisi qui à A spiritu dirigitur. [Nunc enim, ait ille, partem aliquam Spiritûs Dei sumimus ad perfectionem & præparationem incorruptelæ, paulatim assuescentes capere, & portare Deum.] Iam aliquam habemus participationem & communionem spiritûs, quasi arrabonem & partem eius perfectionis felicitatis ve, quæ nobis promissa est, in quâ tota integritas erit, nulla infirmitas. Interim orat Apostolus, vt fideles potentes sint; id est, vegeti ac validi, vt non solùm infirmæ carnis vitia comprimant, sed & peruersæ rationis spernant ludibria. [Indicitur tibi bellum, ait Augustinus, non solùm aduersùs suggestiones diaboli, aduersùs principem potestatis aëris huius, qui B operatur in filiis diffidentiæ, aduersùs diabolum & angelos eius spiritalia nequitiæ, non solùm ergo aduersùs ipsos tibi bellum indicitur, sed aduersùs teipsum. Quomodo aduersùs teipsum? Aduersùs tuam consuetudinem malam, aduersùs vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam, & refrenatur à nouâ. Indicitur enim tibi quædam noua vita, & tu vetus es. Nouitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægrauaris. Incipit tibi esse bellum aduersùs te. Sed ex quâ parte tibi displices, iungeris Deo; & ex quâ parte iam iungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te; quia ille tecum est, qui omnia superat. Ex eo quod mente iungeris Deo C vincis quod in te non vult sequi.] Non vincis teipsum, cum per teipsum agis, sed in teipsum semper recidis: tam enim infirmus es de te quàm imperfectus: ideò tam non potes nisi per spiritum te vincere, quàm non potes nisi per spiritum, te supra teipsum attollere.

Iren. eod. c.

Augustin. Enarrat. in Psal. 76. circ. med.

Quoad tertium. A nobis est illa perfectio: est & ab aliis: sed maximè à Deo ipso tanquam summo omnis doni optimi, & omnis boni perfecti principio. Quod à nobis fit, inde patet quod Apostolus id nobis præcipit. [Perfecti estote.] Vanè enim præcipit, si nihil à nobis exit liberè. [Nam vt dixit Aquinas, si liberum arbitrium non esset necessarium, nunquam da- D rentur homini præcepta, nec prohibitiones, nec exhortationes. Frustrà etiam darentur pœnæ.] Non imperatur, nisi illi qui potest: nec ille castigatur, nisi qui potest; aut qui potuit, sed noluit. Hominis est, inquantum voluntatis est: & velle debes, & facere. [Trahe teipsum, ait Augustinus, ad illum qui sursum tollit. Pondere quodam vetustatis deprimeris, clama & dic: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quis me liberabit ab eo à quo grauor?] Quando dicit Apostolus, perficimini, seu reficimini; non permittit hominem inutilem, inactuosum, otiosum; & in rebus suis seu actionibus humanis neminem: sed E præcipit surgere à malo, appropinquare bono, & bonum ipsum non facere solùm, id est secundùm veritatem, ad integritatem contendere. Quod autem & ab aliis fit, inde liquet,

Aquin. lect. 2.


Augustin. Enarrat. in Psal. 75. circ. med.

quòd Apostolus non solùm exigit actionem nostram, sed & orationem suam interserit. [Oramus autem Deum vt nihil mali faciatis.] Voluntatem fortean iam habetis bonam, sed adhuc infirmam: ad operationem valetis, non ad consummationem. [Hoc & oramus, vestram consummationem.] Velle adiacet vobis, sed nondum inuenitis perficere: iuuandi estis viribus alienis, seu piis aliorum precibus confortandi. Si enim prædestinatio iuuatur precibus sanctorum, quanto magis iustificatio, consummatio? Denique quòd totum hoc consummationis negotium, sicut & mysterium prædestinationis maximè ac præcipuè fit à Deo tanquam primo ac supremo omnis doni optimi, & omnis boni perfecti principio, inde elucet quòd ipse Apostolus precem ad Deum deleget, Gratiam Domini nostri Iesu Christi, charitatem Dei, & communicationem sancti Spiritûs interpellat, totam Trinitatem in opus aduocet, [Nisi enim, ait Aquinas, Deus omnes regeret per gratiam suam, non posset homo stare. Frustrà enim oraremus, quòd non inducat nos in tentationem. Et ideò Apostolus ostendens id necessarium, orat Deum pro gratiâ obtinendâ.] Sed cum agere, regere, ac dirigere sit maximè spiritûs, illa etiam consummatio, cōmunicatio Spiritûs est; & quo largior diffusio, seu participatio vberior, eo etiam amplior perfectio: habet enim gradus suos, quibus non solùm humanam subleuet animam, sed & consummet. [Tria ergo sunt, (ita concludo ex Irenæo) ex quibus perfectus homo constat: carne, animâ, & spiritu: & altero quidem saluante & figurante, qui est Spiritus; altero quod vnitur & formatur, quod est caro. Id verò quod inter hæc duo, est anima, quæ aliquando quidem subsequens Spiritum, eleuatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo timent Deum, & credunt in aduentum filij eius, & per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales iustè homines dicentur, & mundi, & spirituales, & viuentes Deo, qui habent Spiritum patris, qui emundat hominem & subleuat in vitam Dei. Sicut enim caro infirma, sic & spiritus promptus à Domino testimonium accepit. Hic est potens perficere quæcumque in promptu habet. Si igitur hoc quod promptum est Spiritûs, admisceat aliquis velut stimulum infirmitati carnis, necesse est omnimodò, vt id quod est forte, superet infirmum, ita vt absorbeatur infirmitas carnis à fortitudine Spiritûs: & esse eum qui sit talis,, non iam carnalem, sed spiritualem, propter Spiritûs communionem. Ita martyres testantur, & contemnunt mortem; non secundùm infirmitatem carnis, sed secundùm quod promptus est Spiritus: infirmitas enim carnis absorpta, potentem ostendit Spiritum?] Hic vltimus est perfectionis gradus consummationisque.

Aquin. lect. 2.

Iren. lib 5. adu. hæres. c. 9.

Anima inter spiritum viuificantē & carnem aggrauantē constituta.



IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIMAM.


ARGVMENTVM.



Equentes Epistolæ breuiores sunt, nec tamen minùs gratæ & acceptabiles: nam; vt dixit Tertullianus: Est sapor & in paucis. *Prædicauerat Paulus Euangelium Thessalonicæ, & fructum in illâ Metropoli Macedoniæ fecerat non modicum. Sed cum Ecclesia adhuc nouella domesticis tentaretur persecutionibus,* Iudaïcisque *factionibus pulsaretur: audiuit Apostolus, & primam ad Thessalonicenses scripsit Epistolam: in quâ laudat quòd in acceptâ gratiâ permanserint, & falsos Apostolos minimè receperint: instatque vt ad perfectum tendant, animumque & operibus bonis, & salutaribus muniant institutis.*

Tertullian. lib 5. adu. Marc. c. 15.





CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

Congratulatur fidei ac virtuti Thessalonicensium: testaturque illos in exemplum factos omnibus in Macedoniâ, & in Achaïa credentibus.

TEXTVS.

PAulus, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre, & Domino Iesu Christo: Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes semper in orationibus nostris, sine intermissione memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi, ante Deum & patrem nostrum: scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram: quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multâ, sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs sancti: ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedoniâ, & in Achaïa, A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solùm in Macedoniâ, & in Achaïa, sed & in omni loco fides vestra. quæ est ad Deum profecta est, itaut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de vobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo, & vero, & expectare filium eius de cœlis (quem suscitauit à mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab irâ venturâ.

EXEGESIS LITTERALIS.

COnstantes Macedones in accepto veritatis verbo: [Et vt horum meritum, vt Ambrosius loquitur, & suam ex eorum profectu lætitiam litteris signet Apostolus, ita scribit ad eos.] (Ambros. in Proem.)

[Paulus, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo patre, & Domino Iesu Christo: Gratia vobis, & pax, &c.] Tres simul Paulus & Siluanus & Timotheus scibunt Ecclesiæ Thessalonicensiũ, quæ cõgregata est per beneficium Dei patris & meritum Domini nostri Iesu Christi, cupiuntque gratiam & pacem. [Trium quidem nomina. ait Comment. Ambros. litteræ continent, sed sensus & verba solius Apostoli sunt. Quia enim communi gaudio exultant in profectu illorum, ex consensu ad plebem epistola scribitur in exultatione, Dei patris, & Domini Iesu (Cobroe nt. Ammms.)

A Christi pacem & gratiam his exoptans.] Bona videlicet gratiæ ac gloriæ, seu dona salutis & pacis: quæ scilicet procurant salutem, & quietem conciliant. [Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriã vestri facientes semper in orationibus nostris, sine intermissione memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum, &c.] Gratias semper Deo agimus pro omnibus beneficiis in vos collatis, quoties enim orationem fundimus ad Deum, etiam vestri memoriam facimus: vt qui assiduè recolimus quomodo vos impigrè in fide gesseritis, quomodo ex charitate laboraueritis, quâ tolerantiâ in spem æternæ gloriæ aduersa omnia sustinueritis. Hæc indesinenter reuoluimus coràm Deo qui pater omnium, maximè fidelium, & pro omnibus sacrificium illi laudis afferimus. [Scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram: quia Euangelium nostrum non fuit (Simul conueniunt oratio & gratiarum actio.)

ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multâ, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos, &c.] Quidni gratias, agamus, cum sciamus confidamusque vos, vtpote à Deo dilectos, etiam ab eo ad vitam electos æternam? Nam Euangelium non verbo tenus apud vos à me prædicatum est, sed & miraculis editis, collatisque confirmatum charismatis. Quid vobis defuit, quin plenè & abundè vobis in Apostolico ministerio satisfactum sit? Testes vos aduoco, & in memoriam vobis reuoco qualiter apud vos salutis vestræ causâ operati fuerimus, qualiter fuerimus conuersati. [Inducit eorum testimonium, ait Aquinas, ad hoc cum dicit, Sicut scitis: id est, qualia dona & virtutes ostendimus in vobis.]

Aquin. lect.

B

[Et vos imitatores nostri facti, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ cum gaudio Spiritûs sancti, ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedoniâ & in Achaiâ, &c.] Non solùm autem credidistis annuntiato vobis Euangelio, sed & imitatores facti estis nostri, imò & Christi: non enim quomodocumque suscepistis verbum fidei, sed sicut Christus & Apostoli eius, multa passi sunt prædicando, & omnia peruicerunt, constanter hilariterque tolerando; sic & vos Euangelium, aliis, maximè Iudæis, non solùm contrà nitentibus, sed & persequentibus, non solùm animo constanti, sed & cum spiritali gaudio recepistis: ita vt exemplo fueritis omnibus in Macedoniâ & Achaiâ credentibus seu in Græciâ. [Vide, inquit Athanas. vt non formam dixerit credituris hos fieri, sed credentibus iam formam exhibuisse, quemadmodum scilicet credendum sit.] Cum animi quodam ardore, & summâ cum promptitudine adeundo pericula, & incommoda peruincendo. [A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solùm in Macedoniâ, & in Achaiâ, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum profecta est, ita vt sit nobis necesse quidquam loqui, &c.] Nam à vobis verbum Euangelicum longè lateque diuulgatum est, non solùm in Macedoniâ & vicinâ Achaiâ; sed & in omnem locum, seu quaqua versum, fides quâ ad Deum conuersi estis peruenit, insonuitque: ita vt non sit nobis opus narrare aut exponere, quod tantâ iam famâ perlatum est relatumque. [Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo, & vero, &c.] Illi namque quibus id recensere de vobis poteramus verbum occupant, nobisque renuntiant quo ingressu, quo & successu apud vos prædicauerimus, & quonam pacto compulerimus idola tam inania quàm & insensibilia proiicere, Deumque viuum ac verum colere. [Et expectare filium eius de cœlis (quem suscitauit à mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab irâ venturâ.] Quomodo persuasi estis credere in filium, quem Deus pater à morte suscitauit; & eum certâ spe vt protectorum expectare ac iudicem, qui electos suos promisso compenset præmio, impios debito mulctet supplicio. [Quæ sunt grauia quidem & aspera, ait Chrysostomus, sunt in manibus: quæ autem bona, in expectatione, quando Christus veniet è cœlis. Vide quantâ spe sit opus. Sed hoc est solatium, consolatio, & adhortatio.]

C

Athanas. in Paulum.

D

Forma credendi fidelibus omnibus proposita.

E

Chrysost. orat. 2.

A

DISQVISITIONES DOGMATICÆ
in litteram.

CVr tres isti in fronte oppositi & inscripti? Quomodo non in sermone tantùm, sed & in virtute concionati? Primò ergo de inscriptione: tum & de concione.

B

DISQVISITIO PRIMA.
De inscriptione.

NOn est insolitum, Apostolum sibi nonnullos adiungere, salutationis epistolaris socios: sic enim in primâ ad Corinthios. [Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.] Et in secundâ: [Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Thimotheus frater, Ecclesiæ, quæ est Corinthi.] Sed mirum tres istos non solùm in primâ ad Thessalonicenses Epistolâ præfixos, sed & in secundâ simul etiam iunctos. [Paulus, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium.]

C

Quis ille Siluanus? cur cum illo Timotheus? cur Paulus dictus non est Apostolus?

Quoad primum. Vir ille famosus, bonâ vtique famâ, cuius cum laude meminit non Paulus solùm, sed & Petrus. Ille enim in secundâ ad Corinthios. [Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est: per me, Siluanum, & Timotheum.] Iste verò: [Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi.] Sed ex Hieronymo: [Sciendum Silam, collegam Pauli linguâ Hebræâ Apostolum dici; qui cum eo nonnullas epistolas scribit. Et vitiosè Siluanus legitur pro Sila, cum Siluanum in Apostolorum Actis non legamus.] De tribus testatur: primum est, eundem esse Silam ac Siluanum: alterum, illum fuisse Pauli collegam, nec in missione tantùm, sed & in scriptione: tertium; Silam, Hebræâ linguâ dictum Apostolum. Vera sint ista, nedum verosimilia. Sed quod addit, vitiosè Siluanum legi pro Sila, dubito an verum sit, imò & verosimile; cum omnia exemplaria tam Græca quàm Latina in vnum conueniant; nec vno loco, sed in pluribus idipsum repetant. Non igitur vitiosè, sed potius appositè, Hebræo nomine, congruâ flexione in Romanum commutato. Porrò si idem est Silas qui Siluanus, & Pauli Apostoli socius, iam satis laudatus est, nec alio laudandus est, quàm scripturæ sacræ testimonio. Ex quo enim facta est dissensio inter Paulum & Barnabam: [Paulus electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus.] Nec humano proposito, sed ex destinato Dei consilio. Nam vt ibidem dicitur. [Iudas autem & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus, ad eos qui mi-

2. Cor. 1. 19

1. Pet. c. 5.

Hieronym. ep. 143. in fine.

1. Pet cap. 5.

Silas seu Siluanus Pauli comes indiuiduus.

Act. cap. 15.

ferant illos. Visum est autem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abiit Ierusalem. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & euangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.] Sed & quo Barnabas assumpto Marco nauigauit Cyprum, Paulo derelicto, Silas comes adhæsit indiuiduus assiduusque: imò nec vlla exinde mentio Barnabæ; sed Silæ frequentissima.

Quoad secundum. Paulus assumpto Sila, perambulauit Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias. [Peruenit autem Derben, & Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili. Hunc voluit Paulus secum proficisci. Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos. Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Mediâ autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodiâ erant.] Electus ergo etiam Timotheus assumptusque, & cum Paulo & Sila profectus in Macedoniam, tandemque Thessaloniam. [Cum autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam venerunt Thessalonicam, vbi erat synagoga Iudæorum. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ. Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret vsque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.] Venerunt ergo Athenas, & ibi Paulum inuenerunt cum Stoïcis & Epicuræis occupatum. Sed metuens Apostolus ne Thessalonicenses turbarentur infestationibus Iudæorum, Athenis adhuc cum esset, misit Timotheum & Silam, vt solarentur eos, animum firmarent, confirmarent Euangelium. Et expleto ministerio, redierunt ad Paulum; & inde titulum inierunt, seu salutationis epistolaris consortium. [Post hæc egressus ab Athenis venit Corinthum. Cum venissent autem de Macedoniâ Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum, Iesum.] Sed cur Siluanus Timotheo præpositus? etiamsi suo testimonio innumerabilia ipsi bona Paulus tribuat, & omnibus eum præferat? Silas iam adhæserat Paulo, quando Timotheum circumcidit; & adhibuit in socium. Itaque Silas non solùm primus, sed & inter [Viros primos in fratribus.] Cum adhuc Timotheus oppidò iuuenis esset, & ad ineunda ministerij Apostolici munia minus habilis. Idcircò semper in Actibus præcedit Silas, tanquam antiquior, grauior, maturior: quamquam ambo in opus à Paulo adhibiti, & apprimè Thessalonicensibus, sicut & Philippensibus noti.

Act. cap. 16.

Act. cap. 17.

Timotheus ad Thessalonicenses à Paulo missus.

Act. cap. 18.

Act. cap. 16.

Quoad tertium. Humilitatem Timotheo tribuit Chrysostomus, dum Paulo adimit dignitatem. [Nam cum videret magistrum, inquit, adeò humiliter se gerere, vt secum coniungeret discipulum, multo magis hoc ipse quæsiuit & contendit, vt ei Siluanum præponeret. Paulus enim, inquit, & Siluanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium. De se hîc nihil ponit, Non Apostolus, non seruus.] Sed cur noluit dici Apostolus? Quia non oportuit: sic nec reuera Timotheus debuit Silæ præponi. Certè cum se iungit cum Timotheo, vel se seruum Christi dicit, vel Apostolum. Ita ad Philippenses: [Paulus & Timotheus, serui Iesu Christi.] Et ad Colossenses: [Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater.] Timotheus quippe discipulus erat, & filius. [Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus.] Et, [Sicut patri filius, mecum seruiuit in Euangelio.] At cum se confert cum Sila, multum illi defert; vt qui non solùm conseruus esset, sed & coapostolus; ideoque dignitatem obtineat, licet inferiorem. Noluit ergo se dicere Apostolum, noluit se dicere seruum; vt Silæ gradum suum seruaret, intactum reliquit titulum, ne aliquid sibi tribuendo, vel id aliter disponendo, alteri demeret. [Paulus & Siluanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Ecclesiæ, inquit, Thessalonicensium, quæ est in Deo. Erant enim, ait Chrysostomus, & Iudaïcæ, & Græcæ. Sed illi, inquit, quæ est in Deo. Magna est dignitas, & cui nihil est æquale, si est in Deo.] Simul ergo salutant fideles, seu Christianos, siue Iudæos, siue gentiles ad fidem conuersos: simul gratiam & pacem exoptant: id est bona omnia gratuita ad salutem pertinentia: ita vt non solùm ea obtineant à Deo patre & Domino Iesu Christo, sed & cum pace ac securitate possideant. Ita confirmari, aut multiplicari simul postulant, quod simul prædicantibus & collaborantibus susceperunt, auxeruntque.

Chrysost. orat. 1.

1. Cor. c. 4.

Philip. c. 2.

Chrysost. orat. 1.

Summa dignitas esse in Deo.

DISQVISITIO SECVNDA.

De concione.

QVales fuerint apud Thessalonicenses, propter ipsos Thessalonicenses palàm aperit, nempe fidem prædicasse non in sermone tantùm, sed & in virtute & in Spiritu sancto, & in plenitudine multâ: sed non definit vnde sciat argumentum electionis, & incentiuum imitationis. Tria ergo disserenda sunt.

Primum de argumento electionis. [Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestram] Vnde aut quomodo? [Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto.] Quibus tria connotata sunt: primum est, testimonium electionis: [Scientes, fratres.] Alterum principium electionis: [Electi à Deo.] Tertium, indicium electionis: [Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm,] Quoad primum, scit Paulus illos esse electos, dum confidit; non enim reue-

lationem acceperat, sed certitudinem induxerat valde probabilem. Id enim quod de Philippensibus dixit, dicere potuit de Thessalonicensibus: [Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.] Nouit Christus, qui elegit ad fidem, nouit Apostolus qui ad fidem adduxit. [Ego, inquit, (apud Athanas.) vestri memoriam facimus, quia certò scimus à Deo nos esse electos. Estis namque suprà multos ad fidem sepositi.] Sed in Christo Deo scientia diuina est, idest cognitio infallibilis: in Apostolo, scientia humana est, id est, ratio probabilis. Quoad secundum, sicut principium prædestinationis electio est, sic & principiũ electionis dilectio: sicut Deus nobis media præparat, quia ab aliis seposuit; sic & ab aliis separat, quia præ illis dilexit. Sunt electi à Deo: cur ita? Quia sunt à Deo dilecti. [Scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram.] Sed vnde dilecti? Tota ratio in Deo est, cum gratuita dilectio. Vnde Paulus: [Gratias agimus Deo pro omnibus vobis: scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram.] Quidni gratias agamus, cum gratias agnoscamus, sepositas vobis collatasque? Sed scio vos electos ab æterno, quia confido vos ad gratiam dilectos & gloriam. [Dicit ergo (ex Aquinate, ô fratres dilecti à Deo, non solùm communiter inquantum dat esse naturæ, sed inquantum specialiter ad bona æterna estis vocati: hanc quippe electionem non meruistis, sed à Deo estis gratuitè electi.] Quoad tertium, indicium satis validum: [Vnde liquet eos esse electos si dixeris, audi, ait Athanas. quæ subsequuntur: Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm. Ex eo vos, inquit, perspicuum est fuisse electos, quia Deus meam ad vos prædicationem est vel gloriâ prosecutus. Non enim simpliciter Euangelium prædicauimus, sed & signa sunt & miracula edita, cum Deo esset id optimè placitum, vt fidem ipsi exciperetis tanquam electi ab eo & ad fidem prædestinati.] Id ergo scit Apostolus nouitque, sed eo indicio, seu argumento inde deducto. [Hoc scio, (ait apud Aquinatem,) quia Deus dedit mihi magnum argumentum in prædicatione, scilicet quòd illi, quibus loquor, sunt à Deo electi: scilicet quando Deus dat eis gratiam fructuosè audiendi verbum eis prædicatum, vel mihi gratiam copiosè prædicandi eis.]

Philip. c. 1.

Athanas. in Paulum.

Prædestinatio ab electione, electio à dilectione.

Aquin. lect. 1.

Athanas. in Paulum.

Aquin. lect. 1.

De modo concionis, ait, non fuisse in sermone tantùm: [Sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multâ.] Qui Euangelium prædicant in sermone tantùm, verè Euangelium non prædicant, sed in ventum seminant. [Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.] Quomodo prædicauit Apostolus. Nonne sermone prædicauit? Aliud prædicare sermone, aliud prædicare sermone tantùm. Non negat Apostolus prædicasse sermone, sed negat prædicasse sermone tantùm. [Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.] Hoc verum Euangelium: nam, vt ipse dixit: [Virtus Dei est in salutem omni credenti.] Putas populare artificium, quo mulceantur aures per dulces sermones; aut sublime ingenium, quo populi Christiani scolæ potius ænigmata docentur, quàm scripturæ mysteria? Erras. Simplicitas enim exigitur, non subtilitas; nec sermonis affectatio quæritur, sed virtutis commendatio. [Fides, ait Tertullianus, prædicantium quorundam vera, id est simplex, quorumdam nimis docta.] Tria igitur suggerit Apostolus, quæ & addit sermoni, imò & eruditioni, virtutem, Spiritum sanctum, plenitudinem multam. Quoad virtutem: illa non tam audientium est, quàm prædicantium: est enim virtus signorum & prodigiorum, quibus fidem probant prædicantes, seu quibus non in sermone tantùm, sed & in virtute, per virtutem, seu potentiam diuinam, humanam superant sapientiam. [Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.] Quoad Spiritum sanctum, non tam prædicantium est quàm audientium: sicut enim virtus est in signis & miraculis, sic & Spiritus sanctus in donis & gratiis. [Confirmata est salus, contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus, & Spiritûs sancti distributionibus.] Quoad plenitudinem multam, Græcè πληροφορίᾳ, tam prædicantium est, quàm & audientium: tanta enim suadendæ fidei adminicula suggerenda sunt, vt compellantur credere, aut reuincantur delinquere: & in his multum mouent promouentque & conuersatio prædicantis ædificatiua, & assidua instantis oratio. Qui hanc exactè seruauerit disciplinam, causam plenè perorabit. Hæc prædicatio non sermonis erit tantùm, sed & virtutis: quia Euangelicam doctrinam non verbo tantùm persuadebit, sed & facto: &, vt dixit Ambros. [Perfectum opus Spiritûs sancti apparebit.]

1. Cor. c. 4.

1. Cor. c. 2.

Rom. cap. 1.

Tertullian. lib. 5. adu. Mar. cap. 20.

Marc. c. 16.

Heb. cap. 2.

Quænam disciplina in Euangelio prædicando seruanda.

Ambros. in Paulum.

De incentiuo imitationis, [Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini.] Imitatio illa, non signorum affectatio est, verùm exemplorum æmulatio: sed ipsa tanta est, vt non solùm imbiberint, sed & in alios; nec vicinos tantùm, sed & dissitos resperserint. [Ostendit eorum virtutem in hoc, ait Aquinas, quòd alios imitati sunt, & quòd aliis se imitabiles præstiterunt. Quales illi imitatores, qui non solùm Pauli, sed & Domini? Quàm acres ac feruentes, qui in formam normam-ve omnibus vbique credentibus sint propositi? Exemplum acceperunt, exemplum tradiderunt: talemque ipsi religionis ac pietatis crediderunt speciem, vt in omnes percrebesceret regiones, omnes vbique gentium, saltem latissimè ac remotissimè fideles percelleret. [Dicit itaque, (verba Chrysostomi) Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs sancti. Papæ, quantum encomium! Discipuli repentè facti sunt magistri. Non solùm audierunt verbum, sed etiam ad idem, ad quod Paulus, peruenerunt fastigium. Sed hoc nihil est. Vide enim quomodo eos extollat. Imitatores facti estis Domini,

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 1.

Quomodo? Excipientes verum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs sancti. Non absolutè cum tribulatione & afflictione, sed cum multâ. Neque dici potest, quòd afflicti quidem estis & credidistis, sed dolentes. Imò verò gaudentes. Quod quidem faciebant etiam Apostoli, gaudentes quòd digni essent habiti pro nomine Christi contumeliâ affici. Si ne illud quidem est parum, quomodocumque ferre afflictiones, hoc iam est eorum qui humanam naturam superant, & habent corpus tanquam impatibile. Quomodo autem fuerunt imitatores Christi? Quoniam ipse quoque multas sustinuit perpessiones, sed gaudebat: lubens enim & suâ sponte eò veniebat. Ne quis verò diceret, Quomodo dicis, Tribulatione? Quomodo, Gaudio? Quomodo possint vtraque conuenire? Subiunxit, Cum gaudio Spiritûs sancti. Afflictio est in corporalibus, & gaudium in spiritualibus. Sicut in igne, rore aspergebantur tres pueri, ita vos quoque in afflictionibus. Sed quomodo illic non est naturæ ignis rore aspergere, sed sibilantis spiritûs: ita hîc quoque. Non est enim naturæ afflictionis gaudium procreare, sed propter Christum perpessionis, & rore perfundentis spiritûs, constituentisque in quiete & recreatione per fornacem tentationum. Cum gaudio, inquit? non absolutè, sed multo. Hoc enim est Spiritûs sancti.]

Afflictio in corporalibus, consolatio in spiritualibus.

TROPOLOGIA.

Sine intermissione memores operis fidei vestræ.

GRatias agit Apostolus Deo semper pro omnibus Thessalonicensibus, & memoriam illorum in orationibus suis facit; memor antè Deum & patrem operis fidei illorum, & laboris charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi. Tres ergo proponit virtutes, in quibus gratia Christiana constituta est: & fidei quidem, opus: spei verò, sustinentiam seu patientiam: charitati verò, laborem attribuit.

Quoad fidem: illius est opus: sed opus pietatis ac religionis. [Si enim, vti Augustinus dixit, iustus est, qui ex fide viuit; iniquus est, qui non habet fidem.] Multi quidem sine fide operantur, sed opere reprobantur: nisi enim opus à fide exeat, tam vanum esse constat, quàm & mortuum: sicut enim ab illâ principium est gratiæ, sic & absque illâ certum est veræ iustitiæ naufragium. [Hac gubernatrice, ait Chrysostomus, Noë diluuium nauigauit: per hanc Abraham & benedictionem meruit, & filium in senectute suscepit. Per hanc & Sodomitarum interitu, Loth sanctissimus liberatus, Moyses electus, Dauid protectus, tres pueri de incendio erepti, Daniel à leonibus liberatus.] Igitur, vt exponit Aquinas: [Orat Apostolus pro Thessalonicensibus, dicens, Memoriam vestri faciens: Quasi dicat, Quandocumque oro, habeo vos in memoriâ. Deinde cum dicit, Memores operis, ponit bona de quibus agit gratias: scilicet fidem, spem, & charitatem. Tria hæc: sed fi-

Augustin. Enarrat. in Psal. 14 post. init.

Chrysost. Hom. de trib. virtutib.

Aquin. lect. 1.

A dem præmittit: quia est substantia sperandarum rerum. Accedentem enim ad Deum oportet credere. Hæc autem non est sufficiens, nisi habeat operationem. Et ideo dicit, operis fidei vestræ. Quasi dicat, Memores fidei vestræ operantis.] Sicut enim in cassum quis agit sine fide, sic & in vanum, quis credit sine opere: nam sicut actio sine fide vana est, sic & fides sine actione est mortua: & sicut fides sine actione viduata, actione etiam confirmatur, sic & actio, fide vacuata, fide etiam animatur. [Quid est operis fidei? Si credis, ait Chrysostomus, omnia pateris. Si
B autem non pateris, non credis. An non enim sunt, eiusmodi quæ sunt promissa, vt vel mille mortes pacti electurus sit qui credit? Propterea regnum cœlorum, & immortalitas, & vita æterna. Qui ergo credit, omnia patietur. Num ergo fides per opera ostenditur? Meritò quis dixerit, eam non absolutè, sed per opera ostendi, per instantiam, per animi alacritatem.] Pactum est, & placitum, in quo dum per veritatem Deus spondet, Christianus respondet per fidelitatem. [Teneris Christiane, ait ille, & tenes: aliud à Deo accipis, aliud Deo promittis. Non debes placitum destruere, cuius te pignus conspicis retinere.
C Nam si inter homines semper pacta seruantur, & quicquid inter socios aliquando placuerit, inconcussâ fidei firmitate tenetur, ne sit violatæ fidei reus, qui aut placitum soluerit, aut pactum ruperit, aut socialem conuentum perfidâ calliditate mutauerit: quanto tenaciùs firmiusque seruandum est, quod cum Deo contrahitur, quod cum Christo initur, quod in spem promissorum cœlestium copulatur? Homines enim inter se nonnunquam aut falluntur, aut fallunt: Deus autem ab homine falli non poterit. Quicquid promiseris, exigit: quicquid voueris, inquirit: adeò vt cum iudicij venerit dies, & singulorum pacta vel
D sponsa recitari iubente Domino cœperint: aut seruatæ fidei præmium, aut violatæ supplicium tribuetur. Vt enim ipse fidelis est recedendo, ita fidelem exigit de promisso. Talem hominem quærit ergà se semel Deus existere, qualem seipsum homini desiderat exhibere. Ego, inquit Dominus, promissa non muto: ego quod destinaui, attribuo. Ego tibi præmia quæ spopondi, dispenso: si tamen, quod credis, exhibeas: si fidem, quam polliceris, adimpleas: si actibus sanctis, quod voueris ostendas.] Ita fides non solùm in credulitate est, sed & in fidelitate: nec in mente tantummodò, sed & in opere: nec enim fides est so-
E lummodo, sed opus fidei; quo non tantùm diuinis assentimur verbis promissisque, sed & congruis nitimur officiis: sicut enim fides sine officiis vacua est, sic & officia sine fide accepta non sunt, quia non sunt legitima.

Quoad charitatem: sicut inchoat fides, sic charitas consummat. [Memores operis fidei vestræ, & laboris charitatis.] Sic enim ex Græco: nam sicut dicit opus fidei, sic & laborem dicit charitatis. [Quoniam bona à Deo sunt, ait Ambros. idcircò ei primum gratias referunt in profectu illorum, qui dignatus est non solùm donum suum dare hominibus

Quantum fidei & operis sit interius connubium

Chrysost. orat. 1.

Chrysost. Homil. de fide, spe & charit.

Ambros. in Paulum.

A nibus sub peccato constitutis, sed in filios hos adoptare, simul adiuuans eos ad omnia exitia toleranda: vt digniores fiant. Quamobrem meminisse horum dicunt se in actionibus suis, eo quod discerent in opere fidei ceteris Ecclesiis, & nutu Dei perficerent opus cœptum, prompti in studio charitatis.] Sicut enim opus fidei, illud est quod à fide proficiscitur, ita labor charitatis ille est qui ex charitate suscipitur. [Quisnam enim est labor absolutè diligere? Nullus labor. (ait Chrysostomus) Germanè autem & sincerè diligere, multus est labor. Quando enim, dic quæso, mouentur innumerabilia quæ nos volunt abducere à charitate, nos autem omnibus resistimus, B an non est labor?] Et exemplo è reipsà deducto. [Quid non passi sunt isti, vt à charitate non discederent? Non ad Pauli hospitem venerunt, qui bellũ gerebant cum prædicatione: & cum eum non inuenissent, ipsum Iasonem trahebant ad magistratus ciuitatis? Hic ne est, dic quæso, paruus labor, cum semina nondum concreuissent, tantam ferre tempestatem, tantas tentationes? Et cautionem ab eo exegerunt. Quâ datâ emisit Paulum. Est ne hoc paruum, dic quæso? Non seipsum pro illo subiecit periculo? Hunc ergo laborem dicit charitatis, quoniam sic fuerunt alligati.] Qui sincerè ac germanè, id est, ex charitate diligit, nulli rei parcit, nulli labori; cum non solùm pecuniam sed & vitam ipsam profundat; nec proximos solùm, sed & extraneos, non amicos tantùm, sed & inimicos comprehendat. [Ita, inquit Tertullianus, creator & secundum naturæ ordinem, primùm in proximos docuit benignitatem emissurus eam postea & in extraneos; & secundùm rationem dispositionis suæ, primò in Iudæos, postea & in omne hominum genus. Ideoque quamdiu intrà Israëlem erat sacramentum, meritò in solos fratres misericordiam mandabat. At vbi Christo dedit gentes hæreditatem, & possessionem terminos terræ; D & cœpit expungi quod dictum est per Osee, Non populus meus, populus meus: & non misericordiam consequuta misericordiam consequuta, Natio scilicet: exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens à miseratione, sicut in vocatione.] Charitas Iudaïca, parùm aut nihil laborat, cum proximos tantùm amicosve comprehendat; & si commodet pecuniam, vitam reseruet Charitas Christiana, nihil excipit, nihil non impendit, nec pro amicis tantùm, sed & pro inimicis: quorum vtilitati adlaborat, quorum saluti & pecuniam & vitam immolat. [Qui enim putaueris, ait ille, nihil nos de salute ipsorum curare, inspice Dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus, & plerique casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare & persecutoribus nostris bona precari.] Id est, Christum ipsum imitari, qui animam suam pro persecutoribus dedit, & pro transgressoribus rogauit. [Laborauit anima eius, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.] Non ergo paruus labor est Christianè diligere: imò maximus, cum sit animam suam pro fratribus ponere.

Chrysost. orat. 1.

Christianè diligere non paruus est labor.

Tertullian. l. 4 aduers. Marc. c. 16.

Tertullian. c. 13. Apol.

Isa. cap. 53.

Quoad spem: non tam alia est à charitate, quàm alia charitatis materia: sicut enim vnius est laborare, sic & alterius est sustinere: illius aggredi, istius pati: illius certare, istius expectare. [Et sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi.] Laborat charitas, sed quia amat, laborem leuem reddit & facilem: expectat spes, sed quia scit gloriam fideliter reddendam, patienter expectat. [Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Ipsi intrà nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus.] Alia spes Iudaica, alia Christiana. [Spes enim, ait Aquinas, in veteri testamento non induxit ad Deum.] Idcirco nondum firma illa, vtpote quæ nondum magnis & arduis destinata Spes autem non nouo testamento, inducit ad Deum, idcircò animum facit: expectat enim reuelationem filiorum Dei adoptionem-ve, idcircò & Christum Dominum de cœlis venturum prospectat, sua cuique redditurum, suosque non manifestaturum duntaxat, sed & glori- C ficaturum. [Spei, inquit, Domini nostri Iesu Christi. Et sustinentiæ, inquit, id est tolerantiæ. Hæc enim omnia, (ait Chrysostomus) fiunt à fide & spe. Quamobrem non solùm fortis & magni animi virtutem ostendebant quæ fiebant, sed etiam quòd cum certâ persuasione credebant præmiis repositis.] Tria in Actibus narrantur de Thessalonicensibus. Primum est, verbum fidei suscepisse cum animi auiditate, [Nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, susceperunt verbum cum omni auiditate.] Omnis sexus, omnis conditio, genus omne hominum, & Iudæorum & gentilium, virorum & mulierum, plebeiorum & nobilium. [Multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.] Quò nobiliores, eò feruentiores ardentioresque. Alterum, statim propter susceptum Euangelium acriter vexatos, vehementer tentatos. [Zelantes autem Iudæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turbâ factâ, concitauerunt ciuitatem. Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis.] Verùm, vt notat Chrysostomus: [Non vno tempore fuit illa persecutio, sed perpetuo. Neque solùm bellum gerebant cum Paulo magistro, sed etiam cum discipulis. Si enim ita erant affecti in eos qui faciebant miracula viros planè reuerendos: E quomodo existimas fuisse affectos in eos qui cum ipsis habitabant, eorumque ciues erant, & repentè defecerant?] Tertium, constantes fuisse perseuerantesque. [Quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent.] Verbo Dei illuminatos, verbo Dei confirmatos. [Memores operis fidei vestræ, & laboris charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi. Vides, ait ille, præmium epistolæ statim esse à laudibus.] Nihil enim non sustinuerunt illi, propter spem quæ reposita est in cœlis: quo auidiores veritatis, eo tenaciores religionis; & quod susceperunt ardenter, fideliter tenuerunt.

Rom. cap. 8.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 1.

Act. cap. 17.

Chrysost. orat. 1.

Chrysost. ibidem.

Chrysost. Hom. de fide, spe & charit.

Et tu, vt concludam ex Chrysostomo: [Noli à spe propositâ, Christiano, desistere, noli sustinendi gloriam perdere: Salomon enim concionatur, & dicit: Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Et quid facient, cum inspicere cœperit Deus? Noli, inquam, à spe propositâ, Christiane, desistere, noli à cœpto itinere declinare: festina, quò tendis: quò properas, perueni. Currentis gressus non retrahat inimicus: festinantis animum spes ipsa perducat ad Deũ. Perpende, si potes, labores & merita, sudores & præmia, cursus & regna. Nec tamen laborat, qui Deo iuuante festinat: aut onerosum aliquid sentit, cui particeps Christus existit.]

Modicum est quod sentitur, æternum quod acquiritur

ANAGOGIA.

In omni loco fides vestra quæ est ad Deum, profecta est.

DEcertant Macedones & triumphant: non id nouum: sed tria inaudita, quibus præstant Thessalonicenses. Primum est, solo verbo omnia subiicere: alterum, imperium suum in solo constituere obsequio: tertium, per mortuum, regnum æternum inuadere.

Quoad primum. Nemo nescit Alexandrum regem, Macedonem & ipsum: sed quis victum scit non victorem? [Vicerat Medicam gentem, ait Tertullianus, & victus est Medicâ veste. Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior delectasset.] Suprà votum fortuna fluxit, gloria alluxit suprà meritum. [Habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum regem, solâ gloriâ minorem.] An ille magnus, qui minimus: qui non solùm propriâ victus gloriâ, sed & actorum famâ, aut scriptorum pugnâ superatus? Sed esto magnus fuerit, eo tamen peior quo maior, cum humanæ gloriæ nec famam, nec naturam nouerit. [Quid enim habebat vesanus adolescens, cui, ait Seneca, pro virtute erat felix temeritas? A pueritiâ latro, gentiumque vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum, qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus; oblitos, non ferocissima tantùm, sed ignauissima quoque animalia timeri ob virus malum.] Abeat ergo ille qui Asiam pressit & mersit. En alij Macedones, qui non solùm Macedoniam, sed & totam subigunt Græciam; imò nec ferro vincunt, sed verbo. [Ita vt facti sitis forma omnibus in Macedoniâ & Achaïâ. Ita, (inquit Apostolus apud Chrysostomum) resplenduistis, vt fieretis doctores & magistri eorum qui præcesserunt. Et hoc est Apostolicum. Non enim dicit, Vt facti sitis forma ad credendum: sed ijs qui iam credebant facti estis forma. Quomodo oporteat in eum credere vos docuistis, qui àb exordio ad certamina descendistis. Et in Achaïâ, inquit, hoc est, in Hellade. Vides quanta sit animi alacritas. Non eget tempore, neque cunctatione, neque dilatione: sed sufficit se solùm exhibere, & confecta sunt omnia.] Sed quid dico Macedoniam & Græciam? imò mundum vniuersum. [Quomodo enim, ait ille, benè olens vnguentum non in se conclusum bonum habet odorem, sed procul emittit, & aërem

Tertullian. l. de Pall. c. 4.

Sen. lib. 1. de benef. c. 13.

Chrysost. orat. 1.

Chrysost. orat. 2.

A odoris illitum sic etiam immittit in sensus propinquorum. Sic etiam viri præclari & admirandi, non in se conclusam tenent virtutem, sed per famam suam iuuant plurimos. A vobis enim, inquit Paulus, resonat sermo Domini, non solùm in Macedoniâ & Achaiâ, sed & in omni loco, fides vestra quæ in Deum, profecta est. Eruditione ergo implestis omnes proximos: miraculo autem, orbem terræ. Hoc enim est illud, In omni loco. Neque dixit, Vulgo iactata est fides; sed, resonuit. Sicut tubâ clarè resonante repletur totus locus, ita præclara vestræ fortis & magni animi virtutis fa-

Non minus olim res Macedonũ illustres quàm Romanorum.

B ma, sicut illa resonans, sufficit ad implendum orbem terræ, & pari sono perueniendum ad omnes qui sunt vbique. Nam res magnæ, vbi quidem gestæ fuerint, canuntur clariùs. Procul autem canuntur quidem, sed non adeò. A vobis autem non sic: sed expressus & benè significans sonus exiit per totam terram. Tanquam igitur de re animatâ loquens, sic dixit, Exiit: adeo erat vehemens & efficax.] Verbo Græco insistit, quod non tam diffamare dicit, quàm personare, perstrepere, sonum acutum longè lateque diffundere: in omnem terram exire, prouinciam omnem peruadere. Princi-

C pes ergo illi, dum doctores: domini, dum magistri; qui totum mundum verbo solo occupant; degentibus omnibus summâ gloriâ, nullâ triumphant inuidiâ. [In iis enim, ait Chrysostomus, quæ sunt huiusmodi, sæpe est inuidia: sed hoc quoque vicit exuperatio: nam & ij qui & res præclarè à vobis gestas viderant, & ij qui non aderant nec viderant, præoccupant, & ipsi sunt præcones vestrorum certaminum.]

Chrysost. ibidem.

Quoad secundum. Solo igitur verbo nationes omnes subiiciunt Macedones, sed in quo imperium suum constituunt? In solo obsequio.

D [Quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo & vero.] Tribus verbis tria proponit Apostolus. Primum, in quo innuit excellentiam conuersionis. [Quomodo conuersi estis: id est, (vt exponit Aquinas) quàm faciliter, & perfectè.] Sine vllâ cunctatione, & summâ adhæsione. Cunctatio adimitur, cum dicitur à Sapiente. [Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.] Perfectio indicitur, dum præcipitur à Ioële: [Conuertimini ad me in toto corde vestro.] Sine morâ conuersi sunt, & summâ instantiâ oblatam amplexi gratiam: nec enim beneficium

Aquin. lect. 1.

Eccles. c. 5.

Ioel. cap. 2.

E distulerunt, sed donum exceperunt in præmium. [Inter gratiam ac mortem, ait Gregorius Nazianzenus, temporis aliquid intercedat: vt non solùm prauæ litteræ deleantur, verùm etiam earum loco meliores inscribantur; nec solùm gratiam habeas, verùm etiam præmium consequaris; nec ignis tantùm supplicium effugias, verùm etiam gloriæ hæreditatem percipias, quam negotiatio dono adiuncta conciliat. Nam paruis quidem atque abiectis animis amplum ac præclarum videtur, pœnam vitare: at qui magno & excelso animo præditi sunt, ad mercedem quoque aspirant. Tres enim eorum, qui salutem consequuntur, classes esse scio: seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum. Si seruus es, plagas metue. Si merce-

Gregorius Nazian. orat. 46. cit. med.

In conuersione admiratur cunctatio, perfectio indicatur.

narius, mercedem duntaxat specta. Sin autem A supra hos assurgis, ac filius es, vt patrem verere, ac bonis operibus stude, quia bonum est patri obtemperare, etiamsi ex eâ re nihil quæstûs ad te, rediturum sit. Hoc ipsum merces est, patri obsequi. Sed absurdum fuerit; cum pecunias auidè præripias, sanitatem in longius differre atque extrahere: cum corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reseruare: cum ex hac terrenâ seruitute in libertatem vindicari studeas, supernæ libertatis cupiditate minimè tangi: cum studium & diligentiam omnem adhibeas, vt magnificas ædes incolas, aut splendidas vestes geras, nihil curæ suscipere, vt ipse summo pretio dignus sis: cum ad B benè de aliis merendum promptus sis, de teipso benè mereri nolle. Et quidem si tibi pretio hoc bonum comparare liceret, nullis omninò pecuniis parceres: nunc autem quia gratuita misericordia proponitur, idcircò tibi prompta & exporrecta beneficentia & liberalitas contemptum parit. Quod si diem hodiernũ semper præteriens, crastinum obserues, paulatim differendo: non animaduertis te à prauo illo illudi, vt illius consuetudo fert? Da mihi præsens, inquit, futurum Deo: mihi iuueniles annos, Deo seniles: mihi voluptates, Deo corpus effœtum, nullisque vsibus aptum.] Secundum est, horror superstitionis. [A simulacris.] Mutis nimirum ac vanis. [Idolorum agmen, ait Gregorius, motûs & sensûs expers.] Tertium, amor religionis. [Seruire Deo viuo & vero.] Quid enim aliud religio, quàm cultus, aut seruitus? sed cultus quo pietatem amplectimur, seruitus quâ veritatem sequimur, quâ creatori ac parenti obsequimur. [Commonefacit eos, ait Athanas. à quibus, & ad quem ipsi demigrarint, vt vitam ducant quæ Deo sit digna.] Seruiebatis antea? sed quibus? lapidibus insensatis, aut corruptis hominibus, ne dicam & pessimis dæmonibus. Nunc seruitis Deo viuo & vero: dignè ergo seruite, piè colite, & vitam Deo & Domino tanto dignam excolite. [Omnia membra, ait Gregorius Nazian. quæ sunt super terram, Deo demus, omnia consecremus: nos totos offerimus simus holocausta ratione prædita, victimæ perfectæ. Nosmetipsos totos Deo in munus tradamus, vt nos totos recipiamus: quandoquidem hoc est planè accipere, Deo donatum esse, eique salutem suam velut sacrificium quoddam obtulisse.] Illi dare, recipere est; illi seruire, imperare.

Gregorius orat. 4. adu. Iulian.

Athanas. in Paul.

Gregorius Nazianzen. oratio 40. vlt. mea.

Quoad tertium. Nondum equidem regnamus, sed regnum speramus æternum: idcircò Christum expectamus, mortuum quidem pro nobis, sed à mortuis suscitatum, vt cœlum ascenderet, sederet ad dexteram patris, suosque, seu electos consedere faceret & conregnare. [Et expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis, Iesum: qui eripuit nos ab irâ venturâ. Vidistis simul omnia, ait Chrysostomus, & resurrectionem, & ascensionem, & secundum aduentum, iudicium, iustorum remunerationem, malorum supplicium: Iesum, inquit, qui nos eripuit ab irâ venturâ. Et hoc est solatium, consolatio, & adhortatio. Nam si excitatus à mortuis, & est

Chrysost. Hom. 2.

in cœlo, & illinc venit: & vos habebitis consolationem non paruam.] Christiani estis, & meam spem inaugurati estis: recolite baptismum per quem in fidem & religionem Christianam consecrati estis, & spes vestras, promissaque condiscite dignitates. [Illud ex me intelligas velim. (verba sunt Gregorij Nazianzeni) Statio hæc, quâ confestim à baptismo antè magnum sacrarium stetisti, futuræ vitæ gloriam præsignat. Psalmorum cantillatio, illius hymnodiæ præludium est. Lampades, quas accendis, illius luminum gestationis figuram gerunt, cum quâ splendidæ & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus, nec per ignauiam & socordiam dormientes, ne inscientibus nobis, is, cuius aduentus expectatur, inopinatò adsit, nec alimento & oleo, bonisque operibus carentes, ne à nuptiali cubiculo excludamur. Prospicio enim animo tristem & miseram calamitatem. Aderit, ille, cum clamor exortus, vt ei obuiam procedatur, exiget, atque omnes quidem prudentes animæ cum splendido lumine, & vberiore eius alimoniâ ipsi occurrent: ceteræ autem in magnâ perturbatione erunt, oleum ab iis, quibus suppetit, intempestiuè quærentes. Ille porrò festinanter ingredietur, simulque cum eo prudentes animæ. Reliquæ verò, quæ tempus illud, quo ingrediendum C erit, in lampadum adornatione consumpserunt ab ingressu arcebuntur.] Iterum descendet de cœlis, iterum & in cœlos ascendet. Sed descendet, vt bonos à malis separet, & illos regno suo consociet: istis æternum denuntiet interitum. [Separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est D diabolo, & angelis eius.] Nondum electi regnant, nondum imperant: adhuc enim militant nondum triumphant. Ius quidem habent ad regnum, sed nondum possident. Iesum expectamus Dei filium, in quem & speramus. Veniet enim ille, & dicet: Videtis eos qui sunt à sinistris? igni æterno destinati sunt, vos autem cœlesti imperio: sed & pari supplicio concremandi essetis, nisi meâ gratiâ essetis liberati. [Ego sum primus & nouissimus; & viuus, & fui mortuus; & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis, & inferni.] Ego qui iudico; ego, qui imperia dispenso & supplicia. Iterum & in cœlos ascendet, vt in E sede honoris suos collocet, vt torrente voluptatis eos inebriet. [Cum eò ingressi fuerimus, ait Gregorius, tum verò nouit sponsus quæ docebit, & quomodo cum animabus iis, quæ ingredientem comitatæ fuerint conuersabitur. Cum iis porrò, vt quidem opinor, versabitur, excellentiora & puriora mysteria docens, quorum vtinam ipsi quoque participes fiamus, in ipso Christo Domino nostro, cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.]

Gregorius Nazianzen. orat. 40. vers. fin.

Inauguratio baptismi æterni iudicij repræsentatio est.

Matth. c. 25.

Apocal. c. 1.

Gregorius Nazianzen. orat. 40. in fine.



CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

COmmendat innocentiam suam in Euangelio prædicando: collaudat illorum in suscepto verbo constantiam. Sint igitur huiusce capitis partes duæ.

PARS PRIMA.

De Commendatione.

TEXTVS.

NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: sed antè passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multâ solicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditiâ, neque in dolo, sed sicut probati sumus Deo, vt crederetur nobis Euangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ: Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Cum possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrûm grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querelâ, vobis, qui credidistis, fuimus: sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrûm (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.

EXEGESIS LITTERALIS.

COmmemorat quàm sanctè quàm iustè apud Thessalonicenses conuersatus sit, declaratque quàm solicitus fuerit, ne cui Euangelio prædicando esset oneri.

[Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: sed antè passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis) fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multâ solicitudine, &c.] Sed non est opus vt vobis referam quod alij annunciant de nostro ad vos introitu. Vos enim ipsi, fratres, testes estis oculati qualem fructum, qualem successum habuerit accessus ad vos meus: nam cum iam Philippis imperiti fuissemus, & publicè virgis cæsi: tamen liberè & intrepidè ausi sumus in Deo, vobis prædicare Euangelium ipsius: quamuis cum labore ac difficultate, cum essent multi qui nobis obsisterent. [Vides, inquit Athanas. vt semper gestorum omnium Deo summam adscribat. Fiduciam enim, inquit, habentes in Deo: Athanas. in Paulum.

hoc est, ab eo & vires & robur accepimus.] Ipsa enim fiducia loquendi, intrepida est audacia prædicandi.] Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditiâ, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra, &c.] Textus Ambros. [Exertâ libertate vsi sumus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei in magno certamine. Nam exhortatio nostra, neque ex fallaciâ, neque ex immunditiâ, neque in dolo.] Cur fiduciam prædicandi amitteremus, aut non assumeremus audaciam exhortandi? Scimus enim nos non esse seductores impostoresve: scimus nos de pectore puro puram eructare doctrinã, nec subdolè vtilitatem nostram, sed vestram sincerè salutem quærere. Sicut enim digni à Deo habiti sumus, quibus committeretur Euangelium, vtpote sinceri & integri; sic & loquimur: non enim loquimur vt humanæ seruiamus cupiditati, sed diuinæ placeamus maiestati, inspectrici cordium, meritorum dispectrici. [Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ: Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, &c.] Probat quod dixerat, & diuino testimonio, & propriâ ipsorum conscientiâ. Ipsi scitis quòd nunquam placentia vobis sectati fuerimus, sed vtilia. Deus scit quòd sub occasione prædicati vobis Euangelij, nostra non meditati ac venati fuerimus, animo pecuniæ aut humanæ gloriæ cupido. [Aperit, ait Ambros. quod suprà significauit, cum dicit, Non in occasione auaritiæ, Deum dans testem: quia istud ex corde faciebat, non in hypocrisi quasi contemnens pauca, vt fortè plura offerrentur. Et ipsos conuenit, scientes ac probantes quia nulli fuerat adulatus. Hoc verò propter pseudapostolos dicit, qui dolo & fallaciâ prædicabant non missi.]

Vnde nata loquendi agendique fiducia.

Ambros. in Paulum.

[Cum possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos, &c.] Quomodo Euangelium erigeremus in auaritiæ titulum aut superbiæ, nos, qui cum possemus vos sumptibus nostræ sustentationis onerare, cum simus Apostoli Christi; maluimus tamen humiliter ac simpliciter apud vos conuersari, nec potestatem allegantes, nec grauitatem affectantes auctoritatemve: quasi si nutrix foueat filios suos; [Quæ scilicet, vt exponit Aquinas, condescendit infanti balbutiendo ei loquens, vt puer loqui discat: & in gestibus ei etiam condescendit.] Se blandè attemperat, assimilatque innoxiè. [Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animos nostros: quoniam charissimi nobis facti estis, &c.] Eo modo in vos propensi, cupiebamus ex animo non solùm doctrinam vobis Euangelicam annuntiare, sed & vitam pro vobis nostram immolare: adeò ergò vos amantissimè affecti fuimus, adeò sumus salutis vestræ percupidi. [Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrûm grauaremus, prædicauimus

Aquin. lect. 1.

Matres se paruulis assimilant, vt illos demulceant.

A in vobis Euangelium Dei, &c.] Nunc conscientiam pulsat, nunc reuocat in memoriam. Ita vos dileximus, vt nulli pepercerimus labori. Memores estis, quoties defatigati fuerimus lassatique, nihil vnquam accipientes, sed laborantes assiduè, nec tantùm nocte sed & die operantes manibus nostris, ne cui essemus oneri, ne in aliquo sumptu Euangelium poneremus. [Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querelâ, vobis, qui credidistis, fuimus: sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrûm (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in

B suum regnum & gloriam.] Non vos solùm testes aduoco, sed & Deum ipsum, tam conscium operis quàm & cordis arbitrum: nos sanctè quoad vitam anteactam, iustè quoad pecuniam à nullo exactam, inculpatè quoad offensum infirmo subtractum, vobiscum conuersatos. Experti estis, & probè nostis, quo pacto vnumquemque vestrûm perinde non tantùm vt mater fouens paruulos suos, sed & vt pater filios suos instituens, cum precibus hortati sumus ad constantiam, sermonibus solati sumus super afflictione ob perseuerantiam emergente: denique contestati sumus vt & vos conuersaremini, sicut decet sanctos, dignosque Dei viui seruos: qui vos regni sui compotes fecit, & æternæ gloriæ consortes

C esse voluit. [Attende, ait Athanas. quemadmodum sub specie quadam narrationis edocet simul & consolatur, sic inquiens: Si enim vos ad suum imperium euocat Deus, sunt haud dubiè vobis eius gratiâ omnia toleranda.] Non pœna formidanda est, sed gloria prospectanda.

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

D VNde tanta Apostolo Paulo fiducia, post tantam contumeliam? Quomodo memoriam fatigationis sollicitat, reuocatque ad operationis instantiam?

DISQVISITIO PRIMA.

De fiduciâ.

QVæris vnde tanta Apostolo Paulo fiducia post tantam contumeliam? Nescis tantam fiduciam ex tantâ natam contumeliâ? [Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum

E ad vos, quia non inanis fuit: sed antè passi, & contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei, & in multâ sollicitudine.] Quære igitur ab illo: Vnde tibi fiducia annuntiandi Thessalonicæ verbum Dei, cum iam virgis cæsus sis Philippis, cum adeo contumeliosè & ignominiosè sis illic habitus? Putasne opprobrium istud quod Philippis inflictum est, principi ignotum esse ciuitati? existimos hominibus ignominiâ potius quàm plagâ rubentibus, ali-

quid superesse constantiæ, vt mutire audeant, aut publicum valeant sustinere officium? Imò, inquit, inde fiducia, vnde contumelia: inde animus crescit nobis, vnde aliis vultus erubescit. [Hanc pressuram, ait Ambros. quam nunc memorat, passus est in Philippis cum Sila propter spiritum Pythonem, quem à puellâ eiecerat. Cui pressuræ non cessit, sed fortior inuentus est, dum audet prædicare, spe vtique promissi præmij; vt & hi securi essent in persecutionibus, gaudentes propter futuram mercedem. Signum ergo deuoti & fidelis prædicatoris hoc esse dicit, si in pressurâ loqui verbum Dei non timent: inanem illum significans, qui terrore præsenti formidinem patitur prædicandi.] Alius cederet, fiduciamque desereret ac constantiam. Apostolus verò animum resumit, & inde sibi fructû promittit, vnde messuit opprobrium. [Scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: id est, vt exponit Aquinas, non fuit vacuus, sed plenus. Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Sed antè passi sumus passiones corporales. Psal. 61. Benè patientes erunt, vt annuntient. Item, spirituales, quia contumeliis ex hoc afflicti. Nec tamen propterea fiducia prædicandi est extincta. Isa. 12. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Et hæc fiducia fuit prædicandi ad vos Euangelium Dei.]

Ambros. in Paulum.

Ex contumelia nata prædicandi fiducia.

Aquin lect. 1.

Nouerat Paulus morem Ecclesiæ, quæ tunc fortis cum infirma, quæ tunc illustris cum abiecta; quæ tunc proficere comperitur, cum videtur deficere. Neronis furor vti dixit Leo: [Per omnium vitiorum inflammatus excessum in hunc eum vsque torrentem suæ præcipitauit insaniæ, vt primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per sanctorum neces gratia Dei posset extingui; cuius hoc ipsum erat maximum lucrum, vt contemptus vitæ huius occiduæ perceptio fieret felicitatis æternæ. Pretiosa ergo in conspectu Domini mors sanctorum eius: nec vllo crudelitatis genere destrui potest, sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur; dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara diuini germina seminis Petrus & Paulus, in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrum protestantur; qui Apostolicorum æmuli triumphorum, vrbem Romam purpuratis & longè lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt.] In his triplex ratio est. Prima ex fundamento religionis. [Agnoscit naturam suam, ait Tertullianus, & originis suæ morem, profectus rei.] Religio igitur Christiana, cruce fundata, cruce etiam multiplicanda est. Altera ratio, ex seminis genio. [Quasi semine sanguinis, ait Augustinus, impleta est martyribus terra, & de illo semine seges surrexit Ecclesiæ.] Tertia, de exemplo fortitudinis. [Quisque enim, vti dixit Tertullianus, tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur, quid sit in causâ; & vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitur.] Ita tentationibus & persecutionibus nod destruitur fides, sed exstruitur tuncque maior leges pietatis est, cum crudelitatis cædes atrocior.

Leo ser. 1. in Nat. Apost. vers. fin.

Quo durius tractatur fides, eo vberius dilatatur.

Tertullian. l. de præscri. cap. 41.

Augustin. serm 19. de diuers. c. 4.

Tertullian l. ad Scorp c vlt.

Diximus vrbem Romam: rursus ex Tertulliano dicimus: [Ista quàm felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannis posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.] Tanta Romanæ Ecclesiæ felicitas est, quanta & auctoritas: tanta stabilitas, quanta & felicitas: sed vnde felicitas tanta? Ex immensâ martyrum turbâ, quorum duces fuerunt Petrus, Paulus, & Ioannes. [Vario, ait Augustinus, ac diuerso genere innumeri populi ad vnius regis militiam congregantur: ac sic duo potentissimi duces, Petrus, antiquum de veteribus reducit, Paulus nouum de tyronibus Christi conducit exercitum] O felix Roma, quæ tantorum cæde ducum, tantorum principum sanguine purpurata est; quæ martyrum innumerorum confessione illustrata est, morte consecrata. Nulla est Ecclesia, quæ tantum produxerit, omnis conditionis martyrum, omnis ætatis exercitum; nulla quæ tot ferè martyres habuerit quot antistites. Nulla etiam, quæ adeò stabilis, adeò insuperabilis, vtpote tot Apostolorum firmata passionibus, tot martyrum confessionibus confirmata. Aliæ defluxerunt Ecclesiæ, & quò minùs persecutionibus probatæ, minus tentationibus & tribulationibus fundatæ, citiùs etiam ventis cesserunt ac procellis. Romana sanguine tot militum, tot & ducum cæde non respersa tantùm, sed & conspersa, portas inferi non metuit, procellas seculi, fraudem rabiemque contemnit diaboli. Viuit semper de morte martyrum & viuet, subsistit subsisterque incunctanter in sanguine suorum principum. [Hanc tamen fortitudinem (vti loquitur Leo) non illis temporibùs tantùm necessariam esse credimus, quibus reges mundi, & omnes seculi potestates, cruentâ impietate in Dei populum sæuiebant, cum ad maximam gloriam suam pertinere ducerent, si de terris nomen Christianum auferrent, nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri: quoniam in suppliciis & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Sed quia tempestas priorum turbinum conquieuit, & dudum cessantibus præliis quædam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cauenda sunt illa discrimina, quæ de otio ipsius pacis oriuntur. Aduersarius enim, qui in apertis inefficax persecutionibus fuit, tectâ nocendi arte desæuit; vt quos non perculit ictu afflictionis, lapsu deiiciat voluptatis.] Adhuc flagellis, adhuc suppliciis, si non intortis, saltem assumptis relictus est locus; & quo acrior in seipsum exercetur disciplina, eo maior apud Deum fiducia retinetur.

Tertullian. l. de præscri. cap. 36.

Augustin. serm 19. de sanct. post init.

Romana Ecclesia cæde martyrũ & Apostolorum firmata sanguine.

Leo ser. 9 de Epiph. vlt. med.



DISQVISITIO SECVNDA.

De memoria.

PRædicabat Paulus, laborabat Paulus: nec ad relaxationem, sed vsque ad defatigationem: sine requie, sine intermissione. [Memores enim estis fratres laboris nostri & fatigationis, nocte & die operantes, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.]

Primò quæritur, an decuerit Paulum laborare manibus suis? Felix illa Ecclesia, in quâ frugalitas regnabat, exulabat otiositas. [Adleguntur in ordinem ecclesiasticum, ait Tertullianus, artifices idolorum.] Non succenset, artifices in ordinem adlegi: sed prohibet idolorum parentes, fieri Christianorum antistites. [Negotium enim, quod, vt loquitur Gregorius, antè conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit. Sunt autem pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non recurrat.] Tenuis tunc Ecclesia, nec honorum titulis, sed sanctorum æstimanda diuitiis. Etiam pauperes, etiam artifices non solùm ad fidem admittebat, sed & in ordinem: nec prohibebat artis negotia, sed cupiditatis vitia. [Quid à me quærunt, ait Augustinus, vel quale opus faciebat Apostolus, vel quando faciebat? Vnum scio quia nec furta faciebat, nec effractor aut latro erat, nec auriga aut venator aut histrio aut turpilucrus: sed innocenter & honestè quæ apta sunt humanis vsibus operabatur: sicut sese habent opera fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum, & his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod reprehendit superbia eorum qui vocari honesti amant, sed esse non amant. Non igitur dedignaretur Apostolus siue rusticanum aliquod opus aggredi, siue in opificum labore versari. Qui enim ait, Sine offensione estote Iudæis & Græcis & Ecclesiæ Dei, quos in hac causâ reuereri posset ignoro. Si Iudæos dixerint, Patriarchæ pecora pauerunt. Si Græcos, quos etiam paganos dicimus, etiam philosophos, multum sibi honorabiles sutores habuerunt. Si Ecclesiam Dei, homo ille iustus & ad testimonium coniugalis semper mansuræ virginitatis electus, cui desponsata erat virgo Maria, quæ peperit Christum, faber fuit. Quicquid ergo horum cum innocentiâ & sine fraude homines operantur, bonum est. Nam præcauet homo & ipse Apostolus, ne quisquam ex necessitate sustentandæ vitæ in mala opera dilabatur: Qui furabatur, inquit, iam non furetur: magis autem laboret manibus suis bonum, vt habeat vnde tribuat cui opus est. Hoc ergo scire sufficit, quia & in ipso opere corporali id quod bonum est, operabatur Apostolus.]

Tertullian. l. de Idolo. c. 7.

Gregorius Hom. 24 in Euang.

Augustin. lib de opere Mon c. 13.

Multi amant dici honesti sed esse non curant.

Secundò quæritur, an oportuerit. Sanè eatenus oportuit, quatenus expediit [Doctorem enim, (teste Chrysostomo) nihil oportet grauatè facere eorum quæ tendunt ad salutem discipulorum. Nam si beatus Iacob noctu & diu

Chrysost. orat. 3.

A laborabat in ouium custodiâ: multo magis eum cui creditæ sunt animæ, etiamsi sit opus laboriosum & vile, omnia oportet facere, vnum solum spectantem, nempe salutem discipulorum, & quæ inde Deo existit gloriam. Sic ergo Paulus homo præco, Apostolus orbis terræ, tali suscepto honore, operabatur manibus, ne grauaret discipulos. Memores enim estis, inquit, fratres laboris nostri & fatigationis. Neque solùm operabatur, sed cum multo studio & diligentiâ. Vide quid dicat: Memores, inquit, estis, non beneficiorum meorum, sed laboris nostri & fatigationis: noctu & diu operantes ne quem vestrûm grauaremus; sic prædicauimus vobis Euangelium Dei. Corinthiis autem aliud dicit: Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Atqui illic quoque operabatur: sed hoc non reuocauit in memoriam, sed aliud posuit quod magis pungeret. Perinde ac si diceret, Ab aliis sum nutritus vobis inseruiens. Hîc autem non sic. Sed quid? Nocte & die operantes.] Cupit hoc aduertere Thessalonicenses, quos non solùm producit in testes, sed & in memoriâ reuocat, sollicitatque ad instantiam. [Infirmorum igitur periculis, ait Augustinus, ne falsis suspicionibus agitati odissent tanquam venale Euangelium tanquam paternis maternisque visceribus tremefactus hoc fecit. Quam enim dicit infirmitatem suam erga infirmos fuisse, nisi compatiendi eis, intantum vt ne videretur venditor Euangelij, & verbi Dei cursum apud imperitos in malam suspicionem decidens, impediret, nollet accipere quod iure Dominico debebatur. Neque enim dixit, non sibi deberi, sed deberi ostendit, & debito se vsum non esse nec omninò vti velle professus est; eo ipso factus infirmus, quòd potestate suâ vti noluit: tam misericordi scilicet inductus affectu, vt cogitaret quemadmodum secum agi vellet, si & ipse ita infirmaretur, vt posset de illis per quos sibi Euangelium prædicaretur, si eos videret sumptus accipere quasi mercimoniorũ nundinas suspicari. De hoc ergo infirmitate suâ dicit: Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos. Recordamini laborem nostrum & ærumnam, nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus.] Id ergo memorandum, refricandumque: quia potuit quidem Paulus accipere, sed noluit; ne quam Euangelio remoram obiiceret, ne quam maculam, quâ tandem de causâ, aspergeret ministerio. Sic oportere censuit, sic expedire, sibique volens ac lubens hanc imposuit abstinentiam.

Nihil illi recusandũ, cui creditæ sunt animæ.

Augustin. lib de opere Mon. c. 11. & 12.

B C D

E Tertiò quæritur, an potuerit. Quomodo enim prædicabat, & nocte dieque laborabat; maximè cum nunquam suum intermitteret ministerium, & sermonem nonnunquam vsque ad mediam noctem protraheret? Non enim ad oblectationem laborabat mentis, aut corporis exercitationem, sed ad vitam sustentandam, seu subleuandam inopiam: idcircò non voluptatis ergo, sed necessitatis, ideoque quærendo instabat subsidio. Quid de Cleanthe, quo nemo sublimiùs inter Græcos philosophatus est, nemo inter mercenarios instantiùs operatus est? [Cleanthes, ait Seneca,

Sen. ep. 44.

aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus.] Forsitan, [Occaluit manus.] Ex assiduo sudore, & labore improbo. Sed tria in Paulo consideranda sunt. Primum est, contentum escis frugalibus & innocuis, victuque tenuissimo ac prope nullo; cum enim esset abstemius, teste Baronio, & admodum parcus, victuque pane mero sine mero toleraret, tam sine sumptu quàm sine mensâ prandium erat; & cum in multis esset ieiuniis, sitique & fame vt plurimum corpus affligeret potius quàm reficeret; iam nullo victu, nullâ & escâ, ferculum inferendum est, nec tam de labore quàm de morte cogitandum. Alterum est, quod aliunde oblatas à fidelibus, maximè verò à Philippensibus acciperet eleemosynas, sicque non tam manibus quæreret vitam, suppleret indigentiam. [Et hoc, inquit Augustinus, suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus & aliquid vnde victum transigunt, operantibus, propter ecclesiasticas occupationes, deesse putauerint.] Tertium, non multum temporis impendisse in studiis, cum enim esset plenus Spiritu sancto, non tam ex artis loquebatur industriâ, quàm ex cordis abundantiâ. Promptuaria ipsius semper plena, ex hoc in illud eructantia: nec tam motu proprio, quàm sacro agebatur impetu. [Quando ergo soleret operari, ait ille, id est, quibus temporum spatiis ne ab euangelizando impediretur, quis possit comprehendere? sanè quia & diurnis & nocturnis horis operabatur, ipse non tacuit: imò Spiritus Dei possidens & implens & agens cor eius.] Nocte ergo & die operatus est Apostolus, quia nec diei parcebat nec nocti, sed assiduè laborabat, vbi opus erat, & valebat, nec animum curis & molestiis fatigatum somno subleuabat aut otio. Sed & tria tribus verbis sunt addenda. Primum est laborem & fatigationem simul sociasse, sed fatigationem potius quàm laborem intentasse: nam fatigato iam, & aliis iam malis delassato, nullus labor leuis est, etiamsi breuis. [Nimirum, ait Seneca, exercitationi corporis datum: cum me moui, lassus sum.] Alterum est, exemplo potius fuisse, quàm negotio. [Sic enim in Actibus Apostolorum, ait Augustinus, idem loquitur: omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet iuuare infirmos. Aliud est enim laborare corpore, animo libero: aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecuniæ.] Tertium, id Apostolum proposuisse, non tam ad studium laboris quàm ad amoris incentiuum. [Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri & fatigationis: nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus: prædicauimus vobis Euangelium Dei.] Qualis labor? Imò qualis amor? Nullâ spe pretij humani, nullâ specie necessarij solatij, nulli parcere tempori, nulli non vacare operi, vt Thessalonicenses acquireret, fidelesque propriis faceret impendiis.

Baron. tom. 1. Ann. 58.

Aug. lib. opere M. n. c. 15.

Augustin. eodem lib. cap. 13. & 16.

Quomodo nocte ac die operatus sit Apostolus.

Sen. epist. 83.

Augustin. lib. de op. Mon c. 11. & 15.

TROPOLOGIA.

Probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium.

QVàm multi tanto occupati ministerio, quàm pauci à Deo probati. [Sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur.] In tantum ergo licet loqui, seu tanto fungi officio, in quantum Deus probat, in quantum ministrum iudicat idoneum. Nullum porrò idoneum iudicat, nisi tres assint conditiones. Prima est, pura intentio: secunda digna conuersatio: tertia, functio legitima.

Quoad primum. Ab eo incipit Apostolus, dum ait. [Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditiâ, neque in dolo.] Et exponit: [Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.] In quibus tria sunt obseruanda: quorum primum est, in omni actione, sed maximè in tanto negotio, ab intentione incipiendum esse, tanquam à totius operis cardine. Vnde Petrus: [Flendo purgatus, confitendo probatus.] Priùs à Christo interrogatur, ne sine cautione & attestatione, tanto committatur officio. [Priùs, ait idem Augustinus, Dominus quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum ac tertiò, vtrum Petrus eum diligat; nec aliud totiens audit à Petro quàm se diligi, nec aliud totiens commendat Petro, quàm suas oues pasci sit amoris officium, pascens Dominicum gregem: si fuit timoris indicium, negare pastorem.] Alterum est, Secretam quidem intentionem esse, ideircò Deum in testem adducere. [Quod enim nos agimus probando, ait apud Chrysostomum, hoc ipse absque probatione. Hoc est, sicut nos inuenit probos, & credidit, ita loquimur. Sicut consentaneum est eos, qui à Deo sunt probati, & crediti sunt esse digni Euangelio, sic loquimur.] Tertium, Triplicem esse posse amorem corruptum & malum, vanæ scilicet amicitiæ, pecuniæ corradendæ, & humanæ gloriæ. Quid igitur Apostolus, à Deo probatus, & tanto dignus officio? [Exhortatio enim nostra non de errore.] Seu, vt ex Græco: [Non ex fallaciâ.] Seu, [Non ex imposturâ] Et ex Tertulliano, [Non ex seductione.] Ea enim vis vocis Græcè πλάνη: vnde & impostores πλάνοι: simplices verò & ingenui nec fallentes nec decipientes ἀπλανεῖς. Igitur exhortatio nostra, prædicatio nostra, non fuit ex fallaciâ, non de pectore assentatorio, nec de fallente animo. [Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis.] Et quidem de sermone, ipsi scitis. De intentione verò: [Deus testis est.] Hic ergo primus scopulus, in quem impingunt omnes ferè facundiæ caupones, cathedræ petitores, dum scientiam vendunt, & ementitis laudibus, seu fallacibus titulis vanam emunt amicitiam. [Non vides, ait Seneca, quemadmodum

Augustin. Tract. 123. in Ioan circa med.

Chrysost. Hom. 2.

Quomodo probandi qui sacro occupati sunt ministerio.

Seneca lib. 6. de benef. cap. 30.

Seneca lib. 4. de benef. cap. 30.

dum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa; dum nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadetque; sed adulandi certamen est, & vnum omnium officium, vna contentio, quis blandissimè fallat. Nemo, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu concentuque falsorum.] Blandi impostores, assentatores beneuoli, qui placentia loquantur non vtilia, qui non ad fructum audiantur, sed ad applausum. [Neque in occasione auaritiæ: cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli.] Et hic alius est scopulus, eorum, qui lucrum putant pietatem, & ministerium ad vtilitatem transferunt. [Non adulati sumus, ait apud Chrysostomum, quod quidem est eorum qui decipiunt: neque propter pecuniam eò venimus. Hîc enim dicit etiam de pecuniis, Cum possemus vobis esse oneri vt Christi discipuli.] Quis negat, nos potuisse, accipere, tanquam à Deo missos à Christo delegatos? quis dubitat? ne tamen sub occasione Euangelij prædicandi, insimularemur sordidi vitij: [Neque de immunditiâ.] Nihil accepimus, sed excussimus, opes respuimus. Postremò, [Neque in dolo. Non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.] Ex Græcis: [Non quærentes ex hominibus gloriam.] Eam scilicet, quæ ex hominibus, seu humanam. Tales enim operarij subdoli; qui in doctrinâ fidei, gloriam suam quærunt non Christi, æstu potius vanitatis quam charitatis impulsu sese ingerunt. Tertius ille scopulus in quem illidunt etiam alij qui nec decipiunt nec accipiunt.

Chrysost. orat. 2.

Quoad secundum. Non satis est puram prætendere intentionem, ab omni sorde, & omni corruptione purgatam: oportet addere dignam conuersationem, omni vitio, omni probro defecatam. [Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè & iustè & sine querelâ, vobis, qui credidistis, fuimus.] Id est, conuersati sumus. [Cum enim hæc dicit, ponit, (ex Aquinate) puritatem suæ conuersationis. Dicit ergo, Quàm sanctè, id est purè.] Sanctitas autem illa seu puritas, non solùm vitæ est, sed & doctrinæ: vt sancta & casta quis amet, sancta & casta prædicet, tamque pura & elimata sint verba quàm opera. Dicunt enim nonnulli turpia, & non faciunt; alij faciunt, nec dicunt: boni ac sancti nec faciunt nec dicunt, nec enim corde tantùm sed & sermone casti sunt. Denique & alij sunt, qui licet non immundi, non impuri, nondum tamen sancti sunt; dum profani: qui nec sanctè nec Christianè prædicant, sed doctrinam sanam philosophatis conspurcant maculis; diuinam conuertunt in humanam, dum humanis aspergunt nebulis fabulisque. [Qui enim affluit insipienti eloquentiâ, (vti loquitur Augustinus) tanto magis cauendus est, quanto magis in iis quæ audire inutile est, delectatur auditor; & eum quoniam disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat. Sapienter autem dicit homo tantò magis

Aquin. lect. 1.

Augustin. lib. de doct. Christ. c. 5.

A vel minùs, quantò in scripturis sanctis magis minus-ve profecit.] Sed quoniam de conuersatione potius agendū quàm de prædicatione, vitæ etiam potius quàm doctrinæ insistendum est, virtuti potius quàm sermoni, exemplo quàm verbo, actioni quàm dictioni. [Sit rector, ait Gregorius, operatione præcipuus, vt vitæ viam subditis viuendo denuntiet, & grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla meliùs quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa vox namque libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia dum quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat vt fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Vt videlicet qui cœlesti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deserens in rerum culmine stare videatur: tantoque faciliùs subditos ad meliora pertrahat quantò per vitæ meritum de supernis clamat.] Inde profectò clamat Paulus, intonatque. [Vos testes estis, & Deus quàm & iustè & sine querelâ vobis, qui credidistis, fuimus.] Quàm dignè vobiscum conuersati sumus: quàm sanctè, quàm & innoxiè Sanctè quoad Deum; innoxiè quoad proximum. Sed Deus solam exigit cordis innocentiam: proximus verò integram expetit iustitiam. Porrò illa in duobus constituta est, nempe in administrando bono, & malo auerruncando: & vt officium præstes, & vt vites scandalum: cuiuis beneuolentiam impendas, nulli facias iniuriam. [Iustè, & sine quærelâ: hoc est vt exponit Athanas. Absque cuiusquam offensione.] Ita iustus est, qui reddit cuique quod suum est, dum non solùm gratiam reddit, sed & quærelæ seu offensæ abscindit materiam.

Gregorius 2. p. curæ past. cap. 3.

B

Prædicator clamat ex alto, dum exemplo ædificat.

C

Athanas. in Paul.

D Quoad tertium. Quid proderit si bona sit intentio, sit & digna conuersatio, sed functio desit legitima? In quo verò illa? Deprecari, consolari, testificari. [Sicut scitis qualiter vnumquemque vestrûm, sicut pater filios suos, deprecantes vos & consolantes testificati sumus, vt ambuletis dignè Deo.] Nunc mater est Apostolus, nunc pater; quia & viscera materna, & paterna habet consilia; nunc benignitatem exercet, nunc auctoritatem: personam omnem assumpti & esse in omnem vertit formam, vt omnes demereri possit, omnes

E possit elucrari. Scitè quidem & appositè aliter namque admonendi sunt viri, aliter feminæ: aliter admonendi sunt iuuenes, atque aliter senes: aliter inopes, aliter locupletes: aliter læti, atque aliter tristes: aliter subditi, aliter prælati: aliter serui, aliter Domini: aliter sapientes aliter hebetes: aliter impudentes, aliter verecūdi aliter proterui, aliter pusillanimes: aliter patientes, aliter impatientes: aliter beneuoli, aliter inuidi: aliter simplices, aliter impij: aliter ægri, aliter incolumes. Imò & idem homo nunc mitiùs inuitari debet, nunc duriùs increpari: nunc precibus flecti, nunc & fulminibus atteri. [Profectò, ait Gregorius Nazianzenus, ars quædam artium, & scientia scientiarum esse videtur hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex.] Si

Gregorius Nazienzen. orat. 1 Apolog. cir. med.

tantum vni, quantum multitudini? Nonnulli flagella metuunt, & à malo sine monitore abstinēt; alij nec verba timent nec verbera, & in peccato obdurescunt. Aliter monendi sunt taciti, aliter loquaces: aliter pigri, aliter præcipites, aliter elati, aliter humiles; aliter mansueti, aliter iracundi; aliter pertinaces, aliter inconstantes; aliter pacati, aliter discordes ac dyscoli; aliter incipientes, aliter proficientes; aliter coniugati, aliter liberi. [Non enim, vti dixit alter Gregorius, vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos per morum qualitos astringit. Sæpè nam aliis officiunt quæ aliis proficiunt. Quia & plerumque herbæ quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, vt & sua singulis congruant & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat.] An cum iis qui sua misericorditer tribuunt pariter ages, ac cum iis qui aliena rapere aut retinere contendunt? An ergo eos qui illicita faciunt etiam laudant, eodem modo te geres, ac erga eos qui praua accusant, nec tamen fugiunt? Erga eos qui mala occultè agūt, bona publicà; & eos qui factis quibusdam malè de se existimari permittunt, bona tamen quæ faciunt etiam abscondunt? Denique ergo eos qui repentinâ superantur concupiscentiâ, & eos qui culpâ illigantur affectatâ? [Vnde, ait ille, & doctor quisque vt in vnâ cunctos virtute charitatis ædificet, ex vnâ doctrinâ, non vnâ eademque exhortatione corda tangere audientium debet.] Eadem quippe ferè cordium ratio, quæ chordarum; quæ non simili modo pulsandæ sunt, vtpote sono dissimili destinatæ. Peritus sanè artifex Paulus tangendi, sicut & dicendi. Nonnulli proni sunt ad bonum, aut in fastigium prouecti; & isti profectò increpandi non sunt aut obiurgādi, sed deprecandi & obsecrandi. Alij premuntur malis, aut in bonis affliguntur: solandi sunt ac confortandi. [Deprecantes, vos, & consolantes, testificati sumus vt ambularetis dignè Deo. Quid prædicasti? ait Aquinas. Vt digni, id est, vt vestra conuersatio esset talis, qualis decet ministros Christi.] Christianos nimirum, & seruos Dei.

Gregorius prob 3. p. curæ past.

Eadem ferè cordiū ratio quæ chordarum.

Gregorius ibidem.

Aquin. lect. 1.

ANAGOGIA.

Qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.

[TRibus his rebus gubernamur, vt dixit Gregorius Nazianzenus: nempe & supplicij metu, & salutis gloriæque spe, & cultu virtutum.] Videamus, nec solùm quod bonum, sed & quod melius est, teneamus.

Gregorius Naz. orat. 36. vers. fin.

Quoad primum. Cum dico metum supplicij, totum id comprehendo quod vexat impios, quod eos extremâ multat sententiâ. Ita volebat Paulus Christianum, [Seruire A Deo viuo & vero, & expectare filium eius de cœlis, qui eripuit nos ab irâ venturâ.] Seu, vt ex Græco habet textus Ambrosianus: [Qui eripit nos ab irâ venturâ. [Tam præsens nihilominus quàm & præteritum simul in futurum resoluuntur dum iram loquuntur venturam: licet enim iam eripuerit merito passionis, licet & eripiat titulo protectionis, eripiet tamen iudicio retributionis quo & piis præmia reddet, & impiis infliget supplicia. Expectamus ergo Christum non de patibulo patientem, sed de cœlo venientem, vt nos eripiat ab irâ venturâ, pœnaque absoluat, diabolo & an-B gelis eius præparatâ. Porrò illa pœna non vna est, licet vno comprehensa iudicio. [Discedite à me maledicti in ignem æternum.] Bonis dicetur, [Venite.] Malis, [Discedite.] Illis, [Benedicti.] Istis [Maledicti.] Sed, vt notat Origenes: [Considerandum est, quoniam in sanctis dictum est, Benedicti patris mei: non autem nunc dicitur, Maledicti patris mei. Nam benedictionis quidem ministrator est Pater: maledictionis autem vnusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna est operatus.] Gloria quidem ex gratiâ est, sed pœna ex culpa. C Verùm sicut gloria duplex est, sic & pœna: nam sicut in gloriâ non solùm fruitio Dei est, quæ designatur per illud, [Venite possidete paratum vobis regnum.] Sed & bonorum omnium collatio, quæ notatur per istud, [Benedicti patris mei:] Dei quippe dicere, facere est: sic & in pœnâ, non solùm separatio Dei est, cum dicitur, [Discedite:] Sed & malorum omnium inflictio, cum additur, [Maledicti.] Denique, sicut Dei fruitio principale in electis bonum est, cetera velut accessoria: sic & in damnatis, separatio Dei, essentiale supplicium est cetera autem velut accidentalia. [Quinam igi-D tur, ait Chrysostomus, tantis bonis digna-buntur? quàm miserabiles, qui inde cadunt? Nam si per omne tempus illos, qui regnum amiserunt, lugeamus; tantæ miseriæ luctus minimè respondere poterit. Etenim si sexcentas gehennas attuleris, nihil par afferes dolori illi; quo tunc angitur anima, cum vniuersus quatitur orbis, tubæ sonant, primus accurrit angelorum ordo, deinde secundus, deinde tertius, deinde sexcenti ordines in terram se effundunt: prostremò ipsemet Saluator Dominus Iesus Christus, quem expectamus, aduenit, gloriâ illâ circumfluens, quæ nullis verbis exprimi potest E Omnes verò festinant adducere in medium electos: & ii qui Paulum sectati sunt, quique ita probati sunt, vt ad illum propè accederent, coronantur, prædicantur, à rege in conspectu totius cœlestis exercitûs honore afficiuntur. Nam tametsi gehenna non esset: quantum tamen illud est, hos quidem honorem illos verò ignominiam reportare? Intolerabilis est gehenna fateor, & valdè quidem intolerabilis: attamen intolerabilius mihi videtur de regno decidisse.] Vnde dicuntur damnati nisi quia isto damno, tanquam supremo affi-

Matth. c. 25.

Orig. Tract. 34. in Matt.

Duplex pœna vna cōprehensa iudicio.

Chrysost. in Mor. ser. 11. epist. ad Philip.

ciuntur supplicio? Sed quò ibunt hi qui à summo bono discedunt, qui à Christo excidunt, nonne & horrendum subibunt supplicium? [Nam, ait ille, cum hos quidem amplectitur, & mittit in cœlos ad patrem, illos verò omittit: angeli verò quidam illos prehendentes in gehennæ ignem inuitos, flentes, incuruos traxerint, ac tum demum, cum vniuerso orbi spectaculo fuerint: quantum putas doloris hauriri? Credite mihi: præ dolore, qui animum meum ex hac narratione occupauit, orationem ad exitum perducere non possum.]

Chrysost. ibidem.

Quoad secundum. Triplex est regnum Dei & Christi, primum est in tempore. [Sciendum enim nobis est, ait Gregorius, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur.] Quid est ergo, Qui vocauit vos in suum? Qui vos Ecclesiæ suæ incorporauit, qui vos fecit fideles seu Christianos, qui vos inter sanctos, imò inter filios recensuit. Alterum est in æternitate, quod speramus venturum, & tamen oramus. [Siue enim petamus, ait Augustinus, siue non petamus, venturum est regnum Dei. Quare ergo petimus, nisi vt veniat & nobis?] Tertium denique nec tempore circumscribitur nec æternitate, sed in virtute seu charitate, quæ tam temporaria: quàm & æterna esse potest, constituitur. [Ecce enim regnum Dei intra vos est.] Nimirum, vt dixit Beda apud Aquinatem: [Regnum Dei seipsum dicit intra illos positum.] Ipse Dominus virtutum, in animâ sanctâ habitat regnatque, & in virtute verâ seu Christianâ charitate thronum suum collocat. Quid ergo Paulus, Qui vocauit vos in regnum suum? An qui vos ad regnum destinauit æternum, cuius artham accipitis, dum recipitis gratiam? Potest: sed cum Paulus de viâ loquatur non de patriâ, de opere potius intelligatur quàm de pignore, [Testificati sumus vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum. [Vt digni sitis Deo, qui regnum suum in vobis constituit; vt Christo sitis accepti, qui vos reges facit per virtutes, patri familiares propinquos cognatosque. [Qui enim id assequitur, ait Gregorius Nazianzenus, perinde ac Deum in se ipso gerens, ad perfectionem & familiaritatem eam atque cognationem, quâ nos virtus ipsi conciliat, maiori celeritate festinat.] Hoc Dei & Christi regnum, quod laboribus comparatur, hoc verum ac certum quod solidatur virtutibus [Nam, vti dixit Chrysostomus, si in mundanis certaminibus nemo coronam accipit, nisi & laboribus & ciborum abstinentiâ, & totâ victûs ratione, & vigiliis, & sexcentis aliis incommodis se munierit; multò magis hic. Quem enim mihi afferes? regemne? at neque ille vitam curis solutam viuit, sed multis molestiis, atque angoribus refertam. Non enim ad diadema spectes, sed ad sollicitudinum procellam, vnde illi tumultus maximus exoritur: non ad purpuram, sed ad animam illâ ipsâ purpurâ nigriorem: non æquè corona ligat caput, atque animum sollicitudo. Non ad satellitum numerum specta, sed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim priuatam domum tot curis abundantem reperias, quot regiam.] Vis ergo regnum quod tribulationibus stabiliatur,

Gregorius Homil. 12. in Euang.

Augustin. serm 135. de temp. c. 2

Bed. in cap. 7. Luc.

Triplex Dei regnũ, temporis, æternitatis, virtutis.

Gregorius Nazianzen. orat. 16. vers. fin.

Chrysost. in Mor. ser. 13 ep. ad Phil.

A muniatur persecutionibus: quod tantum auctoritatis conciliet quantum virtutis, & mundana omnia superet conculcetque? [Tribulatio, ait ille, vinculum quoddam firmissimum est, charitas accretio, compunctionis & pietatis occasio. Audi enim Dauid dicentem, Bonum mihi Domine, quia humiliasti me. Et nos enim molestiis afficimur, sed non iisdem ex rebus, ex quibus reges: sed vnde magnum etiam facere possumus quæstum. Non æque ego Paulum ob pericula adita suspicio: suspicio quidem & ob illa, in quibus quotidie commoriebatur: sed aliud me magis euehit. Ab animâ enim Dei amante, à charitate proficiscebantur, quam Christus ipse quærebat.] Ipsa nimirum est, quæ regnum Christi exstruit, quæ sertum virtutum omnium assuit; quæ palmam illustrat patientiæ, quæ coronam ornat perseuerantiæ.

Chrysost. ibidem.

B

Quoad tertium. Cultum virtutum præmisimus ad gloriam, sicut viam ad terminum: sed cum Paulo ipso, in gloriâ sistimus, tanquam in patriâ [Qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.] Suam nimirum, tam perfectam quàm & æternam. [O regio sublimis, exclamat Bernardus, plenæ diuitiarum, de valle lacrymarum suspiramus ad te, vbi sapientia sine ignorantiâ, memoria sine obliuione, intellectus sine obscuritate splendebit. Regio in quâ Dominus transiens ministrabit electis suis, id est, talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, vbi rerum vniuersitas mirabiliter ordinata dabit creatori gloriam, creaturæ lætitiam. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum legionibus angelorum sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic: Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in secula seculorum laudabunt te.] Certè, vt dixit Chrysostomus; [Omnia nobis in cœlis sunt, & Saluator, & ciuitas, & quicquid aliud quis dixerit. Vnde, vt inquit Paulus, & Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Atque hoc etiam est benignitatis suæ. Non illuc nos trahit, & cum nos receperit, discedit: sed rursus ipse ad nos venit, atque in hoc magnum nobis honorem habet. Nam si ad nos cum inimici eramus venit; multò magis nunc, cum amici facti sumus. Non hoc angelis committit, neque seruis: sed ipse in nubibus veniet, vocans nos in regiam suam.] Ad hanc regiam vocamur, destinamur ad hanc gloriam. [Cogitemus ergo, ait ille, quantâ priuemur gloriâ, cum in nobis situm sit non priuari. Studium adhibeamus, quamdiu tempus est, nostramque ipsorum salutem sollicitè curemus. Hoc enim est, quod maximè angit, supplicia pati, cum in nostrâ potestate sit non pati, & præmia consequi. Cedò enim, si quis rex, vel regis filius domo profectus multis bellis egregiè confectis, magnâque sui admiratione commotâ, vniuerso comitatus exercitu in ciuitatem aliquam ingrederetur cum vehiculo, cum trophæis, cum sexcentis militum ordinibus auro onustorum cum satellitibus, & apparitoribus omnibus aureos

Bernard. de quinque region.

C

Chrysost. in Mor. ser. 13 epist. ad Philip.


D

Chrysost. ibidem.

E

Exemplum præmiis & supplicii appositum.

clypeos gestantibus: vniuersa autem ciuitas coronata esset, omnesque vrbis principes cum ipso, à tergo autem ipsum sequeretur omnis quoque ætas exterarum nationum captiua; tum verò coràm legatis, consulibus, dynastis, principibus omnibus, in præclarâ illâ pompâ obuiam sibi ciues prodeuntes amplexetur, osculetur, manum porrigat, omniaque de se illæ polliceri velit, atque in omnium conspectu cum ipsis, vt cum amicis colloquatur, totumque illud iter, ipsorum sibi causâ susceptum dicat; atque hæ quidem in regiam suam perducat, alios verò quosdam derelinquat; quantum id omni supplicio maius est, etiamsi illi A supplicio non afficiantur? Quòd si apud hominem adeò amarum est de gloriâ illâ decidisse; multo magis apud Deum, cum superæ potestates vnà cum rege adsunt; cum dæmones vincti atque incurui, diabolus ipse manibus reuinctis agitur, omnemque aduersariorum robur, cum virtutes cœlorum, cum ipse Christus in nubibus aduenit? Vtinam ergo nos omnes dignè Christo vitam degentes, & conformes facti ipsius morti, bona illa, quæ oratio assequi non potest, consequamur in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri, simulque sancto Spiritu gloria, imperium, honos nunc & semper in sæcula sæculorum. Amen.]



PARS ALTERA.

DE COLLAVDATIONE.

TEXTVS.



IDeò & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepistis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis? Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæâ in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis: qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur; prohibentes nos Gentibus loqui vt saluæ fiant, vt impleant peccata sua semper: peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem. Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantiùs festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel, & iterum, sed impediuit nos satanas. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos antè Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

EXEGESIS LITTERALIS.

REligiosè susceperunt Thessalonicenses verbum Dei, strenuè aduersùs contribules, maximè Iudæos inuidos defenderunt inde ergo constantiam illorum laudat, istorum damnat inuidiam.

[Ideò & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepisseris à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis, &c.] Dixerat introitum suum ad Thessa- A lonicenses non fuisse inanem, imò & accessum, felicem habuisse successum: sed nonnulla de suis erga eos officiis interposuerit. Nunc ergo resumit, aitque: Inde & nos assiduè indesinenterque gratias agimus Deo, quòd cũ audissetis à nobis Euangelicam doctrinam sed à Deo ipso traditam; suscepistis eam, non vt doctrinam ab homine fundatam, sed vt à Deo reuera reuelatam: illa quippe, non tam Paulo suadente, quàm agente Deo, in vobis credentibus, sicut & in ceteris omnibus agitur, imprimitur. [Deo gratias referunt, ait Comment. Ambros. qui aperuit sensum illorum ad recipiendum Euangelium suum. Gloria enim præ- Comment. Ambros.

dicantium est, quando audientes facilè credunt. Tantâ enim deuotione receperunt verbum, vt probarent se intellexisse, Dei esse doctrinam. Suscepistis illud vt verbum Dei, quod & operatur in vobis.] Græcè ἐνεργεῖται, efficitur, agitur. [Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, qui sunt in Iudeâ in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, &c.] Vnde probas Euangelicam doctrinam in cordibus nostris Dei digito scriptam impressamque? Quia imitatores estis Ecclesiarum Christianarum quæ sunt in Iudæâ: eadem enim passi estis à propriis conciuibus, quæ & Iudæi à perfidis suis & infidelibus. [Qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur; prohibentes nos Gentibus loqui vt salui fiant, vt impleant peccata sua semper: peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem, &c.] Quid mirum, cum auctorem vitæ interfecerint, nec propriis pepercerint prophetis, & nobis vt Christi Domini ministris infesti sint, Deoque ipsi exosi, & omnium hominum aduersarij: obstant enim pro viribus, ne Gentibus annuntiemus verbum salutis; sicque dum non desinunt, peccata peccatis accumulant; donec impleant mensuram, & diuinam vrgeant iustitiam. Ira namque Dei super eos imminet, nec vnquam obsistet. [Ea nunc dicit peccata, quæ olim in Prophetas & in Christum deinceps, & in Apostolos demum hi commiscere: tanquam id inquiat; Vt ostendant sese maximum in modum deliquisse, attigisseque iam nequitiæ mensuram, & scelerum apicem. Nec datur, vt quondam, ex captiuitate reditus, & ad terram promissionis peruentus: sed in finem vsque Dei in hos permansura est. Ita Athanasius alter.

Fides non tam Apostolo dicente, quã agente Deo suggeritur.

Athanas. in Paulum.

[Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantiùs festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio, &c.] Nos autem vobis orbati tanquam filiis charissimis, licet ad tempus perexiguum, licet facie potius quàm corde, omni studio conati sumus, ingentique desiderio, vobis reddi, & coràm alloqui. [Vt sicut corde, ait Aquinas, sic & corpore præsens esset Apostolus: & collocutione, & visione: propter hæc enim duo, necessaria est amici præsentia, quæ est consolatiua.] Parùm fuerat Paulus Thessalonicæ, quia vrgente persecutione vel inuitus obsccesserat. [Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel, & iterum, sed impediuit nos satanas, &c.] Quapropter eo impulsi desiderio, proposueramus ad vos venire: & quantum ad me attinet, semel atque iterum id statueram, meque ad iter accinxeram: sed per suos fructûs ac profectûs æmulos, aduersatus est nobis diabolus. [Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos antè Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.] Vultis scire cur toties voluerim videre vos, cur semel & iterum venire ad vos parauerim? Imò cur id quæritis? Nonne vos estis, pro quibus præmium sperem à Do-

Aquin lect. 2.

Coronã & gloriam ex profectu & fructu sibi paulus pollicitus.

A mino, de quibus gaudium expectem à Christo, ex quibus, credentibus nimirum & perseuerantibus coroner glorierque coràm Christo Domino, cum ipse nimirum venerit, & sua cuique reddiderit? Ita profectò: vos certa gloriæ meæ, & gaudij mei materia: per vos enim spero me in regno Dei gloriosum fore ac conspicuum. [Manifestum est, inquit Ambros. quia perfectio discipulorum, gaudium & corona magistri est. Hi enim sunt qui labores fructuum suorum edituri sunt: fructus enim magistri, discipulus est obediens: cuius dum bona conuersatio proficit magistro, fructûs sui edit laborem. Labor enim discipuli de B opere bono, coronam dat magistro, iudice Christo.]

Ambros in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

QVomodo Iudæi Christum Dominum occiderunt? Quomodo Apostoli à Satana impediti sunt? Id enim difficile videtur, illud etiam impossibile.

Tertullian. lib. 5. adu. Marc. c. 15

DISQVISITIO PRIMA.

C *De occasione.*

CVlpam aggerat Apostolus, & inde vindictam denuntiat [Status autem exaggerationis, quòd & Dominum & famulos eius peremissent.] Sed inde triplex emergit difficultas.

Prima est. Quomodo Iudæi, à quibus passi sunt Christiani tot simul scelera commiserint, Dominumque cum famulis suis, id est, Prophetis & Apostolis occiderint, cum nec simul vixerint, nec Christum ipsum, etiam qui simul vixerunt, occiderint? Duplex quæstio est. D Prima, Quomodo omnes simul occiderint, cum non omnes simul vixerint. Altera, quomodo Dominum interfecerint, cum & ipsi dixerint, Nobis non licet interficere quemquam. Ad primam, dicendum est, Apostolum non spectasse temporis distantiam, sed vnam & eandem religionis causam, & ideò, totam gentem repræsentasse, aduersùs Dominum & famulos eius insurgentem, à principio vsque ad finem: vnum quippe omnium corpus est, quod licet diuersis temporibus diuersa ediderit, in vnum tamen & iisdem motibus conspirauit. Ita Christus. [Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scri- E bas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.] Nihil horum fecerunt illi, quibus locutus est Christus, sed gens, & pontifices, contribulesque. Vnde & Christus addit: [Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Ierusalem, Ierusalem quæ occi-

Totus populus vnum est corpus.

Matth. cap. 23.

dis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.] Sicut enim vt notauit Hieronymus [Ierusalem, non saxa & ædificia ciuitatis, sed habitatores Christus vocat.] Sic & Apostolus, non Iudæos huius aut illius temporis, sed totum genus denotat. Sic & Stephanus, in concilio Iudæorum: [Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant aduentum Iusti: cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis.] Quod fecerunt illi, fecistis & ipsi, prodidistis, occidistis & ipsi, & omnes simul in diem scelus conspirarunt. Ad alteram, respondendum est, verè occidisse, cum dixerint; [Hic est hæres, venite occidamus eum.] Sed cum dicunt, [Venite:] Non tam supplicium inferunt, quàm damnationis mortis-ve ineunt concilium. [Non dicunt Iudæi, ait Augustinus, Non occidimus Christum. Et vos, ô Iudæi occidistis? Gladio linguæ.] Fuerūt Iudæi damnationis incentores, mortis depostulatores, nec facinoris inuidiam effugerunt, dum iudicis extorserunt sententiam [Non ergo obstat, vt concludit Aquinas, si Gentiles occiderunt eum, quia ipsi suis vocibus petierunt eum occidi à Pilato.]

Act. cap. 7.

Matth c. 21.

Augustin. Enarrat. in Psal 63. post. init.

Aquin. lect. 2.

Secunda. Quomodo peccata sua impleuerint, cum potius aliena compleuerint? [Et vos implete mensuram patrum vestrorum.] Dicendum & sua impleuisse, & aliena compleuisse: sic enim nonnulla peccata aliena sunt, vt sint etiam propria: maximè si non solùm ratione generationis, sed & contagione imitationis sint communia. [Hoc quidem præceptum, ait Augustinus, dedit Deus hominibus iudicantibus ne pater pro filio, vel filius pro patre moreretur, cum reus tantummodo pater esset inuentus aut filius. Ceterum iudicia sua Deus siue cum per seipsum, siue cum per homines iudicat, quibus dat propheticum spiritum, non alligauit hoc lege: neque enim quando, excepto Noë cum suis, ceteros omnes diluuio perdidit, separauit infantes, aut sine suis paruulis Sodomitas ille ignis absumpsit. Quod si voluisset, vtique potuisset Dominus omnipotens. Et ille Achas præcepti transgressor vnus inuentus, & tamen cum filiis suis & filiabus occisus est. Quid de tot ciuitatibus debellatis eodem duce Iesu Naue homine Dei? Nonne ita omnes interfecti sunt, vt nullus spirans relinqueretur? Aliter ergo iudicat Deus, aliter homini præcipit vt iudicet, cum Deus homine sine vllâ dubitatione sit iustior.] Quòd si paruuli ratione solius generationis, pœnam cum parentibus cōmunem diuino subeunt iudicio; quid adulti, cum imitationis contagione, & eiusdem erroris conscij sunt, & eiusdem sceleris conuicti? [Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.] Seu, vt apud Matthæum. [Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt.] Filij nimirum non generatione duntaxat, sed & imitatione: non censu duntaxat, sed & assensu. [Ædificando enim sepulcra prophetarum, vti dixit Ambrosius, patrum suorum facta damnabant:

Matth. c. 23.

Augustin. l. 3. op inch. num. 13.

Filii paternis irretiti suppliciis.

Luc. cap. 11.

Matth c. 23.

Ambrosl. 7. in Luc. cit. med.

A æmulando autem paterna scelera, in seipsos sententiam retorquebant. Etenim propheticorum ædificatione tumulorū, sceleris eos qui occiderant arguebant, & similium æmulatione factorum, se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes. Non igitur ædificatio, sed æmulatio criminis æstimatur. Neque enim possunt hæreditariæ iniquitatis absolui, qui Dei filium crucifigendo, quod grauius est, paternis cumulum sceleribus addiderunt. Et ideò benè alibi addidit, Implete mensuram patrum vestrorum: quia nihil est vltra Dei iniuriam, grauius peccare quod possint.] Vna est igitur omnium. tam patrum scilicet quàm & filiorum

B mensura, quæ impletur, augetur, donec ad summum perueniat, & cumulum facit.

Tertia Quomodo peruenerit ira Dei super illos vsque in finem, cum in finem non iræ Dei, sed misericordiæ sint reseruati? Legi potest ex Græco: [Præuenit autem super eos ira in finem.] Quasi non tardauerit vindicta diuina, sed & iudicium futurum, & æternum anticipauerit supplicium. Sed siue præueniat ira Dei, siue perueniat, quomodo vsque in finem, cum finem habeat, imò finem præueniat? Fine enim imminente, vindicta cessabit, regnabit mise-

Vindicta quorundam scelerū anticipata est.

C ricordia. Respondeo primò, non de omnibus Iudæis loqui Apostolum, sed de solis infidelibus, obduratis reprobis. [Nunquid ergo Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.] En quoad electos: quoad reprobos verò: [Cæteri verò excæcati sunt: sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis.] Respondeo secundò, finem esse sine fine, cum illi supplicio æterno per diuinam destinati, sint iustitiam, Ita Psaltes: [Non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.] Seu, vt legit Augustinus:

Rom. c. 11.

Psalm. 9.

D Non peribit in æternum] Iam ergo incipit ira Dei, iam illos premit; nec vnquam desinet, sed de malo in malum, de supplicio in æternum tandem pertrahet supplicium. Respondeo tertiò, vindictam fore quidem ignis pœnam, sed nunc esse veritatis ac pietatis carentiam, seu erroris & infidelitatis amentiam. [Nam magno malo fallitur homo, vti dixit Augustinus, cum hoc non credit quod ad vitam ducit æternam vel hoc credit, quod ad mortem ducit æternam.] Quid igitur illi, qui nos persequuntur, qui omnibus aduersantur hominibus: qui fidem veritatem-ve non respuunt solùm, sed & quantum possunt, impediunt, ne ad Gentes

Tertullian. in Enchir. c. 19.

E perueniat, ne infideles faciat fideles? Certè multum displicent, implent peccata sua, & ad cumulum promouent: peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem: plectit illos iustitia tot sceleribus præcedentibus tam patrum quàm filiorum offenso. tamque sapienter deserit quàm & irreparabiliter. [De impietate, ait Ambros. atque crudelitate queritur diffidentium Iudæorum Apostolus, qui non solum suæ salutis inimici sunt, verumetiam aliorum prohibentes ne credant, & salui fiant: ab initio parricidæ, vel Domino communi parcere debuerant, qui conseruis & præpositis suis non pepercerunt; vt repleantur peccata eorum

Ambros. in Paulum.

in tantum, ne aliquando misericordiam consequi mereantur. Sceleris igitur auctores inducit Iudæos, vt & quantâ gloriâ digni sint qui pro nomine Domini patiuntur, & quæ vltio infestis & infidis præparata sit, dignoscatur.]

DISQVISITIO SECVNDA.

De impeditione.

NOnnunquam Spiritus sanctus impedit, nonnunquam Spiritus immundus: sed illius ius est, qui operatur vbique pro arbitrio: istius virus, qui vnicuique aduersatur pro genio. [Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Iesu.] Vetati sunt, & , Non permisit: vides imperium. [Sed impediuit nos satanas.] Vides liuidum ingenium. [Quid dicis? ait Chrysostomus. Satanas impediuit. Certè. Non enim hoc erat opus Dei. Ad Romanos quidem dicit, Deum prohibuisse. Et alibi dicit Lucas, Spiritus prohibuit ipsos venire. Corinthiis autem dicit opus esse Spiritûs, hîc autem solùm satanæ. Aliud est enim certo consilio & propter dispensationem manere, & lubentem ac suâ sponte. Nam illic quidem dicit, Quare non amplius locum habens in his regionibus, & vobis parcens, nondum veni Corinthum. Hic autem nihil tale. Sed quid? Satanas impediuit.] Tribus ergo modis, fidei prædicatio retardari potuit, aut immutari. Primo, ex auctoritate supremâ, qualis in Spiritu sancto: secundo, ex propriâ libertate, qualis in Paulo Apostolo: tertio, ex concessa auctoritate, qualis in diabolo. [Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum] Quid est potestas tenebrarum? Id est, vt exponunt patres apud Aquinatem. [Paruum tempus concessum est vobis exercendæ in me vestræ superbiæ, patre votis meis fauente. Dicit enim quod hæc potestas est tenebris data, id est diabolo, & Iudæis insurgendi in Christum.] Primus modus, prouidentiæ est diuinæ; alter, humanæ prudentiæ; affectatæ tertius nequitiæ: ille, ex imperio, arcano nonnunquam, nunquam iniusto; iste, ex consilio, prudenti quidem, sed non infallibili; hic denique ex artificio tam infesto quàm & damnabili: [Operatio enim dæmonis, est salutis euersio.]

Act. cap. 16. Chrysost. hom. 3. Aliquid aut ex imperio aut ex consilio, aut ex artificio. Aquin. in Cat. c. 22. Luc. Tertullian. in Apol.

Tribus autem viis, exitum sortiri potest diabolica versutia. Prima est per homines malignitatis & fraudis opifices. [Quamnam, ait Chrisostomus, dicit fuisse satanæ impeditionem? Inexescetpactas quasdam & vehementes tentationes. Nam cum ei structæ fuissent à Iudæis insidiæ, retentus est in Hellade tres menses.] Aspirat ad locum, in quo de Paulo scriptum est: [Profectus est vt iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: vbi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam: habuitque consilium vt reuerteretur per Macedoniam. Verùm cum scribebat hanc epistolam

Chrysost. hom. 3. Act. cap. 20.

A Apostolus, nondum redierat in Græciam, sed non dudum Athenis Corinthum venerat. Nihilominus vbique structæ Paulo, agente diabolo insidiæ. [Accendebat enim, vt dixit Ambros. perfidorum mentes, vt eum verberibus ac vinculis detinerent, ne loqueretur verbum Dei.] Hæc nimirum impedimenta sunt satanæ, per humanæ machinamenta sæuitiæ. Altera via, [Per aëris tempestates.] vt Aquinas loquitur. Sunt enim dæmones principes aëris huius: in quo quid non facerent, si tantum auderent quantum vellent? [Multum tamen spiritalibus viribus licet, (teste Tertulliano) vt inuisibiles in effectu potius quàm in actu suo B appareant, ac si cæcâ ratione tentatus aër pestilentes haustus suos effundit.] Nunc enim pestem seminat, nunc excitat tempestatem: nunc latens spargit auræ vitium, nunc ingens effundit pluuiæ diluuium. Tertia tandem, per tot obstacula, quot sunt aut nauigantium, aut peregrinantium pericula. [Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.] Vides totam Pauli vitam incommodis obsessam ac periculis, non solùm quæ sors hu- C mana promitteret, sed & quæ sapientia diuina diabolo anhelanti permitteret; nunc vt procuraret naufragium, nunc vt offendiculum susci- taret.

Ambrof. in Paulum. Aquin. lect. 2. Tertullian. c. 22. Apol. Dæmones quomodo aëris huius principes. 2. Cor c. 11.

Sic tamen Deus satanæ aliquid in sanctos permittit, vt nec impedire diuinam voluntatem possit, & concussam pietatem firmare potius possit quàm euertere: nam Paulo datus est angelus satanæ pro remedio, sicut Iobo missus est pro clypeo. [Permissionem verberis, ait Gregorius, comitatur custodia protectionis, & electum suum diuino dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit: alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Iob deseret in manu D tanti aduersarij, homo qoid esset? In ipsâ ergo iustitiâ permissionis, permiscetur quædam libra pietatis: quatenus in vno eodemque certamine & seruus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Manui itaque aduersarij sanctus vir traditur, sed tamen in intimis adiutoris sui manu retinetur. Idem ergo in manu Dei, idem in manu est diaboli. Nam dicens Deus, Ecce in manu tuâ est, cum protinus adiungit, Verumtamen animam illius serua: patenter pius adiutor innotuit, quia quem concessit, & dando non dedit, quem aduersarij sui iaculis eiiciens abscondit.] Non conqueritur Apostolus, neo E loquitur de profectu, sed de aduentu. [Abundantiùs festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio, quoniam voluimus venire ad vos: ego quidiem Paulus, & semel & iterum: sed impediuit nos satanas.] Aduentum quidem impedire potuit, profectum tamen Pauli, vel cursum impedire non potuit Euangelij. [Scire autem vos volo, fratres quia quæ circà me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij.] Scit Apostolus nullam potestatem habere satanam, nisi ei data sit desupor; scit nihil illi licere, nisi in bonum electorum: idcircò desiderium quidem exponit suum. facto

Gregorius l. 3. Moral. cap. 3. Iustus in manu diaboli, sed diabolus sub manu Dei. Philip c. 1.

que enarrato, consilium diuinæ relinquit prouidentiæ. Ita Christus: [Non habere, inquit, in me potestatem, nisi esset data tibi desuper. Quid est hoc? ait Augustinus. Homo tantùm non habet potestatem, nisi cum acceperit desuper? Quid ipse diabolus? Ausus est vel vnam ouiculam tollere viro sancto Iob, nisi priùs diceret, Mitte manum tuam, hoc est, da potestatem. Ille volebat, sed ille non sinebat. Quando ille permisit, ille potuit. Non ergo ille potuit, sed qui permisit. Ideò benè eruditus ipse Iob, non ait, Dominus dedit, & diabolus abstulit: sed, Dominus dedit, & Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: non, sicut diabolo placuit.] Mala voluntas à diabolo, permissa potestas à Deo: ab illo mysterium, iniquitatis, ab ipso pietatis consilium.

Augustin. con 2. in psal. 11. circ. med.

TROPOLOGIA.

Accepistis illud sicut verbum Dei.

Fides ex auditu, quo verbum Dei percipitur, sed assensu interiori suscipitur, tum & actu exteriori, vbique mouente Deo & agente proditur. Tria ergo sunt ad veram seu Christianam fidem necessaria. Primum est, motiuum fidei: alterum, est principium fidei: tertium, indicium fidei.

Quoad primum. Fides Christiana non est rerum omnium, sed earum quæ pertinent ad religionem, aut quæ salutem promouent: idcircò niti non debet refragili, sed immobili & infallibili veritate; quæ & cultum ordinet, & ea declaret: quæ ad officium, sint necessaria. Cum enim duorum duntaxat intersit homini, quorum primum est Deum colere; alterum, viuere in æternum: horum fides committenda non est aleæ iudicij incerti, sed indubitatæ Dei ipsius, cuius est, & placitum suum reuelare, & vnumquemque ad terminum suum adducere, deferenda sententiæ. [Fides ergo, (vt determinat Dionysius) est circa simplicem & semper existentem veritatem.] Nimirum, vt Aquinas explicat. [Cuiuslibet cognoscitiui habitûs obiectum, duo habet: scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum; & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti. Sicut in scientiâ geometriæ, materialiter scita sunt conditiones: formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur. Sic igitur in fide si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud quam veritas prima: non enim fides, de quâ loquimur, assentit alicui, nisi quia est à Deo reuelatum: vnde ipsi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio. Si verò consideremus materialiter ea quibus fides assentit, non solùm est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundùm quod habent aliquem ordinem ad Deũ, prout scilicet per aliquos diuinitatis effectus homo adiuuatur ad tendendum in diuinam fruitionem. Et ideò, etiam ex hac parte obiectum fidei est quodammodo veritas prima, inquantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum sicut etiam obiectum medicinæ est sanitas, quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem.] Aliud id quod cognoscitur, & aliud ratio cognoscendi, seu id per quod cognoscitur: illud, materia fidei, istud forma: illud obiectum fidei, istud motiuum dicitur, propter quod nimirum sermo seu res annuntiata suscipitur. [Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non vt verbum hominum: sed (sicut est verè) verbum Dei.] Hoc fidei fundamentum, quod primo omnium collocandum est. Idcircò Petrus. [Hoc primum intelligentes quòd omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.] Locuti sunt homines diuina misteria: sed qui homines? sancti homines Dei, seu spiritu sancto inundati. Præfati sunt Prophetæ, vaticinia prophetarum tam liquidò quàm certò interpretati sunt Apostoli: sed eadem ratione & eadem prorsus auctoritate isti quâ & illi: eodem quippe sensu, eodem & impulsu interpretatio facienda est, quo facta est reuelatio. Quid ergo Paulus? Hoc idipsum quod & Petrus; Audistis à nobis verbum Dei, sed à nobis inspiratis: non enim nos sumus qui locuti sumus, sed Spiritus Dei, sed Deus per nos locutus est. Idcircò doctrinam vobis traditam suscepistis, non vt humano exstructam ingenio, sed vt diuino suffultam suffragio. [Non enim (ita apud Chrysostomum) nos audientes affecti estis tanquam audientes homines, sed tanquam ipso Deo admonente ita attendistis.] Credit ergo Christianus, quod proponit Deus: & hoc ideò quia proponit Deus: licet enim humano proponat ministerio, suo tamen firmat testimonio idcircò distinguit fidelis obsequium inter & imperium, & obsequium quidem à famulo, imperium suscipit à Domino,

Dionys. c. 7. de diuin. nom.

Aquin. 2. 2. q. 1 art. 1. in corp. init.

Ratio credendi, forma est fidei.

2. Pet. c. 1.

Chrysost. orat. 3.

Quoad secundum, Dum gratias agit Apostolus pro fide Thessalonicensium, satis aperit sic officium esse humanum, vt sit etiam diuinum beneficium. Nam sicut oratio, sic & gratiarum actio, gratiæ diuinæ testificatio est: illâ præsentiente quid humano non valeat arbitrio istâ agnoscente quid diuina habeat beneficio. [Hoc ipsum Apostoli testimonium, (ita loquitur Augustinus) vbi ad reprimendam hominis inflationem dixit. Quid enim habes quod non accepisti? non sinit quemquam fidelium dicere, Habeo fidem quam non accepi: repri-miturque omninò his Apostolicis verbis tota huius responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici: Quamuis non habeam perfectam fidem, habeo tamen eius initium quo in Christum primitùs credidi: quia & hic respondetur. Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Tota & integra fides à Deo est, nec consummata tantùm, sed & inchoata: ideò enim petitur, vt accipiatur; idcircò & gratiæ aguntur, cum data est, quia Deo debentur à quo data est. Sed in ea non minùs mirabilis quàm & liberalis. Dat non solùm fidei complementum, sed & initium: dat fidem, dat

Augustin l. de prædest. sanct. c. 4.

virtutem

A virtutem seu charitatem, & hoc ipsum quod dat, compensat. [A Deo, inquit Chrysostomus, tanta est merces amicitiæ, quanta ne dici quidem potest. Nobis dat mercedem vt alter alterum diligamus, rei autem non debemus mercedem. Ora, inquit, & accipe mercedem. Pro eo mercedem debemus, quod bona petimus. Pro eo quod petis, inquit, accipe mercedem. Ieiuna, & accipe mercedem, Pro eo quod petis, inquit, accipe mercedem. Si virtute præditus, & accipe mercedem, etiamsi mercedem debeas. Sed sicut parentes quando fecerint vt filij viuant ex virtute, tunc etiam eis dant mercedem: (sunt enim debitores, quòd eos constituerunt in voluptate) Ita etiam Deus: Mercedem, inquit accipe, si sis virtute præditus. Nam patrem lætitiâ afficis, & huius tibi do mercedem.] Initium meriti à fide, complementum meriti à fide; illud ab inchoatâ, istud à consummatâ, illud perviam credulitatem formatâ, istud per Christianam animatâ charitatem: & vtrumque tamen donum Dei est, qui & dat quod petimus, & compensat quod credimus. Fides quidem est principium meriti, sed Deus ipse est principium fidei: sicut enim fidei verbum inspiratum est, sic & virtus fidei inspirata est, non humano concepta ingenio, tanquam in natiuo solo, sed de cœlo lapsa: est enim impressio supremæ veritatis, seu humanæ mentis, sed illuminante Deo, & operante, irradiatio. [Accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei: qui operatur in vobis qui credidistis.] Ex Græco, [Qui:] vel, [Quod operatur in vobis credentibus.] Factum est enim non solùm ad ipsos, sed & in ipsis verbum Dei: seu Deus per verbum suum aperuit sensum illorum, mentem imbuit, fidem infudit. [Quid illud? ait Augustinus. Nonne initium fidei apparet Thessalonicensium, de quo tamen Apostolus gratias agit, dicens: propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum percepissetis à nobis verbum auditûs Dei, excepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, quod operatur in vobis, cui credidistis. Quid est quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agit de hoc, quod ipse non fecit. Sed quia hoc vanum & inane non est, profectò Deus cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit: vt cum percepissent ab Apostolo verbum auditûs Dei, exciperent illud non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei: Deus igitur operatur in cordibus hominum, vt non inaniter audiant Euangelium, sed & audito conuertantur & credant.]

Chrysost. orat. 14.

B *Deus hoc ipsû quod dat nobis, compensat.*

C

D *Augustin. l. de prædest. sanct. c. 19.*

E Quoad tertium. Audisti quodnam sit motiuum fidei: vidisti quodnam sit fidei principium. Vis scire quodnam acceptæ seu infusæ fidei argumentum sit & indicium? Attende quo probet Paulus argumento, quo firmet indicio. [Operatur in vobis.] ἐνεργεῖται. Fides in vobis effecta est, verbo quod audiistis impressa, digito Dei quem suscepistis insculpta. Vnde scis, vnde astruis? [Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæâ, in Christo Iesu. Quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsâ Iudæis.]

Hoc argumentum, hoc indicium. [Quomodo enim, ait Chrysostomus, quòd non in adulatione, neque in inani gloriâ prædicauerit, ostendit ex suis tentationibus, & illorum testimonio, & iis quæ agebat: ita etiam quòd illi verbum rectè acceperint, à tentationibus. Quomodo enim, inquit, nisi tanquam Deum dicentem audiuissetis, talia ferretis pericula? Vide ergo auctoritatem: Vos enim, inquit, imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæâ. Magna est consolatio. Non est, inquit, mirum si ipsi hæc vobis faciant, eam hoc etiam faciant contribulibus suis. Hoc etiam non paruum quoque est indicium quòd vera sit prædicatio, cum & omnia quæ Iudæi ferre sustinuerunt. Quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis.] Cui parcant illi, qui non solum propriis insultauere prophetis, sed & Dominum Iesum ille promissum ac missum morte turpissimâ damnauere? Sed sicut semper aduersùs veritatem militauere, hoc etiam prædicationem nostram confirmat, & fidem vestram probat, quòd eadem propter veritatem sustinetis, quæ sustinuerunt prophetæ, fidei præcones, Apostoli, satores fidei; Dominus ipse formator fidei fundatorque, quod eadem à conciuibus vestris patimini, quæ Iudæi passi sunt à contribulibus suis; eadem ab hostibus Christianæ religionis experimini, quæ primores sancti experti sunt; eadem suffertis, quæ insigniores experti sunt Christiani. Sicut enim fides fundatur passione prædicantium, sic & imitatione, probatur credentium. [Surgunt procellæ, inquit, Augustinus, vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est. Et dicit anima tua: ô Deus, Deus, ipsa est iustitia tua vt mali floreant, boni laborent? Dicis Deo, ipsa est iustitia tua? Et Deus tibi: Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promisi? ad hoc Christianus factus es, vt in seculo isto floreres, & in futuro postea in inferno misertimè torquereris? Quia hîc mali florent, qui cum diabolo postea torquebuntur.] Sicut enim consolatio huius sæculi, perditionis præiudicium est, ita persecutio seu tentatio, tam veræ religionis, quàm & diuinæ electionis indicium. [Vindicari vis Christiane? Nondum vindicatus est Christus. An tu passus es improbũ, & ille non passus est? Nonne prior pro te passus est, qui non habebat quare pateretur? Nam in te tribulatio fornax aurificis est, si tamen aurum sis, & non palea: vt sordibus careas, non in cinerem conuertaris. Diligent Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet his qui abundanter faciunt superbiam. O si modò retribueret! Audite quid sequitur, Viriliter agite. Nolite lassas manus in tribulationibus dimittere. Et confortetur cor vestrum. Ad perpetienda & toleranda omnia mala huius seculi confortetur cor vestrum. Sed qui sunt quibus hæc dicit Propheta? Nunquid his qui diligunt mundum? Non. Sed quibus dicit, Audite omnes qui speratis in Domino.] Eo enim ducit spes, quod fidei promittit, & sicut non confundit illa, sic & ista non fallit: nihil non verum proponit fides, nihil non bonum spes reddit: sed vtraque probatur tentationibus, persecutionibus confirmatur.

Chrysost. orat. 3.

Perpessio mali, fidei probatio est.

Augustin. præfat. in 2. Enarrat. psal. 25. ver. med.

Augustin. con. 3. in Psal. 30. in fine.

ANAGOGIA.

Vos estis gloria nostra & gaudium.

DE fide egimus, nunc de spe [Quæ est enim spes nostra?] Primò igitur dicendum quò spes tendat: secundò, quando conquiescat: tertiò, quomodo perueniat.

Quoad primum. Satis manifestè aperit Apostolus, cum exertè dicit, [Quæ est enim spes nostra?] Quæ spei nostræ materia? [Aut gaudium, aut corona gloriæ.] Ad hæc spes contendit: lætitiam enim quærit aut gloriam: nec vulgarem aut tritam, sed singularem & immensam: sicut enim nulla maior lætitia est, quàm illa quæ gaudium cordi infundit; sic & nulla maior gloria, quàm illa quæ ornamentum imponit capiti. Tendit igitur ad illam lætitiam, quæ mentem inebriet: illam capit gloriam, quæ caput coronet, quæ & voluptatibus cumulet, & honoribus, quæ & feliciorem præstet ac superiorem. [Macedones sunt, dic quæso. Spes tua, ô beate Paule? Non ij, inquit, soli. Propterea subiunxit, An non vos quoque? Quæ est enim, inquit, nobis spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Agnoscitisne verba esse mulierum visceribus valde incalescentium, loquentium cum infantibus? Et corona, inquit, gloriationis. Non sufficiebat enim coronæ nomen ad ostendendum splendorem, sed etiam addidit, Gloriationis. Gaudium, inquit, & corona.] In duobus constitutus erat homo primus: in voluptate scilicet & honore. De voluptate [Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formauerat.] De honore. [Gloriâ & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.] Gloriâ nimirum coronatus, dum super omnia Dei sublimatus opera. Sed homo cum non minùs in voluptate esset, quàm in honore, non intellexit: idcircò de voluptate in pœnam, de honore decidit in contumeliam. [Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.] Quid ergo & antè culpam, homo natus non fuisset de muliere? [In sacro eloquio, ait Gregorius, mulier aut pro sexu ponitur, aut pro infirmitate. Hoc igitur loco mulieris nomine, quid nisi infirmitas designatur, cum dicitur: Homo natus de muliere? Breui ille viuens tempore repletur multis miseriis. Ecce viri sancti vocibus, pœna hominis breuiter est expressa: quia & angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur omne, quod hìc agitur, pœna & miseria est.] Illa porrò miseria in duobus ita est, & quòd verâ lætitiâ careat homo, & quòd vanâ turgescat gloriâ. Adhuc vmbram voluptatis consectatur omisso corpore: sed eo infelicior comprobatur, quo voluptuosior. [Quòd amissâ cœlesti patriâ, ait ille, repulsus homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamen cogitare dissimulat quàm graue sit, quia multa

Chrysost. orat. 3.

Genes. c. 2.

Psalm. 8.

Iob cap. 14.

Gregorius l. 11. Moral. c. 26.

Gregorius ibidem.

A cogitantur: quòd priuatus est interno lumine, & tamen in hac vitâ diu vult perpeti cæcitatem suam: quid hac aliud quàm de pœnâ nata miseria est?] Adhuc quærit & honorem, sed florem potius marcidum, quàm verum honorem inuenit. [Quid enim sunt nati homines in mundo, (rursum Gregorius) nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis; & ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita namque in carne, flos in fœno est. Vnde benè per Psalmistam dicitur: Homo, sicut fœnum dies eius: & sicut flos agri, ita florebit. Esayas quoque ait: omnis caro

B fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri.] Est igitur lætitia, sed falsa: est & gloria, sed vana: idcircò & veram quærit lætitiam Christianus à quâ in primo homine excidit: appetit & solidam gloriam quam perdidit; illud aspirat, speratque se recuperaturum in secundo homine bona in paradiso amissa, tantaque regnaturum lætitiâ, quantâ & gloriâ.

Quoad secundum. Tota Chistianorum spes in exitu seculi, seu in aduentu Christi consummatur, in quo & tota repræsentatur Christiani nominis gloria. [Sic Ioannes, (apud

C Tertullianum) Nondum, ait, manifestatum est, quid futuri simus. Scimus quia si manifestauerit, similes eius erimus. Tanto abest, vt simus iam quod nescimus: vtique sciturі, si iam essemus. Adeò contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non repræsentatio; nec possessio, sed expectatio. De quâ spe & expectatione Paulus ad Galatas, Nos enim Spiritu ex fide spem iustitiæ expectemus: non ait, tenemus. Iustitiæ autem Dei dicit, ex iudicio, quo iudicabimur de mercede. Ad quam pendens & ipse, quum Philippensibus scribit, Si quà, inquit, concurram ad resuscitationem quæ est à mortuis. Non quia

D iam accepi, aut consummatus sum,] Sicut enim tunc omnium exhibitio, sic & omnium consummatio. Ita Petrus in Actis, [Pœniteat itaque vos, & respicite ad abolenda delicta vestra, vt tempora vobis superueniant refrigerij ex personâ Dei, & mittat prædesignatum vobis Christum; quem oportet accipere cœlos, adusque tempora exhibitionis omnium, quæ locutus est Deus, ore sanctorum prophetarum. Quæ hæc tempora, ait Tertullianus, cum Thessalonicensibus disce. Legimus enim, Qualiter conuersi sitis ab Idolis, ad seruiendum viuo & vero Deo, ad & expectandum è cœlis filium eius, quem

E suscitauit ex mortuis, Iesum. Et rursus, Quæ enim spes nostra, vel gaudium, vel exultationis corona, quàm & vos coram Domino nostro Iesu Christo, in aduentu ipsius?] Denique: [Etiam in Apocalipsi Ioannis, ait ille, ordo temporum sternitur, quem martyrum quoque animæ sub altari vltionem & iudicium flagitantes sustinere didicerunt; vt prius & orbis de pateris angelorum plagas suas ebibat, & prostituta illa ciuitas à decem regibus dignos exitus referant, atque ita diabolo in abyssum interim relegato,

Homines in mundo, velut flores in campo.

Tertullian. l. de resur. car. cap. 23.

Tertullian. eodem lib. cap. 24.

Tertullian. cap. 25.

primæ resurrectionis prærogatiua de soliis ordinetur, dehinc & igne dato, vniuersalis resurrectionis censura de libris iudicetur. Quum igitur & status temporum vltimorum scripturæ notent, & totam Christianæ spei frugem in exordio seculi collocent; apparet tunc adimpleri totum quodcumque nobis à Deo repromittitur.] Gustamus in hoc sæculo, nondum potamus: tum delibamus, sed nondum consummamus: præcepta est, sed nondum adimpleta lætitia. [Sanctorum enim animæ, ait Bernardus, terrenis exutæ corporibus, quæ iam ad sedes æthereas aduolauerunt, licet bibant, non tamen adimplentur, non tamen inebriatur. Quamuis enim multâ beatitudine perfruantur, expectat tamen resurrectionem mortuorum corporum: vt cum in terrâ suâ duplicia possiderint, sempiternâ perfruantur lætitiâ. Modò enim illis singulis singulæ stolæ albæ datæ sunt, & iniunctum vt sustineant tempus adhuc modicum, donec impij conterantur duplici contritione, & ipsi geminâ beatitudine coronentur. Cum ergo nondum habeant quod habere desiderant, inebriari non possunt, sed est eis illa visio potus: vt sicut absque labore bibitur, ita sine labore, quiescatur donec satientur cum apparuerit gloriâ suâ.] Potamur ergo fruitione seu visione, sed nondum inebriamur nisi in resurrectione, quia nondum satiata est anima, nondum adimpleta lætitia. Speramus adhuc aspiramusque; nec spes vnquam in totum conquiescet, nisi cum in consummatâ consistet beatitudine, nisi cum, resurrectione factâ, vltimum continget expectationis exultationisue terminum.

Bernard. de vict. obed & eius grad.

Iam potantur sancti, sed nondũ inebriantur.


Quoad tertium. Sicut sancti salutem nostram promouent, sic & spem nostram, fouent sustinentque. [Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.] Seu, vt legunt Græci: [An non vos quoque?] Quasi non solum illi, sed & ceteri, quos ad fidem adduxit, quos ad pietatem instruxit sanctitatemque. Tunc Paulus gloriosus erit, tunc exultabundus, cum exhibebit Christo innumerabiles martyrum, confessorum, virginum myriades: cum & tot millia agnoscent salutis suæ ducem & honorem institutionis suæ Christo Saluatori, tum & Paulo dispensatori referent. Hoc sperat Apostolus, iamque in antecessum pronuntiat: [Vos estis, gloria nostra & gaudium] Cum apparuerit Christus vita mea, tunc & ego cum illo apparebo in gloriâ; producens tot trophæa meâ manu parta, tot certamina recensens cum successu transacta, vos aliosque ostendens tanto acquisitos labore, quanto & splendore conspicuos. Si spem suam Paulus fulcit ex aliis, quidni Christianus & in hoc iudicio, imò & in hoc sæculo expectare ex aliis possit & sperare; quorum meritis audiatur, quorum suffragiis gratiam consequatur & misericordiam: [Credimus quidem, ait Cyprianus, posse apud iudicem plurimùm martyrum merita; sed cum iudicij dies venerit, cum post occasum sæculi huius & mundi, antè tribunal Christi, populus eius ad stiterit.] Sed & tempus anticipant, nec futurum semper expectant iudicium. Vnde apud eundem Cyprianum, Paulus martyr, Luciano: [Coràm Christo, inquit, tibi dico, vt siquis post accessitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.] A morte nimirum, nedum à resurrectione: à passione, nondum à consummatione. Denique & ante passionem & mortem: nam & in hocce seculo sanctus sanctum adiuuat, imò & infimus supremum iuuat, vt ad optatum portum perueniat. [Bonum est, ait Chrysostomus, frui sanctorum precibus: opus enim aliorum precibus semper habemus, si sapiamus. Paulus non dicebat, Quid mihi opus est precibus, etiamsi qui precabantur non erant eo digni: & tu dicis, Quid mihi opus est precibus? Petrus non dixit, Quid mihi opus est precibus? oratio enim, inquit, fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo. Et tu dicis, Quid mihi opus est precibus? Propterea tibi opus est, quoniam existimas te non opus habere. Etiamsi fueris sicut Paulus, opus habes precibus. Audi Paulum ipsum dicentem, Scio enim quòd hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem & subministrationem spiritûs Iesu Christi. Et rursus, Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis. Vt ex multis personis eius quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agunturpro nobis. Et tu dicis, Quid mihi opus est oratione?] Inde & oratio publica, quâ se spes exercit, petitque regnum Dei, sed publico omnium suffragio: orat enim quilibet Christianus vt regnum adueniat promissum, sed omnibus fidelibus veniat: eo quippe collimat spes, & id non sibi tantùm, sed & aliis orando & instando impetrat. [Etsi enim pro finitum in oratione non esset, de postulando regni aduentu: (verba Tertulliani) vltrò eam vocem protulissemus, festinantes ad spei nostræ complexum. Clamant ad Dominum in visu animæ martyrum sub altari: Quonam vsque non vlcisceris Domine, sanguinem nostrum de incolis terræ? Nam vltio illorum à seculi fine dirigitur. Imò quàm celeriter veniat, Domine, regnum tuum. Votum Christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum, propter quod conflictamur: imò potius propter quod oramus.]

Cyp. ser. de laps.

Chrysost. orat. 1.

Supremi etiam inferiorum precibus adiuuandi.

Tertullian. l de orat. c. 5.



CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

Fide cognitâ Thessalonicensium, & charitate per Timotheum ab eis reuersum, solatium se Paulus affirmat accepisse, desideriumque videndi eos demonstrat vehementissimum.

TEXTVS.

PRopter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestrâ: vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis. Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos: ideò consolati sumus fratres in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostrâ, per fidem vestram, quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantiùs orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis: ad confirmanda corda vestra sine querelâ in sanctitate, antè Deum & patrem nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

PAulus præproperè, Iudæis tumultuantibus Thessalonicâ discesserat, veritusque ne quid inde moliretur Satanas, Timotheum miserat: nunc sciens tuta esse omnia, solatur se, & ipsis apprecatur meliora.

[Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis, &c.] Dixerat se tanquam patrem filiis orbatum, tanquam doctorem destitutum discipulis in absentiâ Thessalonicensium, ardenter desiderasse eos
A reuisere, & profectionem non semel adornasse; sed semper suâ spe frustratum, & in desolatione non modicâ derelictum. Idcircò, inquit, non diutius tolerans desiderium vestri, nec sperans me citò votis per conspectum potiri, malui relinqui Athenis solus, & à meis deseri quàm à vobis longius distrahi. [Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestrâ: vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus, &c.] Cum ego ipse adire non possim, misi Timotheum meum,

Sotius dicit Paulus esse solùm quàm necessario deesse auxilio.

quasi alterum me; licet mihi valde necessarium, vtpote ministrum Dei; & in Euangelio Christi prædicando cooperatium. Misi tamen illum, vt vos confirmaret in fide, & pro illius tuitione vestrum adhortando solandoque obfirmaret animum: ne fortè turbetur aliquis ob persecutiones, arbitretur-ve tribulationes istas aut accidere casu, aut sine fructu contingere. Nam ego præmonui, nec semel dixi, me in hoc positum destinatumque à Deo, vt per angustias & pressuras meas, & Euangelium prædicaretur, & Christi propagaretur imperium. [Cum enim, ait Athanas. ob præceptoris diuexationes, laborent nonnumquam, & confirmandi erant & exhortandi, ne a fide exciderent. Non enim parum obturbantur discipuli, & quasi diffidunt, præceptore ærumnis & malis tantoperè afflictato: vt milites solent, cum ducem spectant affectum vulneribus. Sed si ad id sumus instituti, quid mirum si premimur? Explicat igitur quid illis sit profutura Timothei exhortatio, & eum collaudat, vt illos potius honoribus prosequatur: cum hominem sibi maximè necessarium, & operam in prædicando Euangelio nauantem, istorum gratiâ suscepti operis ministerio interpellauerit: vt nemo moueatur: hoc est, perturbatione nullâ horum quispiam offendatur. [Tum deus. Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes sicut & factum est, & scitis, &c.] Hæc prædixi, cum essem Thessalonicæ, futurorum præstius: hæc & sustinui, cum essem Beræ: & experientiam habuistis, & famam excepistis eorum, quæ pro Christi nomine: & Euangelij prædicatione passus sum, sed quæ passurum me toties præfatus sum. [Magnoperè enim, ait ille, discipulos consolatur, cum à præceptore longè mala futura denuntiatur,]

Athanas. in Paulum.

Athanas. ibidem.

[Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster, &c.] De se vtroque numero loquitur: cum enim dixisset, Misimus; nunc ait, Misi. Pluralis enim auctoritatē redolet Apostolicam: singularis autē, paternam docet solicitudinem. Cū ergo diuturniorē absentiā ferre non possem eâ de causâ misi Timotheum, vt me repræsentaret, & fidem vestram recognosceret: metuebam enim ne quo pacto diabolus expressuris meis occasionem sumpsi, vosque in tentationem induxisset, sicque labor quem impendi vobis instituendis, deiectis vobis irritus euaderet, vt iam vobis infructuosus. [Istud, ait Ambros. propter quosdam dicit, qui possunt seduci astutiâ Satanæ, quia in omni plebe est pars firma & infirma quorum causâ solicitus erat, ne amitteret fructum credulitatis eorum Et quia diutiùs passus non est nescire se quid certius ageretur circà illos, misit Timotheum, à quo posset certum scire.] Nullum quippe chariorem habuit, nullum inuenit fideliorem. [Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos: ideò consolati sumus, fratres, in vobis, in omni necessitate & tribu-

Ambros. in Paulum.

In omni congregatione, firmi sunt & infirmi.

A latione nostrâ per fidem vestram, quoniam nunc viuimus, si statis in Domino, &c] Sed cum à uobis ad nos redierit Timotheus, & bonum fidei & charitatis vestræ nuntium retulerit; nec non honorificam ac perpetuam nostri vos retinere memoriam, tamque ardenter & peramanter desiderare conspectum nostrum quàm ego vestrum: hac de causâ consolationem excepi non mediocrem ex vobis, propter fidem constantem & inuulnerabilem: excepi, inquam in omni pressurâ & angustiâ nostrâ: nihil enim me mouent quotidiana mortis pericula, imò nec mihi apparent pericula, si vos in fide perseueratis, si statis in veritate.

B [Declarat, ait ille, cur alacri sermone scribat ad eos. Modò cum venisset Timotheus ad vos &c. Ideò enim nuntio veniente, & firmitatem deuotionis illorum in fide & dilectione Apostoli declarante, lætus factus scribit ad eos, securum habens fructum fidei & bonæ conuersationis eorum.]

Ambros. ibidem.

[Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte ac die abundantiùs orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? &c.] Quas namque gratiarum actiones de tanto beneficio vobis collato referre Deo possumus, super immenso gaudio, quo gaudemus coràm Deo, de perfectâ fidei ve-

C stræ constantiâ, assiduè ac vehementissimè deprecantes, vt detur coràm alloqui & conspectu vestro frui, vt vos pleniùs instruamus, fidemque vestram perficiamus. [Tanta me, inquit, (apud Athanas.) vestri de causâ incessit lætitia, vt neque gratias Deo pro merito agere liceat. Existimamus namque has vestras virtutes à munere quodam Dei, & singulari profectas.] Tam donum scilicet, quàm & gaudium inde conceptum. [Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam nostram ad vos, &c.] Ipse

Athanas. in Paulum.

D autem Deus, qui & Pater noster est, & Dominus noster Iesus Christus, prosperum ad vos iter concedat, faciatque vt reuisam vos & perficiam. [Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in inuicē, & ad omnes, quemadmodum & nos in vobis, &c.] Ex Græco, [In vos.] Precor ego Christum Dominum, talem ac tantam in vobis abundare & exuberare faciat charitatem, vt non solùm diligatis inuicem, sed & in omnes homines etiam persecutores vestros & aduersarios, tantâ flagretis dilectione, quantâ vos ego diligo. [Ad confirmanda corda uestra sine querelâ in sanctitate, antè Deum & Patrem

Charitas non solùm in fideles, sed & in infideles.

E nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.] Et hoc precor, vt confirmentur corda vestra in omni bono, purgenturque omni vitio: adeò vt tam irreprehensibiles sitis in conuersatione, quàm ex sanctificationes laudabiles coràm Deo patre nostro: ideoque tales inueniamini à Christo Domino, & in futuro eius iudicio, cum ceteris sanctis seu electis recenseamini. [Ante Deum: scilicet, vt exponit Aquinas, qui cor videt. Et hoc appareat in aduentu Christi, vt vos inueniat sanctos: & sitis in con-

Aquin lect. 2.

spectu eius, sicut sunt omnes sancti ante A eum.]

ANIMADVERSIONES VARIÆ circa litteram & intelligentiam.

VArias dico seu miscellaneas, quia tam morales volo, quàm doctrinales, imò & anagogiam spirantes sicut & tropologiam. Sit ergo.

ANIMADVERSIO PRIMA.

De missione Timothei.

TRiplex est missio: prima, originalis, quâ Deus Deum mittit iure originis, seu processionis ratione. Ita Pater mittit filium, filius mittit Spiritum sanctum: nec filius tamen, aut Spiritus sanctus Patrem mittit, quia à nullo procedit. Altera missio est principalis, quâ Deus mittit hominem iure supremæ potestatis, quo iure missi sunt Prophetæ omnes, maximè verò omnes Apostoli. [Quos, vti dixit Tertullianus, hæc appellatio Missos interpretatur.] Idcirco & Christus ipse, quâ homo missus à Deo, etiam Apostolus confessionis nostræ dictus est, & Propheta magnus: quatenus enim missus ad regendum, Apostolus; quatenus ad docendum, Propheta nuncupatus est. Missio tamen quâ Christus misit Apostolos cum sit supremæ potestatis, non tam ab homine est, quàm à Deo summo iure agente, & cum plenitudine potestatis mittente. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Non ait, Sicut misit me Spiritus sanctus, à quo & missus est, sed quâ homo? verùm, Sicut misit me pater. Vnde, [Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum. Insufflando enim, vti dixit Augustinus, significauit Spiritum sanctum non patris solius esse spiritum, sed & suum.] Id est, se Deum esse, & vnum cum patre spirationis principium. Deus ergo mittit Apostolos suos, sed quâ incarnatus: vnde ista missio non solùm principalis est, sed & singulariter enim Christo competit, tanquam mediatori, id est, Deo & homini. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: id est, (vt exponit Gregorius) Sicut me misit Pater Deus Deum, & ego mitto vos homo homines.] Sed hic homo, qui dicitur Christus, vtraque scilicet naturâ, deitate & humanitate compositus: vt ius mittendi sit ab vnâ, actus vero mittendi sit ab alterâ. [Æqualem patri filium nouimus, ait Augustinus, sed hîc verba mediatoris agnoscimus.] Quid porrò mediator, nisi qui vtramque repræsentat naturam, & vnum suppositum conciliat. [Propter quod, ait ille, cum esset Deus, cuius naturæ non sumus, factus est homo.] Auctoritas igitur missionis in Christo à Deo est, idcirco & principali est; sed missionis actualitas, ab homine est seu mediatore Dei & hominũ, ideo singularis est. Ita, [Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum.] Id est, vt exponit Ambros. [A Dei filio testatur missum se, quem in hac causâ idcircò hominem negare videtur, quia præcepta quasi Deus dedit; non quasi homo, & quem elegit, diuino elegit iudicio.]

Tertullian. l. de præscr. c. 20.

Quomodo mittit Christus, an vt homo vel vt Deus.

Ioan. c. 20.

Augustin. Tract. 121. in Ioan. ver. fin.

Gregorius Homil. 26. in Euang.

Augustin. Tract. 121. in Ioan. ver. fin.

Augustin Tract. 80 in Ioan.

Galat. c. 1.

Ambros. ad Galat.

Restat igitur tertia missio, quâ homo mittit hominem: idcircò nec originalis, nec principalis est: sed participata ac subalterna. Sed cum Paulus dicat, se non missum ab hominibus, neque per hominem: indicat duplicem esse huiusmodi missionem: vnam quæ fit ab vniuersali multorum concilio quomodo, [Placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesiâ, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam.] Alteram, quæ fit è singulari alicuius arbitrio. Ita Paulus: [Misi ad vos Timotheum.] Sic ergo & intelligendum quod hic ait: [Et misimus Timotheum fratrem nostrum.] Quamuis enim pluralis sit numerus, actus tamen singularis est. Ita: [Misimus cum illo fratrem.] Et statim: [Misi autem fratres.] Quod enim pluraliter dicit, dignitatem exponit: quod autem singulariter repetit, voluntatem exprimit. Solus erat Apostolus, quando Timotheum mittebat, idcircò solo mittebat arbitrio. [Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis.] Quid est, placuit? Malui, elegi: licet res dura, orbari vtroque filio, Siluano scilicet ac Timotheo. Tamen non sustinens pondus amoris ad vos inclinantis: [Placuit, id est, vt exponit Chrysostomus, elegimus; auulsum ab operibus misimus ad vos ministrum Dei, & cooperatorem seu adiutorem nostrum in Euangelio Christi.] Sic ergo se res habuit. Pulsus Thessalonicâ Paulus factione Iudæorum, venit Beræam: sed non ibi diu constitit. [Cum enim cognouissent in Thessalonicâ Iudæi, quia & Beoreæ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes & turbantes multitudinem. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret vsque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.] Venerunt ergo cum Paulo Boeream, sed ibi remanserunt ob causam nobis incognitam. Non tamen Paulus ab esse eos diu passus est. [Qui enim, deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum profecti sunt.] Beoream scilicet reuersi vt Silam ac timotheum deducerent Athenas, aut certè mitterent ex Pauli mandato, Athenis eos expectantis. Venerunt igitur, nec tamen diu Athenis remanserunt. Paulus enim Timotheum destinauit Thessalonicam; Silam verò seu Siluanum delegauit in alias Macedoniæ ciuitates: ambo enim è Macedoniâ redeunt, tandemque Corinthi, quo Paulus ab Athenis digressus venerat, missionis suæ principem conueniunt. Voluit ergo Paulus relinqui Athenis solus, quia inde Timotheum & Siluanum, socios & cooperarios in opus misit.

Porrò in missione duo consideranda sunt: ius nimirum, quo aliquis mittit: & opus, ad quod mittit. De iure, nullus in Paulo dubitandi relictus est locus. [An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?] Sicut ergo ipse à Christo ipso missus, sic & alios mittebat, dum & ministerij sui sui socios adlege-

Act. cap. 15.

1. Cor. c. 4.

2. Corinth. c. 8. 19.

Chrysost. orat. 3.

Act. cap. 17.

Paulus quomodo solus Athenis relictus.

2. Cor. c. 13.

bat. [Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi .Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asiâ] Quoad opus ipse exponit Apostolus, cum ait : [Ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestrâ : vt nemo moueatur in tribulationibus istis.] Ex quibus liquet, duplicem esse missionis finem : primum, fidem fundandi, euangelizando ; quod maximè Apostolorum est : alterum, fidem firmandi ac roborandi, inculcando, exhortando; quod propriè discipulorum est, & virorum Apostolicorum. Sicut ergo Christus Paulum misit Euangelizare, seu nouas fundare Ecclesias ; sic & Paulus misit fundatas confirmare, seu rigare iam plantatas. [Desiderij suprà memorati, ait Commentator Ambros. caussas expressit Apostolus. Idcircò enim præsentes esse apud apud eos volebant, vt animos eorum firmarent, ne quis ex his scandalum pateretur de pressuris Apostolorum vt qui tanta signa facerent, aliquando infirmarentur, ita humiliati, vt verberibus & vinculis subiicerentur. Ad quam rem excusandam Timotheum missum testatur, idoneum doctorem, qui ostenderet hinc merita Christianis crescere ; si pro nomine Domini passi gratias agant, & quo huius rei mercedem expectant ; simulque preces Deo funderent vt stabiles essent.] Hoc igitur missionis opus, rigare, confirmare, exhortari, consolari. [Mittit ergo, ait Aquinas, ad confirmandos eos, & referendum sibi. Et exhortandos, quia per exhortationes animus hominis confirmatur. Indigetis inquit exhortari pro fide verstrâ, vt nemo moueatur in his tribulationibus.] Concussa erat fides Thessalonicensium, depulsione Apostolorum, persecutione Iudæorum : idcircò ne nutaret, labaretque, roboranda erat ac confirmanda per idoneum ministrum : & in id electus est Timotheus.

Act. cap. 19. — Opus Apostolorũ fundare, discipulorum confirmare. — Comment. Ambros. — Aquin. lect. 1.

ANIMADVERSIO SECVNDA

De prædicatione Apostoli.

VEtat Apostolus moueri aliquem aut terreri ob pressuras Euangelij seu fidei causâ illatas, & rationem allegat : [Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus.] Sed vnde id sciunt Thessalonicenses? [Nam & cum apud vos essemus, inquit, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes : sicut & factum est, & scitis.] Prædictio autem potest esse aut generalis aut specialis, & vtrique adest sua ratio.

Quoad generalem. Nullus excipiendus est, cum ipse dixerit: [Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.] Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam : oportet & Christianum pati, & ita intrare in gloriam. [Certa etenim, vti dixit Leo, atque seuera est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis. Nemo est, cui per conditionem temporis societas huius gloriæ denegetur, tamquam tranquillitas pacis vacua sit occasione virtutis. Apostolus enim prædicat dicens : omnes qui piè volunt viuere in Christo persecu-

2. Thim. c. 3. — Leo ser. 9. de quadrag.

A tionem patientur.] sic prædicabat Lystrensibus : [Confirmans animas discipulorum, exhortansque vt permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.] Sed quod denuntiat Thessalonicensibus, non solùm prædicatio est, sed & prædictio. [Hæc enim presciens Paulus, (verba Chrysostomi) prædixit eis futurum, vt affligerentur, sicut & factum est : & sciunt Non quòd hoc factum sit solùm dicit, sed quòd multa prædixerit, & euenerint. In hoc positi sumus Quamobrem non solùm de præteritis non oportet perturbari, sed neque de futuris, si tale quid contigerit. in hoc enim positi sumus
B Audiant quibus aures sunt ad audiendum. In hoc enim positus est Christianus. In hoc positi sumus. [De omnibus dicit fidelibus. In hoc positi sumus.] Nullus excipitur, si modò piè seu Christinè viuere nititur. [Et ideò, inquit Leo, nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis dicit : Qui non accipit crucem suam & sequitur me: non est me dignus. Nec dubitare debemus hanc vocem non solùm ad discipulos Christi, sed & cunctos fideles totamque Ecclesiam pertinere, quæ sa-
C lutare suum in his qui aderant vniuersaliter audiebat. Sicut ergo totius est corporis piè viuere : ita totius est temporis crucem ferre ; quæ meritò ferri vnicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab vno quoque toleratur Vnum nouem est persecutionis, sed non vna caussa est certaminis.]

Act. c. 14. — Chrysost. orat. 3. — Leo ser 9. de quadrag. cir. med. — Ibi copia persecutionis, vbi pietatis obseruantia.

Quoad specialem. Tangit suas persecutiones Apostolus, quas præuidit imminentes, aut quas sciuit sibi reseruatas. Iam enim de ipso prædictum, decretum-ve: [Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati,]
D Vnde & heic: [Cum apud vos essemus, inquit, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes.] Nec suas duntaxat tangit afflictiones, sed quas specialiter præsensit perferendas Thessalonicæ, Beroæque repetẽdas. Ita alibi. [Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalẽ, quæ in eâ ventura sint mihi, ignorans: nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens : quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me mouent.] Potuerunt enim vincula & supplicia illi in genere reuelari, potuerunt & in specie demonstrari. In hoc enim positus erat Apostolus, vt persecutiones quas intulerat, pateretur ; vt tribulationes quas ip-
E se adinuenerat, experiretur. [Quid est enim, ait Augustinus, quòd rugiente Saulo mugit arcanum, & contra sæuitiam Pauli militia conqueritur cœli; nisi vt qui non crediderat resurgenti, saltem crederet in cœlo sedenti. Nam dicitur Ananiæ, Accede ad eum, & signa eum charactere meo : multa enim patietur pro nomine meo. Cœpit ergo prædicare Christum, cui antea resistebat, postea paratus pati pro eo contrà quem antea pugnabat. Patitur Paulus, quod Saulus, Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est, Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas vnâ minus accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus submissus est in sportâ. Saulus vinxit, Paulus victus est. Et dum Saulus sæ-

Act. cap. 9. — Act. cap. 20. — Augustin. ser. 15 de sanct. vlt. med. — Paulus quæ intulit alijs expectus est.

uiens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum. Et dum inferret aliis necem, suscepit ipse pro eo mortem.]

Ambros. in Paulum. Quoad rationem. Sit ergo persecutio specialis: sed, vt obseruat Ambros. [Persecutionem idcircò se passuros prædicauerant, vt per id quod præscientiam huius rei habere protestarentur, posse se effugere & declinare has iniurias approbarent sed quia spes magna in his est ideò illatas sufferre quidem libenter.] Sic ergo prædicabat, sic & prædicebat. [Non oportet, (inquit apud Chrysostomum) conturbari. Nihil enim nouum & alienum, neque præter spem accidit: quod quidem satis erat ad eos excitandos. Vides enim quòd propterea Christus quoque prædicebat discipulis. Audi eum dicentem. Et nunc dixi priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis. Magna enim magna res est ad aliorum desolationem, audire quæ facta sunt à ministris? Quomodo enim ægrotus, si à medico audiuerit quòd hoc fiat & illud non valdè conturbatur. Sin autem ex inopinato aliquid euenerit, vtpote quòd & ille fuerit dubius ac perplexus, & morbus artem superet, tristitiâ afficitur & conturbatur: ita hic quoque.] Itaque, vt absoluam ex Chrysostomo. [Opportunum est dicere: Nondum ad sanguinem vsque restitistis decertantes. Imò ne opportunum quidem est hoc dicere. Sed quid? Nondum pecunias despexistis. Nam illis quidem qui omnia sua perdiderant, meritò hæc dicebantur. Iis autem qui sua habent, hoc, Cuinam sunt raptæ pecuniæ propter Christum? Cui sunt impacti colaphi? Vndenam est gloriatio? Vndenam potes habere fiduciam. Tam multa passus est Christus propter nos qui eramus inimici: quidnam possumus ostendere quod propter ipsum passi sumus: Vndenam erit nobis in illo die fiducia? Nescitis quòd miles quando mille plagas & vulnera ostenderit: tūc poterit esse illustris apud regem. Sin autem nihil possit ostendere rectè & fortiter gestum, etiamsi nihil offenderit, inter externos collocabitur. Sed cum videro te propter Christum pecunias non despicere, quomodo tibi credam futurum vt plagas despicias? Quod nihil habet periculi non facis, & plagas, dic quæso, feres, in quibus multum est tristitiæ & doloris?] Christiani vsque ad verba, non vsque ad verbera: mira polliciti, sed linguâ suâ mentiti: fideles nomine, opere infideles.

Chrysost. orat. 3.

Chrysost. ibidem.

Christiani vsque ad verba, non vsque ad verbera.

ANIMADVERSIO TERTIA.

De tentatione diaboli.

TRia sese exhibent, velut paradoxa, quæ reflexione indigent, & animaduersione. Primum est, ignorantia Pauli: alterum, potentia diaboli: tertium, ruina fidei.

Quoad primum. Nescientiam quis dicere malit, quàm ignorantiam: sed Chrysostomus ignorantiam dicere maluit, quàm nescientiam. [Quid dicis? Qui tam multa scit, qui audiuit arcana verba, qui ad tertium vsque cœlum ascendit, is non nouit? Idque cum sit Athenis, nec magnum quidem intercedat interuallum, neque ita pridem ab eis sit separatus. Orbati enim, inquit, à vobis ad tempus horæ. Non nouit res Thessalonicensium, sed necesse habet mittere Timotheum ad cognoscendam fidem eorum. Ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Quid ergo quod dixerit quispiam non omnia nosse sanctos? Id autem ex multis didiceris, nempe & à primis, & ab iis quæ sunt postea consecuta. Sicut Elisæus ignorauit de muliere. Sicut Elias dicebat Deo, Ego relictus sum solus, & quærunt animā. Propterea audiuit à Deo, Reliqui mihi septem millia virorum. Et Samuel rursus, quando missus fuit ad Dauid: Dixit, inquit, ei Dominus. Neque attendas eius speciem, neque habitum magnitudinis eius, quoniam eum nihili feci: quoniam non tanquam homo videbit Deus: homo enim vultum aspiciet, cor autem Deus:] Sed sicut scientia impiorum exitialis est, sic & ignorantia sanctorum salutaris, sicut enim inflat illa, sic & ista humiliat: sicut illa opus humanæ est industriæ, sic & munus ista diuinæ prouidentiæ. [Hoc enim, (vt ille resoluit) fit magnâ Dei curâ & prouidentiâ. Quomodo, quæris, & quanam ratione? Et propter ipsos sanctos, & eos qui ipsis credunt. Quomodo enim ipse permittit fieri persecutiones, ita etiam ipse permittit eos multa ignorare, vt coerceantur ac comprimantur. Propterea Paulus quoque dicebat, Datus est mihi stimulus, nempe carni, Angelus Satan qui me colaphizet. Et rursus ne alij de eis visione apprehenderent. Si enim ex signis eos esse Deos existimarunt, multò magis si perpetuò mansissent scientes omnia. Propterea igitur ignorat Apostolus. Propterea etiam cum sæpè proposuisset venire, non venit, vt discant eum multa nescire.] Sed cum modò ignorantiam dicat, modo nescientiam, satis indicat, abuti se ignorantiæ, verbo, vti verbo nescientiæ. Reuera nemo tutò dicere potest, Paulum ignorantem esse, licet dicere possit nescientem: ignorantia quippe, eorum est, quæ quisque iuxtà conditionem officij sui vel ministerij rationem scire debet, incuria; ideoque peccat, si ignorat: nescientia verò, eorum quæ nusquam debet, imò nec valet nonnunquam, inscitia, ideoque reus non est, etsi nescius. Quàm multa nesciunt beati, quàm multa & angeli, nec tamen inde deteriores sunt; nec minùs felices, nec minus sancti: quia sciunt, quicquid volunt; nec volunt scire nisi quod iniquum aut indignum nescire. Cætera nec curant, nec ignorant: quis enim scire velit, quod etiam nescire expedit?

Chrysost. orat. 4.

Chrysost. ibidem.

Ignorantia nec Apostolis proprie nec sanctis tribuenda.

Quoad secundum. Nihil fere est quod non tentet, cum & Deus ipse tentet homines, & tentent homines Deum. Tentat nos mundus, nedum diabolus, & vnusquisque tentatur à propriâ concupiscentiâ. Sed, vt obseruauit Aquinas: [Cum tentare, sit experimentum de aliquo sumere: in hoc considerandum est ad quid velit sumere, & quomodo. Nam hoc est dupliciter. Velut ipse cognoscat, vel vt alium cognoscere faciat. Primo modo Deus non tentat, ipse enim scit quid quid est in homine.

Aquin. lect. 1.

mine. Secundo modo, sic: Deus enim tentauit Abraham, scilicet vt alij scirent fidem eius. Sed primo modo tentare est dupliciter, scilicet vt promoueat ad bonum, sicut Episcopus promouendos examinat: vel aliquis tentat vt decipiat, & hoc est diaboli; quia scilicet inquirit conditionem hominum, vt secundùm diuersas conditiones ad diuersa vitia ad quæ proni sunt, indicat. Officium ergo eius est tentare ad decipiendum: non mundus & caro dicuntur tentare materialiter, quia per ea ad quæ ipsa inclinant, sumitur experimentum de homine, vtrum firmus sit ad mandata Dei, & dilectionem. Si enim vicerit concupiscentia, non perfectè diligit Deum: & similiter quando res mundi vel terrent, vel afficiunt.] Illa quippe instrumenta sunt diaboli, vel ministeria. [Nam, vt & ille ait, etsi homo aliquando sic tentet, hoc agit in quantum minister diaboli.] Sed cum & ipse vtitur nomine officij etiam & abutitur: cum nullum ad malum sit officium, sed supplicium sit aut opprobrium: est enim officium, quasi efficium eius quod quisque debet facere; sed sicut nullus tenetur ad malum, imò potius prohibetur malũ; potest quidem mali exercitium dici, vel studium dici tamen non potest officiũ. Sic ergo non tam potentia diaboli est, quàm impotentia, cum ad malum non tam effectus sit quàm defectus. [Ceterùm ait Tertullianus, absit vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deiicere gestiens. Diaboli est & infirmitas, & malitia.] Nam qui tentationi succumbunt diaboli, nusquam proficiunt, sed semper deficiunt. [Quid est ergo, ait Chrysostomus, Ne fortè tentarit vos is qui tentat? Videsne quòd in tentationibus labare est diabolicum, & eius auersionis? Nam quando nos ipsos non potuerit, aliter per nos labefacit imbecilliores. Tentat autem nesciens an sit prostraturus: nam quòd nesciens nos aggreditur, in Iob ostendit. Deo enim dicebat malignus ille dæmon, Non tu res eius quæ & intus & foris sunt muniisti? Aufer eius facultates, reuera in faciem tibi benedicet. Tentat. Si viderit quid imbecillum, inuadit: si validum, recedit.] Tentat, quia ignorat: deiicit, dum infirmum offendit & inualidum: insolens de infirmitate, potens in iniquitate: ideoque totum tentatoris illius officium in ignorantiâ & malitiâ, id est, in omnimodâ constitutum est impotentiâ.

Officiũ diaboli in ignorantia & malitia positum.

Aquin. 1. p. q. 114. art. 2. in corp.

Tertullian. l. de orat. c. 8.

Chrysost. orat. 4.

Quoad tertium. Non quæruntur in Christiano initia, sed finis: idcircò, qui benè incœpit, & malè absoluit, totum perdidit. [Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causâ? si tamen sine causâ.] Et id tamen metuit, cum addit: [Timeo vos, ne fortè sine causâ laborauerim in vobis.] Sine causâ enim patitur, qui cum spiritu cœperit, carne consummat; qui mittit manum ad aratum, & retrò aspicit: qui ædificium aggreditur, & præ inopiâ deficit: qui bellum aggreditur, & terga vertit: qui pristinum deserit statum, nec ad eum vltra reuertitur. [Propterea, & ego ampliùs non sustinens, misi ad cognoscendum fidem vestram, ne fortè tentauerit vos is qui

Galat. c. 3.

Galat. c. 4.

A tentat, & inanis fiat labor noster.] Nesciebat Apostolus, & idcirco Timotheum mittebat ad cognoscendum: sciebat tamen callidissimum esse diabolum, qui occasionem tentandi vndique desumeret, sed ex afflictionibus ac tribulationibus Apostoli, importuniùs sicut & opportuniùs concuteret. Porrò si impulsioni non resistant, si succumbant tentationi, actum est de salute cum fide nutante, ruat moles ædificij, & infidelitate perstante, seges arescat Euangelij. Inanis ergo labor, non quod is qui laborauit, mercedem perdiderit; sed quod is qui fidem accepit, ad finem non perduxerit. [Nos instruimus sermonibus, (verba sunt Augustini) vos proficite moribus. Spargimus sermonem verbi, fructum reddite fidei. Omnes secundùm vocationem, quâ vocati sumus à Domino, in eius viâ semitaque curramus, nullus retrospiciat. Veritas enim quæ nec falli, nec fallere potest, apertè denuntiat, Nemo ponens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus erit regno cœlorum.] Id est, peribit in finem: nec enim metet etiam quæ seminauerit, nec messem colliget quam sperauerit. [Papè, exclamat Chrysostomus, quanta est Pauli beneuolentia. Non fuerunt ei curæ afflictiones, nec insidiæ, nec pericula: sed discipuli. Vides quòd quemuis patrem exsuperauit naturalem. Nam nos quidem in afflictionibus & periculis, memoriam omnium expellimus. Ipse autem de filiis adeò timebat & tremebat, vt quem consolatorem solum habebat Timotheum, & socium, & adiutorem, eum ad ipsos in ipsis mitteret periculis: & inanis fiat labor. Quare? Nam etsi euersi essent, non tuâ culpâ, non tuâ socordiâ id accidisset. Sed tamen horum quoque omnium inanem fuisse existimo mihi laborem ex multo fraterno amore. Et inanis fiat labor noster.] Nouerat Paulus salua sibi esse sua munera, sed volebat esse filiis suis communia. Quid tantum desudaui, si in vanum laboraui? sed nec cassus erit labor, nec amor frustratus; si aut fortiter dimicaueritis contrà insultus diaboli, aut si ictus eius tam solerter quàm & fideliter aċraueritis.

Augustin. serm 8. de diuers. cap. 2.

Chrysost. orat. 4.

Inanis dicitur labor, cum fructus non redditur.

ANIMADVERSIO QVARTA.

De consolatione Pauli.

TRibulationem admittit Paulus, & consolationem non respuit. Sed trium interest: nimirum de quibus, in quibus, & ex quibus: sine quibus nimirum, aut vanum, aut iniustum est solatium.

Quoad primum. Fausta sunt nuntia, ideo & læta; sed nec fausta nec læta sunt, si non sunt bona; nec bona sunt, si de vero non sunt bono. [Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri bonam habetis semper, desiderantes nos videre, sicut nos quoque vos: ideò consolati sumus, fratres, in vobis.] Bona verba, quia bona nuntia. [Vides, ait Chrysostomus, magnam Pauli lætitiam. Non dixit ἀπαγγείλαντος, id est

Chrysost. orat. 5.

cum renuntiasset, sed εὐηγγελίσατο, id est faustum & felicem nuntium nuntiasset: tantum existimabat bonum illius affirmationem? lætabatur ergo & propter firmam ac stabilem ipsorum charitatem, quòd ea esset signum fidei. Et quòd, inquit, memoriam nostri habetis semper bonam: non quando aderamus, neque quando miracula faciebamus: sed nunc quoque quando procul ab sumus, & flagris cædimur, & mala patimur innumerabilia, memoriam nostri habetis bonam.] Vani sunt mortales, ideò vanis gaudeat; imò nec gaudeat, sed gestiunt, & inter optatas mærent delitias. [Ego hoc ostendam, ait Chrysostomus, & quidem eos ipsos testes citans, quibus præsentibus bonis frui contigit. Nec verò ita perfrictâ fronte erunt, vt aduersùs ea, quæ dicturus sum, niti audeant. Nam & pronubas sæpè dicis omnibus deuouerunt, etiam ipso die quo thalami strati sunt: eosque fœlicitatis nomine prædicarunt, qui vxorem non duxerunt. Quin multi quoque iuuenes, cum ineundi matrimonij potestas esset, non aliam ob causam ab vxore ducendâ abhorruerunt, quàm ob molestias, quas id genus vitæ haberet. Quòd si hi qui matrimonium inierunt, acerbissimam plerumque hanc vitam esse iudicarunt, quid de iis dicemus, qui in prostibulorum voraginem prolapsi sunt, ac captiuo quouis seruilius & miserius sese affecerunt. At honoribus & gloriâ pollere dulce est. Nihil verò hac seruitute acerbius & amarulentius excogitari potest. Nam qui ita affectus est, vt inanis gloriæ cupiditate captus, vel infimis quibuslibet homuncionibus placere studeat, mancipiis quibusuis abiectæ est, atque contemptior. Qui autem eam subpedibus positam, ac protritam habet, nec aliorum de se iudicia laudesque moratur, is verò omnium excelsissimus habendus est. At opes habere præclarum est, & expetendum. Verùm liquet eos in maioribus opibus versari animique iucunditate, qui ab iis immunes sunt, atque omnibus rebus carent. Quocirca si iucundius ac suauius est, inopem esse quàm diuitem, à matrimonio abstinere, quàm matrimonium subire, inanem gloriam aspernari quàm appetere, à deliciis abhorrere quàm deliciis studere; sequitur, vt hi quoque meliore conditione sint, qui se in præsentium rerum amore minimè defixerunt.] Hi verè deliciantur, qui veris lætantur & verè bonis, qui de virtute lætantur, de fide, de charitate Cetera non sunt tanti, vt audita, vel etiam visa, animum tangant Christianum, & lætitiâ afficiant aut mæstitiâ.

Chrysost. in Mor. Hom. 1. in 1. ad Cor.

Illi soli verè lætantur, qui veris delectantur.

Quoad secundum. Parùm fit de solâ fide, de solâ charitate solatium accipere: quid verò etiam de pressurâ, etiam de angertiâ gaudium desumere? [Consolati sumus in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostrâ.] Amabat Paulùm Seneca, quem putabat suum, aut à suis non longè alienum. [Triplex, ait ille, bonorum conditio est: Quædam, prima bona sunt: tamquam gaudium, pax, salus patriæ. Quædam secunda, in materiâ infelici expressa: tamquam tormentorum patientia, & in morbo graui temperantia. Illa bona directò optamus nobis; hæc, si necesse erit. Sunt adhuc tertia: tamquam modestus incessus, ac probus vultus, & conueniens prudenti viro gestus.] Sed vanè sibi applaudunt Stoïci: qui enim Christum nesciunt crucifixum; sicut virtutem non capiunt crucis, ita nec tribulationis suauitatem comprehendunt. [Cur nos, ait Ambrosius, pro illa non etiam dura & acerba toleremus, qui pro nobis tam indigna suscepit? Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis, sed etiam in ærumnis beatus manet. Neque enim aduersa corporis vitæ beatæ munus imminuunt, neque de eius suitate aliquid delibant; quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientiâ purâ ab omni labe peccati, & in eius mente qui cognoscit quia quod bonum est, delectat, etiamsi asperum sit: quod autem indecorum etiamsi suaue, non mulcet. Habet ergo in se remunerationem suam qui sequitur Iesum, & in suo affectu præmium, & gratiam, si dura sustineat: beatus enim est suis moribus, beatus ipsis periculis, sicut Dominus definiuit, dicens, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Est ergo beata vita in hominibus, sed in his scilicet in quibus fuerit perfecta vita.] Beati illi qui perfecti: sed sicut duplex perfectio est viæ vna, altera patriæ; sic & duplex beatitudo, quarum vna est conformari patienti Christo; altera, configurari Christo regnanti quantum enim patitur pro Christo, tantum cum Christo glorificabitur. [Ita vir probus, (verba sunt Chrysostomi) tametsi innumeris tormentis excrucietur, habet tamen spem lætam, cuius adminiculo nititur ac leuatur: improbus contrà, etiamsi innumeris voluptatibus fruatur, inest tamen in eius animo futuri supplicij metus, voluptatem ipsius interpellans atque perturbans. Nam ne hic quidem supplicij modos paruus est: quemadmodum nec contrarius, hoc est voluptatis & oblectationis.] Tanto plus enim quis sperat, quanto tolerat constantiùs. Idcirco Paulus in omni pressurâ, in omni angustiâ, animum solatur suum, in persecutionibus lætatur & tribulationibus: exultat, gaudiumque delibat sibi repositum.

Sen. epist. 66.

Ambros. lib. 1 de vit. beat. cap. 7.

In tantum beatus homo in quantum perfectus.

Chrys. in Mor. Hom. 9. in 1. ad Corinth.

Quoad tertium. Donum Dei est, de quo lætatur Apostolus: imò & gaudium Dei est, quo lætatur Apostolus: idcircò gratias agit, & dignum Deo rependit laudis sacrificium. [Quoniam nunc viuimus, si vos statis in Domino. Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum.] Et illorum statum tangit, & quod inde concipit gaudium. [Tantum diligo statum vestrum, (ait apud Aquinatem) quòd reputa me per ipsum videre: inde enim omne gaudium, quod omninò non est exterius: sed quo gaudemus propter vos: in conscientiâ, Antè Dominum, qui videt eam.] Viuitis, si in fide persistitis & charitate: at viuo ego, vnde viuitis: bonum enim vestrum, non tantùm meum est gaudium, sed & vita mea: inde enim viuo, vnde gaudeo: sed cum tam gaudium meum, quam bonum vestrum, à Deo sit, vt-

Aquin. lect. 1.

Chrysost. orat. 4. pote spiritale vtrumque; quis gratias agere possit, tantis congruas beneficiis? [Non solùm, inquit, fuistis nobis vitæ auctores & causæ, sed etiam multi gaudij, & tanti, vt ne possimus quidem, vt par est, Deo gratias agere. Quod nos rectè gessimus, Dei, inquit, donum esse existimamus. Nos talibus affecistis beneficiis, vt existimemus ea esse Dei, vel potius etiam esse Dei:] Ita gratus animus, qui se tam accipiendo inopem, quàm reddendo sentit imparem, gratiarum actionem non solùm agit, sed & agere ac rependere non desinit. [Alleluia quotidie dicimus, (verba sunt Augustini) & quotidie delectamur. Nostis enim quod Alleluia Latinè dicitur, Laudate Deum: & in hoc verbo consonantes ore, & consentientes corde, exhortamur nos inuicem ad laudandum Deum. Et in hoc quidem tempore peregrinationis nostræ ad solatium viatici dicimus alleluia: modò nobis alleluia canticum est viatoris. Tendimus autem per viam laboriosam ad quietam patriam: vbi retractis actionibus omnibus, non remanebit nisi alleluia. Claritatem suam nobis dabit Deus, quâ fruamur. Auare, quid quærebas accipere? Quid quærit à Deo, cui non sufficit Deus? Sed quando dicitur, quia Deum habebimus, & ipso solo contenti erimus; immò ipso solo sic delectabimur, vt nihil aliud requiramus: quando dicitur quia cetera subtrahuntur, & solus Deus erit quo delectemur; quasi angustatur anima, quæ consueuit multis delectari: & dicit sibi anima carnalis: Quid mihi erit vbi non manducabo, vbi non bibam. Quale mihi gaudium? Hoc gaudium tuum de ægritudine est, non de sanitate. Sed cum multa sint ægrotantium desideria, quæ vera sanitas tollit: quomodo illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit immortalitas: quia sanitas nostra, immortalitas est. Pleni erimus Deo, sed Deo nostro: & omnia quæ hic pro magno desideramus, nobis erit pro magno.] Ipsum vnicè amabimus, vnicè laudabimus & semper laudabimus, quia semper amabimus.

Augustin ser. 1. de diuer. c. 7. & 8.

In æternum laudabimus Deum, quia in æternum amabimus.

ANIMADVERSIO QVINTA.

De perfectione fidei.

Nihil modicè desiderat Apostolus, quia nihil modicum procurat Thessalonicensibus. [Nocte ac die abundantiùs orantes, vt videamus faciem vestram, & compleamus quæ desunt fidei vestræ.] Seu, vt habet textus Ambrosianus: [Et suppleamus ea quæ desunt fidei vestræ.] Verbum enim Græcum καταρτίσαι variè sonat, tamque supplere significat, quàm complere: est enim καταρτίζειν, instaurare, aptare, perficere. Fides Thessalonicensium adhuc imperfecta erat, vtpote nouella, nondum adulta, idcircò complenda erat, supplenda, perficienda. Optat ergo vehementissimè, & inde orat ardentissimè. [Gaudemus propter vos coràm Deo nostro: (ita textus Ambros.) noctu dieque abundantissimè orantes. [Non solùm assiduè, sed & feruentissimè: non enim tam vt videat faciem, quàm vt fidem excolat. [Orabat, ait Athanas. horum vt liceret conspectu frui. Non sanè minori cupiditate, quàm solet agricola, cum audit, quem optimè coluerit agrum, fructus vberrimos protulisse, & reuisere eundem, & oculis perlustrare mox cupiat.] Nempe, vt quod feliciter cœpit, fœliciùs proficiat: & quod abundanter tulit, abundantiùs vberiusque proferat. Boni nouitij nondum perfecti Dei serui: multum profeceant ex eo quod audierant, sed nondum totum acceperant, Imò multa adhuc deerant fidei: idcircò nondum perfecta, imò multum imperfecta. [Perfectum enim, (vt annuit Aquinas) dicitur quasi totaliter factum.] Et, vt ipse resoluit. [Perfectum dicitur, cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis. Vult ergo Paulus ea quæ desunt supplere, vult complere, fidemque adducere ad perfectionem. Sed quomodo? Potest fides perfici triplici modo: primo, ad litteram: altero, iuxta tropologiam: vltimo, secundùm anagogiam.

Textus Ambros.

Qui nihil modicum optat, nihil etiam modicè postulat.

Athanas. in Paulum.

Aquin 1. p. q. 4. art. in fin. corp.

Primus ergo litteralis est, vt simpliciter seu litteraliter id dicatur compleri seu suppleri, quod complementum sortiatur suum, quòd ea quæ ad integritatem deerant, quæ totalitatem demebant, consequatur. Vult ergo complere quæ desunt, id est, ea quæ nondum audierunt, addere. Iam enim imbuti erant, sed non plenè; iam edocti, sed non integrè: non enim potuerat Apostolus pro angustiâ temporis ac persecutionis vehementiâ, omnia effundere, sed stillatim rigabat, iudicabatque melius & vtilius esse doctrinam ex ordine tradere, quàm profusè eam profundere. Inde remanserant nonnulla fidei capita, quæ erant supplenda: quamuis enim fidei verbum auide suscepissent, & inde fructus vberrimos retulissent copiosissimosque: non tamen totam & integram imbiberant doctrinam, & ideò complemento indigebant, seu supplemento. Quid enim? [Si nunc viuis, (ita Chrysostomus ad Paulum) quoniam stant, & Timotheus tibi annuntiauit ipsorum fidem & charitatem, & tantâ es plenus læstitiâ, vt ne possis quidem, vt par est, Deo agere gratias, quomodo hîc dicis esse fidei defectus? An non sunt illa verba adulationis? Nequaquam, absit. Nam priùs testatus est eos multos sustinuisse labores, & non peius esse affectos quàm Ecclesiæ Christi in Iudeâ: Quid ergo es? Non omnem perceperant doctrinam: neque didicerant quæcumque oportuit discere: & hoc significat in fine.] Eos quippe instruit de resurrectione, quam adhuc ignorabant. [Nolumus autem vos ignorare de dormientibus.] Imò & in secundâ epistolâ, nonnulla suggerit quæ nondum sciebant: nondum enim pleni erant omni scientiâ, idcircò fides illorum supplenda. Ita Apollo, de quo in Actibus. [Hic erat edoctus viam Domini: & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantùm baptisma Ioannis. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.] Sicut enim fides augmentum recipit, sic & complementum, & sicut admittit accessionem, sic & perfectionem.

Chrysost. orat. 4.

Act. cap. 18.

Aquin. 2. 2. q. 1. art. 7. ad 3. [In manifestatione quippe fidei, (vti docet Aquinas) Deus est sicut agens, qui habet perfectam, scientiam ab æterno, homo autem est sicut materia, recipiens influxum Dei agentis: & ideò oportuit quòd ab imperfectis ad imperfectum procederet cognitio fidei in hominibus.] Paulatim crescit fides, & ad eũ procedit terminum, cui nihil aut parum desit. Perfectum enim est, vt dixit Chrysostomus, cui parum quid deest: hoc enim perficitur.] Sic ergo supplenda, sic & complenda fides Thessalonicensium, vt ad perfectionem accederet, nihil aut parùm illi deesset, talis enim fidei perfectio est, qualem ferre potest hominis adhuc imperfecti conditio.

Chrysost. orat. 4.

Secundus moralis est, vt dicatur illud suppleri seu compleri, quod confirmatur, magis magisque radicatur. [Nam actus fidei, (vt Aquinas concludit) procedit & ex intellectu, & ex voluntate. Potest ergo fides in aliquo dici maior: vno modo ex parte intellectûs, propter maiorem certitudinem & firmitatem: alio modo, ex parte voluntatis propter maiorem, promptitudinem, seu deuotionem, vel confidentiam.] Vtrumque supplementum est seu complementum, sed intensionis non extensionis: non ad ampliorem fidei dilatationem, sed ad maiorem animi participationem illud enim obiecti est, istud subiecti. Eo sensu [Dixerunt Apostoli Domino, Adauge nobis fidem] Quodnã illud augmentũ seu supplementũ? Virtutis nimirum seu firmitatis. [Dominus enim, (vt obseruant Patres apud Aquinatem) ostendit eis quòd benè peterent, & credere deberent constanter, ostendens eis quòd fides multa possit: vnde sequitur; Dixit autem Dominus, Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis huic arbori Moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis. Deo magna concurrunt in idem, transpositio radicati in terrâ, & plantatio in mari: quid enim in vndis plantatur? per quæ duo virtutem fidei manifestat. Et ideò mentionem facit synapis, quia eius granum, etsi sit paruum quantitate, est tamen potestate virtuosius omnibus. Insinuat igitur quòd minimum suæ fidei magna potest.] Phrasis est Hebraica: [Omne gaudium.] Pro perfecto gaudio. [Omnis fides.] Pro verâ fide ac perfectâ. Verùm perfectio eius non est quantitatis, sed virtutis: non enim quæritur quantum quis credat, sed quàm firmiter, quàm fiducialiter non quàm multum, sed quàm benè: aliud est enim nosse mysteria omnia, aliter omnem habere certitudinem: fieri enim potest, vt quis habeat omnem scientiam fidei, nec fide tamen polleat plurimum: & alius sit adhuc in rudimentis fidei, & possit plurimum, si constanter credat, si totâ mente, si toto corde. Ita Christus: [Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.] Non enim agitur de multitudine credibiliũ, sed de firmitate credentium. Vnde, [Continuò, exclamans pater pueri cum lachrimis aiebat; Credo Domine adiuua incredulitatem meam.] Credebat, sed nondum perfectè, ideircò rogabat, vt qui cœperat compleret, & suppleret quod deerat. Iam ergo miserat Timotheum Apostolus, vt

Aquin. 1. 2. q. 1. art. 4. in fin. corp.

Luc. cap. 17.

Aquin. j in Caten.

Virtus fidei non in multitudine credibilium sed infirmitate credentium.

Marc. cap

A Thessalonicenses roboraret confirmaretque: sed & ipse optabat adesse, vt stabiliores redderet firmioresque, vt fidem quam plantauerat radicaret, vt virtutem adderet, ad perfectionem perduceret.

Tertius spiritualis est, vt intelligatur compleri seu suppleri, quod meliorem perfectioremque sortitur formam, & ad altiorem prouehitur intelligentiam. [Quoniam enim ait Ambros. prouexerant se Thessalonicenses perseuerantia fidei, & actu vitæ melioris, magis ac magis Paulus cupit eos videre, vt ea quæ ad perfectionem illorum pertinent, edificant, sacramenta scilicet rerum spiritualium, quæ facile publicari non debent; vt scirent, quis & quàm immensus est quem iudicem sperabant. B Aliud est enim fidem accipere, & aliud expositionem fidei. Alia enim disputatio est de naturâ Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, & alia de personis. Pater ingenitus est, filius verò genitus: quantum ad personas pertinet, diuersum videtur, cum sit indiuidua vnitas naturæ: vnitas enim non in personâ est, sed in substantiâ. Spiritus autem sanctus non degener putetur, quia tertius ponitur.] Quid ergo vult complere Apostolus, seu supplere? [Aliqua secreta, ait Aquinas, quæ necdum eis prædicauit in suâ nouitate.] Licet enim omnia doctrinæ sacræ dogmata, arcana sint, vtpote fidei mysteria nonnulla tamẽ secretiora sunt, quæ mentem altius prouehunt, quæ communem excedunt C capacitatem; idcircò non passim tradenda omnibus, sed solis proficientibus, virisque spiritalibus: non enim sunt de necessitate fidei, sed de sublimitate: nec tam salutis sunt, quam perfectionis nec profectus solùm, sed & excessus: nec enim tam expositionis est quàm ecstasis. [In hac ecstasi, ait Augustinus fuerunt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia reuelata sunt. De hoc mentis excessu, id est, ecstasi, Paulus cum loqueretur, seipsum insinuans ait, Siue enim mente excessimus Deo, siue temperantes sumus vobis: charitas enim Christi compellit nos. Hoc est, si ea tantùm agere vellemus, & ea tantùm compleri, D quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus: sed essemus in supernis tanquam contemptis vobis. Et quando nos ad illa superiora & interiora infirmo passu sequeremini, nisi rursus compellente nos charitate Christi, Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, nos consideraremus esse seruos, & non ingrati ei à quo accepimus altiora, propter eos qui infirmi sunt non contemneremus inferiora, & temperaremus nos eis qui non possunt nobiscum videre E sublimia? Hoc ergo ait, siue mente excessimus Deo, Ille enim videt quid nos videmus, qui ferri hominem in mentis excessum concedit, ille solus reuelat secreta sua. Quippe ille hoc loquitur qui se dicit raptum esse & ablatum in tertium cœlum, & audiuisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Tantus autem fuit ille mentis excessus, vt diceret, Siue in corpore, siue extrà corpus, nescio: Deus scit.] Tradebat igitur Apostolus

Ambrof. in Paulum.

Aquin. lect 1.

Augustin con... i ... 30. post. init.

Aliquis fidei profectus, qui & excessus est.

omnia omnibus; quæ ad fidem salutemque erant necessaria: sed sublimiora fidei mysteria spiritalibus committebat: ideoque supplebat complebatque ea quæ dederant fidei, cum eos qui spiritales erant & perfecti viri, ad perfectiorem fidei prouehebat statum, altioremque detegebat ipsis intellectum mysterij.

ANIMADVERSIO SEXTA.

De precatione Apostoli.

IN precatione tria maximè spectanda sunt. Primum est, à quo petas: alterum, quid petas: tertium, quomodo petas: & hæc omnia tribus verbis à Paulo demonstrata sunt.

De primo. Ille quem rogamus, duas debet habere conditiones: prima est, vt possit dare quod rogamus: altera, quod velit, si rogamus: si enim non possit, aut si possit, non tamen velit, frustra rogamus. [Misericordia Domini, ait Augustinus, nec Apostolos despexit incredulos: sed arguit, nutriuit, perfecit, coronauit. Nam & ipsi, memores infirmitatis suæ, quondam loco in Euangelio sicut legimus, dixerunt ei, Domine auge nobis fidem. Prima vtilitas erat scientia, scire quod minus habebant: maior felicitas, scire vnde petebant. Domine, inquiunt, auge nobis fidem. Videte si non corda sua quasi ad fontem portabant, & vt eis vnde implerent, aperiretur, pulsabant. Pulsare ad se voluit, non vt repelleret pulsantes, sed vt exerceret desiderantes. Putatis enim nescire Deum quid vobis necessarium sit. Scit præueniens desideria nostra, qui nouit inopiam nostram. Denique cum doceret orationem, & moneret discipulos suos, ne in oratione multiloqui essent, Nolite, inquit multiloqui esse: nouit enim pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo] Debet ergo ille qui petit scire indigentiam suam: nemo enim petit quod iam habet, aut quo non indiget, vel quod habere præsumit. Qui autem indiget, petere debet ab eo, quem credit & summam habere potestatem, & bonam voluntatem: quomodo enim inuocabit, si non crediderit? Sed quis Deo ad succurrendum potentior? Quis patre ad concedendum pronior? Idcircò cum oramus, dicimus, Pater noster qui es in cœlis. [Captat namque oraturus, ait Augustinus, pietatem appellans in patre: si enim Pater est, amat filios, & pietate mouetur vt exaudiat clamantes ad se: præstat quod petitur, Pater in cœlis: pius & altus: diligens & potens. Duo ergo sunt: quod possit: & quod non possit ille qui habitat in cœlis, & inde regit omnia, gubernat ac dispensat? Quod velit: & quid non velit ille, qui cum sit Deus & omnium Dominus, voluit dici pater, vt acueret fiduciam & gratiam promitteret? Sic ergo Paulus precem facturus: [Ipse autem Deus,] Quid illo potentius? [Et pater noster.] Quid illo benignius? [Deus.] Nihil non dare potest. [Pater.] Nihil non vult concedere. [Si filius es, ait ille, & patrem petis, confide, ne timeas; Deus audit, Pater exaudit. Sicut non potest non audire, quia Deus est, sic non potest non exaudire quia pius est.] Ipse autem Deus. Magnus quidem, sed timendus. Ipse idem [Et pater noster.] Accedendum est, confidendumque: cum maximus possit, & velit optimus.

Augustin ser 34. ex nouis post. init.

Non petit qui habet nec ab eo petit qui non habet.

Augustin. Tract. de sept. vlt. cir. med.

Augustin. Hom 11. de diuers. init.

De secundo. Deum habemus in patrem, Sed quid ab illo petemus? Duo sunt in Deo, potestas quâ nos regit, charitas quâ nos diligit. Quid ergo miseri mortales, nec minus cœci quàm infelices? Petunt potestatem, & negligunt charitatem: id est, nihil petunt, dum quod melius est, atque excellentius negligunt. [Discipuli Domini, ait Augustinus, adhuc sub lege mundi, adhuc corrigendi, adhuc dirigendi: contendebant, Quis esset eorum maior, & adhuc in terrâ constituto Domino, principatûs dissensione fluctuabant. Hoc vnde, nisi ex fermento vetere? Enim verò cupiebant, fastigium quærebant, quis major esset, cogitabant. Meritò ergo, & quando redierunt, & dixerunt, Domine, ecce dæmonia subiecta sunt nobis in nomine tuo, gaudebant de nihilo, quantum erat, quid erat, ad illud quod Deus promittebat. Dominus ergo magister bonus, sedans tumorem, ædificans firmitatem, ait illis, Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subiecta sunt. Quare hoc? quia multi venient in nomine meo, dicentes, Ecce in nomine tuo dæmonia eiecimus, & dicam eis, Non noui vos. Nolite in hoc gaudere: sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis: adhuc ibi esse non potestis, & tamen iam ibi scripti estis. Et illud, Adhuc nihil petistis in nomine meo. Quod enim petistis, ad quod volo dare, nihil est. Quid enim petistis in nomine meo? vt dæmonia vobis subiecta essent? In hoc gaudere nolite, hoc est, nihil est quod petistis; si enim aliud esset, gaudere iuberet. Ergo non omnino nihil erat, sed quia ad illam magnitudinem præmiorum Dei exiguum erat. Non enim verè Paulus Apostolus non erat aliquid, & tamen in comparatione Dei, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat. Alius sanitatem, si ægrotat: alius liberationem petit, si in carcere constitutus est: alius pactum rogat, si in naui turbatur: alius victoriam rogat; si cum hoste confligit; & in nomine Christi totum rogat, & nihil est quod rogat.] Audiuimus Christum, Paulum audiamus eius Apostolum. [Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat charitatem in inuicem & in omnes. Ad confirmanda corda vestra sine querelâ in sanctitate.] Petit à Deo & Patre: sed quid petit. Nihil petit, nisi quod appetit Idcircò non petit Dei potestatem, sed ipsam charitatem patris & solam: quia si vel solam habuerit, non habebit solam: & si non habuerit, nihil habebit, etsi habuerit omnimodam potestatem. [Quanta est ista charitas, ait ille, quæ si defuerit, nihil prosunt omnia. Compara eam non fidei tuæ, non scientiæ tuæ, non linguæ tuæ: minoribus rebus, oculo corporis tui, manui, pedi, alicui membro compara charitatem, nunquid ex

Augustin. Hom 1. de diuers. vers. fin.

Homines potestatis cupidiores quàm charitatis.

Augustin. eadē Hom. circa med.

aliquâ parte isti minima charitati sunt comparanda? Ergo oculum à Deo habes: & charitatem à te habes? Si charitatem, quæ superat omnia, tu ibi dedisti: vilcem tibi Deum fecisti: quid tibi plus potest dare Deus? Quicquid dederit? minus est. Quis mihi, quis tibi dedit? Deus. Agnosce datorem, ne sentias damnatorem. Credendo de scripturis, Deus dedit tibi charitatem, magnum, charitatem omnia superantem.] Hoc est ergo, quod à Deo petendum est, hoc quod precandum est; vt nobis copiam non suæ faciat potestatis, sed suæ charitatis, magis magisque faciat; nec ad sufficientiam duntaxat, sed & ad abundantiam: nec præstet tantùm, sed & multiplicet: eo enim quis magis confirmabitur in sanctitate, quo magis charitate cumulabitur.

De tertio. Nihil omittit Apostolus: præit enim ipse, & exemplo suo nos precando instruit. Bonum petiit à Deo, quod verè bonum, & à solo Deo concedendum: sed nouit modum obstinendo esse maximè necessarium, nec tam quid, quàm quomodo à Deo & Patre nostro petatur, attendendum. Ante Deum & patrem nostrum.] Quasi in oculis Dei, omnia spectantis, omnia librantis ponderantisque: nec tam vocis sonum, quàm cordis affectum; non tam granditatem loquelæ, quàm puritatem examinantis conscientiæ. [Dicit coràm Deo: ait Chrysostomus: ipsa enim virtus & pura & sincera.] Cum oramus, non solùm coràm patre ad stamus, sed & coràm iudice: vt sciamus vota nostra, recipi quidem, sedet expendi. [Scriptum est enim: (ita Augustinus.) Si enim vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum

Chrysost. orat. 4.

bonum timentibus se. Ergo spiritum dabit
A pater cœlestis filiis suis petentibus se. Qui enim filij sunt, non aliud quærunt: qui aliud quærunt, mercenarij sunt, serui non filij. Qui argentum quærunt, qui aurum quærunt, qui transitoria quærunt, qui terrena quærunt, qui quærunt ministerium seruitutis non spiritum libertatis, quod quæritur, datur: Si quæris corporalia, non plus quàm quæris accepis: si quæris spiritalia, quod quæris datur, & quod non quæris adiicitur; spiritalia dantur, corporalia adiciuntur; Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Igitur Patrem rogaturus, & Patrem qui in cœlis est, & cœlestia dona quære, non terrena; non substantiam corporalem, sed tiam spiritalem: dabit enim spiritum grabonum petentibus se, dabit spiritum bonum,
B dabit spiritum suum.] Vide ergo & attende, quem roges, quem inuoces. Patrem quidem, sed cœlestem: ideò cœlestia petenda sunt, non terrena. Patrem, inquam, cœlestem. Nam, vt & ille ait: [Deus semper est paratus dare lucem suam, sed non semper parati sumus accipere.] Lucem vbique fundit, sed iustè distribuit. Patrem denique cœlestem, qui non tam auditur vocis, quàm cordis inspector. [Cordis auditor est, ait Tertullianus, sicut conspector.] De cœlo prospectat, nec tam considerat quid petas, quàm quomodo, quo animo, quo consilio. In conspectu illius oras, qui cordis non solùm inspector, sed & scrutator, qui non solùm introspicit, sed & dispicit; qui arcana peruadit, & munera sua non tantum & misericordiâ concedit, sed & iustitiâ.


Augustin. Hom. 12. ex diuers. à lim.

A patre cœlesti petenda sunt cœlestia.

Augustin. l. 1 de ser. Do. in mo. c. 1.

Tertullian. l. de orat. 13.





CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

PArs duplex huiusce capitis: vna parænetica, dogmatica altera: illa de sanctificatione, ista de resurrectione, Sit ergo.

PARS PRIMA.

De sanctificatione.

TEXTVS.

DE cetero ergo, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm vos suum possidere in sanctificatione, & honore; non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum: & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersâ Macedoniâ. Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis: & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis.

EXEGESIS LITTERALIS.

HOnorem corporum commendat, & amorem fraternum: inuitat ad honestum laborem, quo sic vita transigatur, vt abigatur concupiscentia.

[De cetero ergo, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis, &c.] Gratulatus sum de constantiâ vestrâ, lætatusque: quod superest precor adhortorque per Dominum Iesum, vt A quemadmodum audiistis à nobis, quomodo conuersari oporteat, Deumque promereri; sic & conuersemini, ac Deum magis magisque promereamini. [Hoc est ait Ambros. Comment. quod suprà dixit, quia ad cumulandum gaudium suum, crescere illos vult in bonis operibus secundùm mandata Apostolica.] Inde Sequitur. [Scitis enim quæ precepta dederim vobis per Dominum Iesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore, &c.] Meministis enim, aut memorare potestis, quid tradiderim vobis, quid & præ- Comment. Ambros.

cepetim; imò non ego : sed Dominus . hoc enim præceptum Dei est, placitumque, vt sitis sancti ac mundi, vt puri sitis ab omni immunditiâ ac maculâ carnali : sicque studeat quisque sanctitati seu castitati, vt vas suum in sanctificatione & honore possideat :ne immūditia , ne contumelia præualeat. [Hoc est continentia. (ait Athanas.) Hanc enim vbique & meminit & tutandam iniungit Apostolus. Et quippe violentum incontinentiæ vitium , eoque & curandum enixiùs medelis quibusdam, & frequentioribus quidem & variis.] Scientia ista est ac disciplina. [Non in passione desiderij , sicut & Gentes quæ ignorant Deum : & ne quis supergrediatur , neque circumueniat in negotio fratrem suum : quoniam vindex est Dominus de his omnibus , sicut prædiximus vobis , & testificati sumus, &c.] Ne quis succumbat seruiat-ue passionibus ignominiæ , sicut & Gentes , quia nesciunt , Deum impuritatis omnis dispectorem ac vindicem : & ne quis in isto carnalis voluptatis commercio , alienum inuadat thorum , proximum-ve infandâ fallat iniuriâ:nam horum omnium Christus Dominus non solùm iudex , sed & vindex: sicut, cum essemus apud vos non semel denuntiauimus , sed & contestando protestandoque inculcauimus. [Non enim vocauit nos Deus in immunditiam , sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum:qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis , &c.] Non enim nos fecit Deus Christianos vt immūditiam sectaremur, sed vt profiteremur sanctimoniam. Hæc lex religionis , professio sanctificationis. Quocirca , qui hæc spernit , non tam hominem spernit dicentem , quàm Deum præcipientem : qui etiam in baptismo nos mundauit , & Spiritu suæ nos sanctificauit.

Athanas. in Paulum.

Ius violat, qui alienū inuolat coniugium.

[De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis : ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem, &c.] Huc-usque de honore corporum : nunc de amore fratrum : & quidem de primo vberiùs admonendi erant , ac seueriùs absterrendi : de isto verò , laudandi potius , quàm obiurgandi. De fraternâ igitur charitate, Græcè φιλαδελφίας, non habetis necesse scribi vobis:à Deo quippe edocti estis , vt inuicem diligatis : sicque instructi, vt & id faciatis.[Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersâ Macedoniâ, &c.] Inde probo quod à Deo edocti sitis,quia per vniuersam Macedoniam , erga omnes fratres multiplicia pietatis ac charitatis exercetis opera. Textus Ambrosian. [De affectione autem , fraternitatis , &c.] Et ille : [Etiam hoc cum facere illos laudat , commonet tamen vt propensius id agant. Quos enim ab ipso Deo datos dicit , promptiores esse debere in fraternâ dilectione significat.] Digni sint tanto magistro discipuli. [Rogamus autem vos fratres , vt abundetis magis.] Sequitur ex dictis : etsi enim increpandi non sint , sint tamen adhortandi , vt in charitate fraternâ magis magisque proficiant , ne vnquam humanâ deficiant infirmitate : qui enim diuinæ respondent gratiæ charitatem subindè adaugent sanctitatemque. [Et operam detis vt quieti sitis ,

Ambros. in Paulum.

A & vt vestrum negotium agatis , &c.] Studete quieti ac tranquillitati, vestra curate , non aliena explorate negotia. [Sed nunquid , ait Aquinas , non alienum negotium agendum est ? Omnia possunt inordinatè fieri , si fiant præter ordinem rationis.] Multi enim improbè & importunè alienis sese immiscent negotiis, nec tam charitatem Christianam exercent , quàm curiositatem ingenitam : ipsi inquieti semper nedum solliciti , qui omnia scire volunt & agere , & ad omnia nihilominus onere positis noti sunt quàm opere , non enim tam expediunt , quàm impediunt. [Et operemini manibus vestris : & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt : & nullius aliquid desideretis] Multam malitiam docuit otiositas : sicut & multam molestiam genuit curiositas : sed curiosi illi , quia otiosi. Idcircò , [Operemini propriis manibus vestris.] Vt habetur ex Græco. Sic enim præcepimus , cum essemus apud vos : ne dum desides estis incertisque , & dedecori apud ethnicos sitis , & apud Christianos oneri : laboret ergo quisque, vt nihil de alieno desideret , vt habeat vnde de suo viuat.

Aquin lect. 1.

B

Multi curiosi sunt quia sunt otiosi.

C

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

De vase , ac labore quæstio est : quid nempe illud , & quomodo possidendum ? Quomodo præceptum sit Christianis laborare, & hoc manibus propriis ?

DISQVISITIO PRIMA. *De vase.*

D VAs , Græcè σκεῦος , nomen polysemum est : tamen , vt plurimum pro receptaculo , seu instrumento ad aliquid capiendum , & continendum vel infundendum idoneo. Inde Vlpiano teste, vasa dicimus vinalia & naualia : inde & vasa iræ legimus & misericordiæ , ignominiæ subiecta aut gloriæ. [Quomodo potest quisquam intrare , in domum fortis , & vasa eius diripere , nisi priùs alligauerit fortem , & sic domum eius diripiat ? Id est , (vt exponit Augustinus) In domo diaboli , & vasa diaboli quomodo ab illo possent erui , quæ præualente iniquitate fortiter obtinebat , nisi alligaretur iustitiæ meæ vinculis, & vasa eius eriperem quæ fuerant vasa iræ , & ea facerem vasa misericordiæ ?] Potest ergo per vos intelligi

Augustin. serm. vide verb. Dom. cap. 1.

E apud Paulum , corpus muliebre , quod patiendo , seu recipiendo natum. Sic enim & apud Petrum. [Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam : quasi infirmiori vasculo muliebri impertinentes honorem.] Græcè σκεύει. Quibus præcipit viros non solùm familiariter , sed & prudenter , cum vxoribus suis conuersari , iisque temperanter vti , non insolenter , [Penes sanctos , ait Tertullianus, officia sexûs, cum honore ipsius necessitatis , tamquam sub oculis Dei modestè & moderate transiguntur.] Quoties agit vir aduersùs feminam , eam confundit, cum deiicit , dum subiicit , dum patente turpitudine

1. Pet. c. 3.

Tertullian. l. 2. ad vxo. cap. 3.

pitudine afficit dedecore.[Etiam illa quam septem fratribus per successionem nupsisse volunt, neminem tot maritorum resurrectionis die offendet, nec quisquam illam confusurus expectat.] Id est, illam humiliaturus, ignominiam eius, actu pudendo, quamuis licito detecturus. Vult ergo Petrus pudori parci; feminamque non ad voluptatem cognosci, sed ad necessitatem. [Cernis, ait Hieronymus, quale coniugium inter viuos vxoresque præcipiat? Cohabitantes iuxtà scientiam, vt nouerint quid velit, quid desiperet Deus, vt tribuant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos à coitu, honorem tribuimus honoribus: si non abstinemus, perspicuum est, honorem contrariam esse contumeliam.] Parce vasculo vt infirmo, modestiam adhibe ac continentiam. Scit ergo vir & apud Paulum vas suum possidere in sanctificatione & honore, cum nouit vxori parcere, & nullam, voluptatis ergo, sed solius prolis, inferre contumeliam. [Vbi ratio, vt loquitur Augustinus, prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis.] Nam, vt & olim dictum est.[Vxor, nomen honestatis; non voluptatis.]

Tertullian. l. 1. ad vxo. c. 1.

Hieron. l. 1. adu. Iouin. post init.

Reuerentiā vir conciliat vxori, dum seruat continentiam.

Augustin. l. 1 de nupt. & c. n. c. 8.

Melius dici potest ipsum corpus humanum, seu virile, forsan & muliebre, maximè verò membrum ipsum naturale, carnalis voluptatis organū. Plane. [Facio quod mœchi non solent; salua vasa domum refero.] Sæpè enim virilia mœchis amputata. Inde Vasatus, mutoniatus. Lampridius in Heliogabalo. [Romæ nihil aliud egit, nisi vt emissarios haberet, qui ei benè vasatos perquirerent.] Sed iam ad nostra: [Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos abheri & nudiustertius, quando egrediabamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.] Id est, munda; nec inquinata muliere, nec fœdata libidine. Sunt enim ipsa vasa, instrumenta, coniugali actui ministrantia, seu carnali vsui dedicata. Dixi, Melius: triplicem ob rationem. Prima est, quia Paulus præceptum instituit non solùm pro coniugatis, sed & pro solutis & liberis. [Vt sciat vnusquisque vestrûm.] Agit enim de quacumque sanctificatione quæ carnali opponitur pollutioni: de castitate quæ per omnem actum libidinosum, siue in matrimonio, siue extra matrimonium, siue in proprio corpore, siue in alieno, siue per vsum naturalem, siue per eum qui est contra naturam, siue propatulâ venere, siue furtiuâ corrumpitur. Altera, quod non memoret corpus alienum, sed proprium nominet. [Sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere.] Quamuis enim mulier non habeat potestatem sui corporis, sed vir, & vir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier: potest tamen & vir sine muliere, & mulier sine viro pollui, dum vterque potest vase proprio contra rationem vti & ordinem. Commendat igitur vnicuique quod suum est, idcircò & studium indigitat & habitum. [Vt sciat. (inquit Chrysostomus) Res est ergo disciplinæ, atque adeo magnæ, ne lasciuiamus & demus operam libidini.] Tertia, pudenda opponi & honoranda, ideoque vt pudori non sint aut dedecori, honori consecranda. [Quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantio-

1. Reg. c. 21.

Chrysost. orat. 5.

1. Cor. c. 12.

A rem circumdamus; & quæ inhonesta, sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.] Pudenda sunt illa membra, vtpote pollutionis omnis, obscœnitatis, & voluptuosi dedecoris organa: sed honoranda sunt: honorantur autem dum sanctificantur: denique sanctificantur, dum non mancipantur voluptati, dum sanctitati seu castitati vindicantur. [Continentes enim cum sumus, corpusque nostrum hoc & tersius & mundum seruamus, in sanctificatione dicimur possidere. Sin verò immundum & sordidatum, à peccato id ipsum comprehenditur. Quod verò fuert à peccato comprehensum, in peccati seruitutem deducitur. Tunc verò id corpus in honore habetur, cum continens se & purum præstiterit: sed continentiam huiusmodi ait per exercitationem & consuetudinem comparari.] Ita Athanasius.

Athanas. in Paulum.

B

Continentia studio & exercitio cōparanda.

De rebus inhonestis loqui necessitas vrget, sed honestas docet circumloqui. Ita [Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum.] Quodnam illud negotium? Pudendum carnalis voluptatis commercium. Ita Plautus de concubinâ. [Neque herile negotium plus cura.] Quasi non otium sit, veneris seu libidinis negotium ἐν τῷ πράγματι. In isto coïtus concubitusue negotio. Designat enim Apostolus, sed quia turpe commerciū est & innominabile, per negotium indicat. Sic & supergredi & circumuenire, quæ sunt huius aut commercij aut negotij. Ille enim dicitur supergredi, qui conuincitur metas suas transgredi; nec suum solummodo non possidere cum sanctificatione & honore, sed & iniquitate & arte alienum inuadere. [Quid enim est cum alterâ, concubitûs est transgressio.] πλεονεκτεῖν namque non solùm circumscribere est, sed & animo tam iniquo quàm & auaro corradere. Velut ille quis suo non contentus, sed nouarum semper auidus facultatum, alieno inhiat, & plus iusto, seu vi, seu fraude occupat. Ille ergo proximum suum, aut fratrem suum Christianum tanquam proximiorem in hocce infando negotio circumuenit supergrediendo, qui proprios transcendit terminos, & alienum insilit thorum tam atroci iniuriâ, quàm enormi fallaciâ. Denique per passionem desiderij, id intelligit, quod sanctificationi & honori est oppositum. [Vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij: sicut & Gentes, quæ ignorant Deum.] Quæ nimirum non putant Deum esse impuritatis omnis inimicum: sicut enim Deum verum ignorant, ita non existimant, simplicis fornicationis, aut parabilis veneris arbitrum futurum, iudicem ac vindicem. Sicut ergo ille vas suum possidet in sanctificatione & honore, qui ab omni pollutione, ab omni vilitate abstinet tanquam à seruitute ne dicam tanquam & à peste: sic & ille languet passione desiderij, qui tam immundo quàm & turbulento fœtet carnalium desideriorum contagio. [Iste morbus pœna peccati est, ait Augustinus, sine quâ non potest esse humana natura, nondum ex omni parte sanata.] Passio est, ægritudo naturæ est, sed corruptæ, idcircò curanda, & gratiæ sananda beneficio. Non solùm igitur

C

Chrysost. orat. 5.

Morbus desiderij est pœna peccati.

D

E

Augustin. l. 4. cont. Iul. cap. 10.

Augustin. l. 1. de nupt. & con. c. 8.

(ita ille concludit coniugatus fidelis vase non vtatur alieno, quod faciunt à quibus vxores alienæ appetuntur: sed nec ipsum proprium in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Non in morbo desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum: sed in sanctificatione & honore, sicut fideles qui sperant in Deum. Illo quippe concupiscentiæ malo vtitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æstuantem frænat & cohibet, neque nisi propagani consulens, relaxat atque adhibet, vt spiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non vt spiritum carni sordida seruitute subiiciat.]

DISQVISITIO SECVNDA.

De labore.

DVo certa sunt, & duo requirenda. Primum quod certum est, Apostolum non consulere tantùm, sed & præcipere. [Sicut præcepimus vobis.] Sic & principio capitis. [De cetero, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.] Pari modo. [Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis: & operam detis vt quieti sitis: & vt vestrum negotium agatis: & operemini manibus vestris: sicut præcepimus vobis: & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis.] Eadem verborum species est, quia eadem series est præceptorum. Compellit Apostolus Thessalonicenses & fideles omnes ad officium præceptum imponit, aut potius impositum dicit à Christo Domino: sed ad illud implendum hortatur vt doctor, vt pater deprecatur. [Præmittit hoc verbum, De cetero. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, semper quidem & perpetuo vos rogamus & obsecramus in Domino. Illud enim quod accepistis: non est solùm verborum, sed etiam rerum.] Alterum quod certum est, Apostolum loqui de labore corporali, non spiritali. [Et operemini manibus vestris.] Seu [propriis manibus vestris.] Manibus, corporalibus: vestris & propriis, non alienis. [Vbi sunt, ait ille, qui quærunt opus spirituale? Vides quomodo eis omnem ademerit eius rei occasionem, dicens, Manibus vestris. Ieiunium-ne operatur aliquis manibus? Num nocturnas vigilias? Num humi cubationes? Nemo hoc dixerit.] De opere igitur corporali præceptum est, & de proprio labore, non spiritali ac mystico. [Prius enim, vti Augustinus dixit, demonstrare debemus beatum Apostolum opera corporalia seruos Dei operari voluisse, quæ finem haberent magnam mercedem spiritalem ad hoc vt ipso victu & tegumento à nullo indigerent, sed manibus suis hæc sibi procurarent.] obuiandum allegoricæ interpretationi, & Apostolicæ obtemperandum constitutioni.

Laborare manibus præceptum à Deo datū.

Chrysost. orat. 5.

Chrysost. orat. 6.

Augustin. lib. de op. mon. cap. 3.

A Primum ergo quod requirendum, Quid sit manibus propriis operari? [Si enim, vti Tertullianus dixit, hoc præceptum ab omnibus manibus defenditur, credo & fures & aleatores manibus suis viuere, & ipsos latrones manibus agere quo viuant. Item falsarios vtique non pedibus, sed manibus operari malas litteras. Histriones verò non manibus solis, sed totis membris victum elaborare. Pateat igitur Ecclesia omnibus qui manibus, ex suo opere tolerantur, si nulla exceptio est artium, quas Dei disciplina non recipit.] Duo igitur consideranda sunt. Primum est, per manus, cetera membra intelligi in opus destinata: non enim qui pedibus laborat, minus præceptum obseruat, B quàm qui manibus: sed de manibus locutus est Apostolus, qui manus organum organorum est: & in iis etiam qui sermonibus potius quàm operibus detenti sunt, cæteræ partes loquentem adiuuant, manus ipse loquuntur: sunt enim vocales digiti: nec mirum si operantur sermones, cum & manus loquantur. Alterum, per opus, exprimi laborem corporalem, non tantùm conditioni, sed & honestati competentem; ea enim tangit Apostolus quæ vsui humano, maximè verò quæ victui & habitui Christiano necessaria sunt, ideoque labori congruo non permissa solùm dicit sed & imposita. [Et rusticamur, ait C ille, & mercamur. Proinde miscemus artes, operas nostras publicamus vsui vestro.] Hic nempe hominum labor, in quo vescuntur pane suo, eâ quippe iam nascuntur lege. [Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.] Ita de viro iusto: [Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.] Et de malis & impiis. [In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia. Attende illos superbos, ait Augustinus, & indisciplinatos.] Qui nimirum communem respuunt legem, seque ab opere seu labore eximunt: quasi homines non D sint, aut aliis meliores sint, cum sint ditiores. Nihil ergo aliud est manibus propriis operari, quàm rusticari, aut mercari: artem aliquam, etsi vilem, licitam tamen exercere, victum ac vestitum in labore manûs, seu in sudore vultûs quærere.

Secundum quod requirendum est, Quosnam comprehendat hoc præceptum, an aliquos tantùm tangat, an fideles omnes? Certè si lex naturæ est, non infringitur per legem gratiæ: & si præceptum datum est omnibus hominibus, dispensatum non est in fidelibus: nulla est enim præscriptio aduer- E sùs naturæ legem: & si quid prætenditur, non tam exceptio est, quàm corruptio. Sed heic duo spectanda sunt. Primum est, omnes homines non eiusdem esse roboris, eiusdemque vigoris, ideoque, etsi eodem iure, non tamen eodem iuris rigore sub hac lege laboris contineri, sed haberi rationem iuxtà conditionem corporis. [Quærite: ait Augustinus, & agnoscite labores occupationum nostrarum, & in aliquibus nostrorū etiam corporū infirmitates.]

Tertull. l. de Idolol. c. 5.

Manus princeps est operum omnium.

Tertul. cap. 42. Apolog.

Iob, cap. 5.

Psal. 127.

Psalm. 72.

Augustin l. de op. mon. cap. 29.

Alterum est, Apostolum otiosos alloqui & inde inquietos, maximè verò inopes mendicantesque, qui ex copiâ otij proprij, vapularent in causâ extranei negotij, cum offerrent sese, & intempestiuè ingererent. [Vides, ait Chrysostomus, quomodò eos tangat. Non dixit; Ne inhonestè vos geratis, mendicantes: sed idipsum quidem tacitè significauit: mitiùs autem hoc ponit, vt & pungat, & non vehementer hoc faciat. Nam si ij qui sunt apud nos hi offenduntur, multò magis externi, inuenientes mille accusandi & reprehendendi ansas, quando vident hominem sanum, & qui sibi potest sufficere, mendicare, & aliis opus habere. Et ideò nos appellant Christi temporas, hoc est Christi mercatores: Propterea, inquit blasphematur nomen Dei.] Tota hæc censuraaduersùs tenues incertesque. [Ostendit enim quàm multorum malorum causa sit otium, quàm multorum autem bonorum operatio. Est enim charitatis in proximos, non ab illis accipere, sed illis præbere. Hoc autem fit ex operatione, vt neque accipiant, neque sint otiosi, sed operantes aliis præbeant. Beatius est enim, inquit, dare quàm accipere.] Ita Chrysostomus. Itaque sicut non tangit infirmos, inualidosque; ita non premit diuites honestis facultatibus præditos, nec pauperes legitimis detentos occupationibus: sed eos & solos obstringit, qui cum nihil habeant vnde viuant, & alienis negotiis noceant potius quàm faueant; oneri superesse malunt quàm labori, alienis opibus sustentari quærunt, non propriis manibus operari.

Chrysost. Hom. 6.

Quibus maximè labor is præceptum sit impositum.

Sunt & alij qui non operantur manibus, nec cum inertibus tamen computantur: non laborant seruili opere, sed nobili labore; nec otio, sed sancto vocant negotio. Ij sunt ecclesiastici & religiosi viri. Ita Paulus ad Timotheum: [Labora, inquit, sicut bonus miles Christi Iesu. Quia enim, vti dixit Augustinus, per infirmitatem corporis manibus operari non poterat, sic hortatur, monet, & consolatur. Fecit securum, castum Euangelistam, non ad hoc euangelizantem vt venderet Euangelium, sed tamen huic vitæ necessaria suis sibi exhibere manibus non valentem: vt intelligeret quod necessarium sibi sumebat ab eis tanquam quibus prouincialibus militabat, & quos tanquàm vineam cultura exercebat, vel tanquam gregem pascebat, non esse mendicitatem, sed potestatem.] En quoad primos: quoad alios verò: [Sicut non cessauit Apostolus, imò Spiritus Dei possidens & implens & agens cor eius exhortari fideles qui habebant huiusmodi substantiam, vt nihil deessent necessitatibus seruorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in Ecclesiâ tenere voluerunt, vt spei secularis vincula cuncta præciderent, & animum liberum diuinæ militiæ dedicarent: sic debent & ipsi præceptis eius obedire, vt compatiantur infirmis, & amore priuatæ rei non illigati manibus suis in communi labore præpositis suis sine murmure obtemperare: vt hoc suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus & aliquid vnde victum transigant operantibus, propter infirmitates

Augustin. lib. de op. mon. cap. 15.

Augustin. eodem lib. cap. 16.

Quinam legitime ab opere manuum dispensati.

A tamen corporales aliquorum, & propter ecclesiasticas occupationes vel eruditionem doctrinæ salutaris, deesse, putauerint. Vtrobique & infirmitates corporeæ, & occupationes ecclesiasticæ, opus releuant, dum onus aggrauant. In viris autemreligiosis, opus exigitur in communi, sed cui munus alicui imponitur. Vbi ordo esse debet non debet esse cõfusio: nec permissa sunt omnia omnibus, nec commissa. Volo illos tam iustè, quàm piè mendicare, volo istos accipiendi sicut & ministrandi sibi temerè non arrogare facultatem, sed planè vendicare potestatem. Sed tam isti quàm & alij, manuum opus non spernant, imò quod olim fecerunt principes, quod senatores præstiterunt, B operum suorum fructus excolant. [Nullo enim modo decet, (vt concludam ex Augustino) vt in eâ vitâ vbi sunt senatores loboriosi, ibi fiant opifices otiosi: & quo veniunt relictis deliciis suis qui fuerant prædiorum Domini, ibi sint rustici delicati.]

Augustin. cap. 25.

TROPOLOGIA.

Hec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.

VOluntas quidem illa in præcepto est, seu in signo: tria tamen ex signo illo deprehendenda sunt. C Primum est, potiorem esse Dei voluntatem: alterum, omnem & corporis & animi impuritatem excludere: tertium, Spiritum sanctum nobis promittere.

Quoad primum. Voluntas quidẽ beneplaciti vna & simplex est, cum aliud reuera non sit quã ipse Deus, in quo quicquid est, Deus est: sed voluntas signi tam varia est quã multiplex, cum non tam voluntatis sit quam signũ voluntatis: quod enim in nobis exprimitur signum voluntatis nostræ, vel iubendo vel prohibendo, Dei voluntas à nobis dicitur. Sed cum multa sint signa, imò multiformia, nonnulla magis D exhibent voluntatem quàm alia, & ita in suo genere potiorem gradum & principem locum obtinent. [Nam vti dixit Tertullianus, etsi quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum à Deo permittuntur, non statim omne quod permittitur, ex merâ & totâ voluntate procedit eius qui permittit. Ex indulgentiâ est, quodcumque permittitur; quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in illo cui indulgetur, quasi de inuitâ venit voluntate, passa causam sui, quæ cogit voluntatem. Vide quasi sit voluntas, cuius alter est causa Vult nos Deus agere E quædam placita sibi, in quibus non indulgentia patrocinatur, sed disciplina dominatur. Si tamen alia istis præposuit, vtique quæ magis vult, dubiumne est ea nobis sectanda esse, quæ mauult; quum quæ minùs vult, quia alia magis vult, perinde habenda sint atque si nolit? Nam ostendens quid magis velit, minorem voluntatem maiore deleuit: quantoque notitiæ tuæ vtramque proposuit, tanto definiit id te sectari debere, quod declarauit se magis velle. Ergo si ideò declarauit vt id secteris quod magis vult, sine dubio nisi ita facis, contrà voluntatem eius fa-

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 3.

Aliud quod indulgetur, aliud quod iubetur.

pis, sapiendo contra potiorem eius voluntatem.] Quæ igitur potior Dei voluntas? illa quæ melior; & illa melior, quæ summæ bonitati, supremæ sanctitati proximior: vt sicut ille sanctus est, sic & simus sancti; sicut ille purus, sic & nos puri. [Voluntas Dei est sanctificatio nostra. Vult enim, ait ille, imaginem suam nos etiam similitudinem fieri, vt simus sancti, sicut ipse sanctus est.] Ita sanctitas; non alia est, quam castitas: sed cum illa possit coniugalis esse aut vidualis, virginitatem non imponit, sed exigit puritatem: nec matrimonium ablegat, sed modum ordinat. [Quam enim sanctitatem nostram, (verba Tertulliani) voluntatem Dei dicat, ex contrariis quæ prohibet, agnosces. Abstinere, inquit, à stupro, non à matrimonio. Scire vnumquemque suum vas in honore tractare. Quomodo? dum non in libidine quâ gentes. Libido autem nec apud gentes matrimonio adscribitur, sed extraordinariis, & non naturalibus & portentosis. Sanctitas, luxuriæ est, turpitudini quoque & immunditiæ contraria, quæ non matrimonium excludat, sed libidinem.] Et addit, [Hunc autem locum, saluâ alterius, id est, plenioris sanctitatis prælatione, tractauerim; continentiam & virginitatem nuptiis anteponens, sed non prohibitis: destructores enim Dei nuptiarum, non sectatores castitatis retundo.] Voluntas quidem Dei potior, nostra sanctificatio est: sed quo maior sanctificatio, eo voluntas melior, quia diuinæ puritati, seu supremæ sanctitati vicinior, dum sanctificationem eliquat, sanctitatemque non in temperantiâ carnalium voluptatem, sed in omnimodâ collocat abstinentiâ. Ita virgines sanctiores, quia Deo similiores, Christoque gratiores. [Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.] Vt simus sancti, quoniam ille sanctus est; puri, quoniam ille purus est.

Tertullian. eodem lib cap. 1.

Tertullian. lib. 5. adu. Marc. c. 15.

Quoad secundum. Vbi nos legimus: [Vt abstineatis vos à fornicatione.] Græci legunt: [Ab omni fornicatione.] Et per fornicationem, libidinem omnem, omnemque impuritatem intelligunt. [Multa sunt enim, vti dixit Chrysostomus, genera intemperantiæ, multiplices & variæ voluptates lasciuiæ & libidinis, quas ne dicere quidem est tolerabile. Cum ergo dixisset Apostolus, Ab omni fornicatione, eam reliquit iis qui norunt. Vt sciat, inquit, vnusquisque vas suum possidere. Nos enim id possidemus, quando fuerit mundum: quando autem immundum, non facimus quæ volumus, sed quæ illud imperat.] Tunc non Domini sumus, sed serui omnium seruorum miserrimi: cum in praua desideria pertrahat, & in infanda erumpat facinora. [Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Quasi dicat, (vt exponit Aquinas) Omnia præcepta Dei sunt ad hoc quod sitis sancti. Sanctitas enim dicit munditiam & firmitatem. Et omnia Dei præcepta inducunt ad ista, vt quis mundus sit à malo, & firmus in bono. Roman. 12. Probetis, quæ sit voluntas Dei, scilicet explicata per præcepta. Deinde cum dicit, Vt abstineatis, monet in speciali. Voluntas enim Dei est abstinere à fornicatione. Tob. 4. Attende tibi

Chrysost. orat. 5.

Aquin. lect. 1.

A ab omni fornicatione, Sed & respectu vxoris, abstineatis honestè, cessando ad tempus; &, vt passio non præcedat: quia hoc est Gentilium, quærere delectationes præsentes, non autem futuræ vitæ.] Omnem igitur labem abstergit, nedum omnem excludit libidinem. Christianus sine carne sit, id est, animus sine sorde, castus sit non minùs mente quàm corpore; & si naturæ debitum exoluat nonnunquam, indebitum tamen nunquam cedat concupiscentiæ. [Prouoca, inquit Tertullianus, ad Apostolicam aciem: adspice ad epistolas eius omnes pro pudicitia, pro castitate, pro sanctitate prætendunt, omnes in luxuriæ & lasciuiæ

Tertullian. lib. de pudicit. cap. 17.

B & libidinis negotia iaculantur. Quid denique & Thessalonicensibus scribit? Aduocatio enim nostra non ex seductione, nec ex immunditiâ. Et, Hæc est voluntas Dei, sanctimonia vestra, abstinere vos à fornicatione, scire vnumquemque vas suum possidere in sanctimoniâ & honore, non in libidine concupiscentiæ, sicut Nationes quæ Deum ignorant. Quid Galatæ legunt? Manifesta sunt opera carnis. Quænam ista? In primis posuit fornicationem, immunditiam, lasciuiam, quæ prædico vobis sicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum

C Dei non sunt consecuturi hæreditate. Proinde & Ephesis pristina reputans, de futuro monet: In quibus & nos conuersati sumus, facientes concupiscentias & voluptates carnis. Notans denique illos qui se negassent, scilicet Christianos, eo quòd se tradidissent in operationem immunditiæ omnis: Vos autem, inquit, non sic didicistis Christum.] Negat se Christianum, qui se præstat impurum: sicut enim sanctificatio, Christiani vocatio est, imò vocatio & professio; sic & pollutio, est Christianissimi abnegatio. Idcircò, vt obseruauit Chrysostomus: [De nullâ re aliâ tam vehementer loquitur Apostolus, quam de hac re. Sicut

Se Christianum negat, qui se præstat impurum.

Chrysost. orat. 5.

D etiam alicubi scribens, dicit, pacem sectemini cum omnibus, & sanctificationem, sine quâ nemo Dominum videbit. Et multis in locis hoc inueneris, & vbique, & in omnibus epistolis. Reuera enim omnibus exitum affert hoc malum: & sicut porcus luto plenus, quocumque ingressus fuerit, omnia implet fœtore, & sensus implet stercore: ita etiam scortatio est malum quod difficiliter potest elui.] Omnia pessundat, nedum inquinat ac conspurcat: omnia conficit, nedum inficit: fidem tentat & euertit, spem oppugnat & opprimit.

Quoad tertium. Si verè Christiani sumus, sancti & immaculati: [Omnes, vti dixit Tertullianus, templum Dei sumus, illato in nos

Tertullian. lib de cul. fœm. cap. 1.

E & consecrato Spiritu sancto.] Nam, vt & ille addit: [Eius templi æditua & antistes pudicitia est.] Illa enim locum parat Spiritui sancto, illa seruat aditum; illa immundum omne abigit, ne sedes inquinetur; illa quicquid spiritale, quicquid sanctum est, excolit, vt mundities conseruetur. [Renuntiemus carnalibus, (verba Tertulliani) vt aliquando spiritalia fructificemus. Per continentiam enim negotiaberis magnam substantiam sanctitatis: parcimoniâ carnis, spiritum adquires. Recogitemus enim ipsam conscientiâ nostram, quàm alium se homo sentiat, cum fortè à suâ feminâ cessat;

Tertullian. lib. de exhort. cast. cap. 10.

A spiritaliter sapit. Si psalmum canit, placet sibi. Si dæmonem adiurat, confidit sibi. Ideò Apostolus temporalem purificationem orationum commendendarum causâ adiecit, vt sciremus, quod ad tempus prodest semper nobis exercendum esse, vt semper prosit. Quotidie, omni momento oratio hominibus necessaria est, vtique & continentia, quæ orationi necessaria est. Si hæc obfusio, etiam quum in vnis nuptiis res carnis exercetur, Spiritum sanctum auertit, quanto magis quum in secundo matrimonio agitur?] Paulus ergo non contentus voluntatem Dei exprimere, animi sordem omnem excludere etiam & mercedem promittit, dum Spiritum sanctum in æternæ vitæ arrabonem B inducit. [Qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.] Parùm interest, si cum Græcis legas, [Dat:] Aut cum Latinis, [Dedit.] Dedit enim & dat, dum sanctificauit per gratiam, & per continentiam magis magisque sanctificat. [Qui etiã dedit Spiritum suũ sanctũ in nobis. Cum enim, vt loquitur Athanas. dixisset superiùs fratri inferri iniuriam, cuius rei & Deum subiecerit vindicem affuturum, amplificat nunc idipsum dilatatque, arguens: Neque enim te, inquit, cruciatu afficiet Deus, vt eum qui malè perpessus sit vlciscatur, sed seipsum vt vindicet. Nam cum ad munditiam te & puritatem vocasset, cum inquinatior fueris, illatæ in se argueris iniuriæ, qui Spiritum sanctum C tibi contulerit. Quo fit, vt siue ancillam, siue reginam corruperis, æquè peccatum sit: quandoquidem Deo hæc infertur iniuria. Nec secus si fornicando deliqueris, Deus enim huius flagitij vltor, cuius & Spiritum inquinasti.] Sicut enim continentiâ Spiritus sanctus allicitur, sic & offenditur incontinentiâ: & sicut inducitur per illam, sic & per istam educitur. [Si, (vt concludam ex Tertulliano) omnia continentiæ consilia vt diuina commendat: quis iste est assertor audacissimus omnis impudicitiæ, mæchorum & fornicatorum & incestorum planè fidelissimus aduocatus, quibus honorandis suscipit aliam causam aduersùs Spiritum sanctum, vt D falsum testimonium recitet de Apostolo eius? Nihil tale Paulus indulsit, qui totam carnis necessitatem de probis etiam titulis oblitterare conatur. Indulget sanè non adulteria, sed nuptias. Parcit sanè matrimonijs, non stupris. Tentat ne naturæ quidem ignoscere, ne culpæ blandiatur: studet compescere benedictionis concubitum, ne maledictionis excusetur. Hoc ei supererat, carnem vel à sordibus purgare: à maculis enim non potest.] Matrimonium quidem concedit, sed præscindit excessum. Animum purificat ab omni sorde, & vellet ab omni labe, vt Spiritum sanctum largiùs inuitet: E parat locum, vt inductus permaneat, aut ne quà offensus immunditiâ, abeat, sedemque inquinatam seu pollutam mentem deserat.

Athanas. in Paul.

Spiritus sanctus inducitur cõtinentia, incontinentia educitur.

Tertullian. l. de pudicit. c. 16.

ANAGOGIA.

Ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem.

FRaternam tangit dilectionem post integram purificationem: aitque, non opus esse de ipsa illis scribi, quia à Deo sunt edocti. Exponendum igitur primò quænam illa sit doctrina, quâ imbuti perfusique sunt omnes Dei & proximi dilectores: secundo, quodnam illius argumentum sit: tertio quod & eiusdem augmentum.

De primo. Vnicum habemus Dominum qui sic iubeat: vnicum habemus magistrum, qui sic doceat. [Proinde, (ita loquitur Augustinus) ipse vnus magister & Dominus, cum dixisset, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille: in eodem sermone suo paulò post ait, Dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Sed vt fiat, pater dat. Item paulò post, Nolite, inquit, murmurare inuicem: nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in nouissimo die. Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Quid est, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: nisi, nullus est qui audiat & discat à patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim vllus audiuit ac didicit, & non venit: sed omnis, vt ait veritas, qui audiuit à Patre, & didicit, venit. Valdè remota est à sensibus carnis hæc schola, in quâ pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Ibi est & ipse filius, quia ipse est verbum eius per quod sic docet; nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi spiritus Patris & filij: neque enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe didicimus esse opera Trinitatis. Sed ideò patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus vnigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus. Cum igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt prædicatore forinsecùs insonante, intus à Patre audiunt atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur vt credant, illis non datur.] Totum id manifestis Prophetæ & Euangelistæ testimoniis nixum est. [Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.] Græcè διδακτοὶ θεοῦ. [Docti à Deo.] Ita Paulus: [De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis.] Græcè θεοδίδακτοι. [Edocti à Deo.] Itaque duplex est doctrina, sicut & schola: vna exterior, interior altera: illa auris excipitur organo, ista in intimo cordis scribitur: illa labitur per disciplinam, ista per gratiam imprimitur. [Audire enim, vt & ille dixit, ac discere à Patre, vt veniat ad Christum,

Augustin. l. de prædest. sanct. c. 8.

Aliud aurê carnis audire, aliud aure cordis audire & discere.

Ioan. cap. 6.

Isai. cap. 54.

Augustin. ibidem.

nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Christum.] Tam occulta doctrina, quàm arcana gratia. [Omnes enim illius regni homines, (ita Augustinus) erunt docibiles Dei, non ab hominibus audient. Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus reuelatur.] Hoc ergo dicit Paulus quod & altero scribit Apostolus. [Non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos, & verum est, & non est mendacium.] Seu, vt ex Græco: [Ipsa vnctio.] Et ex Augustino: [Et verax est, & non est mendax.] Interna nimirum doctrina, seu gratia diuina, quæ fidelem imbuit, neminem decipit. [Vide ergo, ait Chrysostomus, cum quantâ laude Deum ipsis doctorem constituit. Non opus est, inquit, vt vos discatis ab homine. Quod Propheta quoque dicit: Et erunt, inquit, omnes à Deo docti. Vos, inquit, omnes à Deo didicistis, vt diligeretis inuicem.]

Augustin. Tract 16 in Ioan. cir med.

1. Ioan. cap. 2.

Chrysost. orat. 6.

De secundo. Non scribit Paulus, quia scit illos à Deo doctos: sed quomodo scit? Affirmat, sed quo probat argumento? Illo nimirum: [Etenim illud facitis in omnes fratres, qui sunt per vniuersam Macedoniam.] Quid? Illud facitis? Charitatem fraternam fidelibus omnibus impenditis, & inde internam proditis vnctionem. [Non abs re dico (ita apud Chrysostomum) quòd à Deo didicistis, sed noui ex iis quæ facitis. Etenim illud facitis in omnes fratres, & eos qui sunt in totâ Macedoniâ: & in omnes alios, inquit.] Hæc igitur doctrina non solùm mentem imbuit, sed & voluntatem afficit, ab intellectu in affectum, ab affectu transit in effectum: non enim docet tantùm, sed & in totum suadet: motum imprimit, & actum tam infallibiliter exprimit, quàm & suauiter: non enim id facit necessitatem imponendo, sed impertiendo charitatem. [Cum quo enim Deus facit suauitatem, (ita Augustinus) id est, cui propitius inspirat boni delectationem, atque vt apertiùs id explicem, cui donatur charitas Dei, & propter Deum charitas proximi: profectò instanter orare debet, quo tantum sibi augeatur hoc donum, vt non solùm pro illo contemnat delectationes cæteras, Sed etiam pro illo quaslibet perferat passiones. Ideo parum fuit Prophetæ dicere, Suauitatem fecisti cum seruo tuo: nisi rursus repeteret, vt eum doceat suauitatem, tantam vtique vt disciplinam posset patientissimè sustinere. Quod autem non ait, da mihi, sed, doce me: quomodo suauitas docetur, si non detur? Quandoquidem multi quod eos non delectat sciunt, & quarum rerum habent cognitionem, non habent suauitatem; suauitas enim disci non potest, nisi delectet. Disciplina autem ista, accipiendo discitur, id est, non audiendo vel legendo vel cogitando, sed experiendo. Illa disciplina, non solùm veritatis est, sed & bonitatis: tantâ quippe infunditur suauitate, vel tantâ instruitur charitate, vt non solùm audiatur & discatur, sed & veniatur; non enim solummodo donatus intellectus quo doceatur, sed & inflammatus affectus quo impleatur. [Docet enim Deus, ait ille, suauitatem inspirando delectationem

Chrysost. ibidem.

Augustin. con. 17. in Psal 118. cir med.

Deus & dat intellectũ, & affectum excitat.

Augustin. circa. med.

A charitatis. Cum itaque alia sint quæ ideò discimus vt tantummodò sciamus, alia verò vt etiam faciamus: quomodo Deus ea docet, sic docet vt ea scienda sciamus aperiendo veritatem, sic docet vt facienda faciamus inspirando suauitatem.] Validissimum igitur Pauli argumentum. Nam si homo iuberet forinsecùs, nunquid vt facerem & implerem quod iubet, iuuaret intrinsecus? Deus verò non solùm suggerit quid facto sit opus, sed & opus ipsum suo extundit auxilio: docet simul & mouet. [Hoc enim gratiâ agitur, ait Augustinus, non solùm vt facienda nouerimus, verumetiam vt cognita faciamus; nec solùm vt diligendo credamus,

B verumetiam vt credita diligamus. Sic enim docet Deus eos qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere. Vnde ad Thessalonicenses sic Apostolus loquitur, De charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis scribi: nam ipsi vos didicistis vt diligatis inuicem. Atque vt probaret eos à Deo didicisse, subiunxit: Etenim facitis illud in omnes fratres, in vniuersâ Macedoniâ: tanquam hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didiceris, si id quod didiceris, feceris. Isto namque modo

C sunt omnes secundùm propositum vocati, sicut scriptum est in Prophetis, docibiles Dei.]

Augustin. lib. de grat. Christi cap. 12. & 13.

De tertiò. Nihil non bonum, cuius augmentum petendum non sit, si verè est bonum, id est, si religione effultum aut virtute. Inde mactare in sacrificiis. [Mactare enim, vti discimus ex Varrone, verbum est sacrorum, quasi magis augere. Vnde magmentum, quasi magis augmentum.] Sed ex nostris Arnobius sic exponit: [Tantum esto mactus, quantum volo: tantum amplificatus, quantum iubeo.] Mactus enim idem quod auctus, amplificatusque. Inde passim [Macte.] Quod olim de

D religione: mox & de virtute. [Macte virtute esto, sanguinolentis & ex acie redeuntibus dicitur.] Ita Seneca. Sed habetur firmiorem propheticum sermonem, cui benefacimus attendentes. Ita enim Deus: [Ecce, benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde.] Et ad Iosephum: [Ego te augebo & multiplicabo. Non solùm ille benedictus à Deo, sed auctus, ampliatus, dilatatus. Ita & Ioab ex more sacro: [Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum.] Sicut enim augmentum à Deo ipso repromissum: sic & voueri solitum

E & experi. Sic igitur Paulus Apostolus, quasi sacro peracto, aut exposito pietatis charitatisque beneficio, addit, concluditque, dicens: [Rogamus autem nos fratres vt abundetis magis.] Ad augeat Dominus. Quid est, ad augeat? Magis, magisque doceat, doctrinam seu gratiam adimpleat. [Hæc enim gratia, ait Augustinus, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus; ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. Qui enim nouit quid est quod fieri debet, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm le-

Ambrof lib 7. adu. Gent.

Sen. epist. 66.


Genes. cap. 17.

Genes. cap. 48.

2. Reg. cap. 24.

Augustin lib. de grat. Christi. cap. 13.

gem: non secundùm spiritum, sed secundùm litteram. Quamuis multi quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore iustitiæ, quam dicit Apostolus iustitiam suam quæ ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Tantum enim inter legem distat & gratiam, vt cum lex esse non dubitetur ex Deo, iustitia tamen quæ ex lege est, non sit ex Deo, sed iustitia quæ per gratiam consummatur ex Deo. Et hoc modo quisquis discit, agit omninò quicquid agendum didicerit. Iam edocti estis non per legis litteram, sed per Spiritûs gratiam: audiistis à Deo & didicistis, ideò & fecistis non propter terribile legis mandatum, sed per suaue gratiæ beneficium: nam non solùm cognoscendo vidistis, sed etiam volendo appetistis, agendoque perfecistis: iam vlteriùs progrediendum est, & doctrinæ augmentum & gratiæ complendum. Qui enim cœpit: [Profectò, ait Augustinus, instanter orare de- A bet, vt sibi augeatur hoc donum. Ita suauitati salubriter additur disciplina: non enim quanta læcumque vanitati vel bonitati, hoc est, charitati sanctæ, poscenda & optanda est, sed tam magnæ vt sub eius pressurâ non possit extingui, sed sicut ingens flamma sub impetu venti quanto magis reprimitur, tantò ardentiùs excitari.] Optat igitur Apostolus, oratque crescere & supercrescere: hortatur nihilominus, deprecaturque. [Quis enim non videat, ait ille, & venire quenquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest nisi adiutum esse, si venit: & sic adiutum, vt non solùm quid faciendum sit, sciat; sed & quod scierit, etiam faciat.] Charitas igitur iam formata erat, sed erat amplianda, vt cresceret semper ac proficeret; nec ad sufficientiam duntaxat procederet, sed & ad abundantiam.



PARS SECVNDA.

DE RESVRRECTIONE.

TEXTVS.

NOlumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præuenimus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul capiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

EXEGESIS LITTERALIS.

SOlatium proponit mortis, & modum resurrectionis exponit. Resurrecturi sunt mortui: sed & temporis ratio seruabitur, & ordinis spectabitur dispositio.

[Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent, &c.] Contristabantur immodice Thessalonicenses, illacrymabanturque more gentilium, qui lumine fidei, & spe resurrectionis destituti, nec modũ tenebant; nec admittebant solatium. Idcircò dormitionem vocat mortem, quo insinuat non tam mortuos, quam consopitos, ideoque tan- A dem aliquando suscitandos. [Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cũ eo, &c.] Scire ergo debetis nos resurrecturos: nam cum Christus mortuus sit, tum & à mortuis resurrexerit: vtique & ii, qui in Christo mortui sunt, pariter suscitandi sunt, pariterque cum eo sociandi. Hoc credimus fide Christianâ, ideo & de diuinâ virtute confidimus. [Quemadmodum, inquit, filium suscitauit Deus, mortem corporis abeuntem, sic & nos suscitabit] Ita Athanas. [Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt, &c.] Scitote ergo vos pro certo resurrecturos: sed si nondum

Dormitionis nomen, omẽ est resurrectionis.

Athanas. in Paulum.

tenetis resurrectionis modum, & scire vultis; dicam vobis, non tamen à meipso, sed à Christo Domino; quòd nos seu fratres nostri, qui viui reperti fuerint, & vsque in aduentum Christi Domini superstites, non præueniemus eos qui iam mortui sunt, nec primi in occursum Christi sumus adducendi. [Sensu Domini ait Comment. Ambros. loqui se profiteretur, cum dicit, In verbo Domini. Et vt fidam spem & ratam gloriam resurrectionis sanctis promissæ demonstret, ordinem ipsum quomodo futura sit, exponit.]

Comment. Ambros.

[Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, &c.] Ipsemet Dominus, in propriâ personâ, licet in assumptâ naturâ, descendet de cœlo; sed descendet cum imperio: iubens Archangelum vocem dare, & eo signo mortuos omnes conuocare, virtute Dei statim suscitandos. Itaque qui in fide ac societate Christi mortui sunt, protinus resurgent & assurgent primi. [In Christo mortui, hoc est, ait Athanas. fideles, vt qui in nubes sint subleuandi, vt priores resurrecturi: cæteri verò damnandi: quippe qui neque attollendi sint, nec Christo in aëra obuiam processuri.] Nihil enim illis commune cum Christo, nihil cum illo spectabile. [Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus, &c.] Deinde nos seu fideles ceteri ac fratres nostri, qui residui, seu in vitâ hucusque relicti, simul cum illis celerrimè efferemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic securè perpetuâ eius potiemur præsentiâ. [Itaque consolamini inuicem in verbis istis.] Mortis igitur dolorem lenite spe beatæ resurrectionis, & cum amicis charisiue, in eandem cum Christo Domino societatem contendite. [Concludit consolationem habendam esse de mortuis, dicens, Ex quo sancti resurgent, & nullum detrimentum consequuntur, ergo de mortuis consolamini.] Ita Aquinas.

Athanas. in Paul.

Non simul euigilabunt sancti, sed simul aduolabunt.

Aquin. lect. 2.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

DOrmitionis nomen, omen est resurrectionis: ordinis expositio, propositionis assertio est. De dormitione tamen quæstio est, & de ordine.

DISQVISITIO PRIMA.

De dormitione

PRopria dormitio, somni est: ideoque & illa significatio passim occurrit menti, sicut & actio seu passio dormiendi, recurrit sensim corpori. Ita capiebant Apostoli, credebantque Lazarum non mortuum, sed sopitum. [Denique, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret.] Cur ita putauerunt illi, nisi quia Christus Dominus

Ioan. c. 11.

A proprio verbo vsus non est, sed allegorico: illi autem proprietatem præsumebant sententiæ, nec ad allegoriæ concinnitatem protrahebant. [Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est.] Quare manifestè? [Subobscurè enim dixerat, inquit Augustinus, ait ergo, Manifestè.] Et vtrumque tamen verè. [Sororibus enim mortuus erat, ait ille, Domino dormiebat. Hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant: nam Dominus tantâ eum facilitate excitabat de sepulcro, quantâ tu non excitas de lecto. Ego secundum potentiam suam dixit dormientem, quia & alij mortui dicti sunt in scripturis sæpè dormientes: sed

Augustin. Tract. 49 in Ioan. circ. med.

Aliud verbum proprium, aliud allegoricū.

B sicut Apostolus dicit, De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Ideò & ipse dormientes appellauit, quia resurrecturos prænuntiauit.] Sed & inde nascitur prima quæstio: seu.

Difficultas prima, Quomodo verbum dormitionis sit resurrectionis præiudicium: cum & ij qui nullum habuerint resurrectionis præiudicium, eodem nihilominùs dormitionis vocabulo pro morte sint vsi: imò vix quemquam mortuum dixerint, sed dormientem, vel extinctum: nomen quippe mortis, nomen est infœlicitatis: idcircò, si quando occurrebat, prætermittebatur, aut obuertebatur, &

C infandus casus succedebat exitio. Parati sunt in vtrumque exteri, sed ad neutrum nobis non necessarij. Si quis tamen quærat, innumera penè simul ex vno Plauto, & in vno loco referat testimonia. [Hic pugnis faciet, vt ego dormiam.] &, [Homines quatuor in soporem collocastis.] &, [Quatuor viros sopore dedisse.] Sed alia profanorum mens, alia sanctorum: illi enim mortem vocabant soporem seu dormitionem ob speciem similitudinis, illi ob spem resurrectionis: illi, quod apparet, spectabant; isti, quod latet expectabant. Quid est somnus? nonne imago mortis, & quietis repræsentatio? [Proponit enim tibi, vti dixit

D Tertullianus, corpus amicâ vi soporis elisum, blandâ quietis necessitate prostratum, immobile situ - quale antè vitam iacuit, & quale post vitam iacebit, vt testationem plasticæ & sepulturæ, expectans animam, quasi nondum consolatam, & quasi iam ereptam. Sed & illa sic patitur, vt alibi agere videatur, dissimulatione præsentiæ futuram absentiam ediscens.] Habes speculum mortis: nunc & argumentum consideres resurrectionis. [Cum enim euigilauerit corpus, ait ille, redditum officiis animæ, resurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Hæc erit somni, & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis, fidem ini-

Tertullian. l. de Anim. c. 43.

Tertullian. ibidem.

E tiaris, spem meditaris.] Sicut enim qui dormit, adiicit vt resurgat, sic & qui abiit obiitve, sic abiit vt redeat, sic obiit vt se rursum exhibeat. [Discis ergo mori & viuere, discis vigilare dormis.] Et mortem condiscis, & resurrectionem prospicis.

Discunt Christiani vigilare dū dormiunt.

Somnus apud omnes etiam infideles, immortalitatis præiudicium est: cur enim de aliis animalibus dicimus perire, interire; de solis hominibus, dicimus dormire, requiescere? Si enim ad speciem spectes corporis, seu ad similitudinem

A similitudinem mortis, nihil distat inter hominem & pecudem: vtriusque corpus dormit in imaginem mortis, vtriusque cadauer corruit in speciem dormientis. [Atenim animæ, vti dixit Tertullianus, nec in viuentibus dormiunt: corporum enim est somnus, quorum & ipsa mors cum speculo suo somno.] Maximè verò de animâ humanâ. [Nec enim quiescit, ait ille, nec ignauescit omninò, nec naturam immortalitatis seruam sopori addicit, quæ necessitatem habeat rursus corporis agitandi. [Cur ergo dicunt omnes etiam infideles, dormire homines & requiescere, nisi quod præsentiunt absentem non interire, sicut sciunt & præsentem agere?

Tertullian. eodem. lib. cap. 31.

Tertullian. cap. 43.

B Sicut enim corpus grauiore sopore & alto somno oppressum videtur iam transisse, sic & cadauer animâ suâ iam vacuum, videtur adhuc dormire: nam sicut, [Somnus, mortis germanus.] Vti Basilius dixit. Ita mors, somni soror: partus vterque noctis tenebrosæ, & humanæ, fructus infirmitatis. Sed non omnes conuenirent in dormitionem hominis, nisi rationem persentiscerent immortalitatis indicem. Somnus verò apud fideles, certum etiam est resurrectionis argumentum. Certum duo: nam & apud infideles, vt notauit Tertullianus: [Si de aliquo iampridem defuncto, tanquam de viuo quis requirat, præ manu occurrit dicere: Abiit iam, & reuerti debet.] Sed illis resurrectionis præsumptores potius, quàm assertores: non enim omnium id credere, sed solorum Christianorum. [Expressit itaque futuram resurrectionem Apostolus, (verba Athanas.) cum dormire dicit iam vitâ functos. Qui enim dormit, & excitetur necesse est. Nos enim, quia suscitandi sumus, dormientes hîc dixit; futurum arguens, vt ab eiusmodi dormitione & somno excitemur nos aliquando: non enim qui nihil dormierit, excitabitur.] Sed & inde.

Basil. orat. 1. de ieiun. vers. fin.

Nonnullum in morte hominis, immortalitatis præiudiciũ.

Tertullian. l. de testim. an. cap. 4.

Athanas. in Paulum.

Altera difficultas, Cur Apostolus misterium quod omnibus notum est, præsumat latere fideles, cum nec infideles appareat ignorare? Græci somnũ vocant μικρὸν τοῦ θανάτου μυστήριον. Sic & apud Tertullian. [Platonici immortalem animam reclamant: immò adhuc proximè etiam in corpora remeabilem affirmant. Certè recidiuatũ animæ corporalẽ pronuntiauerunt. Ita seculum, resurrectionem mortuorum, ne quum errat, ignorat.] Verùm si errat in resurrectione mortuorum, adhuc ignorat quid definiendum sit de resurrectione mortuorum. Sed aliquid præsumpserunt ex instinctu naturæ illud verò quod præsumpserunt, ex instinctu peruerterunt superbiæ nec enim resurrectionis statuere sententiam, sed fictionis larnam adinuenere, dum voluerunt aut animam esse mortalem, aut in alia, imò nec humana corpora remeabilem. [Christo enim, vt ait ille, seruabatur, omnia retrò occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare: mortuorum certè resurrectionem, non modò per semetipsum verumetiam in semetipso probare.] Denique si quid nonnulli præsumpserunt philosophi, non solùm respuerunt ceteri, sed & irriserunt. [Cum igitur aiunt, Mortuum, quod mortuum: & Viue, dum viuis: &, Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa: tunc

Tertullian. lib. de resur. car. cap. 1.

Infideles peruerterũt quod de fide præsumpserant.

Tertullian. eodem l. c. 1.

Tertull. c. 3.

meminero, & cor vulgi cinerem à Deo deputatum; & ipsam sapientiam sæculi, stultitiam pronuntiatam.] Docet igitur Apostolus, quod certum est infideles ignorasse quoad substantiam, fideles quoad circunstantiam: & istis exhibet mentionem dormitionis, vt imaginem repræsentet resurrectionis. [Quid verò? ait Chrysostomus. An non de eo cum ipsis dissetuerat? Sed hîc tacitè quoddam alterum significat mysterium. Quodnam autem hoc est? Quòd nos qui viuimus, qui residui sumus, inquit, in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Sufficit autem quod nunc dicitur, maximè fidei dignam faciens resurrectionem.]

Chrysost. orat. 6.

DISQVISITIO SECVNDA.

De ordine.

C Fidem resurrectionis ex Euangelio habemus, sed ordinis rationem tenemus ex Apostolo. [Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra.] Nullum penè verbum quod difficultatem non faciat, ideoque quod non expetat inquisitionem.

D Quæritur igitur primò, De quo loquatur Paulus, cum ait, Quia nos qui viuimus: de se, an de aliquo alio? Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur? Quinam relicti seu residui? an ille, vel alij? An suspicatus est Paulus se victurum vsque ad aduentum Christi Domini? Sed obstat ipse, negatque instare diem Domini, imò vetat ita missam capere epistolam. [Rogamus autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.] Male enim mentem Apostoli Thessalonicenses conceperant, & idcircò per expositionem, aut repetitionem erant ad veram reducendi sententiam. [Videtur enim non intelligentibus, ait Aquinas, quòd Apostolus hîc dicat; quòd adhuc Apostolo viuente, hoc fieret, & hoc etiam Thessalonicensibus videbatur: & ideò scribit eis aliam Epistolam. Non ergo loquitur ex personâ suâ, & tunc existentium sed tunc eorum qui tunc viui reperientur. Qui residui sumus: id est, erunt residui post persecutionem Antichristi.] Certè, vt obseruauit Athanas. [Mirandum aliquid erat dicturus, eoque & Domini verbo rei huic & fidem facit, tanquam id inquiat; Nihil profectò à meipso, sed à Christo edoctus protu-

2. Thess. cap. 2.

E Aquin. lect. 2.

Athanas. Paul.

opinio, quòd omnes morientur. Primò, quia magis concordat diuinæ iustitiæ: Secundò, quia magis concordat diuinæ Scripturæ: Tertiò, quia magis concordat ordini naturæ, in quo inuenimus, quòd illud quod corruptum & vitiatum est, in suam nouitatem non reducitur, nisi corruptione mediante. Sed eisdem rationibus, quibus ostensum est omnes à morte resurgere, est etiam ostendendum, quòd omnes resurgent à cineribus in communi resurrectione. Scriptura enim sacra sicut resurrectionem corporum prænuntiat, ita & corporum reformationem. Philip. 3. & ideo oportet quòd sicut omnes moriuntur, ad hoc quod omnes verè resurgere possint: ita omnium corpora dissoluantur ad hoc, quòd omnium corpora reformari possint: sicut enim in pœnam hominis mors à diuinâ iustitiâ est inflicta, ita & corporis resolutio, vt patet Genes. 3. Terra es, & in terram ibis. Similiter ordo naturæ exigit, vt non solùm animæ & corporis coniunctio soluatur, sed etiam elementorum commixtio.] Itaque sicut vnio in terrâ fit, sic & in terrâ fit resolutio.

Quæritur quartò, Quis ordo possit in his constitui, cum omnes simul rapiendi sint, simulque offerendi? Aliud est resurrectionis ordo, aliud ordo immutationis. In resurrectione enim: [Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus.] In immutatione verâ: [Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra.] Raptus enim seu occursus sequitur immutationem, sicut immutatio resurrectionem consequitur: sed resurrectio habere potest ordinem etiam temporis, vt præcedant illi, & isti succedant: immutatio verò fit in momento in ictu oculi: & ideo si ordinem habere potest honoris, non tamen & temporis: non enim sequitur vt omnes qui resurgunt, statim immutentur; sed factâ resurrectione in ordine suo, cum expiati fuerint omnes iusti & electi, omnes etiam simul immutabuntur, & eâ immutatione, acceptâ nimirum agilitatis dote simul omnes subleuabuntur, rapienturque ad Christum à quo & attrahentur. Aduentante igitur iudicio, ignis præcedet, combureretque omnia quæ interitui & corruptioni remanebunt obnoxia, & inde interibunt mortales omnes superstites. Mox mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; tum & qui proximè mortui suo procedent ordine. Inde eximinabuntur omnes residuo igne, & qui adhuc eliquandi, purgabuntur: qui iam percolati, seruabuntur illæsi. [Illic iusti, ait Eucherius Lugdunens. velut per amœnos gurgites, incendiis naturam suam mutantibus, transmeabunt: intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt onerata peccatis. In illos enim sæuis æstibus nihil licebit, quos antè libidinum flamma non attigit: & quibus puritas contulit reuerentiam, inferre nescit rationalis ardor iniuriam:] Purgati ergo omnes sancti & igne ab illis cessante, immutabuntur, euocabuntur, rapientur: cum impij iam occupati ardentis ignis incendio damnabuntur in exitium, auferenturque, & in æternum cruciabuntur. Non tamen ad id obstringit

Aliud resurrectio omnium, aliud sanctorum immutatio.

Eucher. Lugd Hom. 3. de Epiph. Dom.

A Paulus. sed id tantùm innuit, mortuos à viuis qui tunc erunt reliqui non præuentos iri, nec retardandos aliquâ resurrectionis vniuersalis morâ. Imò & ipsos primùm suscitandos: tum & alios simul cum illis qui iam suscitati fuerint & purgati, simul rapiendos efferendos-ve. [Non enim (Aquinate teste) Apostolus dicit hîc, quòd illi priùs resurgent, quàm isti; sed quod illi priùs resurgent, quàm isti occurrant. Apostolus enim non ponit ordinem resurrectionis ad resurrectionem, sed ordinem ad raptum, vel ad occurentiam. Est Enim hæc inter bonos & malos differentia, B quia mali remanebunt in terrâ, quam dilexerunt: boni qui inuenientur viui, morientur, & tunc statim cum illis, qui priùs mortui fuerant resurgentes, rapientur in nubibus ad Christum, quem quæsierunt.] Nihil tamen obstat, imò & textus inuitat, vt aliquis ponatur ordo temporis in resurrectione: sic tamen vt immutatione factâ, simul omnes rapiantur, vnianturque cum suo capite.

Aquin. lect. 2.

Quæritur quintò, Quis ille apparatus, angelorum, nubium, iussus Domini, tuba Dei, vox Archangeli: ad litteram sumendus, vel traducendus ad allegoriam? Nonnulla ad lit- C teram, nonnulla ad allegoriam. Quid enim tuba Dei, nisi vox Archangeli? Quid porrò vox Archangeli, nisi signum quiescentibus omnibus intimandum? Et hæc quidem intelligentiæ, cætera sunt, litteræ cohærentia. [Nihil his, inquit, (apud Athanas) diffidas quæ sumus dicturi. Nam Domini hæc futura sunt iussu. Verùm quomodo hæc ille est iniuncturus? In Archangeli voce, cæteris Angelis præsidentis, & identidem inclamantis, prompti paratique estote omnes: adest enim iudex. Vt enim pater in Sinâ Arabiæ monte tubis est vsus, & Angelis ministrantibus, sic & filius tanquam imperator his ipsis vtetur.] Iubebit D Christus, parebit Archangelus, & ad vocem eius seu iussionem, exurgent mortui, & in resurrectionem vel pœnæ procedent vel gloriæ. [Causa quippe communis resurrectionis, vt Aquinas exponit, est resurrectio Christi, Si autem dicas, quòd iam fuit, quare ergo non sequitur effectus eius? Dicendum est quòd est causa resurrectionis nostræ, secundùm quòd operatur in virtute diuinâ. Deus autem operatur per ordinem suæ sapientiæ. Tunc ergo erit nostra resurrectio, quando hoc dispòsuit ordo diuinæ sapientiæ. Ad resurrectionem autem communem faciendam triplex causa concurrit. Vna principalis, sci- E licet virtus diuinitatis: Secunda instrumentalis, scilicet virtus humanitatis Christi: tertia quasi ministralis, scilicet virtus Angelorum, qui habebunt aliquem effectum in resurrectione. Has ergo tres causas ponit Apostolus. Primò, humanitatem Christi gloriosam, dicens, Ipse Dominus in iussu: in primo enim aduentu venit vt obediens, quia ille fuit aduentus humilitatis: sed iste erit gloriæ Secundò, virtutem Angelorum, cum dicit, in voce Archangeli: non quòd operetur in voce eius, sed ministerio eius. Et dicit, Archangeli, quia omnes Angeli sub vno Archangelo ministrant Ecclesiæ. Et hic est Michaël,

Athanas. in Paulum.

Aquin. lect. 2.

Triplex resurrectionis causa, principalis, instrumentalis, ministerialis.

princeps Ecclesiæ. Tertiò, virtutem diuinitatis, cum dicit, In tubâ Dei. Hæc est virtus diuina: quia dicitur vox Archangeli, inquantum fiet ministerio angelorum: & tuba Dei, inquantum virtute diuinâ fiet. Et dicitur tuba propter eius sonoritatem, quæ præuenit à Deo suscitans mortuos.] Præsidet in hoc spectaculo Christus Dominus, iubetque angelis ministris, vt disponant iudicium, & suggestum exstruant: sicut enim ascendit comitantibus angelis sic & angelis descendet ministrantibus: quomodo enim iuit in cœlum, sic & è cœlo veniet. [Et mittet angelos suos cum tubâ & voce magnâ: & congregabunt electos eius à quatuor ventis.] Eorum quippe, cineres colligere corporum, & sub auctoritate Archangeli, sicut Archangelos sub auctoritate Christi res omnes disponere.

Matth. c. 24.

TROPOLOGIA.

[Non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent.

CONsolatio tam mirabilis quàm & singularis, tam iusta quàm & humana, tam digna quàm & Christiana. Tria igitur concurrunt, singularitas, æquitas, dignitas: & vnâ manu inordinatam abstergunt tristitiam.

Quoad singularitatem. Sicut nihil difficilius quàm solari aliquem de morte suorum, ita nihil pronius quàm exacerbari in opere philosophorum. In eo vires omnes intendunt, & in eo vires omnes perdunt: imo nec tam vires sunt quam subtilitates inutiles. Idcircò illis dici potest quod Iob amicis suis, sed tã importunis quàm & iniquis. [Audiui frequenter talia. Cõsolatores onerosi omnes vos estis. Nũquid habebunt finẽ verba ventosa?] Nam, vt ibi dixit Gregorius: [Sæpè mali, etiã cum bona dicunt ventosa verba proferunt.] Mira dicunt illi, & nonnunquam bona, sed si non solùm cecidit res, sed & spes abiit, omnes tam onerosi consolatores sunt quàm & inutiles. Nullus scopum tangit, imò quiuis contra scopum tendit; quia in ventum effundit, dum sensum suum consulit. [De bonis ac malis, ait ipse Seneca, sensus non iudicat: quid vtile sit, quid inutile ignorat.] Quid ergo Apostolus? Non consulit sensum mundi, sed spiritum Dei; nec rationem adducit philosophicam, sed tam singularem quàm & mirandam. [Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini.] Multa dicunt philosophi, & nihil faciunt: mulcent quidem, sed non promouent. [Nobis verò, ait Chrysostomus, sufficit sermo resurrectionis ad eum consolandum qui cruciatur dolore. Sufficit enim quod dicitur, maximè fide dignam faciendo resurrectionem. Idcircò Paulus, ait Nolumus vos ignorare de dormientibus: & non dixit, De mortuis, statim à præmiis iaciens fundamentum consolationis. Vt non contristemini, inquit, sicut ceteri qui spem non habent. Plangere enim propter eos qui excesserunt, non est eorum qui spem habent. Anima namque quæ nihil scit de resurrectione, sed hanc mortem, mortem esse putat, meritò plangit, & lamentatur, & luget intolerabiliter tanquam de iis qui perierunt. Tu autem qui expectas resurrectionem, cur luges &

Iob. ca. 16.

Gregorius lib. 3 c. 2.

Sen ep. 66.

Chrysost orat. 6.

Sola spes resurrectionis, vera species consolationis.

A lamentaris? An non lugere est eorum qui spem non habent?] Ratio certè mirabilis, vt quæ tam suauiter leniat dolorem, quàm spem firmiter fulciat; quæ iam amissum reddat, cum repromittat mortuum: sed ratio singularis, quæ nunquam ex scholâ prodierit philosophorum, sed ex solâ Christianorum disciplinâ processit. [Resurrectionem quippe mortuorum, vti dixit Augustinus, futuram esse in carne, quando Christus venturus est viuos iudicaturus & mortuos: oportet, si Christiani esse volumus, vt credamus.] Per illam fideles distant ab infidelibus, propter illam infideles insultant fidelibus: sicut enim arcanum est fidei, sic & B certum est fidei symbolum. [Adeò, ait Tertullianus, non erit Christianus, qui eam negabit, quam confitentur Christiani.] Optima igitur consolatio, imò vnica, sed nostra. Vnde & sorori mœrenti: [Dicit Iesus, Resurget frater tuus.] Hanc solam speciem exhibuit consolationis, dum spem certam resurrectionis exposuit: [Non enim ait, (verba Augustini) modo resuscito fratrem tuum: sed, resurget frater tuus.] Hoc solus promittere Christus potuit, hoc solus repetere potuit Christianus. Resurget frater tuus. Solatur Polybium Seneca de C fraternâ morte. Quâ ratione? Quia mundus ipse hac lege damnatur: ratio tam vana, quàm & incerta. [Mundo, inquit, quidam minantur interitum: & hoc vniuersum, quod omnia diuina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit.] Quid Christianus? & hoc certò credit, & hoc tutò dicit, Resurget frater tuus: solus quidem dicit, sed hoc solum quod dicendum est, dicit: quicquid enim ab aliis dictum aut inuentũ non sufficit.

Augustin. l. 20. de Ciu. Dei c. 20.

Tertullian. l. de resur. carn. cap. 3.

Augustin. Tract. 49. in Ioan. ext. med.

Sen de cons. ad Polyb.

Quoad æquitatatem. Districtus quidem Apostolus, sed non inhumanus: non enim lacrymas vetat humanas, sed temperat. Contristan- D tur enim Christiani, sed non sicut ceteri, nec detestantur tristitiam, sed impatientiam. [Nec illa quidem, ait Tertullianus, impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur affectio. Proponendus est enim respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: Ne contristemini dormitione cuiusquã, sicut nationes quæ spe carent. Et meritò, Credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille abiit & resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorũ, vacat dolor mortis, vacat & im- E patientia doloris.] Cur enim doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum?] Fleuit Paulus, imò tristitiam præsensit super tristitiam de morte Epaphroditi affuturam. Quidni? cum & Christus lacrymatus sit in morte Lazari. Tãtus enim dolor amici mortui, quantus & amor viui. Vnde & illacrymante Iesu [Dixerunt Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.] Sed sicut amor secundùm Deum, sic & dolor; quo non abdicatur tristitia, sed vetatur impatientia. [Admonet nos beatus Apostolus, (verba sunt August.) vt de dormientibus, hoc est, mortuis charissimis nostris, non contristemur, sicut & ceteri qui spem non habent: spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æternæ. Nam ideò & dormientes eos appellat Scripturæ veracissima consuetudo, vt cum dormientes audimus,

Tertullian. l. de patient. cap. 9.

Ioan. c. 11.

Augustin. ser. 32. de verb Apost. cap. 1.

euigilaturos minimè desperemus. Vnde etiam cantatur in Psalmo, Nunquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat? Est ergo de mortuis eis qui diliguntur quædam tristitia quodammodo naturalis. Mortem quippe horret non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœnâ quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia quæ ita creata sunt, vt suo quoque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam? quantò magis homo qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset, sine termino viueret: Hinc itaque necesse est, vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi nouimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos: tamen mors ipsa quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideò ergo non admonuit Apostolus, vt non contristemur: sed non sicut ceteri qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde agimur, sine consolamur inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sonat diuina promissio.] Sicut ergo qui nullum deflet, multum, durus & inhumanus est; sic & qui multum deflet, parùm Christianus est: [Audite ô mulieres, ait Chrysostomus, quæ libenter lamentamini, quæ estis procliues & propensæ intolerabiliter ad luctus, quòd ea facitis quæ ethnici. Si autem dolere propter eos qui excesserunt, est ethnicorum, plangere & genas lacerare quorumnam est, dic quæso? Cur lamentaris, si credis eum esse resurrecturum? si credis eum non periisse: si eam rem somnum & dormitionem putas?] Nullus reprobat iustam amicorum mœstitiam, sed nullus non damnat scenam lugentium. [Quid faciam? (ait Hieronymus Heliodoro de morte Nepotiani) Iungam tecum lacrymas, Sed Apostolus prohibet, Christianorum mortuos, dormientes vocans. Læter & gaudeam, quia raptus est, ne malitia mentem eius mutaret? Sed inuito & repugnanti per genas lacrymæ fluunt; & inter præcepta virtutum, resurrectionisque spem, credulam mentem desiderij frangit affectus.] Stoïcum fingit, qui nullius morte tangitur; virum deponit, qui quouis dolore prosternitur: sed ille verè Christianum agit, qui sic dolori sensum indulget, vt suum fidei reseruet imperium.

Si e sensui indulgetur, vt suum fidei seruetur imperium.

Chrysost. 3 orat. 6.

Hiero. ep. 3.

Quoad dignitatem. Dixerat Christus Marthæ: [Resurget frater tuus.] Sed nondum satisfecerat. Vnde illa, [Dicit ei: Scio quia reresurget in resurrectione, in nouissimo die.] Sed vna resurrectio quæ communis omnium, altera quæ specialis iustorum. [De illâ resurrectione secura sum, de hac incertâ sum.] Reuera, vt ibidem obseruauit Augustinus: [Dormit omnis mortuus, & bonus & malus. Sed quomodo interest in ipsis qui quotidie dormiunt & exurgunt, quid quisque videat in somnis: alij sentiunt læta somnia, alij torquentia, ita vt euigilans dormire timeat, ne ad ipsa iterum redeat: sic vnusquisque hominum cum causâ suâ dormit, cum causâ suâ surgit. Et interest quali custodiâ quisque recipiatur, ad iu-

Augustin. Tract. 49 in Ioan. cit. med.

A dicem postea producendus: nam & receptiones in custodiâ pro meritis causarum adhibentur. Alios iubentur custodire lictores, humanum & mitte officium atque ciuile. Alij traduntur optionibus: alij mittuntur in carcerem. Et in ipso carcere non omnes, sed pro meritis grauiore causarum in ima carceris contruduntur. Sicut ergo diuersæ custodiæ agentium in officio: sic diuersæ custodiæ mortuorum, & diuersa merita resurgentium. Receptus est pauper, receptus est diues: sed ille in sinu Abrahæ, ille vbi sitiret, & guttam non inueniret.] Occurrit ergo Apostolus: atque, [Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.] Scimus dormitionem non tam

Variæ secundùm diuersa merita custodiæ.

B mortem esse quàm profectionem: scimus omnes excitandos, sed & iudicandos: sed an ad gaudium, an ad supplicium? Interest ergo non tam de veritate resurrectionis, quàm de conditionis dignitate. Obierit ille aut obdormierit ille qui mortuus est: profectus sit, sed quonam abiit, aut quonam destinatus. Verùm non omnium causam agit Apostolus, sed fidelium duntaxat, imò electorum in Christo suo obdormientium. [Dormiens enim, ait Aquinas, tria facit. Cubat in spe surgendi. Psalmo decimo: Nunquid qui dormit non adiiciet vt resurgat? Sic & qui moritur in fide. Item in dormiente anima vigilat. Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. Item postea homo resurgit magis refe-

Aquin lect. 2.

C ctus & vegetus: sic sancti resurgent incorruptibiles. Sciendum est ergo quòd Apostolus ex resurrectione Christi astruit nostram, quia illa est causa nostræ: nec causa solùm, sed etiam exemplar. Etenim eo quòd Christus accepit carnem, & in eâ resurrexit, est exemplar nostræ resurrectionis. Et ideò Apostolus hoc firmiter supponens, sic arguit: Si enim credimus firmiter, quod Christus resurrexit, ita & eos qui dormierunt per Iesum. Illi quippe dormierunt per Iesum, qui facti sunt conformes morti eius.] Eorum igitur duntaxat causam agit, quorum præsagit gloria; membrorum Christi, ideoque con-

D formandorum capiti: & inde validissimum argumentum Apostol. [Manifesta ratio est, ait Ambros. quia si resurrectio creditur mortuorum futura, non sunt lugendi qui cum signo crucis exeunt. Lugendi autem verè sunt infideles, qui hinc transeunt in gehennam: vt ediscant verum esse quod credere noluerunt. Fideles autem resurgent ad gloriam, vt qui in seculo stulti habiti sunt propter fidem, videantur prudentes: prouiderunt enim sibi gloriam. Hi sunt qui per Iesum, id est, sub spe fidei huius exeuntes, adducuntur cum eo in aduentu eius, vt ab hominibus videantur.] In illis luctus non indicen-

Ambrof. in Paulum.

E dus, sed celebrandum pro ipsis gaudium: non tam plorandus ille qui non excessit sed præcessit, quam desiderandus: sed vtrumque modestiâ ac patientiâ temperandum: & si quid cedendum sensui, nihil permittendum excessui. [Lugeatur mortuus, (verba Hieronymi) sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Nos, quorum exitum angelorũ turba comitatur, quibus obuiã Christus occurrit, grauemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus.]

Hier ep. 25. cit. med.

ANAGOGIA.

Simul rapiemur cum illis in nubibus.

OMnes suscitabuntur & boni & mali, soli rapientur boni. Sed videndum primò, quomodo fiat ille raptus: secundò, qui fiat in nubibus: tertiò, Quo tandem tendat & in quo consistat.

Quoad Primum. Mens Pauli in raptu est, licet ille raptus mentis non sit, sed corporis: sicut enim mors & corporis, sic recidiuatus, sic & raptus est corporis. [Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis.] Cum iis nimirum qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. [Quamobrem, ait Chrysostomus, non de generali, sed de singulari seu particulari loquitur resurrectione. Loquens enim de fidelibus, dicit, Eos qui dormierunt per Iesum. Deinde non solùm agitur ab eo de resurrectione, sed & de resurrectione & honore, & gloriâ. Nam resurrectione quidem omnes fruentur, inquit, non omnes autem erunt in gloriâ, sed qui in Christo. Quoniam ergo ipsos vult consolari, non ex hoc solùm consolatur, sed & ex multo honore & velocitate, In nubibus rapiemur. Fideles nimirum per Christum dormientes: hoc est, Christum in se habentes. Illud autem adducet cum eo, ostendit adduci ex multis locis. Nec existimes esse aliquam rei difficultatem. Deus est qui facit. Qui tunc ergo viuunt, non preuenient eos qui sunt dissoluti, qui putrefacti, qui sunt mortui plusquam decem ab hinc annorum millibus. Sed quomodo est facile adducere illos qui sunt perfecti & integri, ita etiam eos qui sunt dissoluti.] In locis ergo innumeris & prope infinitis suscitentur sancti seu electi, simul tamen rapientur in occursum, simul efferentur ad Christum. Quomodo? per velocitatem, seu agilitatem, per diuinam virtutem inditam corporibus, nec multum spiritibus imparem. [Vbique quidem resurgunt, ait ille, congregantur autem ab angelis. Adducere enim & congregare est ministrorum. Archangelum ergo arbitror esse eum qui præest, & hoc clamat iis qui missi sunt, Facite vt sint omnes parati. Dicit enim, Resurgant mortui, & fit opus, non Angelis ad hoc vim habentibus, sed verbo eius, tanquam rex iusserit & dixerit, Exeant qui sunt conclusi, & ministri educant. At si congregant & adducunt Angeli, quomodo ipsi hîc rapiuntur? Rapiuntur postquam descenderint, postquam fuerint congregati. Et nos rapiemur, & ei descendenti obuiam procedimus.] Non ergo tam adducuntur ab Angelis, quàm educuntur de sepulchris: statim enim ac immutati sunt, & pro corporis mole, dote agilitatis donati, simul euolabant in aëra, simul ocyssimè ac celeberrimè transmeabunt Nec tamen sic in aëra conscendunt, vt ambiant dignitatem loci, sed vt Christi societatem ineant. [Simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra.] Vbi est corpus, illuc congregantur & aquilæ: vbi caput, A illic & membra sociantur. Feruntur electi tam impetu suo, quàm affectu proprio; sed & à Christo trahuntur alliciunturque, tanquam ab obiecto affectûs & raptûs termino. Reprobri timent, nec audent assurgere: electi verò gestiunt, & præuenire cupiunt, vt & officium præstent, & satient appetitum. [Si enim descensurus est, ait Chrysostomus, cur rapiemur. Honoris causâ. Rege enim ciuitatem ingrediente, qui sunt quidem honesti & bonæ existimationis, erunt obuiàm: qui sunt autem rei & condemnati, intùs expectant iudicem. Et cum beneuolus quidem aduentarit pater, filij quidem, & qui digni sunt vt sint filij, in B curru educuntur, vt videant & exosculentur. Qui autem offenderunt famuli, eum intus expectant qui fertur in vesiculo patris.] Rapiuntur ergo obuiàm Christo, quia tanto affectu, tantoque feruntur impetu, vt non solùm virtutem omnem, sed & omnem vincat cogitationem, electosque nullâ morâ transferat, & capiti membra, subditos reddat principi.

Quoad secundum. Non solùm simul rapiemur cum illis, sed & in nubibus rapiemur. [In resurrectione enim, ait Aquinas, sancti conformabuntur Christo, non solùm quantum ad gloriam corporis, sed etiam quantum ad si- C tum, quia Christus erit in nube. Sic ergo & sancti à nubibus rapientur?] Quomodo ascendit Christus? In nube. [Videntibus illis, eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum.] Sed quomodo ascendit, sic & descendet. [Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.] Nimirum in nube. [Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ & maiestate.] Præfatur Apostolus, nec suum, sed Domini sui verbum esse contestatur [Nouum enim & inauditum erat dicturus, (verba Chrysostomi) propterea efficit vt sit fide dignum. A D verbo, inquit, Domini. Hoc est, non à nobis, sed à Christo Domino didicimus quod dicimus. Quando igitur aliquid volentes rationibus comprehendere, non inuenerimus, non ægrè feramus, neque succenseamus; sed cogitationem prudenter auertentes ac reprimentes, ad hoc confugiamus quòd nihil sit quòd Deus non possit, & non facilè faciat. Hæc ergo cum sciamus, cogitationes nostras refrenemus, neque terminos transgrediamur, & modos nobis datos cognitionis. Nonne vides quòd vbique fide fit opus? Veram non nosti, ex quâ & in quâ es nutritus, in quâ habitas, quam calcas, sine quâ respirare quidem potes: & de E iis quæ sunt adeò remota, & curiosus;] Scimus electos in nubibus rapiendos, quia didicimus ex testimonio Pauli, imò ex verbo Domini: sed vnde nubes in mundo innouato, in quo nulla deinceps nulla vel simpliciter vel etiam leuiter mixta erunt corpora; nos nescimus, sed diuinæ confidimus potentiæ. Credimus Cristum in nube venturum & maiestate: credimus & electos non simul duntaxat, sed & pariter rapiendos. [Nimirum, vt Aquinas sentit, ad ostendendum eorum deiformitatem. In veteri enim testamento, gloria Domini apparuit per modum nubis. 3. Reg. 8. Dominus

Chrysost. orat. 7.

Chrysost. orat. 8.

Impetus affectusque in raptu designatur.

Chrysost. ibidem.

Aquin. lect. 2.

Act. 1.

Matth. cap. 24.

Chrysost. orat. 7.

Plura ab hominibus creduntur quàm sciuntur.

Aquin. lect. 2.

venit in nebulâ. Hæc igitur nubes erunt præparatæ virtute diuinâ ad ostensionem gloriæ sanctorum.] Nubes illæ non vulgares, nec à naturâ, sed diuinâ formatæ potentiâ, quæ pompæ seruiant ac gloriæ, prodactoque euanescant spectaculo. [Dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.] Nubes illæ refulgentes sunt gloriæ imagines, quibus exstruantur tabernacula sanctorum, antequam constituantur in templo Domini, & æterno potiantur domicilio. [Si vis, faciamus hîc tria tabernacula. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.] Sunt igitur lucida corpora, quæ tamen simul & illuminent, & obumbrent; quæ simul prodant, & abscondant: sicut enim Christus ascendens in cœlum, per nubem ereptus est ab oculis mortalium: sic & electi per medium aëra rapti, per nubem abscondentur ab obtutibus reproborum. [Quia enim carnale ex frondibus, aut tentariis quærebant tabernaculum: (ita patres in catenâ Aquinatis) nubis lucidæ operiuntur vmbraculo, vnde dicitur: Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrabit eos. Semper enim & apparere solet Deus in nube, sicut scriptum est: Nubes & caligo in circuitu eius. Cum enim Dominus comminatur, nubem tenebrosam ostendit, sicut in Sina: hîc autem quia non terrere volebat, sed dare, nubes apparuit.] Sicut ergo nubes erat tenebrosa ex parte Ægyptiorum, & ex parte Iudæorum lucida: sic & illæ nubes refulgentes erunt & splendidæ penes electos: sed penes reprobos, obscuræ, triples, vmbrosæ: non tam imaginem gloriæ, quàm speciem vindictæ præse ferentes.

Matth. cap. 26.

Matth. cap. 17.

Aquin. in Caten.

Quoad tertium. Rapientur quidem electi in aëra, sed non multum in aëre detinebuntur. [Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.] In aëre? Minimè: sed cum Domino, qui subitaneo aduentu omnibus apparebit, & occursu facto, in cœlum redibit, non iam discessurus, sed in æternum permansurus. [Vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.] Nimirum, vti dixit Augustinus [Mansiones præparauit & præparat, nec alias, sed quas præparauit, has præparat: quas præparauit prædestinando, præparat operando. Parat autem quodammodo mansiones, mansionibus parando mansores. Quippe cum dixerit, In domo patris mei mansiones multæ sunt, quid putabimus esse domum Dei, nisi templum Dei?] Quod ergo ab æterno decretum est, diuinâ prædestinatione, executioni mandandum est extremâ operatione, & vltimâ dispensatione. [Nam quando viderint terram moueri, ait Chrysostomus, puluerem misceri, ex æquo vndique excitari corpora: quando, inquam, in terrâ tantum viderint tumultum, tunc scient. Tunc enim erit & vox Archangeli præcipientis Angeli & clamantis, & tubæ, vel potius tubarum sonitus. Qualis tremor, quantus metus, vna enim rapitur, & vna dimittitur: & vnus assumitur, & vnus dimittitur. Quis erit malorum animus, cum illos quidem in altum tolli, si vero dimitti viderint? Ponamus verbis iam hoc adesse. Si enim mors repentina, vel in vrbibus terræ motus & minæ ita nostros afficiunt animos: quando viderimus effractam terram, & illis omnibus repletam: quando tubas audierimus: quando Archangeli vocem quauis tubâ clariorem: quando viderimus cœlum contrahi: quando ipsum adesse omnium regem, Deum, quis erit nobis animus. Vidistis aliquando eos qui abducuntur ad mortem. Quo animo eos esse putatis ingredientes viam vsque ad portam, quot mortibus non peiorem? Quid non eligant & agere & pati, vt ab illâ liberentur caligine & nube? Ego multos audiui qui imperatoris clementiâ postquam abducti fuerant, erant reuocati, quòd nec homines viderint tanquam homines, adeò erat turbatus & stupefactus & motus animus. Nam si nos ita terret mors corporalis, quando aduenerit æterna, quomodo erimus affecti?] Sed ex opposito, quanta electorum lætitia: votis potiri, bonis omnibus frui, nedum omnibus malis eximi; Christo Domino vniri, de illo viuere, & cum illo semper interminabiliterque permanere. [Christus est fons vitæ. (ita loquitur Augustinus) Habemus salutem cum iumentis, quousque veniret ad nos fons vitæ veniet ad nos, & fons vitæ mortuus est propter nos. Negabit vitam suam, qui nobis erogauit mortem suam.] Absoluit itaque Apostolus, aitque: [Itaque consolamini inuicem in verbis istis.] Moriuntur fideles, moriuntur iusti sicut & cæteri homines: sed si in Domino moriuntur, rapiuntur ad Christum, efferuntur ad cœlum, Deum visuri, tam feliciter victuri quàm & perenniter. [Sic semper cum Domino erimus.] Cum quo? [Cum Domino;] apud quem fons vitæ, & lumen gloriæ. Quomodo? [Sic:] Tam beati, quàm & incorrupti. Quamdiu? [Semper.] Sine metu doloris, sine mortis defectu. [Tibi ista meditatio est: ait ille non enim vocatus es ad amplectendam terram, sed ad comparandum cœlum? nam vocatus es ad felicitatem terrenam, sed ad cœlestem, non ad temporales successus, & prosperitatem volaticam & transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam. Christianorum est pati mala temporalia, & bona sperare sempiterna.] Consolatio Christianorum, resurrectio mortuorum: tunc enim spes aliorum assumpta, sed iustorum merces perpetua.

1. Thess. cap. 14.


Augustin. Tract. 68. in Ioan. circ. med.

Chrysost. orat. 8.

Consolatio iustorum, resurrectio mortuorũ.

Augustin. serm. 86. de diuers. c. 2.

Augustin. serm. 16. de diuers. cap. 6. & 7.



CAPVT QVINTVM.

Epigraphe.

INcertitudinem denuntiat diei externæ, pietatem animæ fidelis erga omnes & præpositos & infirmos commendat. Sint igitur sectiones duæ: quarum hæc

---

SECTIO PRIMA.

De incertitudine.

TEXTVS.

DE temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem, qui diei sumus, sobrij sumus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus: siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Propter quod consolamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis.

EXEGESIS LITTERALIS.

VIgilandum admonet, laborandumque, ne nos dies Domini repentinus imparatos occupet. Docet igitur quid faciendum sit, & quomodo euadendum.

[De temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet &c.] Veritati sententiam contulit, sed nunc viam obstruit curiositati. Poterant enim inquirere Thessalonicenses, & dicere, Quando hæc erunt, quo temporum articulo prodibunt seu mortui seu viui, & in illo parebunt iudicio? Equidem necesse habui aliquid scribere vobis de resurrectione, & resurrectionis ordine, ad abstergendum mortis tœdium: sed de temporum spatiis, aut constitutis sæculorum terminis, non opus habetis vobis aliquid scribi aut dici, fouendo curiositatis studio. Sufficiat vobis me diligenter inculcasse, & solerter explanasse, diem Domini seu iudicij extremi, inopinato venturum, & incredulos, incautosque ex improuiso occupaturum: sicut enim fur in nocte obrepit, sic & hominibus obdormientibus inexspectatus aderit aduentus. [Hoc est; ait Comment Ambros. quod in Euangelio Dominus locutus est, dicens, Vigilate, quia nescitis horam qua Dominus vester veniet. Subitò enim & ex insperato apparebit.] Opportuno quidem tempore, & die certo, sed ignoto. Comment. Ambros. [Cum enim dixerint pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient, &c.] Cum enim infideles & impij putauerint pacifica, & in tuto posita esse omnia, tunc repentinum eis imminebit exitium, sicut mulieri aliud cogitanti & agenti, dolor partus repentè superuenit.

ſuperuenit. Incident in periculum, nec vllâ ratione malum impendens effugient. [Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat, &c.] Dies quidem illa ſicut fur in nocte, ſed eos ſolos perdet & opprimet, qui tenebras amant, ſeſeque ad illas temporum anguſtias non præparant. Cum igitur illuminati ſitis & accincti, non vos comprehendet, quos ita paratos inueniet. [Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum, &c.] Quomodo eſſetis in tenebris, cum ſitis filij lucis, & filij diei, operibus nimirum fidei ac pietatis, non profeſſione ſolùm addicti, ſed & actione: Chriſtiani namque non opprobrio vitiorum, ſed ſtudio virtutum occupati. [Non tenebroſam (ita exponit Athanaſ.) & impuram ducitis vitam. Quemadmodum enim gehennæ filij aſſeruntur, qui gehennâ digna patrarint, & diffidentiæ filij, qui Apoſtolorum dictis diffidunt; ſic & filij diei hi erunt qui ea quæ lucis ſunt fecerint.]

Soli improuidi ſubitanea iudicii ruina comprehenſi.

Athanaſ. in Paulum.

[Igitur non dormiamus, ſicut ceteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt, &c.] Si noctis filij non ſumus, ſed diei, dormiendum nobis non eſt, vt malis contingit & impijs: ſed vigilandum: non ſomno cedendum peccatorum, vt illi quos diuini obliuio corripit iudicij; ſed pietatis ac ſobrietatis operibus, quaſi in die vacandum, ſicut illi qui Dominum ſuum expectant, & ad aduentum eius vigilant. Nonne videtis homines conſopiri nocte & inebriari? non igitur id nobis conuenit, vtpote lucis non noctis filiis. [Filij alicuius rei, ait Aquinas, in ſcripturâ dicuntur aliqui, propter abundantiam in re illâ. Eſa. 5. In cornu filio olei, id eſt habente multum oleum. Qui ergo participant multum de die & luce, dicuntur eorum filij. Hæc lux eſt fides Chriſti. Sicut autem ex luce fit dies, ita ex fide Chriſti fit dies, ſcilicet honeſtas bonorum operum. Et ideò, Non ſumus filij noctis, id eſt infidelitatis: neque tenebrarum, id eſt peccatorum. Igitur non dormiamus ſomno peccati, ſed vigilemus per ſolicitudinē: & ad hoc eſt neceſſarium, quòd ſobrij ſimus: ſomnus enim & ebrietas nocti conueniunt.] Id enim tempus homines tanquam commodum quieti & voluptati eligunt. [Nos autem qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis, &c.] Cum igitur ſimus Chriſtiani, ſeu diei filij, ſtudere debemus operibus ſobrietatis & honeſtatis: nobis non ſolùm vigilandum eſt, ſed & depugnandum; ideoque fidem & charitatem pro loricâ, & galeâ ſpem ſalutis debemus aſſumere. [Commonet, inquit Ambroſ. ne ſecuri de nomine ſaluatoris negligenter agamus: ideoque tribus propugnaculis nos muniri debere, id eſt, fidei, ſpei, & charitatis. Dum enim fides manet, ſpem excitat: ſpes autem neceſſario ſolicita eſt de promiſſione, nec dormit: charitas autem offert Deo: nihil enim aduerſum admittit charitas.] Arma ſunt, quibus debellatur hoſtis, & ſalus comparatur. [Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus, &c.] Dixi, Spem ſalutis: non enim deſtinauit nos Deus ad oſtenſionem iuſtæ punitionis, ſed in acquiſitionem æternæ ſalutis, per Chriſti merita nobis conferendam, nos quippe in illo elegit ad ſalutem, mortemque ipſius effecit nobis ſalutarem; vt ſiue viui, ſiue mortui, non ſolùm ab irâ eripiantur diuinâ, ſed & æternâ cum Chriſto vitâ perfruamur. [Propter quod conſolamini inuicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.] Conſolamini, quòd non ſolùm reſurgetis, ſed & vitam cum Chriſto ducetis perpetuam. Creſcite in bonis operibus, mutuamque ſalutem piis promouete ſermonibus nunquam deſinite. Confido quidem vos ita facere, ſed moneo perſiſtere & nunquam deficere.

Aquin. lect. 1.

Ambroſ. in Paulum.

Alii in iram poſiti, alii in miſericordiam.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

INſinuat Paulus Chriſtum de nocte venturum, an & id affirmat? Negat de die ſcribendum, an & id vetat? Inquiramus.

DISQVISITIO PRIMA.

De nocte.

NOn ſolùm noctem, ſed & mediam ſeu meram noctem indicauit Chriſtus, cum dixit: [Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes & dormierunt. Mediâ autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.] Nam, vt exponit Hieronymus: [Per hoc quod dicit, Moram autem faciente ſponſo, oſtendit quòd non parùm temporis inter priorem & ſecundum Domini aduentum prætergreditur. Mediâ autem nocte clamor factus eſt. Traditio Iudæorum eſt, Chriſtum mediâ nocte venturum in ſimilitudinem Ægyptiis, quando Paſcha celebratum eſt & exterminator venit, & Dominus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni poſtes noſtrarum frontium conſecratæ ſunt: vnde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt die vigiliarum Paſchæ ante noctis medium, populum dimittere non liceat, expectantes Chriſti aduentum, poſtquam illud tempus tranſierit ſecuritate præſumptâ feſtum cuncti agant diem. Vnde Pſalmiſta dicebat, Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.] Mora igitur illa quam trahit ſponſus, ſeu quam Chriſtus indicit, totum eſt illum ſpatium quod priorem inter aduentum & poſteriorem interiectum eſt. Interim dormitauerunt omnes & dormierunt: id eſt, omnes mortui ſunt, ſed nonnulli dormierunt ſomnum ſuum dum longo tempore quieuerunt in ſepulcris ſuis, alij dormitauerunt, vix morte contacti, ſtatimque ſuſcitandi. [Dum tardat ille, dormierunt omnes. Quid eſt omnes? ait Auguſtinus. Et fatuæ & ſapientes, obdormitauerunt omnes & dormierunt. Putamus, bonus eſt ſomnus iſte? Quid eſt ſomnus iſte? Ne fortè tardante ſponſo, Quoniam abundat iniquitas, refrigeſcit

Matth. 25.

Hieronym. in Matth.

Qualis Iudaica traditio de Chriſto venturo.

Auguſtin. ſerm. 22. de verb. Dom. cap. 5.

charitas multorum. Siccine intellecturi sumus istum somnum? Non mihi placet: dico quare, quia sunt ibi prudentes: & vtique quando dixit Dominus, Quoniam abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum, subiecit & ait: Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vbi vultis esse istos prudentes? Nonne in his qui perseuerauerunt vsque in finem? Nec enim ob aliud prorsus admitterentur intrò, nisi quia perseuerauerunt vsque in finem. Non ergo eis obrepsit frigus charitatis, non in eis refriguit charitas, sed feruet vsque in finem. Est ergo alius somnus, quem nemo euadit. Non recordamini Apostolum dicentem, De dormientibus autem nolo vos ignorare: id est, de his qui mortui sunt? Quare enim dormientes vocantur, nisi quia suo die resuscitantur? Putas, quia prudens est, ideò non habet mori? Fatua sit virgo, prudens sit virgo, somnum mortis omnes patiuntur.]

Triplex somnus ab Augustino designatus, sicut & ab Apostolo. Primus, naturæ: alter, pœnæ: tertius, culpæ. [Credimus enim, ait Tertullian. si quid est natura, rationale aliquod opus Dei esse. Porrò, somnum ratio præit, tam aptum, tam vtilem, tam necessarium, vt absque illo nulla anima sufficiat: recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum; cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam calorem.] En somnus naturæ: quia verò filius est noctis, & vicinus frigoris; inductus est ad significandum pœnæ somnum per mortem, & somnum culpæ per iniquitatem: in illo enim obtenebrescit vita, in isto frigescit iustitia. Primus apud Paulum: [Qui enim dormiunt, nocte dormiunt.] De altero, Nolo vos ignorare de dormientibus.] De tertiò, [Igitur non dormiamus sicut & ceteri.] Cuique somno sua apposita est vigilia nam vigilat non solùm qui non dormit, sed & qui viuit, aut qui non delinquit, vt qui morti seu corporali seu spiritali non succumbat, id est vtrumque somnum excludat. Ita Paulus: [Siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus.] Nam, vt benè admonet Commentator Ambros. [Hoc est quod suprà dixit, quia fideles in aduentu Domini, tam mortui quàm viui obuiam tollentur Domino, & sic semper viuent cum eo. Idcircò igitur mortuus est pro nobis Dominus Iesus, & resurrexit: vt siue vigilemus, hoc est viuamus, siue dormiamus, id est moriamur, vnà cum illo vitâ æternâ fruamur.] Hoc igitur Christus, quod & Apostolus: [Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt.] Ex vtroque enim genere hominũ moriuntur hoc interuallo temporis, donec sub aduentu Domini fiat resurrectio mortuorum. Sed quidam dormierunt, illi scilicet qui obierunt primi: alij dormitauerunt, qui se dormisse suspicati sunt potius quàm experti: vigilare quidem seu viuere desierunt, sed sicut desierunt morte repentinâ, sic & subitâ resurrectione suscitati sunt. [Mediâ nocte clamor factus est.] Verùm & ipse Christus. [Vigilate, (inquit Nescitis enim quando Dominus domûs veniat: serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes.] Si enim certum esset Christum mediâ nocte venturum, non solùm de ceteris diei partibus securi essemus, sed & tempora nossemus & momenta. Vnde & Paulus nunc memorat noctem: [Quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.] Nunc & diem vocat. [Vos autem, fratres, non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat.] Nihil enim certum, vbi quicquid est, omnibus improuisum est mortalibus.

Tertullian. l. de Anim. cap 43.

Somnus triplex, naturæ pœnæ, & culpæ.

Comment. Ambros.

Matt. c. 13.

Dicendum ergo vocari diem Domini, quia tempus est futuro iudicio destinatum; noctem verò memorari, quia tempus incertum, aduentus inopinatus, tenebrosa & obscura omnia. [Quid est, Mediâ nocte? (ait Augustinus) Quando non speratur, quando omninò non creditur. Noctem posuit pro ignoratione, ne aliquis quasi computet sibi. Vnde scimus quando veniet? Mediâ nocte veniet. Quid est, Mediâ nocte veniet? Dum nescis, veniet. Quare dum nescis, veniet? Ipsum Dominum audi: Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in suâ potestate. Dies Domini, ait Apostolus, tanquam fur in nocte, ita veniet. Sed cum factus fuerit clamor. Quis est iste clamor, nisi de quo Apostolus dicit, In ictu oculi, in nouissimâ tubâ: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Denique clamore facto, quid sequitur? Surrexerunt omnes. Quid est, Surrexerunt omnes? Veniet hora, dixit ipse Dominus, quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & procedent. Ergo ad nouissimam tubam surgent omnes.] Non affirmat ergo Paulus Christum aut de die aut de nocte venturum, imò vtrumque nominat, vt nulli credamus errori, nulli fidamus tempori. [Sciendum enim, ait Aquinas, quod vtrumque est, quia in die venit propter manifestationem cordium. 1. Corinth. 4. Quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: sed in nocte, propter impræmeditationem & incertitudinem. Matth. 25. Mediâ nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit: incertum enim est, quâ horâ erit.] Hoc solum affirmat Paulus, quod & Petrus significat. [Adueniet autem dies Domini, vt fur.] Seu, vt habent Græca: [Adueniet dies Domini in nocte, vt fur.] Quibus non tam assignatur portio temporis, quàm furis conditio designatur. Ille enim nec diem excipit nec noctem, qui totum furando tempus impendit: sed obseruat tempus, quo se nec expectari putat, nec obseruari: & cum illud vt plurimum sit nocturnum tempus, quo dormiunt homines, nec minùs à curis absistũt quàm à vigiliis, noctem captat in occasionem, audaciusque dum tutiùs de nocte quàm de die ambulat. Sed cum in die Domini, incertitudo non sit ex parte superuenientis, sed ex parte dormientis, non est necesse noctem captare ad oportunitatem, sed inexpectationem prænotare ob incredulitatem. [Cum enim dixerint, Pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus. Sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.] Non est ergo temporis designatio, sed denotatio incertitudinis; quâ dies Domini reuelabitur eo tempore quo non expectabitur.

Augustin. serm. 22. de ver. Dom. c. & cap. 15.

Aquin. lect. 1.

2. Pet. c. 3.

Nocturnum tempus furibus oportunum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De die.

Diem Domini dicit Paulus, tempus illud quod accipit Christus ad iudicandum. [Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.] Quamuis enim dies omnes illius sint; [Ordinatione tuâ perseuerat dies.] Speciatim tamen dies Domini dictus est, quem elegit ad resurgendum de sepulcro: [Hæc dies, quam fecit Dominus.] Et ille, quem destinauit ad sedendum in iudicio. [Dies Domini veniet.] Sicut enim dies Antichristi, tempus est concessum illi ad regnandum: sic & dies Christi, tempus destinatum ab eo ad iudicandum. In quo notandum est primò non parem esse vtriusque temporis incertitudinem. [Erit enim signum eius aduentûs, ipse autem non habebit signum, sed repentè veniet & ex inopinato.] Ita Chrysostomus. Notandum secundò, aliud esse præcise diem Domini, aliud aduentum Domini. Dies enim Domini late, totum illud tempus est, quod signis datum est futuri iudicij prænuntiis. [Erunt signa in sole, & lunâ, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris, & fluctuũ: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superueniet vniuerso orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & maiestate.] Et, [Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa. Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare antè filium hominis.] Quod autem dicit illis, nobis dicit. [Quibus enim omnibus dicit, (ita Augustinus) nisi electis & dilectis suis ad corpus eius pertinentibus quod est Ecclesia? Non solùm ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur, sed etiam illis qui fuerunt post illos ante nos, & ad nosipsos, & qui erunt post nos vsque ad eius nouissimum aduentum.] Notandum tertiò, Nonnulla quidem esse signa aduentûs prænuntia, sed quæ coniecturam potius exstruant humanam, quàm certam pariant scientiam: nam & nonnulla sunt partûs indicia, sed vt plurimum fallacia. [Alioqui, ait Chrysostomus, & dies, & hora est incerta, exactaque & accurata est similitudo Nam multæ etiam in viis pariunt & extra domum, cum non præsciuissent: & illa ludens, ridens, nihil omninò præuidens, repente inexplicabilibus, arrepta est doloribus.] Diem igitur Domini dicimus præcise diem illum quo Christus adueniet, & extremam rerum euentui, hominumque cursui imponet clausulam: quærimusque, quàm nobis notus ac perspectus.

Psalm. 74.
Psalm. 118.
Psalm. 117.
Chrysost. orat. 9.
Luc. cap. 21.
Augustin epist. 80. post. init.
Coniectura humana nõ est certa scientia.
Chrysost. orat. 9.

Semper computarunt mortales, semperque fallaces in calculis, mendaces in stateris, quà homines aberrarunt. [Ecce, (inquiunt apud Augustinum) ab Adam tot anni transierunt & ecce complentur sex millia annorum: & continuò, quomodo quidam tractatores computauerunt, continuò veniet dies iudicij: & veniunt & transeunt computationes, & adhuc remoratur sponsi aduentus, & dormiunt virgines quæ obuiam ierant. Ecce dum non speratur, dum dicitur, sex millia annorum expectabantur, & ecce transierunt: vnde scimus iam quando veniet?] Nihil homine curiosius, sed nihil hac curiositate infelicius. [Multa quidem, ait Chrysostomus, iam discere & comprehendere contendit mens nostra, maximè autem tempus consummationis. Et quid mirum si hoc nobis accidat? Nam etiam ipsis illis sanctis hoc omnium maximè accidit. Et ante Christi quidem perpessionem accedentes Apostoli dicunt Christo? Dic nobis quando hæc erunt? & quod est signum tui aduentûs & consummationis seculi? Post perpessionem autem & resurrectionem à mortuis, dicebant ipsi, Dic nobis an in hoc tempore restitues regnum Israël? Audi ipsum dicentem Apostolis: Non est vestrum nosse tempora & momenta quæ pater posuit in suâ potestate. Quid curiosè scrutamini? Hoc Petrus audiit cum suis Petrus, inquam, qui erat Apostolorum princeps & coryphæus, vt qui desiderarent maiora, quàm eos decebat.] Sed non minus argutè quàm & scitè obseruauit ille, curiositatem illam non tam humanam esse quam puerilem, nec tam animo discendi cupido, quàm genio tribuendam inquirendi auido. [Pueri enim simpliciores, ait ille, non cessant obtundere educatores & parentes crebritate quæstionum, in quibus nihil est aliud, quàm quando hoc est, & quando illud? Vnde Apostoli quando sancto Spiritu digni sunt habiti, ipsi non solùm non interrogant, sed eos etiam reprimunt qui hac laborant intempestiuâ curiositate. Audi ergo qualia nunc dicit beatus Paulus: De temporibus autem aut momentis, fratres, non indigetis vt scribamus vobis. Illud enim, Non indigetis, & tanquam superuacaneum, & tanquam inutilè non finit quærere. Quid enim, dic quæso, hinc lucri fit? Ponamus esse consummationem post viginti annos, post triginta, post centum. Quid hoc ad nos? Quid de inani fine curiosè es sollicitus & velut parturis?] Hoc miserum in naturâ humanâ, quod non solùm ad occulta & obscura ediscenda, curiosa sit & auida; sed & quod auiditatem suam curiositatemque in vanis impendat & illicitis, necessaria spernat, appetat superuacanea. [Rerum suarum nullam habet rationem, sed omnia curat magis quàm sua. Ita hic quoque, mittentes vnusquisque suum finem curare, volumus communem scire dissolutionem.

Augustin. serm. 22. de verb. Dom. cap. 6.
Chrysost. orat. 9.
Maiora quàm nos deceat non sunt requirenda.
Chrysost. ibidem.
Chrysost. ead. orat.

Docet ergo Paulus, quid scire debeat Christianus de die Domini, quid autem valeat inquirere curiosus, nec humanis tantùm coniecturis; sed & certâ statuere audeat sententiâ, prohibet. [Dicit ergo (apud Aquinatem) Necesse erat, quòd scriberem de præmissis, quia indigistis. Sed de temporibus: nimirum quæ tempora futura sint, non erat necesse, quia quædam de his sunt soli diuinæ scientiæ reseruata. Matth. 24. & Marc. 13. De die illâ, vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo. Et, Quid necesse est homini maiora se quærere, cũ

Aquin. lect. 1.

ignoret quid conducat sibi in vitâ, numero dierum vitæ suæ? Et ideò hoc non est necesse scribere, quia illud quod sciendum est, Vos scitis: quia scilicet, Dies Domini sicut fur in nocte. Adueniet dies in nocte, & impræmeditatione. Iste specialiter est Domini, quia facit in omnibus suam voluntatem, quæ impletur in bonis, qui perducuntur ad finem præscitum à Deo, scilicet salutem 1. Timoth. 2. Vult omnes saluos fieri. In malis, quia punientur. Psalm. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.] Hoc quidem de die Domini sciri voluit. [Quis enim nostrûm, ait Augustinus, docere audeat, vel se scire præsumat, quod Deus ille magister nec eos discipulos docuit, à quibus præsentibus interrogatus est præsens, nec illi tam sancti magnique doctores Ecclesiam docere potuerunt? An respondebitur, hæc non docuisse Apostolos, sed prophetas? Sed admiratione plenum est, si ea quæ prophetæ hominibus sunt locuti; hæc Apostoli vel scire sunt prohibiti vel docere. Quomodo autem Prophetæ ista de quibus agitur tempora docentes, non intelligerentur ab Apostolis, si intelliguntur à nobis? Aut si eos Apostoli istam mensuram temporis prophetantes, quomodo non docerent quod intellexerunt, quando per eorum præconium & ipsi prophetæ innotescebant? Cur ergo eis dictum est, Non est vestrum scire: vel si ita intelligendum est, Non est vestrum docere tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate: quandoquidem sic ea docebant, cum hi in quorum litteris discerentur, per illos innotescebat? Vnde credibilius est, non Deum noluisse sciri, quod noluit prædicari; sed noluisse prædicari, quod videbat non vtiliter sciri.]

Augustin. epist. 80.

Dies Domini & angelos latuit & Apostolos.

TROPOLOGIA.

Qui diei sumus, sobrij simus.

NOn inuidit nobis Deus scientiam iudicij futuri, sed conscientiam muniuit per ignorantiam. Primò igitur noluit nos scire, vt semper parati simus per iugem vigilantiam: secundò finem orbis & finem hominis voluit nos conferre, vt edocti simus per vtilem scientiam: tertiò, à deliciis & carnis curis absoluere placuit, vt accincti simus per salutarē abstinentiā.

Quantum ad primum. Sicut mala illa scientia quâ deteriores fiunt homines; sic & bona ignorantia, quâ fiunt meliores. [Si vultis scire, (verba Chrysostomi) cur dies ille sit occultus. & cur tanquam fur veniat in nocte, ego dicam, vt ipse rectè se habere existimo. Nemo vnquam virtutis per totam vitam curam gessisset.] Voluit nos Deus per totam vitam vigilare, nunquam studium virtutis remittere, idcircò & iudicium instituit, sed placuit omnibus esse incognitum. Iudicium illud tribus quidem conditionibus notum est, quo melius homines in officio contineat: sed & tribus rationibus occultum est, vt pietatem potius quàm curiositatem exerceat. Iudicium est, id est vnicum; nam si pluries repeteretur, tandem vilesceret; si toties experiretur homo, sensim assuesceret. Extremum est, id est grauissimum: nam quæ extrema

Chrysost. orat. 9.

A sunt, sunt semper diriora. Æternum est, id est, tam irremediabile quam & irreuocabile: diuina censura est, quam nec fata rescindere possunt, nec secula possunt infringere. [Benè philosophi docetis, (ait Tertullianus irridendo) vtiliter suadetis, leuiora post mortem supplicia vel præmia; cum si quod iudicium animas manet, grauius debet credi in dispunctione vitæ, quàm in administratione: quia nihil plenius, quàm quod extremius: nihil autem plenius, quàm quod diuinius. Deus itaque iudicabit plenius, quia extremius, per sententiam æternam tam supplicij quam refrigerij. Et hoc semel.] Extremum quidem, idque perpetuum: sed

Tertullian. l. de Anim. c. 33.

B & nulli nisi patri notum. Scimus Christum semel venturum in fine temporum, & æternam prolatutum sententiam. Sed quando, quo momento, quo temporum, seculorum-ve articulo: nescimus: nec expedit inquirere, quia scire non proficit. Occultauit Deus arcanum istud omnibus. Primò, [Vt pendulâ expectatione, (ita loquitur Tertullianus) sollicitudo fidei probetur; semper diem obseruans, dum semper ignorat; quotidie timens, quod quotidie sperat.] Nescimus quando Dominus noster venturus sit, vt semper accincti simus ad aduentum, semper suspensi ad iudicium. [Quod ergo scire sufficiat, satis ipse demonstrat Apostolus, dicendo,

Tertullian. ibidem.

Augustin. epist. 80.

C De temporibus & momentis non opus habetis vobis scribi: nec secutus adiunxit, Vos enim diligenter scitis quantum temporis restet: sed ait, Vos enim ipsi diligenter scitis, quia hora Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Hoc ergo scire opus est, vt curent filij lucis esse & parato corde vigilare, qui nolunt ab illâ horâ sicut à nocturno fure comprehendi. Nam si ad cauendum hoc malum, id est, ne hora Domini tanquam fur inueniat imparatum, opus esset nosse temporum spatia, non diceret Apostolus non opus esse vt hoc scriberet, sed hoc potius eis esse scribendum tanquam doctor prouidentissimus iudicaret.] Aperit nimirum quod prodest,

Quod ventuRum ignoratur, tā solicitè quàm & auidè expectatur.

D quod verò obest præterit. Secundò, vt ignorantia diei omnibus taciti, affectum excitet, stimulet desiderium. [Intuentes enim quod dixit Apostolus, redditurum Dominum coronam iustitiæ, non tantùm sibi, sed & omnibus qui diligunt manifestationem eius: ita rectè viuimus, & in hoc seculo tanquam peregrini agimus, cum se in hac dilectione cor nostrum proficienter extendit, siue citiùs siue tardiùs veniat quàm putatur, cuius manifestatio fideli charitate diligitur, & pio desideratur affectu.] Ita Augustinus Tertiò denique, quia per humanam ignorantiam venienti iudici paratur honoris ac venera-

Augustin. ibidem.

E tionis cultus, dum aduentus repentinus, diuinusque viri noui repræsentatur aspectus. [Vel ex consuetudine humanâ, ait Tertullianus, quâ ignoti, vel ex inopinatò apparentes de cœlo superuenisse dicuntur.] Tangit enim vehementiùs quod inopinatum est & inexpectatum, honoremque & venerationem altiùs imprimit.

Tertullian. c. 10. Apol.

Quantum ad secundum. Nihil certius orbis fine, die tamen finis nihil incertius. Confer nunc magnum mundum ac paruum, & illius finem transfer ad mortem istius. [Vtatur homo pœnâ, suâ: ait Augustinus, & benè vtatur malo suo, vt proficiat bono suo. Quis nescit,

Augustin. serm. 21 de ver. Dom. c. 2. & cap 3.

quia pœna est, necesse esse vt moriamur: & quod est grauius, quando nescimus: Pœna certa est, hora incerta: & de istâ pœnâ solâ certi sumus in rebus humanis. Cætera nostra & bona & mala incerta sunt, sola mors certa est. Quid est quod dico? Conceptus est puer, fortè nascitur, fortè abortum facit. Ita incertum est. Fortè crescit, fortè non crescit: fortè senescit, fortè non senescit: fortè diues erit, fortè pauper: fortè honoratus, fortè humiliatus: fortè habebit filios, fortè non habebit: fortè ducet vxorem, fortè non ducet. Quicquid aliud nominaueris in bonis, respice & ad mala. Fortè ægrotat, fortè non ægrotat: fortè à serpente percutitur, fortè non percutitur: fortè à bestiâ deuoratur, fortè non deuoratur. Respice omnia mala: vbicumque fortè erit, fortè non erit. Nunquid potes dicere: Fortè moritur, fortè non moritur? Quomodo medici quando inspexerint valetudinem, & mortiferam esse cognouerint, hoc prænuntiant, Moritur: inde non euadit. Ex quo nascitur homo, dicendum est, Non euadit. Quando natus est, ægrotare cœpit: quando mortuus fuerit, finit quidem ægritudinem, sed nescit vtrum pergat ad pejorem, Nihil ergo certius hominis morte, sed nihil incertius mortis die: sicut enim finem mundi voluit Deus certum nobis esse, sed diem incertum ad vigilantiam: sic & hominem de morte suâ certum esse placuit, de die incertum ad obseruantiam. [Si enim, vti dixit Chrysostomus, sciret vnusquisque futurum, vt cras moreretur, nihil ante eum diem recusaret facere, sed & interficeret quos vellet, & se recrearet vlciscens inimicos, & alia scelera faceret innumerabilia. Homo enim impurus & sceleratus, qui huius vitæ spem abiecit, ne eius quidem habet rationem qui est indutus purpurâ.] Noluit igitur Deus diem iudicij priuati cognitum cuiquam esse, sicut nec vltimum voluit exitum hominis, sicut & orbis cuiuis occultum: vt isto fræno, contineatur in officio; & ex mortalitatis experientiâ, sed mortis inscitiâ, paueat semper conscientia. [Quod dicitur, eum tanquam fur dies ille comprehendet, vnusquisque, ait Augustinus, debet etiam de die huius vitæ suæ nouissimo formidare. In quo enim quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur. Nunquid omnes inuenturus est dies ille in hac vitâ, aut quisquam dicturus est quod ad defunctos etiam pertineat quod ait Dominus: Vigilate, ne cum repentè venerit, inueniat vos dormientes? Cur itaque omnibus dicit, quod ad eos solos pertineat qui tunc erunt, nisi quia eo modo ad omnes pertinet? Tunc enim vnicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus ne imparatum eum inueniat Domini aduentus. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies. Certè enim hoc saltem manifestum erat Apostolis, non eorum temporibus, cum hîc in carne viuerent, Dominum esse venturũ: & tamen quis dubitet eos præcipuè vigilasse &

Nihil hominis morte certius, mortis die nihil incertius.

Chrysost. orat. 9.

Augustin. epist. 80.

A seruasse quod omnibus dixit, ne imparatos repentè veniens inueniret?]

Quantum ad tertium. Vult Apostolus, fideles semper & vbique vigiles, salutis curam agere, & ad diem mortis, sicque ad orbis finem, per abstinentiam voluptatis contendere. [Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri; sed vigilemus, & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus.] Nimirum, vt obseruauit Chrysostomus: [Hîc Apostolus ostendit, quod in die esse sit nostrum. Nam hîc quidem in hac die & nocte non est nostrum, sed vel nobis

B inuitis venit nox, & nobis nolentibus adest somnus. In illâ autem nocte & somno non est ita: sed licet perpetuo vigilare, licet perpetuò diem agere. Nam animæ claudere oculos, & à vitio somnum inducere, non est naturæ, sed liberi arbitrij. Sed vigilemus, inquit, & sobrij simus. Licet enim ei qui vigilat dormire, nihil boni agendo. Propterea subiunxit, Et sobrij simus. Etenim in die si quis vigilet, non sit autẽ sobrius, in mala incidet innumerabilia. Quamobrem vigiliæ intensiò est sobrietas. Qui dormiunt, inquit, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu inebriantur. Ebrietatem quippe hîc dicit, non eam solùm, quæ est à vino, sed eam

C etiam quæ est ab omnibus malis. Ebrietas enim animæ sunt diuitiæ, & pecuniæ cupiditas, & amor corporum, & quodcumque dixeris, est ebrietas animæ. Inde diuitiæ sunt hominum, & gloria, & quæcũque sunt huiusmodi. Nam qui dormit, ea quæ sunt & quę verè consistunt, non videt: quæ autem non, tanquã quæ sunt, visione apprehendit. Tale est vitiũ, & quæ in vitio agitur vita. Non videt quæ sunt, hoc est, quæ sunt spiritalia, cœlestia, manentia: sed quæ fluunt, & auolant, & citò à nobis resiliunt.] Certum est vitia omnia proscribi, & omnem virtutem præcipi: sed & hoc commendat Apostolus speciatim quod sigillatim Christus imperat. [Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in

D crapulâ & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.] Ebrietatem indigitat, tanquam vitiorum matrem, pestemque virtutum: ideoque caueri mandat & amoueri. [Ebrietas, ait Basilius, malitiæ mater est, virtutis inimica: fortem virum reddit ignauum, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit.] Patet experientiâ, nec tacet conscientia. [Si conscientiam communem consulamus, (verba Tertulliani) ipsa natura enun-

E tiabit, quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc saliua exhibere consueuit rebus duntaxat sensûs agendis quo diuina tractantur, si multo pollentioris mentis, si multò viuacioris cordis, quàm cum totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquẽdis iam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum; in quo planè nihil tam in proximo supersit, quàm ad lasciuiã sapere. Ceterùm quotusquisque meminerit religionis, occupatis, memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris? Nemo ita vt decet, ita vt pat

Chrysost. orat. 9.

Qui dormiunt, vident quæ nõ sunt, nec vident quæ sunt.

Luc. 21. 34.

Basil. Hom. cont. ebriet. post init.

Tertullian. l. de Ieiun. cap. 6.

est, ita vt vtile est recordabitur Dei eo tempore, quo ipsum sibi hominem excidere solemne est. Omnem disciplinam victus aut occidit, aut vulnerat.] Ebrietatem igitur proscribit Apostolus, quæ salutis generat incuriam: sobrietatem indicit, quæ materiam virtutis subministrat. Præcipit abstinere a sensibilibus deliciis, & a carnalibus desideriis quæ militant aduersùs animam & incumbere virtutibus Christianis, quæ conscientiam purgant, & ad bonum mortis, iudiciisque aduentum præparant animam. Denique vigilare, nec vigiles tantùm, sed & solertes stare, vt accincti procedant, & expediti mente ac corpore, in occursum sponsi, in aduentum Christi prosiliant.

ANAGOGIA.

Induti loricam fidei & charitatis.

NOn satis est Christianum vitiis purgatum esse, virtutibusque ornatum. Debet insuper, primò, armare se: secundò, fidem, spem, charitatem aptare: tertiò destinatum semper scopum prospectare.

Quoad primum. Præcepta dedit Apostolus, nunc & arma suggerit. [Non enim, vti notauit Chrysostomus, satis est vigilare, & esse sobrium, sed etiam oportet armari. Nam & si quis sit vigilans & sobrius, non habet autem arma, latrones eum citò conficiunt. Cum ergo nos oporteat & vigilare, & esse sobrios, & armari, simus autem inermes & nudi, & dormiamus, quis vetabit quominus defigat ensem?] Quid ergo? si diei sumus, si sobrij sumus? Iam hæc dixit Apostolus, sed & addit, [Induti.] Id est, armati. Quo sensu Sapiens, [Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galeâ iudicium certum sumet scutum inexpugnabile, æquitatem.] De Deo quidem loquitur, ac Christo Domino, sed & ipse nobis pro exemplo proponitur. [Imitare sponsum cœlestem, ait Basilius, insurgentes aduersum te crebro inuisibiles hostes in fugam dato: bellum cum potestatibus illis ac principatibus gerito: studetoque vt eos ex animo primùm expellas tuo, neque omninò illis quicquam sit apud te loci. Dele consilia, aduersùm Christi fidem defectionem molientia, Aduersùm impiam, ac nequam cogitationem, pietatis verbo depugna, secundum præceptum Apostoli: ita enim ille, Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Dei. Vbi verò ille etiam probum ac bonum reddi per pericula, suasque copias cum aduersariorum copiis committere decreuerit: hìc tu ita te compara, vt nulli, quantumuis magno, labori succumbas: neque terrore periculi vllo animum tuum de statu sinas dimoueri. Et si in iudicium vocere aliquando, atque antè magistratus ducare, & consurgentis in te populi tibi totius sustinendus sit furor, & spectandus tibi carnificis vultus horroris plenus, duraque audienda vox, & cruciatuum, qui tibi intententur, diritas intuenda experiundaque tormenta; & ad mortem vsque perpetuò depugnandum, ad hæc omnia tu expromptum semper animum tuum præbeto.] Id est, semper pugnandum, semper repugnandum: quia quandiu viuimus, bellum vel inuiti gerimus; omnibus persecutionibus, omnibus tentationibus expositi. [Militia est vita hominis super terram. Hoc in loco, ait Gregorius, translatione veteri, nequaquam militia vita hominis nuncupatur, sed tentatio. Sed si vtriusque verbi sensus aspicitur, diuersum quidem est quòd exteriùs resonat, sed vnum eundemque concorditer intellectum format. Quid enim nisi pugna contra malignos spiritus, nomine tentationis exprimitur? Et quid appellatione militiæ, nisi contra hostes exercitium designatur? Tentatio itaque ipsa militia est: quia dum contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum procinctu proculdubio exudat.] Parùm est habere tentationem, persecutionem ferre: tota ipsa vita, pugna est continua, colluctatio, conflictatio. [Notandum est enim, ait ille, quòd hæc eadem vita hominis, non tentationem habere dicitur, sed ipsa tentatio esse perhibetur. Sponte quippe à statu conditionis lapsa, & corruptionis suæ putredini subdita, dum sibi ex semetipsâ molestias gignit: hoc etiam facta quod tolerat. Quia enim statum mentis inclinata deseruit, quid in se nisi motum varietatis inuenit? Et quia cum culpâ simul ab origine etiam pœna propagatur, inserto infirmitatis vitio nascimur: & quasi nobiscum hostem deducimus, quem cum labore superamus.] Vndique nobis structæ sunt insidiæ: & in nobis ipsis motus non varietatis duntaxat insitus est, sed & contrarietatis. Aduersùs nosmetipsos armandi sumus, animandique, vt pars partem debellet: spiritus carnem superet: arma semper tractanda, instauranda prælia: nec enim securitati vllus aut quieti locus relictus est.

Quoad secundum. Paulus non solùm ministrat arma, sed & adaptat. [Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.] A fide quidē incipiendū est, infidelis quippe totus inermis est, telis hostiū, iaculis tentationū expositus. Sed si Christianus solâ fide munitus sit, & ipsâ charitate destitutus, facilè capitur, facilè deuincitur: licet enim artis teneat sciētiam, non tamen certaminis assequetur victoriam. [Fidei, inquit, & charitatis. Hìc, ait Chrysostomus, vitam innuit & dogma. Non quamuis, inquit, fidem, sed sicut loricam, nihil facile dissecuerit, sed est validus & firmus murus pectori; ita etiā tu fidem & charitatem adige animæ, & nullum ex igniitis telis diaboli poterit infigi. Vbi enim armis charitatis protecta & munita fuerit vis animæ, omnia temerè ac frustra struunt & parant qui insidiantur.] Arcem quippe tenet charitas, seu voluntas pia & sancta, quæ sicut culmen obtinet virtutis, sic & munimen præbet fortitudinis: sicut enim cupiditas non aliud est, quàm humana infirmitas, sic & charitas aliud non est quàm firmitas Christiana. [Ad hoc namque, ait Gregorius, homo conditus fuerat, vt stante mente, in arcem se contemplationis erigeret: & nulla hunc corruptio à conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quòd ab ingenitâ standi soliditate voluntatis pedem ad culpam mouit, à dilectione conditoris in semetipso protinus cecidit. Amorem verò Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consistere potuit, quia lubricæ mutabilitatis impulsu, infra se per corruptionem proruens, etiā

Marginalia: Chrysost. orat. 9. — Sap. cap. 5. — Basil. præf. in Asceticis. — Vita humana, pugna est perpetua. — Gregorius l. 8 Mor. c. 5. — Gregorius ibidem. — Chrysost. orat. 9. — Aliud scientia artis, aliud certaminis victoria. — Gregorius l. 8 Mor. c. 6

à semetipso discessit. Qui nunc quia conditionis suæ soliditate non figitur, alternantis semper desiderij motu variatur: vt & quietus actionem desideret, & occupatus ad otium anhelet. Quia enim fixa mens stare cum potuit, noluit: stare iam non valet, etiã cum vult. Conditoris quippe sui contemplationem deserens, salutis suæ fortitudinem perdidit: & quolibet posita, semper ægra alium locum quærit.] Peccatum peccauit homo, propterea instabilis factus, infirmus, imbecillis: quamuis enim salutem recuperare possit, nunquam tamen totam mentis fortitudinem, quia nunquam in hac vitâ totam charitatem, & nulli permistam cupiditati recuperare poterit. Inde quippe firmus, hinc & infirmus: mente quidem seruit legi Dei, carne autem legi peccati: inde viriliter cupiditati resistit hinc molliter cedit voluptati. Sed sicut quo plus charitatis, eo minus cupiditatis est; sic & quo minus cupiditatis, eo minus infirmitatis; quo maior charitas, eo maior firmitas, quâ non solùm pugnant fideles, sed & martyres superant. [Quibus enim armis, ait Fulgentius, præcinctus Stephanus sæuitiam Iudæorum potuit superare, vt ita meruerit feliciter triumphare? Stephanus ergo, vt nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam vbique vincebat. Per charitatem Dei, sæuientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatẽ arguebat errantes, vt corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur.] Fides quidem admonet quid agendum, sed exercet charitas quod fides docet: dirigit fides & instruit, charitas agit, & vincit. Vult ergo Paulus Christianum esse fide munitum, sed fide quæ per charitatem operatur, quæ meditatur prælia Domini. [Quam charitatem, ait Augustinus, laudans atque commendans Apostolus, inter cetera eius bona dixit eam & cuncta sufferre. Charitas, inquit, magnanima est. Paulo post ait: Omnia tolerat. Quanto enim maior est in sanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur, omnia tolerantur.] Quanto enim amor ardentior, tanto ardor, & ad facienda bona, & ad mala perferenda vehementior: idcircò quo maior iustis charitas, eo firmitas constantior: & inde martyres fortiores, constantioresque, quia iis pugnauerunt armis, magnâ voluntate, id est, magnâ charitate omnia superauerunt.

Fulgent. ser. de sancto Steph. circa init.

Augustin. l. de Patien. cap. 57.

Quoad tertium. Hucusque spem distulimus, non quod vltima sit, sed quòd sit præcipua: est enim charitatis fœtus radiusque, qui non solùm alta spirat & ardua, sed & scopum semper prospectat destinatum. [In primis, ait Basilius, potissima tibi in manu, Dei spes posita sit: ea enim eiusmodi est, vt simulac modò apparuerit, exterritos confestim hostes vertat in fugam.] Nec contradicit Apostolo, dum spem ponit in manu, nihil enim aliud intendit, quàm spem debere semper esse præsentem. Sic & Paulus dum eam in capite constituit, intelligit debere esse erectã, muneri intentã & operi. Ita miles ille Christianus, & in Domino Deo gloriosus, [Russatus sanguinis sui spe, (ita loquitur Tertullianus) calceatus de Euangelij paraturâ, succinctus acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrij candidâ meliùs coronandus, donatiuum Christi in carcere expectat.] Sicut enim fidei est aciem instruere, charitatis militem munire, sic & spei promissis animum firmare, præmium ex factis expectare. Ita Christianum armat Apostolus, vt fidem & charitatem, vel vt loricam seu thoracem militarem circumponat corpori, ad tuitionem: spem verò velut galeam imponat capiti, ad intuitionem: hæc enim quasi in speculâ constituta est, vt animus promissa prospectet præmia, præliantemque in salutis acquisitionem inflammet felicitatisque. [Et galeam spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominũ Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus.] In hoc positi sumus, in hoc destinati. [Sicut ergo galea, inquit Chrysost. cõseruat id quod est præcipuũ eorum quæ sunt in nobis, nempe caput, amplectens & vndique tegens; ita etiam spes, non sinit rationẽ concidere, sed facit stare rectam tanquã caput nihil externũ in ipsum sinens cadere. Quandiu autẽ nihil in eam cadit, nec ipsa labitur. Is enim qui est his armis munitus, fieri non potest vt cadat: manent enim fides, spes, charitas. Denique cum dixisset Apostolus, Induite & circumponite, tum ipse quoque constituit vndenam nata sint arma, fides, spes, charitas, & fiant fortia: Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christũ, qui mortuus est pro nobis. Non ad hoc inclinauit vt perderet, sed vt seruaret. Quod autem hoc velit, vndenam constat? Filiũ suum dedit pro nobis. Adeo desiderat vt nos salui simus, vt filium suum dederit, & non solũ dederit, sed dederit ad mortem. Bona ergo speremus & magna. Ne desperes, quoniam & in periculo habes pignus certum & validum: si enim non nostri amore valdè arderet, filium suum non dedisset. Quamobrem etiamsi mortuus fueris, viues: nã ipse quoque mortuus est. Siue ergo mortui fuerimus, siue viuamus, cum ipso viuemus.] Ad hanc vitam aspirat spes, propter illam pugnat, propter illam cetera reputat adiaphora: hic enim scopus semper ob oculos constitutus, semper animus in cœlum & Christum erectus. [Siquidem, (ita Basilius) antè oculos assiduè versari tibi Christus debet, qui tui causâ in his omnibus prior te versatus est: noueris oportere te Christi gratiâ in istis versari ac proinde vinces. Regem enim victorem sequeris, qui victoriæ te suæ vult esse participem. Neque enim, licet mortem obieris, victus idcircò es: potiusque tum vel maximè egregiam victoriam reportasti: nempe qui ad extremum vsque spiritum veritatem in te rectam, nec euariantem penes te conseruaris, susceptãque pro eâ animi libertatem immotam retinueris. Etenim ab interitu ad æternam vitam commigrabis: atque ab hominum ignominiâ, ad gloriam tibi paratam à Deo: atque ab angustiis, pœnisque vitæ huius, ad ea loca, vbi æternâ quiete vnâ cum angelis perpetuò perfruere. Terra te quem noluit accipere? at excipiet cœlum. Mundus te agitauit? at sublimem angeli tollent, & sistent cum Christo.] Hæc trophæa, hæc militiæ generosæ insignia.


Basil. præf. in Ascetica.

Tertullian. l. de coron. milit. cap. 1.

Chrysost. orat. 9.

Spes præ vitâ æterna cetera habet indifferentia.

Basil. præf. in suaAscet.



SECTIO SECVNDA.

DE PIETATE.

TEXTVS.



Ogamus autem vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis. Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: Sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie malâ abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querelâ in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est, qui vocauit vos: qui etiam faciet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

COmmendat opera pietatis, maximè in eos qui ministrant laborantque in regendâ Ecclesiâ: tum & varia salutis monita accumulat.

[Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis, &c.] Rogat Thessalonicenses, vt eos obseruent notentque qui laborem impendunt in iis quæ sunt fidei, præsuntque in iis quæ sunt Christi, & admonent de iis quæ facienda sunt, quæ-ue fugienda. Noueritis eos, respectu scilicet & affectu, vt cumulatiùs charitatem erga illos sic ministrantes laborantesque exerceatis, & cum illis pacem habeatis. Alij legunt, [Pacem habete in vobis ipsis.] ἐν ἑαυτοῖς, id est, inter vos. [Quia enim dissensio multa generat mala, pacificos eos esse hortatur. Quid autem prosit honorem sine fructu habere? aut quid magnum est offerre ei carnalia, qui tribuit spiritalia? Rogamus autem vos fratres, vt cognoscatis eos. Potest enim pigere eum, qui inopiam patitur, exercitium facere quod prosit audien- (Comment. Ambros.)

A tibus.] Ita Commentarius Ambrosij titulo inscriptus. [Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, &c.] Monuit vt pacem seruarent, idcircò præcipit fidelibus, maximè verò præsulibus, vt eos corripiant qui tranquillitatem quietemque perturbant. [Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, &c.] Sicut inquieti correptione reprimendi, sic & timidi adhortatione & consolatione erigendi, infirmi in fide fouendi, seruatâ tamen ab omnibus & in omnibus patientiâ, lenitate custoditâ ac mansuetudine. (Aquin. lect. 2.) [Sciendum enim, vti notat Aquinas, quòd cura prælatorum ad duo debet tendere: scilicet ad retrahendum alios à peccatis, & ad custodiendum seipsos. Quantum ad primum, tria Apostolus dicit. (In quo cura prælatorum constituta sit.) Tripliciter enim subditi possunt pati defectum. Primo, in actu: secundò, in voluntate: tertiò, in virtute. In actu, quando prorumpunt in actum peccati, & tunc sunt corrigendi: & quamuis de omni peccato, specialiter tamen corrigendi sunt de peccato inquietudinis: & ideò dicit, Corripite inquietos. In voluntate verò, quando non aggreditur magna, quia deiicitur propter aduersa, & præcedentia peccata: vnde dicit, Consolamini pusillamines: pusillanimis enim est non habens animum ad magna, timens ne deficiat. In virtute

tute verò, quando vel ex infirmitate peccant, vel debilitantur in actu bono: & isti sunt fouendi: Vnde dicit, Suscipite, scilicet in visceribus charitatis fouendo, Infirmos, quorum est virtus debilis, vel ad resistendum malis, vel ad faciendum bona. Prælatus autem se debet custodire à defectu cuiuscunque modi, & maximè ab impatientiâ, quia ipse portat totum pondus multitudinis: & ideò dicit, Patientes estote ad omnes.]

[Videte ne quis malum pro malo reddat: sed semper quod bonum est sectamini inuicem, & in omnes, &c.] Correptionem exercete, non vltionem: imò prohibete: & studetote non solum fratribus, sed & infidelibus benefacere. [Semper gaudete. Sine intermissione orate, &c.] Semper aduersitates & pressuras gaudio spiritali reprimite, frequenti oratione & omni tempore aduersùs tentationes & molestias, Deum interpellate. [Semper, hoc est, ait Athanas. vel in medijs & vrgentibus malis, gaudio afficiamini: tanquam id dicat, Æquo animo omnia pro Christo tolerate. Postquam enim malum non esse pro malo reddendum dixisset, mox & gaudendum his esse iniunxit. Vnde viam aperit ad perpetuam quandam iocunditatem, vt assiduò scilicet & orandum sit, & gratiæ Deo agendæ.] Sunt ergo tria monita Christiano necessaria. Primum est, ne cuiquam malum reddat: alterum, vt cuique impendat beneficium: tertiò, vt tam de malis quàm de bonis gaudeat, gratias agendo in prosperis, gratias in aduersis petendo. Is animus Pauli, is & veri genius Christiani. [Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis, &c.] Et ne putarent humana esse consilia, aliquibus tantùm imposita; addit præcepta esse diuina indicta omnibus. [Spiritum nolite extinguere, &c.] Nolite charismatum spiritalium prohibere vsum aut intermittere. [Prophetias nolite spernere, &c.] Nolite reiicere arcana fratribus spiritalibus reuelata. [Omnia autem probate: quod bonum est tenete, &c.] Examinate tamen quod à prophetantibus proponitur: diiudicate, & quod bonum inueneritis, & sanæ doctrinæ congruum, retinete. [Ab omni specie malâ abstinete vos.] Etiamsi quid malum non fit, si tamen speciem habet mali, relinquite illud metu scandali. [Ipse autem Deus sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querelâ in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur, &c.] Deus autem qui auctor pacis est ac sanctitatis, vtramque concedat, vosque totos efficiat sanctos: & integer spiritus vester, & anima & corpus, non solùm coràm hominibus, sed & coram Deo, non solùm seruetur in sanctitate, sed & laude coronetur in extremo iudicio. [Fidelis est, qui vocauit vos: qui etiam faciet, &c.] Deus qui vocauit vos ad fidem ac pietatem, facit quod promisit: idem ipse qui gratiam dedit indebitam, promissam dabit perseuerantiam. [Fratres orate pro nobis &c.] Omnes enim mutuis iuuandi auxiliis. [Salutate omnes in osculo sancto, &c.] Charitatis Christianæ Symbolo. [Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum: Amen.] Obtestor vos in nomine Christi, vt legatur epistola in publico omnium fidelium conuentu. Tum & consueta, gratiam Christi seu dona salutaria precandi formula. [Sic illos, ait Ambros. in bonis operibus vult perficere, vt gratia Domini nostri Iesu Christi permaneat in eis in æternum.]

Athanas. in Paulum.

Tria monita cuiuis Christiano necessaria.

Ambros. in Paul.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

ABsoluta est epistola per consuetam salutandi formam ac precandi, sed & hinc ansa disquirendi arrepta: primò: vbi-nam sit scripta: secundò, ad quos missa.

DISQVISITIO PRIMA.

De scriptione.

GRæci Athenis scriptam autumant, reclamant alij. Syri per Timotheum missam credunt, Latini Onesimum substituunt, alij nullum exprimunt. Sed obseruandum est primò, epistolam istam esse Paulinarum omnium primam. Paulus enim Philippis venit Thessalonicam circa annum Domini quinquagesimum primum, & Athenas anno sequenti, id est, vltra quinquagesimum primum. Inde Timotheum misit ad Thessalonicenses. [Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestrâ.] &, [Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentauerit is qui tentat, & inanis fiat labor noster.] Obseruandum secundo, paulo post, imò eodem anno quinquagesimo secundo, Timotheum rediisse, Paulumque non Athenis, sed Corinthi repetisse. Paulus enim, [Egressus ab Athenis, venit Corinthum. Cum venissent autem de Macedoniâ Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum.] Obseruandum tertiò, Paulum statim post reditum Timothei scriptionem aggressum epistolæ, nedum de ipsâ cogitasse. [Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram.] Quid est, Nunc autem veniente Timotheo, & annuntiante? Id est, vt exponit Chrysostomus, [Cum annuntiasset.] Cum me tam felici recreasset nuntio, cum mihi fidem vestram ac charitatem renuntiasset, indesinentemque nostri memoriam; statim placuit scribere, & absentiam supplere per epistolam: non enim amoris pondus sustinuit Apostolus, ideoque statim opus scriptionis impleuit.

1. Thess. c. 3.

Tria sunt circa scriptionis tēpus obseruanda.

Actuum c. 18.

1. Thess. c. 3.

Chrysost. orat. 4.

Concludendum igitur primò non potuisse mitti per Onesimum: ille enim à Paulo Ro-

mæ in vinculis genitus: id est annis facile octo post scriptam epistolam: nondum igitur inseruiebat Paulo, quem nondum nouerat. Concludendum secundò, nec per Timotheum mitti debuisse: ipse enim scribit cum Paulo ac Siluano. [Paulus & Siluanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium] Non igitur mittitur, imò, vti dixit Chrysostomus: [Hîc eum sibi coniungit.] Non potest perlatorem agere, cum certum sit Paulo adhærere in scribendo. Quis enim vnquam seipsum misit, aut scriptum suum seu epistolam detulit? Concludendum tertiò non potuisse scribi Athenis, cum inde quidem Timotheum Bereâ euocatum misisset Thessalonicam Apostolus, sed ibi eum non recepisset. Quid ergo? Certum est, scriptam esse Corinthi, cum in id impellant circumstantiæ omnes, imò & cogant: sed incertum est, per quem aut per quos scripta sit, cum nullæ probabiles in id inducant coniecturæ. Sufficit, illos ad quos scribit Paulus in pretio habitos, nec perlatoris conditione censendos, sed operis commendatione, & electionis attestatione. [Scientes, fratres dilecti à Deo, electionem vestram. Quid, Scientes? Vult, ait Chrysostomus, primum eorum laudes persequi. Quod autem dicit, est eiusmodi. Sciuimus quod sitis ex fortibus & magnis viris, & quod ex electis. Propterea nos quoque propter vos omnia sustinemus.] Certè primi omnium Paulinis honorati sunt epistolis, & illi etiam, cum Corinthiis, iteratis cumulati.

1. Thessal. c. 1. — Chrysost. orat 1. — Epist. ad Corinthi, non Athenis scripta. — Chrysost. ibidem.

DISQVISITIO SECVNDA.

De missione.

Aliud est quærere per quos, & aliud, ad quos missa sit epistola. Per quos, omninò nescimus. Ad quos, scimus ex Paulo. [Paulus & Siluanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, & Domino Iesu Christo. [Scribunt scilicet, aut mittunt hanc epistolam.] Pulcrè. (ait Chrysostomus) Verisimile enim erat esse paucos, & nondum consistere. Propterea eos consolatur per nomen Ecclesiæ. Nam vbi multum tempus præterierat, & magnus erat cœtus Ecclesiæ.] Sed nescio si tam pulcrè. Primò, quia Ecclesia Thessalonicensiũ iam à primordio florentissima fuit, iuxta ac numerosissima. [De colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.] Secundò, quia nec aliter in secundâ Epistolâ [Paulus & Siluanus & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium. [Quod si nomen imminutionis est, aut incertitudinis: quid fiet de primâ & alterâ ad Corinthios epistolâ? In vtraque enim: [Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.] Tamen: [Multi Corinthiorum credebant, & baptizabantur.] &, [Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Populus est mihi multus in hac ciuitate. [Tertiò, quia, vt idem definit Chrysostomus: [Nomen multitudinis est plurimum nomen Ecclesiæ, & cœtus iam collecti & consistentis, propterea eos sic vocat.] Simile est, quod ait: [Mihi videtur non ponere dignitatem, propterea quod

Chrysost. orat. 1. — Act. cap. 17. — Act. cap. 18. — Ecclesia nomen est cœtus iam collecti.

A ij essent catechesi recens imbuti.] Primo enim, quid de Galatis, vix adhuc catechizatis? & tamen nullibi se constantiùs Apostolum asseruit, nullibi plures testes adhibuit. [Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis: & qui mecum sunt omnes fratres.] Secundò, dignitas eò potius adhibenda, quo nouitiis detinendis auctoritas magis necessaria. Ita ad Ephesios. [Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.] Tertiò, quia licet nouitij, non tamen minus fideles, quàm milites veterani. [Vos enim imitatores facti estis, fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæâ in Christo Iesu.] Cur ergo nec Apostolum se Christi, nec seruum in exordio dixerit, iam & à principio diximus: cur autem Ecclesiam nominauerit, eã dicimus esse causam, quòd omnes spectaret fideles, & epistolam suam ad vniuersam destinaret Ecclesiam. Ita in fine: [Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.] Specialis illa adiuratio est, & nullibi similis obtestatio. [Adiurat enim eos, ait Athanas. vt si se id parui facerent postulantem, obtestatione saltem eiusmodi, quod eis iniungitur, exequantur.] Quod ergo à limine dixit, [Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, & Domino Iesu Christo.] Repetit in fine: [Legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.] Quid enim Ecclesia quæ est in Christo Iesu, nisi Ecclesia quæ nec Græca, nec Iudaica iam, sed Christiana & sancta? Et quid sancti fratres, nisi fideles, Christiani? Hic ergo nec numero paucis nec merito destinata est epistola, missa est ad vniuersam Ecclesiam sanctorum seu Christianorum, & idcircò in publico fratrum cœtu necessariò, & ex iussu Apostolico perlegenda.

D Ecclesia verò corpus est, cui sua insunt membra, quorum quædam suprema sunt, alia infima, alia media, quasi inter supremum & infimum posita. Sic ergo distinguit Apostolus, dum ait: [Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum. [Si sunt aliqui qui præsunt, sunt vtique alij qui subsunt: sunt & inter illos nonnulli, qui per auctoritatem præsidentium laborant ministrantque ad vtilitatem fidelium. Qui præsunt, ij sunt episcopi, intendentes, sacerdotes summi præfecti, præpositi, præsidentes. [Qui fratribus præest.] Apud Iustinum. Græcè *προεστώς*. Nec semel apud Cyprianum: [Nos qui præsumus.] Plus est enim præesse quàm præsidere: nam præsidere est primam sedem occupare, præesse vero est auctoritatem summam sibi vindicare. Et id quidem primum est, ad quod sequitur alterum: vt talis sit honoris locus, qualis est titulus dignitatis. Si ius habent regendi, aliorum est regi: illorum iubere, parere istorum: illorum sedere, & docere; istorum stare, & audire. Ita Augustinus: [Ego, inquit, sedens loquor: vos stando laboratis.] Sed inter hos & illos nonnulli erant, qui sub auctoritate episcopi ministrarent, laborarent

Galat. cap. 1. — Ephes. c. 1. — 1. Thess. c. 1. — Athanas. in Paul. im. — In Ecclesia sup., remissi, infimi, & medij. — Iustin. Apol. 2. pro Christ. in — Augustin. ser. 49 de diuers. c. 1.

in negotio religionis, & populo quæ salutis ac pietatis sunt, sedulo procurarent: & ij sunt minores presbyteri, seu secundarij sacerdotes, aliique in clerum vnum allecti. Secernit igitur tria illa membra Paulus, cum ait: [Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis: id est, vt exponit Aquinas, vt recognoscatis beneficia eorum: habenda est enim reuerentia ad eos, sicut ad Deum. Vnde dicit, Et præsunt vobis in Domino: id est, vice Domini. Noueritis & eos qui laborant inter vos pro bono vestro, & monent vos: debetis enim eis charitatem abundantiùs, id est, præ aliis.] Præcipuus quidem ac maximus labor, eorum est, qui præsunt: sed & possunt alij laborare, Euangelium prædicando, sacramenta administrando, monita salutis suggerendo, exhortationibus instando & correptionibus, qui tamen non præsunt, sed partem solicitudinis & auctoritatis de manu ac nutu assumunt præsulum: & hos etiam commendat Apostolus, rogatque, imò imperat, vt in honore habeantur, & pro illorum opere, omni beneficio pietatis, omni compleantur charitatis officio. [Non enim, (ita apud Athanas.) simplici quadam hos velim beneuolentiâ prosequamini, sed abundanti, vt & liberi in parentes afficiantur. Nam qui Christum dilexerit, & eius ministrum, vtcumque se gesserit, diligat necesse est.]

Aquin. lect. 1.

Athanas. in Paulum.

Denique, sermonem conuertit ad eos qui præsunt. [Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est, sectamini inuicem, & in omnes. Semper gaudete: sine intermissione orate: in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis.] Pars cuique sua distributa est, & inferioribus, & superioribus. [Parit quippe veritas odium, ait ille, & odio sæpè habentur, qui aliquos arguunt, & malefacta non probant.] Docent veritatem antistites, aut docere debent, admonent, corripiunt, iniquitatem redarguunt, inde publicum facillimè incurrunt odium: idcircò iubet eos Paulus recognosci, honore omni & charitate affici. [Non dicit absolutè diligite, ait Chrysostomus, sed abundantiùs, sicut patres filij. Per eos enim generati estis generatione æternâ. Per istos estis regnum assecuti. Nemo seditionem agitet, nemo contendat.] Iam verò & ipsi præsides nonnunquam aut nimis faciles, aut morosi: vt qui dissimulent omnia, aut nihil tolerent. [Hîc ergo, ait ille, & alloquitur eos qui præsunt. Admonete, inquit, inordinatos. Non ex potestate, inquit, increpate, nec ex arrogantiâ. Cum admonitione consolamini pusillanimes. Suscipite infirmos: patientes estote ad omnes: oportet enim, admonitione dulce reddere medicamentum.] Nonnunquam læsi à subditis suis prælati, facile possunt vltionem exercere, & vicem reddere. Sed absit vt malum pro malo reddant alicui, quin potius bonum semper agant, & pro Christianæ officio pietatis, & pro episcopalis studio patientiæ. In omnibus gaudeant, de omnibus indesinentes Deo lau-

Athanas. ibidem.

Chrysost. orat. 10.

Chrysost. ibidem.

Malum nulli vnquam pro malo reddendum.

des reddant. Hoc enim instituit Deus ipse, nedum ipsius Apostolus: hoc & præcipit. Tum ad omnes. [Fratres, orate pro nobis.] Omnes inuoluit, & , [Salutate fratres omnes in osculo sancto.] Nullum excipit. Postremò, & ad ipsos redit præpositos. [Adiuro vos per Dominum vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.] Iubete vt legatur coràm omnibus; vt qui inordinatus est, reprimatur: qui bonus, perficiatur. [Adstringit eos, ait Ambros. vt soliciti sint ad legendam epistolam cunctis fratribus, vt cognoscant & laudes & admonitiones suas, per quas fiant perfecti.]

Ambros. in Paulum.

TROPOLOGIA.

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia.

QVid per omnia? Græcè ὁλοτελεῖς. Totaliter, vniuersaliter, integrè, perfectè: non ex parte; sed ex totalitate. Vos totos sanctificet præstetque perfectos. Primò igitur ostendendum est, sanctitatem Christianam totalem esse debere & integram: secundò, integritatem illam tribus partibus esse compositam: tertiò, non tam meritis humanis, quàm diuinis suffultam esse promissis.

Quoad primum. Triplex sanctitas: vna carnalis seu corporalis: altera moralis seu ciuilis: tertia spiritalis siue cœlestis. Primâ, virginum ethnicarum, quæ sanctimoniales gentilium, sicut & virgines veræ, & verè sanctæ, sanctimoniales sunt fidelium. [Propriâ enim, vti dixit Augustinus, & excellentiori sanctitate virgines in Ecclesiâ nominantur: quas etiam vsitatiore vocabulo sanctimoniales appellare consueuimus.] Quas heic dixit sanctimoniales, alibi dixit castimoniales. [Virgo est castimonialis, iam dicata Deo.] Eadem ergo sanctimonialis, quæ castimonialis: quia eadem sanctitas, quæ & castitas. [Si qua virgo est, ait Tertullianus, & carnem suam sanctificare proposuit.] Est enim sanctitas carnis, non mentis: integritas corporis, sordis immunitas. Inde sanctum quod castum, & sanctè quod castè. Apud Liuium lib. 4. [Virgo vestalis de incestu causam dixit, crimine innoxia, ob suspicionem, propter vultum amœniorem ingeniumque liberius quam virginem deceret, parùm abhorrens famam: ampliatam, deinde collegij sententiâ Pont. Max. abstinere iocis, colique sanctè potius quàm scitè iussit.] Id est, castè excoli, non curiosè & ingeniosè expingi: quod enim dissolutum, castum non est; quod castum non est, non est sanctum. Est igitur illa sanctitas, in quâ nati sumus: sed cum quod ex carne natum est, caro sit, idcircò sanctitas illa carnalis est: imò nec vera sanctitas, si sit sola, sed fucata & vmbratilis. [Habeat & cetera, inquit Augustinus, quæ verè ornant ipsam virginitatem, & sine quibus illa virginitas turpis est. Quid si enim sit corpore integra, & mente corrupta? Quid est quod dixi? Quid si nullus tetigerit corpus, sed si fortè ebriosa sit, superba sit, litigiosa sit, linguosa sit? Hæc omnia damnat Deus.] Itaque sicut cibus etiam per orationem & verbum Dei sanctificatus,

Augustin. serm. 11. de verb. Dom. cap 1.

August in. Enarrat. in Psal. 75. ver. fin.

Tertullian. l. de veland. virg. c 9.

Triplex sanctitas, corporalis, mentalis, spiritalis.

Augustin. Enarrat. in Psal. 75. ver. fin.

exit nihilominus in secessum; sic & corpus per castitatem sanctificatum, sed verâ destitutum sanctitate, a regno exulabit, & sanctorum consortio. Est igitur alia sanctitas, quæ non solùm corporalis est, sed & mentalis, non solùm exterior, sed & interior: quæ ciuilis sit, & eatenus moralis, quatenus morum laudabilium inter homines maximè inter ciues, bonæ consuetudinis, & probatæ honestatis: qualis est philosophorum gentilium. Miratur Catonem Seneca, arbitraturque mortem illius pulchro ac digno esse diis suis spectaculo. [Liquet mihi, ait ille, cum magno spectasse gaudio deos, cum iam ille vir, acertimus suæ vindex, alienæ saluti consulit, & instruit discedentium fugam: dum etiam studia nocte vltimâ tractat, dum gladium sacro pectori figit, dum viscera spargit, & illam sanctissimam animam, indignamque quæ ferro contaminaretur, manu educit.] Lymphatur ille vbique in laudes Catonis. Sed heic nugari potius crediderim quàm philosophari. Quid enim virum extollere eâ parte quâ maximè culpandus est: eâ cæde efferre illum, quâ indubitatè damnandus est? Quid enim sacrum illud pectus, & anima sanctissima, indigna quæ ferro contaminaretur, propriâ manu fœdata est, & ictu repetito, non tam educta quàm extracta? Sed talis sanctitas quæ laudatur, qualis & diuinitas quæ miratur: tam enim vana illa, quàm ista falsa est; nec claro ac memorabili exitu euasit Cato, sed exitioso ac damnabili impetu effugit, erupit. Tertia igitur sanctitas, spiritalis est, tam vera quàm cœlestis ac diuina. Licet enim sanctitas Philosophica, dici possit mentalis, tamen eatenus carnalis adhuc, quatenus humana est, politica, seu ciuilis; nondum spiritalis, quia nondum diuina, nondum à Deo data, nondum à Spiritu sancto infusa. Idcircò exigitur a Christiano, vt totus à Deo sanctificatus sit. [Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia. Veram pietatem, & integram præstet sanctitatem.

Seneca lib. de Provident. cap. 2.

Quoad secundum. Aliud est loqui de homine solo, aliud de homine iusto: ille enim corpore & animâ absoluitur, iste tribus, corpore, animâ, & spiritu perficitur, integratur, consummatur. [Quid est ergo, (verba Hieronymi) quod Paulus in epistolâ scribit ad Thessalonicenses primâ: Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querelâ in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Famosa quæstio, sed breui sermone tractanda. Supra dixerat: Spiritum nolite extinguere: quod si fuerit intellectum, statim sciemus, quis iste sit spiritus, qui cum animâ & corpore in die aduentus Domini conseruandus est. Ego igitur puto vnum atque idem significare, Spiritum nolite extinguere; & quod in alio loco scribit, Spiritu feruentes. In quo enim feruor spiritûs multiplicatâ iniquitate, & charitatis frigore non tepescit, in hoc spiritus nequaquam extinguitur. Deus igitur pacis sanctificet vos per omnia, vel in omnibus, siue plenos, atque perfectos: hoc enim magis sonat παντελεῖς.] Quasi scilicet ὅλους ἢ τελείους.

Hieronym. epist. 150. quæst. 11.

Spiritus pro charismate, maximè pro charitate positus.

A Totos, ac perfectos. [Qui ergo sanctificatur, (ita ille) siue perfectus in omnibus est, in hoc & spiritus, & anima, & corpus in die Domini conseruatur: corpus, si singulorum membrorum vtatur officiis. Iuxta hunc modum, & animæ integritas conseruanda est. Spiritus quoque in nobis integer conseruatur, quando non erramus in spiritalibus, sed viuimus in spiritu, acquiescimus spiritui, & opera carnis mortificamus spiritu, afferimusque omnes fructus eius, charitatem, gaudium, pacem. Quos igitur Christus tales inuenerit, vt & corpore, & animâ, & spiritu integri conseruentur: hos suâ pace sanctificabit, & faciet

Hieronym. ibidem.

B esse perfectos.] Et quidem quid sit corpus, scimus omnes. Etenim, ait Tertullianus, aliam substantiam in homine non video post spiritum & animam, cui vocabulum corporis accommodetur, præter carnem. Hanc totiens in corporis nomine intelligens, quotiens non nominatur; multò magis hîc, cum quæ dicitur corpus, suo nomine appellatur.] Quid sit etiam anima, scimus substantiam à corpore distinctam. [Nam, ait ille, & animam posuit & corpus, tam duas res quàm diuersas. Cum autem & corpus & anima distinctè nominantur, habet anima suum vocabulum proprium, non egens communi vocabulo corporis; id relinquitur carni, quæ non nominata

Tertullian. l. 5 aduers. Marc c. 15

Tertullian. ibidem.

C proprio, communi vtatur necesse est.] Homo igitur, duarum substantiarum maximè diuersarum commixtio est: seu, vt definit Iustinus Martyr: [Vnio animæ cũ corpore.] Sed homo solus: id est, nondũ iustus, nondũ perfectus: imò quicquid hactenus, in ipso est, animale est, carnale est. Adiungendus ergo spiritus, non quidem humanus, quia nec ipse vltrà humanum; sed diuinus, qui scilicet in Deum assurgit: non enim spiritus puræ putæ naturæ est, sed gratiæ: quâ natura ipsa erigitur, perficitur, integratur, consummatur. [Spiritum quid hîc dicit Apostolus? Carisma, seu donum gratuitum. Illo

Iustin. l. de Trinit. vlt. med.

Chrysost. orat. 10.

D enim manente integro, & is manet, & anima inquit, & corpus.] Sicut enim anima viuificat corpus, sic & spiritus animam viuificat: ideoque sicut anima debet esse superioris conditionis, vt corpus viuificet, sic & spiritus debet esse altioris ordinis vt animam, & per animã viuificet corpus sanctificetque: [Et quam vtique causam, ait Irenæus, habebat Apostolus his tribus, id est, animæ & corpori & spiritui integram & perfectam perseuerationem precari in aduentu Domini, nisi reintegrationem & adunitionem trium, vnam & eandem ipsorum sciebat salutem? Propter quod & perfe-

Iren l. 5 aduers. hæres. c. 6.

E ctos ait eos, qui tria sine querelâ exhibent Domino. Perfecti igitur, qui & Spiritum in se perseuerantem habent Dei, illam quæ ad Deum est fidem seruantes, & eam quæ ad proximum est iustitiam custodientes.]

Quoad tertium. Apostolus non solùm precem fundit ad Deum, sed & Dei fidem obstringit: & per duas res istas tanquam immobiles salutem electorum non tam humanis fulcit meritis, quàm promissis diuinis. [Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia. Vides doctoris beneuolentiam, (ait Chrysostomus) post admonitionem, preces quoque subiungit, non

Chrysost. orat. 10.

solùm sermone, sed etiam in litteris. Opus est enim & consilio & precibus. Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet. Vide humilitatem. Nam quoniam precatus est, Ne existimetis, inquit, quòd hoc fiat meis precibus: sed ex proposito quo vos vocauit. Si enim vocauit ad salutem, est autem verus, omninò salutem dabit cum velit.] Deus non minùs fidelis est in exequendo, quàm liberalis in promittendo: sed sicut per misericordiam spondet, sic & implet per gratiam. [Qui vult ergo implere legem, ait Augustinus, gratiam cogitet. Ideò enim & illa decem præcepta psalterij decem chordarum, ipsa sunt, quæ erant in illo populo vetere: sed illum populum decem præceptorum timor opprimebat. Non enim in illis erat charitas, quæ est per gratiam, sed timor erat. Præcepta Domini pœnalia erant illi populo: quia implere non poterant amore. Conabantur, sed cupiditate superabantur. Cum ergo quisque ad gratiam transitum fecerit, non alia præcepta implet: sed ipsa quæ in eâ impleri non poterant, hac implentur: non est tamen vis præceptorum, sed vis gratiæ Dei. Nam si præceptorum legis hoc esset, & illa impleret. Qui transit ad Christum, transit à timore ad amorem, & incipit amore iam posse, quod timore non poterat: & qui trepidabat in timore, non trepidat in amore.] Corpus quidem viuificatur ab animâ, vt & operari possit & pati: sed anima inflammatur à spiritu, vt diligat sicut diligendum est; & ita agat, vt agendum est: est enim spiritus ille sanctus & sanctificans ac iustificans: spiritus amoris, imò & ardoris: sanctitas Dei, imò & charitas Dei infusa & accensa in cordibus nostris, vt Deum ipsum, sicut oportet, diligant, & quod ex lege, quod ex timore legis non implebant, quod proprio non poterant arbitrio; iam ex fide, ex amore legis latoris, diuinoque perficiant auxilio. [Et vt noueritis, ait ille, quia gratia hoc implet: nemo debet de viribus suis præsumere. Vocat enim te Deus, & iubet vt facias: sed ipse dat vires, vt quod iubet, impleri possit. Tibi autem capax fides adhibenda est, vt inundatione gratiæ humilies te, supplices Deo, nihil de te præsumas. Videte quomodo Dauid incantat aduersus Goliam, qui de se præsumebat. Quid est homo? Et dicit quid sit homo. Quoniam innotuisti ei. Hoc est totus homo, si innotescat illi Deus: si autem non illi innotescat Deus, nihil est homo. Quid est homo, cui non innotuit Deus? Homo vanitati assimilatus est: dies eius sicut vmbra prætereunt. Quære quid sit hominis proprium, peccatum inuenies. Quære quid sit hominis proprium, mendacium inuenies. Tolle peccatum, & quicquid consideraueris in homine, Dei est. Quid est homo? Placuit tibi eligere illum, & constituere in aliquo superiore & eminentiore loco. Misericordiæ tuæ est, non meritorum ipsius.] Equidem [Vult omnes saluos fieri: tanquam diceretur, ait August. nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri velit; sed quòd nullus fiat nisi quem velit: & ideo sit rogandus vt velit, quia necesse est fieri si voluerit: de orando quippe Deo agebat Apo-

Augustin. ser. 1. de diu. cap. 8.

Liberalis Deus promittendo, fidelis exequendo.

Augustin eod serm. c. 9. & 10.

Augustin. c. 103. Enchirid.

A stolus, vt hoc diceret.] Hoc igitur adimplet quod docet: rogat enim pro aliis, imò & ab aliis orari pro se interpellat: nouit enim perseuerantiam dari per gratiam: sed scit precibus & gemitibus exorandam: ille enim qui electis suis eam promisit, non minus infallibiliter quàm & suauiter in ipsis etiam perficit.

ANAGOGIA.

Spiritum nolite extinguere.

Tria sunt exponenda. Primum est, Quis ille sit spiritus: alterum, quomodo extinctus: tertium, quomodo redaccendendus:
B tria enim hæc ex Paulo deducenda.

Quoad primum. Certum est spiritum illum diuinum esse, sed non æquè constat esse Deum. Certè, Deum esse credidit Augustinus, cum definit nec extingui posse nec minui. [Dicit enim & Apostolus, Spiritum nolite extinguere: non quia, (inquit) extingui potest, sed quantum in ipsis est, extinctores eius merito dicuntur, qui sic agunt vt extinctum velint. Quo sensu rectè intelligi potest, quod scripsit beatus Cyprianus in Epistolâ de lapsis, cum eos qui tempore persecutionis idolis immolauerant arguens: Ac ne quid deesset, inquit, ad criminis cumulum, infan-
C tes quoque parentum manibus impositi vel attracti, amiserunt paruuli, quod in primo statim natiuitatis exordio fuerant consecuti. Amiserunt, dixit, quantum attinuit ad illorum scelus, à quibus amittere coacti sunt: amiserunt in eorum voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt.] Extinctores igitur homines, non quoad nullitatis effectum, sed quoad conatum voluntatis improbæ, & sceleratæ impietatis affectum: non enim tangi potest Deus in naturâ suâ, aut quauis offensâ minui. Sed cum ita sit, facilius simpliciusque, spiritus diuinus intelligendus est, quàm Deus
D Spiritus. [Quis enim, ait Hieronymus, possit credere, quòd instar flammæ, quæ extincta desinit esse quod fuerat, extinguatur Spiritus sanctus, & sustineat abolitionem sui? Qui fuit quondam in Israël, quando per Esayam, & Ieremiam, & singulos prophetas dicere poterat, Hæc dicit Dominus: nunc in Ecclesiâ per Agabum loquitur, Hæc dicit Spiritus sanctus. Diuisiones enim donorum sunt, idem verò spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritûs, ad id, quod expedit. Alij per spiritum datur sermo sapientiæ,
E alij sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij operatio virtutum, alij gratia sanitatum in eodem spiritu, alij prophetia, alij discretio spirituum. Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, de quo ne à se auferretur, rogabat Dauid, dicens: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Qui quando aufertur, non in substantiâ sui, sed ei, à quo aufertur, extinguitur. Sunt igitur, qui ex animâ tantùm & corpore subsistere hominem differentes, spiri-

Augustin. epist. 23, circ. med.

Hieronym. epist. 150. quæst. 11.

Vnus spiritus varias operatus gratias.

tum in eo tertium, non substantiam velint intelligi, sed efficientiam; per quam & mens in nobis, & sensus, & cogitatio, & animus appellantur: & vtique non sunt tot substantiæ, quot nomina. Cumque illud eis oppositum fuerit: Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino: scripturam non recipiunt, dicentes eam in Hebraico non haberi. Nos autem, spiritum, qui cum animâ & corpore integer conseruatur, non substantiam Spiritûs sancti, quæ non potest interire, sed gratias eius donationesque accipimus: quæ nostrâ vel virtute, vel vitio & accenduntur, & extinguuntur in nobis.] Spiritus ille, Spiritus sancti effectus est: nam sicut solis radius, sol etiam dicitur; sic & effectus Spiritûs sancti, spiritus dicitur. Iusti quidem omnes & animâ & spiritu præditi sunt, sed nonnulli sic illo sunt inundati, vt vel secretiora exponant scripturarum mysteria, vel cogitationum traducant arcana. [Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere.] Ibi quippe Apostolus, vt Aquinas obseruauit: [ostendit quomodo se habeant ad dona Dei: & primò quòd ea non impediant: secundò quòd ea non contemnant: aliqui enim apud illos spiritu prophetiæ erant pollentes, qui ab istis reputabantur insani. Deinde cum dicit, omnia autem probate, ostendit qualiter se habeant ad omnia. In hac enim materiâ debet esse diligens examinatio. Omnia probanda quæ sunt dubia: manifesta enim examinatione non indigent.]

Aquin. lect. 2.

Quoad secundum. Nunquam extingui potest quod æternum est, extingui tamen potest quod diuinum est. [Spiritus sanctus, ait ille, est persona diuina incorruptibilis & æterna, vnde in suâ substantiâ extingui non potest. Sed tamen dicitur quis extinguere spiritum, vno modo feruorem eius extinguendo, vel in se, vel in alio. Rom. 12. Spiritu feruentes. Cum enim aliquis aliquid boni ex feruore Spiritûs sancti vult facere: vel etiam cum aliquis bonus motus surgit, & ipse impedit, extinguit spiritum. Act. 7. Vos semper Spiritui sancto resistitis. Alio modo, mortaliter peccando. Spiritus enim sanctus in se semper viuit, sed in nobis viuit, quando facit nos in se viuere: sed quando quis peccat mortaliter, non viuit in ipso Spiritus sanctus. Sap. 1. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum. Tertio modo, occultando, quasi dicat, Si donum Spiritûs sancti habetis, vtimini eo ad vtilitatem proximorum. Eccl. 20. Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?] Vnus quidem & simplex spiritus: sed non sensus est vnus, imò verò triplex. Nam, vt aduertit exponitque Hieronymus: [Triplex in corde nostro descriptio & regula scripturarum est: prima, vt intelligamus eas iuxta historiam: secunda, iuxtà tropologiam: tertia, iuxtà intelligentiam spiritualem. In historiâ, eorum, quæ scripta sunt ordo seruatur. In tropologiâ, de litterâ, ad maiora consurgimus; & quicquid in priori populo carnaliter factum est, iuxtà moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta conuertimus. In spirituali θεωρίᾳ ad sublimiora transimus: terrena dimittimus, de

Aquin. ibid.

Hieronym. epist. 150. quæst. 12.

A futurorum beatitudine & cœlestibus disputamus: vt præsentis vitæ meditatio, vmbra futuræ beatitudinis sit.] Doctrina igitur diuina descripta est. [Tripliciter.] Vti dixit Salomon in Prouerbiis. Quidam spiritum habent, quoad sanctitatem animæ; alij quoad feruorem gratiæ; alij denique, quoad prælationem prophetiæ: modus quidem in primo, profectus in altero, in tertio etiam excessus, qui & in oracula exundet, eructetque mysteria. [Dedit nobis Deus præclaram lampadem, ait Chrysostomus, vt qui Spiritûs sancti gratiam in nostris animis accenderit Sed hanc lucem

Prouerb. cap. 22.

Chrysost. orat. 11.

B alij quidem acceptam splendidiorem fecerunt lætamque & hilarem; vtpote Petrus, vt Paulus, vt omnes illi sancti. Alij autem etiam extinxerunt, vt quinque virgines, vt illi qui circa fidem fecerunt naufragium. Propterea dicit Paulus, Spiritum nolite extinguere, hoc est gratiam: ita enim mos est ei vocare, & gratiam spiritûs. Eam autem extinguit vita immunda. Quomodo enim si quispiam in lucernæ lucem & aquam & terram infuderit, lucernam extinguit: & si nihil horum fecerit, sed oleum tantùm exemerit: ita etiam in charismate, seu dono gratiæ. Nam si terre-

C na, & diffluentium rerum curas insperseris, spiritum extinguis: & si nihil tale feceris, aliunde autem adueniens irruerit tentatio vehemens tanquam spiritus aliquis, & flamma non sit vehemens, aut multum habens olei, pereunt omnia.] Omnes quidem iusti, spiritum habent gratiæ: sed non omnes vsque ad profectum obtinent & excessum: idcircò sicut inter Christianos, quidam dicuntur religiosi qui maiora sequuntur: sic & inter iustos, nonnulli reputantur spirituales viri, qui non solùm gratiâ donantur, sed & re-

Varia possessio spiritus, varia & illius extinctio.

D dundantiâ. Sicut ergo varia est spiritûs possessio, sic & varia est spiritus extinctio: sed sicut præcipua est possessio in illis qui gratiam obtinent ad abundantiam, qui ad profectum & excessum eminent; sic & præcipua extinctio in illis, quorum splendor minuitur, quorum ardor feruorque, incuriâ intermoritur aut maculâ.

Quoad tertium. Si defectum admittere potest, & profectum potest admittere: si extingui potest, potest & accendi: sicut autem iisdem gradibus & scanditur & descenditur, sic & iisdem modis accenditur, quibus extingui-

E tur. Quomodo extinguitur? Malum faciendo, & bonum deserendo. Quomodo ergo redaccenditur? Bonum instaurando, malum eliminando. [Quod bonum est tenete, ab omni specie malâ abstinete vos.] Seu, vt alij legunt. [Ab omni specie mali abstinete vos.] Non à malo tantùm, sed & specie. [Dicit enim specie, ait Aquinas, quia etiam quæ habent similitudinem malitiæ vitare debemus, quæ scilicet non possemus seruare coram hominibus absque scandalo eorum.] Certè lampas non solùm oppositi impulsu, sed & olei defectu emoritur. [Sæpè enim contingit, ait Chrysostomus, vt etsi nihil irrumpat, extinguatur flamma, cum defecerit oleum.] Sic & spiritus non solùm affectu mali, sed & boni defectu extinguitur. [Omnis mala actio, ait ille, ex-

Aquin. lect. 2.

Chrysost. orat. 11.

Chrysost. ibidem.


tinguit hanc lucem. Quomodo autem in igne, quicquid est ab eo alienum, eum perimit: sic eum accendit quod est illi cognatum: si quid calidum, si quid ignitum, id accendit flammam spiritûs.] Sicut calor perimitur frigore, sic & calore incenditur; sicut autem calor ille spiritualis est cœlestisque, sic & cœlestium spiritualiumque amore succenditur. [Duo quippe genera beneficiorum sunt, ait Augustinus, temporalia & æterna. Temporalia sunt salus, substantia, honor, amici, domus, filij, vxor, & cætera vitæ huius, vbi peregrinamur. Ponamus nos in stabulo vitæ huius, quasi peregrini transituri, non quasi possessores mansuri. Æterna verò beneficia sunt, primùm ipsa vita æterna, incorruptio & immortabilitas carnis & animæ, societas angelorum, ciuitas cœlestis, dignitas indeficiens, pater & patria, ille sine morte, illa sine hoste. Hæc beneficia toto ardore desideremus, omni perseuerantiâ petamus, non sermone longo, sed teste gemitu. Desiderium semper orat, etsi lingua taceat. Si semper desideras, semper oras. Quando dormitat oratio? quando friguerit desiderium. Ergo illa beneficia sempiterna, totâ auiditate postulemus, illa bona totâ intentione quæramus, illa bona securi petamus. Habenti enim illa bona prosunt, obesse non possunt: temporalia verò ista aliquando prosunt, aliquando obsunt.] Sunt igitur nonnulla bona, quæ sunt dubia, & ideò probanda sunt, & examinanda: sed quæ sunt manifesta, quæ verè, quæ non minùs verè quàm & integrè bona, amplectenda sunt, tenenda sunt. [Quod bonum est, tenetu.] Succendendus est animus æternorum bonorum desiderio, & inde virtutum omnium studio muniendus. Nullum non appetendum est bonum, sed sicut nullum bonum non appetendum, sic & nullum non fugiendum est malum: nec malum duntaxat omne fugiendum est, sed & à specie mali, & omni abstinendum. [Non ab hac, aut illâ, ait Chrysostomus, sed ab omni. Ab his abstineatis, illis verò adhæreatis. Ita enim & illorum vehemens erit odium, & horum amor, quando non leuiter & citrà considerationem & examinationem, sed exactè & accurratè omnia fecerimus. Spiritum nolite extinguere, hoc est, prophetias nolite spernere. Omnia probate: quod bonum est tenete: ab omni specie malâ abstinete.] Spiritus ille de cœlo lapsus, idcircò cœlestibus pascitur alimentis: ille malo infensus, idcircò vitiosis corrumpitur affectibus: eodem modo fouendus est quo & conceptus, sed modo contrario redaccendendus est, quo est extinctus. Itaque, sicut incuriâ salutis suffocatus est, sic & curâ sanctitatis instaurandus.

Augustin serm. 14. ex nouis. vel s. fincm.

Quædam bona dubia, quædam manifesta.

Chrysost. orat. 11.





IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES SECVNDAM.


ARGVMENTVM.



Ecundam non multo post primam ad Thessalonicenses Paulus scripsit Epistolam, sicque ambas, omnium primas Thessalonicam direxit, quasi Epistolam primitias. Cum enim in priori dixisset Epistolâ, Optamus nocte & die vos videre, &, Non sustinemus, sed Athenis remansimus soli, & misi Timotheum, per hæc omnia significans desiderium quòd habebat vt ad eos veniret. Cùm ergo nondum potuisset assequi, vt ad eos veniret & quæ eorum fidei deerant suppleret, eâ decausâ hanc secundam ponit Epistolam, vt quod à præsentiâ reliquum erat faciendum, suppleret per litteras. *Infirmos confirmat, inemendatos territat, errores dispergit, mores componit: arcana nudat, tribusque capitibus plura reuelat mysteria.*

Chrysost. arat. 1.





CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

PAtientiam Thessalonicensium extollit ac conscientiam: ostenditque quanta & ipsorum gloria, & aduersariorum pœna sit subsecutura.

TEXTVS.

PAulus, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem: ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientiâ vestrâ, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius, in flammâ ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi: qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius: cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. In quo etiam oramus semper pro vobis: vt dignetur vos vocatione suâ Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundùm gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.

EXEGESIS LITTERALIS.

ERigit animos pro fide vexatos, speque munit præmiorum: tum & hostes persecutoresue asserit non euasuros, sed iusto Dei punitos iri iudicio.

[Paulus, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, &c.] Eadem ferè salutatio in secundâ, quæ in primâ: nisi quod in primâ: [Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo patre.] In istâ verò: [Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo patre nostro.] Quod autem in textu Græco prioris, post illa verba, [Gratia vobis & pax:] Additur, [A Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Creditur adiectum ex imitatione, quia nullâ Græcorum adnotatione expositum legitur. Paulus ergo, & Siluanus, & Timotheus salutem dicunt Ecclesiæ Thessalonicensium, sed Ecclesiæ Christianæ, quam adoptauit Deus pater fidelium, quam ad fidem vocauit Dominus noster Iesus Christus: nec salutant tantùm, sed & optant gratiam & pacem ab eodem Deo Patre, & Domino Iesu Christo: largitionem scilicet ac copiam donorum salutarium, eorumque pacificam possessionem. [Solemnibus verbis, (vt Ambrosius loquitur) scribit ad eos. Solito enim more sermonum caput continetur Epistolæ, & iidem ipsi tres sunt, quorum nomine scribitur, sicut & prima Epistola.] Idcircò nullus dignitatis titulus Ambros. in Paul.

est auctoritatis. vc. [Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem &c.] Debemus gratias Deo semper agere pro vobis, vt par & æquum est, quoniam non solùm fidem tenetis, sed & augetis plurimùm; quod non solùm charitatem habetis, sed & mutuis in cumulum exercetis beneficiis. [Ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientiâ vestrâ, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, &c.] Tanta fidei & charitatis vestræ copia, vt inde ceteras prouocemus Ecclesias, ostentemusque inuictam afflictionum tentationumque tolerantiam, quas pro fide sufferis, & spe bonorum cœlestium. [Quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.] Omnes certè illas tribulationes & persecutiones sustinetis in documentum, Græcè ἔνδειγμα, ostensionem declarationemque, in argumentum ergo, & quasi iudicij præiudicium futuri, quod in impios Deus exercebit aliquando, cum & erga iustos apparebit seuerissimus. Sed eas isto fine sustinetis, vt digni sitis Dei regno, pro quo & inuidi à sustinetis, & tenetis patientiam. [Neque enim, inquit, (apud Athanas.) qui vos angunt, & eo dominantur vt vobis præualeant, sed quia pertolerantiam Dei regnum paratur.]

Sancti in diuini iudicii exemplum propositi.

Athanas. in Paulum.

[Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius, &c.] Dixi, Vt digni habeamini: siquidem dignum & iustum est apud Deum, vt pœnas reddat iis qui affligunt bonos, vobisque vicissim qui pro iustitiâ persecutionem patimini, absolutionem à malis omnibus, cum suis fidelibus seruis retribuat in mercedem: sed sicut ordine suo, sic & suo tempore: cum scilicet apparebit Dominus de cœlo veniens præsidensue in vltimo iudicio, bonos à malis, per angelos potentiæ suæ ministros separabit. [Suprà, ait Aquinas, egit de eorum idoneitate ad futurum iudicium: hîc agit de formâ iudicij. Si tamen iustum est: Si pro quia. Vnde alia littera habet, Siquidem.] Sic habet textus Ambrosianus. [In flammâ ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, &c.] Separauerunt angeli diuinæ virtutis administri bonos à malis: & ecce Christus in igne non lucente tantùm, sed & vrente omnibus aderit conspicuus, iustamque & in eos qui Deum verum non cognouerunt, & in eos qui annuntiatum respuerunt Euangelium, vindictam exercebit. [Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloriâ virtutis eius.] Impij namque pœnas luent in exitium sempiternum, nec finem nec requiem in malis suis inuenient: trepidabunt ipso iudicis intuitu, & solo vocis tanquam fulguris coruscantis impetu, in æternum exulabunt interitum. [Cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo, &c.] Sed si in impios terribilis, erga sanctos erit mirabilis. Tunc enim gloriosus apparebit in ipsis tanquam in membris suis, mirandus mirificandusque in omnibus veraciter constanterque fidelibus, cum illos sibi sociabit velut capiti, & abiectos priùs, eiusdem & gloriæ & potentiæ iubebit esse socios. Porrò cum fideles complectitur, alloquitur Thessalonicenses; vt qui fidem susceperint Euangelizante Paulo ac testificante, & in illum diem retributionis & glorificationis respexerint. [Adueniet enim punire malos, (ita Comment. Ambros.) & glorificare bonos. Ipse clarus & mirabilis videbitur in eos qui credunt exemplo & fide Apostolorum: seuerus autem apparebit incredulis, cum æternis pœnis coarctari cœperint.]

Aquin. lect. 2.

Terribilis Christus in impias, ergò sanctos verò mirabilis.

Comment. Ambros.

[In quo etiam oramus semper pro vobis: vt dignetur vos vocatione suâ Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, &c.] In quo, id est, in quâ re, preces ad Deum pro vobis indesinenter fundimus, vt Deus dignatione & liberalitate suâ, vos iam vocatos per gratiam, perducat ad istam gloriam, & æternum bonitatis propositum seu voluntatis beneplacitum, ad exitum, id est, tanta pro fide ac veritate tolerata, ad destinatum, per inuictam gratiæ suæ potentiam, præmium referat. [Significans, ait Chrysostomus, quamnam dicit vocationem, subiunxit, Et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute: hoc est beneplacitum, & quod est statutum. Hanc quærimus vocationem, inquit.] Efficacem scilicet non solùm quoad gratiam, sed & quoad gloriam: quæ ad terminum perducat, & reddat præmium. [Vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundùm gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.] Vos Deus corroboret, suisque cumulet beneficiis, vt glorificetur Christus, per quem nobis tot bona proueniant; & vos etiam glorificemini in illo, secundùm gratiam, quam & Dei dono, & Christi merito, electi participant. [Si hæc, inquit, (apud Athanasiastrum) quæ diximus, per vos peragentur, vel in hac vitâ, Domini nomen in vobis gloriam assequetur. Cum enim vos perspexerint homines pro vestrâ in Dominum charitate, tentationes æquo animo ferre, quo pacto, non Deo sunt id ad gloriam adscripturi? Qui adeò bonitate & mansuetudine præstet, vt sui gratiâ vel serui oppetant mortem: & tantæ virtutis sit, vt vos ad patientiam roboret, & vos in ipso sitis videlicet validiores. Et gloriæ futurum est nobis cum pro Christo maximè angimur, & malis plurimis affligamur: hæc namque nos faciunt clariores, qui cum quotidie morti offerimur, mortem tamen superasse arguimur. Id ipsum tamen Deo, inquit, debet, non nobis adscribi: ex illius quippe gratiâ fit, cum ipse vel gloriam in nobis assequitur.] Seruus de liberali domino gloriatur, Dominus de seruo fideli: sed quicquid est gratiæ aut gloriæ in seruis suis, à Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum deriuatur.

Chrysost. orat. 3.

Athanas. in Paulum.

Seruus de domino, & dominus de seruo gloriosus.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

Dignitatem electorum commendat Apostolus, indignitatem eleuat reproborum: sed nonnihil de vtraque requirendum est.

DISQVISITIO PRIMA.

De dignitate.

IVstos regno Dei dignos per patientiã ac perseuerantiam, palam asserit Apostolus, cum ait: [Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.] Dixerat fidem illorum supercrescere, & abundare charitatem, seque de illorum bonis lætari ac gloriari, tanquam de suis. Sed quomodo probat fidem supercrescere, abundare charitatem? [Ponit signum profectûs, ait Aquinas, scilicet patientiam, quæ ostenditur maximè in tribulationibus: tribulationes quippe dicuntur à tribulis, quibus interiùs per afflictiones pungimur. Iacob. 1. Beatus vir qui suffert tentationem.] Quâ ratione beatus? [Quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Certè nondum beatus qui adhuc tentatur, qui inter miseriam luctatur & patientiam. Sed si nondum ipsâ re, spe tamen certa beatus est; si non solùm tentatus, sed & probatus: iam enim meritum tenet, pro quo postulet præmium. Deus quippe vitam æternam promisit in coronam iis qui pro fide patiuntur ex dilectione, nec minus constantes inueniuntur quàm fideles: sed quod ex misericordiâ seu liberalitate promittit, ex fidelitate reddit ac iustitiâ. Ideò & ille iam à principio: [Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.] Pro summo gaudio id ducite, quod tantundem est, ac, supremum inde gaudium præsumite. Qui ergo tentati sunt, & tẽtationibus tribulationibusque probati, id est, tam fortes quàm & fideles inuenti, Dei regno, imò & Deo ipso digni sunt. [Et si coràm hominibus, ait Sapiens, tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.] Sic ergo, vti Augustinus dixit: [In omnium tribulationum angustiâ, spe in solatium supernæ pietatis currendum est: quia in illo solo omnis spes & salus sine dubio consistit, dicente Propheta, In Deo salutare meum & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. Cum enim fidem rectam & spem firmam vobis persuademus, hoc maximè hortamur, vt charitatem in vobis habere, & opere ostendere per omnia satagatis. Per ipsam enim & cum ipsâ beatitudinem veram habituros vos esse sciatis: quia sine hac nemo videbit Deum.]

Aquin. lect. 1.

Iacob. cap. 1.

Patientia certa æternæ beatitudinis arrha.

Sapient. c. 3.

Augustin. serm. 53. de temp. vlt. med.

Sic tamen iusti Deo, vel Dei regno digni, vt sicut eos iustos Deus, sic & dignos faciat, id

A est, & gratiam conferat & gloriam, quia sic voluit, sic & promisit. Idcircò Paulus: [In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignos vos faciat vocatione suâ Deus, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute.] Nam, vt exponit Aquinas, [Cum ait, Oramus, subiungit suffragium orationis. Sed ad quid? Vt dignetur vos vocatione suâ Deus: id est, faciat vos in mundo conuersari suæ vocationi. Vt impleat omnem voluntatem bonitatis: id est, impleat in vobis voluntatem omnis boni. Petit ergo ex parte voluntatis, vt plene fruantur omni bonitate; & ex parte intellectûs, vt perfectè credant. Vel impleat

Aquin. lect. 1.

B opus fidei, quod erit, quando id quod hic per speculum & in ænigmate videmus, videbimus tunc facie ad faciem. Sed per quid poterimus illud consequi? Secundum gratiam Dei nostri, quæ est radix omnium bonorum nostrorum.] Fideles sumus, iusti sumus, & Dei regno digni, sed tales à Deo effecti, qui facit in nobis quod nobis præcipit, & reddit quod promittit. [Laudemus Dominum, ait Augustinus, quia eius fidelia promissa retinemus, nondum accepimus. Parùm putatis, quia promissorem tenemus, vt iam debitorem exigamus? Promissor Deus debitor factus est bo-

Augustin. serm. 11. de tem. cap. 5.

C nitate suâ, non prærogantiâ nostrâ. Quid ei dedimus, vt eum debitorem teneamus? An fortè quod audistis in Psalmo: Quid retribuam Domino. Primo enim, quando dicit, quid retribuã Domino? verba sunt debitoris, non debitũ exigentis. Prærogatum est illi. Quid retribuam Domino? Quid est, Quid retribuam? Rependam. Pro quâ re? Pro omnibus quæ retribuit mihi. Nihil eram, & fecit me: perieram, quæsiuit me, quærens inuenit me; captiuum redemit me, emptum liberauit me, de seruo fratrem fecit me. Quid retribuam Domino; Non habes quod retribuas. Quando ab illo totum expectas, quid habes retribuere? Sed expecta.

Homines semper Deo debitores, nunquam retributores.

D Nescio quid vult dicere, Circumspiciens vndique quid retribuat, quasi inuenit. Quid inuenis? Calicem salutaris accipiam.] Calicem scilicet passionis inebriantem: inuictam tribulationis patientiam. [Quid ergo? (ait ille) Tua est patientia? Absit. Audi beatum martyrem Cyprianum: in quodam capitulo suo sic ait: Patientia, Dei res est. Vnde hoc & ipse de Spiritu sancto per Dauid: Tu es patientia mea.] Ab ipso enim nobis donata est, non ex nobis nata: sicque debitores semper sumus, nunquam retributores: quia hoc quod reddimus, à Deo ipso accepimus.

Augustin. serm. 9. de diu. cap. 5.

E Est igitur diuinæ dignationis potius, quàm humanæ dignitatis, quod gratias agimus Deo dignas, dum debitum pietatis & æquitatis impendimus officium. [Gratias agere debemus semper Deo, ita vt dignum est.] Dignum enim quia iustum & æquum est. [Tanta enim nobis tribuit, (ait ille titulo Augustini) & tanta retribuit, quòd deficit anima nostra, deficit prorsus in consideratione tantorum beneficiorum eius. Et licet non possimus tantum & tantas vt deceret amorem & obsequium & gratiarum actiones, tamen quantum, & quantas possumus, rependere debemus] Equidem, debemus quod possumus; sed non possumus quod de-

Augustin. l. de dilig. Deo cap. 1.

bemus : quia diuina liberalitate, & gratuitâ bonitate superamur; & quanto magis conamur, minus quidem reddimur infideles, sed & magis debitores conuincimur: quia nullis nostris exigentibus meritis, imò nonnunquam demeritis resistentibus, digni de indignis efficimur, & innumerabilibus subinde beneficijs cumulamur. [Illi namque debemus, (ita loquitur indubitatus Augustinus) quod sumus, quod viuimus, quod intelligimus : quòd homines sumus, quod benè viximus, quod rectè intelleximus, illi debemus. Nostrum nihil nisi peccatum quod habemus.] Itaque, vt & ille ait : [Qui voluerit, dicere, quia retribuet aliquid Domino, mendax est : omnia quippe ab illa speranda sunt : à nobis ipsis, præter illum, nihil nisi fortè peccatum, & mendacium de suo loquimur. Verè plenè de suo abundat homo : mendacium omninò hic habet, & thesaurum mendaciorum. Retribuere cogitabas, adhuc accipere quærebas. Vnde, rogo ? Si adhuc accipere quæris, adhuc debitor eris, quando retributor ? Si ergo semper debitor eris, quando retribues ? Non inuenis quod retribuas, nisi quod dederis non habebis. Vide ergo quando dicebas, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi : ad illud pertinet quod dictum est, omnis homo mendax.] Par quidem est vbique & semper Deo gratias agere, sed nunquam possumus pares grariarum actiones reddere : dignum & æquum, est, sed nec pro dignitate aut æquitate. Agimus tamen quod possumus, cum semper & vbique, licet exiles, licet tantis impares beneficiis offerimus gratiarum actiones : sed quod agimus & possumus, à Deo ipso cui offerimus ex iustitiâ, accepimus ex misericordiâ.

Augustin. ser. 10 de verb Apost. c.6.

Augustin. hom. 15. de temp. cap. 5.

Facimus quod possumus, cùm semper gratias Deo agimus.

DISQVISITIO SECVNDA.

De indignitate.

SIcut dignitas electorum est, sic & indignitas reproborum, Sed ea differentia est, quod illa ex gratuitâ Dei beneficentiâ est, ista ex obduratâ arbitrij humani nequitiâ. Illos dignatur Dominus misericordiâ, aduersùs illos indignatur in irâ suâ, illis præmium destinat, istis æternum denuntiat supplicium: & illi enim gloriâ digni, & isti gehennâ : vtrobique merita, sed illic bona, illic mala : idcircò illis coronam reddet vitæ, istis vindictam affectatæ retribuet ignorantiæ. [Dantis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi : qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & gloriâ virtutis eius. [Quibus tria Paulus aperit. Primum est, quàm enorme sit illorum peccatum: alterum, quàm grande supplicium : tertium, quàm terribile iudicium : hæc enim omnia simul congerit.

Quoad primum. Duplex quidem peccatum: vnum quod concutiat naturam, alterum quod gratiam reiiciat : sed ex vno fonte deriuatum, seu ex vno conflatum fomite. Primum est, intoleranda Dei veri ignorantia. Intolerandam dixi, quia quod & pecudibus potest demõstrari, non

A potest in hominibus tolerari.] Etiám muta animalia, ait Hieronymus, & ferarum greges, ductores sequuntur. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus. Iudex vnius prouinciæ.] Sed in pecudibus stupendum, horrendum in hominibus quorum genus omne ex vno exortum est, & per imaginem traductum est, non solùm ad potestatis. sed & ad vnitatis originem. [Vnus igitur omnium Dominus Deus. (verba Cypriani) Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Nec de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Hinc & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris & principis admonetur.]

Hieronym. epist. 4. vlt. med.

Cyp. Tract. de vanit. idol in med.

B illa equidem notitia naturalis est, sed & alia familiaris, quâ non solùm Deus de longinquo suscipitur, sed & de proximo cognoscitur.] Ita Augustinus ad Deum : [Cœlum, inquit, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt vt te amem: nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altiùs autẽ tu misereberis cui misertus eris, & misericordiam præstabis cui misericors fueris. Alioquin cœlum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Omnibus quidem loquuntur, sed illi intelligunt, qui vocem acceptam foris, intus cum veritate conferunt.] Habent vocem suam, dum præbent speciem suam : sed non omnes

Augustin. l. 10. Conf. cap. 6.

Audiunt omnes vocem naturæ dum speciẽ conspiciũt.

C percipiunt, quia non omnes intus legunt, ideò nec intelligunt. Est igitur aliud beneficium, quo notitia Dei sublimiùs traditur altiusque; sed & aliud est peccatum, quo doctrina respuitur Euangelij. [Sine fide enim Christi, ait Augustinus, nemo liberari potest, ac per hoc ita iudicabuntur vt pereant.] Hoc est ergo quod Paulus culpat, hoc quod & Christus damnat tanquam enorme peccatum ; [Iis qui non nouerunt Deum : & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi.] Audierunt enim, sed non obaudierunt. Noluerunt Deum cognoscere, insuper & Christum eius respuerunt : noluerunt intellectum captiuare in ob-

Augustin. l. de grat. & l. arb. cap. 3.

D sequium, & in præceptis eius ambulare : noluerunt se fidei ipsius committere, sese ei subdere, & annuntiato cedere, vel reuelato credere Euangelio, [Inobedientia enim, (vt Aquinas dixit) est tantum peccatum, quòd per eam mors venit in hunc mundum.] Non tantùm peruersitas mentis, sed & peruersitatis vniuersitas.

Aquin. lect. 2.

Quoad secundum Si tam enorme peccatum est, non debet mediocre esse supplicium : æquum est enim, vt qui Deum parentem contempserunt, sentiant iudicem ; & qui non dederunt finem peccatis, finem in pœnis non

E inueniant. [Qui pœnas dabunt in interitu æternas. Sunt enim multi homines, (vt notat Chrysostomus) qui bonam spem habent, non in eo quòd abstineant à peccatis, sed in eo quòd existiment gehennam non esse vehementem sicut dicitur, sed mitiorem quàm eam cuius minæ intentantur ; & esse temporalem, non æternam. Ego verò (ait) non solùm quòd non sit mitior quàm cuius minæ intentur, sed multò vehementior, ex multis possum ostendere, & colligere ex ipsis verbis

Chrysost. orat. 3.

Gehennæ nomen, ob iũe vindictæ acerbissimæ.

de gehenâ. Quod autem non sit temporalis, audi Paulum nunc dicentem de ijs qui Deum non norunt, neque credunt Euangelio, quòd pœnas dabunt in exitium æternum. Quod autem est æternum, quomodo temporale?] Verùm, vt & apud ipsum Paulus denuntiat. [Si qui Euangelio non obediunt, dant pœnas; qui præterquàm quod non obediunt, vos etiam affligunt, quid non patientur? Contemplare igitur eius prudentiam. Non enim dixit, Qui vos affligunt, sed qui non obediunt. Quo fit vt etsi non propter vos, propter seipsum tamen necesse sit eos punire.] Iam quidem erumpit ira Dei; vt qui beneficiis non intelligitur, vel plagis agnoscatur: sed eo sæuiùs recrudescit censura, quo obstinatiùs contemnitur. [Deum, ait Cyprianus, vel serò quærite, quia iam pridem per prophetam, Deus præmonens hortatur, & dicit: Quærite Dominum, & viuet anima vestra. Deum vel serò cognoscite, quia Christus adueniens hoc admonet docetque dicens: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Credite illi, qui omninò non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ, dabit. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit.] Reuelabitur tandem Dominus Iesus, & in flammâ ignis manifestabitur. Sed ille ignis flammeus non solùm terribilis, non solùm inextinguibilis erit; sed & tam atrocia, quàm & perpetua erunt eius supplicia. [Impios enim, vti dixit Theophilus ad Autolycum, pœnis subdere non omittit: impios magnâ seueritate & iudicat & vindicat.] Acerbissima quidem censura est, sed est & æterna.

Chrysost. orat. 2.

Cyp Tract. cont. Demet fin.

Theophil. l. 1. ad Autol. cit. med.

Quoad tertium. Adeò terribile iudicium est vt solus iudicis aspectus, tam sit infaillibile, quam horribile mortis interminabilis prænuntium. [Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloriâ virtutis eius. A facie, inquit, Domini. (verba Chrysostomi) Quod ergo hoc sit, facile est videre. Magno quippe non est opus negotio, sed sufficit si adsit Deus, & visus fuerit: sic sunt omnes in pœnâ & supplicio. Solùm eius præsentia, aliis quidem est lux, aliis verò supplicium.] Non opus est verbis tanquam interpretibus, sed solis obtutibus, tanquam fulguribus emissis, pœnæ infligentur æternæ; & dum iusti lætis splendoribus recreabuntur, ardoribus impij torquebuntur sempiternis. [Dabunt: id est: (Aquinate interprete) sustinebunt pœnas æternas, non finiendas: & hoc in interitu, quia semper morientur. Aliter enim est de pœnis huius vitæ, & illis. Nam hîc, quanto plus acerbiores, tanto sunt breuiores, quia extinguuntur: sed illæ sunt grauissimæ, quia sunt pœnæ mortis, & sunt interminabiles: vnde dicitur, quòd semper erunt quasi in morte. Psalm. 48. Mors depascet eos. Cum autem dicitur, A facie Domini, in hoc ostenditur causa acerbitatis pœnæ. Sensus enim alicuius euacuatur, vel propter superiorem iudicem, vel propter superiorem potentiam: sed hoc non erit, quia hoc iudicium

Chrysost. orat. 3.

Aquin. lect. 2.

Deum nescientes sunt in totum inexcusabiles.

A procedet à facie Domini. Et ideò dicit, dabunt pœnas, id est, sustinebunt à facie Domini.] digni sunt morte æternâ, quia diuinâ facie indigni. Rei sunt, & idcircò indigni qui videant gloriam Domini, digni qui pœnam inferni sustineant, & ad solum Christi conspectum, æternum subeant opprobrium. Nec ipsi ergo, (vt dico ex Augustino) sine pœnâ erunt, qui legem Dei nesciunt. Qui enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Illa quippe ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tantum simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat: si propterea non credidit, quia non B audiuit omninò quod crederet; sed fortassis vt mitiùs ardeat: non enim sine causâ dictum est, Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. Et illud quod ait Apostolus, Cum venerit in flammâ ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.] Sed, vt concludam ex Tertulliano. [Cum etiam ignorantes Dominum nullâ exceptio tueatur à pœnâ, (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quantò cognitum despici periculosum est?] Multa poterant inquiri, sed & sine quæstione, præueniente nimirum solutione poterant discuti.

Augustin. l. de grat & l. arb cap. 3.

Tertullian. l. de pœnitent cap. 5.

C

TROPOLOGIA.

In exemplum iusti iudicij Dei.

Affliguntur cultores Dei, affliguntur persecutores fidei sed illi afflictione suâ, diuinum demonstrant iudicium: isti punitione suâ iustum anticipant supplicium: tamque illi, quàm & isti, mercede suâ, veritatem Dei commendant æquitatemque. Sint ergo tres istæ theses: quarum

D Prima, Cultores Dei, afflictione suâ diuinum demonstrant iudicium. [Vtrum, ait Augustinus, malâ voluntate sic pereat innocentia, vt possit bonâ voluntate reparari, non contemptibilis quæstio est: sicut enim si voluntate amputentur corporis membra, non restituuntur itidem voluntate; ita videndum est, an in re quidem dissimili, id est in animo, tale aliquid de innocentiæ perditione contingat; & voluntario motu perire possit, redire non possit. Nam & sacra virginitas si per impudicam pereat voluntatem, ad pudicitiam redire potest, ad virginitatem non potest. Si respondeatur, integritatem virginis in corpore, non vtique animi esse, sed corporis: considerandum tamen est, vtrum ad iustitiam E voluntate redeat qui peccauerit, non ad innocentiam; sicut illa ad pudicitiam, non ad virginitatem redit. Nam sicut iniustitia, iustitiæ, sed ita minorentiæ, velut eius contrarium, non iniustitia, reatus opponitur; qui hominis voluntate non tollitur, etsi voluntate sit factus. Non enim verum videt, qui putat reatū sibi ipsi tollere pœnitentem, quāquam & ipsam pœnitentiam Deus det, quod Apostolus confirmat, dicens, Ne fortè illis Deus det pœnitentiam: sed reatum apertissimè Deus tollit, homini

Augustin. lib. 4 oper. inch. c. 19.

dando indulgentiam; non sibi ipse homo, agendo pœnitentiam.] Homo peccando à principio reus factus est, morti & damnationi obnoxius. Voluntate solâ periit, nec ad iustitiam tamen aut ad innocentiam solâ redit voluntate. Quot qui pœnitentiam inierunt, qui tamen non receperunt gratiam? [Debemus quippe, ait idem Augustinus, illum recolere qui locum pœnitentiæ non inuenit, quamuis cum lacrymis quæsierit eam. Ac per hoc & pœnitentiam egit, & reus remansit, qui veniam non accepit. Et illi, qui dicent inter se pœnitentiam agentes, & per angustiam spiritûs gementes, Quid nobis profuit superbia, & Rei vtique in æternum non acceptâ veniâ permanebunt: sicut etiam ille de quo Dominus ait, Non remittetur ei, sed reus erit vltimi peccati.] Quot porrò, qui gratiam receperunt, nec ad innocentiam tamen redierunt? qui iustificati sunt à peccatis, à vinculis tamen, id est à pœnis nondum liberati? Adhuc enim rei sunt, licet absoluti, quia soluendis suppliciis sunt adhuc obnoxij. [Ecce inuenta est innocentia magnum hominis bonum atque ita naturale, vt cum illâ sit conditus primus homo, quæ tamen hominis voluntate perdi potest, non potest reddi: & reatus magnum malum innocentiæque contrarium, quod tamen potestas hominis, cum sit voluntarium, possit inferre, nec possit auferre] Ita Augustinus. Ex quo igitur peccauit homo, diuinæ factus est obnoxius iustitiæ: non solùm punitionis temporariæ reus, sed & mortis æternæ. Et in homine quidem iusto seu iustificato, nihil remanet damnationis æternæ: in ipso tamen licet iusto, sed cupido adhuc & secundùm carnem seu veterem hominem adhuc malo: nihil non remanet mortis ac punitionis temporariæ. Licet enim per gratiam redierit ad iustitiam, ad innocentiam tamen non redibit nisi per gloriam. Ita igitur lugent iusti, imò & iustè tribulationes & persecutiones sustinent. [In exemplum iusti iudicij Dei.] Quomodo non iustus Deus puniendo malos, si iustus est bonos affligendo? & vtique iustus est: quia nulli tam boni, qui non aliquâ ex parte mali? nulli tam iusti, qui supplicio ex soluendo, morbo, dolori, & morti, malorum omnium terribilissimo non sint obnoxij. Ita Iob, [Qui cœpit, ipse me conterat. Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti.] Quid est, Nec contradicam sermonibus sancti? [Plerumque, ait Gregorius, ad nos verba Dei non sunt dictorum sonitus, sed effectus orationum. In eo enim nobis loquitur, quod ergà nos tacitus operatur. Beatus igitur Iob sermonibus Dei contradiceret, si de eius percussionibus murmuraret. Sed quid de percussore suo sentiat, indicat, dum quem ferientem tolerat, sanctum vocat.] Dicit sanctum, quia iustum eum, & rectum eius agnoscit iudicium: credit enim se iustum ad sufficientiam quidem salutis, nondum ad virtutis excellentiam.

Augustin. ibidem.

Nulli tam iusti, qui soluendo supplicio non sint obnoxii.

Iob, cap. 6.

Gregorius l. 7. Mor. c. 7.

Secunda, persecutores fidei punitione suâ meritum anticipant supplicium. [Si tamen iustum est apud Deum reddere tribulationem iis qui vos tribulant. Si tamen, (vt exponit Chrysostomus) hîc positum est pro sed. Quod quidem ponimus in iis de quibus valdè constat vt contradici non potest: pro eo quod est valdè iustum. Si iustum est, inquit, apud Deum eos vlcisci, omninò vlciscitur. Quasi diceret, Si res Deo sunt curæ, Si Deus curat. Et non ex suâ ponit sententiâ, sed ex iis de quibus constat, vt si dicant: Si Deus odio habet malos, vt eos cogat dicere, quòd odio habeat. Sunt enim eiusmodi sententiæ minimè dubiæ, vtpote quòd & illi ipsi sciant quod iustum est. Nam si hoc iustum est apud homines, multò magis apud Deum.] Significat igitur Apostolus id adeò iustum, vt nulli possit esse dubium. Nam si nec bonis nunc parcit, an iustum est tunc malis ignoscere? Si filium quem recipit per pœnitentiam, quem diligit per gratiam, castigat tamen flagellatque per iustitiam: quomodo impium abire sinet impunitum, quomodo iustum debitumque differet supplicium? [Porrò, ait Augustinus, iustitiæ diuinæ tanta constantia est, vt cum pœna spiritalis & sempiterna pœnitenti fuerit relaxata, pressuræ tamen cruciatusque corporales, quibus etiam martyres excitatos nouimus, postremo mors ipsa, quam peccando meruit nostra natura, nulli relaxetur. Quod enim etiam iusti homines & pij, tamen exoluunt ista supplicia, de iusto Dei iudicio venire credendum est. Ipsa est quæ in sacris Scripturis etiam disciplina nominatur, quam nemo iustorum effugere sinitur. Neminem quippe excepit, cum diceret: Quem enim diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Vnde etiam ipse Iob, qui propterea tam multa illa passus est, vt hominibus quis vir esset, & quantus Dei seruus, elucerer, pœnas tamen corporis pro peccatis suis se exsoluere sæpè testatur.] Tamen, vt & ille obseruauit: [Summus ille vitis agricola aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis. Non parcit quidem nec probis nec reprobis; sed illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum est tantâ iustitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. Ecce nec Paulo parcebat, vt eius virtutem in infirmitate perficeret, qui ei dederat colaphizantem angelum satanæ. Ab illo traditus erat iustus colaphizandus angelo satanæ, qui per eum tradebat & iniustos ipsi satanæ. Has ergo pressuras persecutionesque iustorum dicit idem Paulus, Exemplum esse iusti iudicij Dei. Hinc enim intelligitur quomodo non parcatur impiis tanquam sarmentis præcisis ad combustionem: quando iustis non parcitur ad faciendam purgationem. Cum igitur ex voluntate spiritûs Dei patiuntur benefacientes, non parcitur iustis: cum autem malefacientes, non parcitur peccatoribus: secundùm tamen illius voluntatem fit vtrumque, qui ait, Non parcam nec iusto, nec peccatori: illum flagellando vt filium, illum puniendo vt impium.] Afflictio quippe iustorum, cum solatio est iustitiæ; reproborum afflictio, ex debitæ pœnæ præiudicio: illi proficiunt in tribulationibus suis, isti in suis tentationibus deficiunt: illi Deo gratum immolant sacrificium patientiæ suæ, isti para-

Chrysost. orat. 2.

Augustin. in Expos. ep. ad Rom. inc. cit. med.

Augustin. l. 22 cont. Faust. c. 20.

Impii præcisi in combustionem, pii ad purgationem incisi.

tum à Deo nequitiæ suæ supplicium anticipant: illi exsoluunt quod debent, isti debent semper & nunquam exsoluunt: illi diuinæ satisfaciunt iustitiæ, isti vindictæ tam indissimulabili succumbunt, quàm & interminabili.

Tertia, Tam illi, quàm & isti, sorte seu mercede suâ veritatem Dei commendant æquitatemque. Quid enim impius? Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiâ. Quisquis enim delinquit & viuit, (verba Gregorij) idcircò hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur; munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctiùs adstringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora diuertit ad culpam, districtus in vltimis iudex impensa argumenta misericordiæ conuertit ad pœnam. Hinc Esaias ait: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maldictus erit. Ac si apertè nos deterreat, dicens: Vita quidem pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur; sed si à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit.] Quibus ergo adhuc indulta misericordia est, venient in diem iudicij, & quibus nondum indicta iustitia est, non inuenient finem supplicij: quæ enim prærogatæ fuerunt argumenta pietatis, erunt debitæ seueritatis augmenta; & eo maior erit animi obstinati damnatio, quo longior diuini expectatio iudicij. Quodcumque passus fuerit iustus, minori pondere exonerabitur: quodcumque passus fuerit impius, ampliori fœnore cumulabitur. Ita, notante Augustino: [Petrus quoque Apostolus exhortans fratres ad perferendas pro Christi nomine passiones, ita loquitur: Nemo autem vestrûm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut curas alienas agens. Si verò vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine, quia tempus inchoationis iudicij à domo Dei. Si autem initium à nobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio Dei? Et si iustus quidem vix saluus erit, peccator & impius vbi parebunt? Manifestè ostendit easdem ipsas passiones quas iusti patiuntur, ad iudicium Dei pertinere. Quod inchoari dixit ex domo Dei, vt inde conjiciatur, quanta impiis futura seruantur. Sic ergo & ipse Paulus ad Thessalonicenses dicit, Ita vt nos ipsi de vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro vestrâ patientiâ & fide in omnibus persecutionibus vestris, & pressuris quas sustinetis, in exemplum iusti iudicij Dei. Quod omninò ad illud respicit, quod ait Petrus, Tempus esse inchoationis iudicij à domo Domini: & illud quod de Propheta interposuit, Et si iustus vix saluus erit, peccator & impius vbi parebunt? Vnde mihi videtur etiam illa quæ per Nathan prophetam regi Dauid comminatus est Deus, quanquam statim ignouerit pœnitenti, propterea tamen accidisse omnia, vt demonstraretur illam veniam spiritualiter datam propter futurum iudicium pœnarum, quod expectat eos qui hoc tempore corrigi nolunt. Dicit enim

Gregorius l. 6 Moral. cap. 4.

Augustin. in Exp epist. ad Rom. inc. cit. med.

Quod iustis irrogatur, præsagium eius pœnæ quæ seruatur impiis.

A & alibi Petrus, Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundùm hominem in carne, viuant autem secundùm Deum in spiritu.] Sic ergo & ipse Dauid veritatē Dei cōmendabat æquitatemque, dum cantabat: [Iustus es Domine, & rectum iudiciū tuū. Mandasti iustitiam, testimonia tua, & veritatem tuam valde. Hoc namque iustitia Dei rectumque iudicium & veritas, omni est metuenda peccanti. Hac enim damnantur diuinitùs quicumque damnantur, nec est omninò qui de suâ damnatione contra Deum iustum rectè conqueri possit.] Vnde & inculcat: [Omnes viæ tuæ veritas. &, Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Nam, vt & ille dixit, B erga sanctos & vniuersæ viæ Domini misericordia, & vniuersæ viæ Domini veritas: quia & in iudicando subuenit, atque ita non deest misericordia: & in miserando id exhibet quod promisit, ne veritas desit. Erga omnes autem & quos liberat, & quos damnat, omnes viæ Domini misericordia & veritas: quia vbi non miseretur, vindictæ veritas exhibetur. Multos quippe immeritos liberat, immeritum autem neminem damnat.] Vbique iustus Deus, vbique rectum eius iudicium.

Augustin. con. 18. in Psal. 118 in princip.

Augustin. con. 19 in Psal. 118. ver. fin.

ANAGOGIA.

C *Cum venerit glorificari in sanctis suis.*

[CVm dicit, Cum venerit, agit de præmiatione sanctorum.] Ita Aquinas. Sed cum omnis comprehensor fuerit viator, & meritum ponit & præmium Denique cum præmium, & modum habeat & excessum: priùs, meritum exponendum: tum & modus, postremò excessus præmij proponendus.

Aquin. lect. 2.

Quoad primum. Aliud fides, aliud fidei probatio: sed vnde vera & certa fidei probatio, nisi vbi per patientiam exploratur, coronaturque per perseueratiam. [Iustificati ex fide, D gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit.] Eo enim certior spes, quo fides constantior: eo autem fides constantior, quo tormentis tentata, pulsata pressuris exurgit fortior, ac seipsa euadit generosior. Sicut enim fides infirma, cedit facillimè; sic fides firma nihil non peruincit amantissimè. [In quo exsultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ fidei, multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Iesu Christi] Gaudendum est applaudendumque, si fides persecutionibus tentata, si probata tribulationibus, repræsentetur in aduentu Christi, demonstreturque auro per ignem probato pretiosior puriorque: tunc enim apud eum & testimonium consequetur & præmium. In hunc diem conspirant omnes Christiani, in quo & publicationem iudicij, & consummationem expectant præmij. Sed & tertium inducamus Apostolum, vt in ore duorum

Rom. cap. 5.

1. Pet. cap. 1.

E

rum

Iacob. cap. 1. tum vel trium stet omne verbum. [Omne gaudium existimate, fratres mei cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.] Græcè ὑπομονὴν, sustinentiam, seu spem patienter constanterque expectantem bona à Deo promissa, & in cœlo reposita. Per fidei igitur tentationem, seu potius per fidei probationem, spem certam concipimus, promissamque præsumimus mercedem: hac enim gloria prospicitur, hac & ad astra contenditur.] Patientiæ quidem certè est, ait Chrysostomus, & bonis promissis non frui: nunc autem & maiorem Paulus dicit patientiam. Quamnam? Eam quæ existit per persecutiones. Pro patientiâ, inquit, vestrâ & fide, in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis. Nam perpetuò vitam agebant cum hostibus qui vndique eos conabantur lædere, firmamque & immobilem ostendebant patientiam.] Patientia quidem malorum est, sed hoc mirum, quod illa quæ malorum omnium officina: est, sit omniũ architecta bonorum, & quæ in ignominiâ versatur & pœnâ, honorem polliceatur & requiem. [Et vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in reuelatione Domini Iesu.] Certè, vt obseruat Augustinus, [Quod attinet ad corporis mortem, id est, separationem animæ à corpore, cum eam patiuntur qui morientes appellantur, nulli bona est: habet enim asperum sensum. Quicquid tamen illud est in morientibus, quod cum graui sensu adimit sensum, piè, fideliterque tolerando auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ: ita cum ex hominis primi perpetuatâ propagine proculdubiò sit mors pœna nascentis: tamen si pro pietate iustitiaque pendatur, fit gloria renascentis: & cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, vt nihil retribuatur peccato.] Et hoc est opus fidei, de quo locutus est Apostolus: sed, [Opus fidei in virtute.] Id est, exponente Aquinate: [In constantiâ & fortitudine, vt nullo timore cessemus à confessione eius.] Tantum igitur in patientiâ Christianâ gloriæ meritum est, quantum gratiæ augmentum. [In omnibus, qui crediderunt.] Ibi enim, vt & ille ait, [Ponit meritum fidei.] Constantis nimirum ac perseuerantis. [Quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. Id est, propter illum diem: quia bona quæ agimus, sunt propter illum diem.] Ita Aquinas. Illorum est præmium, quorum est meritum: illorum autem meritum est, qui non solum disciplinam exceperunt fidei, sed & constantiam tenuerunt testimonij, & ad extremam pertulerunt humani iudicij sententiam.

Chrysost. orat. 2.

Patientia malorum officina, sed bonorum architecta

Augustin lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 6.

Aquin. lect. 1.

Aquin. ibid.

Quoad secundum. Venit Christus glorificari in sanctis suis: nam, vt dixit Chrysostomus: [Quando adducti fuerint in medium qui mala passi sunt innumerabilia vt à fide desciscerent, & non cesserunt sed crediderunt, glorificatur Deus, tunc ostenditur etiam eorum gloria.] Quid est ergo Christum glorificari in sanctis suis? Est gloriam suam seruis suis partiri, eos potestatis socios adhibere, & in eos maiestatis suæ radios effundere. [Gloriam sanctorum commendat Apostolus, ait

Chrysost. orat. 3.

Aquin. lect. 2.

A Aquinas, quantum ad essentiam, per participationem gloriæ Dei. Sicut enim, cum ait, Qui crediderunt, ponit meritum fidei: sic cum dicit, Cum venerit glorificari in sanctis suis: est glorificari in sanctis eius. Christus certè gloriosus est. Philipp. 2. Quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei patris. Bonum autem est sui communicatiuum. Glorificari ergo in sanctis, & glorificari in iis qui sunt membra sua in quibus habitat, & in quibus glorificatur: quando scilicet sua gloria, nimirum capitis, deriuatur vsque ad sua membra.] Deus ergo & glorificatur in sanctis suis, & glorificat sanctos; dum illos exaltat; seu dum illis copiam claritatis suæ communicat. [Nam, vti dixit Chrysostomus, ij qui sunt tumidi, & quorum ingentes sunt spiritus, cum viderint eos qui ab ipsis flagellantur, qui despiciuntur, qui irridentur, esse prope ipsum, est eius gloria, vel potius eorum, & eorum & eius. Eius quidem, quòd eos non reliquerit, sed præclaros reddiderit & illustres: eorum autem, quòd tanto dignati sint honore. Quomodo enim eius sunt diuitiæ, quòd sint fideles: ita etiam eius est gloria, quòd sint qui bonis eius sint potituri. Gloria enim boni est habere quæ suis impertiat beneficiis.] Diuidendum non est, quod non solùm vnitum est, sed & vnum. Vnum namque corpus est electorum omnium Christo capiti adunatum. Sicut enim de plenitudine eius gratiam acceperunt, sic & ex eodem fonte hauriunt gloriam. Magna certè capitis gloria, vt ex abundantiâ suâ tot sanctos magnificet, tot electos deificet: quippe tanta est gloriæ diuinæ copia, vt in omnes refluat, nec supremos solùm sed & infimos compotes sui faciat. Nec modica membrorum gloria, Christo sociari vt capiti, & ab eo repræsentari Deo patri, in eandem vocari hæreditatem, eandem felicitatem sortiri, id est, hæredes Dei fieri, cohæredes autem Christi. Hic modus glorificandi electos, exaltandi, magnificandi. Nam sicut aquæ diluuij eleuanerunt arcam vsque ad summum, sic & pressuræ huius mundi supremum gloriæ & honoris gradum sanctis procurarunt. [Ecclesia namque (vt notauit Aquinas) figuratur per arcam: quia sicut in arcâ cæteris pereuntibus paucæ animæ saluatæ sunt, ita in Ecclesiâ pauci, id est, soli electi saluabuntur. Per aquas autem significantur tribulationes. Primò quia aquæ impellunt irruendo sicut tribulationes: sed impulsu fluminum Ecclesia non mouetur. Secundò aqua extinguit ignem: sic tribulationes extinguunt impetus concupiscentiarum, sed non extinguunt veram charitatem Ecclesiæ. Tertiò, aquæ submergunt per inundationem: sed Ecclesia non per has submergitur. Non ergo per has deficit, sed potius subleuatur. Et primò, per eleuationem mentis ad Deum: mala enim quæ nos hîc premunt, ad Deum nos ire compellunt. Secundò, per spiritalem consolationem: sicut enim abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Tertiò, per multiplicationem fidelium, quia tempore persecutionum Deus multiplicauit Ecclesiam.] Per tribulationes creuerunt fideles, creuerunt sancti; nec multiplicati tan-

B Chrysost. orat. 3.

C Vnum corpus electorum Christo capiti adunatum.

D

Aquin. in prol sup ep. 1 ad Thessal.

E

tùm, sed & pressuris sicut aquis subleuati vsque ad verticem montis, vsque in apicem potestatis sublimati.

Quoad tertium. Christus venit non solùm glorificari in sanctis suis, sed, [Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.] Nam, vt dixit Chrysostomus, [Per illos redditur admirabilis, quando eos qui erant miserabiles, & miseri, & mala passi erant innumerabilia, & crediderant, ad tantum deducit splendorem. Eius virtus tunc ostenditur, quòd etiam si maximè videantur derelicti, sed tamen magnâ illic, fruuntur gloriâ. Tunc maximè ostenditur omnis Dei gloria & virtus. Dixit ergo quod ipsi quoque sancti glorificantur vt & glorientur. Dixit quod est longè amplius, quod Deum quoque glorificant. Dixit quòd recipient illam gloriam: nam dum glorificatur Dominus, serui quoque glorificantur. Sed cum venerit glorificari & admirabilis fieri: nos admirantur, quòd nos ita comparauerimus vt simus digni.] Cum venit glorificari, omnem quidem altitudinem transcendit: cum venerit admirabilis fieri, omnem excedit admirationem. In illo, modus est diuinæ participationis: in isto, excessus claritatis æternæ. [Ponit excessum, ait Aquinas, cum dicit, Cum venerit admirabilis fieri. Siquidem admiratio, est stupor procedens ex magnâ fantasiâ. Tanta namque sanctorum gloria non potest cadere in opinionem hominum: hoc enim excedit omnem admirationem.] Mirabilis Deus in sanctis suis, quos sibi vult esse similes, & tamen inæquales; quos omnes vult esse socios, & tamen disparatos. [Iustum est apud Deum reddere vobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius. Quid ergo? ait Chrysostomus. Estne æqua retributio? Nequaquam. Ecce tamen alia consolatio, & eosdem habere socios afflictionum: & in remuneratione, eos qui innumerabilia

Chrysost. orat. 3.

Sanctorum gloria omnem excedit admirationem.


Aquin. lect. 2.


Chrysost. orat. 2.

A fecerunt maiora, coniunxit socios in coronis. Tum & tempus addit, & per descriptionem mentes sursum attollit, verbo cœlos propemodum aperiens, & eorum oculis subijciens, & circa ipsum statuit angelicum exercitum, & ex loco, & ex his quæ sunt ex ipso, latiorem faciens imaginem: Et vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in reuelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius.] Eandem ergo cum Paulo omnes requiem percipient, & tamen disparem: eandem cum illo recipient felicitatem, & tamen inæqualem: imò & inæqualem simul & æqualem. [Duplex enim est æqualitas, vti docet Aquinas, scilicet quanti B tatis & proportionis. Et prima non est æqualis quantum ad participationem hominis, sed æqualis quantum ad beatitudinem participatam, quæ est Deus: homo enim participat secundùm magis & minus, scilicet secundùm quod ardentiùs, vel minùs ardenter amat Deum. Sed secundùm secundam, omnimoda æqualitas erit, quia ita est gloria Petri ad gratiam sibi datam & meritum suum, sicut gloria Lini ad suam.] Itaque sicut & Paulus ardentissimè omnium dilexit Deum, sic & abundantissimè participabit: Petrus constantissimè omnium dilexit Christum, ideoque participabit cumulatissimè: impensiùs illi honorandi sunt, C altiùs exaltandi. [Ordine temporis impares, ait Augustinus, æternitate felicitatis æquales: ille ex piscatore, ille ex persequutore: in vtroque magna Dei gratia atque eius gloria claruit, qui eorum fecit merita: non inuenit. Habet ergo Roma caput gentium, duo lumina gentium ab illo accensa, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnum, quo Deus abiectam exaltauit humilitatem; alterum, in quo damnandam sanauit iniquitatem. Laudes illi audiant à nobis, preces effundant pro nobis.] Amen.

Aquin. lect. 2.

Augustin. serm. de nat. Pet. & Paul. hact. ined.





CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.

APerit quid de Antichristo seu filio perditionis tenendum sit : instruit quomodo acquiescendum sit traditionis oraculo. Sint ergo huiusce capitis partes duæ.

PARS PRIMA.

De perditionis filio.

TEXTVS.



Ogamus autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum : vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Nequis vos seducet vllo modo : quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus. Non retinetis quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis : tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentûs sui eum : cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt : eo quòd charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

EXEGESIS LITTERALIS.

ADueniet Christus, sed postquam reuelatus fuerit Antichristus, multosque seduxerit : quem & ipse Dominus spiritu oris sui interficiet.

[Rogamus autem vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, &c.] Putatis aduentum Domini breui adfuturum, & eum diem reformidatis tanquam tremendum ac terribilem. Idcircò obtestor vos per eum aduentum

A quem reueremini, sed & nostri aggregationem seu collectionem in ipsum, in quam & simul nobiscum rapiemini : vt non citò sententiam vertatis vestram, nec ab acceptâ doctrinâ discedatis. [Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini, &c.] Neque conturbemini terrore concepto de die Domini tanquam imminente. Ne, inquam terreamini, neque per spiritum, tanquam propheticum : neque per sermonem, tanquàm à nobis prolatum : neque per Epistolam, tanquam à nobis profectam : quasi mox Christus ad vltimum iudi-

Aquin. lect. 1. cium venturus sit. [Est autem aliud moueri, ait Aquinas; aliud terreri. Mouetur enim à suo sensu, qui prætermittit quod tenebat, quasi dicat, Non citò dimittatis doctrinam meam. Terror autem est quædam trepidatio, cum formidine contrarii. Et ideo dicit, Ne terreamini. Quasi instet dies Domini, de quo seducebantur.] Ex Græco quidem, [Ne turbemini.] Sed turbabantur, dum ementitis territabantur missis. [Nequis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus, &c.] Neque vos quisquam vlla modo decipiat: aut credulis imponat imperitisque: non enim veniet dies Domini, nisi primùm acciderit defectio, obsoleueritque religio; & Antichristus, sceleratorum hominum sceleratissimus, ideoque perditione & damnatione dignissimus, exortus fuerit manifestusque: ille, inquam, Dei & Christi aduersarius, ideoque extollitur aduersùs omne quod dicitur Deus, & quod quoquo tandem modo colitur: ita vt in templo Dei, tanquam Deus sedeat, seque tanquam Deum ipsum proferat. [Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? &c.] Quid mouemini, aut terremini? Nonne meministis, quòd cum essem apud vos, hæc dicebam vobis, exponebamque? [Modestiùs hos ipsos affatur, inquit Athanas. & quasi ad pudorem inducit, cum, inquit: Nonne retinetis? Perinde ac si dicat: Tam breui vobis memoriâ, quæ paulò antè prædixeram excidere.]

Aliud est moueri & aliud terreri.

Athanas. in Paulum.

[Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, &c.] Ex iis quæ coram dixi hac de re & tradidi, nostis quid remoretur Antichristum, destinato tempore manifestandum, quid-ve mysterium demoretur suo ordine consummandum: iam enim incipit præcurrere, iam serpit, agitque: imò iam agitur, sed nondum peragitur; erupturum aliquando in publicum, & in apertam exiturum apostasiam. Interim qui nunc fidem tenet, constanter retineat; donec accidat defectio, & de medio Ecclesiæ recedat quicumque veram fidem retinebat & Christianam religionem. [Tantùm qui nunc tenet fidem, ait Aquinas, teneat, id est firmus sit in eâ: donec iniquitas mystica, fiat de medio, id est, donec reducatur in publicum.] Donec publicum tandem exeratur iniquitatis & impietatis mysterium. [Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentûs sui, &c.] Cum publica fuerit apostasia: tunc veniet ille impius, & in apertum se proferet: sed eum Dominus Iesus conficiet, perdetque solo vocis imperio, imò ad imminentem consumet aduenientis maiestatis exhibitionem. [Cuius est aduentus secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt vt

Aquin. lect. 2.

A salui fierent, &c.] Eum, inquam, destruet, qui adueniet tanquam verum diaboli organum per quod nimirum vim omnem suam effundet. Nam omnigena ille operatione satanæ edet miracula, sed omnia fallacia: artem omnem exeret, vt seducat incautos, reprobosque ad iniquitatem pertrahat: & verè decipientur traducenturque, propterea quod fidei per dilectionem non adhæserint, veritatem tempori non prætulerint; quâ saluâ & ipsi euasissent, salutemque fuissent assecuti. [Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.] Hoc exigit iustitia diuina, vt qui veritatem respuunt,

B in errorem incidant; & qui Deum abiiciunt, operante dæmone, admittant mendacium: vt iudicentur condemnenturque omnes qui credere noluerunt veritati, sed iniquitati maluerunt acquiescere. [Iis dicit fallaciam iniquitatis prodigiorum eius proficere, qui perituri sunt. Quia enim veritatis charitatem spreuerunt per quam saluari potuerant, traditi sunt diabolo: nolentes enim saluari, deseruntur à Deo.] Ita Ambrosianus Commentarius.

Quomodo antichristus per Christũ abolendus.

Comment. Ambros.

QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.

De Antichristo.

C Tolerabiliores illæ, quàm curiosæ, quibus Augustinum sollicitat Dioscorus, vt ad Tullianas obuertat quæstiunculas. [O rem dignam vigiliis & lucubrationibus Episcoporum.] Idcircò, nec curiosas dico quæstiones, quæ longiùs eliminandæ sunt; nec dogmaticas, quæ constantiùs sunt affirmandæ: sed problematicas: in quibus, vt de suis nonnullis testatus est ipse Augustinus: [Plura quæsita, quàm inuenta sunt: & eorum quæ inuenta sunt, pauciora firmata: cetera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.] Arcana sunt nondum per

D fidem propalata: nec vnquam forte nisi ad lucem orbis conflagrantis propalanda. Sed sicut fides probabilia suscipi non imperat, sic nec ista discuti vetat aut inquiri. Sit ergo

Augustin. ep. 56. post init.

Augustin. l. 1. Retract. c. 24.

PROBLEMA PRIMVM.

Quid per spiritum Apostolus intelligit.

Graue exordium, quia grande mysterium. [Rogamus autem vos fratres: per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque

E per spiritum.] Hoc primum est per quod dimoueri à suâ sententiâ poterant, aut subitaneâ terreri præsentiâ. [De Antichristo differit, ait Chrysostomus, & magna aperit mysteria. Idcircò erigit mentem eorum, vt non citò, inquit, labetis & vacilletis. Neque terreamini, neque per spiritum.] Quis ergo ille spiritus, qui terrificet mentes, qui fideles conturbet? Est enim spiritus bonus, est & malus: est prophetiæ, est & blasphemiæ: sunt enim spiritualia nequitiæ, etiam in cœlestibus, seu sublimi-

Chrysost. orat. 3.

Spiritus bonus & malus & vterque terret & emouet.

bus: sunt & arcana malitiæ etiam in spiritualibus. Quin imò spiritus vterque tam bonus quàm malus, non solùm terrItat, sed & conturbat: nec mediocres tantùm, sed & sanctiores melioresque. [Vidi autem ego Daniel solus visionem: porrò viri, qui erant mecum, non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.] Ipse Gabriel qui Danielem territat, conturbat Virginem. [Turbata est in sermone eius.] Et quid mirum, cum & ipsi Apostoli, Christo rediuiuo: [Conturbati, & conterriti, existimabant se spiritum videre? [Denique & ipse Paulus, nonne, [Et tremens ac stupens?] Quin & inde saluus, quod territus stupefactusque. [Et audiui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum,] Inde erectus, vnde deiectus; inde exaltatus, vnde humiliatus. [Paulus enim vnde? (verba sunt Augustini) Paulus, quia modicus. Paulus humilitatis nomen est. Vsum Latinæ locutionis aduertite, quia paulum modicum dicitur. Audi ergo Paulum. Ego sum, inquit, minimus Apostolorum. Et alio loco, Ego sum nouissimus Apostolorum. Et minimus & nouissimus, tamquam fimbria de vestimento Domini. Quid tam exiguum, quid tam nouissimum, quam fimbria? Hac tamen tacta mulier à fluxu sanguinis liberata est. In modico isto erat magnus, in minimo grandis habitabat. Et tanto minus à se magnum excludebat, quanto magis minor erat.]

Daniel. c. 10.

Luc. cap. 1.

Luc. c. 24.
Act. c. 9.

Daniel. c. 10

Augustin. serm. 14. ex nouis. vlt. med.

Quanquam hæc omnia sint vera, certum est tamen spiritum illum non fuisse bonum, sed malum ac pessimum: vt qui Thessalonicenses non terreret solùm emoueretque, sed & seduceret. [Ne quis vos seducat vllo modo.] Nemo vos decipiat, siue per spiritum, siue per aliud simile mendacium, quasi subtile sed periculosum artificium. Ita Ioannes: [Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.] Ioannes probare monet spiritus, cum adhuc dubium & incertum est à quo sint, à Deo an à diabolo; id admonet & Paulus: sed vterque iubet amandare & exterminare, cum detectum ac certum est ex diabolo esse seu ex mendacio. Sed cum plures sint mendaciorum seu malorum spirituum species: restat inquiri, in quo malus sit ille spiritus, seu quo infectus mendacio. Determina rem ipsam Ioannes, dum expectatam assignat rationem. [Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.] Et quidem quod prophetia dicatur spiritus, testis ipse Paulus & iudex. [Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere.] Quid est enim spiritum extinguere, nisi charismata, maximè vero prophetica, quasi non essent inspirata à Deo, seu à Spiritu sancto collata, negligere? [Quem spiritum, ait Tertullianus, prohibet extingui? & quas prophetias vetat nihili haberi? Vtique non creatoris spiritum, nec creatoris prophetias

1. Ioan. c. 4.

1. Thessal. cap. 5.

Tertullian. l. 3. adu. Mar. c. 15.

A secundùm Marcionem. Quæ enim destruxit ipse iam extinxit, & nihili fecit, nec potest prohibere quæ nihili fecit. Ergo incumbit Marcioni exhibere hodie apud Ecclesiam suam exinde spiritum Dei sui qui non sit extinguendus, & prophetias quæ non sint nihili habendæ. Et si exhibuit quod putat, sciat nos quodcunque illud ad formam spiritalis & propheticæ gratiæ atque virtutis prouocaturos, vt & futura prænuntiet, & occulta cordis reuelet, & sacramenta edisserat. Quum nihil tale protulerit ac probarit, nos proferemus & spiritum & prophetias creatoris, secundùm ipsum prædicantes. Atque ita constabit B Apostolum de quibus dixerit, de eis scilicet quæ futura erant in Ecclesiâ eius Dei, qui dum est, spiritus quoque eius operatur, & promissio celebratur.] Liquet ergo per spiritum, non omnem intelligendum esse, sed specialem, seu propheticum: maximè verò illum, qui noui est testamenti: cum & vberior sit ac vehementior. Sed cum multi obreperent inter prophetas, fingerentque afflatos se & inspiratos: [Omnia probate, ait Paulus, quod bonum est tenete.] Audite quid dicatur proponatur ue à fratribus prophetantibus, & ea qualia sint, diligenter C prudenterque expendite: sicut enim quod bonum est, admittendum est; sic & quod malum, excludendum.

Prophetia spiritus nomine passim designata.

Probauerat igitur Paulus prophetias de Christo mox venturo apud Thessalonicenses sparsas, & reprobauerat tanquam falsas. [Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in illum: ne facilè dimoueamini à sensu vestro; neque conturbemini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per epistolam tanquam à nobis missam, quasi instet dies Domini. Nimirum obsecrat eos, ne leuiter & facilè de aduentu quasi imminentis Domi-D ni opinionem reciperent: & alia dat mandata, vt etiamsi per spiritum aliquis velut propheta fuerit locutus, credi ei non debeat.] Ita Textus & Commentarius Ambrosianus. Vulgabantur prophetiæ, sed nondum vindicatæ, imò damnabantur, quia falsæ, aut certè prius explorandæ. Ita apud Tertullianum: [Spiritus diaboli est, dicis ô Psyche.] Sed ille, [Et quomodo, inquit, Dei nostri officia indicit, nec alij offerenda quam Deo nostro? Aut contende diabolum cum Deo fateris nostro, aut Satanas paracletus habeatur. Indubitate enim & hæresis & pseudoprophetia diuinitatis diuersitate iudicabuntur apud nos omnes vnici Dei E Creatoris, & Christi eius antistites.] Sed illa prophetia, quæ ferebatur de proximo iudicio, recognita erat ab Apostolo, & damnata, vt quæ non à vero propheta proferretur sed à falso, ideoque nec prophetia dicenda, sed pseudoprophetia. [Seducitur quis, ait Aquinas, per falsam reuelationem. Vnde dicit Apostolus, Neque per spiritum. Id est, si quis dicat sibi reuelatum per Spiritum sanctum, vel à Spiritu sancto aliquid quod est contra doctrinam meam: Nolite seduci. Ratio autem quare hæc remouet Apostolus, scilicet de aduentu Domini, est, quia prælatus nullo mo-

Ambrof. in Paulum.

Tertullian. lib. de Ieiun. c. 11.

Aquin. lect. 1.

Periculosa de Christo proximo prophetia.

do debet velle, quòd per mendacium aliqua bona procurentur. 1. Corinth. 15. Inuenimur autem & falsi testes. Item quia res credita erat periculosa, quòd scilicet instaret dies Domini. Primò, quia daretur occasio maioris seductionis: quia futuri erant post tempora Apostolorum aliqui, qui dicerent se esse Christum. Luc. 21. Multi dicent, Ego sum. Et ideò Apostolus noluit. Qui dicit, Nescio quando veniet Dominus, melius dicit, quia concordat Christo: sed ille plus errat, qui dicit, citò; quia elapso termino homines desperarent, & crederent falsa esse, quæ scripta sunt.] Abeat ergo spiritus ille dæmonicus & taceat: cum enim dixerit Christus Dominus venturum se, [In die quâ non sperat seruus, & horâ quâ ignorat.] Quicumque secùs determinant, prophetant de corde suo, & diuinant mendacium: imò quandiu diuinant & prophetant, venturus non est Christus, quia ignorantibus omnibus veniet, & non sperantibus superueniet: ideoque etsi angelus de cœlo lapsus id denuntiaret, verendus quidem & suspiciendus est: sed & discutiendus.

Matth cap. 24.

PROBLEMA SECVNDVM.

Quid per epistolam.

Epistolam quidem opponit Paulus sermoni, seu verbum scriptum viuę voci: sed quæstio est quam epistolam intelligat, veram an falsam. [Neque per epistolam, tanquam per nos missam. Quia in primâ epistolâ, ait Aquinas, nisi benè intelligatur, videtur dicere, instare Domini aduentum, vt illud, Deinde nos qui viuimus.] At illa vera est epistola, & verè missa, licet malè intellecta. [Non enim, vti dixit Augustinus, error oboriri palliatus nomine Christiano, posset nisi de scripturis non intellectis.] Verùm interpretationem falsam non tangit Apostolus, sed rem ipsam, verbum scilicet aut scriptum, arguitque suspecta & falsa esse omnia. [Neque terreamini, neque per spiritum, hoc est, vt exponit Athanas. per prophetiam & vaticinium. Nonnulli namque prophetas se mentientes, populum illudebant, cum Dominum adesse assererent. Neque per sermonem, hoc est per doctrinam viuâ voce depromptam. Neque per epistolam tanquam per nos missam: Per epistolam videlicet falsò compositam, quam à Paulo dicerent destinatam, eorum dicta hi adstruebant. Quasi instet dies Domini: hoc est, Christi aduentus. Ne quis vos seducat vllo modo: Neque sub prophetiæ prætextu, neque sub disciplinæ & instructionis occasione, neque meis vllis commentitiis libris vos circumueniat quispiam. [Tribus ergo modis illudebantur, seducebanturque de proximo iudicio: primus, per vaticinium; secundus, per verbum; tertius per scriptum: illi prætexebant se reuelationem à Spiritu sancto accepisse, sed quia facilè non inueniebant fidem: asserebant isti se sermonem audiisse Paulo prædicante, verùm quia nec testem producebant, addebant hi epistolam ad se missam ab Apostolo, sicque commentum suum tanquam argumento muniebant firmissimo.

Aquin. lect. 1.

Augustin. lib. 83. qu. 69. init.

Athanas. in Paulum.

Epistola perperàm Paulo imposita.

A [Solent enim tergiuersatores, (ita loquitur Ambros.) vt fallant, sub nomine clari alicuius viri epistolam fingere, vt auctoritas nominis possit commendare quod per seipsum recipi non potest.] Sicut ergo vult Apostolus falsam esse prophetiam, falsam & disciplinam; ita vult & falsam esse epistolam, ementitam, credulis decipiendis subornatam, suppositam scriptionem, missionem nullam. [Neque per Epistolam, tanquam per nos missam.] Nihil enim tale Apostolus dixit, aut scripsit, nihil simile seu verbo, seu scripto docuit; omnia commentitia, conficta omnia. Nec missa vn-
B quam epistola, nec scripta est; sed ad decipiendum seducendumque ab impostore composita.

Ambros. in Paul.

Inde apocrypha, quæ non tam commentaria sunt, quam emoti animi deliria. [Quid autem, ait Tertullianus, si philosophi etiam illa incursauerunt, quæ penes nos apocryphorum confessione damnantur, certos nihil recipiendum quod non conspiret germanæ propheticæ paraturæ; quando & pseudoprophetarum meminerimus, & multo priùs apostatorum spirituum, qui huiusmodi quoque ingeniorum calliditate, omnem faciem sæculi instruxerint?]
C Ex quibus tria sunt colligenda. Primum est, totum orbem illo sordium diluuio fuisse inundatum; tanta erat apocryphorum multitudo, imò confusio. Alterum, maximè in reuelationibus & visionibus constitisse; ex iis enim maxima scripturæ seges, imò species fantasiæ. Tertium, omnia ex æquo damnata, tanquam ex apostatis nata spiritibus, seu profanis artibus subornata. [Omittimus earum scripturarum fabulas, (verba Augustini) quæ apocryphæ nuncupantur, eo quòd earum occulta origo non claruit patribus, à quibus vsque ad
D nos auctoritas veracium scripturarum certissimâ & notissimâ successione peruenit. In his namque apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Vnde illa quæ sub Enoch nomine proferuntur, & continent multas de gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda: sicut multa sub nominibus aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apocryphorum ab auctoritate canonicâ diligenti examinatione remota sunt.] In angulum scilicet re-
E iecta, imò & in totum proiecta. [Ii enim libri, ait ille, appellantur apocryphi, non quod habendi sint in aliquâ auctoritate secretâ, sed quia nullâ testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prolati sunt.] Hæretici ferè omnes, maximè vero Manichæi, vtpote legitimis destituti scripturis, eiusmodi scriptorum auctores vel patroni. [Legunt scripturas apocryphas Manichæi, inquit Augustinus, à nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas: quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti & docti homines, qui tunc in hac vitâ erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.]

Tertullian. l. de Anim. cap. 2.

Augustin. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23.

Multa ab hæreticis de scripturis conficta.

Augustin. lib. 11. cont. Faust. c. 2.

August. in l. 22. cont. Faust. c. 79.

Sancti examinant doctique, & inde ea vindicant populi.

Ex iis porrò plurima Paulo sunt adscripta: cum enim ille multò plura scripserit, cum & audierit arcana verba; facilius fuit & nouas ei scriptiones affingere, & inauditas imponere reuelationes. [Sciunt in Asiâ presbyterum, ait Tertullianus, qui scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.] Minutum scilicet dignitate, seu honoris sede depositum. Sunt aliqui fabularum inuentores, sunt & alij prophetiarum amatores. [Quâ occasione, ait Augustinus, vani quidam Apocalypsim Pauli quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissimâ præsumptione finxerunt, dicentes hanc esse, vnde dixerat, Raptum se fuisse in tertium cœlum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Sed vtcumque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, quæ adhuc non licet homini loqui. Cum verò dixerit, Quæ non licet homini loqui: isti qui sunt qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui?] At non minus impudentes nec minùs infelices isti nugiuenduli, qui epistolam confingant Pauli titulo, quam Paulus ipse abdicet, nouam spargant prophetiam, quam ipse improbet. Ideoque si in dignitate constituti, erant deponendi & de loco dimouendi: si nullâ suffulti dignitate, percutiendi erant anathemate. Sicut enim impium est falsa confingere miracula, sic & iniquum falsa oracula fundere: Sacrilegium est, mendacium in tantâ specie, imò in re diuinâ perniciosissimum; ideoque non solùm proscribendum ab Ecclesiâ, sed & pœnâ plectendum grauissimâ: si enim in religione permittitur aliquis locus mendacio, nulla deinceps salus Christiano, vel in re, vel in spe relinquitur.

Tertullian. lib de bapt. cap. 17.

Augustin. Tract. 98. in Ioan. in fine.

Mendacio nullum in religione tolerandū.

PROBLEMA TERTIVM.

Quid sit discessio.

QVærit & ipse Hieronymus: [Quid sit quod Apostolus ad Thessalonicenses scribit: Nisi discessio venerit primùm, quod Græcè dicitur ἀποστασία.] Tertullianus, licet Græcismi amantissimus abscessionem retinet, sed statim ad abolitionem regni detarguet. [In secundâ, inquit, plentiore sollicitudine ad eosdem: Obsecro autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & congregationem nostram ad illum, ne citò commoueamini animo, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, ac si per nostram, quasi insistat dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi veniat abscessio primò, huius vtique regni.] Cuius regni? Romani vtique imperij. [Est, inquit, & alia maior necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperij, rebusque Romanis; qui vim maximam vniuerso orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani imperij

Hieronym epist. 151. quæst. 11.
Tertullian. lib. de Resurr. carn. c. 24.

Tertullian c. 32. Apolog.

A commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus.] Sic & ad Scapulam, loquens de Imperatore Romano: [Sciens Christianus, inquit, à Deo suo constitui, necesse est vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano imperio, quousque sæculum stabit, tandiu enim stabit.] Ita Tertullianus Latinos inter antiquissimus: sed & antè ipsum Irenæus iuxta Græcos nominatissimus: [Quoniam nisi venerit abscessio primùm.] Quænam illa? Abolitio regni, seu Romani dissolutio imperij. [Oportet enim, inquit, diuidi regnum, & sic deperire.] Ab

B his duobus, tanquam à primis fontibus, ea in ambas Ecclesias, Latinam & Græcam, effluxit opinio, vt illa discessio, seu defectio, aliud non sit, quàm Romani imperij euersio. Cum scilicet ij qui obedientiam debent imperio Romano, apostasiam committent; discedent ab eius subiectione, à summissione deficient. Sed Apostolum tacitis verbis rem, desolationem-ue inuoluisse potius quàm euoluisse, ne Romanos læderet, persuasos imperium suum fore æternum: vel vt prophetiam condendo, seu rem futuram prædicendo, obscuris etiam verbis propheticis sue, suam proferret sententiam.

Tertullian. lib. ad Scap. cap. 2.

Iren. lib. 5. aduer. hæres. cap. 25. & 26.

Opinio de imperio Romano destruendo.

C Certum quidem est, mentem Pauli perplexam esse, remque ex solà verborum ipsorum structurâ esse obscurissimam. [Nam & quod ait: Et nunc quid detineat scitis: id est, vt exponit Augustinus, quid sit in morâ, quæ causa sit dilationis eius, vt reueletur in suo tempore, scitis: quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideò nos qui nescimus quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus: præsertim quia & illa quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, Iam enim mysterium iniquitatis operatur: Tantùm qui

D modò tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus?] Quid ergo est? [Quis? ait Tertullianus, nisi Romanus status? cuius abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducet. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur; tantùm qui nunc tenet, teneat; donec de medio fiat: & tunc reuelabitur iniquus.] Sed hoc mirum est quod Paulus mutire non audeat, quod quiuis Christianus soleat debucchinare; quod ille familiariter scribens ad amicos, ad filios, quæsitis verbis velare studeat, quod iste nulli subticeat, quod solemniter scribens ad Romanos, ad ipsos Romani imperij antisti-

E tes, nominis Christiani persecutores acerbissimos, verbis clarissimis denuntiare valeat, ne dicam, & vsque ad nauseam inculcare? Quod Paulus clam scribere non ausit, quod palàm ausit dicere: quòd timeat, aut pudeat, sententiam, quam verbis apertuit liquidissimis, & coràm omnibus auditoribus, litteris etiam committere. Quòd si Paulus obscurè locutus est, nobis quidem obscurè locutus est, non illis quibus indicabat paucis, quod multis explanauerat. [Nam

Augustin. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 19.

Tertullian. lib. de resur. car. c. 24.

Nobis obscura sunt, quæ aliis clarissima.

retinetis quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?] Non celat sententiam, sed memoriam prouocat. Idcircò tanta apud illos doctrinæ Paulinæ claritas erat, quanta apud nos obscuritas. Si enim Augustino dicere contigit: [Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare.] Quis audebit certam ac claram promittere intelligentiam, nec tam rei problema, quàm dogma instituere fidei?

Augustin. l. 2. de Ciuit. Dei cap. 19.

Verùm, sicut negari non potest multos antiquorum in eam de Romano imperio contendisse sententiam, quandiu stetit in flore; sic & affirmari potest, eos ab eâ coniecturâ fuisse recessuros, si vidissent desolatum imperium mole suâ corruisse, nec Antichristum ex apostasiâ seu discessione illâ emersisse. Quid ergo: in re tantâ, tamque seriâ decepti sunt patres? Respondeo primò, non esse definitiones patrum, sed, vt locutus est Augustinus, [Suspiciones hominum.] Secundò, inter se esse partitos, & alios illud, alios istud suspicatos. Tertiò, omnes pariter conuenire posse, si Romanum quidem dicant imperium, sed secundùm fidem potius, quàm secundùm maiestatem intelligant. [Cum ergo dicit Apostolus, Quoniam, nisi venerit discessio: astruit veritatem, (verba sunt Aquinatis) Et primò ostendit quæ ventura sunt ad Antichristi aduentum. Et sunt duo, quorum vnum præcedit aduentum Antichristi. Aliud, est ipse aduentus eius. Primum est discessio, nimirum à fide: quia futurum erat, vt fides à toto mundo reciperetur. Matth. 24. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe: & post multi discedent à fide. Quomodo enim est hoc de imperio Romano? quia iam diu gentes recesserunt à Romano imperio, & tamen necdum venit Antichristus. Dicendum tamen quod nondum cessauit, sed est commutatum de temporali in spirituale. Et ideo dicendum est, quod discessio à Romano Imperio debet intelligi, non solùm à temporali, sed à spirituali, scilicet à fide Catholica Romanæ Ecclesiæ. Et hoc est conueniens signum, quod sicut Christus venit quando Romanum imperium omnibus dominabatur, ita è conuerso signum Antichristi est discessio ab eo.] A Romano scilicet imperio, non tamen temporali iam, sed spiritali, cui totus subdendus est mundus, tandemque subtrahendus.

Aquin. lect. 1.

Temporale imperium commutatū in spirituale.

Ita igitur & apud Augustinum: [Alij, quod ait Apostolus, Quid detineat, scitis. &, Mysterium operatur iniquitatis, non putant dictum, nisi de malis & fictis, qui sunt in Ecclesiâ, donec perueniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat: & hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autem Apostolum fideles, vt in fide quam tenent, tenaciter perseuerent, dicendo: Tantùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat: hoc est, donec exeat de medio Ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est. Sicut enim antè finem in hac horâ quam Ioannes nouissimam dicit, exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos: ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Christum, sed ad

Augustin. l. 20 de Ciu. Dei cap. 19.

A illum nouissimum Antichristum pertinebunt, & tunc reuelabitur.] Dicit ergo, Et nunc quid detineat, scitis, id est, vt exponit Aquinas: [Quæ sit causa quæ tardet: & scitis, quia ego dixi vobis: ita quod sic ad præsens detinet, vt reueletur in suo tempore, id est congruo tempore. Dicit autem, Suo tempore, quia etiam mysterium, id est figuraliter occultatum operatur in fictis, qui videntur boni, & tamen sunt mali. Tantùm qui tenet nunc, teneat: id est, Tantùm, qui tenet fidem, firmus sit in eâ: donec de medio fiat, id est, congregatio malorum permixta separetur, & fiat seorsum: donec iniquitas mystica reducatur in publicum & fiat quasi aliud existens in publico de medio.] In his tria sunt obseruanda. Primum est, phrasis scripturæ, quâ apostasia, discessio est seu defectio à fide ac religione. 1. Timoth. 4. [In nouissimis temporibus discedent quidam à fide.] Quâ, & de medio fieri, est tolli de consortio, separari. Matth. 13. [Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.] Alterum est, crisis fortunæ: iam enim impleta sunt Romani tempora imperij, & vt dicam ex Hieronymo, [Romanum imperium desolatum est.] Tertium, clauis Ecclesiæ, quæ nulli regno, nulli imperio addicta est, sed omnibus gentibus, omnibus regibus repromissa: adeo vt illa discessio, non sit rebellionis, sed infidelitatis; nec de Romæ imperio, sed de gremio Ecclesiæ: sicut enim nunc multi sunt infideles manifesti, nonnulli occulti, ita & tunc ferè omnes palàm erumpent, nec plures tantùm homines, sed & regna integra, catholicam abiicient fidem, & veram pietatem deserent: supercrescet enim iniquitas, & charitas refrigescet. [Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terrâ?] Luc. cap. 18. Tunc enim omnes ferè infideles, apostatæ, in qui & impij.

Aquin. lect. 1.

B

Hieronym. quæst. 11.

C

Ecclesia nulli regno, sicut nulli loco addicta.

PROBLEMA QVARTVM.

Quid de Antichristo?

D

CVm à fide rectâ recesserint omnes gentes, cum à vera religione defecerint. [Tunc reuelabitur ille iniquus.] Nec multò post, nec omninò antè. Non multo post. [Tantùm, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur.] Nec omninò antè. [Quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.] Debet ergo priùs venire discessio, tum & ille, idcircò non omninò antè, sed nec etiam multo post succedere. [Quis autem est homo delicti, (ita Tertullianus) filius perditionis, quem reuelari priùs oportet ante aduentum Domini, extollens se super omne quod Deus dicitur, & omnem religionem; consessurus in templo Dei, & Deum se iactaturus? Secundum nos quidem Antichristus, vt docent veteres & nouæ prophetiæ; vt Ioannes Apostolus, qui iam Antichristos dicit processisse in mundum præcursores Antichristi spiritus, negantes Christum in carne venisse, & soluentes Iesum, scilicet

E

Tertullian. l. 5. aduers. Marc. c. 16.

Antichristus qui veri Christi adversarius. scilicet in Deo creatore. Secundùm verò Marcionem, nescio: ne Christus sit creatoris. Nondum enim venit apud illum.] Apud nos autem veniet in nomine suo, se enim Christo opponet Creatori, & contraria omnia faciet. Quare enim vocatus est Antichristus? [Ideò scilicet, (vt dixit Rabanus sub titulo Augustini) quia Christo in cunctis contrarius erit, & Christo contraria faciet. Christus veniet humilis, ille veniet superbus. Christus veniet humiles erigere, peccatores iustificare: ille contrà humiles deiiciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit: semperque vitia quæ sunt contraria virtutibus, docebit. Legem Euangelicam dissipabit: gloriam vanè quærens, omnipotentem Deum se nominabit.] Antichristus est, veri aduersarius Christi, & pro genio suo æmulus.

Augustin. Tract. de Antich. seu Raban.

Primò igitur, sicut Christus ex Virgine matre conceptus est homo, operante Spiritus sancti virtute; sic & Antichristus formandus est ex corruptâ muliere, instigante immundi spiritûs vredine. [Nascetur, ait ille, ex copulatione patris & matris sicut alij homines, non, vt alij dicunt, ex solâ virgine: sed tamen totus in peccato concipietur, in peccato generabitur, & in peccato nascetur. In ipso vero conceptionis initio, diabolus simul introibit in vterum matris eius: & ex virtute diaboli confouebitur in ventre matris, & virtus diaboli semper cum illo erit. Sicut enim in matrem Domini nostri Spiritus sanctus venit, & eam suâ virtute obumbrauit, & diuinitate repleuit, vt de Sancto Spiritu acciperet, vt quod nasceretur, diuinum esset & Sanctum: ita quoque diabolus in matrem Antichristi descendet, & totam eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, & totam interiùs exteriusque possidebit, vt diabolo per hominem cooperante concipiat, & quod natum fuerit, totum sit iniquum, totum perditum.] Notat & ipse tribum, Dan scilicet: locumque, loco in quo natus est Christus, oppidò contrarium. [Nam sicut Dominus ac redemptor noster Bethleem sibi præuidit, vt ibi pro nobis humanitatem assumeret & nasci dignaretur: sic diabolus illi homini perdito qui Antichristus dicitur, locum nouit aptum, vnde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet ciuitatem Babyloniæ: in hac enim ciuitate, quæ quondam inclyta & gloriosa vrbs gentilium & caput regni Persarum erat, Antichristus nascetur.] Tria debent esse certa: primum est, hominem fore, ita enim vocatur ab Apostolo. [Homo.] Et si ex homine nascitur, vtique homo est, vt & filius hominis. Alterum, nihil suprà naturam in illius formatione superuenturum, licet aliquid supra humanam concupiscentiam, nullo enim pacto Antichristus miraculosè, sed oppidò libidinosè concipiendus est. Tertium, sic hominem fore, vt præcipuum sit diaboli organum. Non enim homo solùm ab Apostolo dictus est, sed &, [Homo peccati.] Quasi delinquendo natus, quasi peccato aut adinueniendo, aut extollendo, totus sit destinatus.

Augustin. ibidem.

Quomodo & vbi nasciturus Antichristus.

Augustin. eod. Tract.

Secundò, sicut Christus auctor fuit salutis humanæ, legem in nobis adimplendo per gratiam; sic & Antichristus auctor erit humanæ

A perditionis, legem in nobis opprimendo per concupiscentiam, Idcircò, non solùm dictus est, [Filius perditionis.] Sed & [Iniquus.] Hoc enim aget Antichristus perficietque, quod ab initio & semper molitus est diabolus. Dæmonum operatio, hominum est euersio. [Sic malitia spiritalis, ait Tertullianus, à primordio auspicata est in hominis exitium.] Perditi sunt illi: idcircò, vti dixit Cyprianus: [Non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere.] Antichristus, tam perditus, quàm morte perpetuâ, seu æternâ perditione dignissimus: idcircò non desinet perditus perdere. Sed vnde perditus, nisi quia deprauatus? idcircò non desinet errorem prauitatis infundere. Contradicet enim

Tertullian. c. 22. Apol.

Cyp. Tract. de idol. van.

B legi Christianæ, & auctoritatem addet humanæ cupiditati; sicque per transgressionem publicam, in æternam deducet perditionem. [Homo peccati, ait Hieronymus, in quo fons omnium peccatorum est: & filius perditionis, id est, diaboli: ipse est enim vniuersa perditio, qui aduersatur Christo, ideò vocatur Antichristus.] Sicut ergo Christus restituit omnia, sic & iste omnia perdet: & sicut Christus per legis restituit adimpletionem, sic & ipse per legis perdet transgressionem. Vnde dictus est, [Iniquus.] Græce ἄνομος. Sine lege, sine obseruatione. [Sicut enim in Christo, ait Aquinas, abundauit plenitudo virtutis,

Hieronym. epist. 151. quæst. 11.

Aquin. lect. 1.

C ita in Antichristo multitudo omnium peccatorum. Et sicut Christus melior est omnibus sanctis, sic ille pejor omnibus malis. Et propter hoc homo peccati, quia totaliter erit peccatis deditus: & filius perditionis, quia deputatus extremæ perditioni: & ille iniquus, quia singulariter iniquus.] Nullus illo pejor, nullus sceleratior, vtpote scelerum omnium auctor vel fautor: impius, & impietatis omnis architectus.

Antichristus malorũ omnium auctor vel fautor.

Tertiò denique, sicut Christus veris miraculis fidem induxit, sic & ille iniquus falsis errorem inuehit: ille persuasit veritatem, iste

D intrudet falsitatem. [Cuius aduentus secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.] Seu, vt ex Græco, [Et prodigiis mendacij] Vnde Tertullianus: [Quisquis est, inquit, quæro, cur veniat in omni virtute & signis & ostentis mendacij?] Virtus, genus est; cuius duæ sunt species: signa, & prodigia. [Signa enim, vt docet Aquinas, sunt quædam mira etiam parua. Prodigia verò magna, quæ aliquid quasi prodigiosum ostendunt, quasi procul à digito. Matth. 24. Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri

Tertullian. l. 5. aduers. Marc. c. 16.

E potest, etiam electi. Et dicit, Mendacibus. Miraculum namque mendax dicitur, vel quia deficit à verâ ratione facti, vel à verâ ratione miraculi, vel à debito fine miraculi. Primum fit in præstigiis, quando per dæmones illuduntur aspectus, vt aliud videatur, quàm est: & hoc faciunt commutando fantasmata & decipiendo. Secundo modo, illa dicuntur miracula impropriè, quæ plena sunt admiratione, quando effectus videtur & ignoratur causa. Quæ ergo habent causam occultam alicui, & non simpliciter, dicuntur quidem

Aquin. lect. 2.

mira, & non miracula simpliciter. Sed quæ simpliciter causam occultam habent, sunt propriè miracula; quorum est ipse Deus gloriosus auctor, quia totum ordinem naturæ creatæ transcendunt. Tertio modo, dicuntur miracula secundùm quod sunt ordinata ad attestandum veritati fidei, ad reducendum fideles in Deum. Mar. vlt. Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed si alicui adest gratia miraculorum, & non vtatur eis ad hoc, miracula quidem sunt vera quoad rationem rei factæ, & quoad rationem miraculi, sed sunt falsa quantum ad finem debitum, & intentionem Dei.] Ita ex Augustino. [Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi enim per priuatos contractus, boni Christiani per publicam iustitiam, mali per signa publicæ iustitiæ. Cum autem talia faciunt magi, qualia nonnunquam sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed & diuerso fine & diuerso iure fiunt. Illi enim faciunt, quærentes gloriam suam, isti quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia vel beneficia; isti autem publicâ administratione, iussu eius cui cuncta creatura subiecta est.] Sed quocumque tandem iure, vel quocumque ordine Antichristus edat signa & prodigia, semper erunt mendacia: quia licet fortean edat vera veritate rei, non tamen veritate signi: sicque falsa erunt miracula, quia non pro veritate, cui destinata sunt; sed pro falsitate, cui aduersa sunt; pro errore stabunt & infidelitate.

Miracula dici possunt tripliciter mendacia.

Augustin. l. 83. quæst. 79.

PROBLEMA QVINTVM.

Quanta eius superbia?

SIcut nihil illo peius, ita nihil illo superbius: æquo enim ferè iugo incedunt nequitia & superbia, seque mutuis accendunt flabellis. Vnde Paulus de tantâ eius insolentiâ: [Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, & quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.] Et quidem quòd sit aduersarius, patet ex suo nomine: sed ex ipso numine liquet quantus sit aduersarius. Græcè ὁ ἀντικείμενος. [Ille aduersarius. Dei scilicet ac Christi: nec qui de re minimâ, sed de supremâ potestate contendat, de ipsâ sese extollat diuinitate. Primò igitur: [Extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.] Secundò, [Ita vt in templo Dei sedeat.] Tertiò, [ostendens se tanquam sit Deus.]

Quoad primum. Quoduis aliud numen respuet, imò se supra omne numen constituet. [Extollitur enim supra omne quod dicitur Deus, vt cunctarum gentium deos, siue probatam omnem & veram religionem suo calcet pede.] Ita Hieronymus. Sed non sine causâ dixit Paulus, Supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: vt omnem religionem

Hieronym. epist. 151. quæst. 11.

A comprehendat seu veram seu falsam, seu probatam seu improbam: nullam enim ille volet, sed omnem omninò, præter suam, euertet. [Dicitur enim Deus tripliciter, (vt notauit Aquinas) Primò naturaliter. Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Secundò, opinatiuè. Psalm. 95. Omnes dij gentium dæmonia. Tertiò, participatiuè. Psal. 81. Ego dixi dij estis Omnibus autem his se præferet Antichristus. Daniel. 11. Eleuabitur & magnificabitur aduersùs omnem Deum, & aduersùs Deum deorum loquetur magnifica.] Quicquid ergo dicatur Deus, quicquid

Aquin. lect. 1.

B colatur tanquā Deus, aut tanquam quid diuinū sacrum-ve: id omne insiliet, concutiet, despuet.] Quis ergo est iste? (ait Chrysostomus) Nunquid satanas? Nequaquam. Sed homo quidam suscipiens eius operationem. Est enim homo: sed qui extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Non enim illos inducet ad cultum idolorum, sed erit quidam Dei aduersarius. Dissoluet & destruet omnes deos, & iubebit se ipsum pro Deo adorare.] Fortean idolum aliquod familiare clam adorabit, sed palàm omnibus insultabit. [Et Deum patrem suorum non reputabit: & erit in cōcupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum

Chrysost. orat. 3.

Daniel. c. 11.

C curabit: quia aduersum vniuersa consurget.] Cuncta euertet simulacra, & se solùm proponet adorandum. Quæ autem addit Daniel. [Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, rebusque pretiosis.] Aut Antiocho relinquenda sunt, aut de cultu priuato ac secreto exponenda. Hoc enim superbis commune, vt cum omnibus palàm ambiant dominari, alicui tamen vitio, tanquam idolo, clam seruiant.

Antichristus an idolū clàm adoraturus.

D Quoad secundum. Sedebit ille in templo Dei. [Sed in quo templo Dei, ait Augustinus, vt Deus sit sessurus, incertum est. Non enim templum alicuius idoli, aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret.] Nullum autem Dei veri templum, nisi olim apud synagogam, nunc verò apud Ecclesiam. At templum Hierosolymitanum euersum est: & quamuis posset ab Antichristo restaurari, suoque aut cultui aut nomini consecrari, nusquam tamen dici posset templum Dei. Cum ergo iam sit vnicum Dei templum, in quo scilicet habitat, in quo colitur, nimirum Ecclesia Christiana,

Augustin. l. 20. de Ciuit. Dei cap. 19.

E necesse est vt ibi sedeat, id est, imperium suum seu iniquitatis & impietatis mysterium exerceat. [In Ecclesiâ, ait Hieronymus, vt verius arbitramur, sedebit.] Sedere enim, auctoritatis est dignitatis-ve. [Superbia Antichristi, ait Aquinas, maior erit superbiâ omnium præcedentium. Vnde sicut de Cajo Cæsare legitur, quòd cum in vitâ istâ adhuc esset, coli voluit, statuam suam ponens in quolibet templo: ita credibile est, quòd sic eis faciet Antichristus, dicens se Deum esse & hominem: & in huius signum sedebit in templo. Sed in quo templo? Nonne est destructum à Romanis? Et ideo dicunt quidam, quòd Antichristus est de tribu Dan, cuius tribus inter alias duodecim non nominatur Apocal. 7. Et ideò Iudæi primo

Hier. epist. 151

Aquin. lect. 1.

eum recipient, & reædificabunt templum in Hierusalem, & sic implebitur illud Daniel. 9. Erit in templo abominatio, & idolum. Matth. 24. Cum verò videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Quidam verò dicunt, quod nunquam Hierusalem, nec templum reædificabitur, sed vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio: & hoc etiam aliqui Iudæi credunt. Ideò exponitur, In templo Dei, id est, In Ecclesiâ. Sedeat verò, id est principetur, & dominetur.] Secundum sequitur ex primo: nam si extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: vtique & Deum & cultum eius aggredietur, fidem extinguere conabitur, religionemque euertere; templa nimirum occupando, & omnia ad arbitrium ac placitum ordinando. Vnde & Daniel. [Et faciet iuxtà voluntatem suam, & eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum: & aduersus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia.]

Templum Hierolymitanum nunquam reparandum.

Dan cap. 11.

Quoad tertium. De diuinitate, tota contentio est, hucusque enim ambitio prouecta, aut adducta æmulatio. [Sedebit in templo Dei, non quod est Hierosolymis, ait Chrysostomus, sed in templo Ecclesiæ. Ostendens seipsum. Non dixit, dicentem, sed tentantem ostendere. Faciet enim magna opera, & signa ostendet admirabilia. Non retinetis quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Vides quòd necesse sit assiduè hæc dicere, & verbis infundere? Ecce enim & præsentem audierunt hæc dicentem, & rursus opus habuerunt admonitione. Sicut enim apud agricolas semina quidem semel deiiciuntur, non manent autem perpetuò, sed magnâ opus habent quæ eis adhibeatur culturâ & curatione: & nisi terrâ proscissâ contexerint ea quæ deiiciuntur, seminarunt auibus semina legentibus. Ita nos quoque nisi continuâ recordatione protexerimus ea quæ sunt deiecta, in aërem omnia proiicimus: diabolus enim rapit, & nostra perdit negligentia, & sol exsiccat, & imber obruit, & spinæ suffocant. Quamobrem non sufficit cum semel deieceris discedere, sed magnâ opus est assiduitate, aues abigendo, spinas exscindendo, omne quod damnum affert arcendo, & amoliendo.] Quorsum hæc? Quia id vnum docetur, vix tamen retinetur. Arrogantiâ, superbiâ totus perit mundus, & nemo meminit. Vnde malus diabolus? quia superbus. Vnde peruersus homo? quia superbus. In quo superbia eorum sita? quia vterque esse Deus voluit, dum aut summam dignitatem, aut supremam ambiit potestatem. Et in angelis quidem, sua cuique fuit superbia: sed in hominibus, ex vno in omnes proserpsit: sed sicut in Adamo primum impetum fecit in Deum, sic tandem in Antichristo vltimum faciet, totum effundet & caloris æstum & ardoris incendium, [Ostendens se tanquam sit Deus.] Dubitatis adhuc me esse Deum, an maiora expectatis meæ virtutis & summæ potestatis argumenta? [Tunc enim, vti dixit Augustinus, soluetur satanas, & per illum Antichristum, in omni suâ virtute, mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur: tantam enim quantam nunquam habuit accipiet potestatem. Ita suffurabitur diuinitatem, dum summam inuictam-ve æmulabitur potestatem.

Chrysost. hom. 3.

Cur doctrina ista sit altius imprimenda.

Augustin. l. 20. de Ciu. Dei c. 19.

PROBLEMA SEXTVM.

Quomodo tandem destruendus.

Dixi, Tandem. [Nam mysterium iam operatur iniquitatis.] Seu, vt legit Tertullianus, [Agitatur.] Est enim in Græco ἐνεργεῖται: quod passiuè exponendum est, & ita ferè semper expositum. Agitur ergo, sed nondum peragitur: inchoatur, proceder, proficietque semper in peius, tandemque consummabitur. [Multis malis atque peccatis, ait Hieronymus, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur aduentus, & quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur.] Quod impurissimus fuerit hominum, imò monstrum impuritatis, & spectrum humanitatis, clamant historiæ: sed quòd iam esset Cæsar, cum hæc Paulus scriberet, aut quod iam malus esset, eædem reclamant historiæ. Vnde quod ad fabulam consarcinandam excogitatum est: [Multum mira est, vti dixit Augustinus, hoc opinantium tanta præsumptio.] Non igitur ad Neronem Cæsarem, mysterium iniquitatis redigendum est, sed ad omnes Antichristi præcursores & emissarios extendendum est, maximè verò ad hæreticos. Nunc enim sunt hæreses, vt ait Tertullianus, non minùs doctrinarum peruersitate Ecclesiam lacessentes, quàm tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur. Et ideò hæreses quoque oportebat esse, vt probabiles quique manifestarentur, tam qui in persecutionibus steterint quam qui ad hæreses non exorbitarint. Qui Antichristi interim & semper, nisi Christi rebelles?] Dicitur ergo mysterium iniquitatis operari seu agitari, quia in mysterio potius adhuc agitur, quàm ex imperio: ex calliditate potius quàm ex potestate: clam serpit, & viam tacitùs struit: sed erumpet palàm, & in exertam sese penitùs exeret audaciam. Ita Ioannes. [Filioli, nouissima hora est; & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & filium,] Solus Ioannes sic eum nominauit, solus etiam seductores eo nomine denotauit. [Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.] Sunt igitur illi omnes qui fidem arietant, qui religionem pessundant, sed arte potius quàm virtute, dolo potius quàm arbitrio, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

Hieronym. epist. 151. quæst. 11.

Augustin. l. 20 de Ciu. Dei cap. 19.

Tertullian. l. de præscr. cap. 4.

Hæretici peruersitate faciũt quod Antichristus atrocitate.

1. Ioan. c. 2.

Sed quod tamdiu fuit in mysterio, tandem erit in pulpito. [Et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt; eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.]

Erit ergo imperium Antichristi in omni seductione, vt qui omni arte, & omni virtute improbos reprobosq́ue ad iniquitatem adducet: signis magnis ac prodigiis: [Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi:] in perditionem pertrahet. Sed id iusto Dei iudicio, vt qui veris non crediderunt signis, falsis credant; & qui non receperunt Christum in nomine Patris venientem, Antichristum in suo venientem nomine recipiant. [Hoc enim solet ambigi, ait Augustinus, vtrum propterea dicta sint signa & prodigia mendacij: quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est: vt quod non facit, facere videatur. An quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuisse nisi diuinitùs fieri, virtutem diaboli nescientes. Non enim quando de cœlo ignis decidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Iob, vno impetu absumpsit; & domum deiiciens, filios eius occidit, phantasmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera satanæ, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia, & signa mendacij, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictum sit: seducentur eius signis & prodigiis, qui seduci merebuntur pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Nec dubitauit Apostolus addere, & dicere, Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Deus enim mittet, quia Deus diabolum facere ista permittet, iusto ipse iudicio, quamuis faciat ille iniquo malignoque consilio. Vt iudicentur, inquit, omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Proinde iudicati seducentur, & seducti iudicabuntur. Sed iudicati seducētur illis, iudiciis Dei occultè iustis, & iustè occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ nunquam iudicare cessauit. Seducti autem iudicabuntur nouissimo, manifestoque iudicio per Iesum Christum, iustissimè iudicaturum, iniustissimè iudicatum.]

Matth. c. 24.

Augustin. l. 20 de Ciu. Dei cap. 19.

Iudicia Dei iustè occulta, & occultè sunt iusta.

Grandis quidem illa tentatio, sed ideò breuis ac statim repressa. [Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.] Non tamen protinus detumescet superbia, aut scena derepentè euanescet. [Nam, vt dixit Chrysostomus, & Elias tunc veniet fideles confirmans: & hoc dicit Christus, Et veniet Elias, & restituet omnia. In virtute & spiritu Eliæ propterea dictum est. Neque enim fecit signa & miracula sicut Elias. Nam Ioannes quidem, inquit, nullum fecit signum. Omnia autem quæ dixit Ioannes de eo, vera erant. Quomodo ergo in virtute & spiritu Eliæ? Hoc est, idem suscipiet ministerium: & sicut Ioannes fuit præcursor prioris aduentûs, ita ille quoque erit præcursor secundi & gloriosi aduentûs: & ad id seruatur.] Quin & ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: mundum consumet, & impium vindicabit. [Dominum, ait Tertullianus, & hîc retributorem vtriusque meriti, dicimus circumferri ab Apostolo, apud quem

Matth. c. 24.

Chrysost. orat. 4.

Tertullian. lib. 5 aduers. Marcion. c. 16.

A iustum sit afflictatoribus nostris rependi afflictationem; & nobis qui affligemur requietem, in reuelatione Domini Iesu venientis à cœlo cum angelis virtutis suæ, & in flammâ ignis. Sed flammam & ignem delendo hæreticus extinxit, ne scilicet nostratem Deum faceret. Lucet tamen vanitas lituræ. Cum enim ad vltionem venturum scribat Apostolus Dominum exigendam de eis qui Deum ignorent, & qui non obaudiant Euangelio, quos ait pœnam luituros, exitialem, æternam, à facie Domini, & à gloriâ valentiæ eius: sequitur vt flammam ignis inducat, scilicet veniens ad puniendum: ita & in hoc, nolente Marcione, B cremator Dei Christus est. Illius est etiam ignorantes Deum plectere, quem non liceat ignorari. Creatori enim etiam naturalis agnitio debetur ex operibus intelligendo, & exinde in pleniorem notitiam requirendo. Ita cui competit vindicta, ei competet materia vindictæ: Euangelium dico, & veritas, & salus.] Sic & mortui omnes priùs suscitandi sunt, & ad iudicium citandi, in vtriusque meriti dispunctionem: purgandi qui nondum plenè ac integrè purgati sunt, & ante iudicem repræsentandi. Fient igitur hæc omnia ordine debito, & suo tempore, sed breuissimo; ideoque dum ista comparent, iam ferè alia im- C minent.

Ioannes primi aduentus præcursor, Elias secundi.


Hoc est ergo quod ait Apostolus: [Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentûs sui.] Pauitant hostes ad vmbram regis, vixque nocentes iudicis expectant sententiam. [Sicut enim, ait Chrysostomus, ignis si tantùm inuaserit, parua animalcula, antè suum aduentum, etiamsi sint procul, facit torpescere & consumit: ita Christus quoque, iussu solo & præsentiâ. Satis est eum adesse, & hæc omnia perierunt. Sistet errorem, si vel tantùm apparuerit.] Tanta D Christi virtus, vt vel præsentiam eius Antichristus sustinere non valeat, sed ad vmbram iudicis dispareat venientis. [Veniet Antichristus, fons iniquitatis: (ait Hieronymus) sed eum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, diuinâ videlicet potestate, & suæ maiestatis imperio; cuius iussisse, fecisse est; non in exercitûs multitudine, non in robore militum, non in angelorum auxilio, sed statim vt ille aduenerit, interficietur Antichristus: & quomodo tenebræ, solis fugantur aduentu, sic illustratione aduentûs sui eum Dominus destruet atque delebit. Medacium Antichristi, Christi veritas deuorabit.] Sic E ergo dicit, aduentus Christi, quasi Christus adueniens; adueniens autem, quasi de proximo venturus, reuelandus, manifestandusque, iam signis præcurrentibus, iam angelis tanquam anteambulantibus ad aduentum, seu tanquam militibus ad prælium accinctis. Siue enim Michaël interfecturus sit Antichristum in monte Oliueti, siue malus ille periturus sit diuini virtute imperij: idem spiritus, idemque zelus tam facilè inferet mortem, quàm vocem promptè exprimet. Sed metas cuique rei præscribere, vel mensuras componere, nec audemus, nec debemus. [Verba

Chrysost. orat. 4.

Hieronym. epist. 151. quæst. 11.

De re Paulus aliquid dixit, nihil de tempore.

Augustin. epist. 80, cit. med. enim Apostolica, vti dixit Augustinus, ita sanè obscura sunt & mysticè dicta, vt tamen appareat eum nihil de statutis dixisse temporibus, nullumque eorum interuallum spatiumque aperuisse. Ait enim, Vt reueletur in suo tempore: nec dixit post quantum temporis hoc futurum sit. Et ipsum videtur aliquanto euidentiori significatione tetigisse interficiendum spiritu oris Domini Iesu Christi, sed post quantum temporis istud erit, nec saltem obscurè locutus est.] Scio alia de Antichristo proponi & edisseri posse problemata, sed scio ad stabiliendam Pauli nostri sententiam esse superflua.



PARS ALTERA.

DE TRADITIONIS ORACVLO.

TEXTVS.

Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritûs, & in fide veritatis: in quâ & vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitione gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratiâ, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

EXEGESIS LITTERALIS.

Post horrenda at tristia, lætioribus eos solatur ac gratioribus: hortaturque vt stent, & in acceptâ perseuerent disciplinâ, seu scripta sit, seu non scripta.

[Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritûs, & in fide veritatis, &c.] Videtis eos, qui cum Antichristo pereunt: sed non estis ex eorum numero, cum à Deo dilecti sitis & electi. Itaque gratias Deo semper agere debemus pro vobis, quòd vos elegerit Deus tanquam primitias sibi gratas, vtpote in salutem assumptas: idcircò per spiritum Dei sanctificati estis, per quem & fidem Euangelicæ veritatis seu germen veræ sanctitatis assecuti. [Nequaquam, ait Chrysostomus, fecit vt res præsentes sint graues & terribiles, sed dignæ de quibus agantur gratiæ. Et ideò subiunxit, Nos autem debemus gratias agere Deo semper, quòd vos elegerit ad salutem. Quomodo ad salutem? Vt nos sanctificaret per Spiritum. Hæc enim sunt, quæ nostram salutem continent. Nusquam ab operibus, nusquam à rectè factis, sed per fidem veritatis.] In igitur, vt & ipse ibi obseruat alibique, idem in Apostolo, ac per. In sanctificatione, id est per sanctificationem; in fide, id est, per fidem: qui enim ex mero beneplacito præstituit finem ab æterno, per fidem & sanctitatem perducit ad salutem. [In quâ & vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitione gloriæ Domini nostri Iesu Christi, &c.] Ad quam fidem sanctitatemque vocati estis: adducti estis per ministerium meum, sed ex beneficio Dei, & Christi merito: quanto enim maior in vos gratia dimanat, tanto amplior in ipsum redundat gloria. Ex Textu Ambrosiano: [In acquisitionem gloriæ.] Et ex Commentario: [Sanctificati enim per fidem veritatis Euangelij filij Dei, acquiruntur ad augmentum gloriæ corporis Christi, sicut in aliâ Epistolâ ait: Vt crescant omnia in incrementum Dei. Quicumque enim deserto diabolo confugiunt ad fidem Christi, augmentum faciunt Deo, in corpore Christi, qui priùs fecerant detrimentum.]

Chrysost. orat. 4. — Salus nostra in fide & sanctitate est contenta. — Comment. Ambros. — Athanas. in Paulum.

[Itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram, &c.] Perseuerate itaque in eâ vocatione, constantes estote in fide vestrâ: & firmiter fideliterque retinetote traditiones quas à me accepistis, siue loquente ad vos, siue ad vos scribente. [Ostendit ex his dictis, ait Athanas. permultos esse inter eos, qui in fide laborent.] Qui nimirum ad fidem vocationis reuocandi, seu ad professionis stabilitatem cohortandi. [Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus, & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratiâ, exhorte-

tur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.] Exhortatione quidem ac confirmatione indigebant, verùm non tam sermonibus instandum quam precibus, vt quod per doctrinam accipiunt, adimpleant per gratiam. Dilecti estis Deo, acquisiti estis Christo. Ipse ergo Dominus noster Iesus Christus, & Deus, qui Christi pater per naturam, & noster per gratiam, qui nos vocatione & adoptione dignatus est, speque bonorum consolatus æternorum, sed gratuito concedendorum beneficio; ipse, inquam, exhortatorem agat & confirmatorem, impellatque animos vestros ad obseruationem doctrinæ traditæ, & bonorum operum consummationem: vt sicut primitiæ estis in salutem, sic & decimæ sitis in perfectionem. Notandum tamen in Græco non legi ἀπαρχαι, neque ἀπαρχὴν, sed, ἀπ' ἀρχῆς. Vnde & Textus Ambrosianus: [Quia assumpsit vos Deus à principio ad salutem in sanctificationem spiritûs, & fidem veritatis,] Sed illud parûm interest; plurimum autem, quod à Deo vocati, à Deo confirmati. [Vide, inquit Chrysostomus, quomodo nihil ostendit esse eorum, sed totum Dei. Totum enim Dei est, confirmare & corroborare, vt non labemus neque inclinemur. Rursus ergo precatio post adhortationem: hoc enim est reuera opem ferre. Simul etiam efficit vt bonam spem habeant de futuris. Si enim Deus tot & tanta dedit in gratiâ, multò magis futura.] Idem ipse Christus Deus qui gratiam dedit, dabit & gloriam.

Cordis exhortatio à Deo, mentisque confirmatiō.

Chrysost. orat. 4.

A

ASSERTIONES CATHOLICÆ.

De Traditionibus.

Chrysost. orat. 3.

QVod olim conquestus est Chrysostomus, etiamnum hodie repetendum est. [Dignæ sunt res præsentes quæ lugeantur: quæ lugeantur, inquam, & defleantur, quòd frustra laborat qui cudit argentum.] Quasi argentum semper reprobum sit, licet purgatum sit septuplum. Causa querelæ est, quòd si inter concionandum, seu noua seu vetera diceret, seu diuersa inaudita-ve proponeret, seu communia tereret, auditus ferè nullus esset, & fructus modicus. [Si noua, inquit, dicimus & peregrina, eis ne attenditis? Nequaquam. Et si dixerimus, Cur ne hæc quidem retinetis? Semel audimus, & quomodo fieri potest vt retineamus? Si dixerimus, Cur illa non attenditis? Dicitis, Semper dicuntur eadem: & vndique sunt hæc verba socordiæ & prætextus.] Occurrit huic prætextui Apostolus, cum ait: [State, & tenete traditiones quas didicistis.] Siue enim res communes sint, siue singulares, vult omnes retineri; nec tantùm infigi memoriæ, sed & obseruatione exprimi. Cum igitur res tanti sit momenti, digerenda est per assertiones: quarum sit

ASSERTIO PRIMA.

De Necessitate.

TRaditio in verâ religione adeò necessaria est, vt sine ipsâ non sit vera religio. Ita Irenæus, cum egisset de scripturâ, & alijs religionis Christianæ fundamentis, addit: [Tantæ igitur ostensiones cum sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis, vti omnis quicumque velit, sumat ex eâ potum vitæ. B Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui, fures sunt & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summâ diligentiâ diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim & si quibus de aliquâ modicâ quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis? quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi C assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine chartâ & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium.] Oportet ergo traditiones consulere, oportet eas inquirere, & ad eas recurrere. Necessitatis est. Sed tres necessitatis rationes indicatæ. Prima est, quòd traditio sit scripturâ prior & antiquior. [Veterem traditionem diligenter custodientes in vnum Deum credentes, D per Christum Iesum Dei filium.] Sicut enim Iudæi Deum vnum crediderunt, antequam de fabricatore cœli & terræ, quicquam scriberet Moyses; sic & Christiani Iesum Dei filium crediderunt, antequam de incarnatione, de morte, de resurrectione, quicquam scriberet Matthæus; non tamen antequam ille, vel alius Dei & Christi Apostolus traderet illa ceteroqui tam redemptionis quàm religionis mysteria. Altera ratio, quod religio Christiana, non chartâ vel atramento fulta sit, sed spiritali disciplinâ, seu Spiritûs sancti gubernaculo. [Qui credunt in Christum, sine chartâ & atramento scriptam habentes per Spiritum E in cordibus suis salutem.] Quid enim littera sine intelligentiâ, nisi corpus sine animâ? Nam & de scripturâ ipsâ quæritur, sensus, seu spiritus ex ipsâ traditione, seu perpetuâ obseruatione exprimitur. Tertia, quòd doctina Apostolica, non tam ex Apostolorum scriptione desumenda sit, quàm ex eorum conuersatione. [Nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat

Iren. l. 3. aduers. hæres. cap 4.

Tres necessitatis rationes pro traditionibus.

originem sequi traditionis quam tradiderunt ijs quibus committebant Ecclesias?]

Tria igitur in his obseruanda sunt. Primum Apostolos quidem prædicare iussos, non tamen & scribere. Væ illis, si non euangelizauerint, non tamen si non & scripserint. Missi sunt enim illi à Christo, sicut & Christus à Patre missus est. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Quomodo autem ille missus? Audi ab ipso. [Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.] Verbum est, cuius est loqui, non scribere. [Et aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideò missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.] Quid verò Paulus, & ad quid missus? [Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare.] Nec enim Christus ipse baptizabat, sed continuò prædicabat. Vnde, [Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.] Iussi sunt loqui, non scribere; docere verbo, non scripto. Inde, docuerunt quidem omnes gentes, non solum Romanorum, sed & Barbarorum: id est, quæ non solùm Romano parebant imperio, sed & quæ in toto mundo erant dispersæ, nihil tamen scriptum reliquerunt apud Barbaros, licet apud eos tam vigeret traditio, quàm floreret religio. [Et apud Barbaros enim Christus.] Vti dixit Tertullianus. Secundum, Apostolos non tam ex institutione officij scripsisse, quàm ex occasione negotij. Pauci enim scripserunt, & pauca, cum integrum omnibus constet Apostolatûs officium: nec ipse Paulus statim scripsit, sed à conuersione vsque ad primam epistolam, intercurrit spatium ferè duodeuiginti annorum: interim & vbique adimplens ministerium suum: imò, & cum de Euangelio suo memorat, non scriptum notat, sed annuntiatum: non enim ipse scripsit, aut scribi iussit, sed Dei verbo semper intonuit. Itaque scripsit quidem, sed non tam ex institutione, quàm ex occasione: quæ aliquos spectaret, non alios; vt tamen omnibus vtilis esset, nonnulla inseruit, omnibus etiam necessaria. Tertium denique, etiam & in iis quæ scripserunt, non tam sonum expendendum esse quàm sensum; nec illum tam ex scriptione colligendum quàm ex conuersatione: ideoque non tam relegenda Apostolorum scripta, quàm vestigia: [Age iam, ait Tertullianus, qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorũ recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Videamus quid didicerit, quid docuerit.] Vtique enim docuit, quod didicit. Nihil autem à Petro didicit, scripto; & si quid accepit à Paulo, non tam ex litterâ personuit, quàm concepit ex intelligentiâ. [Oportet ergo, (vt concludam ex Irenęo) in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt. Quid enim, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?]

Joan. c. 20.

Luc. cap. 4.

1. Corinth. cap. 1.

Marc. c. 16.

Tertullian. lib. de corona mil. cap. 12.

Aliud institutio officii, aliud occasio negotii.

Tertullian. lib. de præscript. c. 36.

A

ASSERTIO SECVNDA.

De qualitate.

B

TRaditio quidem pro doctrinâ, non solùm apud nos, sed & apud exteros: sunt enim instituta ac præcepta doctorum, quæ serio traduntur committunturque. Apud Agellium. [Apparet non esse id poëticè à Paulo dictum, sed eam quoque traditionem fuisse.] Aliud enim narratio fabulosa, aliud antiqua traditio. Sic & Paulus apud Augustinum: [Non ideò Petrum emendauit, quòd paternas traditiones obseruaret: quòd si facere vellet, nec mendaciter nec incongruè faceret: quamuis enim iam superflua, tamen solita non nocerent.] Sicut enim Iudæi veram aliquando tenuerunt religionem, sic & suas habuerunt traditiones: quanquam labente religione, etiam traditiones succreuerint, quæ non solùm inutiles & otiosæ, sed & superstitiosæ: quasi æquo gradu procedant vera religio, & vera traditio; succedantque simul & religio caduca, & falsa traditio. [Vnde & Dominus corripit Pharisæos, (ita apud Hieronymum) dicens; Irritum fecistis mandatum Dei, vt traditiones vestras statueretis. Deus enim dixit: Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum aut matrem. Quibus infert: Et irritum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras. Quantæ autem traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quàm aniles fabulæ, euoluere, inquit, nequeo: nam pleraque tam turpia sunt, vt erubescam dicere. Videntur quidem obseruationes Iudaicæ apud imperitos, & vilem plebeculam, imaginem habere rationis, humanæque sapientiæ: vnde & doctores eorum σοφοὶ, hoc est sapientes vocantur: etsi quando certis diebus traditiones suas exponunt, discipulis suis solent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, id est, sapientes docent traditiones: dicam tamen in ignominiam gentis inimicæ.] Vide tu quid dicat, nam & ego erubesco dicere.

C

D

E

Quod tamen traditur, tam scripto tradi potest, quàm verbo: vnde & duplex doctrinæ genus, seu duplex traditio: vna quæ scripto committitur, altera quæ contenta verbo tenus præcipi. [State, ait Apostolus, nempe, vt exponit Aquinas, in veritate. Tum docet modum standi, Et tenete traditiones, id est, documenta, quæ à maioribus traduntur.] Adeò igitur traditiones sunt necessariæ, vt sine illis stare in veritate non possimus, nec fidem seruare nec religionem. Sed quæ illæ, aut quales? [Hæc enim traditiones, ait ille, Apostoli &

A. Gell. lib. 13. cap. 21.

Augustin. epist. 9. cit. med.

Æquo gradu incedunt religio & traditio.

Hieronym. epist. 151. quæst. 10.

Aquin. lect. 3.

Duplex traditio, scripta & non scripta.

seniores dupliciter ediderunt : quasdam verbis, vnde dicit Apostolus, Siue per sermonem: quasdam in scripturis, ideò addit, Siue per Epistolam.] Poterant enim docere vel in præsentiâ, vel in absentiâ: & primo quidem modo, viuâ voce docebant; altero verò, chartâ seu scriptione. Sunt enim traditiones in genere, decreta sapientum, instituta maiorum, quæ tam scribi possunt, quàm ediri. Vnde & Paulus: [Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, in quo & statis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas.] En traditio, quæ non solùm scripta est, sed & pluries, & pluribus in locis conscripta. Et priùs: [Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in quâ nocte tradebatur, accepit panem.] En traditio, priùs enuntiata verbo, dein & scripto consignata. Parùm enim interest, an traditio Christiana, seu vera doctrina, aut commendetur verbis, aut scriptis assignetur. [Quæ iura, ait Tertullianus, non alia ratio regit, quàm eiusdem Sacramenti vna traditio.] Id est, disciplinæ Christianę, seu arcanæ doctrinæ vna & eadem institutio, seu scripta sit, seu non scripta. Et quod dixit de institutionibus Christianis, id dicit & de [Peruersis traditionibus.] Id est, doctrinis fallacibus, siue verbis enuntientur, siue illigentur scriptis. Ideoque licet dictum sit ex Irenæo, quòd traditiones sint ad veram religionem necessariæ, nondum tamen definitum ex Paulo quales sint in rem ipsam exponendæ.

1. Cor. c. 15.

1 Cor. c. 11.

Tertullian. l. de præscr. c. 9.

Tertullian. l. de pœnit. c. 7.

Nihilominùs sicut consuetudo sic à lege distinguitur, vt necesse sit legem scribi & legi, consuetudo verò possit tota & integra sine scripto seruari: sic & traditio à scripturâ passim secernitur, vt propriè dicatur traditio, quæ solo verbo, absque vllo scripturarum suffragio committitur. [Multa, inquit Hieronymus, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicauit: ex quo animaduertis, nos Ecclesiæ consuetudinem sequi. Etiamsi enim scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.] Et hoc propriè habet traditio, vt ad manum tradatur, seu ad verbum exprimatur, licet postea scribi possit, nec memoriæ solùm, sed & chartæ imprimi. Vnde Apostolus in traditionibus sermonem præmittit quasi principalem, dein & Epistolam submittit, quasi accessoriam, & appendicem. Sed & simul innuit se multò plura verbo quàm scripto tradidisse: nec plura solùm, sed & vberiùs exposuisse, intelligibiliusque. [Num retinetis, quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore.] Quid enim detineret, sciebant illi, quia Paulus verbis aperuerat clarissimis: quid verò id sit, non tam scimus indubitanter, quàm probabiliter coniicimus, quia Paulus verbis retexit ænigmaticis. [Hanc ergo fidem, ait Irenæus, qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationem, propter fidem, perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitiâ & castitate & sapientiâ. Quibus si aliquis annuntiauerit quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longiùs fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque illorum portentiloquium est.] Nimirum, vt ait capite sequenti, [Traditione quæ est ab Apostolis, sic se habente in in Ecclesiâ, & apud nos permanente.] Nos, inquam, id est, Catholicos

Hier. dialog. aduers. Lucifer. cir. med.

Multo plura verbo quàm scripto tradita.

Iren. l. 3 adu. hæres. c. 4.

A

Iren. eod. l. c. 5.

B

ASSERTIO TERTIA.

De Multiplicitate.

SVnt igitur planè necessariæ traditiones non scriptæ: sed cum illæ sint multiplices multiformesque, pro pius ad earum multiplicitatem accedendum est, vt faciliùs perspiciamus necessitatem.] Itaque state, & tenete traditiones quas didicistis: siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Hinc, ait Chrysostomus, perspicuum est, quòd non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis.] Multa quidem; sed quænam illa? C Duo maximè obseruanda sunt in Ecclesia, fides, & disciplina: porrò disciplina duplex est, vel enim morum est, vel rituum. Itaque traditiones, seu instituta Christianæ religionis possunt esse in triplici differentiâ.

Chrysost. orat. 4.

Quoad fidem. Regula quidem fidei nostræ est verbum Dei: nullus negat, nullus dubitat. Sed vbinam reperitur verbum Dei? In vtroque testamento. Credis hoc? Vtique ego credo. Quâ fide? diuinâ. Sed quis tibi reuelauit hos libros esse diuinos, inspiratos, seu à Deo ipso dictatos? Non iam confugiendum est ad verbum scriptum, cum ipsummet adductum sit D in iudicium, & produci non possit in testimonium. Restat ergo vt recurratur ad verbum non scriptum, quod in deposito creditum, profert de thesauro suo noua & vetera. [Si inuenires aliquem, ait Augustinus, qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, non credo.] Aliud est non credere Euangelio, aliud non credere hoc esse Euangelium: sicut aliud est, non credere verbo Dei, & aliud credere, hoc non esse verbum Dei. Nullus Christianus non credit verbò Dei. [Absit vt ego Euangelio non credam.] Sed quomodo sciam hoc esse Euangelium Dei, cum tam multa E sint apocrypha & falsa? Ex auctoritate Catholicâ: [Quâ infirmata, ait & ille, iam nec Euangelio credere potero.] Verbum Dei est, non dico Dei scriptum: sed illud verbum Dei ἄγραφον, in Ecclesiæ Catholicæ thesauro depositum, mihi certum est verbi scripti testimonium: nec mihi de verbo oculis exposito certa fides est, nisi ex verbo nobis recondito. Vnde ille concludit. [Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.] Sed admisso Euangelio, librisque diuinis vindicatis: nihil adhuc nobis constat.

Augustin. l. cont. epist. Fund. c. 5.

Verbum scriptum ex verbo non scripto firmatur.

constat. Nam vel ab ipso limine Christianum sistam, si dicam illum non verè Christianum, quia nec ritè baptizatum. Baptismi sacramento initiatus es? Nego esse sacramentum. Vnde probabis? Non ex verbo scripto, ergo ex non scripto. Infans baptizatus es: satis improuidè: nam priùs instituendus eras, priùs imbuendus. [Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos. Primùm, ait Hieronymus, docent omnes gentes, deinde doctis intingunt aquâ. Non enim potest fieri, vt corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antè anima fidei susceperit veritatem.] Sed hoc habet traditio. Hoc ipso mihi factum est satis. Sed habeo aliquid tibi dicere. Quomodo baptizatus es? In nomine patris & filij & spiritûs sancti. Benè est: sed quando tu facis aut aliquid dicis in nomine patris & filij & spiritûs sancti: non enuntias ore verba, sed mente tractas mysteria: cur ergo verba memoras in baptismo, cum scias inutilia esse adimplendo mysterio: Ita constituit traditio, ita obseruatio exposuit. Cedo de hoc gradu: sed adhuc habeo aduersùm te pauca. Vnde symbolum habes, quod tenes Apostolicum, quod censes diuinum, imò fidei fulcrum ac fundamentum? Sic enim Augustinus: [Sacrosancti, inquit, mysterij symbolum quod simul accepistis, & singuli credidistis, verba sunt in quibus matris Ecclesiæ fides supra fundamentum stabile, quod est Christus Dominus solidata, firmatur.] Sed vnde? Ex traditione. Tollo digitum, & ori impono. [Videtis enim certè, (vt absoluam ex eodem Augustino) etiam in ipsis sancti symboli verbis, quodammodo inclusionem omnium regularum, quæ ad sacramentum fidei pertinent, quasi supplementum quoddam additum, vt diceretur per sanctam Ecclesiam: & vitam æternam per vnam & veram & sanctam Ecclesiam Catholicam apprehendere valeamus.] Hoc enim azylum animi Christiani est, & vltimum fidei refugium.

Hieronym. l. in Matt. sub. fin.

A

B

Augustin. ser. de trad. symb. ex var. baston. ined.

C

Quoad mores. Planè ad sanctitatem necessarij sunt: & si fidem ipsi non constituunt, certè adstruunt. Vnde cum Christus iussisset fidem seminari, gentesque baptizari, fidelesque fieri addidit: [Docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis. Ordo præcipuus, (ait Hieronymus) Iussit Apostolis, vt primum docerent vniuersas gẽtes, deinde fidei intingerent sacramento: & post fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda præciperent. Ac ne putemus leuia esse, quæ iussa sunt, & pauca, addidit: Omnia quæcumque mandaui vobis: vt quicumque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta sunt.] Et quidem si ad compendium contrahitur Euangelium, reperitur breuissimum. Ita Apostoli ex concilio suo scribentes Gentibus. [Quæcumque non vultis fieri vobis, alijs ne faciatis.] Si verò in actum redigitur, conuincitur esse latissimum: tam late enim funditur, quàm exactè Christianis iuxta regulam suam viuere, seu veram excolere iustitiam præcipitur. Sed vnde mensura Christianæ desumenda est iustitiæ? Nam cum cuique religioni, imò & cuique hæresi, cuique sectæ & professioni sui sint mores; regula aliqua statuenda est, vnde for-

D

Hieronym. in Matth.

Iren. lib. 3. cap. 12.

E

mentur mores Christiani; vnde non solùm fideles nominentur, sed & sancti. Sed cum Christus præcepit Apostolis non solùm prædicare fidem, sed & quæ obseruanda essent ad sanctitatem, seu veram iustitiam commendare: non aliunde desumenda est regula rectè agendi, quàm vnde regula desumitur benè credendi: & cum ista per traditionem firmata sit, vtique & illa in traditionem refunditur. [Non enim, vti loquitur Irenæus, per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidẽ tunc præconiauerunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Non enim fas est dicere, quoniam ante prædicauerunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum: postea enim quam surrexit Dominus noster à mortuis, & induti sunt superuenientis Spiritûs sancti virtute ab alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam cognitionem: exierunt in fines terræ, ea quæ à Deo nobis bona sunt euangelizantes, & cœlestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem, & omnes pariter & singuli eorum habentes Euangelium Dei.] Verbum scilicet Dei personantes, & inde sanctam efformantes Ecclesiam, quæ fide constat & moribus: ideoque non solùm fidem ædificando, sed & mores Christianos, id est, verè sanctos informando. Itaque si reformandi sint mores Christiani, non ad gustum humanæ rationis reformandi sunt, sed ad præscriptum antiquæ traditionis. Cum enim humana ratio sit nunc mera corruptio, seu vana præsumptio, quæ omnibus imponat, nec ipsis etiam fidelibus, non ipsis parcat sapientibus: tam incerta piè viuendi regula est, quàm sanctè credendi: ideoque cum in credendo consulenda sit traditio, non minùs & in agendo, alioquin mores erunt hominum non fidelium.

Iren. lib. 3. aduers. hæres. cap. 1.

Eadem sancte viuendi regula est, quæ bene credendi.

Quoad ritus. Illi maximè commissi sunt Apostolicæ sapientiæ. Idcircò enim plenitudinem Spiritûs acceperunt, vt ad omnia sufficerent, nec solùm vt actus humanos, qui propè infiniti sunt, honestè componerent; sed & ritus ecclesiasticos, qui necessarij sunt, ordinatè disponerent. [Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.] Omnia quidem, sed quænam illa? Si pauca scripta sunt, cetera sunt tradita. Vnde concludendum cum Epiphanio: [Oportere traditione vti, quia non omnia à diuinâ scripturâ accipi possunt, quandoquidem aliqua in scripturis, aliqua in traditione sanctissimi Apostoli tradiderunt.] Promittit Apostolus venturum se Corinthum, & iam quibusdam ordinatis cetera dispositurum. [Cetera, cum venero, disponam.] Quid autem disposuerit, scriptura non loquitur. [Et quandiu, ait Tertullianus, per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit? Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum priùs non est? Etiam, in traditionis obtentu,

1. Cor. c. 14.

Epiph. hær. 61.

1. Cor. c. 11.

Tertullian. lib. de coron. mil. cap. 3.

exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & traditio nisi scripta nō debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt à baptismate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto priùs in Ecclesiâ sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.] Tum & alijs supertextis, concludit tandem. [Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Rationem traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces. Interim non nullam esse credes, cui debeatur obsequium.] Non ergo abjicit rationem, sed submittit: præmittit enim traditionem, & rationem subdit, quæ traditionem non admittat solùm sed & protegat. [Planè, inquit, vt ratio quærenda sit; sed saluâ obseruatione, nec in destructionem eius, sed in ædificationem potius: quo magis obserues, cum fueris etiam de ratione securus.] Ita de Susannâ velatâ. [In ipsâ, inquit, legem habitûs requiro, vel in quacumque aliâ. Si legem nusquam reperio, sequitur vt traditio consuetudini morem hunc dederit, habiturum quandoque Apostoli auctoritatem ex interpretatione rationis.] Concluditque: [His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruationem defendi, confirmatam consuetudine; idonea teste probatæ tunc traditionis, ex perseuerantiâ obseruationis.] Non ergo excludit rationem, sed redigit in ordinem: vt enim passio seruit rationi, sic & ratio traditioni: itaque præire non debet, sed succedere: si enim præit, rationem abstrahit: si vero succedit, rationem munit, firmat, roborat.

Ratio seruit traditioni, vt sensus rationi.

Tertullian. eod lib. cap. 14.

Tertullian. cap. 2.

Tertullian. cap. 4.

A B C D E

ASSERTIO QVARTA.

De auctoritate.

PLurima multiplicitatem habent & varietatem, quæ auctoritatem non habent, quæ tam infirma quam varia: nostra autem tantam auctoritatem conuehunt, quantam aduehunt necessitatem. [Quædam enim iura non scripta: (vt dixit non nemo) sed omnibus scriptis sunt certiora.] Et ille etiam in suis: [Consuetudo enim, vti definit Tertullianus, etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex, nec differt scripturâ, an ratione consistat, quando & ratio legem commendet.] Rectè, nam priùs nata lex, quàm scripta; priùs à naturâ insculpta animæ, quàm ab animâ chartæ impressa. [Magistra natura, ait ille, anima discipula. Quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum, magistro scilicet ipsius magistræ. Quantum autem dederis magistræ, tantum adiudicabis discipulæ.] Hæc prima traditio, sicut & prima ratio.

Sen. pat. Cont. 1.

Tertullian. lib. de coro. mil. cap. 4.

Tertullian. lib. de test. anim. cap. 5.

[Prior est enim anima quàm littera, & prior sermo quàm liber, sensus quam stilus.] Sed habemus firmiorem propheticum sermonem, cui nunc attendimus. [Arbitror enim (cum Basilio) Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo vos, inquit Paulus, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.] Imò & ipse Paulus fecit, quod docuit. [Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum.] Statuta scilicet maiorum. Vnde Hieronymus. [Ego, inquit, illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt.] Cur ita? [Nam & multa alia, inquit, quæ per traditionem in ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.] Tanta ergo auctoritas est traditionis acceptæ, quanta & scriptæ legis. Maximè verò apud nos, id est, apud Christianos, apud quos certum est, traditionem & legem ab eodem manare principio, & eandem auctoritatem sicut & dignitatis originem agnoscere. Non enim legi aut traditioni pondus addit aut detrahit seu scriptio seu dictio: sed tota vis pendet ab ordinantis potestate, & maiestate imperantis. [Est traditio: nihil quæras amplius (ait Chrysostomus) Multa enim sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionē censeamus esse fide dignā.]

Basilius lib. de Spi. san. cap. 29.

Actuum cap. 15. Quātæ auctoritatis traditiones ecclesiasticæ.

Hieronym. epist. 28. vers. fin.

Hieronym. dialog. aduers. Lucifer. med.

Chrysost. orat. 4.

Dixi apud nos, id est Christianos: nam & hæretici suas venditāt traditiones nō minùs quàm & Pharisæi, imò & per traditionē non scriptā, legem scriptam impugnant. [Cum enim arguūtur ex scripturis, ait Irenęus, in accusationē cōuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dictę, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per litteras traditam illam, sed per viuam vocem, ob quam causam & Paulum dixisse, Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam autem non mundi huius. Et hanc sapientiam vnusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinuenit, fictionē videlicet, vt dignè secundùm eos sit veritas. Vnusquisq; enim ipsorum omni modo peruersus, semetipsum regulam veritatis deprauans, pędicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionē, quę est ab Apostolis, quę per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos: aduersantur traditioni, dicentes se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem. Euenit itaque neque scripturis iam neque traditioni consentire eos.] Sed tam illi insinceri, quàm & Pharisęi, qui traditionem pręsumebant, & per pręsumptionem suam, legem concutiebant diuinam. [Seniorum enim ipsorum traditio, ait ille, quam ex lege obseruare fingebant, contraria erat legi, quæ data est per Moysem. Propter hoc & Esaias, ait, Caupones tui miscent vinum aquâ: ostendens quòd austero Dei pręcepto miscerent seniores agnatam traditionem, id est, aggredientes adulteram legem, & contra,

Iren. lib. 3 aduers. hæres. cap. 2.

Quanta sit hæreticorū imprudētia.

Iren. lib. 4. cap. 25.

riam legi, sicut & Dominus fecit manifestum, A dicens eis, Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Non solùm autem per præuaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aquâ, sed & suam legem è contrario statuerunt, quæ vsque adhuc Pharisaica vocatur. In quâ quædam quidem auferunt, quædam verò addunt, quædam autem quemadmodum volunt, interpretantur, quibus vtuntur singulariter magistri eorum, quas traditiones vocant.] Sed meræ sunt legis corruptiones, non traditæ à maioribus, sed à minoribus confictæ; & per legis verba, legem ipsam impugnantes.

Nos autem legem habemus, dum tenemus B traditionem: & tantam ei vindicamus auctoritatem in institutione, quantam denuntiamus necessitatem in obseruatione. [In his enim rebus, vti dixit Augustinus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina; mos populi Dei, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.] Licet enim ignoretur obseruationis ratio, æquum interim vt prædominetur traditionis obseruatio. [Cum enim quæritur cur quid obseruetur, ait Tertullianus, obseruari interim constat. Ergo nec nullum, nec incertum videri potest delictum, quod committitur in obseruationem suo iam vindicandam nomine, & satis auctoratam consensûs patrocinio.] Quid est, suo nomine, nisi iure tra- C ditionis? Quid porrò, auctoratam, nisi auctoritate suâ ratam firmatamque? [Traditionem itaque Apostolorum, (concludo ex Irenæo) in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesiâ adest perspicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum ad nos. Si autem recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea quibus etiam Ecclesias committebant. Valdè enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant suum ipso- D rum locum magisterij tradentes; quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapsis autem summa calamitas.] Episcopi itaque ab Apostolis, Apostoli autem à Christo Domino, Dominus Christus à Deo: à quo sicut origo est totius potestatis, sic & totius auctoritatis est ratio. Ideoque. [Si quis non iis assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum Dominum, spernit verò & Patrem, & est à semetipso damnatus, resistens & repugnans saluti suæ.] Ac si dicat cum Apostolo Paulo: Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Dominum ipsum & Deum; cuius tanta vindicando potestas, quan- E ta est auctoritas imperando. Itaque qui resistunt traditioni legitimæ, diuinæ resistunt ordinationi: qui autẽ resistunt, ipsi sibi diuinã indignationẽ, & æternam acquirunt damnationem.

Augustin. epist. 86.

Tertullian. lib. de coro. mil. cap. 4.

Irenæus l. 3. aduers. hæres. cap. 3.

Electi antistites qui perfecti & irreprehensibiles.

Iren. lib. 3. cap. 1.

ASSERTIO QVINTA.

De Stabilitate.

SI traditio regula est fidei, tam stabilis esse debet quàm & inuariabilis: nam vt dixit Tertullianus: [Regula quidem fidei vna omnino est, sola immobilis, & irreformabilis.] Cum enim fides caduca non sit, regula etiam fidei non debet esse mobilis: & cum illa sit omninò certa, non debet ista vllo esse pacto reformabilis: neutra enim tempori aut corruptioni debet esse obnoxia. Sed negotium facit, quod non paucæ traditiones ecclesiasticæ nec-non Apostolicæ tandem dilapsæ sunt, nonnullæ inter vtramque Ecclesiam, orientalem scilicet atque occidentalem diuisæ, aliæ denique quæ nunc vetitæ nedum proscriptæ.

Tertullian. lib. de veland. virg. cap. 1.

Ex iis quæ tandem dilapsæ sunt: illa famosissima est, quæ cœpit à diluuio, quæ per legem rata semper inualuit, & ab ipsis Apostolis in concilio publico confirmata, tantum præualuit, vt negandus esset tanquam non Christianus, qui secus faceret. [Cum primùm intonuit Euangelium, & vetera concussit, (verba sunt Tertulliani) vt de legis retinendæ necne statu disceptaretur, primam hanc regulam de auctoritate Spiritûs sancti, Apostoli emittunt ad eos, qui iam ex nationibus allegi cœperant. Visum est, inquiunt, Spiritui sancto & nobis, nullum amplius vobis adiicere pondus, quàm eorum à quibus necesse est abstineri, à sacrificiis, & à fornicationibus & sanguine: à quibus obseruando rectè agitis. Qualia videri volunt Apostoli crimina, quæ sola in obseruatione de lege pristinâ excerpunt? quæ sola necessariò abstinenda præscribunt? Cur ergo ceruicem nostram à tanto iugo excusant, nisi vt illi compendia ista disciplinæ semper imponant? Cur tot vincula indulgent, nisi vt perpetuò ad necessariora constringant?] Tanti decreta ista fecerunt seu statuta Apostolorũ & seniorum: tanti censuerunt momenti, vt non solùm inter irremissibilia collocarent & irreuocabilia, sed & transgressorem abnegarent, tanquam infidelem. [Negandi si gustassent, ait ille, quemadmodum si non immolassent. Illicitum tamen penes nos, per quod exorbitare eos vultis:] Adeò religiosum abstinere à sanguine, quàm à thure; tamque impium contaminari sanguine vel intra viscera sepulto, quàm thure maculari diis oblato. Vtrumque grande sacrilegium, scelus inexpiabile. Nunc illius traditionis omnium antiquissimæ, illius obseruationis omnium inuictissimæ, nulla prorsus remanent vestigia, vixque doctis etiam apparent vera quæ dicuntur, nisi cum in antiquis releguntur. Sic & apud Hieronymum, inter inuiolabiles traditiones: [In lauacro ter caput mergitare: deinde egressos, lactis & mellis prægustare concordiam.] Præit Tertullianus, sed & addit: [Exque eâ die, lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.] Quibus trinam mersionem totius corporis nedum capitis confirmat tanquam Apostolicam & vniuersalem, sed & religiosâ decorat lauacri quotidiani etiam manuũ ipsarum abstinentiâ. Factum tamen aut iniuriâ temporis, aut obseruationis incuriâ, vt non solùm aboleretur antiqua traditio, sed & vana censeretur superstitio. Denique, quantum ab antiquis desciuimus, quantum à maiorum consultis, à seniorum institutis discessimus? Vbi prima illa institutio diaconissarum, vbi electio episcoporum à clero & populo, & alia propè infinita quæ primis vigerunt seculis, mediis

Tertullian. lib. de pudicit. c. 12.

Tertullian. cap. 9. Apol.

Hieronym. dialog. ad. uers. Lucif. cit. med. Tertullian. lib. de coro. mil. cap. 3.

Præterita paternorũ institutorũ monstuêta.

senuerunt, nostris interierunt in totum, & in cassum abierunt?

Quoad illas quæ inter vtramque diuisæ Ecclesiam: illa notissima est quæ à Casulano presbytero proposita est Augustino, quæ est de ieiunio. [Alij, inquit, sicut maxime populi orientis propter requiem significandam mallent die sabbati relaxare ieiunium: alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, sicut Romana & nonnullæ occidentis Ecclesiæ.] Orientales nefas ducebant ieiunare in sabbato, occidētales fas ducebant non ieiunare, & in solâ conueniebant Dominicâ. [Nullo enim modo, ait ille, dubitare debemus, Dominicum diem, inter ieiuniorum dies non esse ponendum.] Sic & [De lauandis pedibus, ne res ista, inquit, ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt: nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitauerunt. Aliqui autem vt hoc sacratiore tempore commendarent, & à baptismi sacramento distinguerēt, vel diem tertium octauarū, quia ternarius numerus in multis sacramentis maximè excellit, vel etiam octauum vt hoc facerent, elegerunt.] Ita seruabat Mediolanensis Ecclesia, quæ communicabat cum orientalibus: vix probabat occidentalis Ecclesia, quæ tamen aliis abundabat ritibus. Denique & de velandis virginibus, aliter illi, aliter & isti. [Consuetudo sit tantisper, ait Tertullianus, vt consuetudini etiam consuetudinem opponam. Per Græciam & quasdam Barbarias eius, plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est & sub hoc cœlo institutum istud alicubi; ne qui Gentilitati Græcanicæ aut Barbaricæ consuetudinem illam adscribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt, & puto ante quosdam. Habent enim & illæ eandem consuetudinis auctoritatem, tempora & antecessores opponunt magis quàm posteræ istæ. Quid obseruabimus, quid deligemus?] Omnes enim traditiones suas vindicant, imò omnes probant eisdem notis & argumentis esse Apostolicas. [Illa enim quæ non scripta, vt Augustinus loquitur, sed tradita custodimus, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.]

Augustin. epist. 86. vers. fin.

Augustin. epist. 119. cap. 18.

Tertullian. lib. de veland. virg. cap. 2.

Consuetudines consuetudinibus contradicentes.

Augustin. epist. 119. cap. 1.

Quoad illas quæ nunc vetitæ sunt, nedum proscriptæ: illa operosissima est, quæ est de communione sub vtraque specie. Si enim ita Dominus instituit, si Paulus ita constituit apud Corinthios, si priscis illis Christianis non solùm in vsu fuit, sed & in fructu, nonne traditio diuina est, nonne constitutio Apostolica, nonne obseruatio Christiana, tam inuiolabilis quam & vniuersalis? Quod in vsu, nullus negat: quod in fructu, sensus clamat. [Milites enim Christi, ait Cyprianus, considerant idcircò se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.] Sic & Augustinus, de mensâ ad sacrificandum Deo, in loco, in quo Cyprianus ipse immolatus est. [Tantò dulciùs, inquit, in illo loco propter natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quanto deuotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani.] Cur ergo mutatum quod vsu firmatum, quod & fructu cumulatum? [Ipsa quippe mutatio consuetudinis, ait Augustinus, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.] Imò cur factum est nobis illicitum, quod Christianis erat religiosum? [Quale est enim, vti dixit Tertullianus, vt tunc quis in quæstionem prouocet, cum ab eâ excidit? & tunc requirat vnde habuerit obseruationem, cum ab eâ desiit? quando etsi ideò velit videri ad quæstionem vocare, vt ostendat se non deliquisse in obseruationis destitutione; nihilominus deliquisse eum constet retrò in obseruationis præsumptione.] Quot & alia quæ piè olim ac religiose seruata, tanquam Christianè tradita, quæ sensim nihilominus abierunt in nihilum, nec iam tam argumentum faciunt traditionis, quam superstitionis præiudicium. Sed subticenda potius ista sunt quàm agenda: nam, vt dixit Augustinus, [Interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones.] Ista tantùm exempli causâ producta sint, sed iam omnia ad veram reducenda concordiam.

Cyprian. lib. 4. epistol. 26.

Augustin. serm. 113. de diuers.

Augustin. epist. 118. cap. 5.

Tertullian. lib. de coron. mil. cap. 2.

Multa olim facta, quæ nunc non facienda.

Augustin. epist. 86.

Distinximus triplex genus traditionum: vt quædam ad fidem pertineant, aliæ moribus componendis seruiant, aliæ denique ritibus disponendis. Quoad traditiones quæ primi sunt generis & secundi, tam stabiles esse debent quàm & inuiolabiles. [Hæc est enim veritatis integritas, ait Tertullianus, & quæ debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequij, non immutare sententiam, nec variare iudicium.] Quoad traditiones quæ sunt vltimi generis; Aduertendum est 1. paucas admodum huiusmodi consuetudines, fuisse vniuersas, imò ferè nullas, sed locales, nec temporibus duntaxat interceptas, sed & interclusas regionibus. [Die Dominico, ait Tertullianus, ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadē immunitate à die paschæ in Pentecosten vsque gaudemus.] Celebris fuit illa consuetudo, & ferè vniuersalis, sed ferè, dico enim quod dicit Augustinus: [Vt stantes in illis diebus, & omnibus Dominicis oremus, vtrum vbique seruetur, ignoro.] Aduertendum 2. Catholicam Ecclesiam non omnem probare desuetudinem, sed aliquando tolerare. [Ecclesia enim Dei, ait ille, multam paleam multaque zizania, constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam nec bonus approbat, nec tacet, nec facit.] Aduertendum 3. Nec illam diuersitatem rituum ac consuetudinum ingratam aut à fide ac religione degenerem. [Hinc enim, vti dixit Augustinus exorta est ista in reginæ illius veste varietas.] Quod à fide est, vnum est, quia veritas vna est; & ab eo exorta, qui tam immutabilis quàm infallibilis. Quod pietatis, aut sanctitatis est, vnum est, [Nō enim potest aliud esse, ait Tertullianus, quod verè quidem bonum est seu malum.] Ita duo tam apud Christianos fixa sunt, quàm apud alios incerta & varia. In ceteris, diuersitas: [Inuenit in veste illius filiæ regis, hoc est Ecclesiæ, varietatis locum.] Itaque, fide eadem stante, & eadem perseuerante sanctitate: vna & eadem semper manet Ecclesia, non tam ex diuersitate consuetudinis sollicitanda, quàm miranda ex varietate vestis: non enim in consuetudine posita est, sed in fide &

Tertullian. lib. de spect. cap. 20.

Tertullian. lib. de coron. mil. cap. 3.

Augustin. epist. 119. cap. 17.

Augustin. cap. 19.

Augustin. epist. 86.

Tertullian. lib. de spect. c. 20.

Augustin. epist. 86

Aliud diuersitas religionis, aliud vestis varietas.

charitate; & eo maior apparet concordia, quo minor conuenientia: etsi enim dispar ritu, par tamen affectu: etsi aliter serunt, non tamen aliter sentit, nec aliter viuit. [Non possumus, inquit Tertullianus, respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, vtpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus ius pacis & nomen fraternitatis. Vna nobis & illis fides, vnus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lauacri sacramenta. Semel dixerim, Vna Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcumque nostrorum est. Ceterùm, diuidis corpus.] Nimirum, si aliter facis, si pugnaciter contendis. Tamen ne obrepat abusus, aut nexus desistat, sit

Tertullian. l. de vel virg. cap. 2.

ASSERTIO SEXTA.

De veritate.

Tenendæ quidem sunt traditiones Apostolicæ, vt à Spiritu sancto traductæ. Sed interest scire quænam sint veræ traditiones, seu vere diuinæ, verè Apostolicæ: & si tales sint, an ad fidem, an ad mores, an denique ad consuetudines sint reducendæ.

Sed in his obseruandum est primò, Paulum non tam de ritibus aut consuetudinibus agere, quàm de fide ac sanctitate. Cum enim dixisset: [Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos primitias in salutem, in sanctificatione spiritûs & fide veritatis, in quam & vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitione gloriæ Domini nostri: Iesu Christi:] Statim resumit: [Itaque, fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis.] Nihil de more & consuetudine. Gratias agit, quod electi sint, tanquam specialiter singulariterque dilecti, quod vocati, quod sanctificati, quòd præstantioribus Spiritus sancti cumulati muneribus. [Nobis, ait apud Athanas. gratiæ sunt Deo pro vobis agēdæ quandoquidem vos ipse elegerit, & charitate complexus sit] Itaque, State, id est, perseuerate in fide, perseuerate in sanctitate. [In traditione Euangelij, ait Ambros. standum ac perseuerandum monet, vt solliciti sint, ne desidiâ & otio torpentes in operibus Dei, non impleant quod cœperunt.] Tenete traditiones, maximè illas, quas per me edocti, siue de vocatione ad fidem, siue de sanctificatione ad salutem. At illa sunt fidei Christianæ dogmata, quæ iam præsens tradiderat per sermonem, nunc & absens per epistolam refricat. Verissimæ sunt illæ traditiones, Apostolicæ & immobiles, quas omnes tenent, aut tenere debent, si salui esse volunt, imò si volunt esse Christiani. Obseruandum est secundò, non omnes consuetudines, etiam antiquas, esse Apostolicas traditiones, sed quæ ab omni, vbique & semper. [Quæ toto terrarum orbe obseruantur: sicuti, ait Augustinus, quòd Domini passio & resurrectio & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritûs sancti, anniuersaria solennitate celebrātur, & si quid aliud tale occurrerit quod seruatur ab vniuersâ, quacumque se diffundit Ecclesia.] Nam si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, si semper frequentauit, semperque seruauit, haud

Athanas. in Paulum.

Ambros. in Paulum.

Hoc Catholicum quod ab omni, vbique & semper.

Augustin. ep. 118. c. 1.

A dubiè probat Apostolicam esse ac diuinam, ideoque tam veram quam & indubitatam. Obseruandum tertiò, antiquam traditionem, imò & institutionem non solùm Apostolicam, sed & diuinam, moueri posse quoad ritum ipsum, posse & aboleri, si antiqua cesset vtilitas, vel noua obstet difficultas. [Liquidò enim apparet, ait Augustinus, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ quod à ieiunis semper accipitur?] Sic instituit Dominus, nec tamen iussit Dominus teneri aut fieri.

Augustin. ead. ep. c. 6.

B Communio sub vtraque specie maximè viguit, quandiu inualuit persecutio. [Quomodo enim, ait Cyprianus, possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?] Habent enim quo se repræsentent, [Poculum Domini] &, [Poculum martirij.] Idcircò cessante persecutione & obstante difficultate, non tam res noua facta est, quam species imminuta. Sic & Apostoli in concilio suo nonnihil legis commendarunt, vt vtrumque populum colligarent communi vinculo; sed vbi constitutio suo functa est officio, paulatim desiit, tandemque aut C difficultati cessit, aut inutilitati. Ita diaconissarum institutio probata est in oriente, ex quo & exorta, in occidente autem minùs frequentata: & alibi ferè ignota. [Alia verò, vti definit Augustinus, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alij ieiunant sabbato, alij verò non: alij quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantùm & Dominico: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes: nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, D quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est.] Sunt nonnullæ constitutiones locales, sunt & aliæ temporales: illæ, quæ certis tantùm regionibus impositæ sunt; istæ, quæ certis temporibus adhibitæ: sunt & aliæ, quæ nec regionibus alligatæ sunt nec temporibus, sed mutato rerum statu sunt mutatæ. [Faciat ergo quisque, (concludit ille) quod in eâ Ecclesiâ in quam venit, inuenerit. Non enim quicquam eorum contra fidem fit, E aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperàm fiebat, vel institui quod non fiebat.]

Cyp. lib. 2. epistol. 3.

Augustin. ep. 118. c. 2.

Quid agendum graui prudentiq; Christiano.

Augustin. cap. 5.

Porrò quoad traditiones, etiam vniuersales, iudicium maximè Ecclesiæ Romanæ deferendum est, quænam veræ, quænam temperandæ, etiamsi veræ. [Quoniam enim, vti dixit Irenæus, valdè longum est, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet

Iren. l. 3. aduers. hæres. cap. 3.


ab Apostolis traditionem & annuntiant hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem & malam sententiam, prætérquam quod oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt vndique fideles, in quâ semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.] Sunt aliquæ quidem Ecclesię principales insigmoresque. Ita, [Et quę est, ait ille, Ephesi Ecclesia à Paulo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis.] Sed fuit illa, & non est. Sola Ecclesia Romana, cui tota Apostolorum doctrina commissa, tam illibatâ dogmatum obseruatione, quam perpetuâ Episcoporum successione conseruata est: & sicut

Ecclesia Romana omnium principalium potentissima.

A inter matrices Ecclesias digniorem habet maternitatem, sic & inter principales Ecclesias, potentiorem principalitem obtinet. [Hac ordinatione & successione, ait Irenæus, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio, & veritatis prçconiatio peruenit vsque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesiâ ab Apostolis vsque nunc sit conseruata, & tradita in veritate.] Ab hac Ecclesiâ legem accipimus ac traditionem, ab illâ & mentem legis haurimus & traditionis. Vnde Augustinus aduersùs Vrbicum: [Ista dicens, inquit, non tantum Orientis & occidentis populos Christianos, verùm & ipsam Romanam Ecclesiam improuidus & incautus accusat.] Et, [Quando hoc dicit, videat quantâ afficiat contumeliâ ipsam quoque Romanam Ecclesiam.] Hæc enim Ecclesia cuius standum iudicio, cuius communicandum consortio. In eâ, & sub eâ viuendum, moriendumque.

Iren. ibidẽ.

Augustin. epist. 86.



CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

PRæcipit vt vitent iniquietos turbulentosque, inobedientes ac contumaces notent. sic & consuetâ salutationis & pacis absoluit formulâ.

TEXTVS.

DE cetero, fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides. Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo. Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientiâ Christi. Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. Quòd

si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio, meâ manu Pauli: quod est signum in omni epistolâ. Ita scribo Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

INterpellat orationes Thessalonicensium, mores eorum ordinat: hortatur ad imitationem sui, pacemque & gratiam apprecatur diuinam.

[De cetero fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos, &c.] Ministri publici, publicis etiam orationibus adiuuandi sunt, quia quod illorum interest, interest omnium. Quod superest ergo, fratres, orate pro nobis, vt Euangelica doctrina per ministerium nostrum feliciter dilatetur; miraculorumque insignibus, & fructibus virtutum, sicut apud vos factum est, glorificetur. [Et vt liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides, &c.] Orate, vt liberemur ab improbis qui nobis resistunt, cursumque sistunt Euangelij: non enim datur omnibus credere, & annuntiato obedire Euangelio. [De contradicentibus prædicationi disserit, ait Athanas. & vera dogmata impugnantibus: id namque designat, cum dicit, Non omnium est fides, hoc est, non omnes credunt, tacitè enim ostendit, omne sibi ab his discrimen inferri, qui prædicationi obsisterent. Orate ergo vt prædicatio ipsa decurrat fluatque, & gloriam assequatur, sicut & apud vos, hoc est, vt omnes se mihi morigeros præbeant. Sicuti & vos faciles ad obtemperandum fuistis.] Itaque non tam de suâ libertate curat Paulus quàm de alienâ salute; nec propriæ vacat vtilitati, sed gloriæ Euangelij. [Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo, &c.] Ne tamen turbemini aduersariorum infestationes Deus enim qui vocauit vos vocatione suâ sanctâ & elegit ad salutem, fidē vestram conseruabit, & ab omnibus præseruabit aduersantium tentationibus: fidelis est in verbis suis, facit quod promisit. [Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis, &c.] Confidimus autem de vobis per gratiam & misericordiam Christi Domini, quòd præcepta vobis à me tradita non solùm facitis, sed & facere ac seruare perseuerabitis. [Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientiâ Christi; &c.] Confido quidem, sed & oro, vt quod cœpit perficiat Dominus, dirigatque corda vestra, nec sinat à viâ declinare, sed faciat vos in charitate Dei, & in patientiâ Christi fideliter ambulare constanterque. [Sunt enim plurima, vt ille dixit, quæ à recto itinere quod ducit ad charitatem, nos retrahunt: pecuniæ scilicet & inanis gloria, pressuræ insuper & tentationes. Hæc itaque & alia istiusmodi pleraque, ne-

Athanas. in Paulum.

Non datur omnibus credere, & annuntiato obedire Euāgelio.

Athanas. ibidem.

A quaquam nos sinunt rectà ad Dei charitatem contendere: nec illum vt decenti amore prosequamur, permittunt.]

[Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quàm acceperunt à nobis, &c.] Præcipimus autem vobis, auctoritate à Christo acceptâ, vt vos ab illius Christiani consortio subducatis, qui negligit quæ sui sunt officij, qui inconditè viuit, & non secundùm disciplinam à me traditam. [Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in

B labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus, &c.] Inter tradita Christianæ vitæ instituta, hoc vnum est, vt quiuis negotio suo vacet, nullus otio; quiuis officio suo aduigilet, nullus aduigilantes collaborantesque interturbet. Non solùm id instituit Paulus, sed & in exemplum se exhibuit. Scitis ergo quomodo oportet imitari nos non enim vitam gessimus apud vos inordinatam & inconditam, neque panem gratis ab aliquo vestrûm accepimus, sed cum labore & sudore, operantes assiduè, deuitantesque vobis esse oneri. [Illos, inquit Commentarius Ambrosianus, dicit non ignaros operis & laboris

C sui, quem sedulo exercitio operabatur, ne pane indigeret alieno, vt exemplum daret eis ad imitandum illum.] Onus sibi imponit, alios exsoluit. [Non quasi nos habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos, &c.] Poterat Apostolus ea recipere quæ ad victum vestitumque necessaria erant, sed nolebat, quia seipsum aliis maximé otiosis præbebat exemplum: si enim ipse euangelizans nihil accipit, quo iure accipit aut de alieno viuit non laborans? [Tunc etenim, ait ille titularis Ambros. exerta potest

D esse libertas, si semetipsum quis ventris causâ aut pecuniæ nulli subiiciat, suo pane contentus; maximè quod ad ad laudem magis proficit, si cum liceat, & sit sumendi potestas, contineat.] Id quippe otiosum & inquietum, non reuincit duntaxat, sed & suffundit. [Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè nihil operantes, sed curiosè agentes, &c.] Corinthij plusculum negotio dediti, quia auari; Thessalonicenses otio, quia desides: vnde tot ferè apud istos pauperes erant quot apud illos errant diuites. Nec ab illis ergo accepit Paulus, vt gratius Euangelium redderet; nec ab istis, vt illustrius exemplum proponeret. Efficaciter igitur persuadet, dum ver-

Paulus quod verbo dixit, firmauit exemplo.

Comment. Ambros.

Ambros. in Paulum.

bo monet & facto. Cum essemus apud vos, hoc præcipiebamus vt laboraretis propriis manibus, addebamusque, quòd si quis detrectet laborare, inertiæ suæ imputet si nihil habet quod manducet. Nam audiuimus quosdam iam admonitos, adhuc vitam ducere apud vos incompositam; nihil agentes, & inde inquieti, curiosi, aliena circumspicientes opera. A

[Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent, &c.] Talibus autem denuntiamus, sed & eos obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, vt cum quiete & absque curiositate agentes; neminem otio mouente perturbent, sed panem proprio quæsitum labore, manducent in silentio. B [Anima hominis, ait Aquinas, semper oportet, quod circa aliquid occupetur, & ideò necesse est, quòd otiosi inquietudinem patiantur circa illicita. Curiosè agentes, scilicet de negotiis aliorum. Panem ergo suum, non alienum sed debitum sibi, scilicet licitè acquisitum, manducent cum silentio: id est, sine inquietudine, non discurrendo.] Ita denuntiat vt Apostolus, & vt pater obsecrat. [Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.] Etsi multi cibo suo sint indigni, ne tamen torpescat apud vos liberalitas, nec charitas erga miseros deficiat. [Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur: & C nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem, &c.] Si quis tamen non paret præceptis per epistolam nostram denuntiatis: & eum denotate, imò eum vitate, vt solus sibi relictus erubescat, sicque resipiscat. Nolo tamen vt inimicum vitari, sed vt amicum fraternè ac benignè reuocari. [Quemadmodum, ait Commentarius Athanasij, superiùs cum dixisset, qui non operatur non manducet, veritus ne fame interirent istiusmodi homines, illud adiecit, Nil tamen vos defeceritis his benefacere: sic etiam nunc cum diceret, Nolite cum his D versari, timens ne ob id aliquis à fraternitate desperans præcideretur, & nolite, addidit, quasi inimicum existimare, quin potius vt fratrem hoc est, beneuolâ & fraternâ charitate corripite & castigate.] Sic æquitatem seruat, vt nusquam lædat charitatem. [Ipse autem Dominus pacis det vobis pacē sempiternā in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis, &c.] Omnia pacificè agite, sine contumeliâ, sine iracundiâ. Ideò precor Deum pacis auctorem, vt vos seruet concordes vnanimesque, detque vobis pacem vbique & semper. Græcè tamen legunt non τόπῳ, sed τρόπῳ omnimodè, seu omni E modo. Adsit vobis Dominus, omnibusque præsit per gratiam suam. [Salutatio, meâ manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo, &c.] Salutatio manu mea. Ego Paulus iam assumpto graphio vos saluto: & quod proprium germanæ meæ epistolæ sigillum: ita scribo. [Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen] Ita salutere vult; ita valere Ita scribit, ita gratiam Christi semper & vbique interserit, & epistolis suis velut tesseram apponit; vt si desit gratia Christi, non sit Pauli epistola.

Aquin. lect. 2.

Comment. Athanas.

Sic seruatur æquitas, vt charitas nō lædatur.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

Nihil dicimus de scriptione aut missione, quia quod diximus de primâ, dictum volumus de secundâ. Eædem personæ vtrobique in fronte nominatæ, probant vtramque eodem scriptam esse loco, nec tamen vllibi indicant per quem missam. Et ista igitur Corinthi scripta est, missa verò per quem Deus voluit. De Paulo enim nobis res est, non de tabellario. Sed nunc inquirendum est quid per malum intelligat, & quomodo fraternum subtrahat consortium. Priùs igitur de malo, tum & de consortio.

DISQVISITIO PRIMA.

De Malo.

Præludit Apostolus, antequam destinet hostem: imò seipsum & alios munit antequam pestem indigitet. [De cetero fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & glorificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus: Petitio, ait Chrisostomus, est coniuncta cum laude: ij enim tantam habent apud Deum fiduciam, vt possint etiam doctorem liberare à periculis, & ei facilem & expeditam reddere prædicationem. Vnum quidem rogare pro multis, magnæ est audaciæ: multos autem, cum simul conuenerint, pro vno precari, non est graue nec importunum. Non enim virtuti suæ credens hoc facit vnusquisque, sed multitudini & consensui quem semper respicit Deus, & eo mouetur ac placatur. Vbi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Quod enim per se precans quispiam non potest accipere, hoc accipiet precans cum multitudine.] Ecce apparatus magnus, quia magnus conflictus. [Vt liberemur ab importunis & malis hominibus.] Malos audis, sed quos? Improbos, infideles, sed insolentes. [Nunquid de iis dixit qui repugnabant prædicationi, ait ille, an de iis qui resistebant & pugnabant cum dogmatibus: hoc enim tacitè significauit, dicens, Non est enim omniū fides.] Importuni sunt illi, quia nihil non moliuntur vt fidem euertant, nihil non aggrediuntur, vt veritatem ac religionem diruant. Habes malos & importunos, seu infideles vel Iudæos vel ethnicos, sed nondum tenes malorum omnium mancipem principem-ve. [Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, & custodiet à malo.] En ille malus, & malorum omnium antesignanus. [Dixit superiùs, (verba Athanas.) Elegit vos in salutem Deus, nunc verò fidelis est ille, hoc est, non mendax, & perfecturus omninò est quæcumque incœpit. Vos insuper, vt optamus, ita confirmaturus, vt amplius nec moueri à quouis, nec seduci possitis. Custodiat autem, hoc est, tuetur & seruet, vt nullam habeat deinceps Sathan in vos potestatem.] Aduersarius scilicet noster diabolus inimicus

Chrysost. orat. 4.

Quod vnus per se non accipit, accipit in multitudine.

Chrysost. ibidem.

Athanas. in Paulum.

inimicus homo; imò inimicus homini & A infensus.

Dicitur diabolus simpliciter malus, quia malus est excellenter. Ita cū Christus iussisset orare Patrem ne nos induceret in tentationem, addit, vt sic ab soluerermus, Sed libera nos à malo ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. [Adiecit, inquit Tertullianus, ad plenitudinem expeditæ orationis, vt non de remittendis tantùm, sed etiam de auertendis in totum delictis supplicaremus, Ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos patiaris induci, ab eo vtique qui tentat.] Quis autem tentat? Audi: [Ipse Christus à diabolo tentatus, præsidem & artificem tentationis demonstrat.] Quocirca cum addit, Sed libera B nos à Malo, tantumdem est ac si diceret, libera nos à diabolo. [Ecce ad te clamamus miseri, inquit Augustinus, qui te contempsimus liberi. Ecce qualem Dominum contempsimus: ecce quali tyranno seruiuimus.] Vnde cum Iulianus concessisset, diabolum esse malorum patrem, seu dominum ac principem. [Verum dicis, incautus, inquit, in paradiso enim diabolus seductor beatæ voluntatis fuit, quam seducendo miseram fecit, nunc autem seductor est miseræ voluntatis. Ab hac ergo miseriâ, ne per illam nunc faciliùs quàm tunc, ab illâ seducta est, adhuc seducatur à diabolo, non illam liberat, nisi ille ad quem quotidie tota clamat Ecclesia: Ne nos inferas in tentationem, C sed libera nos à malo. Conuenit quippe Scriptura plerumque hominis voluntatem, vt quod non habet, & non potest, admonitus sentiat, & ab eo à quo sunt bona omnia indigens poscat. Si enim exauditus fuerit in eo quod dicere iussi sumus, Ne nos inferas in tentationem, proculdubiò nullâ decipietur inscitiâ, nullâ cupiditate vincetur. Propterea per Prophetam dictum est, Si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet: vt cum inuenissent in seipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium. Nam si ab intentione propriâ vtique malâ, non debet homo vllâ necessitate reuocari, D cur Apostolus adhuc Saulus cædem spirans & sanguinem sitiens, violentâ corporis cæcitate, & terribili de super voce, à suâ pessimâ intentione reuocatur? Et ex persecutore prostrato, illius Euangelij quod oppugnabat, laboriosior cæteris futurus prædicator erigitur?]

Senserat ergo Apostolus venenum serpentis, astum aspidis, impetum tyrannidis, ideoque malum illum τὸν πονηρὸν suo nomine, aut potius nullo nomine denotat: quia sicut laqueum ex officio tendit, sic & ex instituto propellit in malum. Quid enim, quòd non solùm E apud nos, sed & apud exteros, quasi instinctu publico, vel arcano motu, par sit malum dicere ac diabolum? [Etiam, ait Tertulianus, vulgus indoctum in vsum maledicti frequentat. Nam & satanam principem huius mali generis proinde de propriâ conscientiâ animæ eadem execramenti voce pronuntiat.] Non quod ethnici satanam scirent, sed quod per Malum indicarent diabolum. Apud Terentium. [Quæ (Malum) hæc impudentia?] Et apud Iustinum. [Quæ (Malum) ratio hæc est?] Sic & nos per diabolum, Malum capimus, adeò ista duo sunt reciproca. [Quando, ait Augustinus, irasceris nequissimo seruo tuo, hoc nomen illi imponis, sathanas, diabole, hoc illi dicis quod valdè detestaris.] Sed tam de exteris, quàm & de nostris Tertullianus: [Dæmonium vocas, inquit, hominem aut immunditiâ, aut malitiâ, aut insolentiâ, aut quacumque maculâ, quam nos dæmoniis deputamus, aut ad necessitatem odij importunam. Satanam denique in omni auersatione & aspernatione, & detestatione pronuntias quem nos dicimus malitiæ angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumuentus vt præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit. Sentis igitur perditorem tuum. Et licet soli illum nouerint Christiani, vel quæcumque apud Dominum secta, & tu tamen eum nosti, dum odisti.] Quis, Tu? Paganus. Quis de aliâ apud Deum sectâ? Iudæus. [Quis non iratus seruo suo (inquit Augustinus) etiam paganus, dicat illi, Sathanas? Hoc dicit Iudæus, hoc dicit paganus: ipsum adorat, & de ipso maledicit.] Et videtur id tritum fuisse apud Iudæos, vt nunc apud Christianos. Ita Christus apud Matthæum. [Venit malus, & rapit quod seminatum est.] Et paulo post: [Zizania, filij sunt nequam.] Seu illius mali, ac nequissimi. Inimicus enim qui seminauit ea, est diabolus. [Etenim, vti dixit Chrysostomus, hoc diabolicæ est machinationis, veritati semper errorem inserere. Agnosce ergo malum, & posce auxilium.

Tertullian. l. de orat. c. 8.

Augustin. Tract. de sep. vit. in fine.

Augustin. lib. 1. oper. inch. num. 90. & 93.

Diabolus tam beatæ seductor voluntatis quam miseræ.

Tertullian. c. 22. Apol.

Iustin. Apol. 1.

Augustin. in Psal. 96.

Tertul. l. de testim. animæ cap. 3.

Malus & diabol⁹ duo nomina reciproca.

Augustin. in Psal. 73.

Chrysost. Hom 48 in Matth.

DISQVISITIO SECVNDA.

De consortio.

NOn quidem contrahendo, sed potius distrahendo: sic tamen vt nec tendantur insidiæ, nec inimicitiæ consequantur; sed sic disciplina seruetur, vt non violetur amicitia. [Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis.] Quid inordinatè? otiosè, curiosè, inquietè. [Nihil operantes, sed curiosè agentes.] Et quod illic Noster vertit, [Inordinatè,] Heic reddit, [Inquietè.] Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè. Ex eadem voce Græca, quæ hominem significat desidem & inertem, & inde curiosum inquietumque, turbulentum atque alios perturbantem. [Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus apud vos.] Græcè οὐκ ἠτακτήσαμεν, non fuimus inordinati. [Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes.] Tradiderat ergo Paulus operandum esse manibus suis. [Prius enim, vti dixit Augustinus, demonstrare debemus beatum Apostolum opera corporalia seruos Dei operari voluisse, quæ finem haberent magnam mercedem spiritalem, adhoc vt ipso victu &

Qui otiosi sunt, curiosi sunt, & inquieti.

Augustin. l. de op. mon. cap. 3.

tegumento à nullo indigerent, sed manibus suis hæc sibi procurarent:& ne cuiquam postea liceret hoc pro voluntate, non pro charitate interpretari, exemplo suo docuit quid præceperit.] Id præceperat Apostolus, id iusserat,& quod constituerat præcepto, idipsum facto suô & exemplo exposuerat. Inde addit: [Iis autem qui sunt huiusmodi, (otiosis scilicet, inquietisque) denuntiamus in Domino IesuChristo, vt cum silentio operantes, panem suum manducent.] Laborent quidem, sed animo libero & religioso silentio. [Non disputent, ait Augustinus, contra manifestissima verba Apostoli, quia & hoc pertinet ad silentium, cum quo debent operantes manducare panem suum.] Manifestum est igitur & ex Apostoli doctrinâ, & ex viuendi formâ, agi de operibus manualibus seu corporalibus, id est, laborem præscribi, otiositatem abigi. [Et sequitur edictum, dicens, Vt subtrahatis vos. Ex hoc introductum est in Ecclesiâ, ait Aquinas, quòd mali vitentur, & hoc ne infirmiores ex eorum consortio maculentur.] Quid ergo? si quis frater otiosus statim excommunicandus est, statim & sacramentorum commercio, & fratrum priuandus consortio?

Augustin. eod. lib. cap. 30.

Triplex excommunicatio, sicut & triplex correptio est. Prima est priuata & arbitraria quam sibi quisque facit aut imponit, dum seipsum subtrahit ab altari, aut aliam sibi iniungit pœnitentiam. [Si enim, ait Augustinus, agnoscens reatum suum, ipse se à diuino altari subtraxerit, citò ad indulgentiam diuinæ misericordiæ perueniet.] Et id cum respectu ad excommunicationem solemnem. [Qui enim, inquit, agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ suæ remouere voluerit, ab æterno illo, & cœlesti conuiuio excommunicari penitùs non timebit.] De Eucharistiâ loquitur, quæ sicut communicationis suprema perfectio est, sic & summa excommunicationis est afflictio. [Accedamus ad hanc mensam, ait Chrysostomus & vnus sit nobis dolor hac escâ priuari.] Vult ergo Augustinus, hominem accedentem, seipsum probare, nec expectare iudicium alienum, sed seipsum discernere, & si indignus in conscientiâ, alienus est à gratiâ, se etiam propriâ secernere sententiâ. [Accedat, inquit, credat, incorporetur, vt viuificetur: non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, viuat Deo de Deo.] Altera, fraterna est, partim priuata, partim & publica. [Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi. Dicimus, (ex Athanasio) denuntiationem austeram quandam præferre doctrinam. Nunc igitur tremendam magis hanc faciens, inquit, non enim nos idipsum iniungimus, sed Christus ipse: hic namque profatur, quæ ipse vos alloquor, neque enim otiosè & segniter viuendum esse præcepit. Subtrahatis ergo vos ab omni fratre ambulante inordinatè: hoc est, secedite à quouis hominum qui inordinatè, id est, per ignauiam & segnitiem vitam degerit, siue opulentus, siue inops, siue sanctus sit ille.

Augustin. serm. 252. de temp.

Communio, suprema est communicationis perfectio.

Chrysost. Hom. 83. in Matth.

Aug. Tract. 26. in Ioan. vlt. med.

Athanas. in Paulum.

A Inordinatum hunc dixerim, quo pacto? Certè vel ex ipsâ inertiâ. Nam & ab optimis facinoribus abstinebit, & ad sales, vel deliramenta quædam & nugas se confert.] Non excipit sanctos seu perfectos, non diuites, id est, omnes omninò inuoluit. [Ne mihi dicas diuitem, ait Chrysostomus, ne pauperem, ne sanctum. Subtrahatis vos, inquit, ab omni fratre ambulante, hoc est viuente, inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis.] A fratre ergo secundùm desidiam viuente, non secundùm disciplinam: qui enim eiusmodi est, nec ordinem vitæ curat, nec traditionem seruat B disciplinæ.

Chrysost. etat. 5.

Tertia denique iuridica ac publica, cum quis confessus vel conuictus, notâ designatur, publicaque vitatur sententiâ. [Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.] Audis inobedientem contumacemque, qui admonitus etiam per epistolam resipiscere nolit, qui etiam per priuatam censuram increpitus, ausit contemnere: quid ergo superest nisi vt luat, & publicam incurrat sententiam? [Quisquis enim, vt definit Augustinus, contempserit Ecclesiæ Dei disciplinam, vt malos C cum quibus non peccat, & quibus non fauet, desistat monere, corrigere, arguere; si etiam talem gerit personam, & pax Ecclesiæ patitur, vt etiam à sacramentorum participatione quempiam possit separare, non alieno malo peccat, sed suo. Ipsa quippe in tantâ re negligentia graue malum est, & ideò sicut Apostolus admonet, si auferat malum à seipso, non solùm auferet audaciam committendi, aut pestilentiam consentiendi, sed etiam pigritiam corrigendi, & negligentiam vindicandi, adhibitâ prudentiâ & obedientiâ, eo quod præcipit Dominus, ne D frumenta lædantur. Hoc autem apertiùs ad Thessalonicenses dicit Apostolus: Si quis autem non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt erubescat. Et non inimicū eum æstimetis, sed corripite vt fratrem.] Quanquam enim aliquæ sint excommunicationes seueriores, aliæ minùs duræ; omnes tamen debent medicinales esse ac humanæ, & ad correctionem tendere, non ad destructionem. [Quisquis enim fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat E hoc cum eâ dilectione, de quâ præcipit Apostolus, dicens, Vt inimicum non enim existimetis, sed corripite vt fratrem. Non eum estis ad eradicandum, sed ad corrigendum.] Sic ergo, vt & ille concludit: [Nec emendationis vigilantia quiescat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisque coërcitionibus licitis atque concessis, quæ saluâ vnitatis pace in Ecclesiâ quotidie fiunt, secundùm præceptum Apostolicum, charitate seruatâ, Nolite commisceri, sed corripite vt fratrem. Sic enim & disciplina seruat patientiam, & patientia temperat disciplinam, & vtrumque refertur ad charitatē; ne fortè aut indisciplinata patientia foueat iniquitatem, aut impatiens disciplina dissipet vnitatē.] Illa igitur publica sententia est, sed tantâ maturitate ferenda, quantâ & necessitate.

Aug. l. 3. con. ep. Parm. c. 2.

Vltima sententia tanta grauitate inferenda est, quanta & necessitate.

Aug. eod. lib. c. 13.

Aug. l. post Collat. c. 4.

TROPOLOGIA.

Dominus autem dirigat corda vestra.

ITa passim legitur in Ecclesiis: [Dominus autem dirigat corda, & corpora nostra in charitate Dei,& patientiâ Christi.] Quasi charitas Dei;cordium sit; patientia vero Christi, sit corporum. Sed parùm est patientiam Christi esse in corpore, si non sit in corde. Aliud est quod legit Ambrosius: [Dominus autem dirigat corda vestra in dilectionem Dei, & expectationem Christi.] Sicque vt vnum in formâ sit, alterum in disciplinâ: sed vtrumque sub diuinâ directione constitutum.

Quoad primum, sic legimus, In charitate Dei,& patientiâ Christi, intelligimusque formam nobis tam diligendi esse propositam, quàm & patiendi [Nobis enim, vti dixit Tertullianus, exercendæ patientiæ auctoritatem, non affectatio humana, sed viuæ ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum.] Quid est, Nobis?id est, Christianis. Alia namque & longè alia philosophorum patientia est, & alia Christianorum:illa enim stupore nititur animi; ista ex amore Dei oritur: nec enim quæritur quid patiatur Christianus, sed cur patiatur, aut quomodo: patientia Christiana humana non est, sed diuina: nec sufficit apud nos aliquid fortiter aut constanter pati, nisi adsit religiosa patiendi causa? non ex affectatione animi, sed ex imitatione Dei. Alias enim,vt decernit Augustinus: [Tanto rectiùs maiore supplicio dignum iudicaueris animum, quanto magis vitiis subdit instrumenta virtutum.] Exigit à nobis patientiam Deus, exigit misericordiam: sed quam nobis formam, quodnam proponit exemplum? An humanum? imò nec diuinum sed seipsum. [Estote misericordes, sicut pater vester cœlestis misertus est vestri. Similitudinem patris,ait Augustinus, actus indicet sobolis: similitudooperis,similitudinem indicet generis. Actus nomen confirmet,vt nomen genus demonstret. Quod contulit pater, filius seruet vt & filio pater promissa præmia repræsentet.] Vult nos esse sanctos. Quomodo? aut ad quam formam?[Sancti estote,quia ego sanctus sum.] &, [Sancti eritis, quia ego sanctus sum.] Vult nos esse perfectos: quâ mensurâ; vel quâ regulâ? [Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.] In quo tandem sancti, in quo & perfecti? diligendo, & ex dilectione verâ,sicut ex diuinâ imitatione patiendo. [Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est,qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?Et si salutaueritis fratres vestros tantùm,quid amplius facitis?Nonne & ethnici hoc faciunt?] Tum concludit: [Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.] Quomodo? Sicut pa-

Tertullian. l.de patient. c. 2.

Augustin. l.de pat. c.5.

Augustin. serm. 26. de temp. vlt. med.

Leuit. c. 11.

Matth. c. 5.

Vera patientia non humana,sed diuina.

A ter vester. Idcircò, Vos: id est, Christiani,seu sancti, per gratiam adoptati, destinati ad gloriam. [Sicut enim, vti dixit Chrysostomus, filij carnales similant patres in aliquo corporis signo, ita filij spiritales in sanctitate.] Diligendum est,sed quomodo diligit Deus: patiendum est, sed quomodo patitur Christus. [Patientiam laudauerim boum,& equorum frenos sequentium. Quid autem est, ait ipse Seneca,cur hominem ad tam infelicia exempla reuoces, cum habeas Deum, quem ex omnibus animalibus, vt solus imitetur, solus intelligit?] Vbi sunt igitur illi qui oderunt etiam diligentes,& qui plus regerunt in lædentes tantum abest vt

B diligant etiam odientes, & plus etiam pati à lædentibus sint parati. In Exemplum contendant suum, & Deum ipsum attendant, nobis, id est Christianis propositum. [Si Christianus es, ait Augustinus, expecta regem tuum.Nondum enim vindicatus est Christus, qui pro te tanta perpessus est. Et vtique illa maiestas posset vel nihil perpeti, vel continuò vindicari. Sed cum esset in illo tanta potentia, ideò fuit etiam tanta patientia:quia pro nobis est passus: relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.]

C Quoad secundum, si legamus, In dilectionem Dei & expectationem Christi, intelligamus disciplinam nobis expositam esse, vt dilectionem erigamus in affectum Dei,& spem in aduentum Christi protendamus. [Hoc illis exoptat à Deo, ait Ambrosius, quod non ambigit posse præstari, vt in Dei charitate cor eorum proficeret ad expectandum aduentum Domini, vt contempto seculo, desideretur aduentus eius qui seculum vicit.] Patientia illa, non alia est quàm sustinentia. Græcè ὑπομονή. Patiens desideratæ rei expectatio, permanens charæ rei exoptatio. Rogat igitur Apostolus,vt illorum corda magis magisque prouocentur ad

D diligendum Deum, & ad sustinendum expectandumque Christi remuneratoris aduentum; vota eorum firmentur ac desideria. Ita Dauid: [Sustine Dominum, viriliter age: confortetur cor tuum,& sustine Dominum. Sed quando istud erit? ait Augustinus. Arduum est mortali; tardum est amanti; sed audi non fallacem vocem dicentis, Sustine Dominum. Tolera vstionem renum viriliter, & vstionem cordis fortiter: non tibi negatum putes, quod nondum accipis. Ne desperatione deficias; vide quia dictum est, Sustine Dominum.] Desperant impij, vt qui seculum diligant, nec credant aduentum Christi.[Venient in nouissimis

E diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes: dicentes, Vbi est promissio, aut aduentus eius? Exquo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.] Contra autem iusti aspirant, quia Deum amant, ideoque totam suam in aduentum Christi protelant fiduciam. [Et nunc, filioli, manete in eo: vt cum apparuerit, habeamus fiduciam.] Non solùm magnâ expectemus constantiâ, sed & magnâ coràm illo stemus fiduciâ. [Et non confundamur ab eo in aduentu eius.] Non publicâ inuramur ignominiâ,sed æternam gloriam consequamur. [Videte fratres, inquit Augustinus, Credimus in

Chrysost. Hom. 11. in op. imperf.

Sen lib. 2 de Ira cap. 31.

Augustin. ser. 17. de diuers. c. 4.

Ambros. in Paulum.

Augustin. Enarrat. 1. in Psalm. 26 in fine.

2. Pet cap. 3.

1. Ioan. c. 2.

Aug. Tract. 4. in epist. Ioan. post init.

Iesum quem non videmus. Annuntiauerunt eum qui viderunt, qui verbum ex ore ipsius audierunt, & vt hæc persuaderent generi humano, ab illo missi sunt, non à seipsis ire ausi sunt. Et quò missi sunt? Auditis cum Euangelium legitur, Ite prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ quæ sub cœlo est. Vbique ergo discipuli missi sunt, attestantibus signis & prodigiis, vt crederetur illis: quia ea dicebant quæ viderant. Et credimus in eum quem non vidimus, & venturum eum expectamus. Quicumque illum fide expectant, cum venerit, gaudebunt: qui sine fide sunt, cum venerit quod nunc non vident, erubescent. Et confusio illa non erit vnius diei & transibit, quomodo solent confundi qui inueniuntur in aliquâ culpâ, & eis insultatur ab hominibus. Confusio illa traducet confusos ad sinistram, vt audiant, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Maneamus ergo in verbis eius, ne confundamur cum venerit. Modò enim salus nostra in spe, nondum in re: nondum enim tenemus iam quod promissum est, sed venturum speramus. Fidelis autem est qui promisit: tantùm tu noli deficere, sed expecta promissorem.] Desideramus, optamus, quia inde requiem sempiternam, & plenam expectamus mercedem. [Tota vita Christiani boni, ait ille, sanctum desiderium est. Quod autem desideras nondum vides: sed desiderando capax efficeris, vt cum venerit quod videas, implearis. Sicuti enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum, & extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo, quia implendi sumus.]

Iusti in aduētu Christi suam reponunt fiduciam.

Augustin. eodē Tract. vlt. med.

Quoad tertium: via quidem ista non solùm ardua est, sed & arctissima: idcircò non doctore tantùm indigemus, sed & ductore, qui corda nostra dirigat & auertat pericula. [Sentis, ait Augustinus, te habere sessorem? sentis te habere rectorem? Sentio, inquis. Illi ergo dic, Gressus meos dirige secundùm verbum tuum. Regit te sub iugo suo, & sub sarcinâ suâ. Vt enim sarcina eius sit tibi leuis, & iugum eius suaue, ille tibi amorem inspirauit.] Amor quippe diuinus, securus est rector, at ille non nobis innascitur, sed à Deo ipso regente corda nostra ac dirigente, nobis infunditur. [Dominus autem dirigat, inquit Apostolus, corda nostra ad Dei charitatem, Multa enim sunt, vt Chrysostomus dixit, quæ auertunt à charitate, & multæ semitæ quæ inde declinant. Primùm quidem semita mammonæ, tanquam impudentes quasdam manus in nostram immittens animam, & mordicùs apprehensos vel inuitos inde vellit & trahit. Deinde inanis gloria, & sæpè etiam afflictiones, & tentationes auertunt. Propterea tanquam quodam spiritu, Dei ope opus habemus, vt nobis velum tanquam ab aliquo spiritu vehementi transmittatur ad Dei charitatem.] Quis ille spiritus, nisi diuinus, qui vbi vult spirat, qui nos legitimos esse Dei filios, suo obsignat testimonio. [Ne mihi dixeris, Diligo ipsum etiam plusquam me-

Augustin. sermo. 12. de verb apost. cap. 2.

Chrysost. orat. 5.

Chrysost. Ibidem.

A ipsum. Hæc sunt verba, ait ille, ostende factis. Si ipsum diligis plusquam teipsum, dilige plusquam pecuniā: & tunc te credo ipsum diligere plusquam teipsum. Qui autem pecunias non despicis propter Deum, quomodo teipsum despicies: Quid autem dico pecunias? Qui auaritiam & plura habendi cupiditatem non despicis, quod etiam absque Dei iussis oporteat facere, quomodo teipsum despicies?] Viden quomodo dirigendus sis ad dilectionem Dei, ne te auertat auaritia, aut vana seducat gloria! [Vide & quid apertissimè Dauid dicat, Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. Quanto enim, ait Augustinus, in vnoquoque magis regnat Dei charitas, tantò minus ei dominatur

B iniquitas. Quid ergo aliud petit, quàm vt donante Deo diligat Deum?] Vt illo ductante, desiderium suum prosperum faciat. Nec minus ad expectationem Christi, quàm ad Dei dilectionem dirigendus es suffulciendusque: magnis enim opus est animis & ni Deus adsit, facilè homo deficit. [Per angustias multiformes, ait Augustinus, & incessabiles tentationes quibus abundat hæc vitâ, quid facturi sumus? Ex abundantiâ enim iniquitatis, fit quidam torpor charitatis, Quoniam abundauit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Et quid facturi sumus, nisi quod sequitur, si tamen ipso adiuuante possimus, qui perseuerauerit vsque

C in finem, hic saluus erit? Ergo dicamus, quod Psalmus, Sustinens sustinui Dominum. Sustinens sustinui, non quemlibet hominem promissorem, qui possit fallere & falli; non quemlibet hominem consolatorem, qui potest tristitiâ suâ ante tabescere quàm me reficere. Quem, nisi Dominum, qui promissa non aufert, sed differt? Exhibebit profectò, exhibebit, quia multa iam exhibuit: & nihil de Dei veritate formidare deberemus, etiamsi nihil adhuc exhiberet. Idoneus promissor est, fidelis redditor: tu tantùm esto pius exactor. Sustinens, inquit, sustinui Domi-

D num. Et quid ille? An auertit se à te, an sustinentem contempsit, an fortè non vidit? Non planè ita. Sed quid? Et attendit mihi. Et audiuit deprecationem meam. Attendit, & exaudiuit. Ecce non frustra sustinuisti: super te oculi eius, ad te aures eius. Parùm fuit dicere, Attendit mihi, inquit, id est, consolando attendit vt mihi prodesset. Et quid tibi præstitit? quid tibi fecit? Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto limi. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.] En quomodo dirigat Dominus corda nostra in dilectionem Dei, & expectationem Christi, en quomodo aspera in viasplanas faciat.

E

Augustin. con. 17. in Psal. 118. vlt. med.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 39. post. init.

Deus idoneus promissor, homo sit pius exactor.

ANAGOGIA.

Si quis non vult operari, nec manducet

Alij in silentio manducent panem suum, alij omninò non manducent. Triplex autem panis est: primus naturalis seu materialis: secundus sacramentalis seu supersubstantialis: tertius spiritalis seu intelligibilis.

Quoad primum. Negari non potest, Paulum maximè ad exercitationem, operationemve corporalem non solùm inclinare, sed & propellere, ideoque non solùm manualis laboris tradere disciplinam, sed & seipsum, occupatissimum licet, in formam seu exemplum producere. [Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.] Quid operari? [Operationem hic dicit eam, quæ fit per manus. Planè enim, ait Chrysost. necesse est vt qui est otiosus, & potest operari, sit curiosus: otiosum porrò orare & ieiunare, non est opus manuum. Si quis ergo non vult operari, non manducet. Nam si Paulus cui non erat necesse, sed in cuius erat potestate esse in otio, & tantum opus susceperat, operabatur tamen; & non solùm operabatur, sed die ac nocte operabatur, vt posset etiam aliis opitulari. multò magis alios oporteret hoc facere.] Et dogmaticè locutus est Apostolus, & propheticè. Dogmaticè quidem, quia homine otioso nihil peius, vel certè ad omne malum procliuius. [Multam enim malitiam docuit otiositas.] Idcircò igitur otiosos vitari iubet, tanquam curiosos, inquietos, verbosos, inordinatos, inconditos, incompositos; & si non obediant, si se in ordinem, frugemque meliorem non reducant, notari, excommunicari. Atquin, vt notauit Aquinas. [Non debet fieri excommunicatio, nisi pro aliquo peccato: & hoc est, quando aliquid est per se malum, & contra ordinem iuris naturalis.] An ergo illud naturæ ius, vt quisque laboret propriis manibus, & ea quorum indiget vsus, sibi comparet? Quid ergo faciunt apud nos tot capita nundinatitia, quorum negotium aliud non est, quàm putidum otium? An præsumunt se homines non esse, vel credunt diuites debere esse sicut Gentium idola, quæ manus habent, & non palpant, pedes habent, & non ambulant? Paulus tamen voluntatem potius conuenit quàm facultatem. [Qui non vult operari.] Maximè verò in iis qui graues sunt aliis, nedum inutiles: de ceteris, otium quidem abegit, sed negotium propriæ remisit conscientiæ. Propheticé autem, quia prospiciebat Christianos, maximé verò spirituales viros, hac inurendos notâ, aut pulsandos calumniâ. [Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, ait Tertullianus, & infructosi in negotiis dicimur.] Quasi inde desides Christiani quòd resides: inde otiosi, quod aut solitarij, aut minimè cupidi. Sciebat nonnullos doctrinam tradncturos in allegoriam; & operationem, sed spiritalem non solùm intellecturos, sed & aliis suasuros. Idcircò licet propheticè loquatur Apostolus, non tamen ænigmaticè. [Si enim hoc solùm, ait Augustinus, de hac re dixisset Apostolus, Qui non vult operari, non manducet; possent hæc verba in aliam traduci sententiam. Cum verò multis aliis locis epistolarum suarum quid hinc sentiat: apertissimè doceat, superfluò conantur, & sibi & ceteris caliginem obducere; vt quod illa charitas monet, non solùm facere nolint, sed nec intelligere ipsi, aut ab aliis intelligi velint: non timentes quod scriptum est, Noluit intelligere vt benè ageret.]

Chrysost. orat. 5.

Ecclesi. c. 33.

Aquin. lect. 2.

Christiani cur olim dicti sint infructuosi.

Tertullian. c. 42. Apol.

Augustin. l. de op. mon. cap. 2.

Quoad secundum. Petimus panem nostrum quotidianum, nec satis petitionem, aut votum nostrum capimus. Panem quidem petimus, sed per naturalem aut materialem ad supersubstantialem, per terrestrem ad cœlestem contendimus. [Quia enim carnaliter admittitur ista vox, ait Tertullianus, non sine religione potest fieri & spiritualis disciplinæ Quamquam panem nostrũ quotidianũ da nobis hodie spiritualiter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus & vita panis. Ego sum, inquit, panis vitæ. Tũ quod & corpus eius in pane censetur. Hoc est corpus meum. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.] Quid petimus? Panem non communem, sed peculiarem. [Quod enim nos supersubstantialem exprimimus, ait Hieronymus, in Græco habetur bis ἐπιούσιον: quod verbum septuaginta interpretes περιούσιον frequentissimè transferunt. id est, egregium, præcipuum, peculiarem. Quando ergo petimus, vt peculiarem vel præcipuum nobis Dominus tribuat panem. illum petimus, qui dicit in Euangelio: Ego sum panis viuus: qui de cœlo descendi.] Sed, [Dixerit aliquis (apud Augustinum) non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies quibus puriùs homo continentiusque viuat, quo ad tantum sacramentum digniùs accedat. Qui enim manducauerit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Alius contra: Imò inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi vt medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat quo debet agere pœnitentiam; non vt arbitrio suo cum libet vel auferat se communioni, vel reddat. Ceterùm si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à quotidianâ medicinâ Dominici corporis separare. Rectiùs autem inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à ceteris cibis veneratione singulariter debitâ. Continuò quippe cum dixisset, Iudicium sibi manducat & bibit, addidit vt diceret, Non

Tertullian. l. de orat. c. 6.

Hieronym. in cap. 6. Matth.

Augustin. ep. 118. c. 3.

Eucharistia quomodo & quando sumenda.

diiudicans corpus Domini.] Profectò de tempore moueri quæstio non debet, sed de labore: qui enim laborat, vt dignè accedat, manducet quotidie: qui autem non laborat, nec manducet: tanto enim cibo indignus est, qui otiosus est, resolutus, suique minus officij studiosus. [Quare ergo, ait Ambrosius, in oratione Dominicâ, ait Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Sed si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Accipe quotidie quod quotidie, tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum.] Qui vult operari vt vestem sibi comparet nuptialem, manducet cùm lubet; qui non vult operari, nec manducet: sicut enim qui paratus est, quotidie potest accipere, sic qui non est hodie, cras minus erit: quando igitur manducabit?

Ambros. l. 5 de sacr. cap. 4.

Quoad tertium. Alius denique panis est, spiritalis scilicet & intelligibilis. [Sed aduerte (ex Ambrosio) quibus impartiatur gratiæ cœlestis alimentum. Non otiosis, non in ciuitate, quasi in synagogâ vel seculari dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur à Christo & cum ipsis loquitur Dei verbum, non de secularibus, sed de regno Dei.] Sicut enim Iudæi, non in Ægypto, manna, pane cœli, seu pane angelorum, sed in deserto pasti sunt: sic & sancti, non in turbine ciuitatum, sed in prophetarum solitudine, diuinis instaurantur alimentis, cœlestibus recreantur consolationibus. Petunt fideles omnes hunc panem cœlestem, sed non omnes accipiunt, quia non omnes laborant, vt digni sint accipere: quot enim pigri, quot desidiosi, qui non laborant, adeò vt indigni sint accipere! [Panem nostrum da nobis hodie. Hæc est quarta petitio, quæ contra vitium acediæ opponitur: hic enim petitur panis vitæ ab esurientibus iustitiam. Panis refectio est: Da panem, da refectionem. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Panem nostrum, panem tuum: Tuum, quia das, Nostrum quia accipimus: Tuum, quia à te; Nostrum, quia nobis. A te oritur, ideò tuum: nobis conceditur, ideò nostrum. Tu es enim terra illa viuentium, de quâ oritur panis


Ambros. lib. 6. in Luc. c. 9. post. init.

Augustin. Tract. de sept vit. vlt. med.

vitæ, qui confirmat cor hominis. Idcircò ô terra, da panem, da refectionem, pasce habitatores tuos; si habitamus in te, pascamur ex te. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nolumus vt apud nos manna tuum putrescat: secundum præsentem illuminationem, præbe refectionem: quantum illuminasti, tantum refice: quantum dedisti scire, tantum da diligere. Da panem, da refectionem? verbum tuum, refectio animæ est, pascit enim verbum sicut pascit panis, quoniam ipsum verbum est panis. Da ergo verbum tuum, & reficiat animas nostras. Quid est verbum tuum? Veritas. Mitte veritatem tuam in cor nostrum, vt reficiat nos. Mitte veritatem; & cum veritate charitatem. Clamat anima, ipsa enim est esuriens. Quid est esurire? desiderare. Quid desiderat? panem. Quem panem? veritatem. Hunc panem alia creatura sumere non potest, nisi sola rationalis, propterea ait, Panem nostrum. Ad hunc facti sumus, ad hũc creati sumus, propterea, inquit, Da, quia sic creasti nos, vt sine pane isto nostro non viuamus. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui dedisti initium, præsta incrementum. Da quotidianum ægrotis, quem sempiternum præbiturus es sanis.] Primus panis, naturæ est: secundus, Eucharistiæ: tertius gratiæ: ad illum desideratur operatio manuum: ad istum, sanctificatio animarum: ad hunc verò, continua sanctorum desideriorum exercitatio: vt si quis non aspiret non manducet. [Simus, ait Augustinus, super petram, dirigantur gressus nostri: opus est tamen, adhuc vt ambulemus, vt ad aliquid perueniamus. Nam Paulus Apostolus iam super petram, iam directis pedibus suis, quid dicebat? Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus. Non se diceret extentum, si iam peruenisset. Extenditur enim animus desiderio rei concupitæ, non lætitiâ consecutæ. In ea quæ antè sunt, inquit, extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Currebat, sequebatur ad palmam.] Currebat per gratiam, contendebat ad gloriam: laborabat, anhelabat: & quo magis laborabat, eo maiorem sibi comparabat gratiam: quo maiorem gratiam comparabat, eo insigniorem illustrioremque coronam expectabat.


Anima esurit, dum cupit veritatē charitatemque.

Augustin. Enarrat. in Psal. 39 post. init.




IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM PRIMAM.

ARGVMENTVM.



CVm Paulus Ephesinam Timotheo suo demandasset Ecclesiam, & de discipulo magistrum, de ministro creasset Archiepiscopum, ea scribit quæ ad Episcopos & diaconos ordinandos, quæ ad instituendam ecclesiasticam disciplinam, censuit esse necessaria. Sed enim, ait Chrysostomus, doctrinâ illi opus erat, non eadem quâ discipuli instruebantur, verùm quæ magistro præceptorique congrueret. *Non igitur ad solum Timotheum directa est epistola, iam præceptis imbutum Apostolicis, iam cœlestis conscium conuersationis: sed ad omnes Ecclesiæ Christianæ antistites, vt præesse discant, & sciant regere.* Chrysost. in proœm.





CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

SEpositis fabulis, de lege agit Iudaïcâ, suaque vocatione: & illam bonam, istam dicit esse gratuitam. Sint igitur duæ partes huiusce capitis.

PARS PRIMA.

De lege.

TEXTVS.

PAulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ: Timotheo dilecto filio in fide: Gratia, misericordia, & pax à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro. Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt ad vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem, quia bona est lex, si quis eâ legitimè vtatur: sciens hoc quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

EXEGESIS LITTERALIS.

PRoscribit vanas quæstiones quæ generant lites; legem esse bonam, sed iniustis non iustis decernit impositam: non enim præcepta diuina istos, sed illos grauant onerantue.

[Paulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ, &c.] Auctoritatem conciliat Epistolæ suæ, vt quod constituit præscribitque, vim apud omnes legentes, ex dignitate muneris accipiat [Paulus Apostolus Iesu Christi.] Sic enim ordinauit Deus nostræ auctor salutis: sic & ipse Christus spei nostræ restitutor voluit, cum me ad prædicandum delegauit euangelium. [Patris & filij imperio, ait Com- Comment, Ambros,

A mentarius Ambrosianus, Apostolum se factum ostendit, vt in Deo patre salutem & Christo filio eius spem prædicaret: vt quia nemo negat salutem esse in Deo, nec quisquam dubitaret spem esse in Christo Iesu.] Potest & Deus supponi pro totâ Trinitate, filius verò pro Christo homine, qui spem nostram reparauit, salutem non per legem vindicauit, sed per sanguinem. [Timotheo dilecto filio in fide: Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro, &c.] Dilecto, Græcè γνησίῳ [Germano.] Filio in fide, quòd illum excoluisset in fide, & obsequentissimum inuenisset. Gratia, misericordia, & pax detur, aut multiplicetur à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo. [Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi, cum irem in

Macedoniam

Iudæi vanis potius quâ veritati addicti.

Macedoniam, vt denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide, &c.] Paulus Epheso discedens, vocauit discipulos, quos inter, Timotheum ordinauit Episcopum, cum mandatis, vt intenderet officio iniuncto, doctoresque inutilia & noxia seminantes, genealogiisque infinitis, quæ quæstiones augent, pietatem verò in Deum non promouent, adhærentes suo compesceret imperio. Ita rogauit, ita mandauit; sic & rogat & mandat. Neque enim dixit, vt horteris, (ita Athanas.) vt obsecres, sed vt denunties. Quod sanè austerius est. Neque nomine illos expressit, quibus denuntiaretur, ne obiurgandos peruicaciores efficeret. Erant namque ex Iudæis plerique, qui cum se Apostolos mentirentur, & gloriæ cupiditate dici se præceptores optarent, ad legis veteris obseruationem inducebant discipulos.]

Athanaſ. in Paulum.

[Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt ad vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, &c.] Finis Græcè πλὸς, [Perfectio.] Iam ergo aduersùs illos, qui legem iactabant, & obseruationem præcepti diuini, consummationemque, insulsis propugnabant argumentis. Quomodo igitur lex perficitur? non per vanas illas quæstiones, & aniles fabulas, sed per diuinam dilectionem, seu charitatem illam, quæ ex voluntate purificatâ, ex conscientiâ benè sibi consciâ, & ex fide sincerâ: quas quidem charitatis conditiones cum abiecerint nonnulli, & quasi à proposito scopo defecerint, ad ineptas deflexerunt quæstiunculas, volentes haberi magistri & legisperiti, nec ea tamen quæ proponunt, capientes, nec ea quibus astruunt. [Ambiunt, inquit (apud Chrysostomum) dignitatis titulum atque adeò oculos à veritate detorquent. Hic ergo iam illos arguit imperitiæ, cum nesciant destinationem legis: idcircò profectò, quia charitatem deseruere. Nam cum anima seipsam negotiis carnalibus penitùs dederit, hebetatur acies, ac prorsus obtunditur.] Inde contentionis studia, æmulationis ingenia, quæstiones infructuosæ, propositiones temerariæ. [Scimus autem, quia bona est lex, si quis eâ legitimè vtatur: sciens hoc quia lex iusto non est posita sed iniustis, & non subditis, &c.] Non hoc dicimus in detrimentum legis diuinæ, sed in humanæ corruptionis opprobrium. Scimus quippe legem per se esse bonam, licet exitiosam abutenti, seu iuxta legem finem-ve legis non agenti. Is autem & vsum & scopum percipit legis, qui scit legem non grauare fideles, sed exleges & inobsequentes; non eos premere qui secundùm fidem, sed qui secundùm carnem ambulant; cum illi per gratiam adimpleant legem, isti in transgressionem abeant per concupiscentiam. [Impiis.] Qui debitam non præstant Deo vero reuerentiam. [Peccatoribus.] Qui enormioribus conscientiam conspurcant facinoribus. [Sceleratis.] Nefariis. [Contaminatis.] Impuris profanisque.

Chrysoſt. Hom. 2.

Lex per se bona, licet malis sit exitiosa seu nō bona.

[Parricidis.] Qui patrem impetunt. [Matricidis.] Qui matrem. [Homicidis.] Qui proximum seu hominem interficiunt. [Fornicariis.] Carni extra rem ius-ve matrimonij commixtis. [Masculorum concubitoribus.] Carni alteri extra rem fasque naturæ copulatis. [Plagiariis.] Furibus hominum. [Mendacibus] Perniciosè mentientibus. [Periuris.] Falso implicatis iuramento. [Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.] Et in vniuersum, quicquid aduersum & contrarium est incorruptæ doctrinæ, quæ consentanea est Euangelio, mihi quidem commisso, sed ad laudem gloriosi ac beati Dei prædicato. [Ostendit, (ait Aquinas,) quod Euangelium communicat sanam doctrinam: quod tripliciter describit. Et primo à fine, cum dicit, Gloriæ: secundò, ab auctore gloriæ, cum dicit, Beati Dei: tertiò à ministro, cum dicit, Quod creditum est mihi.]

Aquin. lect. 3.

ANIMADVERSIONES *analyticæ.*

TOtus hic tractus in partes suas resoluendus est, ne aut textus confundatur per cohærentiam, vel sensus dilabatur per incuriam. Quicquid enim heic est, altè personat, nec tam inquisitionem postulat quàm animaduersionem, quæ aut lites dissoluat, aut mores instruat.

ANIMADVERSIO PRIMA.

De salutatione.

SAlutat, optatque, sed quis, cui, & quid? Tria enim hæc specialiter in hac inscriptione expendenda sunt, vtpote præ ceteris salutationibus præfationibus-ve eximia.

Quoad 1. Paulus est, & Paulus Apostolus Iesu Christi. Sed quomodo? Secundùm imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ. Omnia hæc innuunt aliquid, indicere volunt aliquid. Paulus, nomen est proprium; Apostolatus, iniunctum est officium: sed nomen præit officio, quasi & ipsum sit pro oraculo. De Agnete Ambrosius: [Mihi, inquit, videtur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quod indicauit quid esset futura.] Paulus, non tam ex nomine, quàm ex omine. [In Apostolatu enim, vti notat Aquinas, duo sunt, scilicet altitudo potestatis, ad quam exaltantur humiles, & Paulus dicitur modicus. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. 1. Reg. 15 Item claritas sapientiæ, & hanc Dominus præbet paruulis. Matth. 11. Reuelasti ea paruulis. Vnde ex origine huius auctoritatis, dicit, Iesu Christi.] Talis enim est, qui à Christo Iesu missus est, humilis scilicet in exaltatione suâ, nec donatâ inflatus sapientiâ. Cur verò Apostolus secundùm imperium? Vox & maiestatem spirat, & seruat humilitatem. [Magna erat profectò Apostoli dignitas, ait Chrysostomus, magna

Ambroſ. l. 1. de virg. post init.

Aquin. lect. 1.

Chryſoſt. Hom. 1.

atque mirabilis, & vbique cernimus Paulum dignitatis suæ adiicientem causas; non quasi sibimet vsurpet honorem, sed velut traditum necessariò exercere cogatur: nam cum dicat seipsum vocatum, ac per voluntatem Dei: & rursum alio in loco, Necessitas mihi incumbit, cumque se in hoc segregatum asseueret, ista profectò omnia ambitionem omnem excludunt, omnemque iactantiam. Nam quemadmodum is qui non sibi traditum à Deo honorem vsurpare præsumit, culpari dignissimus est: ita & qui traditum sibi repellere, & à se arcere molitur, aliorum est criminum reus, infidelitatis scilicet atque inobedientiæ. Hoc igitur in principio epistolæ ad Timotheum ostendit Paulus, sic dicens: Paulus Apostolus Iesu Christi secundùm imperium Dei. Non dixit hic, Paulus vocatus Apostolus, sed secundùm imperium Dei. Quod enim ait, secundum imperium, maioris longè efficaciæ esse videtur, quàm cum dicit vocatus.]

Paulus ad officium vocatus per imperium.

Quoad secundum. Multos habuit discipulos Paulus, sed non omnes veros & germanos, imò paucissimos sui similes inuenit. Vnde ad Philippenses. [Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos. Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincerâ affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. Experimentum eius cognoscite, quia sicut patri filius, mecum seruiuit in Euangelio.] Quid est, tam sincerâ affectione? Ex Græco, [Tam germanè.] Vnde & heic, Timotheo charissimo. γνησίῳ, germano, vero, non adulterino. [Germanum verò filium in fide idcircò addidit, vt diligentissimam, ait Chrysostomus, ipsius ad se similitudinem vltra cæteros ponderet, & charitatem quam erga illum habebat, ac vehementem prorsus affectum. Germano filio in fide. Inspice laudis eminentiam, quemadmodum ipsum non modò filium, verum etiam germanum filium dixit.] Dignus tanto patre filius, tanto doctore discipulus. [Attestatur enim & Lucas, in Actibus Apostolorum, mirabilis eum fuisse indolis iuuenem, cui à fratribus qui Lystris, atque Iconij morarentur, testimonium perhibebatur probitatis atque virtutis; qui vnà & discipulus fuit, & magister euasit: atque adeò prudentiâ, sapientiaque præclarus, vt cum audiret Paulum absque circumcisione prædicantem, comperissetque, vt ille obstiterat Petro eius rei gratiâ, eligeret non modò contrarium nihil prædicare, verùm id etiam pati. Circumcidit enim eum, inquit, in eiusmodi ætate, atque ita illi omne protinus ministerium credidit. Adeò verò erat virtutis excellens insigne, vt neque adolescentia ipsa impedimento esset: idcircò etiam scribens, ait inter cetera: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Vbi enim virtutis certa argumenta præluxerint, omnia quadrant, nihilque impedimento esse poterit.] Vbique ferè Timothei occasionem laudandi captat Paulus, adeò virtutem eius pietatemque æstimat: sed omnia vincit, cum ait, Germano filio. [Hoc enim, (ait & ille) plenum consolationis est:

Philip. cap. 2.

Chrysost. Hom 1.

Chrysost. in proœm.

Quantus fuerit Timotheus & quantum à Paulo æstimatus.

Chrysost. Hom. 1.

A nam si tantum fidei ostenderat, vt Pauli filius fieret: neque id simpliciter, sed Germanus filius, futurorum quoque maximam fiduciam capit.

Quoad tertium. Vbique gratiæ & pacis, salutando meminit Apostolus, misericordiæ, nullibi, nisi in istâ, & in alterâ ad Timotheum epistolâ. [Cæteræ omnes, vt obseruat Augustinus, quæ nullâ dubitante Ecclesiâ Pauli Apostoli esse firmantur, talem continent salutationem, nisi quod ad Timotheum in vtraque interponit misericordiam. Nam ita scribit: Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Iesu Christo Domino nostro. Quò enim familiariùs, eò dulciùs quodammodo scribens
B ad Timotheum, id verbum interposuit, quo planè aperitur atque ostenditur, non meritis operum priorum, sed secundùm misericordiam Dei nobis dari Spiritum sanctum, vt & peccatorum abolitio fiat, quibus seiungebamur à Deo, & reconciliatio, vt illi inhæreamus.] Vult Augustinus, in omni salutatione Apostolicâ mentionem fieri indiuiduæ Trinitatis. [Quòd enim, ait, Apostolus gratiam & pacem à Deo patre & Domino Iesu Christo dicit, non adiungens etiam Spiritum sanctum:
C non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei, Spiritum sanctum intelligamus. Gratia verò & pax, quid aliud est quàm donum Dei? Vnde nullo modo dari hominibus gratia potest quâ liberamur à peccatis: & pax quâ reconciliamur Deo, nisi in Spiritu sancto. Et ideò ipsa Trinitas pariterque incommutabilis vnitas in istâ salutatione cognoscitur.] Quid si gratia patri, misericordia filio, & pax Spiritui sancto referenda sit? Gratia, per quam nos saluauit pater: [Secundùm imperium Dei Saluatoris nostri.] Misericordia, quâ filius visitauit nos ex alto, spem nostram instaurauit. [Et Christi Iesu spei nostræ.] Pax,
D qua Spiritus sanctus nos reconciliauit patri & filio, dum suomet symbolo, id est, amoris vinculo colligauit. Non solùm communia sunt attributa ista, sed sunt etiam reciproca, & quod vnus facit, facit & alius. [Pater enim, vti dixit Chrysostomus, nusquam Paulo hoc imperasse deprehenditur, sed vbique Christus ipsum alloquitur, dicens: Vade, quoniam ego in gentes longè emittam te. Sed profectò quæcumque filius præcepit, hæc patris esse imperia dicit: quemadmodum & quæ spiritus iubet, & ad filium quoque referuntur. Quid igitur? Nunquid filij imminuit potestatem, dum se Apostolum eius, & secundùm impe-
E rium patris mitti asseuerat? Nequaquam. Vide namque vt ipsam potestatem patris ac filij dixerit esse communem: nam cum dixisset, Secundùm imperium Dei Saluatoris nostri: protinus addidit, Et Christi spei nostræ.] Et pater saluator est, idemque filius: ab vtroque gratia & misericordia: nec pax secernenda est, nec Spiritus sanctus secludendus.

Augustin. exposit inch. in Epist. ad Rom cit. med.

Augustin. Ibidem.

Chrysost. Hom. 1.

Attributa diuinitatis communia & reciproca.

ANIMADVERSIO SECVNDA.

De Ordinatione.

ROgat Timotheum vt Ephesi remaneat. Quid remanere? Ad quid remanere? Et quibus? [Vt denuntiaret quibusdam, ne aliter docerent.]

Quoad primum. Tria supponenda sunt. Primum est, Timotheum a Paulo ordinatum fuisse Ephesinæ Ecclesiæ episcopum. [Ex Apostoli Pauli sermonibus (ita apud Eusebium) colligere possumus, permultos esse, quos ille nunc adiutores, nunc commilitones, nunc etiam concaptiuos & conlaborantes in Euangelio, & comites nominat. Sed & Lucas in Actibus Apostolorum; plurimos eius socios memorat, & participes prædicationis, sicut Timothei meminit & Titi, quorum alter in Epheso episcopus, alter ordinandis apud Cretam Ecclesiis, ab eo præficitur.] Secundum, præfectum Epheso fuisse ab Apostolo, cum ipse digrederetur, proficisceretur que in Macedoniam. Ita in Actibus, sedato Ephesino tumultu. [Vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam.] Facta quippe ordinatio illa in cœtu fratrum, conuocatis nimirum discipulis, senioribusque assidentibus. Vnde & ipse Paulus. [Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.] Tertium, per illam ordinationem, addictum fuisse Ephesinæ Ecclesiæ, adeo vt cum liber esset priùs proficiscendi quò vellet & euangelizandi, deinceps adstrictus esset illi ciuitati cui destinatus esset. Ita episcopi non iam à loco in quo nati sunt, sed in quo sunt obligati, nominari solent in concilijs, & ex litteris pronuntiari. Sic apud Cyprianum. [Cæcilius à Bilta] & [Polycarpus ab Adrumeto] & ipse. [Cyprianus à Carthagine.] Sic ergo capiendus est Paulus, cum ait: [Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam.] Id est, vt curam præfecturam-ue illius Ecclesiæ susciperes, & ibi deinceps resideres, sicut in propriâ sede, sicut in destinatâ ciuitate. [Quæritur autem (ait Athanas.) Vtrum Ephesi Timotheum Paulus destinasset, vt ibidem maneret? Ita quidem. Quod vtique ex sequentibus patet.] Remanere ergo, est residere, residere est sedem tanquam propriam ad docendum ac regendum suscipere, episcopatum inire, officium gerere. Ad sedendum enim consistendum-ve vocatus est episcopus, tamque ad permanendum obstrictus, quàm ad gerendum officium.

Euseb. lib. 3. Hist. Eccles. cap. 4.

Actuum. cap. 20.

1. Timoth. cap. 4.

Cypri'an. in con. Carth.

Athanas. in Paulum.

Remanere, est residere & officium suū gerere.

Quoad secundum. Ad quid Timotheus remaneat, indicat Apostolus: [Vt denuntiaret.] In quo tria notanda sunt. Primum est, verbum auctoritatis esse, nedum dignitatis. Vnde verti potest, [Vt præciperes.] Vt ageres cum omni imperio. [Vide quid ait (verba Chrysostomi) Vt denuntiares quibusdam: non vt orares, sed vt denuntiares. Quemadmodum & ipse scribens ait, Argue eos cum omni imperio.] Alterum est denuntiationem eos spe-

Chrysost. Hom. 1.

A ctare, qui illius curę commissi erant, seu præfecturę subditi. Ita & ipse Paulus: [Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis?] Tertium, auctoritatem episcopalem esse quidem generalem, sed ad doctrinam in integritate ac puritate suâ conseruandam debere esse specialiter peruigilem. Apud Eusebium. [Si qui constantes in fide, & æmulatores verbi Dei reperti sunt, etiam regendas Ecclesias quas Apostoli fundauerunt, susceperunt.] Sicut enim fides, Ecclesiæ fundamentum est, sic & sana doctrina, firma fidei tutela est: quâ corruptâ, necesse est mores infici, pietatem labi, charitatem euerti. B Sicut ergo data est cathedra, seu cathedralis Ecclesia episcopo ad docendum, sic & præcipua singularisque episcopi cura debet esse, vt incorrupta seruetur doctrina, id est, ne aliter prædicetur. [Rogaui te vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam: vt denuntiares quibusdam, ne aliter docerent] Ne aliam diuersam ve doctrinam inducerent. Et id maximè rogat Apostolus. Quanquam enim instantia illa referri possit ad flectendum Timotheum, ægrè munus episcopi aggressum, ideò & rogandum sollicitandumque: magis tamen impositum spectat officium quàm imponendum, &, vt dixit Ambros. [Obsecrat Episcopus coëpiscopum suum.] Quamuis enim imperare posset, vt pater filio, vt magister discipulo; C affectum tamen tenuit charitatis, & exemplum humilitatis præbuit. [Audi, inquit Chrysostomus, quàm grate, quàm placidè, quomodo non magistri vtitur voce, sed supplicis fermè. Neque enim dicit, Præcepi, neque iussi, neque admonui: Sed quid? Quemadmodum, inquit, oraui te.] Sicut rogaui, nunc iterum rogo: sicut obsecraui, rursum obsecro.

1. Corinth. cap. 15.

Euseb. lib. 3. cap. 4.

Sana doctrina maximè ab episcopo præstruāda.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. Hom 1.

Quoad tertium. Nullus negat, Iudæos punsgi, factos iam Christianos: sed vt id pateat euidentiùs, tria sunt obseruanda. Primum est, Iudæos fuisse magisterii cupidissimos. Ita Iacobus, Duodecim tribubus quę sunt in dispersione. D [Nolite plures magistri fieri, fratres mei.] Id enim ambiebant Iudæi, gaudebantque salutari Rabbi. [Amant primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.] Ita passim se illi ingerebant ad docendum, titulumque doctoris præsumebant seu præceptoris. Secundum, magistros istos, fabulis addictos & genealogiis [Fabulas, ait Ambros. narrare consueti sunt Iudæi de generatione suarum originum, de Abraham, & Isaac, & ceteris patriarchis, & de circumcisione, & his quæ postea tradita sunt à Moyse.] Sub hoc enim obtentu, suas intrudebant nænias, seu aniles fabulas. E [Scilicet (ait Aquinas) quod Adam habuit aliam vxorem, ex quâ dicunt natos dæmones.] Tertium, factos etiam Christianos, semper certa quadam æmulatione, & importunâ contentione lites intendisse, quæstiones in gratiam legis ac circumcisionis mouisse, sicque veram infregisse gratiam saluatoris. [Iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.] Quinam illi qui ex contentione? Iudæi nimirum, maximè magistelli. [Si autem tu Iudæus

Iacobi cap 3.

Matth. cap. 23.

Ambros. in Paulum.

Aquin. lect. 2.

Roman. c. 2.

cognominaris, confidis teipsum esse ducem cæcorum, eruditorem insipientium, magistrum infantium.] Non minùs contentiosum huiusce gentis ingenium quàm liuidum, zelo sed amaro percitum, in quæstiones pronum, in factiones promptissimum. [Erant igitur in eâ ciuitate, ait Chrysostomus, ex Iudæis quidam falsi Apostoli, qui fideles rursus ad legem conabantur attrahere, quod ferè in omnibus epistolis pro crimine illis obiicit. Faciebant autem hoc, non quasi conscientiâ impulsi, sed inani gloriâ inducti, quòd vellent hinc habere discipulos, atque aduersùs beatum Paulum contenderent, zeloque ac liuore ducerentur: & hoc est quod ait, Vt denuntiares quibusdam non aliter docere, Neque intendere fabulis & genealogiis interminatis. Quid est, interminatis? Finem scilicet nullum, nullamque vtilitatem habentibus aut perceptu difficilibus. Non enim hic legẽ significare voluit, absit: sed falsas traditiones, perniciosaque dogmata. Quippe ex hoc colligitur plerosq; ex Iudæis in his quæ inutilia sunt, sermonem omnem consumere solitos, auos & proauos dinumerantes, vt scilicet peritiæ multæ atque scientiæ opinionem conquirerent. Sed quæ fides peragit atque ædificat, ea quæstio prorsus euertit. Cur id quæso? quia inquirendi nullum finem facit, & fidem prorsus eliminat. Vbi enim fides, nulla quæstionis necessitas est: nam qui quærit, nondum inuenit.]

Chrysost. Hom. 1.

Iudæi etiam Christiani plusculum fabulis & genealogiis dediti.

ANIMADVERSIO TERTIA.

De charitate.

NVlla secta, religio nulla, nulla professio quæ fidem, spem, & charitatem non prætendat, vel præsumat: cum necesse sit ei credere qui sectam condidit, ea sperare quæ promisit, & ipsum diligere qui exsoluit: sed tales sunt illæ virtutes, qualis religio, cuius sunt virtutes: idcircò, si religio carnalis est, qualis Iudaïca, sunt etiam carnales, sperat enim Iudæus à Deo temporalia seu sensibilia & carnalia, & propter illa Deum ipsum amat: credit primæ veritati, cofidit supremæ bonitati, sed non propter ipsam veritatem, nec propter summam bonitatem: vtilitati studet & humanitati: humana omnia, omnia carnalia. Si autem religio falsa est, vt ethnica, tam falsæ sunt omnes illæ virtutes quàm & nullæ: ethnicus enim dæmoniis immolat, & non Deo; idcircò veritati non auscultat, sed mendacio; nihil à Deo sperat, sed à diabolo, quem & eo modo colit quo diligit. Sola ergo religio Christiana, quæ vera, veram etiam fidem habet, spem veram, veram charitatem. Nec enim falsæ vel etiam humanæ, sed diuinæ; nec temporalibus & terrenis studet, sed æternis ac cœlestibus: & quod summũ caput optimæ ac perfectæ religionis est Deũ propter Deũ colit ac diligit: sic enim optimè colit, dum perfectè diligit. [Finis autẽ præcepti est charitas.] Quid, præcepti? Legis scilicet religionisque, quæ non solùm cultum instituit legitimum, sed & præcipit. Quid verò, finis? Perfectio, impletio, consummatio. [Plenitudo legis est dilectio.] In tantum enim Dei legem custodit quis, aut sermonem Dei facit, in quantum diligit: & si multum diligit, totum perficit. [Idcircò & Paulus, (apud Chrysostomum) cum dixisset, Vt denuntiares quibusdam non aliter docere: modum etiam suggerit quo id fieri possit. Quinam verò est hic? Charitas. Quemadmodum denique dixit, Finis legis Christus, hoc est impletio: ita & præceptum istud charitati coniungitur, atque ex eâ dependet.] Quid ergo, Finis præcepti est charitas? [Quoniam, ait Commentarius Ambrosianus, omnium maior est charitas, hanc finem esse dixit Apostolus, id est, perfectionis consummationem omnium præceptorum.] Finis est Græcè τέλος, plenitudo legis, perfectio religionis ac consummatio: colit enim quis quod diligit: & eo colit melius, quo perfectiùs diligit.

Qualis est religio, tales sunt & eius virtutes.

Roman. cap. 13.

Chrysost. Hom. 2.

Comment. Athanas.

Vt autem etiam apud Christianos vera charitas secernatur à falsâ, propriisque inscribatur notis, tres Apostolus apponit illius conditiones. Prima est, vt sit, [De corde puro.] Tum, [Et conscientiâ purâ.] Postremò, [Et fide non fictâ.] Sincera & minimè simulatâ. [Virtutes enim Theologicæ, vti edisserit Aquinas, vltimum finem habent pro obiecto. Aliæ autem sunt circa ea, quæ sunt ad finem. Virtutes ergo omnes respiciunt theologicas, sicut finem. Inter theologicas verò, illa plus habet de ratione finis, quæ propiùs se habet ad vltimum finem. Fides autem ostendit eum, spes facit tendere in eum, charitas vnit: ergo omnes ordinantur ad charitatem. Quia verò ea quæ sunt ad finem, disponunt ad finem: præcepta autem sunt ad charitatem, ideo disponunt ad eam. Inde dicit Apostolus, De corde puro. Ad hoc enim quòd sit purum, dantur præcepta virtutum, quarum quædam ordinantur ad modum rectificandi passiones; quarum scilicet virtutum materiæ sunt passiones: sicut temperantia quæ ordinat concupiscentiam: mansuetudo, iras: fortitudo, timores, & audacias. Per has autem passiones turbatur puritas cordis. Et ideo istæ virtutes faciunt cor purum. Impossibile est autem quòd cor impurum sit promptum ad charitatem, quia vnicuique est diligibile quod sibi est conforme. Cor impurum diligit illud, quod competit ei secundùm passionem, ergo necesse est quod sit expeditum à passionibus. Cant 1. Recti diligunt te. Qui autem non habuerit conscientiam bonam non potest purè Deum diligere: quia qui non habet conscientiam bonam, timet pœnam. Timor autem non est in charitate sed fugit Deum & non vnitur ei. Vnde dicit, Ex conscientiâ bonâ. Et qui non habent veram fidem, non possunt Deum diligere: quia qui falsa credit de Deo, iam non diligit Deum: non enim diligit qui non credit: quia non figitur affectus, nisi in illo quod ostendit intellectus, & ideò dicit, Et fide non fictâ, id est verâ.] Dicis, Christiane, te Deum diligere, sicut decet, sicut oportet: sed nescio si verum dicis. Primò enim si diligis ex eâ notitiâ, quam natura suggerit, aut efficit Philosophia, nihil facis. Ex fide diligendum est, & ex fide verâ seu non fictâ: non enim simulatè credendum

Aquin. lect. 2.

Tres notæ, germanæ charitatis indicatæ.

est, sed finere: secundo si diligis ad adipiscendū bonum temporale: amor ille non tam Dei est, quàm mundi: idcircò immundam facit conscientiam, dum sordibus adulterini amoris inficit. Tertiò denique, si Deum colis, ad auertendum malum corporale, nondum tutam geris conscientiam, quia necdum bonam. [De corde puro, & conscientiâ bonâ.] Nam, vt dixit Ambros. [Vera charitas, non potest malam vitam agere, nec simulatam fidem habere, in quibus omnis lex impletur & Prophetæ.]

Ambros in Paulum.

Porrò, fide verâ, & charitate sublatâ, tam vani sunt homines, quàm magistri inutiles fiunt & exitiosi. [A quibus aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium: volentes esse legis doctores: non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.] Vbi enim nec veritas est, nec charitas; ibi vanitas, & cupiditas. [Fides enim, vti dixit Chrysostomus, quod verum est, indicat, & ex sincerâ fide charitas gignitur. A quibus, inquit, aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium. Rectè ait, aberrantes. Quippe arte opus est, ne quis incassum iacula dirigat, neue extra signum sagittas intorqueat, vt necessariò opus sit spiritûs gratiâ. Sunt enim plurima, quæ à recto itinere nostros frustrentur conatus, cum ad vnum signum intentio tota dirigenda sit. Ambiunt, inquit, dignitatis titulos, atque ideo oculos à veritate detorquent. Nempe enim is, qui aliquâ huiusmodi rerum temporalium concupiscētiâ detinetur, eiusmodi vitio ebrius, nequaquam de veritate integrum atque illibatum valet proferre iudicium.] Omnis auerruncanda est cupiditas, & ipsa spiritalis charitas firmanda. [Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur. Amor mundi, amor huius seculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrenetur, charitas excitetur. Ipsa enim charitas benè operantis, dat ei spem bonæ conscientiæ. Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Finis ergo præcepti est charitas, dixit. Quid est finis præcepti? Quo perficiuntur præcepta, non quo consumantur. Non ergo hîc finem præcepti dixit, quo quasi pereant præcepta: sed quo perficiantur, & consummentur, non consumantur. Finis itaque propter tria illa, Finis, inquit præcepti est charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Pro spe autem bonam conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; & vt habeat bonam conscientiam, credat & operetur.] Primò igitur credat, fidemque suam non verbis, sed factis ostendat: tum cor suum emundet ab omni concupiscentiâ seculi, postremò bonis operibus vacet ac Christianis virtutibus: tamque de verâ charitate certus erit, quàm de æternâ felicitate securus.

Chrysost. Hom. 2.

Augustin. Præfat. in Psal. 31. vlt. med.

Bona conscientia spe firma subnixa est.

A

ANIMADVERSIO QVARTA.

De lege.

Illi qui volebant esse legis doctores, legem extollebant supra modum, & inde deprimebant Saluatorem: illi verò qui veri erant nomodidascali, Saluatorem efferebant iuxtà modulum, & inde legem redigebant in ordinem. [Scimus autem quia bona est lex, si quis eâ legitimè vtatur, certum habens hoc, quod iusto lex non est posita, sed iniustis & inobsequentibus: & si quid est aliud quod sanæ doctrinæ aduersetur. Bonam ergo esse legem quæ per Moysen data est, non negat; ita tamen vt sensus eius sciatur, & quomodo data est accipiatur.] Bonam esse legem quis negat, imò quis dubitat; vtpote ab optimo Deo datam, & vtilia, imò & honesta præcipientem bona: sed interest scire primò, Quomodo eâ legitimè vtendum sit: secundò, quomodo iustis sit posita, non iniustis: tertiò, quomodo malum sanæ sit doctrinæ contrarium.

Comment. Ambros.

B

Quoad primum. Crepabant illi legem, nec tamen obseruabant legem, quia & sensum eius & vsum ignorabant. [Bona est lex.] Imò optima, cum optimis præceptis instructa sit, quæ quis fecerit, viuet in eis, & iustitiam obtinebit & vitam. [Factores legis iustificabuntur.] Adeò igitur bona, vt si seruaueris, summum consequaris bonum. Vnde Christus. [Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.] Et alteri. [Hoc fac, & viues.] Benè igitur ille legem laudat, qui bonam proclamat, & ad vitam consequendam vtilem. Sed qui dicit vtilem, vsum eius requirit legitimum: nam si quis eum præterit, iam non vsus legis est, sed abusus; nec obseruatio, sed deprauatio. Scimus ergo & concedimus omnes, legem esse bonam, sed non omnes bonum eius vsum norunt; imò qui sunt magistri in Israël, nondum illum capiunt. Vsum nosti? Bona tibi lex est. Et si non nosti, etiam bona est, sed tibi non est. [Quòd si enim eâ minùs legitimè vtatur, ait Chrysostomus, non idcirco bona non est, sicut quoque bona erit. Verùm quod ait, huiusmodi est: laudat eam ex operibus. Id quippe significat, Si quis eâ legitimè vtatur. Sunt enim qui hac minimè vtantur legitimè. Siquidem tunc eâ legitimè vtitur quispiam, cum illam transmittit ad Christum. Tota enim legis intentio, omniaque illa sacramenta carnalia, ac figuræ omnes Christum loquuntur, Christum nobis insinuant: enimuerò cum legis destinatio sit iustificare hominem, neque id possit; ad eum transmittere studet, qui potest.] Quid lex? pædagogus noster ad Christum. Ergo vsus eius non est iustificare, sed docere, & ad eum ducere medicum, qui sanet ac iustificet. Ipse enim finis est legis, dum quod lex docet, adimplet in nobis. [Vtitur ergo legitimè, ait Augustinus, qui intelligens quare sit data, per eius comminationem confugit ad gratiam liberantem.] Bona ergo lex, sed, [Si quis eâ legitimè vtatur.] Græcè νομίμως. Si quis vtatur lege iuxtà legem. Sic enim vsi sunt

C

Rom. cap. 2. Matth. c. 19 Luc. cap. 10

D

Chrysost. Hom. 2.

Legis vtilitas in medico infirmitatis demōstrando.

E

Augustin. epist. 44. cit. med.

antiqui scieruntque legem in eo vtilem, vt Christum indicaret, & se non per seipsam, sed per illius fidem demonstraret adimplendam. [Si enim & illi, id est, patres portare iugum legis veteris non valentes, per gratiam Domini Iesu saluos se fieri crediderunt: manifestum est quòd hæc gratia etiam antiquos iustos viuere fecit ex fide, Iustus enim ex fide viuit. Lex autem subintrauit vt abundaret delictum, vt superabundaret gratia per quam sanaretur delicti abundantia. Danda itaque fuerat lex quæ manifestiùs sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus à seipso se posse esse iustum putaret, & ignorans Dei iustitiam, id est quæ homini ex Deo est, & suam volens constituere, id est quasi suis viribus partam, iustitiæ Dei subiectus non fieret.] Ita Augustinus.

Aug. ep. 157. ii. med.

Quoad secundùm. Nonnulla obseruanda sunt. Primum, Apostolum, legem & fidem opponere solitum: & ideò per legem, disciplinam intelligere diuinâ gratiâ vacuam. Alterum, disciplinam vtilem esse quidem suis institutionibus, sed comminationibus grauem & molestam. [Disciplinam, ait Augustinus, quam Græci appellant παιδείαν, ibi scripturæ nostræ ponere consueuerunt, vbi intelligenda est per molestias eruditio: secundum illud, Quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Hæc quippe apud ecclesiasticas litteras dici assolet disciplina, interpretata de Græco vbi legitur παιδεία. Hoc enim verbum in Græco positum est in Epistolâ ad Hebræos, vbi Latinus interpres ait: omnis enim disciplina ad præsens non gaudij videtur esse, sed tristitiæ.] Tertium, sic de disciplinâ decernendum, quod de medicinâ: nam sicut ista non est sanis, sed infirmis sanandis inuenta, sic & disciplina non viris perfectis, sed pueris regendis corrigendisque instituta. [Medicinæ nempe finis sanitas est (vti dixit Chrysostomus) Itaque cum adest sanitas, curatione multâ nihil opus est. Etiam si adsit charitas, præceptis non est opus: ei enim, qui coronis digna peregerit, ad quid erit vtilis? Ad nihil profectò, quemadmodum & medicus, confecto vulneribus, non sano, neque bonâ valetudine prædito. Lex quippe malis suppliciorum denuntiatrix est, idcirco enim ea imposita est, vt puniat transgressores. Vis, inquit, non timere potestatem? Bonum fac.] Lex ergo iusto non est imposita, sed iniusto: quia terror legis filios non constringit, sed seruos: non premit bonos qui voluntate ducuntur, sed malos qui reprimuntur necessitate. Itaque & ille qui lege vtitur legitimè, scit etiam sibi legem non esse impositam, quia non se sentit terrore legis premi, sed amore duci: scit se iam non puerum obnoxium disciplinæ, sed virum effectum, & gratiæ alumnum: non iam indigere se pædagogo, sed magistro gaudere se & medico: voluntas eius in lege Domini est, non in necessitate obsequii: nec iam oneri sibi lex est, sed decori; nec tormento, sed ornamento. [Ergo, (vt concludam ex Augustino) lex semper est bona, siue obsit inanibus gratiâ, siue prosit plenis gratiâ, semper est bona; sicut sol semper est bonus, siue dolentibus oculis noceat,

Aug. con. 17. in Psal. 118 post. init.

Chrysost. Hom. 2.

Aug. l. 15. 5. Faust. cap. 8.

A siue sanos mulceat. Proindè quod est oculis sanitas ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. Et sicut oculi sani non solis delectatione moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reuerberati in densiores tenebras pellebantur: sic anima per charitatē spiritûs salua facta, non iustitiæ legis mortua dicitur, sed illi reatui & præuaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat. Itaque de illâ vtrumque dicitur, Et bona est lex, si quis eâ legitimè vtatur; & quod sequitur, Sciens hoc, quia iusto lex non est posita, quia non opus habet terrente litterâ, quem delectat ipsa iustitia.]

Non opus habet terrēte littera, quem ipsa delectat iustitia.

B Quoad tertium. Lex imposita est iniustis, Græcè ἀνόμοις, & non subditis Græcè ἀνυποτάκτοις: iis nimirum, qui subiici nolunt legi, qui auctoritati eius non credunt, nec imperium ferunt, nec deferunt obsequium. Itaque lex illa maximè lex factorum est, non sacramentorum aut iudiciorum. [Apostolus enim, vt obseruat Aquinas, videtur loqui de moralibus, quia subdit quod lex posita est propter peccata, & hæc sunt præcepta moralia. Horum verè legitimus vsus est, vt homo non attribuat eis plusquam quod in eis continetur. Data est enim lex vt cognoscatur peccatum: non est ergo in eis spes iustificationis, sed in solâ fide. Roman. 3. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.] Cum ergo sententiam constringit Apostolus, redigitque ad sanam doctrinam, legem intelligit moralem, sed à Christo & Apostolis eius expositam. [Et si quid aliud

Aquin. lect. 2.

C sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.] Vnde illud [Si quid,] Non dubitantis est, sed scelera omnia vno verbo copulantis. [Et si enim, ait Athanas. satis esse quæ dicta sunt videbantur, nihilominùs vt summatim cuncta resumeret, Et si quid aliud, tanquam vniuersalem adiecit.] Lex ergo imposita iis qui amant & faciunt mendacium, iis denique qui aliquid, seu aliud quid tale vel simile incurrunt ac perpetrant. Itaque sanæ aduersatur doctrinæ, quodcumque legi aduersatur morali; non iam quatenus Mosaica, sed quatenus Euangelica est Euangelicæ institutioni, &

Athanas. in Paulum.


D expositioni Apostolicæ congrua. [Quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.] Sicut enim illa sola docet veritatem, sic & sola ad felicitatem promouet: sicut sola gratiam adfert, sic & sola confert gloriam. [Rectè igitur sanæ doctrinæ, inquit, aduersatur: illa enim omnia vitia sunt animæ penitus corruptæ. Euangelium autem gloriæ ipsum ideò vocat, quia etsi præsentia confusione probrisque plena videantur, at futura non eiusmodi sunt: porrò Euangelium futura

Chrysost. Hom. 3.

E non præsentia nuntiat.] Sicut ergo duplex iustitia est, sic & duplex doctrina: humana vna, quæ est ex humanæ rationis placito; altera diuina, quæ est ex diuinæ institutionis beneficio: illa quæ secundùm philosophum, ista quæ secundùm Euangelium: illa quæ ciuiles, seu præsentis seculi efformat virtutes: altera quæ cœlestes seu seculi futuri: illa quæ publicam honestatem, illa quæ veram spirat pietatem. Idcircò illi aduersatur, quicquid humanæ contra-

Duplex doctrina est, vt & duplex iustitia.

rium est conuersationi: isti vero aduersatur, quicquid cœlesti disciplinæ non est consentaneum: & hæc tam vera quam & sana doctrina est, vt quæ sanitatem operetur mentis, & beatitudinis veritatem moduletur.



PARS ALTERA,

DE VOCATIONE.

TEXTVS.



GRatias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui priùs blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula seculorum. Amen. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.

EXEGESIS LITTERALIS.

DEi misericordiam erga se commemorat, bonam Timotheo suo commendat conscientiam: sine quâ, timendum est fidei naufragium.

[Gratias ago ei, qui me confortauit, Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, &c.] Pars ista pendet à primâ: cum enim dixisset creditum sibi Euangelium, resumit & ait, Gratiæ Christo Iesu Domino nostro habendæ sunt, qui me fortem reddidit constantemque Euangelio inter tot aduersa & pericula prædicando, quia fidelem me dispensatorem duxit, dum tanto præfecit ministerio: sed dum gratiam reddit, collatam sibi ostendit misericordiam. [Ostendit, ait Aquinas, quid sibi sit datum in Euangelio: ad hoc enim quòd aliquis sit minister Euangelij, tria requiruntur: primò; quòd sibi committatur; secundò, idoneitas, id est, vt sit fidelis; tertiò, vt sit fortis ad prosequendum: & hæc tria ponit Apostolus ordine retrogrado.] Talis à Christo iudicatus est, quia fidelis factus, dum tanto destinatus officio. [Qui

Aquin. lect. 3.

A priùs blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, &c.] Me posuit Christus, adlegitque in ministerium Apostolicum: me, inquam, qui priùs non solùm maledicus fui, sed & persecutor, & oppressor violentus: sed Deus mei misertus est, quia pauper eram & miser, nesciebam tamen, adeò cœcus eram & incredulus sed qui magnam inuenit miseriam, magnam contulit misericordiam. [Superabundauit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu, &c.] Quo maior indignitas mea, eo amplior diuina benignitas. Incredulus eram, & pro incredulitate fidem B veram indidit; sæuus, & pro sæuitie, Christianam charitatem; quid cum indigno facinore, & munere Apostolico? Sed vicit gratia diuina, & indignum euexit ad ministerium. [Cum multa, ait Athanas. & præclara de Dei misericordiâ disseruisset, vtque pro eius pristinâ pertinaciâ ultima quæque esset tormenta promeritus, Dei tamen in se sit vsus clementiâ: nunc verò ita subiungit, Non modò mei ille est commisertus, quin & germanum, & filium amicum, & cohæredem effecit, adeò illius effusæ accreuit clementiæ gratia.]

Vbi maior miseria, ibi liberalior misericordia.

Athanas. in Paulum.

[Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, &c] An diuina misericordia in me solum constricta est? Vnum dicam tam fide dignum quàm & acceptione: nuntium enim est, tam certum, quàm & faustum. Et hoc est, quod Christus Iesus in terris visus & cum hominibus conuersatus est, vt iuxta nomen suum salutem afferret peccatoribus, fidem perduellibus conferret ac dilectionem: & inter illos omnes, ego peccatorum maximus, ego redemptorum omnium indignissimus. [Quid tam gratum, ait Ambros. tamque iucundum, quàm peccatoribus indulgentiam prædicare? Quis enim sine peccato est, vt hoc munus non cum omni gratiarum actione suscipiat, Deum auctorem huius præferens, & collaudans in Christo? Qui vt hominem peccatis ablueret, de cœlestibus ad terrena descendens, similitudinem carnis peccati accepit: terrenis se admiscuit, vt eum cœlestem efficeret: mori se passus est, vt illum morte erutum paradiso redderet immortalem.] Dignum quod audiatur, dignum quod & suscipiatur. [Sed ideò misericordiam consecutus sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam, &c.] Sed me miserum & indignum per gratiam suam respexit Christus, vt in peccatore omnium indignissimo notam faceret singularem suam longanimitatem perfectamque patientiam, meque exemplar & formam faceret omnibus peccatoribus qui in illum credituri sunt, & æternam vitam recepturi. [Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula seculorum. Amen, &c.] Inde reddenda est gloria illi qui rex est temporum secularium, rerumque omnium temporalium: laudetur in æternitatem omnem honoreturque ille, qui solus est Deus tam immortalis quàm & inuisibilis. Ita fit vt dico, & vt cupio. [Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, &c.] Hoc præceptum, Græcè παραγγελία, [Denuntiatio.] Rogaui te, vt denuntiares quibusdam: & hoc rogo, & præcipio tanquam pater vt denunties, & tuo instes officio, sic non semel de te prædictum est repromissumque. Itaque secundùm illas prophetias super te factas, officium tuum imple, fortiter constanterque insiste, per fidem integram, & concordem fidei conscientiam, quam nonnulli postquam repulerunt, miserum circa fidem passi sunt naufragium. [Ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.] Ex his naufragis est Hymenæus, & Alexander, quos proieci extra Ecclesiæ castra, & exposui Satanæ, vt sciant non blasphemandum, conuitiandnm-ve, [Vides, ait Athanas. quemadmodum velle curiosè admodum diuina scrutari, in blasphemiam cedat.] Hæretici, vt plurimum maledici.

Ambros. Paulum.

Apostolus in exemplū diuinæ propositus clementiæ.

Athanas. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ. in literam.

QVomodo Apostolus primus est peccatorum omnium, cum innumerabiles ante illum fuerint peccatores? Quale naufragium quod passi sunt hæretici?

DISQVISITIO PRIMA.

De Apostolo,

ETiam apud nos irrepserunt fabulæ & genealogiæ interminatæ, eruperuntque ex scripturis malè intellectis, philosophico suffultæ ingenio. [Hinc illæ fabulæ, ait Tertullianus, & genealogiæ interminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer; à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam contestatur caueri oportere.] Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus est Apostolus. [Hic, (Aquinate referente) dicit hæreticus, quòd anima Adæ fuit in Paulo, & transiuit de corpore in corpus. Quasi dicat, Ego primus peccator, quia anima Adæ est anima mea.] Vnde id? Ex priscâ nimirum philosophiâ, imò ex insolitâ insipientiâ. [Quis ille vetus sermo, ait Tertullianus, apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quòd hinc abeuntes eant illuc, & rursus huc veniant & viuant, & dehinc è vitâ abeant: rursus ex mortuis effici viuos? Pythagoricus, vt volūt, quin & diuinus, vt Albinus existimat, aut Mercurij forsitan Ægyptij. Sed nullus sermo diuinus, nisi Dei vnius, quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit. Si verò Samius Sophista Platoni auctor est de animarum recidiuatu reuolubili semper ex alternâ mortuorum atque viuentium suffectione, certè ille Pythagoras, etsi bonus cetera, tamen vt hanc sententiam exstrueret, non turpi modo, verum etiam temerario mendacio incubuit. Teneo plane falsum, antiquitate generosum: quidni falsum, cuius testimonium quoque ex falso est? Quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur vt credam? quomodo mihi persuadebit Æthalidem, & Euphorbum, & Pyrrhum piscatorem, & Hermotimum se retrò antè Pythagoram fuisse, vt persuadeat viuos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peierauit?] Hæ nimirum sunt philosophorum, & exinde hæreticorum fabulæ, & genealogiæ interminatæ, quæ vaniloquium seminant, quæstiones, litesque, imò mendacium generant: eædem enim hæreticorum strophæ, sicut & eædem philosophorum materiæ.

Sed si explosa est vanitas fabulæ, nondum tamen asserta est veritas sententiæ.] Quomodo enim erat primus? (ait Augustinus.) Ante illum non fuerunt peccatores tot Iudæi? Antè illum non fuerunt peccatores in genere humano? Antè illum in omnibus hominibus non peccato tenebatur Adam? Non ante illum fuit qui

Tertullian. lib. de præsc. cap. 7.

Aquin. lect. 4.

Tertullian. l. de Anim. cap. 28.

Fabulæ de animarum recidiuatu à philosophis subornatæ.

Augustin. ser. 7. de ver. Apost. c. 5.

qui primus peccauit, & nos omnes in mortem præcipitauit? Quid est, Quorũ primus ego sum, An, ad quos venit, primus ego sum? Sed nec hoc verum est. Primus electus est Petrus: primus Andreas, primi alij Apostoli. Tu Apostolus es nouissimus: quomodo dicis, Quorum primus ego sum? Ergo Apostolus nouissimus, primus peccator. Et quomodo primus peccator? Ante te peccauit Petrus, quando ipsum Dominum ter negauit. Nolo dicere, quia & ipse nisi peccator inuentus esset, de sinistrâ ad dexteram non transisset.] Pastor enim ille aberrauit, sicut ouis quæ periit; sed à summo pastore inuentus, & ad dexteram, id est in gratiam restitutus. Sed & Paulus de tribu Benjamin, filius dexteræ est, & particeps gratiæ. [Quid est ergo, ait ille, Quorum primus ego sum? Quia omnibus peior sum. Ergo pejorem voluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicumque vult ædificare, quid dicit? Quis est primus structor? Quis est primus faber? Aut si curari vult, quis est hîc primus medicus? Non vtique interrogat quis prior sit ætate, aut quis prior sit professione: sed quis prior sit arte. Quomodo illi in arte primi, sic iste in iniquitate primus. Quare autem Paulus in iniquitate primus? Recolite Saulum, & inuenietis. Attenditis Paulum, obliti estis Saulum: attenditis ad pastorem, obliti estis lupum. Nonne ille est cui ad lapidandum Stephanum manus vna non sufficiebat, sed & aliorum vestimenta seruabat? Nonne ipse est qui Ecclesiam vbique persequebatur? Nonne ipse est qui litteras acceperat à principibus sacerdotum? quia parum illi erat persequi Christianos qui erant in Hierusalem: sed volebat ad alia loca venire vbi eos inueniret, & ligaret & puniendos adduceret? Ipse est ergo qui primus erat persecutor, illo peior non fuit.]

Augustin. cap 6.

Qui prior arte, non sæpe prior est ætate.

Verùm aliud est dicere quid fuerit Saulus, & aliud quid sit Paulus: illud enim dicere est quod fuerit persecutor atrocissimus, id verò quod sit eximius prædicator. Secernit ipse Apostolus tempora, dum seponit, non supponit merita. [Qui priùs blasphemus fui & persecutor & contumeliosus.] En quid fuerit. Cum verò ait, Quorum primus ego sum, quid sit dicit, non quid fuerit. Et quidem quòd peccator fuerit, quod persecutor, & ideò primus & eximius peccator, clamat ipse nec excusat. [Primum se dixit, non peccatorum ordine, sed peccati magnitudine. Quomodo dicuntur inter aduocatos, primus est iste, non quia plures annos habet, ex quo causas agit; sed quia ex quo cœpit, cæteros superauit. Dicat ergo Apostolus alio loco, Quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Nemo acrior inter persecutores: ergo nemo prior inter peccatores.] Clamat inquam, nec excusat: quod enim subiungit, aitque: [Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate,] Humanam non eleuat prauitatem, sed diuinam benignitatem commendat. Vt enim misericordia prouocetur, exponenda est miseria: sed ne irritetur iustitia, subticenda est malitia. Ita apud Leonem: [Ob cœcati Iudæi malitiâ suâ, in quod prorupissent facinus, nesciebant. Vnde misericors Dominus Iesus cum etiam interfectores

Augustin. serm. 10. de verb. Apost. cap. 3.

Quomodo misericordia prouocanda, & vitanda iustitia.

Leo ser. 15. de pass. Dom. vlt. med.

A suos vellet suâ morte saluare, pro ignorantiâ sæuientium, de crucis altitudine supplicabat, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.] Certè, vti dixit Augustinus, [Desperatè ægrotat, qui per insaniam medicum cædit. Qualis ergo eius insania, qui medicum occidit? Quanta verò bonitas & potentia medici, qui de sanguine suo insano interfectori suo medicamentum fecit? Neque enim ille qui venerat quærere & saluare quod perierat, pendens sine causâ dicebat, Nesciunt quid faciunt. Insani sunt, medicus sum: sæuiant, patienter fero: cum occiderint, tunc sanabo.] Quid ergo & Paulus? [Misericordiam, inquit, B consecutus sum. Et quare si misericordiam consecutus, exponit causam: vt in me, inquit, ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem. Christus, inquit, (apud Augustinum) daturus veniam conuersis ad se peccatoribus vsque ad inimicos suos, me primò elegit acriorem inimicum, quem cum sanaret, nemo in ceteris desperaret.]

Augustin. ser. 8. de verb. Apost. c. 5.

Augustin. serm 1. de verb. apost. cap. 3.

Quid verò quod Apostolus non solum se fuisse dicit eximium peccatorem seu sæuum persecutorem, sed & esse? [Quorum primus ego sum.] Quomodo primus, & si non serie temporum, peccatorum tamen magnitudine? [Hoc dicit ex humilitate, ait Aquinas. Prouerb. 18. Iustus, prior est accusator sui.] Ita C se dicit minimum Apostolorum, qui non sit dignus vocari Apostolus, quoniam Ecclesiam Dei persecutus sit. Verùm aliud est, Iustum esse accusatorem sui, aliud sui negatorem. Conuersus est Apostolus, iustificatus est, de impio factus pius, iam non Saulus, sed Paulus: id est alius à peccatore seu persecutore. Potest quidem dicere se minimum Apostolorum, qui non sit dignus vocari Apostolus, quia cum præterita reuoluat peccata, indignum se tanto honore pronuntiat: sed aliud est indignum esse honore, aliud dignum esse D morte: aliud fuisse cœcum persecutorem, & aliud adhuc esse primum seu eximium ac pessimum peccatorem. Nec dici potest humilitas vera, vbi nulla est veritas: nec certa pietas est, vbi vera abest humilitas. [Dicendum est ergo (vt & ille concludit) quòd est primus, non quòd inter peccatores maximus, qui tunc erant; sed maximus inter saluatos peccatores: quasi dicat, Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum, scilicet peccatorum saluatorum, Ego sum primus: quod de illis intelligendum, qui præcesserant Apostolum: quia priùs etiam multi alij sunt Ecclesiam persecuti.] Quanti ergo scelesti, quanti flagitiosi, quanti persecutores, E quanti peccatores? Sed Deus pro nobis incarnatus est, & Iesus vocatus, quia saluum fecit populum suum à peccatis eorum: peccatores etiam eximios, iustos effecit, dum fideles reddidit: & in tantùm electos suos saluauit, in quantum illos iustificauit: quos enim iustificauit, illos & glorificauit. At inter illos, Primus ego sum recensendus. [Ideò misericordiam consecutus.] Licet enim ingenti mole peccatorum prægrauatus, maiori tamen beneficiorum dignatione releuatus sum. [Superabundauit gratia Domini nostri cum fide & dilectione quæ est in Christo Iesu.] Primus est igitur,

Aquin. lect. 4.

Aquin. ibid.

Non est humilitas vera, vbi nulla est veritas.

ſed inter peccatores iuſtificatos ſaluatoſque: quia in magnâ miſeriâ maximam ſortitus eſt miſericordiam.

DISQVISITIO SECVNDA.

De naufragio.

Aliud eſt pati naufragium, aliud ſubmergi; nam & Paulus in profundum abreptus eſt, nec tamen ſubmerſus. Equidem, [Velificata ſpiritu Dei, vt Tertullianus dixit, fides nauigat.] Sed ſicut fracto nauigio, poteſt quis euadere in tabulâ, an & fides naufragio facto, poteſt ſalua conſiſtere?

Tertullian. lib. de Idol. cap. 24.

Dicendum eſt primò, fidem in hæreticis non eſſe integram. Nam, [Fides integra ſecura eſt de ſalute.] Sed fides hæreticorum ſecura non eſt de ſalute, non eſt igitur integra. Dixit autem Tertullianus fidem integram, illam nimirum quæ Chriſtiana eſt & Catholica: quaſi ſit alia fides, quæ tamen talis dici non debeat, quia non eſt integra. [Ita (apud illum) Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integræ quidem docendi jus erat.] Quid eſt, nec integrę? decurtatæ, mutilatæ, vt pote hæreticæ, idcircò & monſtroſæ. Integrum eſt, quod vitiatum non eſt, quod ſibi conſtat, nec diſſolutioni proſtat aut corruptioni. Ita Seneca de patre parricidam damnante: [Contentus exilio, Maſſiliæ continuit, & annua illi præſtitit, quanta pręſtare integra ſolebat.] Sed propiùs ad noſtra habes ex Concilio Eliberino. [Peregrè nauigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lauacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum.] Quid eſt lauacrum integrum? peccato aliquo nondum vitiatum. Sicut enim qui candidam veſtem maculant, habent quidem veſtem, ſed ſordidam: ita qui poſt lauacrum peccant, baptiſmum quidem retinent, ſed corruptum, ſeu acceptâ gratiâ deſtitutum. Sicut ergo Catholica fides eſt integra fides, ſic & hæretica minimè eſt integra, ſed læſa, vitiata, minuta, mutilata. Paſſa eſt naufragium, & de naui lapſa, aut ſyrti illiſa; ſicque opes ſuas amiſit; vt qui naufragat, ſeſe exonerat, merceſque ſuas aut perdit aut proiicit. [Regni myſteria fides percipit, (ita Hilarius) Hæc in quibus fuerit proficiet, & incrementis profectûs ſui abundabit: in quibus vero non fuerit, etiam quod habent auferetur ab eis. Ita Dominus damnum legis ex fidei inopiâ declarat, quam fidem Iudæi non habentes, legem quoque ſuam quam habuerant perdiderunt: & ideò perfectum fides Euangelica habet donum, quia ſuſcepta nouis fructibus ditat, repudiata verò etiam veteris ſubſtantiæ opes detrahit.]

Tertullian. lib. de baptiſ. cap. 18.

Tertullian. cap. 1.

Senec. lib. Clement. cap. 15.

Concil. Eliber. can. 38.

Integrum eſt quod ſuis conſtat numeris.

Hilarius can. 13. in Matth. init.

Dicendum ſecundò, non omnes hæreticos fidem omnem perdidiſſe, ſed plurimos, imò ferè omnes, non tam excidiſſe in totum à fide quàm circa fidem pertuliſſe naufragium: non enim ex toto à fide recedunt, ſicut apoſtatæ, ſed ex parte ſuccidunt periculo. [Quemadmodum enim Iudæus, (verba ſunt Auguſtini) cum ad nos venerit vt Chriſtianus fiat, non in eo deſtruimus bona Dei, ſed mala ipſius. Ita etiam cum ad nos venerit ſchiſmaticus vel hæreticus vt catholicus fiat, ſchiſma eius & hæreſim diſſuadendo & deſtruendo reſcindimus: ſacramenta verò Chriſtiana ſi eadem in illo inuenimus, & quicquid aliud veri tenet, abſit vt violemus. Quòd enim Iudæus vnum Deum colendum credit qui fecit cœlum & terram, quòd futurum expectat iudicium, quòd vitam ſperat æternam, quòd de carnis reſurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoſcimus, ſicut credebat, credenda, ſicut tenebat tenenda firmamus.] In fide duo ſunt, obiectum, & medium: & illud quidem fidem facit, iſtud dirigit: illud vnicum eſt, iſtud ſubinde commutatum. Illud eſt, adhærere primæ veritati propter ipſam; iſtud verò, acquieſcere propoſitæ rationi: illud ſpeciem habet formæ, iſtud regulæ ſimilitudinem obtinet. Quoad primum igitur, ſicut nullus credit vt oportet, niſi qui adhæret primæ veritati propter ipſam; ita quiuis adhæret primæ veritati propter ipſam, credit ſicut oportet: ſed multi vnum credunt non alterum, verbi gratia Deum vnum & trinum, filium incarnandum, &c. idque propter ſolam primam veritatem reuelantem manifeſtatam-ue: alterum non credunt, vt filium incarnatum: igitur fidem habent de vno, & non de altero, quaſi & ipſi fidem dimidient. Ita Paulus ad Agrippam. [Credis rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis.] In modico ille perſuaſus eſt fieri Chriſtianus: ſed ſi factus eſſet, non amiſiſſet quod habebat, ſed compleſſet id in quo deficiebat. [Si quid enim recti, ait Auguſtinus, etiam in peruerſis inuenerimus, eorum peruerſitate correctâ illud quod rectum eſt, minimè violamus; vt in vno homine ex ijs quæ vera tenet, etiam falſa emendentur, non ex falſis conuictis etiam vera deſtruantur. Sicut ergo dicitur Iudæo, tene fidem reſurrectionis mortuorum ſicut tenebas, ſed crede iam Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, quod non credebas: Sic etiam hæretico dicitur qui ſacramenta Chriſtiana ſicut in Eccleſiâ Catholicâ traduntur, nullâ ſuâ falſitate immutauit: Tene Chriſtianum baptiſmum in nomine patris & filij & ſpiritûs ſancti, ſicut tenebas; ſed agnoſce Chriſti Eccleſiam toto, ſicut prophetatum eſt, orbe creſcentem, cui ſacrilegâ voce maledicebas. Temporibus Apoſtolorum qui dicebant, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ: quamuis non per impiorum, ſed ſanctorum nomina, ipſi tamen impia ſchiſmata faciebant, hoc ipſorum erat deteſtabile vitium. Quòd verò ſciebant Chriſtum pro ſe eſſe crucifixum, & ſe in eius nomine baptizatos, non erroris eorum, ſed diuini apud eos muneris erat.]

Auguſt lib. de vn. bapt. cont. Petil. cap. 3.

Aliud obiectum fidei, aliud medium.

Act. 26.

Auguſtin. lib. de vn. bapt. cont. Petil. cap. 5.

Dicendum tertiò, Fidem hæreticam non eſſe fidem, ſed iniquam diuiſionem, quæ ad ſalutem non ſit, ſed ad condemnationem. [Quicumque enim vult ſaluus eſſe, antè omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem. Quam niſi quiſque integram, inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit.] Quid ergo fides Catholica? illa quæ integra & inuiolata. [Hæc eſt fides Catholica: quam niſi

Athanaſ. in ſymb.

quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.] Imò, propriè loquendo, alia fides non est, quam Catholica & integra: fides enim integritatem absolutam sonat, non partem aliquam; quæ sit quidem, sed sit ad condemnationem. [Corrige, ait Augustinus, iniquitatem hæretici figmenti, ne perdat te, & noli superbire de veritate Christiani sacramenti, quæ ibi est vt iudicet te. Ego autem absit vt sic detester iniquitatem tuam, vt Christi abnegem veritatem, quàm in te inuenio ad damnationem tuam. Absit vt sic te corrigam, vt illud, vnde te corrigo, destruam, nisi fortè destruere debeo verum quod inuenio in animâ hereticorum, cum Apostolus non destruxerit verum quod inuenit in lapide Paganorum.] Sed aliud est habere veram fidei partem, & aliud habere veram fidem. Sicut enim qui de vno desperat, dicitur amisisse spem, licet illam circa reliqua retineat: sic & qui in vno fidei peccat articulo, dicitur fidem prodidisse, licet credat cetera. Ita Augustinus de Apostolis. [Iam spem, inquit, Christi perdiderant. Non enim dixerunt, speramus eum redempturum: sed, sperabamus quòd esset redempturus Israël. Ipse cum eis erat, & spes illius in illis non erat. Reuocata est fides eorum qui ceciderant, restituta est terra eius.] Nimirum fidei, sicut & spei restituta est integritas, infidelitas reparata. Equidem negare non possumus varia esse media, quibus Deus fidei donum conferat homini, diuersa esse motiua, quibus aliquis ad fidem veniat, & primæ adhæreat veritati. Aliter enim angeli viatores, aliter homines: & inter ipsos homines, aliter Adam, aliter Abraham, aliter Prophetæ, aliter Iob, aliter Apostoli, aliter alij miraculis Apostolorum, aut visionum momentis, subitò etiam & momento conuersi. Sed iam ordinarium, & ferè vnicum medium, quo Deus vtitur ad fidem adultis infundendam, est Ecclesiæ testificatio, quæ cum infallibilis est: [Meritò, (vt dicam ex Bernardo) non fidelis, sed planè rebellis atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit. Fidem conuincitur non habere perfectam si negligit. Vera enim & plena fides vniuersa præcepta complectitur.]

Augustin. l. de vnico bapt. c. 5.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 69. vlt. med.

Hæretici infideles potius dicendi quàm fideles.

Bern ep. 77. cir. med.

Quicquid sit de ceteris hæreticis, ratum est de Hymenæo & Alexandro, qui repellentes bonam conscientiam, seu rectam conuersationem, & bonam actionem negligentes, circa fidem naufragauerunt, ideoque iustissimè exularunt à cœtu fidelium, traditi Satanæ, vt discerent non blasphemare. [Discit enim quis recedere à peccato tripliciter: quandoque scilicet ex pœnâ, quando corporaliter vexatur, item ex confusione excommunicationis: item ex hoc, quod cum Ecclesia tradit aliquem satanæ, ruit in peccata manifesta. Vnde confusus humiliatur, & abstinet etiam ab occultis, quæ priùs nō cognoscebat se habere.] Durissimum, dirissimumque illud genus excommunicationis est, cum quis non solùm destituitur Ecclesiæ præsidio, sed & satanæ traditur arbitrio. Sed iusta est pœna, vt qui per conscientiæ bonæ prostitutionem perdidit fidem, extra protectionem ecclesiæ proiectus, veniat in po-

Aquin. lect. 4.

A testatem satanæ; sicque tandem necessitate discat, quod ex pietate noluit discere. [Qui naufragium facit, ait Chrysostomus, nudus, omnibusque destitutus euadit: ita & qui ex fide exciderit, nihil iam habet vbi figatur, non habet vbi seipsum recipiat, non habet vitam quæ ipsi prodesse valeat: quippe capite perdito, atque corrupto, quænam reliqui corporis vtilitas est. Si enim fides sine operibus mortua est, multò magis absque fide nihil proderunt opera. Plurimi, ne futurorum metu & expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia quæ nostra religio continet, atque à fide quidam peruertuntur. dum rationibus omnia colligere quæ-
B runt. Naufragium quippe huiusmodi ratiocinatio gignit, fidesque veluti nauis tutissima est. Cum enim quis exciderit fide, nusquam consistit, sed alias aliter natat, donec rursus in profundo mergatur.] Idcircò Paulus, Quos tradidi inquit satanæ, vt discant non blasphemare. [Non ait, vt doceat illos non blasphemare, sed, vt discant non blasphemare: non ille hoc agit, sed hic euentus accidit. Quemadmodum enim carnifices innumeris sceleribus pleni, castigant alios: ita & hîc de nequissimo dæmone dicitur, Non tamen vt puniantur, inquit, sed vt discant. Qui enim huiusmodi erat, eiiciebatur à communi fidelium cœtu,
C abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus, atque ita lupis patebat, & prodebatur incursibus: sicuti enim dudum nubes Hæbræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat sancti spiritûs gratiâ.]

Chrysost. Hom. 5.

Vnde procuratum sit fidei naufragium.

Chrysost. ibidem.

TROPOLOGIA.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus.

Fidelis, quia sicut Deus promisit, sic & fecit. Et id quidem quoad veritatem. Quoad vtilitatem verò: nobis natus, nobis datus est,
D ideoque omni veneratione suscipiendus, omni acceptione dignissimus. Christus Iesus venit in hunc mundum: quanta Dei bonitas! Peccatores saluos facere, quanta miseri felicitas. Idque in Paulo ostendit vt in primo, quanta claritas Apostoli!

Quoad primum. Claudum excitauit Petrus, claudum excitauit & Paulus. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. [Turbæ enim cum vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos.] Errabant illi circà obsequium, quia mysterium ignorabant. Omnis homo claudus est ex vtero matris
E suæ, reptans potius quàm ambulans, vtpote in morte natus, nedum oneratus infirmitate, & virtute gradiendi destitutus. [Ipsum sanè vitium, ait Augustinus, quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio; quæ vtique non est quando non ambulat, cum tamen insit vitium quo fit claudicatio, quando ambulat. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, auaritia vitium est, id est qualitas secundùm quam malus est animus, etiam quando nihil agit vndè auaritiæ suæ seruiat, etiam quando

Actuum, cap. 14.

Augustin. lib de perf. iust. c. 2.

audit, Non concupisces; seque vituperat, & tamen auarus manet, sed per fidem renouatur, id est, sanatur de die in diem: nec tamen nisi gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.] Debemus rectis passibus ambulare, sed non possumus, quandiu claudi sumus, idcircò à Deo excitandi sumus: vt quod non possumus per arbitrij vitium, per Christi possimus beneficium. [Si enim nollet Deus hominem sine peccato esse, ait ille, non mitteret filium suum sine peccato, qui sanaret homines à peccatis.] Fidelis igitur sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum. Deus similis homini, seu in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, descendit ad nos visitandos excitandosque. Filius Dei naturam nostram assumpsit, per quam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quid est enim Deo venire in hunc mundum, nisi nouo modo in hoc mundo esse, sub humanâ formâ inter homines apparere? [Impassibilis igitur Dei filius Deus, (verba sunt Leonis) cui cum patre & spiritu sancto vna incommutabilis Trinitas essentia, hoc quod est esse, perpetuum est, in eâ plenitudine temporis, quæ sempiterno consilio fuerat præstituta, & prophetica dictorum atque gestorum significatione promissa, factus filius hominis non suæ conuersione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, venit non locali accessu, nec motione corporeâ, tanquam præsens futurus, vnde abfuisset; aut illinc recessurus, vnde venisset: sed venit per hoc, quod erat visibile, & commune cernentibus declarandus, humanam scilicet carnem atque animam in visceribus Virginis matris accipiens vt manens in formâ Dei, formam serui sibimet, & similitudinem carnis peccati vniret, per quam non minueret diuina humanis, sed augeret humana diuinis. Talis enim erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi verbum caro fieret, & habitaret in nobis, in eâ scilicet naturâ, quæ nostri & sanguinis esset & generis.] Venire igitur in hunc mundum, est, Verbum fieri carnem, & in nobis habitare. [Verbum caro factum est, ait ille, prouectione carnis, non defectione deitatis; quæ sic potentiam suam bonitatemque moderata est, vt & nostra suscipiendo proueheret, & sua communicando non perderet.] Potestatem mirare, venerare bonitatem, quâ filius Dei, filius hominis factus est: id est Deus verus, verus homo effectus est.

Augustin. cap. 39.

Leo epist. 13 circa med.

Quid sit Deo in hunc mundum venire.

Leo ser. 4. de natiu. Dom. cit. med.

Quoad secundum. Non quæro quid decreuisset Deus, si Adamus non deliquisset: sed hoc certum, credendumque quia à Paulo dictum, Christum Iesum venisse in hunc mundum, vt saluos faceret peccatores, vt oues aberrantes requireret. [Audiuimus, (ita ex Augustino) beatum Apostolum Paulum, dicentem: Humanus sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Quare humanus sermo, & non diuinus? Proculdubiò qui non mentiretur, si diceret diuinum, non sine causâ maluit dicere humanum. Hoc enim

Augustin. serm. 8. de verb. Apost. cap. 1.

A elegit, per quod Christus in mundum venit.] Fortè incidit Augustinus in quendam codicem, in quo legeretur χχχ, non πιστὸς: nec enim ille solus ita vertit: vt probabile sit, labem esse codicum potius quàm legentium. De verbo non contendendum, imo acquiescendum est. De facto autem: [Non liberaretur humanum genus, ait ille, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. Attende Euangelium. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Si homo non perisset, filius hominis non venisset. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inuentus est homo. Perierat homo per liberam voluntatem: venit Deus homo per gratiam liberatricem.] Quid Christus Iesus venit in hunc mundum, nisi vt impleret officium, populum suum liberaret à peccatis eorum, & per spiritalem sanctificaret vnctionem? [Exinanitio enim illa, vti dixit Leo, quâ se inuisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Vt ergo ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis, & a mundanis reuocemur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quem non poteramus ascendere: quia etsi multis inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas, fallentium dæmonum decipiebatur astutiâ, & falsi nominis scientia in diuersas compugnantesque sententias humana ignorantia trahebatur. Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captiuæ mentes superbienti diabolo seruiebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari; sed adiicienda erat veritas redemptionis mortalibus institutis, & corruptam ab initio originē nouis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena, vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione deleri, ad omnium generationum secula pertineret: nec turbarent nos, sed potius confirmarent mysteria, pro temporum ratione variata, quum fides quâ viuimus nullâ fuerit ætate diuersa.] Felix igitur culpa, & necessarium Adæ peccatum. [Ad hunc enim, vt & ille ait, peccati & mortis vinculis resoluendum, omnipotens filius Dei omnia continens, æqualis per omnia patri, & in vnâ ex ipso & cum ipso consempiternus essentiâ, naturam in se suscepit humanam, & creator ac dominus omnium rerum dignatus est vnus esse mortalium.] Non erat opus medico, idcircò non venit vocare iustos, sed peccatores; non venit sanos curare, sed ægrotantes languentesque. [Vtique, ait Augustinus, medicus ad ægrotum venit: sed ideò venit medicus ad ægrotum, ne ille sit semper ægrotus. Quid ergo dicimus? quid definimus? Ægrotum amat medicus, an sanum? Quod vult facere amat, non quod inuenit: plus enim amat sanum quàm ægrotum. Nam vt noueritis quia plus amat sanum quàm ægrotum, nunquid faceret quod odisset? Attende ergo, quia Christus Iesus venit in mundum, sed peccatores saluos facere.]

Aug. eodem ser. c. 1. & 2.

B (at "Iesus venit in hunc mundum")

Leo ser. 1. de nat. Dom in med.

Quantum peccato deleudo aduentus Christi necessarius.

C

D

Leo ser. 4. de nat. Dom. cit. med.

E

Aug. serm. 9. de verb. Apost. c. 5

Quoad tertium. Insigniores vocauit peccatores, vt gratiam commendaret, & formam

immensæ demonstraret misericordiæ. [Ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.] Paulus in exemplum diuinæ propositus misericordiæ, & in humanæ miseriæ solatium. [Quod enim Paulum, ait Augustinus, ex persecutore suo prædicatorem suum Christus operatus est, quid valeat ad salutem hominum, ne quisquam magnarum sibi conscius iniquitatum de misericordiâ Dei ausit desperare, ipse Paulus Apostolus alloquatur. Humanus, inquit, sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consequutus sum, vt in in me primo ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Quis enim sub manu omnipotentis medici de salute desperet tanto formatus exemplo? Considerando euangelizantem fidem quam aliquando vastabat, non solùm euasisse pœnam persequutoris, verum etiam coronam meruisse doctoris; & cuius sanguinem in eius membris cupiebat sæuiendo fundere, pro eius nomine suum sanguinem credendo fudisse?] Ille ergo positus ad informationem, Græcè ὑποτύπωσιν, in typum & exemplar. [In hac enim memoriâ, vt dixit Bernardus, & peccator spem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiam; & qui iam pœnitet, perfectæ conuersionis accipit formam. Quis desperet vltrà pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subitò factum vas electionis? Quis dicat, iniquitatis pondere pressus, assurgere iam ad studia meliora non valeo: quando in ipso itinere quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat, persecutor crudelissimus in fidelissimum repentè mutatus est prædicatorem? Magnificè siquidem in hac vnâ conuersione, & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. Subitò, ait Lucas, circumfulsit eum lux de cœlo. O verè inæstimabilis diuinæ dignatio pietatis! illustrat cœlesti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem. Qui necdum infundi poterat, diuinâ saltem circumfunditur claritate. Et vox facta est. Lucis & vocis testimonia credibilia facta sunt nimis: nec dubitare est de veritate quæ sese ingerit per vtrasque, oculorum scilicet auriumque fenestras.] Hoc egit Christus erga Saulum, quod medicus agit peritus erga ægrotum desperatum. [Faciunt hoc medici, ait Augustinus, quando ad ea loca veniunt vbi ignoti sunt, quos curent primitùs exigunt desperatos: vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, vt vnusquisque in illo loco dicat proximo suo, Vade ad illum medicum, securus esto, sanat te. Et ille, Me sanat? Non vides quid patiar? Ego noui quid simile. Tu quod pateris, & ego quidem passus sum. Sic dicit Paulus vnicuique ægroto, & de se volenti desperare: Qui curauit me, misit me ad te, & dixit mihi, Illi desperanti vade

Aug. serm. de san. Pet. & Paul. inter varios habitos in ed.

Bernard. serm. 1. de conuers. Paul. post init.

Circumfusus Paulus antequam infusus.

August. ser. 10. de verb. Apost. c. 4.

A & dic quid habuisti, quid in te sanaui, quàm citò sanaui. De cœlo vocaui, vnâ voce percussi & dejeci, alterâ erexi & elegi, tertiâ impleui & misi, quartâ liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama desperatis: Fidelis sermo, & omnia acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere. Quid timetis? Quid trepidatis? Ideò enim misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & sic abstulit, tanquam bonus medicus phreneticum patienter tolerauit: omnem, inquit, longanimitatem ostendit in me, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam

B æternam.]

ANAGOGIA.

Regi autem sæculorum immortali. &c.

PRo immortali, Græca habent, Incorruptibili. [Dicit enim primò, Immortali, ait Aquinas, vt distinguat à corruptibilibus. Inuisibili, vt distinguat ab alijs visibilibus. Dicit, Soli Deo, & non soli immortali, vel inuisibili: quia solus est Deus per naturam. Cum verò, dicit, Honor & gloria, agit gra-

C tias.] Et id quidem triplici modo.

Aquin. lect. 4.

Primo per proprietatem: cum enim honor sit testimonium excellentiæ, talis esse honor debet, qualis est excellentia: cum verò summa sit excellentia diuinitatis, debet etiam ei summus honor reddi, suprema deferri gloria. Honorandi quidem sancti, ac glorificandi, cum excellentis sint dignitatis: suspiciendi angeli, cum superioris sint perfectionis: super omnes sanctos, super omnes angelos, veneranda, & prædicanda Virgo virginum Maria, non solùm tanquam Dei ancilla, sed & tanquam mater Christi, ideoque domina angelorum, regina cœlorum, sanctorumque omnium. Erga sanctos, cultus est δουλείας, tanquam ob-

D sequentes Dei seruos, fideles Dei ministros. Erga matrem virginem, cultus ὑπερδουλείας, tanquam erga Dei matrem, sanctis omnibus, omnibus angelis præcellentem. [Suscepta est à filio, ait Bernardus, & super omnem exaltata creaturam: cum eo honore, quo tanta mater digna fuit: cum ea gloriâ, quæ tantum decuit filium. Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis.] Possumus ergo dicere Virgini Matri, honor & gloria. Possumus Petro, possumus Paulo dicere, honor & gloria. [Apostolis enim Christi, vt ille dixit, plurimum à nobis honorem deberi scio. Sed vtrum possit aliquis exhibere, hæsito satis. Ni-

E mis enim honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.] Sed ille cultus est qui creaturæ debetur, in quantum iam glorificata est, nedum sanctificata. Sed alia est excellentiæ nota, tam Deo propria, quàm & à nullo præsumenda. Nempe suprema seruitus, seu cultus λατρείας, quo summus honor Deo impenditur, vt summè bono, ac summe perfecto, quo suprema ei gloria, tanquam primo & vnico rerum omnium princi-

Bernard. serm. 1. de assumpt. Virg.

Bernard. serm. 1. in fest. Apost. cir. med.

pio redditur. [Regi autem seculorum immortali, & inuisibili, soli Deo, honor & gloria. Quasi dicat, ait Aquinas: Exhibendus est ei honor ex subiectione totius creaturæ, & in manifestationem excellentissimæ illius bonitatis, claritatis, & gloriæ. Apocalyp. 7. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro.] Proprietas honoris est, sicut & singularitas diuinitatis. [Soli Deo.] Solum dixit, non tamen solitarium. [Quoniam enim, (vt obseruat Chrysostomus) magnum quiddam de filio locutus fuerat Apostolus, quod scilicet tantam vim dilectionis ostenderet, ne quis fortè putaret patrem ab eâ charitate remoueri, & ipsi gloriam refert, cum protinus addidit, Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honor & gloria. Pro his, inquit, non tantum filio, sed & patri referimus gloriam. Cum enim pater temperantem, cum sibi ipsi sufficientem, cum fortem & non imbecillum genuerit, & eiusmodi qualis ipse est, non gloria filij magis, quàm patris est, nullo minor est patris quam filij gloria. Neque enim cum audio, Per quem fecit & secula, patrem denego condidisse: neque item cum audio patrem regem seculorum, à filio dominatum tollo. Communia enim ista sunt & patris & filij vtraque: condidit enim Deus, qui opificem genuit: regnat filius, quod creaturarum Dominus.] Sicut vnus est Deus, sic & vnus est cultus; sicut vna essentia, sic vna est gloria. Soli Deo, illi nempe qui solus, id est, qui vnus est Deus, qui supremus hominum & rerum Dominus, primum ac summum totius creaturæ principium.

Aquin. lect. 4.

Chrysost. Hom. 4.

Gloria diuisa non est, vbi vnica est essentia.

Secundo per relationem: cum enim sit Deus primum principium, debet etiam esse finis vltimus: ideoque sicut nihil non exire ab illo debet per creationem, ita nihil non redire ad illum debet per glorificationem: nihil non rependi, nihil non referri. [Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: (verba sunt Bernardi) Siquidem soli ei honor & gloria. Quare ei soli? Quia ipse mandauit, & omne datum optimum non nisi ab illo est. Verumtamen etsi ille mandauit, ipsis quoque angelis qui & ei ex tantâ charitate obediunt, & nobis subueniunt in tantâ necessitate ingratos esse non licet. Simus ergo deuoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos quantum possumus, quantum debemus. Totus tamen ei reddatur & amor & honor noster, à quo tam ipsis quàm nobis est totum vnde honorare possumus vel amare, vnde amari, honorari-ve meremur. Neque enim Apostolus vbi ait: Soli Deo honor & gloria: Prophetico credendus est obuiare sermoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur. Puto autem simile esse illud verbum Apostoli, ei quod idem ait: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Siquidem non hoc voluit, vt alia quælibet debita negarentur, præsertim cum idem ipse dicat: Cui honorem, honorem: & cetera in hunc modum. Vt ergo plenius intelligas quid in vtroque senserit, quid-ve monuerit: vide quemadmodum inter radios Solis minora quælibet

Ber. ser. 11. in Psal. Qui hab. vlt. med.

Eo modo Deus honorandus est quo & amandus.

A luminaria non videntur. Nunquid amota modò sidera arbitramur, nunquid extincta? Minimè quidem, sed ampliori claritate quodammodo tecta, interim apparere non posse. Sic ergo dilectio illa quæuis debita superans, quasi sola regnare debet in nobis: vt quicquid debetur ceteris, sibi vendicet, & ex dilectione omnia faciamus. Sic diuinus præualere debet honor, & quodammodo præiudicare vniuersis, vt solus ipse non modò præ omnibus, sed in omnibus honoretur.] Sic igitur de honore censendum est, vt & de amore. Amemus alia à Deo: licet quidem: sed non licet, nec ea debemus propter aliud amare quàm propter B Deum: solus namque Deus diligendus est, cetera vel despicienda, vel propter ipsum diligenda. Honoremus sanctos, honoremus angelos: sunt enim venerabiles, sunt honorabiles: sed in tantum Deus solus honorandus est, inquantum alia propter ipsum spectanda sunt & honoranda. Quid angeli? fideles quidem, sed ministri. Quid sancti? peccatores quidem, sed salui. Honorandi igitur, sed honor ad eum referendus, qui fecit fideles ministros, & adhuc saluos facit peccatores. Quid Paulus dignus Dei Apostolus? idcircò honorandus, sed honor ad eum reducendus, qui de indigno dignum fecit, qui de blasphemo Apostolum, & C in illo patientiæ omnis, seu effusioris misericordiæ exemplum proposuit. [Sit enim, verbi gratiâ, ait Chrysostomus, ciuitas quædam populosa, cuius ciues omnes mali sint, alij plus alij minùs, omnes tamen peccatis obnoxij: vnus autem inter ceteros sit sceleribus clarus, ac præ omnibus suppliciis dignus, quippe qui omne genus nequitiæ exercuerit: si igitur dixerit quispiam regem omnibus culpas velle dimittere, non ita verbis fides adhibebitur, sicuti si videarit eum, qui plus omnibus grauiusque deliquit, veniâ fuisse donatum. Nulla enim iam ambiguitas remanere poterit, quin omnibus ignoscere velle existimetur D rex, qui eum absoluerit, qui erat præ ceteris peccatoribus insignis. Hoc & Paulus ait: Cum, inquit, vellet Deus homines certiores facere, quòd omnia illis peccata donauit, elegit eum, qui plus omnibus deliquerat, cui scelera cuncta dimitteret. Me enim potito veniâ, nemo iam de se dubitare permittitur: quemadmodum etiam habet consuetudo loquendi, Si huic ignouit Deus, neminem puniet: vt per id ostendatur, ipsum veniâ quidem dignum non fuisse, verùm eam aliorum pro salute meruisse] Honorandus ergo Paulus, sed in laudem E diuinæ gratiæ: idcirco præ illo, & in illo honorãdus & glorificandus est Deus, cui tota iustificationis & glorificationis referenda est gloria.

Chrysost. Hom. 4.

Tertiò per continuationem: ait enim, semper debemus, semper etiam gratias debremus agere; ideoque cum non cesset homo accipere, non debet etiam ab honore debito, & gloriâ reddendâ vnquam cessare. Simul incipit ipse Paulus: [Regi seculorum.] Sic & desinit, [In fæcula fæculorum. Amen.] Quid enim regi seculorum? Regi temporum secularium, exinde generationum omnium. [Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatio-

Psalm 144. Apocalyps. cap. 15.

net] Nec ista laus parua est, maximè cum sit æterna. Vnde canticum agni: [Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: iustæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?] Quid vero canticum agni, nisi dignum Christi Domini eloquium? [Dominus enim noster Iesus Christus, (verba sunt Augustini) qui in æternum est cunctorum creator, de matre nascendo in tempore, factus est nobis saluator. Natus est in tempore, factus est in tempore per voluntatem, vt nos perducat ad patris æternitatem.] Rex ergo seculorum est, qui est Dominus omnium, & ideo in omnem laudandus est æternitatem, quia in æternum & vltra, in secula seculorum, Dominus totius creaturæ, naturæ conditor, & largitor gratiæ sine fine, sine intermissione glorificādus est. [Id enim vt dixit, Augustinus, in vnitate Trinitatis intelligendum, cum dictum est: Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo. Quod de ipsâ substantiâ summâ summeque diuinâ & incommutabili, vbi & Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus est & solus Deus, per sanam fidem intelligitur.] Soli ergo Deo honor & gloria, sed in secula seculorum, ab initio omnis creaturæ in æternum. Et hoc præstant qui habitant in domo Domini, in seculum seculi laudant Deum; laudare non cessant, quia non cessant amare. [Summa tunc Dei glorificatio, ait Augustinus, quia summa gloria. Nam si homo laudatur cum famæ creditur, quomodo Deus laudabitur quando ipse videbitur? Propter quod scriptum est, Beati qui habitant in domo tuâ, in secula seculorum laudabunt te. Ibi erit Dei sine fine laudatio, vbi erit Dei plena cognitio, & quia

Augustin serm 11. de temp cap. 1.

Augustin. lib. 1. de Trinit. c. 17.

Augustin. Tract. 1. in Ioan. cit. med.

A plena cognitio, ideò summa glorificatio. Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis viuere tendimus, quantò magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vitâ æternâ. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit. Sed prius hîc clarificatur Deus, dum annuntiatus hominibus innotescit, & per fidem credentium prædicatur.] Hîc discimus laudare per fidem, incipimus glorificare, sed citò deficimus, quia vita ista caduca, mortalis, corruptibilis: tunc autem videbimus per speciem, laudabimus, nec vnquam desinemus quia vita æterna erit, immortalis, indefectibilis.


B [Mater Hierusalem, (verba sunt Augustini) ciuitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. Felix anima mea, semperque felix in secula, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam. Ibi dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus est ibi omnia in omnibus: quem sine fine vident, & semper videndo in eius amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum, laus Dei: sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ego, & verè in perpetuum felix, si post resolutionem huius

C corpusculi audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem regis æterni ab illis supernæ patriæ ciuibus, beatorumque spirituum agminibus: si & ego ipse meruero cantare & assistere regi meo, Deo meo, & cernere eum in gloria.] Hoc est, dicere, Regi seculorum immortali & inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula sæculorum, Amen.

Ibi summa glorificatio, vbi plena cognitio.

Augustin. lib. medit. cap. 25.





CAPVT SECVNDVM.

Epigraphe.


PRæcipit indesinentem fieri orationem , ideoque sexum vtrumque ad ritè ac sanctè orandum instruit. Sint & huius capitis sectiones duæ : quarum sit

---

SECTIO PRIMA.

De Oratione.

TEXTVS.



OBsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes , orationes, postulationes, gratiarum actiones , pro omnibus hominibus : pro regibus , & omnibus qui in sublimitate sunt , vt quietam & tranquillam vitam agamus , in omni pietate , & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coràm Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri , & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus , vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis: in quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico , non mentior) doctor Gentium in fide , & veritate.

EXEGESIS LITTERALIS.

VVlt Paulus preces fundi pro omnibus hominibus , maximè verò pro regibus ac principibus : vult enim Deus omnes saluos fieri , non plebejos solùm , sed & magnates.

[Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes , orationes , postulationes , gratiarum actiones , pro omnibus hominibus, &c.] In hac epistolâ , vt obseruat Ambros. Apostolus : [Timotheum iam creatum Episcopum instruit , quomodo debeat ordinare Ecclesiam.] Inde [Exhortor ergo primùm omnium fieri deprecationes. Hæc nempe , vt ait ille , regula ecclesiastica est tradita à magistro Gentium , quâ vtuntur sacerdotes nostri , vt pro omnibus supplicent.] Post institutam igitur de lege & fide doctrinam , addit , obsecro igitur primum omnium , Frustra enim sermonibus agit doctor , si precibus non insistit auditor. Ante omnia igitur , obsecro , moneo , παρακαλῶ , vt omnium cura sit perpetua, Deum scilicet deprecari , obsecrationibus ipsum & gratiarum actionibus promereri , idque pro omnibus hominibus , non amicis solùm , sed

Ambros. in procem. — *Ambrof. in cap. 2.*

A & inimicis. [Pro regibus , & pro omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus , in omni pietate , & castitate , &c.] Quid vero ? Astiterunt reges terræ , & principes conuenerunt in vnum , aduersus Dominum , & aduersùs Christum eius ? Ideò & pro ipsis instantiùs orate , vt placidam ac quietam agamus vitam , pietatemque faciliùs excolamus & castitatem : ex Greco honestatem morumque grauitatem, σεμνότητα. Ita Epiphanius de Virgine, σεμνὴ ἐσθῆτι. [Hoc enim bonum est , & acceptum coram Saluatore nostro Deo , qui omnes homines vult saluos fieri , & ad agnitionem veritatis venire, &c.]

Epiphan. in Anco.

B Quidni oremus pro omnibus etiam infidelibus , etiam persecutoribus, cum id bonum sit gratumque & acceptum Deo Saluatori nostro ; quid dico , Nostro ? Imò & omnium : vult enim omnes venire ad fidem , & ita ad salutem peruenire : primò enim trahitur homo, & per fidem adducitur in salutem.

Per fidem illuminatur homo, & ad salutem aptatur.

[Vnus enim Deus , vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus , testimonium temporibus suis , &c.] Probat quod dixerat , velle Deum omnes saluos fieri,

& ad

& ad agnitionem veritatis venire : vnus est enim Deus creator omnium, & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, redemptor omnium : ipse enim pro omnibus se in mortem obtulit, pro omnibus saluandis liberandisque fudit sanguinem. Et hoc est martyrium quod tempore præstituto subiit, testimonium veritatis, salutis vadimonium quod cruce ac morte subsignauit. Pro redemptione, in Græcis est, ἀντίλυτρον. Vitam enim suam pro nostrâ posuit : non auro vel argento, sed labore suo, & proprio nos redemit sanguine. [Idcircò itaque nos ille redemit, ait Athanas. quia cum esset nostra hæc humana natura, peccato obnoxia, pro illâ seipsum obtulit vltro, ne perderetur. Redemptionem igitur testimonium dicit, id est, eius passionem. Venit enim vsque ad mortem, vt veritati afferret testimonium : temporibus suis hoc est congruis & decentibus confirmatum.] Diuino scilicet præordinatis beneplacito. [In quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate. Ex Græcis, [Ad quod :] Testimonium scilicet seu martyrium. Ad illam ergo veritatem, pro quâ Christus mortem subiit, annuntiandum, factus sum ego præco, imò & legatus :(sincerè loquor & ex conscientiâ) plus igitur dico : multi enim præcones, plures Apostoli : sed ego specialiter destinatus sum ad Gentes, vt eas instituam, & ad fidem veritatemque adducam. [Debet eas docere in fide & veritate : quia, vt ait Aquinas, doctor debet docere fidem, & bonos mores : non enim prohibet Christus ministerium doctrinæ, sed ambitionem officij. Vel dicit in fide, id est, de his quæ pertinent ad statum præsentem in quo secundùm fidem viuimus : & in veritate, quantùm ad statum gloriæ.]

Athanas. in Paulum.

Doctor Christianus inculcare debet quæ gratiæ sunt & gloriæ.

Aquin. lect. 2.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ. in litteram.

DVæ sunt illustres ac famosæ quæstiones. Prima de distinctione obsecrationum, orationum, postulationum, gratiarum actionum. Secunda, de salute omnium. Sit ergo

DISQVISITIO PRIMA.

De distinctione.

ILlustris quidem quæstio, sed & difficilis. [Illa enim, vti dixit Augustinus, planè difficillimè discernuntur, vbi ad Timotheum scribens Apostolus, ait : Obsecro itaque primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones. Secundùm Græcum enim eloquium discernenda sunt. Nam nostri interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter & scienter transferre curauerint. Ecce enim sicut ea posita sunt : obsecro fieri obsecrationes, non eodem verbo vtrumque dixit Apostolus, qui vtique Græcè illam scripsit Epistolam ; sed pro eo quod in Latino est, obsecro, ille Græcè dixit παρακαλῶ. Pro eo

Augustin. epist. 59. quæst. 5.

A verò quod Latinus noster habet, obsecrationes, ille posuit δεήσεις. Proinde alij codices non habent obsecrationes, sed deprecationes. Tria porrò quæ sequuntur, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, plerique Latini codices sic habent. Vnde si velimus secundùm Latinæ linguæ proprietates ista discernere more loquendi, nostram vel qualemcumque scientiam fortasè tenebimus : sed mirum si sententiam Græci sermonis vel consuetudinis obtinebimus.] Sed & id magis mirum, quod Græci nec anxiè nec scrupulosè voces distinguunt, cum ad preces reducunt communes. [Quid autem sibi vult quod ait Apostolus, primùm omnium ? In obsequio scilicet quotidiano, ait Chrysostomus, perpetuoque diuinæ religionis ritu. Atque id nouerunt fideles, quomodo diebus singulis manè & vesperè orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni mundo, & regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes ab Ecclesiâ fiant. Quasi enim communis quidam totius orbis pater, sacerdos est : dignum igitur est, vt omnium curam agat, omnibusque prouideat : sicut & Deus, cuius ministerio seruit, & fungitur vice, idcircò ait : obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes & orationes pro omnibus hominibus. Denique ait, pro regibus : non solùm pro fidelibus, sed & infidelibus. Neque enim tunc reges Deum colebant, verùm multis postea temporibus in infidelitate, quàm per seriem successionis acceperant, perstiterunt. Vides igitur vt superiorem omnibus Christianum euadere velit ? Quemadmodum enim in infantibus pueris, cum is qui à patre portatur infantulus, patris ceciderit faciem, nihil ex hoc obtundetur dilectionis affectus : ita & nos cum ab his qui extra sunt, credimur, nihil ex priore beneuolentiâ remittere omninò debemus.] Nemo quippe eum odit aut spernit, cui optat bona & postulat.

Chrysost. Hom. 6.

Orandum non solum pro fidelibus, sed & pro infidelibus.

Mens igitur Apostoli non est subtilitatem inducere per distinctionem, sed necessitatem imprimere per repetitionem. [Quî ergo putaueris, inquit Tertullianus, nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, litteras nostras, quos neque ipsi supprimimus, & plerique casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum esse nobis, ad redundantiã benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutiones Christianorum, quàm de quorum maiestate conuenimur in crimen ? Sed etiam nominatim atque manifestè, orate, inquit, pro regibus, & pro principibus, & potestatibus, vt omnia tranquilla sint vobis. Cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius; vtique & nos, licet extranei à turbis, in aliquo loco casûs inuenimur.] Res est non parua, quia non solùm pacis interest, sed & religionis. Idcircò inculcat Paulus, instat, & rem, seu rei necessitatem, repetitione verborum, quasi conuexione præceptorum aggerat. Obsecrate, orate, postulate, interpellate. [Quod enim alij postulationes, alij interpellationes interpretati sunt, vnum, in-

Tertullian. cap. 31. Apolog.

Augustin. epist. 59. quæst. 5.

quit Augustinus, verbum transferre voluerunt quod Græcus habet ἐντεύξεις. Et profectò aduertis & nosti aliud esse interpellare, aliud postulare. Non enim solemus dicere, postulant interpellaturi, sed interpellant postulaturi. Verumtamen ex vicinitate verbum vsurpatum, cui propinquitas ipsa impetrat intellectum, non est velut censoriâ notatione culpandum. Nam & de ipso Domino Iesu Christo dictum est, quod interpellat pro nobis: nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Euidenter quippe alibi de eo dicitur: Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris.] Quod de vno Augustinus aduertit, hoc & de cæteris verbis definit Athanasius. [Orationes enim, inquit, & postulationes & obsecrationes eundem præferunt sensum. Nam istiusmodi dictionum repetitio, exigentis est fieri omninò oportere quæ mandet.] Orandum, instandumque. Vt enim obtineatis quod petitis, non cessandum à votis & precibus, pulsandum suspirijs ac gemitibus, obsecrandum postulandum, in obsecrationibus perstandum & postulationibus: cum obtinueritis, debitæ Deo gratiæ sunt agendæ.

Instantia rei pluribus verbis inculcanda.

Athanas. in Paulum.

Alia sanè Tullij rhetorica est, alia Pauli, alia & eloquentia: illa namque in sermonibus est, ista in affectibus: illa scholæ est, ista gratiæ. [Negant plerique, ait Ambrosius, nostros secundùm artem scripsisse. Nec nos obnitimur, non enim secundùm artem scripserunt, sed secundùm gratiam, quæ super omnem artem est. Scripserunt enim quæ spiritus ijs loqui dabat. Sed tamen ij qui de arte scripserunt, de eorum scriptis artem inuenerunt, & condiderunt commenta artis & magisteria.] Hæc igitur rhetorica est, sed Paulina; quâ præceptorum inculcationes potius densat, quàm verborum conglobationes, & per vehementiam affectûs, gratiam spiritûs suscitat. [Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantiâ, & obsecratione pro omnibus sanctis.] Et, [In omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.] In hoc statu mortali & infelici, orare propriè, est postulare. Vnde Pharisæus ascenderat quidem orare, sed non orauit, quia nihil rogauit. [Ascendit orare: ait Augustinus, noluit Deum rogare.] Verùm in statu non infelici solùm, sed & damnabili, non habet orare, obsecrandum est, deprecandum, interpellandum, conandumque viribus omnibus iustitiam flectere diuinam, extorquere misericordiam. [Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes pro regibus, vt quietam, inquit, & tranquillam degamus vitam. Ac si dicat, inquit Chrysostomus, in illorum salute securitas nostra consistit. Nisi enim illi seruarentur, atque inter bella & hostes prosperè agerent, necessariò & nostra omnia turbis, tumultibusque plena essent. Quàm igitur absurdum est, cum illi idcircò militent, & arma circumferant, vt nos in tranquillitate atque

Ambros. epist. 10.

Ephes. c. 6.

Philippens. cap. 4.

Augustin. serm. 36. de verb. Dom. c. 2.

Chrysost. Hom. 6.

Vota publica pro regibus & militantibus facienda.

otio simus, nos pro periclitantibus, ac nostri causâ labores subeuntibus, preces effundere detrectemus?] Sic ergo, vt absoluam ex Tertulliano. [Oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt. Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo scio me consecuturum.] Quid orare ab alio? postulare: id enim est orare: sed apud Deum opportunè, importunè instandum est, obsecrandum, interpellandum: vt si denegetur iustitiæ, detur tandem perseuerantiæ.

Tertullian. c. 30. Apolog.

DISQVISITIO SECVNDA.

De salute.

ET hæc quæstio nec minus illustris, nec minùs difficilis: imò eo implicatior, quo scrupulosior; & dum à non intelligentibus obijcitur semper, ab audientibus dubitanter excipitur. [Si ergo cesset insidiosa malignitas, vti dixit Prosper, si insolens præsumptio conquiescat: his rectè (vt arbitror) pertractatis, nullius superest causa certaminis, neque vltra necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari.]

Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 10.

Primò igitur concedendum est Paulum non diuidere sententiam, sed doctrinam tradere, tam vniuersalem, quàm vniuersis ac singulis applicabilem. Ita coapostolus eius Petrus. [Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos: nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.] Quamuis enim specialiter electos spectet, quibus & scribebat. [Electis aduenis.] Seu [Ijs qui coæqualem sortiti sunt fidem.] Vnde & excipiebat, cum diceret, [Propter vos.] Tamen cum & ipsi etiam reprobi tolerentur, seruenturque in gratiam electorum; non vult aliquos perire, sed omnes reuerti ad pœnitentiam. Sed id euidentius in Paulo, qui non solùm de fidelibus loquitur, sed & infidelibus. [Pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. Hoc enim bonum est & acceptum coràm Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] Quid ergo, omnibus hominibus? Etiam infidelibus, etiam hostibus. [Si inimicos iubemur diligere, ait Tertullianus, quem habemus odisse?] Priùs tamen dixit, pro omnibus: tum addidit: [Pro regibus.] Etiam persecutoribus. [Vt enim omnis assentationis suspicio tolleretur, ait Chrysostomus, cum præmisisset pro omnibus: tunc demum, pro regibus, addidit. Si enim tantùm pro regibus dixisset, fortassis non deesset, qui adulationis gratiâ illum ita scripsisse putaret] Ita cauit & Tertullianus, cum ait: [Adulati sumus imperatori, & mentiti vota quæ diximus, ad euadendam scilicet vim. Planè proficit ista fallacia: admittitis nos enim probare quodcunque defendimus.] Cauet er-

2. Pet. c. 3.

Omnis in electorum gratiam ordinata.

Tertullian. c. 37. Apol.

Chrysost. Hom. 6.

Tertul. cap. 31. Apol.

Chrysost. Hom. 6. go; an irridet? Seriò tamen Chrysostomus: [Quoniam, inquit, consequens esse cernebat Apostolus, vt Christiani animus ad ista torpesceret, neque huiusmodi admitteret monita, siquidem pro gentili sacramentorum tempore preces oportet offerri, vide quid secutus adiunxit, vt ex consideratione lucri admonitionem faciliùs libentiusque susciperet.] Adde quod non solùm pro regibus infidelibus, Baruch.c.1. sed & rege nominato. Ita apud Baruch. [Orate pro vitâ Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vitâ Balthasar filii eius.] Res ergo grandis agitur & penè incredibilis. Orate, pro quibus? pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, etiam pro persecutoribus. Orate pro imperatore, etiam pro Nerone: Vult enim Deus omnes saluos fieri. Quem habemus excipere, si Neronem iubemur comprehendere? neminem excipit Deus à salute, si neminem excipit Paulus ab oratione: cum fundatur eo fine oratio, vt salus acquiratur.

Secundò occurrendum est defensioni gratiæ, quasi Deus ex eo salutis humanæ voto sufficientia tantùm media suggesserit, non autem efficientia. Iam enim non esset orandus Deus, cum iam munus implesset suum; sed tantùm homines monendi vt & opus perficerent expectatum, & concesso vterentur auxilio. At vero, non dicit prædicandum & adhortandum, sed obsecrandum, postulandum, vt quod constituit Deus, adimpleat; quod iam exorsus est, aut promouit, adaugeat; infideles, inimicos conuertat, ipsos etiam Cæsares saluos faciat. [Id enim in eo scimus Tertul. cap. 32. Apolog. esse, ait Tertullianus, quod Deus voluit, ideoque & saluum volumus esse quod Deus voluit.] Quid ergo? salus non est in manibus Cæsarum. Vtique si Deus dederit: nihil enim etiam & in ipsis est, nisi quod Deus dederit. Tertul. cap. 17. Apol. [Quod Deus dederit, ait ille, omnium vox est.] Deus enim à dando, ideoque illius est dare, & quicquid in vllo est, ab illo est. [Ideò Tertul. cap 29. Apolog. ergo (vt dicam ex Tertulliano) committimus in maiestatem imperatorum, quia non ludimus de officio salutis ipsorum, qui eam non putamus in manibus esse plumbatis?] Manus plumbatæ, manus sunt idolorum, quæ de se tam motu destitutæ sunt quàm sensu: manus sunt & Cæsarum, quæ in negotio salutis in- Tertul. cap 30. Apol. sufficientes sunt & inualidæ. [Recogitant, ait ille, quousque vires imperij sui valeant, & ita Deum intelligunt, & per eum se valere cognoscunt. Inde potestas illis, vnde & spiritus.] Cum ergo præcipitur, liberum quidem rationalis creaturæ arbitrium indicatur, cum verò petitur, auxilium gratiæ cœlestis demonstratur esse planè necessarium. Quid enim inutilius, imò quid & stultius, quàm vt petas quod ad manum habeas, seu ad arbitrium facias aut teneas? Oratio euidēs est gratiæ diuinæ testificatio [Quando præcipitur, ait Augustinus, agnoscite voluntatis arbitrium; quando oratur quod Augustin. Fragm. 1. præcipitur, agnoscite gratiæ beneficium. Oramus, inquit Apostolus, ad Deum. Poterat dicere, Monemus vos, docemus vos, iubemus vobis, præcipimus vobis. Maluit tamen dicere, oramus, vt ipsam gratiam commendaret: vt intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non solâ suâ voluntate se vitare malum sed adiutorio Dei implere quod iussum est.] Oratio igitur, euidens est gratiæ diuinæ testificatio; vt siue fiat bonum, siue etiam non fiat malum; non infirmitatis sit humanæ, sed diuinæ potestatis.

Tertio, attendendum est verbis Apostolicis, nec ab iis discedendum. Non enim dixit Paulus, vult Deus omnes saluos facere; sed, vult omnes saluos fieri. Nec dixit, Vult omnes ad cognitionē veritatis adducere; sed, vult omnes ad cognitionē veritatis venire. Cum enim quæritur, cur homines salui non fiant: citò dicitur, quia nolunt: Cur non veniunt ad fidem, seu veritatis cognitionem? quia nolunt. [Iussio est, ait Augustini Ibidem. Augustinus, præceptio est, faciendum est: sed nisi Deus adiuuet, remanemus. Conamur quidē voluntate, & nititur aliquid voluntas: non tamen præsumat potestas, nisi adiuuetur infirmitas.] Quid ergo est hominis? Saluum fieri. Quid est Dei? Saluum facere. Quid est hominis? venire ad agnitionem veritatis. [Non enim, vti Augustin. Tract. 26. in Ioan. post init. ille dixit, ad Christum ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur. Apostolum audi dicentem: Corde creditur ad iustitiam. Et quid sequitur? ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio.] Quid porrò Dei? Trahere voluntatem, id est, de nolente facere volentem. [Semel accipe, & intellige: (verba sunt Augustini) Nondum August. eodem Tract. cit. med. traheris? ora vt traharis. Quid hîc dicitur, fratres. Si trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus? Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens: credere non potest nisi volens. Videte ergo quomodo trahit Pater: Docet Deus delectando, non necessitatem imponendo. docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit. Erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, trahere Dei est.] Aliud est ergo velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: aliud verò, velle omnes homines saluos facere, & ad agnitionem veritatis adducere: illud enim certissimum est, omnes, inquam, nullo dempto: istud autem falsissimum: non enim omnes, sed pauci sunt salui: sic tamen vt plures saluaret, si vellet plures trahere ad fidem, & ad agnitionem veritatis perducere: & ipsi vtique vellent & crederent, si Deus faceret vt vellent & crederent: omnia enim quæcumque voluit, Dominus fecit: venitque quicumque audiuit & didicit: sed qui venit, gratiâ venit diuinâ, qui non venit, suâ culpâ non venit: super illum effulget misericordia Dei, super istum ira Dei permanet.

Concludendum est, in Apostolicis verbis, voluntatem quidem Dei intelligendam esse, non tamen incertam, sed inspiratam; quâ nimirum volente Deo ac mouente, iusti ac sancti cupiunt omnes homines, etiam pessimos conuerti, fideles fieri & ita saluos, & ad eum tamen preces fundunt indesinentes; vt Deus illuminet eorum corda, errorum impedimenta disturbet. [Est ergo locutio causalis: (vti dixit Aquin. lect. 1. Aquinas) sicut dicitur Deus aliquid facere, quia facit alios illud facere, sicut Rom. 8. Spiritus postulat, id est, postulare nos facit. Sic Deus vult,

quia scilicet, facit suos sanctos velle, quod omnes salui fiant. Hoc velle enim debet esse in sanctis, quia nesciunt qui sunt prædestinati, & qui non.] Certè si sciret, nec ipsos reprobos vellēt esse saluos, tamque vanè peterent, quam & impiè. [Hæc enim causâ, ait Augustinus, quâ fit, vt nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos nouit esse inimicos; eadem ipsa causa est, quâ fiet, vt in illo tunc iudicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamuis perfectâ sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro eis orat, nisi vt det illis Deus, sicut dixit Apostolus pœnitentiam, & resipiscant de diaboli laqueis, à quo captiui tenentur secundùm ipsius voluntatem: Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, vt qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vitâ sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo: tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi aduersantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, vt pro eis exaudiatur Ecclesia, & filij efficiantur Ecclesiæ.] Sicut nemini debemus subtrahere beneficium correctionis legitimæ, ita nemini debemus negare piæ suffragium orationis. Nescimus enim quem Deus respexerit, aut quem despexerit: nondum discernimus inter electos ac reprobos, nec scimus quis nostrâ correctione ad meliorem frugem reuocandus sit, aut oratione nostrâ ad fidem inuitandus. Interim fungimur officio pietatis humanæ, pro omnibus orando: & exaudimur pro beneplacito diuinæ voluntatis, aliquibus, præscitis nimirum seu electis opitulando. [Secundùm enim hanc voluntatem, ait ille, quâ Deum velle dicimus quod alios efficit velle, à quibus nesciuntur futura, multa vult, nec facit. Multa enim volunt fieri sancti ab illo inspiratâ sanctâ voluntate, nec fiunt, sicut orant pro quibusdam piè sancteque, & quod orant non facit, cum ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto spiritu suo fecerit: ac per hoc quando secundùm Deum volunt & orant sancti, vt quisque sit saluus, possumus illo modo locutionis dicere, vult Deus & non facit, vt ipsum dicamus velle, qui vt velint isti, facit.] Sicut enim cognoscentes facit, ita facit & volentes.

Augustin. l. 21. de Ciuit. Dei cap. 24.

Pro reprobo orare non licet, vt nec pro diabolo

Aug l. 22. de Ciuit. Dei c. 1 & 2.

Sic ergo perbellè in veritatē conspirant omnia, dū omnia clarè mentem Apostoli, & instituti finem explicant. Magna res agitur, idcircò precibus instandum, postulandum, obsecrandum. Habet Ecclesia inimicos, habet persecutores; sed fortè habebit filios, & fideles videbit. Igitur orate, interpellate, non tanquam pro præsentibus inimicis, sed tanquam pro fratribus futuris. Quis scit enim an orationem exaudiat Dominus, & relinquat post se benedictionem? Sed infideles sunt: orate. Sed reges sunt, principes sunt, ducesque à regibus præpositi, ab imperatoribus, ad nos missi tentandos, vexandosque: orate; & quo dif-

Sic orandum pro præsentibus inimicis tanquam pro futuris fratribus.

A ficilior fit conuersio, eo fit instantior oratio. Obsecrate pro iis qui præsunt populis, qui dignitate suffulti sunt, & in sublimitate cōstituti: orate, inquam, pro illis, vt quietè agamus; sed vt & securè degamus, orate vt persecutores vestri fiant fratres vestri, vt infideles euadāt fideles. Grata est oratio illa & accepta corā Saluatore nostro Deo, vt qui iam ad fidem misericorditer adducti sumus, etiam alios tam monitionibus quàm & orationibus in salutem perducamus. Hanc quippe voluntatem piis inspirat Deus tanquam amicis suis, & illam pietatem sibi velut auctori imputat. Vnus enim
B Deus est, qui omnes homines eiusdem fidei capaces fecit: vnus & mediator Dei & hominum Christus Iesus, à Deo missus in redemptionem omnium & salutem. [Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.] Dum pro omnibus mortuus est, dum crucem subiit ac mortem, & inde poculum omnibus sanandis confecit, lytrum conflauit liberandis omnibus capacissimum. Ideoque cooperandum est, precibus & orationibus instandum, vt redemtionem percipiant, vt ad fidem ac salutem perueniant; vt fiant fideles, id est, crucis ac mortis compotes, vt poculum hauriant, ly-
C trumque per misericordiam & gratiam diuinam in suum ipsorum impendant beneficium. [Ad nos ergo (ita concludit Augustinus) qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere: sed velle omnes saluos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Quia autem nos qui salui futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacē, saluos fieri velle Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam charitatem in corda nostra per Spiritum sanctum qui datus est nobis: potest sic intelligi, quòd omnes homines Deus vult
D saluos fieri, quoniam nos facit velle: sicut misit spiritum filij sui clamantem, Abba pater, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe spiritu, alio loco dicit, Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est qui efficit vt clamemus. Si ergo clamantem spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur vt clamemus: rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur vt velimus.] Sic tam plana, quàm & certa sunt omnia.

Aug lib. de cor. & grat. cap. 15.

E

TROPOLOGIA.

Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes.

Si omnium obsecrationes sunt, preces vtique sunt publicæ, seu à totâ Ecclesiâ, & in officio publico. Si pro omnibus, nullus à Christianâ excludendus beneuolentiâ. Si hoc bonum & acceptum, tam meriti est, quàm officij.

Quoad primum. Quid velit Apostolus, dum id præcipit, meliùs ex Ecclesiæ disciplinâ deprehenditur, quàm ex dialecticæ præsumitur coniecturâ. [Cum enim legerint hæc vel audierint, qui amant calumniosa certamina, (verba 4.

Prosper l. 1. de vocat. Gent. cap.

sunt Prosperi) dicent nos per huiusmodi disputationes Apostolo contradicere, definienti, quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quam particulam verborum Apostoli ita nos integrè pleneque suscipimus, vt nihil ei de praecedentibus siue subiectis quae ad ipsam pertinent subtrahamus: quoniam vt cetera diuinorum eloquiorum testimonia sequestremus, hic locus sufficit ad euacuandum quod calumniosè obiiciunt, & ad defendendum quod impiè diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum Paulus Apostolus, ait: Obsecro itaque primò omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones. De hac autem doctrinae Apostolicae regulâ quâ Ecclesia vniuersalis imbuitur, ne in diuersum intellectum nostro euagemur arbitrio, quid in ipsâ vniuersalis Ecclesia sentiat requiramus: quia nihil dubium esse poterit in praecepto, si obedientia concordet in studio. Praecipit itaque Apostolus, immò per Apostolum Dominus qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro iis qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum, & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi, sit, in quâ huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis.] Quidni animum testaretur suum Ecclesia Dei, & publicum exequeretur officium; cum & ipsi gentiliũ sacerdotes, pro imperatoribus nõ tam suis, quàm nostris, publica conceperint vota, votiuaque celebrarint sacrificia? Ita apud Tertullianum: [Archigallus ille sanctissimus, die quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute Marci Aurelij, solita aequè imperia mandauit.] Dixi, non tam quàm suis nostris. [Quid enim amplius, ait ille, de religione atque pietate Christianâ in imperatorem? Quem necesse est suspiciamus, vt eum quem Dominus noster elegit. Et meritò dixerim, Noster est magis Caesar, vt à Deo nostro constitutus. Itaque in eo plus ego illi operor in salutem, quòd non solùm ab eo postulo qui potest praestare, sed etiam quod talis postulo, qui merear impetrare.] Qui enim digniores, an qui verum Deum colunt, an qui coelum quaerunt apud Capitolium? [Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus.] Vnde ille de sacris Christianae factionis negotiis, seu potius publicis solitae pietatis officijs. [Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro morâ finis.] Sunt ista solita imperia, sed multò apud sanctos, quàm apud iniquos iustiora. [Christianus enim, ait Tertullianus, nullius est hostis, nedum imperatoris; quem sciens à Deo suo constitui, necesse est vt & ipsum diligat & reuereatur, & honoret, & saluum velit. Itaque & sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo praecepit Deus, purâ prece.] Sunt enim solemnes illae orationes, quae funduntur in conuentu Christianorum publico, maximè verò ipso sacrorum ritu: in quo sacerdos, omnium nomine, ad Deum accedit, & communia effundit vota: est enim publicum religionis officium, sacrum altaris ministerium; in quo omnium colliguntur animi, dum in vnum omnium oculi diriguntur sacrificium.

Regula doctrinae Apostolicae vbique seruata.

Tertullian. c. 25. Apol.

Tertull. cap. 31.

Tertull. cap. 30.

Tertullian. cap. 39.

Tertullian. lib. ad Scop. cap. 2.

Quoad secundum. Cum dicitur, [Pro omnibus hominibus:] nullus hominum excipitur [Supplicat enim vbique Ecclesia Deo, ait Prosper, non solùm pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudaeis, quorũ caecitati lumen Euangelij non refulget, pro haereticis & schismaticis qui ab vnitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid porrò pro istis petit, nisi vt relictis erroribus suis conuertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem; & de ignorantiae tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi praestare nequeunt, malae consuetudinis pondere pressi & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas euincere valent, quibus tam pertinaciter inhaeserunt, vt quantum amanda est veritas, tantum diligant falsitatem; misericors & iustus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari: vt cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum praestitisse, quod vt praestaret oratus est: & gratias agentes pro iis qui salui facti sunt, speremus etiam eos qui nondum illuminati sunt, eodem diuinae gratiae opere eximendos de potestate tenebrarum, vt in regnum Dei priusquam de hac vitâ exeant transferantur.] Haec ergo instituta doctrinae Apostolicae regula, vt orationes fiant solemnes, deprecationes, obsecrationes. Pro quibus? Pro omnibus hominibus, amicis & inimicis, fidelibus & infidelibus, probis & improbis. [Si enim, vti dixit Chrysostomus, pro gentilibus oportet orare, constat profectò quod & pro haereticis ipsis, pro omnibus quippe hominibus orare necesse est.] Tres autem Apostolus producit rationes: quarum prima est ex vtilitate nostrâ. [Quoniam enim, ait Athanas. non absurdum videtur Christiani animum obturbari, cum ei indicitur rem diuinam agenti & sacrosancta mysteria pertractanti, vti pro infidelibus & regibus deprecetur, proponit & lucrum, vt vel eo illecti, id factitemus. Ait namque istiusmodi hominum salutem in quietem nobis concessuram & otium.] Altera ex voluntate diuinâ. [Hoc enim bonum & acceptum est, inquit, coràm Saluatore nostro Deo. Quid illud est? inquit Chrysostomus, orare pro omnibus: hoc suscipit Deus, hoc iubet: Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Imitare Deum tuum, si omnes ille vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Imitare Deum tuum, si omnes ille vult saluos fieri, meritò pro omnibus oportet orare. Si omnes ipse saluos fieri cupit, illius & tu concorda voluntati. Sufficere & ista poterant ad exorandam quamlibet immanem belluam.] Tertia tamen ratio est ex beneuo-

Prosper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 4

Ibi oratio feruet, vbi apparet impetratio.

Chrysost. Hom. 7.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. Hom. 7.

lentiâ creatoris & mediatoris conuenientiâ. [Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.] Si lucro non alliceris tuo, si diuino non duceris beneplacito: saltem creatorem tuum contemplare, eundemque mediatorem factum, & imitare: vt similis sis non solùm eadem volendo, sed & eadem faciendo. [Enimuerò, (vti ille dixit) mediator vtrisque eis debet societate coniungi, quorum mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, vtrorumque participem fieri, quorum fuerit mediator. Quòd si vnum quidem societate contingat, ab alio verò fuerit separatus, mediator iam dici non potest. Vnus igitur, inquit, Deus vnus & mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Nunquid etiam pro gentilibus? Nemo id ambigit. Et Christus quidem etiam pro gentilibus mortuus est, tu pro illis orare non sustines? Litauit semetipsum pro inimicis, pro his qui se oderant, pro auersis à se. Id quod neque pro amicis, neque pro filiis, neque pro fratribus faceret quispiam, hoc fecit pro seruis Dominus, atque pro huiusmodi, Deus: Deus enim pro hominibus, pro mortalibus immortalis, pro temporalibus sempiternus, pro inimicis denique Dei filius. Sufficere profectò ista possunt ad omnes attrahendos ad fidem, atque ad Christi dilectionem illam ineffabilem ostendendam.]

Chrysost. Ibidem.

Quoad tertium. Beneuolentiam Christianam non solùm commendat Apostolus, sed & coronat, vt per meritum compellat ad officium. [Ne quisquam enim, ait Augustinus, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda, adiungit Apostolus, & dicit, Hoc enim bonum & acceptum est, coràm Saluatore nostro Deo.] Acceptum sanè, quia bonum; sed & remuneratum, quia acceptum. [Deus enim, vt definit Tertullianus, reprobationem bonorum ratam non habet, vtpote suorum, quorum cum auctor & defensor sit, necesse est proinde & acceptator: si acceptator, etiam remunerator.] Ita Christus, mittens discipulos: [In quamcumque domum intraueritis, inquit, primùm dicite, pax huic domui; & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. Neque enim metuendum est, ait Augustinus, ne perdamus eam, si ille cui prædicamus, non est filius pacis ignorantibus nobis. Ad nos enim reuertetur, id est, nobis proderit hæc prædicatio, & non illi: si autem super eum pax prædicata requieuerit, & nobis, & illi. Iam enim & antequam illi annuntiaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, sicut eum nouerat atque præscierat non Euangelista, sed Dominus: nobis verò tunc incipit esse quisque filius pacis, cum obedierit & crediderit Euangelio, & ex fide iustificatus pacem ad Deum habere cœperit: secundùm autem prædestinationem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictum est, Super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis: sed, vbi fuerit, inquit,

Augustin. ep. 59. quest. 5.

Tertullian. lib. de pœnitent. cap. 2.

Augustin. lib. de cor. & grat. c. 15.

A filius pacis, requiescet super eum pax vestra.] Quod impetratur, diuinæ bonitatis est, quod oratur, quod obsecratur, Christianæ est pietatis. [Quòd si aliquos, ait Prosper, sicut videmus accidere, saluantis gratia præterierit, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit: ad occulta diuinæ iustitiæ iudicia referendum, & agnoscendum est secreti huius profunditatem nobis in hac vitâ patere non posse. Nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui cum de gratiæ potentiâ disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, iis quæ impossibile erat enarrare, succubuit.

Prosper lib. 1 de vocat. Gent. cap. 4.

B Cum enim dixisset: Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte in Israël contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Cum ergo hæc diuinorum operum mysteria suprà mensuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis suæ profudisset excessu: totam expositionis rationem transtulit ad stuporem; & admirator eorum quæ protulerat, exclamauit & dixit, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit?]

Domini cōsilium est, seruì autem obsequium.

C Nostrum est, officium implere, præstare obsequium, non arcanum explorare, aut diuinum examinare consilium: in illo namque meritum est, in isto periculum. [Nimis enim, vti dixit Augustinus, consilium Dei in abdito est, quo etiam malis benè vtitur ad profectum bonorum, etiam in hoc mirificans omnipotentiam bonitatis suæ: quia sicut illorum nequitiæ est malè vti bonis operibus eius, sic illius sapientiæ est benè vti malis operibus eorum. Hinc fidelibus cordibus illa inscrutabilia iudicia eius magnam ingerunt admirationem, qui de illius sapientiâ pertingente à fine vsque

Augustin. ep. 59. quæst. 5.

D in finem fortiter, & omnia suauiter disponente non dubitant, quid sit quod ei placet vt nascantur, crescant ac multiplicentur hi, quos etsi malos ipse non fecit, tamen malos futuros esse præsciuit.] Sed quicquid agat Deus de reprobis, quicquid disponat; nihil deperit electis, nihil excidit: salua enim sunt illis munera sua, & tanto præmia maiora, quanto ampliora accrescunt merita.

ANAGOGIA.

Vt quietam & tranquillam vitam agamus.

E PAx triplex: prima est externa: altera, interna: tertia, deifica. Prima ciuilis; secunda, spiritalis; tertia, supercœlestis. Tunc porrò placida & quieta vita est, cum pacem omnem est assecuta.

Prima ergo est externa, quæ nimirum cum hominibus contrahitur, quæ nectitur beneficiis, quæ odiis & iniuriis dissoluitur. Et illa pax societati omni necessaria est, imò omni homini. [Si enim, vti dixit Chrysostomus, & pro his qui nobis familiaritate iunguntur orare iubemur, non fidelibus solùm, sed etiam infidelibus, considera quantum malum sit aduersùs

Chrysost. in Moral. Hom. 6.

fratres orare. Deus nempe te orare pro inimicis iussit: tu etiam aduersùs fratrem oras. Non aduersùs illum, sed aduersùs teipsum orare conuinceris: Deum enim ad iracundiam prouocas, dum verba penitùs stolida loqueris, ac dicis Deo: Ita illi fac, retribue ei, percute illum. Ista quippe à Christi discipulis mansuetis ac mitibus longè remota sunt, neque illo digna ore, quod sacris instructionibus deditum sit. Nihil amarum nihil durum ea lingua proferat, quæ diuinis rebus assueta est: nihil ex illo ore prodeat crudele, quod dominico corpore sæpiùs saginatur. Mundam seruemus linquam: non per eam maledicta, non verba atrocia proferamus. Si enim maledici regnum Dei non possidebunt, quantò magis hi qui contrà proximorum salutem orant? Necesse est enim eum qui contra aliquem orat, etiam contumelias inferre. Contumelia autem & oratio multum ab inuicem distant: maledictum item, atque oratio multum ab inuicem distant. Accedis ad Deum, vt illum tibi propitium facias & contra alium oras? Nisi ipsi dimiseris, nec tibi omninò dimittetur. At verò tu non modò non dimittis, verumetiam Deum ne dimittat deprecaris. Vide ad quæ malitiæ prærupta accesseris: si ei qui non dimittit non dimittitur, ei etiam qui Dominum ne dimittat precatur, quomodo dimittetur? Tu stans, ac pro tuis sceleribus deprecans, non exhorrescis, aliorum peccata animo voluere? Et quo pacto Deum exorare poteris? Nempe enim dum contrà proximos oras, aduersùs temetipsum amplius prouocas, nec permittis eum indulgentiam tuis præstare criminibus. Nam, dicit tibi Deus: Quo pacto vis, vt ea quæ in me peccasti dimittam, qui illorum quæ in te deliquit proximus, cupis atque oras vt vltor existam? Non ergo illi profectò noces, sed tibi ipsi: nam etsi pro tuis orans delictis fortassis audiendus eras, facit pessima intentio, quâ contrà fratrem oras, vt neque pro teipso audiri merearis.] Volumus vitam tranquillam ac placidam sed non habebimus, nisi inquiramus pacem: id est, vt exponit Augustinus: [Nisi concordes simus hìc, & diligamus proximum sicut nos. Sic dilige fratrem quomodo teipsum, habe cum illo pacem. Etsi enim non possunt nisi existere rixæ aliquæ, quomodo inter fratres & sanctos extiterunt, inter Barnabam & Paulum: sed quæ non occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem. Nam & tibi resistis aliquando, & tamen non te adisti. Omnis enim quem pœnitet aliquid, rixatur secum. Peccauit, redit, irascitur sibi metipsi hoc fecisse, illud commisisse. Rixam ergo secum habet, sed ista rixa ad concordiam tendit.] Pax quidem per societatem humana est, sed per charitatem fit Christiana; & si omni homini opportuna est, fideli planè est necessaria. [Discamus tandem esse Christiani. (ait Chrysostomus) Si orare nescimus, quod facillimum est, quid aliud nos scire putemus? Discamus orare, vt conuenit Christianis. Vis inimicum percuti? Pro illo ora. Gentilium illæ precationes sunt. Iudæorum huiusmodi orationes esse censentur. Christianis verò contrà penitùs iussum atque imperatum est, his qui in eos peccauerint,

Qui contra alium orat, aduersùs se Deum prouocat.

Augustin. in Expos. Psal. 33. vlt. med.

Chrysost. in Moral. Hom. 7.


A indulgentiam facilem dare, atque vt eis à Deo ignoscatur totâ intentione deposcere. Maledicimur, inquit Apostolus, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Audi quid orans Stephanus dicat: Domine ne statuas eis hoc peccatum. Non modo non contrà eos, verùm & pro eis orabat. Tu verò non solùm non pro eis oras, qui te læserunt, sed contra eos preces emittis?] Christianus es: Imò Iudæus, publicanus, ethnicus.

Secunda est interna, quæ nimirum in corde transigitur, seu quæ cum ipso & toto homine componitur. [Præcipuè enim, vti obseruauit B Ambrosius, commendanda est oratio, placiditate animi & tranquillitate, vt vnusquisque sibi constet & congruat, & fiat illud quod scriptum est: Si duobus ex vobis conuenerit super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet à patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Qui sunt isti duo, nisi anima & corpus? Vnde & Paulus castigabat carnem suam, & seruituti redigebat, vt esset animæ tamquam imperatrici suæ caro subdita, & mentis imperiis obtemperaret: ne esset in vno homine dissidium, ac bellum intra se gereret, & legi mentis repugnaret lex corporis. C Duo igitur ista diuersâ ratione quadam & pace iungebat, secundùm quod ipse asserit, dicens: Quia Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem sepis, soluit inimicitias in carne suâ: ne id ageret quod nollet, atque id faceret quod odisset. Isti ergo sunt duo, anima & caro. Vnde & Dauid ait: Non timebo quid faciat mihi caro, quam aduersariam animæ suæ nosset. Quæ tamen duo (vt euidentius exprimamus) non solùm duo sunt, sed etiam duo homines: vnus interior, alter exterior. Isti duo si sibi propositi in æqualitate concurrant, vt cogitationes D factis, & cogitationibus facta conueniant, vitæ nostræ totâ sine vllâ offensione voluetur. Isti igitur duo vnum sunt: nec solùm vnum, sed vnus homo. Vnde & Apostolus ait. Vt duos conderet in vno homine, faciens pacem, & reconciliaret vtrosque in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, vt in vtrisque accessum habeamus in vno spiritu ad patrem. Sunt & duo homines, vetus & nouus. Vetus ille peccato obnoxius & obsoletus, ac vestimenti veteris similitudine attritus & scissus, quem in baptismate affigimus cruci. Vetus enim affigitur, vt moriatur peccato & nouus resurgat qui renouatur per gratiam.] E Explicuit Paulus quam pacem velit. [Quia, inquit Chrysostomus, communia cupit bella dissolui, & pugnas agitationesque, & armorum fremitus; atque ideò & pro regibus, & pro principibus sacerdotē offerre preces hortatur: longè magis & in priuatis bellis id necessariò sibi faciendum meminit. Quippe tria sunt bellorum genera grauiora. Vnum quidem commune, cum exercitus nostri depugnant: secundum, cum etiam pacis tempore nos inuicem oppugnamus: tertium, cum vnusquisque aduersum se bella seditionesque concitat. Quænam verò vtilitas est, si pacato orbe, mag-

Ambros. lib. de institut. vir. c. 14

Chrysost. Hom. 7.

Pietas subigit mentē, castitas carnē subiicit.



SECTIO SECVNDA.

DE INSTRVCTIONE.

TEXTVS.

VOlo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine irâ & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Heua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

EXEGESIS LITTERALIS.

QVàm pura virorum, quàm modesta ac pudica debeat esse mulierum oratio edocet. Quamuis autem orare iubeat mulierem, non tamen placet docere, sed permanere in officio, & in silentio discere.

[Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine irâ & disceptatione, &c.] Orandum est, obsecrandum est: pro quibus ? pro omnibus hominibus. Quibus orandum est ? viris ac mulieribus. Vbi orandum ? In omni loco decenti & commodo. Quomodo orandum ? cum munditiâ cordis & operis, sine irâ ac discordiâ. [Pacificum animum monet in oratione esse debere, ait Ambros. vt ad effectum deducatur oratio. Sanctæ enim manus sunt, quando cor mundum est.] Orandum ergo sine cordis maculâ, sine offensionis memoriâ. [Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ, &c.] Volo etiam mulieres orare, sed in habitu modesto, qui honestatem deceat, redoleat castitatem: non in tortis capillis, non in auro, aut lapidibus pretiosis, vel splendidis vestibus. [Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona, &c.] Ornent se, & curent corpus, sed eâ modestiâ, quæ conuenit mulieribus pietatem, verumque Dei cultum non per verba sola, sed per opera bona profitentibus. [Id namque vt faciant, feminas decet quæ Christum profitentur, & Deum verum viè colunt.] Ita Comment. Athanas. Hæc sunt vitia muliebri genio adhærentia,

Ambros. in Paulum.

Ornatus est habitus, qui statui & sexui congruus.

Comment. Athanas.

A sed & nonnunquam viros ipsos inficiunt. Itaque sicut ira & disceptatio sic remouentur à viris vt ne tolerentur in mulieribus, ita & ornamenta & cura superflua, seu vana corporis compositio prohibentur mulieribus, vt ne in viris quidem nominentur. Vtrobique vitia sunt, tam fidelibus indigna, quàm infesta orantibus: sed eo turpiora, quo non solum modum violant, sed & sexum dedecorant.

[Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio, &c.] Turpe est mulieres pompaticas, Eccle-
B sias egredi: turpe etiam mulieres garrulas in Ecclesiis loqui. Idcircò mulier in silentio discat, nequidem in Ecclesiis proponere vel interrogare præsumat, sed in omni subiectione sexui suo congruente, dicentem audiat disserentem-ve. Docere autem in Ecclesiis, seu publicis conuentibus, nullo modo mulieri permitto, neque vllam auctoritatem exercere in virum suum: sed in Ecclesijs permaneat in silentio, domi autem sese in officio contineat subiectioni & moderationi congruo [Non so-
C lùm habitum humilem, ait Ambros. habere debere mulierem, verumetiam auctoritatem ei denegandam, & subiiciendam præcipit viro, vt tam habitu quàm & obsequiis sub potestate sit viri, ex quo trahit originem.] Hæc ratio præcipua, sicut, & primaria. [Adam enim primus formatus est, deinde Heua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit, &c.] Vir prior creatus est, & ex eo formata fœmina: potior autem iure, qui prior tempore. Adde quòd Adam non est deceptus, sed Heua decepta, transgressioni obnoxia facta est, vtpote Dei præceptum trans-

Ambros. in Paulum.

Non debet esse auctoritas imperii, vbi est imbecillitas indicii.

gressa: cur ergo dignitas imperij sit apud eum sexum, apud quem infirmitas iudicij, & imbecillitas animi? [Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.] Quid igitur aget mulier, aut quam operam fidei impendet ac religioni? Liberos ex se genitos educet, & ita gubernet, vt in institutis perseuerent maternis, fidem Christianam, fraternam dilectionem, sanctificationem incontaminatam, castitatemque seruent illibatam. Vbi, notante Aquinate: [Per, non dicit causam, sed repugnantiam. Et est sensus, Mulier saluabitur, etiam si incedat per generationem ad quam est à Deo ordinata.] Non repugnat mulierem etiam nubentem saluari: imo iuuat saluari: si filios rectè instituerit, si probè ac Christianè fouerit, si per exemplum virtutis ad salutis portum perduxerit.

Aquin. lect. 3.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

DE seductione & salute negotium est; Quomodo enim Adam seductus non est, si legem pariter transgressus est? Aut quomodo tota mulierum salus, si in alieno posita arbitrio?

DISQVISITIO PRIMA.

De seductione.

CLarum est quod ait Apostolus. [Et Adam non est seductus.] Vbi cum ait, [Et:] Alteram suggerit rationem, cur non permittat mulieri dominari in virum. Prima quippe ratio. [Adam enim primus formatus est, deinde Heua.] Inde enim, vt obseruat Chrysostomus, [Maiore virilis sexus honore potitus est, quia primum formatus. Inde alio loco huiusmodi primatum ostendit, dicens, Neque enim propter mulierem factus est vir, sed mulier propter virum.] Hic quidem primatus ex scripturis manifestus est, sed addendem quod sexus sequior ex meliori deriuatus sit, vt virilis non solùm potior sit tempore, sed & origine dignior. [Et Adam non est seductus.] En altera ratio, quâ principatus maximè subnixus est, quâ ius docendi asseritur viris ac regendi feminis adimitur. [Magnam prorsus, ait ille, à mulieribus beatissimus Paulus verecundiam exigit, summamque honestatem, dum eas non modò ad habitum vsque amictumque componit, verùm & silere perpetuò imperat. Nihil, inquit, loquatur in Ecclesiâ mulier. Adeò enim oportet illam studere silentio, ne non modò de secularibus rebus, verùm ne de spiritualibus quidem loquendû sibi in Ecclesiâ nouerit Mulieri, inquit, docere non permitto. Quam, oro, hoc in loco his verbis consequentiam seruat? Profectò summam. De silentio disserebat, de honestate, de pudore. Dixerat, loqui eas nolo. Inde igitur cupiens loquacitatis occasionem penitùs tollere, ne doceant quidem, inquit, sed obseruent discentium ordinem. Ita

Chrysost. Hom. 9.

Chrysost. ibidem.

A enim ex silentio ipso, quòd sint subiectæ monstrabunt. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Ex his ergo quæ iam contigere, commonet mulierem esse, quæ virum initio, cunctaque peruerterat, atque fecerat inobedientiæ reum: idcircò ipsam subdidit Deus, quia honoris parilitate principio sibi indultâ, pessimè vsa fuerat. Ad virum, inquit, tuum erit conuersio tua: antehac autem nihil huiusmodi dictum fuerat. Idcircò & Paulus, Semel, inquit, mulier docuit, & cuncta peruertit, vltra ergo non doceat. Est enim sexus ille infirmus ac leuis: idcò non dixit, Heua autem seducta est: sed, mulier, quod commune est nomem sexûs potius quàm proprium Heuæ. Quemadmodum ergo ait de Adam, In similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri: ita & hic muliebris sexus præuaricatus dicitur.]

Mulier semel docuit, & omnia peruertit.

B

Benè est, etsi sat malè: ad docendum enim regendumque & firmitas animi requiritur, & integritas iudicij: ideoque ille sexus ad hæc idoneus non est, in quo lenitas inuenitur, & imbecillitas. Sed quomodo Adam seductus non est, si iisdem techmis ad mandatum transgrediendum impulsus est? [Superbus ille angelus, ac per hoc inuidus, (verba sunt Augustini) malesuadâ versutiâ in hominis sensum serpere affectans; cui vtique stanti, quoniam ipse ceciderat, inuidebat; colubrum in paradiso corporali, animal scilicet lubricum & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit, eoque per angelicam præsentiam, tanquam instrumento abutens, fallacia sermocinatus est feminæ: à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum: non existimans virum facilè credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori. Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem, credibile est, errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est, illum virum suæ feminæ vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem transgrediendum non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim fructrà dixit Apostolus: Adam non est seductus: mulier autem seducta est: nisi quia illa quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit: ille autem noluit ab vnico cõsortio dirimi, nec in cõmunione peccati; nec ideò minus reus, sed sciens prudensque peccauit. Vnde & Apostolus non ait, Non peccauit: sed, non est seductus. Nam vtique ipsum peccasse ostendit, vbi dicit: Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum: & paulò post apertiùs, In similitudinem, inquit, præuaricationis Adæ. Hos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, non putant esse peccatum, ille autem sciuit. Alioquin quomodo verum erit, Adam non est seductus?] Quid Adam ad Deum: [Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.] Quid porro mulier? [Serpens decepit, me, & comedi.] Queritur ergo mulier

C

Augustin. lib. 14. de Ciuit Dei c. 11.

D

Aliud erro re decipi, aliud à muliere pelli.

E

Genes. c. 3.

se à serpente seductam deceptamque: vir autem causatur, se à muliere illectum captumque: illa igitur errori culpam imputat suam, iste societati: illa serpentem accusat decipientem, ille mulierem impellentem.

Spectandus est Pauli Apostoli scopus, quo silentium imponit sexui muliebri, & interdicit imperium. An expedit docere sexum illum qui tam facile decipitur, & ex errore seu deceptione, diuinum adeò perniciosè mandatum transgreditur? Imò silere expedit. Quis enim credet docendi curam, aut regendi prouinciam ei committet sexui, qui tam facilè impingitur in errorem, qui simplicitate nimiâ, vel apertâ fallitate in deceptionem inducitur? [Dicendum enim, (ex Aquinate) quòd si consideremus conditionem personę vtriusque, scilicet mulieris & viri, peccatum viri est grauius, quia erat perfectior. Sed quantum ad ipsum genus peccati, vtriusque peccatum æquale dicitur, quia vtriusque peccatum fuit superbia. Sed quantum ad speciem superbiæ, grauius peccauit mulier: quia maior fuit elatio mulieris quàm viri: mulier enim credidit verum esse quod serpens suasit, scilicet quod Deus prohibuerit ligni esum, ne ad eius similitudinem deuenirent: & ita dum per esum ligni vetiti, Dei similitudinem consequi voluit, superbia eius ad hoc se erexit quòd contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit hoc esse verum.] Femina igitur ob simplicitatem, infirmitatemque deceptui & errori obnoxia est, ideoque regendo vel docendo minus idonea: vir autem pollentioris ingenij, iudicij maturioris, & ideo imperio dignus, docendo natus ac regendo. [An igitur quia hoc credere ipse non posset, tanquam hoc tantum bonum creaturæ suæ creator inuiderit: (verba sunt Augustini) propterea mulier addita est, quæ parui intellectûs esset, hoc quod nondum in agnitione Dei perceperat, viro regente ac dispensante paulatim fuerat perceptura. Neque enim frustra est illud quod Apostolus ait: Adam enim primus formatus est, deinde Eua: & Adam non est seductus, mulier autem in præuaricationem facta est, id est, vt per illam etiam vir præuaricaretur. Seductum tamen negat. Nam & interrogatus non ait: Mulier quam dedisti mecum, seduxit me, & manducaui: sed, ipsa mihi, inquit, dedit de ligno, & manducaui. Illa verò: Serpens, inquit, seduxit me. Adam enim, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eique dedit vt simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omninò illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicali quadam beneuolentiâ, quâ plerumque fit vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuisse, diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit. Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in vllo modo quo illa potuit.] Omnis quidem qui peccat, errat: sed aliud est peccare ex errore, aliud ex amore; aliud serpenti credere, aliud mulieri non resistere.

Aquin. 2.2. q. 163. art. 4. in corp.

August. lib. 11. Gen. ad litt. cap. 42.

Credidit mulier serpenti, vir cessit mulieri.

DISQVISITIO SECVNDA.

De salute.

PEriit mulier & perdidit: nec tamen spes est absumpta salutis, nec saluationis etiam species denegata: vt & ipsa redeat, & quos perdidit, restituat. [Saluabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione, cum sobrietate.] Ex Græcis: [Si permanserint.] Verùm, [Consideremus (cum Hieronymo) cur Apostolus ad hanc sententiam, & vnde peruenerit. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes sanctas manus sine irâ, & disceptatione. Consequenter itaque mulieribus dat præcepta vitæ, & ait: Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ & castitate. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed subditam esse in silentio. Et ne videretur mulieris dura conditio, quæ eam in mariti redigeret seruitutem: legis recordatur antiquæ, & ad originale exemplum redit: quòd Adam primus factus sit, deinde mulier ex costâ eius: & quòd Adam diabolus seducere non potuerit, sed Euam: quòd post offensam Dei statim viro subiecta sit, & ad maritum illius facta conuersio: quodque errorem veterem illa, quæ semel connubio copulata est, & redacta in conditionem Euæ, filiorum procreatione deleret; ita tamen, si ipsos filios erudiret in fide, & dilectione Christi, & in sanctificatione, & pudicitiâ. Tunc ergo saluabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sunt; si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis; & damnum radicis, & cariem, flore compenset, & pomis. Nam si saluatur mulier in filiorum generatione, & liberorum numerus salus matrum est: cur addidit, Si permanserint filij in fide, & charitate, & sanctificatione, cum castitate?] Non ergo de generatione filiorum negotium est, sed de sanctificatione, nec opprobrium est non genuisse liberos, sed genitos non instituisse, & in Christiano non continuisse officio. [Si enim, ait ille, de sermone diuino aliquando generarit, necesse est, quæ generata sunt, crescere, & primum accipere lac infantiæ, donec perueniant ad solidum cibum, & ad maturam ætatem plenitudinis Christi. Et has reor iuxta mysticos intellectus esse mulieres, de quibus Apostolus scribit: Mulier seducta in transgressione facta est: saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide, & charitate, & sanctitate cum pudicitiâ.] Græcè σωφροσύνης. Cum honestate ac temperantiâ. [Ac si apertè dicat, ait Chrysostomus, Nolite tristes esse mulieres, quòd sexus vester probro & calumniæ pateat. Deus ecce vobis & aliam occasionem salutis confert, filiorum scilicet educationem: vt non modò per vos ipsas salutem inuenia-

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. circa med.

Mulier quod perdidit, reddit in filiis suis.

Hieronym. epist. 151. quæst. 4.

Chrysost. Hom. 9.

tis, verùm per alia quoque salutis adminicula capiatis.]

Totum ergo negotium non in generatione filiorum, quæ naturæ est, sed in ipsorum educatione, quæ gratiæ, constitutum est. Sed tria sese offerunt disquirenda. Primum est, Quomodo mulier saluetur alienæ virtutis merito, & non propriæ studio sanctitatis? Quid ergo, si non permanserint filij, mulier non saluabitur; aut si liberi non crediderint, mulier reprobabitur? Minimè, cura enim sola demandata est, euentus diuinæ seruatus prouidentiæ. [Si ergo, vti resoluit Athanas. totis viribus adnitatur, & studio omni incumbat, nequeat tamen hos reddere meliores, quod non rarò euenit, & hæc laborum habitura est præmium. Si quidem & Dei filius, cum factis tum dictis maximè ad veritatem homines traducere conaretur, perpaucos habuit qui sibi obtemperarent.] Vnusquisque apud Deum recipit secundùm proprium laborem: & ad hoc sufficit: vt mater curet educetque liberos à se genitos, eo modo ac studio, quo dignè instituendi sunt, & securè in salutis portum seu fructum pietatis prouehendi. Alterum, Cur nec propria virtus requiratur in matre, sed totum filijs committatur? Quid ergo, si filij permanserint in fide & dilectione, mater autem improba fuerit, aut à fide ac dilectione ipsa recesserit, nihilominùs ipsa saluabitur? Minimè verò, non enim verbo tantùm filij docendi sunt, sed exemplo. [Quid enim, ait ille, si mater nequior fuerit & impudica, filios tamen rectè educet? Fieri id sanè nequit.] Debet ergo mulier primò omnium saluti suæ consulere, sed ne putet satis esse, si pietati vacet ac sanctitati, debet etiam familiam suam excolere, domum odore vnguenti perfundere, id est, domesticam ecclesiam tanquam templum Dei, castitatis ac sobrietatis, virtutisque omnis honore perducere, filios suos exemplis, & cum opus est, verbis dirigere. [Quid enim cum probis sit ipsa moribus imbuta, ait Athanas. negligat tamen filios erudire, & præ eius nimiâ indulgentiâ patiatur illos præcipites in vitia agi?] Tertium, Quæ spes salutis sterilibus relicta sit, aut etiam virginibus, cum liberos non habeant, quos instituant, seu qui in fide ac dilectione permaneant. An ergo quæ non genuerit, quæ filios non habuerit, quos curet educetque, condemnabitur? Absit. Quomodo enim beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt?

Athanas. in Paulum.

Athanas. Ibidem. Mulier non tam verbo docere debet quàm exemplo.

Tria igitur aduertenda sunt. Primum est, Apostolum coniuges instituere, non virgines: vnde ad mulierem simul & ad virum potest etiam illud referri, [Si permanserint in fide & dilectione.] Sed & si de filijs intelligendum est instituendis: nihil id ad virgines aut steriles, cum cuique viuendi regula sit à Paulo præscripta. [Rectæ profectò vitæ, ait Chrysostomus, exprimit normam, dum sobrietatem honestatemque subinfert. Hoc est, si ipsos postquam genuerint liberos, ad ista curauerint promouendos, maximâ mercede donabuntur, quòd scilicet athletas nutrierint Christo.] Iis ergo datum illud præceptum quæ gignunt & nutriunt, non autem ijs quæ aut procreare non possunt, aut nolunt: non posse enim, infirmitatis est; non velle, sanctitatis. At verò, alia sunt de virginibus instituta, vt non cogitent quę mundi sunt, aut etiam matrimonij, sed puritatem sanctitatemque mentis curent & corporis. Alterum, Paulum non tam de excellentiâ præmij sollicitum, quàm de curâ solatij. Dejecerat enim sexum femineum, infamiaque asperserat nedum miseriâ; ne tamen concidant animo, tædioque succumbant, aliquid permittit, aliquid & promittit. [Videre autem videor, ait Athanas. cum fœminæ alios instruendi potestatem ademerit, perinde has ipsas consolaturus demandasse quos doceat; perinde ac si dicat, Si tibi alios erudiendi libido incesserit, liberos tuos erudi.] Et virginibus quidem salua sunt præmia, nec quærenda salutis remedia: sed maritatis occasio salutis quærenda est, & deiectio conditionis nonnullo releuanda solatio. Saluabitur ergo mulier per τεκνογονίαν, per filiorum generationem, si manserit in fide & dilectione. [Est enim illud perspicuum, vt ille ait, vt quæ virtute sit prædita mulier, ad virtutem sit & liberos educatura.] Tertium denique, quamuis mulier docere priuatim possit ac domesticatim, suamque familiam instruere: id tamen non solùm efficaciùs, sed & decentiùs per opera ipsa fieri, quàm per verba. Vtrumque docuit Apostolus; & primum quidem, cum ait: [Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.] Alterum, cum addit: [Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, in operibus bonis testimonium habens: si filios educauit, si omne opus bonum subsecuta est.] Si mulier huic regulæ sedulo institerit, si tam vitæ attenderit quàm officio, haud dubiè saluabitur: satisfecit enim muneri, dum operi incubuit: conscientiamque absoluit, dum Christianam, cum quâ dignè saluabitur, verbo & exemplo instituit familiam.

Regula rectè viuendi cuique à Paulo præscripta.

Chrysost. Hom. 9.

Athanas. in Paulum.

Athanas. Ibidem.

1. Timoth. cap. 5.

TROPOLOGIA.

Cum verecundiâ & sobrietate ornantes se.

IGitur ornantes se, sed sicut [Decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.] Primò ergo, ornatus mulieri pemissus est: secundò, excessus illicitus est: tertiò, vsus non in arte, sed in virtute constitutus est.

Quoad primum. Semper contradicitur cultui muliebri, & nunquam satis dicitur: quanquam & inaniter contradicitur, quia semper dicitur inutiliter: & eo minus obtinetur, quo plus exigitur [Siquidem, vti dixit Tertullianus, & viris propter feminas, & feminis propter viros vitio naturæ ingenita est placendi voluntas.] In quibus tria notanda sunt. Primum, hoc esse vitium naturæ, ideoque corruptæ. Non enim cultum admisit innocentiæ status, cum nec habitum, non enim æstum sensit cõcupiscẽtiæ. Alterũ, vitiũ illud esse ingenitũ, & ideò minui quidem posse, non tamen & tolli; posse tẽperari, non autem extirpari: quod enim innatum est, radicitus hæret, nec statum suum

Tertullian. lib. de cult. femin. c. 8.

penitus dimouet. Tertiũ, etsi vtrique sexui adhæreat illud vitiũ, eo tamen virũ indignius dedecorat, quo in sexũ iniustiùs transfigurat alienũ. Parcendũ segniori sexui, non tamen ignoscendum meliori. Primò, quia, vt dixit Apostolus: [Non est creatus vir propter mulierem sed mulier propter virum.] Cur ergo improba illa placendi voluntas, nisi quia indigna est cupiditatis seruiendi? [Ademptâ namque placendi voluntate, vt Tertullianus loquitur, per luxuriæ vacationem, omnia illa vt otiosa, aut hostilia recusantur.] Secundò, quia bona ista speciei seu faciei, sunt maximè propria, & quasi sola mulierum bona, cum alia virorum sint, & quidem eximia. Sua ergo vsurpant fœminæ, dũ ornant se. [Non enim vtemur nostris?] aiunt apud Tertullianum. Viri autem inuolant aliena, dum sua abnegant. Tertiò, quia vir creatus est, momento formatus: mulier autem ædificata est, quasi cum ornamento exstructa. [Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.] Demus ergo isti sexui, quod alteri denegemus: sicut enim vir, mundum gestans muliebrem, odio est, sic & mulier ornatum omnem repudians, est opprobrio. [Hæc ergo (vt dicam ex Tertulliano) non in crudam in totum & ferinam habitudinem insinuandam suggeruntur, nec de bono squaloris & pædoris suademus, sed de modo, & cardine, & iustitiâ corporis excolendi.] Quis velit mulieres incultas esse & incompositas, crudas ac rudes? Non id præcipit Apostolus: imò dissuadet ac prohibet. [Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ & sobrietate ornantes se.] Quid, Similiter? [Sciendum est, ait Aquinas, quòd omnia quæ requiruntur ad virum orantem, requiruntur & ad mulieres. Et ideò dicit, Similiter & mulieres. Quasi dicat, Omnia seruent, quæ dicta sunt. Sed addit duo, scilicet ornamenta & verecundiam, dicens, In habitu ornato cum verecundiâ. Cuius ratio est, quia naturale est quòd sicut mulieres sunt mollioris corporis quàm viri, ita debilioris rationis. Rationis autem est ordinare actus & effectus vniuscuiusque rei. Ornatus verò consistit in debitâ ordinatione, & dispositione. Sic in interiori decore nisi sint omnia ordinata ex dispositione per rationem, non habet pulchritudinem spiritualem. Et ideò quia mulieres deficiunt à ratione, requirit ab eis ornatum. Item verecundiâ est de turpi actu, & ideò est laudabilis in illis, qui facilè solent declinare in actus turpes, cuiusmodi sunt iuuenes, & mulieres: & ideò hoc in eis laudatur, non tamen senes & perfecti.] Tria subnotanda sunt. Primum est, agi de cœtibus Christianis, seu fidelibus ad orandum obsecrandumque collectis, in quibus vt plurimum pompatior virorum ac mulierum suggestus, cultusque accuratior. [Propter ipsum videre & videri, vt dixit Tertullianus, omnes pompæ in publicum proferuntur.] Secundum, Apostolum non prohibere mulieribus, ne ornent se & curent, imò & iubere: cum enim sordes & maculæ cum peccato excreuerint, necessariæ sunt in muliebri corpusculo aliquales munditiæ. Tertium, velle tamen esse in habitu ornato, non dissoluto &

1. Cor. c. 11.
Tertullian. Ibidem.
Tertul. cap. 9.
Genes. c. 2.
Tertul. cap. 5.
Aquin. lect. 2.
Datur feminis, quod viris denegatur.
Tertullian. lib. de cult. fem c. 11.

A ornare se cum verecundiâ, vt ex habitu externo discant mores componere, ex amictu honesto ac modesto sciant virtutes excolere: verecundiam induant, dum longiorem circumdant vestem, & ornamentum requirant, non minus pudori quàm sexui congruum.

Quoad secundum. Vult ergo Paulus mulieres ornare se, non dedecorare, habitum gestare ornatum, Græcè κόσμιον, temperatum, honestumque, non dissolutum. [Habitum profectò, ait Chrysostomus, tunicam vndique honestam, compositam significare voluit.] Est enim Græcè καταστολῇ. [Ornatum igitur non exquisitum intelligas, sed moderatum. Hic enim ornatus habitus est, ille autem etiam fœdus. Quid dicis? Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers, flauosque crines, & ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? Nunquid hîc nuptias & lasciuiæ oblectamenta conquiris? Num vt tui spectaculum præuenisti? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Illic nempe monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatus crinium, illic pretiosa vestis locum aliquando fortassis habent. At verò nunc nullo tibi huiusmodi ornatu atque apparatu opus est. Accessisti vt Deum pro peccatis tuis suppliciter depreceris, vt tuis in illum sceleribus veniam cum gemitu ac lacrymis petas; accessisti, vt Dominum tibi propitium facias: quid teipsam ornare improbo atque intempestiuo studio contendis? Non iste supplicis habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes, ac lacrymas fundere, atque intentissime vt decet orare, quæ eiusmodi ornatu compta procedis? Nam etsi lacrymas fuderis, risum cernentibus huiusmodi lacrymæ mouebunt. Neque enim auro amicta debet incedere, quæ lacrymas pro peccatis profundere intendit. Est enim potius scena quædam atque simulatio, si ex eodẽ animo ex quo tanta sumptûs magnificentia, tantaque ambitio prodiit, inde etiã profũdi lacrymas viderint.] Sanè nihil indecentius, nihil & indignius, quàm ad Deum accedere supplicis affectu, & supplicare habitu meretricis: illa non solùm histrionia est, sed & insolentia. Verùm Apostolus non solùm debitæ consuluit pietati, sed & publicæ cauit honestati. [Cum verecundiâ & sobrietate ornantes se: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ.] Sic enim & coapostolus Petrus non solùm publicæ orationi prouidit, sed & sanctæ conuersationi. [Considerantes in timore castam conuersationem vestram: quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.] Voces istæ reciprocæ sunt, sibique correspondentes. Non enim cultus omnis externus ornatusue, Græcè κόσμος prohibitus est, sed immodicus, qui in tribus maximè constitutus est. Primum, [Non in tortis crinibus.] Græcè ἐν πλέγμασιν. [In implicaturis.] Et Petrus: [Non sit capillatura.] Alterum, [Aut auro, aut margaritis.] Petrus vero, [Aut circundatio auri.] Adde, [Et lapillos istos, vt Tertullianus loquitur, qui cum auro superbiam iungunt.] Tertium, [Vel veste pretiosâ.] Et Petrus, [Aut indumenti ve-

Chrysost. Hom. 8.
Habitus debet esse orãti seu supplici congruus.
1. Pet cap. 3.
Tertullian. lib. de hab. mul. cap. 5.

(Marginal letters B, C, D, E mark the sections of the right column.)

stimentorum cultus.] Splendidus nimirum curiosusque [Quocirca, ait Chrysostomus, & Paulo ingens cura est, huiusmodi superfluum ornatum ad honestiorem modum componendi, ac tuendo pudori plurimum studij impendit. Quod si ea quæ opum tantùm indicia sunt, tanto studio circumcidit, aurum scilicet, margaritas, & vestimenta pretiosa: quanto magis ea quæ immodico studio & arte quæruntur; cuiusmodi sunt purpurisso vultus inficere, & stibio oculos pingere, & cetera irritamenta lasciuiæ? Hæc enim omnia vno verbo signauit, cum diceret, In habitu ornato, & cum verecundiâ ornare se. Ista quippe & à verecundiâ remotissima sunt, & plena dedecoris turpitudinisque censentur.] Ornent, se sed cum pudore ac sobrietate, vt nec lasciuus sit ornatus, nec nimius. [Non supergrediendum, ait Tertullianus, vltra quam simplices & sufficientes munditiæ concupiscunt, vltrà quàm Deo placet.] Etsi hoc habeant, abstineant tamen: etsi abundent, nihilominùs temperent.

Chrysost. Hom. 8.

Tertul l. de cul. fem. c. 5.

Quoad tertium. Si decentiam prætendunt, benè est, sed ibi quærunt, vbi quod placet, dedecet. Quid ergo? [Quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.] Dici potest ex Græco: [Annuntiantes pietatem.] Cui condicet Petrus. [Vt & qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.] Quomodo verò? An per exteriorem cultum, vel per interiorem pietatis ac sanctitatis habitum? [In incorruptibilitate quieti & modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples. Si enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se: sicut Sara: cuius estis filiæ benefacientes.] Virtute nimirum, nedum genere; imitatione, nedum generatione. Vnde in Græco ἐγενήθητε, [Factæ estis.] Dum non monilibus pretiosis, sed Christianis ornatæ virtutibus, bonis operibus commendatæ. [Illa enim, vti dixit Cyprianus, sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora. Sciant namque diuites & locupletes, bona illa esse, quæ sunt spiritualia, diuina, cœlestia, quæ nos ad Dominum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetuâ possessione permaneant. Ceterum quæcumque terrena sunt in seculo accepta, & hîc cum seculo remansura, tam contemni debent, quàm mundus ipse contemnitur, cuius pompis & delitiis iam tunc renuntiauimus, cum meliore transgressu ad Dominum venimus. Locupletem te dicis & diuitem, sed diuitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum iusto fine moderandum, suâ voce præscribit. Sint, inquit, mulieres, cum verecundiâ & pudicitiâ componentes se, non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut pretiosâ veste; sed vt decet mulieres promittentes castitatem per bonam conuersationem. Item Petrus ad hæc eadem præcepta consentit, & dicit: Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus sed cultus cordis. Quòd si illi mulieres quoque admonent coërcendas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosâ obseruatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum, quanto id magis obseruare virginem fas est, cui nulla ornatûs sui competat venia; nec deriuari in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine?] Triplex passim causatio mulierum est, ad excusandam vestium & ornamentorum luxuriam. Prima est, quod diuites, quòd illustres: secunda, quòd placere debeant maritis suis: tertia, quòd secundùm morem, commere, secundùm consuetudinem se valeant expingere, sicque innocentes sint, imò & laudabiles. Sed quibus loquitur Apostolus Paulus, quibus & Petrus? An tenuioribus? imò locupletioribus. An solutis? imò coniugatis? An alienum morem sectantibus? imò patrium & communem amplexatis. Diuites sumus, insignesque. [Si quas, ait Tertullianus, diuitiarum vel natalium, vel retrò dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi: vt sapientiam consecutæ, temperare saltem ab huiusmodi curate, ne totis habenis licentiam vsurpetis, prætextu necessitatis.] Sed placendum est maritis suis. [In tantum, ait ille, placebitis eis, in quantum aliis placere non curaueritis. Securæ estote, benedictæ, vxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit cum electa est, seu moribus, seu formâ commendata.] Denique mori deferendum est ac consuetudini. [Secundum Gentilium, ait Tertullianus, an secundùm Dei placitum incedere Christianos oportet?] Christo viuere an seculo, Euangelij disciplinam, an mundi lasciuiam sapere? [Portent, ait Cyprianus, imaginem eius qui de cœlo est, disciplinæ Dei memores, iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraternâ pace vnanimes atque concordes. Prouectæ annis, iunioribus facite magisterium: minores natu, præbete comparibus imitamentum: hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate. Durate fortiter, spiritualiter pergite, peruenite feliciter.] Amen.

1. Pet. cap. 3.

Cyp. lib. de hab. vir. cit. med.

Cultus interior longè exteriori præferendus.

Tertullian. lib. de cult. fem. cap. 9.

Tertull. cap. 4.

Tertull. cap. 11.

Cyp. lib. de hab. virg. in fine.

ANAGOGIA.

Volo ergo viros orare in omni loco.

VIros quidem tanquam primarios. [Similiter & mulieres.] Nimirum omnes comprehendit fideles. [Tria autem exigit in orando. (Aquinate obseruante) primò quod oratio sit assidua: secundò, pura: tertiò, quieta.]

Aquin. lect. 2.

Quoad primum. Non est quidem locus omnis orando Deo appositus. Vnde Tertullianus, de locis à Dei rebus prorsum alienis. [An ille, inquit, recogitabit eo tempore de Deo, positus vbi nihil est de Deo? Tragœdo vociferante, exclamationes ille alicuius prophetæ retractabit? & inter effeminatos histrionis modos psalmum secum comminiscetur? Auertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem] Idcircò enim & loca orando Deo destinata sunt, quæ inde dicta sunt oratoria, quia in id munus & opus exstructa. Tamen quia

Tertullian. lib de Spect. cap. 25.

nondum fas erat Ecclesias erigere, ceremoniasque celebrare in loco publico; scrupulum adimit Apostolus, nullumque locum, modò opportunus sit ac commodus, solemni orationi non constituit. [Nam quemadmodum, ait

Chrysost. Hom. 8.

Chrysostomus, pro omnibus orationes fieri iubet, quippe cum & pro omnibus Christus mortuus sit: ita & omnibus in locis orare optimum est, vt huiusmodi obseruatio non in locis sit, verùm in ipso orationis affectu.] Itaque & cum indignitas loci non patitur fieri orationem publicam ac solemnem, officij tamen necessitas non excluditur quoad internam mentalemque. [Dicit ergo Apostolus, Volo,

Aquin, lect. 1.

quia bonum est quòd homo oret, & assidua sit oratio in omni tempore, & in omni loco. Et ego doctor, Volo viros orare in omni loco Nam (vt addit Aquinas) In omni loco potest homo spiritualiter & mentaliter orare. Soph. 2. Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.] Et hoc est, quod ait Dominus: [Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio tuo ora patrem tuum in abscondito, & ipse reddet tibi in manifesto.

Chrysost. Hom. 8.

Quid igitur, ait Chrysostomus, Paulus sibi vult, qui ait, Volo orare viros in omni loco? Nũ enim Domino suo contraria imperat? Absit, imò illius dictis per omnia concors esse deprehenditur. Quonam autem modo? Tunc demum apertiùs innotescet, cum priùs explicauerimus quid sit, Intra in cubiculum tuum. Nam profectò plenum absurditatis erit, si istud simpliciter acceperimus, quasi non liceat omnibus in locis, atque in Ecclesiâ ipsâ orare, vbi fideles in primis orationis causâ conueniunt: nec in aliâ quidem domûs parte, nisi in cubiculo tantùm preces effundere. Quid igitur hoc sibi vult? Euitandam prorsus inanem gloriam, stultissimamque iactantiam, omni studio Christus

Cubiculum, cordis secretum est, intentionis sacrarium.

admonuit, dum non modò clam, verùm & in abditiori domûs parte vota atque preces offerendas admonuit. Sicut enim cum dicit, Nesciat sinistra quid faciat dextera tua: non de manibus simpliciter differit, sed magnitudinem vanitatis iugulare contendit: ita & hoc in loco cubiculi nomine secretum intimi cordis expressit. Non igitur vnius loci orationem angustiis clausit, verùm id solùm imperauit, fugiendam stultissimam vanitatem, orandumque omnibus in locis patrem ex intimo cordis affectu.] Si oportet semper orare, & nunquam deficere; sicut nullũ tempus subtrahitur, sic & locus nullus excipitur. Sed cubiculum illud domesticum, secretum cordis est, & intentionis

Cyp lib de orat. Dom. post. init.

sacrarium. [Denique ait Cyprianus, magisterio suo Dominus secretè nos orare præcepit in abditis & secretis, vel semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis conuenit fidei, vt sciamus Deum vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne cœlum & terram ego impleo? Et item: In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.] Præcipit ergo Apostolus omnibus fidelibus, orare in omni loco, id est, assiduam

A orationem facere precemque continuam: nec permittit quemquam loco præpediri aut negotio. Si enim orandum in omni loco, nec vnquam in aliquo non standum, semper vtique, sicut & vbique orandum est.

Quoad secundum. Non solùm assidua debet esse oratio, sed & pura [Leuantes puras manus.] Græcè ὁσίους [Sanctas.] Sed quod purum est, sanctum est. [Quòd enim exteriùs

Aquin. lect. 2.

orando agimus, (ita Aquinas ex Augustino) facimus vt affectus noster interiùs excitetur. Genuflexiones enim & huiusmodi non sunt per se acceptæ Deo, sed quia per hæc tamquam per humilitatis signa homo interiùs humiliatur: sicut eleuatio manûs significat eleuationem cordis. Tren. 3. Leuemus corda nostra cum

B manibus ad Dominum in cœlo. Leuantes igitur puras manus: id est, orantes cum deuotione cordis.] Primò ergo, leuanda scito cum manibus corda: secundò, opera per manus intelligenda: tertiò, & cogitationes intentionesve interiores, & actiones exteriores, orando Deo purificandas sanctificandasque. Ita ille: [Si consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris.] Vtroque scilicet homine purgatus. [Mundus videli-

Gregor. l. 8. Moral. c. 12.

cet in cogitatione, ait Gregorius, rectus, in opere.] Ideò igitur manus leuamus in cœlum, vt erigamus animum; sed puras & sanctas, vt

C omnem abluamus sordem, nullam seu in cordibus, seu in operibus admittamus maculam. [Vbique ora, (ait Paulus apud Chrysosto-

Chrysost. Hom. 8.

mum) vbique puras attolle manus: hoc enim est quod in quæstione versatur. Puras, inquit, manus: id est, mundas, non aquâ lotas: verùm cupiditate, rapinâ, cædibus. Similiter & mulieres orare volo, purasque in cœlum manus intendere: non propria desideria sequi, non diripere, non studere auaritiæ.] Purus est animus, cum terrenis vacuus est cupiditatibus, cum sanctis refertus operibus: cum cœlestia spirat, mundana conculcat; spiritualibus incumbit, carnalibus exertum remittit nuntium.

D [Sic ait Dominus, (apud Cyprianum) Orate:

Cyp. lib. de orat. Dom. cit. med.

Pater noster qui es in cœlis. Homo nouus renatus, & Deo suo per gratiam eius restitutus, Pater primo in loco dicit, quia filius esse iam cœpit. In sua, inquit, propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem, vt filij Dei fierent, qui credunt in nomine eius. Qui ergo

Deum patrem dicit, qui filius esse per gratiam cœpit.

credidit in nomine eius, & factus est Dei filius, hinc debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur se Dei filium, dum nominat patrem sibi esse in cœlis Deum: contestetur quoque inter prima statim natiuitatis suæ verba renun-

E tiasse se terreno & carnali patri, & patrem solum nosse se & habere cœpisse, qui sit in cœlis.] Ideò patrem oramus qui est in cœlis, vt ostendamus vota nostra cœlestia esse, spiritalia desideria, ab omni labe terrena, ab omni sorde aliena. [Meminisse enim, ait ille, &

Cypr. ibid.

scire debemus, quia quando Deum patrem dicimus, quasi filij Dei agere debemus; vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conuersemur quasi Dei templa, vt Deum in nobis constet habi-

A tare. Nec degeneret actus noster à spiritu, vt qui cœlestes & spirituales esse cœpimus, non nisi spiritualia & cœlestia cogitemus & agamus.] Inde subdimus, dicimusque: [Sanctificetur nomen tuum: quia ipse dixit; Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: ideò petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus. Et hoc quotidie deprecamur: opus est enim nobis quotidianâ sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assiduâ repurgemus. Sanctificatos nos dicit Apostolus in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Hæc autem sanctificatio vt in nobis permaneat oramus: hanc

B continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio quæ de Dei gratiâ sumitur, ipsius protectione seruetur.] Ita Cyprianus. Abluti sumus aquâ mundâ, veterem hominem exuimus, & induimus sanctitatem: cum eâ puritate, cum eâ sanctitate accedamus ad Deum, cum eâ manum operum-ve innocentiâ, animum attollamus.

Chrysost. Hom. 8.

Quoad tertium. Sit tandem quieta: [Absque irâ & disceptatione. Quid, oro, hoc sibi vult? ait Chrysostomus. Quis enim irascitur orans? Ceterùm iræ nomine profanam iniuriarum memoriam significare voluit. Munda, inquit, sit orantis intentio huiusmodi memoriæ peste,

C vitio omni atque perturbatione libera accedat ad Deum: nullus adeò audax sit, vt inimicitias exercens, ad eum pergat orandum. Nemo cum angore animi, ac disceptatione orans, exaudiri se putet. Cum statis ad orandum, dimittite, & dimittetur vobis. Hoc nempe est absque irâ & disceptatione orare. Si ita instructus accesseris, voti omninò compos eris; & quicquid postulaueris, impetrabis.] Sanè, sicut ira maximè orantibus infesta est, sic & clementia postulantibus apprimè necessaria.

Tertullian. lib. de orat. cap. 10.

D [Memoria præceptorum, ait Tertullianus, viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est: Ne priùs ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resoluamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: Et ne, inquit, irascamini in viâ: nos scilicet monuit: aliàs enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in viâ orationis constituti ad patrem cum irâ incedamus.] Nusquam magis animus inquietus est, quàm vbi subest iniuriæ morsus, aut appetitus vindictæ.

Animus ira ac discordia maximè turbatur.

[Idcircò dicit Paulus, Volo viros orare, sine irâ & disceptatione. Et ponit duo, (vt obseruauit Aquinas) Primò, vt sit mens sine irâ quæ animum inquietat ad inferendum nocumentum proximo, à quâ oportet liberum esse animum orantis. Eccles. 28. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? Liber etiam debet esse homo à disceptatione, quod potest intelligi dupliciter: vno modo, vt non disceptemus contra Deum, increduli verbis eius, & murmurando contrà eius ordinationem: Secundò, vt non rumpamus pacem cum proximo, quod fit per disceptationem: pax enim est oranti necessaria.]

Aquin. lect. 2.

Quid disceptatio? Græcè διαλογισμῶν: nisi contentio, altercatio, quæ amicitiæ infensa, aduersa concordiæ, quieti ac paci contraria, ideoque & oranti infestissima. [Fortè, ait Augustinus, peccauit in te aliquis, dimitte illi veniam à te petenti, ne dum fratri negas misericordiam, tibi claudas patris indulgentiam, dicente Iacobo Apostolo: Iudicium enim sine misericordiâ ei qui non fecit misericordiam. Dimittamus debitoribus nostris debita sua, & sic oremus, vt dimittantur nobis debita nostra, id est peccata nostra, propter quæ differimur ab impetrandâ veniâ, nisi eam acceleret fratrum indulgentia. Commouere enim diuinam non poteris pietatem, qui circa proximos tuos debitam neglexisti charitatem. Contra nullum hominem deseuiat ira tua, & citò à te indignatio diuina cessabit. Et si pacem temporum desideramus accipere, non dissimulemus pacem cum proximis custodire. Si enim in veritate vis vt vincatur diabolus inimicus tuus, citò tibi reconcilietur proximus tuus.]

Augustin. serm. 182. de temp. vlt. med.


Augustin. serm. 72. & 173. de tēp.

Sit ergo oratio assidua, sit pura, sed sit & quieta, tranquilla, placida, sine iræ motu, sine sensu iniuriæ. [Pacificos enim, vti Cyprianus dixit, & concordes atque vnanimes esse in domo suâ Deus præcipit, & quales nos fecit natiuitate secundâ, tales vult renatos perseuerare; vt qui filij Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus; & quibus spiritus vnus est, vnus sit & animus & sensus. Sic nec sacrificium Deus recipit: dissidentem, ab altari reuertentem, priùs fratri reconciliari iubet, vt pacificis precibus & Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo maius est pax nostra, & fraterna concordia: neque enim in sacrificiis, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur; vt ille placeret in munere, qui placebat in corde.] Quieto nimirum & pacifico.

Cyp. lib. de orat. Dom. vlt. med.

E

CAPVT



CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

DEscribit quales sint Episcoporum ac Diaconorum conditiones, præscribitque Timotheo suo vt aduigilet, & Ecclesiam secundùm tradita præcepta gubernet.

TEXTVS.

FIdelis sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non Neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ. Et hi autem probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filiis suis benè præsint, & suis domibus. Qui enim benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò: si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.

A

EXEGESIS LITTERALIS.

NOn solùm Episcopus erat Timotheus, sed & toti Ecclesiæ, seu potius toti præpositus prouinciæ. Itaque, [Vniuersam, vt dixit Athanas. scrutatus epistolam, aduerte Apostolum, non eundem in modum illum commonefacere, quo & discipulos reliquos: sed ita instruere, vt eos decet, qui docendi munere, non audiendi funguntur officio.] (Athanas. in Paulum.)

[Fidelis sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, &c.] Fidelis, quia fide dignus & attentione. Si quis Episcopatum appetit, præclarum cupit officium, in quo collaborandum sit, desudandumque. [Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, &c.] Tu ergo, qui tam percupidè Episcopatum appetis: quicumque tandem sis: attende qualis debeat esse Episcopus. Primò enim opus est, vt sit irreprehensibilis; id est talis, vt famæ sit integræ, & nulla de ipso iusta sit querela. [Qualis Episcopus debeat esse, describit, vt nemo Episcopatum appetat nisi fuerit fidus, & qui ab omnibus contrariis abstinere se possit, vt non indignus sit suâ (Comment. Ambros.)

A professione. Ita commentarius Ambros. [Vnius vxoris virum] Qui semel tantùm inierit coniugium, quia Christus non plus nupsit. [Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem.] Non conueniunt codices omnes in numero, conueniunt tamen in officio; cum hæc omnia sint episcopo necessaria. [Oportet ergo episcopum sobrium esse] Græcè νηφάλιον, quod tam vigiliæ est, quam abstinentiæ: qui enim parcus in cibo, etiam & in somno parcus est. [Prudentem] σώφρονα, temperantem seu rebus omnibus sapienter temperanterque vtentem. [Ornatum] κόσμιον, vultu & incessu compositum. [Hospitalem] φιλόξενον, peregrinorum amantem. [Doctorem] græcè

B διδακτικὸν: aptus sit paratusque ad docendum ea quæ Dei sunt fideique. [Non vinolentum.] Non vino obnoxium. [Non percussorem.] Sæpè enim violentia vinolentiæ vicina. [Decenter prohibet hoc, ait Aquinas, post vina: quia ebrii de facili percutiunt,] Petulantia manûs, ex potûs copia. [Sed modestum.] Humanum, mansuetumque, ἐπιεικῆ. [Non litigiosum.] Absque dissidio ac iurgio. ἄμαχον. [Non cupidû] ἀφιλάργυρον, ab auaritia alienum. [Sed suæ domui benè præpositum.] Regundæ gnarum familiæ. [Filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?] Si filios habet, eos ita gubernet, vt ad nutum obediant, & morum honestate vitam suam testatam faciant. Nam si quis familiam suam regere nescit, quomodo prudenter feliciterque Dei curabit Ecclesiam. [Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudiciū incidat diaboli, &c. [Non in fide nouitiū seu nuper insitum, ne inflatus tāto honore, per superbiā à rectâ fide deficiat, & ita in eandē cum dæmone corruat damnationem. [Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli, &c.] Oportet etiam eum benè audire apud eos qui sunt extra Ecclesiam, ne vllâ laboret infamiâ: si enim exprobrentur ei vitæ anteactæ viri, facilè despondebit animum, & ita fortè episcopatum, quin & Christianismum eiurabit.

Aquin. lect. 1

Qui familiā suam regere nescit, quomodo Dei gubernabit Ecclesiam?

[Diaconos similiter pudicos, &c.] Oportet itidem diaconos castos esse honestosque, græcè σεμνούς. [Non bilingues.] διλόγους, in sermone duplices. [Non multo vino deditos.] Remouenda enim à sacris ministris temulentia, tamque bibacitatis quam ebriositatis macula. [Non enim temulentos dicit hoc loco, & mentis nil compotes, id namque dictu admodum videretur indignum: sed bibaces vt essent, prohibuit.] Ita commentarius Athanasij titulo editus. [Non turpe lucrum sectantes.] Nihil sordide aut auare conquirentes. [Habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ.] Christianam religionem, fidem-ve mysticam, animis inserentes bene sibi conscius. [Et hi autem probentur primum: & sic ministrent, nullum crimen habentes, &c.] Porrò non minus diaconi quàm Episcopi priùs agnoscantur qualis vitæ, qualisque sint constantiæ, antequam ad ecclesiasticum assumantur ministerium; & si comperiantur tam laudabiles quàm irreprehensibiles, tuto ministrent, & in officio perseuerent. [Mulieres similiter pudicas.] Mulieres similiter seu vxores episcoporum diaconorumque, oportet esse castas, modestasque, σεμνάς. [Non detrahentes.] Græcæ μὴ διαβόλους, non calumniatrices. [Sobrias, fideles in omnibus, &c. [Sobrietate ac fidelitate illustres. [Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filijs suis benè præsint, & suis domibus, &c.] Semel tantùm nupti, dignique familiæ suæ præpositi. [Qui enim benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam, quæ est in Christo Iesu, &c.] Qui enim certè diaconatûs officio fuerint perfuncti, viam sibi ad locum altiorem exstruunt, multamque sibi pariunt docendi monendique confidentiam, græcè παῤῥησίαν. [Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò.] Sperat, Ephesū redire, nec tamen affirmat. [Si autem tardauero, vt scias quomodo oporteat te in domo Dei cōuersari: quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, &c.] Si autem tardiùs venero, vel forsan penitùs non rediero: hæc tibi scribo, vt scias quomodo ordinanda & gubernanda sit Dei viui Ecclesia, quæ sanæ doctrinæ fulcrum est firmissimum [Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo,

Commentar. Athanas.

Vnde acquisita monēdi corripiendique fiducia.

C assumptum est in gloriâ.] Dixerat Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis: explicat quæ sit illa veritas, quæ præcipue in mirando constitit Dominicæ incarnationis mysterio, in hoc enim ferè tota religio Chistiana est posita. Hoc ergo tantum religionis arcanum, omnium confessione maximum, in eo constitutum est, quòd Deus in humanâ naturâ manifestatus sit passibili ac mortali, per Spiritum sanctum iustus comprobatus declaratusque, Deus homo visus est ipsis angelis, annuntiatus est gentibus, & per vniuersum mundum creditus.

D Quidni enim colerent eum quem suspicerent in gloria assumptum, diuinaque donatum dexterâ? [Reuera ait, Chrysostomus, magnum mysterium est, vbique terrarum auditum atque creditum. [Fides quipe ex auditu, crediturque potius quàm comprehenditur.

Chrysost. Ho. [illegible]

CONSTITVTIONES APOSTOLICÆ.

DE Episcopis agi & diaconis, constituitque quales esse debeant illi qui non solum Ecclesiam administrant Dei, sed & Christi

E personam representant. Sit ergo

CONSTITVTIO PRIMA

De Episcopis.

PRima representatio est in episcopis, quorum Christus primus est. [Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.] Sicut enim Christus princeps pastorum est, sic & episcoporum omnium. Sed iam ad alios.

1. Pet. cap. 2.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De munere.

Ambros. de dign. sacerd. cap. 4.

PRæfatur Apostolus, antequam opus munus-ve aggrediatur. [Fidelis sermo] Fidem facit, sed attentionem exigit. [Sic enim, ait Ambrosius, ad cunctos episcopos ait: Fidelis sermo. Ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter loquor, ne quis existimet me fuisse mentitum.] Hæc verba fidelissima sunt ac verissima. [Dicturus ergo de episcopatus officio, inquit Chrysostomus, cuiusmodi esse episcopum deceat, indicat. Neque id quasi Timotheum admonens, dicit, sed vt omnibus simpliciter loquens, ac per illum quid conueniat omnibus, dictans.] Sunt ergo dictata generalia aut vniuersales constitutiones, quibus aut statuendus est episcopatus, aut episcopus dirigendus. Vnde & Ambrosius: [Vt specialiter, inquit, ipsius episcopatûs modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, Apostolica est regula reuoluenda, quæ de ijs per singula episcopales actus depingit. Sic solet Paulus, dum docet aliquid grauioris momenti, seu in re fidei, seu in opere ministerij. Quia igitur plurimum interest, bonos esse Ecclesiæ ministros, his verbis exorsus est. [Fidelis sermo] Audiendus amplectendusque: non enim tam assertio est, quam assertionis seu institutionis præfatio. Iam ergo ad episcopatum seu ad officium. [Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.] Quid ait? Munus nimirum proponit, sed per opus exponit. [Quid autem ait? Si quis inquit, episcopatum desiderat. Non culpo, (ita apud Chrysostomũ) non improbo, opus quippe regiminis est. Si quis hunc idcirc appetit, non principatûs ac dominationis fastu, verùm cura regiminis & charitatis affectu: non improbo, inquit: bonum quippe desiderat opus. Quippe & Moses eam rem appetisse cognoscitur. Verùm ille huiusmodi potentiam, ambitumque dominandi nequaquam quæsiuit, sed eam rem ita cupiuit, vt illi diceretur: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Si quis igitur ita desiderat, desiderat benè. Episcopatus enim ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur.]

Chrysost. Hom. 10.

Ambros. ibidem.

Regula generalis episcopis apposita.

Chrysost. Hom. 10.

Ex his tria elicienda sunt. Primum, ambitum dignitatis honoris-ve omninò esse præclusum. [Locus enim superior, vti Augustinus dixit, sine quo regi populus non potest: & si ita teneatur atque administretur vt decet, tamen indecenter appetitur.] Bonus quidem est principatus, præclarusque, sed malum indignũque, etiam dignis probisque, appetere: quid enim arrogantia, nisi laudis & honoris appetentia? Alterum, non sic fugiendum officium, vt otium præponendum sit negotio, aut studium obsequio: sed sicut instinctus omnis excludendus est cupiditatis, sic & genius consulendus est charitatis. [Ex tribus enim illis vitæ generibus, ait ille, otioso, actuoso: & ex vtroque composito: quamuis saluâ fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere: & ad sempiterna præmia peruenire: interest tamen quid amore teneat veritatis, quid offici o charitatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi: nec sic actuosus, vt contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inuentio veritatis: vt in eâ quisque proficiat, & quod inuenit, teneat & alteri non inuideat. In actione verò non amandus est honor in hac vitâ siue potentiâ: quoniam omnia vana sub sole: sed opus ipsum quod per eundem honorem vel potentiam fit, si rectè atque vtiliter fit, id est, vt valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundum Deum est. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: à studio enim cognoscendę veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne substrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas.] Tertium denique, episcopatum in inspiciendo intendendoque positum. Ita non solum nostri, sed & exteri, Græci, & Latini. Apud Arianum lib. 8. περὶ ἀνα-βάσεως [Munus ἐπισκόπων, est videre quid in regione fieret, vt cognita ad reges vel magistratus referrent.] Et apud Tullium lib 7. epist. [Vult Pompeius non esse, quem tota Campania & maritima ora habeant episcopum, ad quem delectus & negotij summa referatur.] Sed & apud Hieronymum. [Petrus in primâ epistolâ, Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, regere gregem Christi, & inspicere non ex necessitate, sed voluntariè iuxta Deum. Quod quidem græcè significãtiùs dicitur ἐπισκοποῦντες, idest superintendentes: vnde & nomen episcopi tractum est.] Denique apud Augustinum. [Propter hoc ait Apostolus: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere enim voluit quid sit episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens ἐπὶ quippe, super; σκοπὸς verò, intentio est: ergo ἐπισκοπεῖν si velimus, latinè superintendere possumus dicere vt intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.]

Augustin. l. 19 de ciuit. Dei cap. 19.

Augustin. Ibidem.

Otium amandum, nec recusandum negotium.

Hier. ep. 85. cit. med.

August. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 19.

Sic ergo, [Dicendũ est (cũ Aquinate) quod in Episcopatu tria possunt considerari. Quorũ vnum est principale & finale, scilicet episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur: secũdùm illud Ioan. vlt. Pasce oues meas. Aliud autẽ est altitudo gradûs, quia episcopus super alios constituitur, secundùm illud Matth. 25. Fidelis seruus & prudens, quẽ constituit Dominus super familiam suam. Tertium autem est, quod consequenter se habet ad istã scilicet reuerentia, & honor, & sufficientia temporalium, secundùm illud 1. ad Timoth. 5. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Appetere ergo episcopatum ratione huiusmodi circunstantium bonorum,

Aquin. 2. 2. q. 185. art. 1. in corp.

Episcopatus non in honore, sed in opere est positus.

manifestum est quod est illicitum, & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Vnde contra Pharisæos Dominus dicit Matth. 23. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradûs, appetere episcopatum, est præsumptuosum. Vnde Dominus Matth. 20. arguit discipulos primatum quærentes, dicens, Scitis quia principes Gentium dominantur eorum: gentile ergo est primatus cupere. Sed appetere proximis prodesse, est secundùm se laudabile & virtuosum. Verùm quia prout est episcopalis actus, habet annexam gradûs celsitudinem, præsumptuosum videtur quòd aliquis præesse appetat ad hoc quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente.] Sanè permisit quidem Paulus opus cupi, non tamen & munus; fructum quæri, non primatum. [Qui episcopatum desiderat.] Græcè ὀρέγεται. [Bonum opus desiderat.] ἐπιθυμεῖ. Ille appetit, iste cupit. Illic cupiditatis næuus est, istic affectus charitatis: illic ardentior appetentia honoris, hîc operis cura segnior, cum tamen non debeat munus appeti, sed hoc opus, nec illud nisi propter istud intendi. [Qui ergo ex hoc sumpserunt occasionem ambitionis episcopatûs & prælationis, (ait ille) non rectè intelligunt quod hîc dicitur. Apostolus enim hîc voluit ostendere quid pertineat ad episcopum. Et ideo dicit quid sit episcopus, & quid desiderat, qui episcopatum desiderat, quia bonum opus. Non dicit, bonum desiderium habet, sed bonum opus, scilicet vtilitatem plebis. Aut ergo appetit circunstantias, & tunc nescit quid appetat, quia non est hîc episcopatus: vel ipsum opus, & hoc est superbiæ: ad hoc enim nullus est idoneus & ideo non est accipiendum, nisi impositum.] Quærat virtutem, honorem fugiat: imò quæratur cogendus, vimque patiatur, non rogatus tantùm & inuitatus, sed & inuitus.

Aquin. lect. 1.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

De irreprehensibilitate.

VIsus erat Apostolus aut fauere ambitioni, aut saltem ambienti non resistere: idcircò statim reprimit æstum, & animum auertit operis etiam ac regiminis percupidum. [Plerumque enim, vt Gregorius dixit, qui præesse concupiscunt, ad vsum suæ libidinis, instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: qui tamen laudans desiderium, in pauorem vertit protinus quod laudauit, cum repentè subiungit: Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse. Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat. Et fauet ergo ex desiderio, & terret ex præcepto, ac si apertè dicat: Laudo quod quæritis, sed priùs discite quid quæratis: ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tantò fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quantò & à cunctis

Gregorius part. 1. curæ Pastoral. cap. 1.

Qui fauore trahitur, terrore retrahitur.

A conspici in honoris arce festinatis. Magnus enim regendi artifex fauoribus impellit, terroribus retrahit: vt auditores suos & descripto irreprehensibilitatis culmine restringat à superbiâ, & officium laudando quod quæritur, componat ad vitam.] Ita est, [Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.] Quid bonum? Græcè καλὸν, præclarum, eximium. [Notandum est enim, ait ille, quod illo in tempore hoc dicitur, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quenquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire. Vnde ipsum quoque episcopatûs officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.] Quid est ergo bonum opus
B desiderare? ad martyrium anhelare, non solùm industriam suam, sed & vitam immolare. [Pati exoptat: vt Dei totam gratiam redimat (loquor ex Tertulliano) vt omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat: omnia enim huic operi delicta donantur.] Cuinam operi? Martyrio scilicet, quo nihil grandius, nihil illustrius: maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Bonum opus, quo nullum est melius, vt quis pro Christo vitam suam immolet; si quis non solùm sudorem libet,
C sed & fundat prodigatque sanguinem. [Non enim dicitur: Si quis episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum: sed, bonum opus desiderat; quòd, in maiori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.] Vt alios non solùm ducere possit, sed & ipse præire ad martyrium.

Greg. Ibid.

Tertul. cap. 50. Apolog.

Hieronym. lib. 1. aduers. Iouin. vlt. med.

Nunc vero, etsi mutata sint tempora, nusquam tamen tolerata sunt vitia: & si non instet eadem firmitas constantiæ, eadem tamen viget adurgetque vitæ irreprehensibilitas. [Si quis episcopatum desiderat, bonum opus de-
D siderat: hoc est, (vt exponit Ambrosius) *Si* episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis, sed si & opus bonum simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, episcopus esse non potes, quia sequitur: Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse. Irreprehensibilem ait. Nam si episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Et profectò culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit vsque ad mortem. Ecce ad quod voluitur dignitas episcopalis.] Certè, cum Apostolus dixit, Irreprehensibilem, omnia dixit, dum cuncta exclusit vitia. [Oportet enim
E episcopum irreprehensibilem esse, vt nulli vitio, ait Hieronymus, mancipatus sit.] *Sed*, vt & ille dixit: [Aut nullus, aut rarus est. Quis est enim, qui non, quasi in pulchro corpore, aut næuum, aut verrucam habeat? Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quòd non rectò pede incesserit in Euangelij veritate; & in tantum reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus sit in eandem simulationem: quis indignabitur id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit?] Itaque, [Dico, (cum Aquinate) quod bonum opus desiderat, sed

Ambros. lib. de dign. sacerd. c. 4.

Hieronym. lib. 1. aduer. Iouin. vlt. med.

Hieronym. lib. 1 aduer. Pelag. circa med.

Aquin. lect. 1.

ad hoc non omnis est idoneus, sed oportet quòd sit talis, vt sit irreprehensibilis. Vnde de Zacharia dicitur Luc. 1. quòd incedebat in omnibus mandatis, & iustificationibus sine querelâ. Leuit. 21. Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Sit ergo irreprehensibilis, id est, non subiectus alicui peccato, vnde ab alijs reprehendi posset: quia indecens est, si reprehensibilis sit reprehensor. Prælatus secundùm gradum & conuenientiam debet omnes alios excedere in conuersatione & contemplatione: ita vt respectu sui, alij sint grex. Status autem episcoporum præsupponit perfectionem, & ideò nullus appetere debet, nisi habeat eam: sed status religiosorum est via, & ideò non requiritur perfectio iam habita; sed quòd teneatur acquirere eam, nisi habeat. Et hoc patet Ioan. vlt. vbi Dominus Simoni, si vis perfectus esse, pasce oues meas. Et iuueni dicit, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia. Sic ergo intelligendum est in nomine episcopatûs bonum opus. 1. Pet. 5. Non vt dominantes in cleris, sed forma facta gregis.] Ad hoc constitutus est episcopus, vt arguat corrigatque, ideoque nihil in eo esse debet, quod argui possit & corrigi: ne illud rejiciatur, Medice, cura teipsum; aut injiciatur istud, Eijce priùs trabem de oculo tuo: perdit enim auctoritatem, qui idem admittit. [Nec decet huiusmodi regere, ait Chrysostomus, sed potius regi.]

Quāta episcopi & monachi sit differentia.

Chrysost. Hom. 10.

Sed aliud delictum morale, aliud mortale peccatum: illud enim forsan excusetur ex intemperie naturali, istud vero tenetur in grandi crimine. [Filij Dei, ait Augustinus, quamdiu mortaliter viuunt, cum morte confligunt. Et quamuis de illis sit veraciter dictum, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: sic tamen spiritu Dei excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum, vt etiam spiritu suo, maximè aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad seipsos, & ideò peccent. Interest tamen quantum. Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideò crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam quamdiu in hac morte viuitur, inueniri dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus quia non habemus, vt ait sanctus Apostolus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.] Tam carere criminibus episcopus debet, quàm pollere virtutibus. Idcirco, [Vult Apostolus, (obseruatore Hieronymo) vt non neophytus episcopus ordinetur. Si enim baptismus statim iustum faceret, & omni plenum iustitiâ: nequaquam vtique Apostolus neophytum refutaret: sed baptismus vetera peccata conscindit, nouas virtutes non tribuit, dimittit è carcere, & dimisso, si laborauerit, præmia pollicetur. Et tamen, si vnum vel duo de catalogo virtutum episcopo cuiquam defuerint, non tamen iusti carebit vocabulo, nec ex eo damnabitur, quod non habet; sed ex eo coronabitur, quod possidet. Omnia enim habere, & nullo indigere, virtutis eius est, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius: qui cum malediceretur, non maledixit, qui confidenter virtutum conscientiâ loquebatur: Ecce venio princeps mundi huius, & in me inuenit nihil.] Nullus igitur est hominum mortalium, etiam episcoporum, etiam iustorum, etiam sanctorum, cui non insit aliquid mali, aut aliquid non desit boni: nec tamen illi desinunt esse sancti, quia nullum grande malum, nullum admittunt graue peccatum. [Si enim, ait Augustinus, immaculati sunt qui sunt sine crimine, etiam in hac vitâ fuisse atque esse negare non possumus: quia non ideò sine peccato est aliquis, quoniam non habet maculam criminis. Vnde & Apostolus cum ministros eligeret ordinandos, non ait, Si quis sine peccato, quod inuenire non posset: sed ait, Si quis sine crimine, quod vtique posset.] Aliàs enim nullus ordinaretur, quiuis reprobaretur.

Augustin. cap. 64. Enchirid.

Hieronym. lib. 1. aduer. Pelag. vlt. mod.

Nullus mortalium ab omni peccato purus est.

Augustin. lib. de perf. iust. cap. 17.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

De vxore.

VVlt Apostolus episcopum esse vnius vxoris virum. In quo tria dicenda sunt. Primum est, non præcipere matrimonium: alterum, vnicum concedere: tertium, edictum reducere in mysterium.

Quoad primum. Non imperat matrimonium, qui ad suum prouocat exemplum: nec Timotheus morem gessisset, qui vxorem non duxisset: peiusque fecisset Petrus, qui vxorem reliquisset. [Non hoc ergo, ait Chrysostomus, veluti sanciens dicit, quasi non liceat absque vxore episcopum fieri, sed eius rei modum constituens.] Qui cœlestia tractant, conculcant terrena: cœlestes enim, quasi cœlites. [Inde, ait Hieronymus, & ipsum nomen inditum est, quòd cœlo digni sint, quia coitu careant.] Id est, vxorum vsu. [Sed & ipsa, inquit, episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit Apostolus: Eligatur episcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: sed, qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplinâ. Certè confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat. Alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines, quod mariti: aut si sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum. Si laïcus, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerēda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati: & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare.] Hoc sanè docuerunt Apostoli, hoc & soli respuerunt hæretici. [Pro nefas! (exclamat ille in Vigilantium) episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant dia-

Chrysost. Hom. 10.

Hieronym. lib. 1. aduer. Iouin. versus fin.

Hieronym. lib. 1. aduer. Iouin. vlt. mod.

Vsus matrimonii sacerdotibus interdictus.

Hieronym. aduers Vigilant. post. init.

conos, nisi priùs vxores duxerint: nulli cœlibi credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur: & nisi prægnantes viderint vxores clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid ergo facient orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedis Apostolicæ; quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?] Hoc desiderauit dignitas sacerdotij, hoc seruauit Christianismi antiquitas.

Quoad secundum. Eo modo voluit Apostolus episcopum vnius vxoris virum, quo viduam voluit vnius esse viri vxorem: at inauditum est mulierem plures simul habuisse viros: igitur de viro intelligendum non est, quod ita sit vnius vxoris, vt plures simul non habeat, sed vt pluralitate quoquo tandem modo careat. Sunt tamen nonnullæ virum inter & mulierem differentiæ. Prima est, quod necesse fuerit mulierem nupsisse, vt viduatum acquireret, non autem virum, vt iniret episcopatum.

Hieronym. lib 1. aduers. Iouin, vlt. med.

[Alioqui, ait Hieronymus, si iuxta sententiam Apostoli non erunt episcopi nisi mariti, ipse Apostolus episcopus esse non debuit, qui dixit; Volo autem omnes sic esse, sicut ego sum. Et Ioannes indignus hoc gradu existimabitur, & omnes virgines & continentes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur.] Altera, quod commendabilior vidua si & filios habeat, habuerit-ve, honorabilior autem episcopus si nec vxorem habuerit, vel certè non habeat.

Hieronym. eod lib cit, med.

[Iuxta quam regulam, ait ille, Petrus, & ceteri Apostoli, vt ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant: qui assumpti postea in Apostolatum, relinquunt officium coniugale.] Tertia, non ita strictas fuisse leges de viduatu, vt semper sartus esset ecclesiasticæ disciplinæ respectus.

Tertul l. de vel. virg c. 9.

[Planè, ait Tertullianus, scio alibicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam.] Quæ scilicet vniuira non esset, cum nec nupta. In episcopatu autem, tam inuiolatas fuisse quàm & indispensabiles: res enim maioris momenti est, & altioris mysterij. Quid ergo,

Hier. l. 1. aduers. Iouin, vlt. med.

[Vnius vxoris virum? Qui vnam vxorem habuerit, ait Hieronymus, non habeat.] Et quidem de viduâ, expresse Apostolus. [Quæ fuerit vnius viri vxor.] Quia simul maritata esse non potest, & vidua. De episcopo verò, siue habuerit, siue adhuc habeat; vnicam tamen habuerit, & si illam adhuc habeat, abstineat. Sit episcopus virgo, aut saltem monogamus, si monogami non digni tantùm, sed & aptiores quàm virgines cœlibes-ve: & si vnam habuerit vxorem vnicam tamen duxerit. Non sit poligamus, aut vllo tandem modo multinubus. Dixi, quoquo tandem modo; quia diuortia Romanis olim ferè quotidiana, nonnunquam à Christianis vsurpata: sed hæc & pro altero computata matrimonio.

Monogamus, qui vnice non pluries nuptus est.

Athanas. in Paulum.

[Nonnulli asserunt, ait Athanas. à muliere abesse episcopum iniunxisse: quòd si fieri nequeat, habere hunc vnicam sic præcepisse, perinde ac si nullam haberet; hoc est nihil illi addictum esse ob venereas voluptates, Cum tamen aliter Apostolus sentiat, nec necessarium ducat vt vxori copuletur episcopus. Quo enim pacto hoc indixisset, qui ita inquit, Volo autem omnes ita esse atque ego sum. Sed quia illud tempus huiusmodi rem exigebat, propterea, si duxerit, inquit, vxorem episcopus, vnius sit, non multarum maritus.]

Quoad tertium. Non tam vitium damnatur, quàm seruatur mysterium.

Aquin. lect. 1.

[In hoc, ait Aquinas, discordia videtur esse inter Augustinum, & Hieronymum. Hieronymus enim dicit, quòd hoc intelligitur post baptismum: quia si ante baptismum duas habuit vxores, vel vnam primò, & aliam postea, non impeditur ab ordinatione, quia per baptismum omnia delentur. Augustinus & Ambrosius contrarium dicunt, quia siue ante, siue post, si duas habuit, nō ordinatur. Licet enim baptismus omnia deleat quoad peccata, non tamen quoad irregularitatē, quæ interdum etiam sine peccato incurritur ex solâ ecclesiasticâ institutione. Sed hoc fit non propter incontinentiam tantùm, sed propter repræsentationem sacramenti: quia sponsus Ecclesiæ est Christus, & vna est Ecclesia. Cant. 5. Vna est columba mea.]

Non tam damnatur vitium in monogamia quam seruatur mysterium.

Inde nunc non exclusi illi, qui ante baptismum, aut etiam post baptismum fuerint incontinentes dummodo pœnitentes: imò nec irregulares, qui concubinas habuerint, etsi multas, sed qui plures duxerint vxores, siue post baptismum siue etiam ante Baptismum: non enim heic quæstio peccati est delendi, sed seruandi mysterij Non peccabat ethnicus, non peccabat & Christianus nubendo, etiam & plurifariam nubendo: non peccabat Iudæus, plures etiam simul vxores ducendo; licet eo iam tempore rarissimum, & ferè inauditum. Sed omnes altero matrimonio irregularitatem contrahebant ministerio repugnantem, quam nec ipso baptismo deponebant. Sicut enim corrupta potest quidem sanctificari per baptismum, non tamen reparari in integrū: ita tam multinubus iustificatur per baptismum, quàm & lasciuus: sed iste vitio purgato, potest esse idoneus sacerdotio; ille, etiam dissoluto matrimonio; manet semper legi obnoxius.

Augustin. l. de bono coniug. c. 18.

[Sacramentum namque nuptiarum, vt Augustinus loquitur, sic ad vnum virum & vnam vxorem redactum est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi vnius vxoris virum. Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt: de sacramento enim agitur, non de peccato, nam in baptismo peccata omnia dimittuntur, Sed qui dixit: Si acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo non peccat: satis declarauit nuptias nullum esse peccatum: propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurdè visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam.] Sicut enim integritas vitiata nunquam reparatur, sic &

nunquam ista dissimulatur irregularitas.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

De ceteris elogiis.

ELogia, tam mala esse possunt quàm bona; tam ad vituperationem, quàm in laudem composita. Sunt & alia media, quæ neque mala sunt nec bona; faciliùs tamen in malum, procliuiusque, quàm in bonum possunt cedere.

De bonis. Vellet Paulus episcopum nullis carere virtutibus, nullis imperfectionibus laborare.] Hoc vnico verbo (reprehensibilem) ait Chrysostomus genus omne virtutis expressit. Itaque qui sibi vel leuis culpæ conscius est, malè profectò facit, eam rem appetens, quâ indignum se per opera fecit. Eum quippe qui regendos alios suscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, vt instar Solis ceteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam, veluti exemplar aliquod excellens intueantur. Quia enim par erat, plurimos eius rei desiderio allici, idcircò illum tantâ diligentiâ Paulus pingit, vt qui se ad eam rem præparare vellent, ad quantam virtutis celsitudinem euadendum esset, agnoscerent.] Aliquas tamen virtutes notat, seu magis illustres, seu magis necessarias, quibus dignum designat episcopum. [Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem.] Quamuis enim non vbique paria sint nominâ, quamuis nonnullâ polysema sint, aut varia; ad eundem nihilominus finem collimant, dum Christianum efformant antistitem. [Sobrium, inquit, atque vigilantem. Hoc est, (vt ille exponit) clarissimâ mentis acie prædirum, innumerosque habentem omni ex parte oculos, quibus acutissimè cuncta prospiciat. Sunt quippe multa, quæ incidant, & mentis hebetent aciem: puta concupiscentiæ, quotidianæ curæ. Vigilantem igitur esse necesse est illum, qui non tantùm sui curam habet, verùm etiam reliquorum. Pudicum, inquit, ornatum, hospitalitatis amatorem. Ista & in subditis plerumque videas. Verùm quoniam oportet eum, & quæ sunt rectoris habere, idcircò subjunxit, Aptum ad docendum: hoc quippe à subditis non exigitur: ceterùm illi antè omnia adesse debet, qui huiusmodi suscepit officium.] Vita quippe singularis est, doctrina verò communis. [Sic ergo polleat Episcopus sapientiâ, ait Ambrosius, vt non solùm creditum sibi populum sufficienter doceat, verumetiam & cunctarum queat hæresum contradictiones à Catholicâ repellere ecclesiâ, ne suâ imperitiâ imperitos minimè doceat, & huiusmodi casu præuentus, eueniat illi quod scriptum est. Cæco cæcus ducatum præbens, ambo in foueam cadunt. Qui verò talem se esse ignorat, sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius vsurpare præsumat: præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda lustrare. Hospitalem: vt humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam; nec solus deuoret bona, quæ largita est bonitas Christi.] Vult Episcopum ornatum, sed mente, non carne, scientiæ dotibus instructum ac conscientiæ virtutibus, prudentiâ spiritali, singulari donatum vigilantiâ; qui tam castitate fulgeat quã sobrietate; cuius sinus omnibus afflictis, domus omnibus pateat peregrinis.

Chrysost. Hom. 10.

Quanta virtutum in antistite Christiano corona.

Chrysost. ibidem.

Ambros. lib. de dignit. sacerd. cap. 4.

De malis. Nullum quidem permittitur, sed quod maximè dedecet, præcipuè etiam excluditur. [Oportet episcopum non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum.] Et apud Hieronymum: [Vinolentum quoque & percussorem, & turpis lucri cupidum, repudiat Apostolus: & pro his, cupit mansuetum, absque iurgio, sine auaritiâ.] Vitia enim ista, tam populo infesta, quàm indigna Episcopo. [Dicet enim fortasse quispiam: (apud Chrysostomum) Quid sibi quæso vult, quòd de Episcopo differens, ipsum oportere non ebrium esse dixit, sed hospitalem, cum longè excellentiora pro celsitudine gradûs exegisse videatur? Cur enim non ait, Oportet autem Episcopum angelum esse, nulli humanæ perturbationi, vitioue subiectum? Cur non item magna illa Christi præcepta ab episcopo requirit, quæ etiam subditis necessariò inesse debent; scilicet circumferre crucem suam, atque in manibus habere animam semper pro fratribus exponendam? Pastor enim, inquit, bonus, animam suam ponit pro ouibus suis. Et rursum, Nisi quis acceperit crucem, & secutus fuerit me, non est me dignus. Ceterùm his omnibus omissis, oportere ait non esse vinolentum. Præclara sanè spes, si de eiusmodi episcopum oporteat admoneri. Cur autem non dixit, oportet autem ipsum iam ex terrâ migrare, humanisque rebus euadere celsiorem?] Dixerat, [Hospitalem.] Vt non solùm porta, sed & mensa pateat exposita. Quibus? an diuitibus? an nepotibus? an catillonibus, qui fumos explorant, cibos inuolant? Iam ergo lautè mensa instruenda est, iam conuiuia opiparè ac splendidè disponenda: inde vinolentia, & ex vinolentiâ, violentia, immodestia, iurgia, litigia: sed vt luxus foueri possit, fit episcopus φιλάργυρος, cupidus: amicus pecuniæ, inimicus iustitiæ. Hospitalem igitur, sed pauperibus, peregrinis, viatoribus suscipiendis. Inde mensa non Saliaris, sed frugalis: inde nulla impetûs violentia, nulla manûs petulantia: sed tanta modestia quanta victûs innocentia vt tam magna charitas affulgeat, quàm nulla appareat cupiditas. [Sic credatur, ait Ambrosius, & videatur episcopus, vt vtrum biberit an non, ignoretur. Deinde subsecutus est Apostolus, dicens, Non cupidum, ne lucri cupiditate episcopus teneatur obnoxius: sed de ipsâ potius paupertate Ecclesiæ suæ, libenter impertiat pauperibus Christi, sicut scriptum est: Hilarem datorem diligit Deus. Et alibi: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.]

Hieronym. l. 1. aduers. Pelag. vlt. med.

Chrysost. Hom. 10.

Mensa episcopalis quibusnam sit exposita.

Ambros. l. d. dignit. sacerd. cap. 4.

Denique de mediis. [Suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autẽ domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habe-

bit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.] Hæc omnia cum sint aliena potius quàm propria, nec mala propriè sunt, aut per se bona, cum tamen ex iniquitate accidere possint, saltem ex infelicitate, possunt etiam in malum potius quàm in bonum cedere. [Oportebat nempe, ait Chrysostomus, vt ex vicino atque re domesticâ, virtutis suæ præberet indicia. Quis enim crederet illum alienos quosque subiectos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Suæ, inquit, domui benè præpositum. Hoc & externæ sapientiæ auctores aiunt, vt qui rem familiarem suam rite administrauerit, rei quoque publicæ conuenienter possit contrectare negotia. Est enim Ecclesia velut domus quædam: ac sicuti in domo vxor est, & filij ac serui, omniumque cura ac regimen incumbit viro: ita fermè & in Ecclesiâ. Quod si administrationis habeat socios Ecclesiæ rector, habet & domi vir consortem curarum suarum. Est autem longè facilius domum, quàm Ecclesiam regere. Qui igitur rem familiarem dispensare congruè nescit, is quo pacto Ecclesiæ præesse conuenienter posse putandus est? Non neophytum. Si enim antequam discipulus esset, magister assumeretur, quàm primùm attolleretur in arrogantiæ fastum: si priusquam subiici disceret, in rectorum ordine locaretur, citò intumesceret: idcircò subiungit, Ne elatus, in iudicium incidat diaboli. Hoc est, ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit.] Denique, necesse est, ipsum, & bonum habere testimonium, etiam ab iis qui foris sunt; vt infideles etiam sint virtutis testes & arbitri, inimici eius sint iudices. [Vt sit bonæ famæ apud infideles: hoc enim necessarium est prælato, ait Aquinas, quia conuersatio totius congregationis indicatur ex prælato. Oportet, ne fiat opprobriosus, & per hoc eius auctoritas minuatur, & per consequens auferatur audacia corrigendi. Oportet, ne scilicet impatienter sustinendo, per quod infamis concitetur ad odia, & desperet.] Qualis & quantus debet esse episcopus, si non solùm suis, sed & alienis fit obnoxius: si non tantùm conscientiæ consulere debet, sed & famæ; si non tantùm suo, sed & aliorum, etiam inimicorum stare debet iudicio? [His ita prælibatis, (loquor cum Ambrosio) velut à grandi fœnore nos persensimus liberatos, cum non nostra contra episcopos, sed sancti Apostoli opposuimus testimonia. Cum verò auctoritas nobis per singula sancti attriserit Apostoli Pauli, ipsum potius Apostolũ, si ausint, quàm nos reprehendant.]

Chrysost. Hom. 10.

Qui in minimo infidelis, quomodo in maximo fidelis præsumendus est?

Aquin. lect. 2.

Ambros. l. de dignit. sacer. c. 5.

APPENDIX.

De Presbyteris.

MIrum quòd Apostolus nullam de Presbyteris mentionem fecerit, cum tamen solemnes sint gradus episcoporum, presbyterorum, diaconorum? Vnde Augustinus Valerio episcopo suo, cuius collega erat, maximè in dispensando Dei verbo. [Antè omnia, ait, spero, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator iubet.] Et apud Tertullianum. [Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri & diaconi.] Denique apud Ambrosium, [Venisti ad fontem, descendisti in eum, attendisti summum sacerdotem, leuitas & præsbyterum ad fontem vidisti.] Quid est ergo, quod Apostolus ab extremo in extremum transeat imperttransito medio, de episcopis diaconisque tam solerter agat, de presbyteris verò in totum sileat? An igitur ille ordo aut neglectus, aut otiosus? Tamen propria cuique ordini sunt officia, tam necessaria, quam & indispensabilia. Vnde Dionysius post multa de tribus illis ordinibus, ita concludit: [Ostensus est igitur à nobis pontificum quidem ordo consummatiuus & perfectiuus, sacerdotum autem illuminatiuus & luciducus: ministrantium verò purgatiuus & discretiuus: scilicet hierarchico ordine non perficere tantùm, sed & illuminare simul & mundare cognoscente, & sacerdotum virtute habente in seipsâ cum illuminatiuâ, & purgatiuam scientiam.] Hierarchia maximè in tribus posita est, in purgando, in illuminando, in consummando: sicut ergo ministrantium seu diaconorum est purgare, pontificum seu episcoporum consummare, sic & sacerdotum seu presbyterorum illuminare. An ergo consummari quis potest sine illuminatione, aut illuminari expurgatione? [Sed ipsæ minores virtutes, ait ille, in ea quæ meliora sunt transmouere non possunt, eo quòd iniustum sit eis ad huiusmodi conari maiestatem.]

Augustin. ep. 1. 8. à limine.

Tertullian. l. de baptis. cap. 17.

Ambros. l. 1. de sacram. c. 6.

Dionys. l. de eccles. Hierarch. c. 5.

Hierarchia maximè in tribus est posita.

Dionys. Ibidem.

Potest igitur dici presbyteros sub episcopis ipsis comprehensos, tanquam sacerdotes minores sub maioribus seu principibus. [Quid est enim episcopus, nisi primus presbyter, hoc est summus sacerdos?] Si sunt primi presbyteri, seu summi sacerdotes, sunt & alij minores, seu secundi presbyteri, sub principe sacerdotum, seu omnium apice comprehensi. [Post episcopum ergo, ait Commentator Ambrosian. diaconi ordinationem subiicit. Quare, nisi quia episcopi & presbyteri vna ordinatio est? Vterque enim sacerdos est. Sed episcopus primus est: vt omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. Denique Timotheum presbyterum ordinatum significat: sed quia antè se alterum non habebat, episcopus erat: vnde & quemadmodum episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat aut licebat vt inferior ordinaret

Auctor in quæst. vtriusq. testam. 101. apud August.

Comment. Ambros.

Quanta inter episcopũ & presbyterum differẽtia.

natet maiorem. Nemo enim tribuit quod non accepit.] Ille quidem sub auctoritate Augustini, iste verò sub Ambrosij nomine: sed neque ille Augustinus, nec iste Ambrosius: imò nec ille, nec iste, sed vnus & idem est, Hilarius nimirum, sed Luciferianus. Nec tamen inde verbum concidit, aut corruit testimonium. [Quia scilicet, ait ipse Chrysostomus, inter episcopum atque presbyterum interest fermè nihil. Quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permissa est: & quæ de episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt: solâ quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum, plus quàm presbyteri habere videntur.] Si ordinatione sunt superiores, vtique & ordinandi potestate: ad hoc enim ad altiorem gradum prouecti sunt, vt possint, & alios prouehere; ordinati, vt possint & alios ordinare. Sic ergo dicenda est vna ordinatio, vt inferior sit quidem ad sacerdotium, superior verò ad supremum sacerdotium: adeo vt omnis sacerdos summus sit quidem presbyter, non tamen presbyter omnis sit summus sacerdos: ideoque distincta sunt episcopi, & presbyteri munia: nec possunt presbyteri, quod possunt episcopi. [Si quidem episcoporum ordo, ait Epiphanius, ad gignendos patres præcipuè pertinet: huius enim est patrum in Ecclesiâ propagatio. Alter eum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit: non tamen patres aut magistros.]

Chrysost. Hom. 11.

Epiphan l. 1. aduers. hæres. 75.

Dici igitur debet, Apostolum, medium gradum non neglexisse quidem, sed necessitatem potius quàm ordinem inspexisse. Sunt enim diaconi episcopo planè necessarij, non autem presbyteri: nusquam episcopus sine diacono, licet sine presbytero: licet enim supplere possit quæ presbyteri sunt, non tamen quæ sunt diaconi; nullus enim imperare simul potest ac ministrare: ideoque Apostolus episcopi singulariter meminit, tum & ministrantium; nec presbyteros ipsos interseruit, quia officium distribuit imperium inter & ministerium. [Vbi ergo, (ait ille ex reconditiore historiâ) iam episcopi constituti fuerant, ad episcopos & diaconos scribebat Apostolus. Neque enim subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant. Quare vbi nondum episcopatu dignus aliquis occurrebat: nullus ei loco præpositus est episcopus. Ait vbi & necessitas postulabat, nec eorum, qui episcopatu digni erant, copia deerat, ibi episcopi constituti. Sed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui presbyteri crearentur: vnde solo episcopo contenti fuerunt. Sine diacono verò episcopus esse non potest. Quare in id Apostolus incumbit, vt ministrandi gratiâ episcopo diaconi suppeterent. Itaque cum nondum Ecclesia suis omnibus functionibus expleri posset, per illud tempus istiusmodi singulorum locorum status extitit. Neque enim vlla res est, quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit: sed procedente demum tempore, sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contigit. Cuius exemplum habemus in Moyse. Hic enim in vetere testamento solâ virgâ instructus in Ægyptum mittitur. Quam cum

Epiphan. ibidem.

Ecclesia, crescente multitudine absoluta est.

A ingrederetur Aaron ipsius frater, diuinitùs missus ei se ad subsidium adiungit. Deinde postquam ei à fratre fides habita est, seniorum ad illum, ac populi per illud tempus principum multitudo conuenit. Eadem ratio est illorum, de quibus Apostolus scripsit, quæ tandiu obtinuerunt, donec amplificata est Ecclesia, donec suam ac legitimam ad mensuram peruenit: donec prudenti quadam moderatione, iustissimè est à Patre, Filio, & Spiritu sancto temperata.] Gubernant quidem Ecclesiã Episcopi, gubernant illam & presbyteri: sed illi primariò, isti secundariò: illis locus primus, istis secundus assignatus est.

B Vnde Augustinus presbyter subitò factus: [Vis mihi facta est, inquit, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, quamquam & periculosissimum iudicarem hoc ministerium.] Sed vbi numerus fidelium non exigeret, aut minimè suppeteret gubernatorum delectus: vnus electus est, qui ceteris præesset ministeriis, & ad Ecclesiam regendam diaconos aut etiam presbyteros sufficeret; & crescente multitudine, in alia etiam loca, iuxtà gradum suum, distribueret.

Augustin. epist. 148. post init.

CONSTITVTIO SECVNDA.

De Diaconis.

C A Ltera repræsentatio est in diaconis, quorum Christus supremus est. [Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis.] Græcè διάκονον. Sicut enim assumpsit formam serui, sic & normam exhibuit ministerij. Itaque Paulus, [Diaconos similiter.] Sit ergo

---

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Quid exigendum.

D COnstituit Apostolus, cum ait, [Oportet ergo diaconos similiter pudicos esse, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.] Nam, vt obseruauit Chrysostomus: [Postquam de episcopis dixit: eosque formauit; quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso interim presbyterorum ordine, ad diaconos transiit.]

Chrysost. Hom. 11.

E Primò ergo exigit vt diaconi sint pudici. [Diaconos similiter pudicos.] Græcè σεμνοὺς, honestos, graues, modestos. Et quamuis similitudo premenda non sit ex Græcis, cum non sit ὁμοίως, [similiter.] Sed, ὡσαύτως, [Itidem.] Premunt tamen Græci, & idem fere cum episcopis ipsis exigunt. [Diaconos, ait ille, habere eadem monuit, vt scilicet irreprehensibiles sint.] Sed ordiendum est à pudicitiâ, vtpote non minùs diaconis quàm episcopis necessaria. Vnde Ignatius, scribens Heroni Ecclesiæ Antiochenæ diacono, & successori suo, ita inscribit: [Deo honorabili, pudico, Christifero, spiritifero in fide & dilectione Heroni diacono Christi, ministro

Ignat. ep. 2.

Dei.] Ratio est, quia cura viduarum, virginumque, sicut & pupillorum, ceterorumque miserorum diaconis commissa nō minus quam episcopis: cum enim oblationes fidelium colligerent, & egentibus distribuerent: insigni indigebant modestiâ, & speciali pudicitiâ, vt liberè, castè tamen cum alieno sexu versarentur, nec vllâ tamen fœdarentur maculâ. Ita ille diacono suo, postea coepiscopo. [Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Pupillos tuere, Deus est enim pater pupillorum, & iudex viduarum. Sine episcopis nihil agas, sacerdotes enim sunt, tu verò minister sacerdotum: illi enim baptisant, sacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt: tu verò eis ministras, sicut sanctus Stephanus Iacobo, & cæteris presbyteris in Hierosolymis. Cōgregationem noli negligere, nominatim omnes require.] Et ne ipse in hac parte deficeret, aut nimiâ potius excederet castitate. [Mulieres (addit) noli execrari: ipsæ enim pariunt & nutriunt: diligi ergo oportet eas generationis causâ tantùm in Domino. Corpus Adæ ex quatuor elementis est factum: Heua verò de latere Adæ, gloriosum verò habitaculum Domini de sola virgine. Execrabilis quidem videtur legitima commixtio, sed Deo condecens est ipsius generatio. Decebat enim opificem non secundùm humanam consuetudinem natiuitate vti, sed gloriosè & nouè vt decebat nasci factorem. Virgines custodi, tanquam Christi sacramenta. Intende etiā pudicissimæ Mariæ filię meę quę est abundè doctissima, & ei quæ in Domino eius Ecclesiæ quæ facta est mihi pro animâ meâ exemplum purissimarū mulierum.] Neu sexum execrare fœmineum, imò potius venerare: nam si matres sunt, vt generationis cooperatiæ honorandæ sunt; si virgines, incarnationis gratiâ venerandæ: nihil enim vir sine muliere, mulier autem sine viro, orbem reparauit, dum edidit saluatorem.

Ignat. Ibidem.

Cur sexus femineus, venerationi habendus.

Secundò vetat esse bilinques, διλόγους, tam sermone, quàm & corde duplices: vult enim diaconos veraces esse, sincerosq; Causa, quia quod episcopi apud Indos, hoc diaconi apud episcopos. Videbāt enim quid in quaque fieret regione, tamque fideliter referebant quàm & veraciter. [Iis fas non erat, ait Arianus, falsa pro veris denuntiare, neque Indorum quisquam mendacii vnquam accusatus est.] Debent episcopi omnibus superintendere, omnibus prouidere. Ita Gregorius testis, quod Basilius magnus: [Actionis subsidium doctrinæ adiungeret, & omnium saluti studiosissimè inuigilaret; alios adiens, ad alios legationem mittens, alios accersens, admonens, arguens, obiurgans, comminans: pro gentibus, pro vrbibus, pro singulis etiam hominibus certamen suscipiens; omne salutis genus excogitans, vndecumque medicinam morbo adhibens.] Sed cum ille detegere omnia non possit ac deprehendere, diacones adhibet, tanquā oculos suos; vt vndique circumspiciant, & quæ digna scitu ingenuè ac candidè referant. Ita Ignatius diacono suo: [Falsiloquium, inquit, execrare, perdes enim omnes (ait psalmus) qui loquuntur mendacium, Inuidiam caue: auctor enim eius est diabolus. Pauperibus secundùm quod ha-

Greg. Naz. orat. de laud. Bas.

Diaconi sūt velut episcoporum oculi.

Ignat. ep. 13.

A bueris benefacere ne neglexeris. Teipsum castum custodi, tanquam Dei habitaculum. Memento Dei & nunquam peccabis.] Ad hoc ordinati sunt diaconi, ad hoc & destinati, vt ministrent, iuuentque episcopum, onere ferendo, complendoque munere. [Meminisse diaconi debent, (verba Cypriani) quoniam Apostolos, id est, episcopos & præpositos Dominus elegit: diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt episcopatûs sui & Ecclesiæ ministros.] Illorum ministrare est episcopo suo, & quæ geruntur non per inuidiam vel versutiam, sed sine fuco ac dolo renuntiare. [Non bilinques, hoc est,

Cypr. l. 3. ep. 11.

B vt ait Chrysostomus, non simulatores, non dolosi: Nihil enim fermè nos ita degenerare à spirituali nobilitate facit, vt fraus atque dolus: nihilque in Ecclesiâ nocet magis quam versuta simulatio.]

Chrysost. Hom. 11.

Tertiò, cum diaconi super gazas ecclesiasticas constituti essent, plusculum honorabantur, & ad domestica, vt plurimum inuitabantur conuiuia. Inde typhus diaconorum aduersus presbyteros, inde & Presbiterorū zelus aduersus diaconos. Inde enim Hieronym⁹ presbyter: [Quid facit, exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis Ecclesia

Hieronym. ep. 85. vers. fin.

C existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicumque fuerit episcopus, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit. Ceterùm omnes Apostolorum successores sunt. Sed dicis, quomodo Romę ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? Quid paucitatem, de quâ or-

Diaconi olim plusculum apprætiati, elatique.

D tum est supercilium in leges Ecclesiæ, vindicas? Omne quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos, pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba cōtemptibiles facit. Ceterùm etiam in ecclesiâ Romæ presbyteri sedent, & stant diaconi: licet paulatim increbrescentibus vitiis, inter presbyteros absente episcopo sedere diaconum viderim, & in domesticis conuiuiis benedictiones coram presbyteris dare. Discāt qui hæc faciunt, non se rectè facere. Sciant quare diaconi constituti sunt. Presbyter, & episcopus; aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen: & si ex diacono ordinatur presbyter, nouerit se

E lucris minorem, sacerdotio esse maiorem.] Audis lucra, audis conuiuia? Interim ne dicas aut credas Hieronymum minus religiosum erga Romanam Ecclesiam. Sic enim Ambrosius, licet causa impari, pari tamen constantia. [Hoc ideo non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectiùs seruatur & nos rectè custodimus.] Sed ad rem nostram propius. Etiam diaconi sacra dabant, diuina tractabant mysteria, & eatenus Christianum participabant, in

Ambros. lib. 3. de sacram. cap. 1.

gradu suo, sacerdotium. Idcircò, dedecet eos esse vinolentos, seu multo vino deditos. Denique, sacrum custodiebant ærarium: idcircò, non decet ipsos esse turpilucrios. [Prisci illi, ait Athanas. orandi gratiâ templum iam ingressuri, vino abstinebât. Nostri verò, si Deo placet, & vino vtuntur supplicaturi, turpe lucrum sectantur, & nullum, vndequaque sit, repudiant commodum.]

Athanas. in Paulum.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Quid præscribendum.

VT scias quantes sit, & quanti meriti diaconatus: plures tibi proferam canones Eliberini consilij, quibus videas, diaconos & in partem regiminis vocari, & in sorte criminis pariter vindicari. Primus, qui & decimus nonus. [Episcopi, presbyteri, & diacones, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mœchati, placuit, & propter scandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.] Secundus, qui & trigesimus secundus. [Cogente infirmitate, necesse est presbyterum communionem præstare debere; & diaconum, si ei iusserit sacerdos. Apud presbyterum autem, si quis graui lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud episcopum.] Tertius, qui & trigesimus tertius. [Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris, & diaconibus, vel omnibus clericis positis in miniarestetio, abstinere se à coniugibus suis, & non generr filios. Quicumque verò fecerit, ab honore clericatûs exterminetur.] Quartus, qui & septuagesimus sextus. [Si quis diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit defectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit cũ actâ legitimâ pœnitentiâ, post trienniũ. accipere cõmunionẽ. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, actâ pœnitentiâ, accipere communionem laicam debere.] Vltimus, qui & septuagesimus septimus. [Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de seculo recesserint, sub fide, quâ quis crediderit peterit esse iustus.] Plures fieri possunt reflexiones animaduersionesque, sed illa sufficit ad institutum nostrum, quod Hierarcha, in tribus istis ordinibus, episcopis scilicet, presbyteris, & diaconibus seu ministris sit constituta, & in officia distributa sit cuique gradui competentia. Siue enim, [Ad Titum (vt loquitur Hieronymus) & ad Timotheum de ordinatione episcopi & diaconi dicitur: de presbyteris omninò reticetur, quia in episcopo & presbyter continetur.] Siue promiscua olim fuerint nomina: salua tamen, cum suo ordine fuerunt semper officia, iuxta gradus dispensata.

Can. 19. Elib. con.

Canone 32.

Can. 33.

Can. 76.

Can. 77.

Diaconi olim ecclesiarum parochi.

Hieronym. ep. 85. in fin.

Inde igitur Apostolus: [Habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ.] Sed quodnam illud mysterium fidei? Statum occurrit sacratissimum altaris sacramentum, fidei mysterium. [Præsidens verè, ait Iustinus, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus apprecatione lectâ eam comprobauit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet eum in qua gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt.] Sed in hoc negotio: [Non prætereamus sanctum Laurentium, qui cum videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis sine filio pater? Quò sacerdos sancte sine diacono properas? Numquã sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergo tibi displicuit Pater? Numquid degenerem probasti? Experire certè, vtrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?] Ita Ambrosius. An ergo monet Apostolus, vt diaconi habeant mysterium fidei in conscientiâ purâ, id est, curam summam, & eximiam sacramentis tractandis dispensandisque adhibeant innocentiam? [Alimentum hoc, ait ibidem Iustinus, apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & generationem abluto, & ita vt Christus tradidit, viuenti. Non enim communem panem, neque communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit; ad eundem modum etiam eam in quâ per preces Verbi eius ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.] Simulq; quantâ puritate, quantaque aut ministrandum aut ministrandum aut participandum sanctitate.

A

Iustin. Apo. 2. pro Christ. ver. fin.

Ambros lib. 4. de offic. c. 41.

B

Iustin. Apol. 2.

C

Quanta reuerentia Eucharistiæ debita.

D

Verùm in mysterio Apostolico, nullum aliud arcanum est, quàm sacrum diaconatûs ministerium. Aduerte igitur primò mysterium fidei, non aliud esse, quam fidem Christianam. Ita apud Tertullianum. [Aliud est, si penes Marcionem à discipulatu Lucæ, cœpit religionis Christianæ sacramentum.] Id est fidei mysterium. Et alibi, [Eiusdem sacramenti vna traditio.] Id est vna & eiusdem fidei participatio. Cum enim fides arcana sit doctrina, vtpote à Spiritu sancto inspirata, mysterii seu sacramenti nomine designata est, vtpote non minùs sacra quàm mystica. Secundo, Apostolum, fidem coniungere cum bonâ conscientiâ. Ita capite primo. [Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.] Quid enim animus fide quidem imbutus, sed mali sibi conscius, tam pietate destitutus, quàm & charitate. Tertio, vtramq; conditionem debere esse in diaconis eminentem: cum enim & illorum sit plebem regere & instituere, debent etiam fide & pietate excellere, verbo præesse & exemplo. (Habentes mysterium fidei in conscientiâ

Tertul lib. 4. aduers. Mar. c. 2.

Tertul. lib. de præscrip. cap.

E

Chrysost. Hom. 11. Athanas. in Paulam.

A

mũdâ. Quib⁹ profectò veris, vt loquitur Chrysostomus, irreprehensibiles debere esse significat.] Seu, vt exponit Athanasius: [Post susceptam dogmatis rectitudinem, & vitam degant quæ criminis nequeat incusari: est namque purior conscientia vitæ irreprehensibili insita.] Vult ergo & diaconos puros esse & innoxios.

Ambros. li. 1. de off. ca. 50.

[Quod si enim, (vt admonet Ambrosius) Euangelio Domini etiam populus ipse ad despicientiam opum informatus atque institutus est: quanto magis Leuitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est? Vnde & Apostolus, cum episcopum dixisset debere esse sobrium, pudicum, ornatum; addidit: Diaconos similiter oportet esse graues, non

B

bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ. Aduertimus quanta requirantur:

Mysterium fidei cum bona cunctum conscientia.

Vt abstinens sit à vino minister Domini, vt testimonio bono fulciatur, non solùm fidelium, sed etiam ab his qui foris sunt. Decet enim actuum operumque nostrorum testem esse publicam existimationem & attestationem, ne derogetur muneri: vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales seruulos habeat. Laus enim Domini, vbi munda possessio, & innocens familiæ disciplina.] Habeant ergo fidem, seu mysterium fidei in conscientiâ purâ, sese in bonis operibus

C

exerceant, fidem simul iungant & charitatem, imò fidem per pietatem exerceant, sicque dignos ostendant se Dei ministros.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Quid præmittendum.

VT probentur, explorenturque. [Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes.] Vetuit episcopum fieri neophytum, vetat & diaconum,

D

Chrysost. Hom. 11.

[Intuere, ait Chrysostomus, quomodo & hinc neophytum arceat. Nam cum dicit, Et hi autem probentur primùm, sicuti & de episcopo dixerat: ita connexionem protinus addidit. Nihil enim medium inest, atque ideo & illic dixit, Non neophytum.

Mysteria non facilè cuiuis credenda.

Perquàm enim ineptum & absurdum est, si, cum emptitium seruum introducimus domum, non priùs illi aliquid domesticæ supellectilis tradimus, quàm longo experimento sententiæ suæ atque voluntatis plurima indicia dederit: in Ecclesiâ Dei non eadem vtamur diligentiâ: ceterùm, nouitium adhuc in primo statim constuimus ordine, antequam fidei suæ atque vitæ dede-

E

rit documenta.] Probandi igitur priùs multo tempore, si in fide constantes, si moribus commendabiles, si in commisso irreprehensibiles ministerio. Ita statutum in consilio Eliberino.

Concil. Elib. c. 30.

[Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentiâ suâ fuerint mœchati: eo quod postmodũ, per subreptionem, ad altiorem gradum promoueantur. Et si qui sunt in præteritum ordinati, amoueantur.] Præiuit Paulus, cum ait: [Qui enim benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fidu-

A

ciam in fide quæ est in Christo Iesu.] Sicut .n. qui indigni sunt deiiciẽdi sunt; ita & qui digni, ad altiorem gradum, seu locum sublimiorẽ sunt promouendi. [Gradum bonum sibi acquirunt profectum scilicet, ait Chrysostomus, & confidentiam magnam in fide. Nempe enim qui in his quæ inferiora sunt, diligentiam suam vigilantiamque monstrauerint, facilè & ad ea quæ sunt superiora atque excellentiora peruenient.] Et inde nata docendi monendique fiducia.

Greg. Mag.

[Sunt enim nonnulli, vti dixit Gregorius, qui solerti curâ spiritalia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant viuendo conculcant: repente docent quæ non, opere, sed meditatione didicerunt: & quod

B

verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit vt cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.

Tertullian. c. 39. Apol.

Nullus ergo adlegebatur, nisi probatus. [Præsident probati quique seniores, ait Tertullianus, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio vlla res Dei constat.] Merita nimirum communi consilio ponderata, ministeriaque liberali dispẽsata suffragio.

Cyprian. lib. 1. ep. 4.

[Quod & ipsum, ait Cyprianus, videmus de diuinâ auctoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Coràm omni

C

synagogâ iubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientiâ fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prędicentur, & sit ordinatio iusta & legitima quæ omnium suffragio fuerit examinata: quod postea secundùm diuina magisteria obseruatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ episcopo, Petrus ad plebem loquitur. Nec hoc in episcoporũ tantùm & sacerdotum, sed in diaconorum ordinationibus obseruasse Apostolos animaduertimus, de quo

D

& ipso in Actis Apostolorum scriptum est: Et conuocauerũt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum.

Clerici olim publico omnium electi suffragio.

Quod vtique idcircò tam diligenter & cautè conuocatâ plebe totâ gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnunquam indignos non secundùm Dei voluntatem, sed secundùm humanam præsumptionem, & hæc Deo displicere, quæ non veniant ex legitimâ & iustâ ordinatione, Deus ipse manifestat. Propter quod diligenter de traditione diuinâ, & Apostolicâ obseruatione seruandum est & tenendum quod apud nos quoque, & ferè per prouincias

E

vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & episcopus eligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione prospexit: cum ipsa plebs maximè habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.] Ita & apud ipsum: [Factus est Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit,

Cyprian. li. 4. epist. 2.

suffragio ; & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.] Omnes enim, quorum intererat concurrebant , & quod suum erat , ad electionem , ad locum gradumue seu episcopi seu diaconi , conferebant.

Concil. Elib. can. 24. Inde in Concilio Eliberino , omnium fermè antiquissimo. [Omnes qui peregrè fuerint , eo quod eorum minimè sit cognita vita , placuit ad clerum non esse promouendos in alienis prouincijs.] Exclusi nempe peregrini , quorum mores non satis noti. Vnde Optatus Mileuitanus: [Quid est, inquit, quòd pars vestra in vrbe Româ episcopum ciuem habere non potuit ? Quid est , quòd toti Afri & peregrini in illâ ciuitate sibi successisse noscuntur ? non apparet dolus ? non factio , quæ mater est schismatis ?] Sed id maximè spectabatur , quo quisque tempore baptizatus esset , ne neophytus ordinaretur , nouè plantatus aut insitus , nondum fide probatus , nondum virtute firmatus. [Inde enim neophyti nuncupantur , ait Ambrosius , quòd nouitate quadam maculas vetustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint.] Sunt adhuc nouitij , aut nuper professi. Vnde & ipse Ambrosius : [Quàm resistebam , inquit, ne ipse ordinarer ! postremò cum cogerer, saltem ordinatio protelaretur. Sed non valuit præscriptio,præualuit impressio. Et tamen neophytus prohibetur ordinari. Debet enim præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia.] Sic & Augustinus : [Quis autem sit modus , nec à pueritiâ , nec ab adolescentiâ meâ didici : & eo tempore quo discere cœperam , vis mihi facta est.] Subitò enim à baptismo raptus ad sacerdotium , à sacerdotio ad episcopatum prouectus. [Et hinc erant lacrymæ illæ , quas me fundere in ciuitate ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animaduerterunt , nescientes causas doloris mei. Tunc enim ordinatus sum , quum de ipso actionis tempore ad cognoscendas diuinas scripturas cogitaremus ; & sic nos disponere vellemus , vt nobis otium ad hoc negotium posset esse.] Comparanda priùs doctrina , vita à vitiis næuis-ve repurganda : nec in summum apicem , seu gradum altiorem raptim prorumpendum est , sed gradatim & sensim (ni Deus in eximiis quibusdam viris , vt Ambrosio, & Augustino, non tam dispenset quàm imperet) ascendendum. Ita de Cornelio Cyprianus. [Non iste , inquit , ad episcopatum subitò peruenit , sed per omnia ecclesiastica officia promotus , & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus , ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tū deinde episcopatum ipsum nec postulauit , nec voluit : nec , vt quidam , vim fecit vt episcopus fieret , sed ipse vim passus est vt episcopatum coactus exciperet.] Tales sanè ministrant irreprehensibiles , cum tandiu probati , & vbique inuenti laudabiles, tam fidei doctrinâ , quàm animi constantiâ commendabiles. [Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent , nullum crimen habentes.]

Optat. Mileuit. lib. 2. aduers. Parmen.

Ambros. serm. 57. post init.

Ambros. epist. 25. circa med.

Augustin. epist. 148. post init.

Clericus per omnia promotus officia.

Cyprian. lib. 4. epist. 2.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Quid imponendum.

MOnogamia non minùs diaconis imposita quàm episcopis. [Diaconi sint vnius vxoris viri.] Et si quidem virgines , inde feliciores , aptioresque , quò meliùs Christum repræsentant , & perfectiùs adæquant officium. [Veneremini episcopum vestrum , ait Ignatius , sicut Christum , secundùm quod vobis beati Apostoli præceperunt. Qui enim intra altare est constitutus , mundus est , propter quod obedite episcopo vestro & presbyteris. Qui enim extra altare constitutus est, extra episcopum est & presbyteros & diaconos aliquid agens : qui talis fuerit , pollutus est conscientiâ. Quid est enim episcopus , nisi omnem principatum & potestatem omnium illorum tenens , quemadmodum deceat hominem tenere , imitatorem Dei factum secundùm virtutem. Quid est presbyterium, nisi institutio sancta consiliarij & confessoris episcopi ? Quid etiam diaconi , nisi imitatores Christi ministrantes episcopo , sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam?] Quo igitur puriores , eò certè meliores. Sed si virgines non sunt , vtpote in matrimonio à baptismo inuenti , sint saltem monogami. [Quantum enim detrahant fidei , ait Tertullianus , quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ , disciplina Ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat , cum digamos non sinit præsidere , cum viduam adlegi in ordinem , nisi vniuiram non concedit. Aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Ecclesiæ candida de sanctitate conscribitur.] Optat enim primam illam sanctitatem , seu integram puritatem, puram virginitatem : sin autem , imperat continentiam, vetatque in episcopis, presbyteris, & diaconis multinubentiam ; quæ si in populo toleratur , in clero damnatur. Ita Tertullianus , tanquam scelus enonne exprobrans. [Prospiciebat , inquit , Spiritus sanctus dicturos quosdam , Omnia licent episcopis , sicut ille vester Vthinensis nec Scantiniam timuit. Quot enim & digami præsident apud nos , insultantes vtique Apostolo , certè non erubescentes , dum hæc sub illis leguntur.]

Lex igitur indispensabilis , sed quia infracta nonnunquam ab improbis , à sanctis semper restituta , vt incunctanter seruanda. [Et vitia quidem , ait Ambrosius, atque peccata diluuntur omnia , vt si quis contaminauerit suum corpus cum plurimis , quas nullâ coniugij lege sociauerit , remittuntur ei omnia : sed coniugia non resoluuntur , si quis iterauerit. Culpa enim lauacro , non lex soluitur. Nulla enim culpa coniugij , sed lex est. Quod legis est igitur non remittitur quasi culpa , sed tenetur quasi lex : Ideò & Apostolus legem posuit , dicens: Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir.] Diximus quod legis est , dicamus etiam quod rationis. Sed priùs cognoscamus non solùm

Ignat. epist. 5. citra med.

Nuptiæ secundæ à Clero exclusæ.

Tertullian. lib. 1. ad vxo. cap. 7.

Tertullian. lib. de Monog. cap. 12.

Ambros. 25. in med.

hoc Apostolum statuisse, sed etiam Patres in Concilij Niceni tractatu addidisse, neque clericum quemquam debere esse qui secunda coniugia sortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem, seruandam marito fidem, quam ipse priori non reseruauerit?] Hæc & vna ratio: nam, vt & ille dixit: [In ipso coniugio lex est, non iterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem.] Sed præcipua ratio in mysterio est, imò nec vnum & simplex mysterium, sed triplex. [Si enim ad superficiem tantùm litteræ respiciamus, (verba sunt Ambrosij) prohibet digamum episcopum ordinari. Si verò ad altiorem sensum conscendimus, inhibet episcopum duas vsurpare Ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inueniatur episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantùm, orthodoxam & catholicam sibi associet fidem, vt vnius tantummodo vxoris & catholicæ Ecclesiæ vir episcopus vocitetur. Item sequitur, & ait: Non neophytum, hoc est, qui nuper ad fidem ex gentilitate aduenit, aut certè ex militiâ seculari ad clericatûs est officium sociatus. Hi non tam passim sacerdotalem arripiant gradum, ne elati in superbiam, in iudicium incidant, & in laqueum diaboli: quia quod nec paruo tempore didicerunt, in longo tempore seruare non possunt.] Sic quidem de duabus ecclesiis: [Et hoc, (teste Hieronymo) in Nicænâ quoque synodo à patribus est decretum, ne de aliâ ad aliam Ecclesiam episcopus transferatur: ne, virginalis pauperculæ societate contemptâ, ditioris adulteræ quærat amplexus.] Sed principale mysterium est in repræsentatione Christi, cuius vnâ personam gerunt, sed suo quique gradu, episcopus, presbyter, diaconus, dum officium ineunt, & referunt ministerium: ille enim sponsam sibi elegit, sed vnicam: & quam semel assumpsit, nunquam dimisit.

Ambros. lib. 1. de off. cap. 5.

Ambros. lib. de dignit. sacer. cap. 5.

Episcopus de militia ad Ecclesiā non transferendus.

Hieronym. epist. 83. citmed.

Inde & Apostolus mulieribus seu vxoribus episcoporum cauit diaconorumque, dum ait: [Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.] Quod notandum. [Dicente enim Apostolo, (ita Leo,) vt inter alias electionis regulas, is episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere sacerdotis eligendi, eadem intelligeretur seruanda conditio, ne fortè illa, priusquam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugium. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriâ, cum huic magno venerandoque mysterio, ne legis quidem statuta defuerint, quibus euidenter est definitum, vt virginem sacerdos accipiat vxorem, & alterius thorum nesciat coniugis, quæ vxor est futura pontificis? Iam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesiæ spirituale coniugium, vt quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa Verbi non alium virum nosse quàm Christum, qui eam vnam eligit, vnam diligit, & aliam præter ipsam suo consortio

Leo. epist. 85. cap. 1.

A non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento hæc sacerdotalium coniugiorum forma seruata est, quanto magis sub reuelatâ iam gratiâ constituti, Apostolicis debemus seruire præceptis, vt quamuis quis bonis moribus præditus, & sanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad diaconij gradum, vel ad præsbyterij honorem, vel ad episcopatûs culmen ascendat, si aut ipsum non vnius vxoris virum, aut vxorem eius non vnius viri fuisse constiterit. Monente verò Apostolo, atque dicente: Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent: quid aliud intelligendum in hoc putamus, nisi vt in his prouectionibus non solùm matrimoniorum castimoniam, sed etiam laborum merita cogitemus, ne aut à baptismo rudibus, aut à seculari actu repentè conuersis, officium pastorale credamus, cum omnis gradus militiæ Christianæ de incrementis profectuum debeat æstimari, an possint cuiquam maiora committi?] Optimè: sequitur enim; [Qui filiis suis benè præsint. Qui enim benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent.] Vult ergo Apostolus, & totam diaconorum familiam, tam morigeram esse quàm modestam. [Mulieres pudicas.] σεμνὰς, castas, honestasque. [Non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.] Diaconi non bilingues, mulieres non detrahentes: diaconi non turpe lucrum sectantes, mulieres in omnibus fideles. [Tam verbis, ait Athanas. quàm etiam operibus. Quæ neminem detrahendo incusent, vt aniculæ factitant: quæ dum per alienas domos vagantur, aliarum deferunt vitia.] Aduigilabant quidem & illæ, ecclesiasticum seruabant patrimonium; ideo similiter instituendæ erant, pariterque erant admonendæ.

Vxor sacerdotis debet esse vniuira.

B

C

Athanas. in Paulum.

D

COROLLARIVM.

De Ecclesiâ.

HVcusque de Ecclesiæ ministris, nunc & aliquid de Ecclesiâ. [Quæ est Ecclesiâ Dei viui, columna & firmamentum veritatis.] Nam, vt notauit Chrysostomus. [Ne, ex eo quod Apostolus Timotheo de huiusmodi scripserat, discipulum fortè mœrore conficeret, ait, non idcircò hæc scribo, quasi non iam venturus sim, veniam enim profectò: ceterùm si tardare contigerit, vti ne molestè id feras. Nihil tamen est cur admireris, si qui spiritu cuncta præuidebat, hoc se ignorare fateatur, dicens: Spero venire, si autem tardauero: hoc enim ignorantis est. Quia enim spiritu, non propriâ voluntate ducebatur, & spiritûs sententiâ gerebat omnia, id meritò ignorasse putatur. Vt scias, inquit, quomodo oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.] Ita ille, & ad Græca propius. Sed nunc inquirendum est primò, Quomodo Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis: secundò, quodnam primarium ac principale sit huiusce veritatis Christianæ mysterium: tertiò, quomodo manifestatum, iustificatum, glorificatum.

Chrysost. Hom. 11.

E

Quoad primum. Tria Paulus dicit de Ecclesiâ. Primum est, quòd sit domus Dei, in quâ nimirum inhabitet per gratiam suam, & omnia ad fidem electorum, seu fidelium salutem dispenset & ordinet. Alterum, quòd sit Ecclesia Dei viui, in quâ nimirum Deus verus, tam sancto quàm & publico colitur ministerio, in quâ spiritalis vita per fidem, spem, & charitatem infunditur. Tertium denique, quod sit columna & firmamentum veritatis. Columna, Græcè στύλος. Firmamentum ἑδραίωμα. Quasi illa sit columna, quæ fidem fulcit, quæ stabilit veritatem, dum traditam sustentat seruatque doctrinam, & illibatam subministrat. [Hoc loco, ait Athanas. cum Iudæorum templo Ecclesiam confert, sic inquiens: Illud quidem figuras & vmbras quasdam complectebatur: hoc verò veritatis est firmamentum & robur. Cuncta namque quæ illi inesse constat & peraguntur, certiora sunt & stabilia, neque in eâ est vel fucatum, vel quod vmbram aliquam præ se ferat, cuiusmodi legis sunt omnia. Huic præterea & Pontifex præsidet maximus Dei filius, cuius diuinum corpus, summum est sacrificium.] Ille quidem primarius, per quem stat Ecclesia; sed inuisibilis: idcircò & alius visibilis, per quem sese explicat Ecclesia. [Dei prouidentia ipsi soli cognita est: (ita Commentator Ambrosian.) idcircò ne fortè, inquit, tardauero, scribo tibi vt scias quomodo Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei: vt cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicatur, cuius hodie rector est Damasus.] Sunt ergo ministri visibiles, ab Apostolis & Apostolicis viris instituti, & Ecclesiæ visibili, tanquam familiæ Dei, seu principales domestici, per certa præfecti officia. Illa ergo est Ecclesia, quæ fidem ab iis accepit, veritatem per successionem pontificum, ad nos vsque transmisit: vt si veritas quærenda sit, in illâ Dei domo quærenda est, quæ ab Apostolis exstructa, ministris instructa perpetuis, doctrinam custodit incorruptam. [Agnitio quippe vera, vti dixit Irenæus, est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status, in vniuerso mundo, & character corporis Christi, secundùm successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos, custodita sine fictione, scripturarum tractatione plenissimâ, neque additamentum, neque ablationem recipiens.] Est ergo Ecclesia fulcimentum, seu stabilimentum veritatis, quia sicut columna sustentat ædificium, sic & Ecclesia creditum sibi seruat firmatque depositum.

Athanas. in Paulum.

Columnæ ad ædificiũ sustentandũ suppositæ.

Comment. Ambros.

Iren l. 4 aduers. hæres. cap. 63.

Quoad secundum. Primarium ac principale huius veritatis seu fidei Christianæ mysterium in Christo Domino positum est: fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. [Et reuera, inquit, magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne. Quibus profectò verbis, ait Chrysostomus, dispensatio pro nobis assumptæ carnis exprimitur. Animaduerte mysterium, & venerationis horrore moueberis. Mysterium

Chrysost. Hom. 11.

A est, magnumque mysterium, & pietatis sacramentum: & reuera absque vllâ quæstione, indubitatum quippe est.] Christianus sanè à Christo nuncupatus est, quia Christũ credit & colit: non autem perfectè eum colit, imò nec verè credit, qui aut diuinitatem lædit aut humanitatem, cum Christus vtraque sit adunatus naturâ. [Prorsus, ait Leo, vtraque naturâ, vnus Christus: nec Verbum ibi ab homine disiunctum, nec homo est dissociatus à Verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec imminuta maiestas. Vnde in toto ordine Dominicæ passionis, non ita infirmitatem consi-
B deremus humanam, vt arbitremur illic potentiam defuisse diuinam; neque ita illam coæternam & æqualem patri formam vnigeniti cogitemus, vt putemus non fuisse vera, quæ Deo videntur indigna. Nihil nocuit naturæ inuiolabili, quod passibili oportebat inferri; totumque illud sacramentum, quod simul & humanitas consummauit & deitas, dispensatio fuit misericordiæ, & actio pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur constricti, vt nisi per hanc opem non possemus absolui.] Vnde & ille ad Iudam. [Et hoc remedium; inquit, nec te Iuda transiret, si ad eam pœni-
C tentiam confugisses, quæ te reuocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum. Dicendo enim, peccaui tradens sanguinem iustum, in impietatis tuæ perfidiâ perstitisti: quia Iesum non Deum Dei filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti: cuius flexisses misericordiam, si eius non negasses omnipotentiam. Humilitas quippe diuinitatis, nostra prouectio est: nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio.] Sicut ergo Ecclesia Dei, fida custos est veritatis; sic & hanc fidem maximè ac præcipuè tuetur, confiteturque Deum factum hominem, Verbum factum carnem; apparuisse in
D humanitate nostrâ, nec suâ se exuisse diuinitate; naturam assumpsisse passioni & infirmitati obnoxiam, suam tamen non deseruisse potentiam.

Leo ser. 1 de pass. Dom. cir. med.

Leo Ibid. in fin.

Damnatus Iudas, quia Christum non credidit Deum.


Quod tertium. Accusatus Christus, sed sicut sapientia à filiis suis iustificatus est: nec nobis solùm, sed & angelis visus est; signis & prodigiis per Spiritum sanctum editis, approbatus est. [Eo, ait Athanas. dicitur iustificatus, quia nihil deliquerat, neque eius in ore inuentus est dolus. Sed ô mysterium admirandum, nobiscum Dei filium & angeli conspexere, quem antea non vidissent. Inquit enim, Et ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Idque illi ab eius natiuitate, quoadusque
E fuit in cœlum assumptus, ministerium præstitere. Constat enim hunc natum angelos collaudasse, & denuntiasse pastoribus, fuisseque & in eius assumptione ministros. Supra nubes namque est angelis ministrantibus ille sublatus: nec tamen in Heliæ modum ad cœlum subuectus; sed in gloriâ.] Talis ergo Christus, mortalis quidem factus, sed suprà mortales, suprà cælites omnes sublimatus. Hoc grande mysterium, ineffabile sacramentum: [Quod prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ.]

Athanas. in Paulum.

Ille nimirum Christus prædicatus, ille credi- A tus, quidni enim in eum mundus credat, quem prospectat gloriâ fulgentem, sedentemque in dexterâ? [Reuera, ait Chrysostomus, magnum mysterium est, vbique terrarum auditum atque creditum est. Ne enim existimes verba esse simplicia, Assumptus est, inquit, in gloriâ. Intuere quomodo omnibus in locis dispensationem assumptæ pro nobis carnis, mysterium vocat. Neque enim est omnibus hominibus cognitum, imò ne angelis quidem ipsis manifestum fuit. Quo enim pacto, cum ipsis per Ecclesiam manifestatũ sit. Idcircò ait, Reuera magnum est, nam profectò verissimè magnum prædicatur. Homo enim factus est Deus, & Deus homo: homo apparuit absque peccato, homo assumptus est, prædicatus est in mundo, viderunt eum angeli nobiscum: mysterium igitur est. Caueamus propalare mysterium, neque ipsum vbique proferamus. Studeamus digni fieri, quibus creditur tanti custodia sacramenti. Ipse enim nobis mysterium tantæ excellentiæ credidit, nos illi neque pecunias credimus. Cum ille hortetur, ac dicat, Mihi omnia vestra seruanda permittite, nemo ea diripet, ac centuplum se daturum polliceatur, ne sic quidem obtemperamus.]

Chrysost. Hom. 11

In quo magnum sit incarnationis mysterium.



CAPVT QVARTVM.


Epigraphe.

PRædicit hæreses futuras, Timotheumque aduersùs ipsas instruit. Tum & illum admonet ne datam negligat gratiam. Erunt igitur partes duæ huiusce capitis.

PARS PRIMA.

De Prædictione.

TEXTVS.



SPiritus autem manifestè dicit: quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Ineptas autem, & aniles fabulas deuita, exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ,

EXEGESIS LITTERALIS.

PRæiacto ecclesiasticæ firmitatis seu diuinæ auctoritatis fundamento, ad diruendas procedit hæreses, quas Spiritu sancto reuelante suborituras præsciit.

[Spiritus autem manifestè dicit; quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fi- A de, &c.] Spiritus sanctus clarè & expressè denuntiat, quòd in temporibus subsequentibus, Græcè ὑστέροις, [Posterioribus.] quidam deficient à fide iam susceptâ, desciscentque à traditâ veritate. [Attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, &c.] Aurem præbentes mendacibus hominibus, prauam doctrinam

ctrinam spargentibus: diabolica namque illa doctrina, hominum disciplina est falsiloquorum, qui speciem simulant pietatis sanctitatisque, virtutem autem eius abnegant: conscientia enim illorum inusta est, notis ac stigmatis impuræ vitæ deformata. [Quæ sibi, ait Commentator Ambrosianus, Spiritus sanctus futura reuelauerit ad instructionem Ecclesiarum, & cautelam, non tacet: vt præmonitæ ecclesiæ sollicitæ sint, ne ab huiusmodi possint circumueniri hominibus. Quid enim tam clarum tamque apertum ad euitandos magisque condemnandos doctrinæ huius pestiferæ viros potuit manifestâ voce præfari: nisi vt asseuerationē eorum fallacem ac simulatam, dæmoniorū nuncuparet: vt cum huius asseuerationis sermones audiuntur, à diabolo composita esse doctrina hæc sciretur.] Quid magis moueat, quid & magis absterreat? [Prohibentes nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem, &c.] Prohibebunt illi matrimonium contrahere: iubebunt à certis abstinere cibis, quos tamen Deus creauit, vt fideles, seu ij qui fidem habent, tenentque veritatem, modestè sumant, gratiasque largitori piè referant. [Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem, &c.] Verum quippe est, quod omnis creatura Dei sit bona; ideoque nihil respuendum velut per se malum & immundum, quod cum gratiarum actione ad cibum sumitur: & si quid maledictionis aut corruptionis contractum est, per fidem ac benedictionem dissoluitur. [Omnis creaturæ vsus secundùm se est bonus. Cuius ratio est, ait Aquinas, quia si esset malus, hoc non posset esse, nisi inquantum diabolus post peccatum hominis, accepisset potestatem super eos, quia ex quo homo peccauit, accepit in hominem potestatem, & in ea, quæ sunt eius. Sed per Christum est ablata hæc potestas, & hæc vocatur sanctificatio.]

Comment. Ambros.

Creaturæ vsus per se ad cibum & potum non est malus.

Aquin. lect. 1.

[Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es, &c.] Si ista quæ dixi, fidelibus suggesseris, bonum te & fidelem exhibebis Christi ministrum. Et potes, cum fidei verbis enutritus sis, alios enutrire; cum instructus sis, alios potes instruere. [Dixit, Propone hæc fratribus, & consule. Nunc verò (apud Athanas.) vel tu ipse, inquit, enutritus, id est, frequenter eadem illa conuoluens & quasi ruminās reuoca. Enutritus verò ideò intulit, vt indesinentem eius in his attentionem ostenderet. Vt quemadmodum semper corporis alimenta percipimus, sic etiam assiduis quæ ad fidem faciunt, verbis enutriamur.] Bonam sanam-ve doctrinam iam à principio Timotheus arripuit, nec vnquam deseruit. [Ineptâs autem, & aniles fabulas deuita, exerce autem teipsum ad pietatem, &c.] Prophanas autem & impias, futiles anilesque fabulas reiice, ea verò selige quæ ad imprimendum Dei cultum imprimunt, quæque ipsum & doctrinæ sanæ sermonibus

Athanas. in Paulum.

A exprimunt, & vitæ rectæ operibus. [Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.] Exercitatio, Græce γυμνασία, quâ exercentur corpora, vt sanitas firmitasque luctâ comparentur. Aliud tibi, ô Timothee, incumbit exercitium, aliud tibi occurrit gymnasium. Exerce te ad verum Dei cultum; quod si feceris, & præsentem vitam consequeris & futuram: vtramque enim præstabit, qui promisit Deus. Parum ergo iuuat corporalis exercitatio, sed pietas & temporalia & æterna bona compa-
B rat, vitam innoxiam beatâ & æterna coronat. [Eius rei gratiâ, ait Chrysostomus, corporalis exercitationis mentionem fecit, vt scilicet ex collatione huius ostenderet eminentiam. Illa enim cum labores inferat plurimos, nihil habet lucri: hæc autem perpetua atque copiosissima emolumenta largitur.] Quæ enim emolumēta maiora, quàm vitæ vtriusque munera?

Pietati promissa sunt vtriusque vitæ præmia.

Chrysost. Hom. 12.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

C QVænam dæmoniorum doctrina est, & quænam præceptorum disciplina? Ergone & docent dæmones, & bona suis permiscent institutis?

DISQVISITIO PRIMA.

De doctrinâ.

RInouanda Epiphanij querela, cum nostris seculis magis sit quàm antiquis congrua. [Et hoc tempore admirandum simul, & non
D admirandum videtur: admirandum quidem, quod ætate nostrâ impleantur omnia, minimè verò mirandum, quòd illa impleri necesse sit. Etenim quotidie nobis sophistica aliqua cauillatio perperàm affectata humanis ex ingeniis ac mentibus erumpit, atque in deterius progressa ab Apostolicâ doctrinâ desciscit: quemadmodum Apostolus Paulus prædixerat: Deficient quidam à sanâ doctrina, attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum.] Græca, ὅτι ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας. Deficient enim, quia sceleratam committent
E apostasiam. Nec minus hæc Apostoli prophetia seculis nostris aptanda est quàm querela Epiphanij: licet enim videatur tempora tangere subsequentia, tamen & per posteriora seu subsequentia, intelligenda sunt etiam nouissima. Interim, duplicem vterque doctrinam constituit, propriisque secernit notis: [Nam, vt ille loquitur, & termini præscripti nobis sunt, & fundamenta posita, & fidei structura, & Apostolorum traditiones, & sacræ litteræ, & cœlestis doctrinæ propagata successio; ac denique diuina veritas ex omni parte munita est & constituta.] Audin primā doctrinam suis terminis præscriptam, cœlestem ipsam diuinamque? Audi nunc aliam, nullis circumscriptam terminis, infernalem ac diabolicam. [Hæresis omnis, ait & ille, pessimo ex eo.

Epiphan hæres. 78.

Duplex doctrina, diuina vna, alia diabolica.

Epiphan. hær. 55.

Epiphan. hæres. 75.

rum, qui ab initio vsque in finem extiterunt A consilio profectæ sunt: siue illos gloriæ cupiditas, aut arrogantia, siue voluptatum libido, siue aliorum æmulatio, siue commotio quædā animi, aut temeritas impulerit. A diabolo porrò omnis illa inflicta est cæcitas: non quod hic inuitum, ac nolentem decipere quempiam possit: sed quod vnusquisque peccati sibi causa atque auctor sit.] Breuius ille dixit, dum [Sermonem de fide pariter & infidelitate, deque rectis ac peruersis dogmatibus instituit. Neque enim Deum inuocant ij, quorum omnis ex dæmonum afflatu progressa sapientia est, eademque terrena, nec è superioribus, vt scriptum est, descendens.] Imò ex inferis emergens, animalis, terrena, diabolica.

Epiphan. init. Pan.

Iam ergo, [Eligant sibi tempora vniuersæ hæreses, (loquor ex Tertulliano) quæ quando fuerint, dum non intersit quæ quando, dū de veritate non sint. Vtique quæ ab Apostolis nominatæ non fuerunt, sub Apostolis fuisse non possunt. Si enim fuissent, nominarentur & ipsæ, vt & ipsæ coërcendæ. Quæ verò sub Apostolis fuerunt, in suâ nominatione damnantur. Siue ergo eædem nunc sunt aliquanto expolitiores, quæ sub Apostolis rudes, habent suam exinde damnationem: siue aliæ quidem fuerunt, aliæ autem postea obortæ: quiddam ex illis vsurpauerunt; habendo cum eis consortium prædicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis. His enim solis, & his primis reuelata est veritas diuinitatis: maiorem scilicet dignationem, & pleniorem gratiam à diabolo consecutis, qui Deum sic quoque voluerit æmulari, vt de doctrinis venenorum, quod Dominus negauit, ipse faceret discipulos super magistrum.] Fides, doctrina à Deo inspirata; hæresis seu infidelitas, doctrina à diabolo subornata. [Quid ergo dicent, ait ille, qui fidem stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo? Credo allegabunt, nihil vnquam sibi ab illo, vel ab Apostolis eius, de feris & peruersis doctrinis futuris prænuntiatum, & de cauendis abominandisque præceptum. Qui verò memores Dominicarum & Apostolicarum denuntiationum in fide integri steterint, credo de veniâ periclitabuntur, respondente Domino. Prænuntiaueram planè futuros fallaciæ magistros in meo nomine, & Prophetarum, & Apostolorum etiam; & discentibus meis eadem ad vos prædicare mandaueram, semel Euangelium, & eiusdem doctrinæ regulam Apostolis meis delegaueram: sed quum eos non crederetis, libuit mihi postea aliquid inde mutare. Prohibuerā vos aurē accōmodare hæreticis, sed erraui. Resurrectionem promiseram, etiam carnis; sed recogitaui ne implere non possem. Natum me ostenderam ex Virgine, sed postea mihi turpe visum est. Patrem dixeram, qui solem & pluuias facit, sed alius me pater melior adoptauit. Talia capit opinari eos qui exorbitant, & fidei veritatis periculum non cauent.] Virum audis, ludentem, an mordentem; cauillatum, an stomachatum? Certè ridendo vera dicentem, medendoque, impia dogmata, pestiferaque doctrinæ diabolicæ venena traducentem.

Tertullian. l. de præscr. cap. 34.

Tertullian. eod. l. c. vlt.

Hæretici quomodo à Christo traducendi.

Itaque, [Quemadmodum hi, qui fide subnixi sunt, (ita Chrysostomus) in tuto nauigant, ita & qui illâ exciderunt, nusquam possunt consistere, sed longo errore circumacti postremò in ipsa perditionis prærupta feruntur. Quod quidem etiam antè signauerat Apostolus, cum quosdam diceret circa fidem fecisse naufragium. Et nunc item, Spiritus autem manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. Spiritus autem erroris meritò ipsos appellauit, quippe eiusmodi spiritibus afflati, ista loquuti sunt: cauteriatâ conscientiâ, hoc est, vitâ flagitiosâ. Velim Pauli tu prædictionem admireris, quippe antè tempora quibus ista futura erant, ipsum indicat tempus. Noli igitur mirari, inquit, si modò quando initium accepit fides, ista quidam clam inferre conantur perdita dogmata: quandoquidem longo post tempore cum firmissimis illa radicibus innixa fuerit, plerique à fide recessuri sunt.] Bonam repellunt conscientiam, & ita miserum, non iam inspirante ac velificante Spiritu sancto, sed instigante & insufflante spiritu immundo subeunt naufragium. [Non enim putet quis, (verba sunt Augustini) tantum esse Christianum quod sacris imbuitur mysteriis, quòd renascitur ex aqua & spiritu, & postmodum dimittat se voluptatibus varijs, securusque effectus quod sacramento baptismatis munierit animam suam, non eam custodiat contrà versutias inimici: immò & ipse quantum potest custodiat, & custodiendum petat, ne tempestatibus huius mundi procellisque depereat. Baptizatus est quis, nauis est instaurata, subuncta, velificata, missa in mare, indiget gubernaculo, quousque ad portum desideratum perueniat. Mare, hoc seculum scilicet, non solùm tempestatibus scopulisque periculosum est, verùm etiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. Omni solicitudine, omni curâ, omni industriâ excitati iam vigilent nautæ; frequenter etiam Christus inuocetur gubernator: vt nauem tantis periculis ereptam, ad portum securitatis ipse perducat. Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœpisti consequi annonā de mensâ regis tui. Noli esse desertor, nec vt miles delicatus diffluas per voluptates, & te hostis diabolus inermem diffluentēque inueniat.] Sic enim multi deficiunt à fide, dum desciscunt à pietate: multi suggerente & impellente diabolo, nauim deserunt Ecclesiæ, & hæresim proprio reclamante indicio condunt peruersæ doctrinæ. [Hæ nimirum sunt doctrinæ hominum & dæmoniorum, (vti loquitur Tertullianus) prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ secularis.] Ita simul coëunt homines simul & dæmones, dum illi dicunt quod ab istis discunt; dum peruersè inspirati, & malè afflati, effutiunt quæ nec intelligunt.

Chrysost. Hom. 12.

August. lib. de Catache. cap. 15.

Multi vicē. do voluptuosè, fidei naufragium passi sunt.

Tertul. l. de præscript. cap. 7.



DISQVISITIO SECVNDA.

De disciplinâ.

SIcut duplex doctrina, sic & duplex disciplina est. [Disciplina enim, vti monet Augustinus, à discendo dicta est: disciplinæ domus, est Ecclesia Christi. Omnes in domo disciplinæ sumus, sed multi nolunt habere disciplinam & quod est peruersius, nec in domo disciplinæ volunt habere disciplinam.] Sed cum disciplina à discendo dicta sit, considerandum est primò quinam sint illi qui discunt, tum & à quo discunt, postremò quid discunt. Inde enim duplex schola est, vna Christi, altera diaboli: illa, Ecclesia Dei viui; ista synagoga satanæ, & malitiæ officina. In illâ igitur discunt omnes boni, fideles, iusti; in istâ, omnes peruersi, infideles, impij. In illâ fidem ediscunt & veritatem: in istâ, errorem & falsitatem: quid enim aliud ab huius mundi principe, patre mendacij? Quia verò ægrè falsum admittitur, imò & aperte reiicitur mendacium, arte ac fraude subornandum est, dolo ac fuco temperandum, simulatâ pietate, ementitâ commendandum sanctitate. Non vltrà progrediar, quin aliquid, imò mira proloquar ex Epiphanio. [Audius, ait ille, è Mesopotamiâ oriundus, domi clarus in primis fuit, propter & vitæ integritatem, & diuinæ fidei zelum & ardorem. Qui cum sæpè nonnulla videret, quæ in Ecclesiis perperam geruntur, Episcopos, ac presbyteros coràm increpare, ac redarguere non verebatur, & identidem monere: Non debent hæc isto modo fieri, non ita hæc administrare conuenit. Hæc tanquam veritatis amans, ac cetera id genus vsurpare solebat, quæ exquisitæ probitatis hominibus familiaria sunt, qui ob egregium pietatis studium summam in loquendo libertatem adhibent. Inde maximas propterea contumelias sustinuit infestis omnium vocibus, & odiis exagitatus. At ille iactatus hoc modo, & pulsatus, atque ignominiâ affectus, æquo animo tolerabat, atque ita diu in Ecclesiæ communione perstitit: donec vehementiùs offensi quidam ob eas causas hominem exturbant. Qui nihilominùs ista sustinens, sed ad veritatem proferendam acriùs intentus, studebat interim ab Ecclesiæ Catholicæ coniunctione ac societate minimè diuelli. Verùm cum ipse cum suis vapularet, & indigna pateretur, his malis ingemiscens, ex harum calamitatum, ac contumeliarum violentiâ consilium cepit. Quare seipsum ab Ecclesiâ segregauit: atque ita pluribus cum illo desciscentibus, nouum ab eo diuortium conflatum. Neque verò vllâ in re ab rectâ fide discessit, sed ipse cum suis sinceram in omnibus religionem tenuit. Quanquam est quiddam perexiguum, in quo paulò perniciùs confli-ctantur.]

Augustin. Tract. de disc. Christ. cap. 1.

Epiphan. hæres. 70.

Qua fide ac pietate Audius prædi-tus.

Et quidem quoad censuram virorum ecclesiasticorum, & abruptam sententiam; morbus est, quo nec ipse Augustinus exemptus fuit. [Arbitror, inquit, Dominum meum propterea me sic emendare voluisse, quòd multorum peccata nautarum, antequam expertus essem

Augustin. epist. 148. post init.

A quid illic agatur, quasi doctior & melior reprehendere audebam: itaque postquam missus sum in medium, tunc sentire cepi temeritates reprehensionum mearum, quanquam & antea periculosissimum iudicarem hoc ministerium.] Ita igitur ille, pari zelo, sed minori iudicio: [Cum nonnulla in Ecclesiis geri cerneret, nonnunquam quæ sentiret loqui, ac redarguere cogebatur; nec omninò tacere poterat. Velut si quem è clericis pecuniarum plus æquo cupidum videret, episcopum, aut presbyterum, aut alium quempiam qui Ecclesiasticis ordinibus censentur, exprobrare non dubitabat: aut si quispiam luxu ac deliciis difflueret, siue vl-

B lam ecclesiastici dogmatis, ac disciplinæ partem adulterando corrumperet, patienti nequaquam ferens animo, verbis castigabat.] Sed hoc mirum, quod ab ecclesiâ segregatus, imò & in hæresim lapsus, idem tenuit institutum vitæ, nec vnquam neruum succidit disciplinæ. [Reliquum vitę institutum sanè quàm egregium, & admirandum: adeò vt non ipse modò, sed & qui illi adhæserunt episcopi, presbyteri, ac reliqui omnes de manuum suarum labore victitēt.] Huc vsque mira, nunc quæ deformia. [Nam quod ad imaginem Dei creatus Adamus dicitur, præfractè illi referendum ad corpus existimant. Vnde cum in hac parte, maiore, quàm par sit, contentionis studio du-

C cantur, ab Ecclesiasticâ traditione, ac doctrinâ recedunt. Quæ cum omnes homines ad imaginem Dei creatos esse fateatur, nullam tamen partem definit, in quâ istiusmodi imaginis ratio collocanda videatur. Sed nec isti, qui eâ de re fabulosè aliquid afferunt, aut negant, demonstrare quidpiam possunt.] Iam ergo à veritate auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur: sed fabulæ subtiliter excogitatæ, & arte quadam compositæ, videantur indoctis doctæ, cum reuera sint ineptæ; sic & errantium opera, simulatione & hypocrysi

D subornata, videntur iusta; cum reuera conscientiæ cauteriatæ probra sint, & vitæ reprobæ stigmata. [Ineptas autem, & aniles fabulas deuita.] Ineptas vocat Paulus, quas Petrus, [Doctas] nuncupat, id est, doctè & ingeniosè exstructas: sed qui verè docti, qui verè pij, tam vanam hæreticorum sanctitatem reputant, quèm eruditam ethnicorum proculcant vanitatem.

Epiphan. hæres. 70.

Doctæ fabulæ, quæ artificiosè sunt compositæ.

Iam igitur quoad disciplinam hereticam, potest impingi Audianis, qui suprà mortales omnes duri & austeri: potest & aliis affigi, qui etsi dissimiles errore, fraude tamen similes. [Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fi-

E de: attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum: in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam: prohibentium nubere, abstinere à cibis.] Sed si ad originem remeandum est, habes Saturninum, de quo Ireneus. [Simon Samarites, magus ille, seducens gentem Samaritanorum: cuius successor fuit Menander, qui & ipse ad summum magiæ peruenit. Ex iis Saturninus, & Basilides, occasiones accipientes, distantes doctrinas ostenderunt. Nubere autem & generare, à Satana dicunt

Iren. l. 1. aduers. hæres. c. 20. 22. & 24.

esse. Multi etiam ex iis qui sunt ab eo, & ab animalibus abstinent, per fictam huiusmodi continentiam seducentes multos.] Causam aperit Theodoretus, atque natam ex praeconcepto aduersus creatorem odio. [Bellum, inquit, aduersus creatorem huius vniuersitatis gerebant, ideo ne per matrimonium opificium eius augeretur, formidabant. Saturnilum vocat Epiphanius, nec minùs tamen impium reputat. [Vxores ducere, ait, liberosque gignere, ab Satana esse circulator idem pronuntiat. Quamobrem plerique ex horum disciplinâ animatis omnibus abstinent, vt affectato illo sanctioris vitæ genere nonnullos suum in errorem pelliciant.] Ita impostorem traducit, quem, vt & Simonem, insignem dicit næniarum inuentorem, consarcinatorem fabularum. Inde igitur & erroris traductio, & criminis in Ebionæos, Manichæos, similesque huiusmodi pestes propagatio. [Virginitas enim apud illos, vt ille alibi dixit, & castitas omninò prohibetur, idquod & ceteræ omnes eiusmodi hæreses vsurpant. Nam olim de virginitate gloriari solebant, nimirum ob Iacobum fratrem Domini.] Adeò maligna hæresis, & pura puta hypocrisis: non enim id agebant ex religione, sed ex superstitione; non ex amore sanctitatis, sed ex impietatis errore: non vt abstinerent, sed vt illuderent. [Scilicet, ait Clemens, vt hac continentiâ, suæ sententiæ prauitatem faciliùs probare possent, & veluti vulpeculæ, vineam labefactarent.] En ergo cauteriata conscientia, in hypocrisi loquentium mendacium: prohibentium nubere, iubentium non à nuptiis tantùm sed & à cibis abstinere: cum spectra sint hominum, & monstra libidinum.

Theodoret. ep. diuin. decret.

Epiphan. hæres. 23.

Epiphan. hæres. 30.

Quod perniciosa sit hæreticorum cōtinentia.

Clemens l. 6 const. c. 10. & 17.

TROPOLOGIA.

Nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.

QVi fidem audiunt, & agnoscunt veritatem, sciunt primò, nullum cibum humanum homini, multo minùs fideli esse per se vetitum: secundò, nullum non posse ex religione prohiberi: tertiò, etiam proscriptum benedictione restitui.

Quoad primum. Non repudiamus cibos, aut putamus reiectaneos: [Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est.] Optima propositio. Nam, vt dixit Chrysostomus: [Si creatura Dei bona est: (omnia enim bona valdè) eo quòd creaturam Dei dixit, edulia cuncta signauit. Pulchrè igitur ait Apostolus, Agnoscentibus veritatem: quippe vetera illa ac priora, omnia figuræ erant: nihil enim naturaliter immundum est, verùm ex conscientiâ sumentis efficitur vt immundum fit. Hoc quippe est quod ait, Innutritus verbis fidei, ea non modò aliis meditanda propone, verùm & ipse in eis perpetuâ exercitatione versare] Certè, vt redarguit Augustinus: [Primi patres nostri abstinuerunt: non tamen damnandi, sed significandi gratiâ. Et

Chrysost. Hom, 12.

Augustin. l. 3. cont. Faust. cap. 5.

A Christiani non hæretici, sed Catholici, edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa immunda esse credant, non solùm à carnibus verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque vel minùs seu voluerit seu poterit. Vos autem Manichæi, ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod carnes diabolus operetur fœculentiore materiâ mali: ac per hoc eas, tanquam immundiora & truculentiora
B Dei vestri vincula, exhortentes abiicitis. Auditoribus autem vestris, quos tanquam distinctos à genere sacerdotum dicitis, secundùm veniam hæc edenda conceditis: sicut quibusdam concedit Apostolus secundùm veniam, non omnem concubitum, coniugalem etiam, qui fit solâ causâ generandi; sed eum qui fit per incontinentiam, sed tamen cum coniuge. Neque enim conceditur secundùm veniam, nisi peccatum: hoc vos de omni carnium cibo sentitis: hoc & ipsi ab hæresi vestrâ didicistis, & vestros auditores docetis: sed illis quòd sit ignoscendum, propter quod vobis necessaria ministrant, conceditis; non dicentes non esse
C peccatum, sed peccantibus veniam largientes: vos autem ab omni tali, tanquam malâ & immundâ contagione abstinetis. Cum enim Apostolus dixerit: Abstinentes à cibis ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, securus ait: Et iis qui cognouerunt veritatem: quoniam omnis creatura Dei bona est. Hæc sunt quæ negatis: hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab escis huiusmodi temperatis: quòd non significatione, sed naturâ malæ & immundæ sint. Quâ in re creatorem earum sine dubio blasphematis, hoc est quod pertinet ad doctrinam dæmoniorum. Nolite ergo
D mirari hoc de vobis tanto ante à sancto spiritu prophetatum.] Est igitur triplex hominum genus distinguendum, Iudæorum, Christianorum seu Catholicorum, & hæreticorum. Et hæretici quidem in errore versantur, Catholici donantur veritate: Iudæi autem nec in errore sunt, nec in veritate, sed in vmbrâ & figurâ. Hæretici, cibos reiiciunt vt immundos ex creatione, Iudæi vt à lege prohibitos. Christiani nullos respuunt, quia nullos credunt naturâ malos, aut figurâ iam illicitos. [Ad hoc, inquit Hieronymus, creata sunt omnia, vt vsui mortalium deseruirent: & quomodo homo, rationale animal, quasi quidam habitator &
E possessor mundi, Deo subiacet, & suum veneratur auctorem; ita cuncta animantia aut in cibos hominum, aut in vestitum, aut ad scindendam terram, aut ad subuectionem frugum, aut ipsius hominis sunt creata: vnde & iumenta, ab eo quòd iuuent, appellantur. Quid est homo, ait Dauid, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Esto, inquit, bos ad arandum, ad sedendum equus, canis ad seruandum, capræ ad lac, oues ad lanitia conditæ sunt: quis esus

Christiani in veritate, hæretici in errore, Iudæi medii.

Hieronym. l. 2. aduers. Iouin. post init.

porcorum absque esu carnium? Quid capreæ, ceruuli, damulæ, apri, lepores, & huiusmodi venatio? cur in domibus gallina discurrit? Si non comeduntur hæc omnia, frustra à Deo creata sunt. Verùm quid opus est argumentis: cum manifestissimè scriptura doceat, omne, quod mouetur, sicut olera herbarum, data nobis in escam: & Apostolus clamitet: omnia munda mundis: & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: & venturos in nouissimo, qui prohibeant nubere, & vesci cibis, quos Deus creauit ad vtendum.]

Quoad secundum. Concedimus vsum, sed modum imponimus. [Quia, ait Chrysostomus, & panem creauit Deus, & tamen vsus prohibetur immodicus: & vinum creauit itidem, atque eo immoderatè vti prohibuit. Non itaque delitias tanquam aliquid immundum cauere iubet: sed vt quæ, si deseratur modus, vigorem animi soluant.] Ita se res habet in cibis, vt & in nuptiis. [Absit enim, ait ille, vt volentes prohibeamus nubere, etsi nubere nolentes ad virginitatis celsitudinem consectandam hortemur. Aliud quippe est prohibere, & aliud suæ voluntatis dominium relinquere. Nam alius quidem prohibet, atque id totis viribus nititur: alius verò ad virginitatem, velut digniorem hortari pergit, neque id nubere prohibens facit, sed celsioris virtutis merita sectanda proponit.] Sic ergo & cibos concedimus, vt per se bonos, vt à Deo bono conditos, sed gulam circumscribimus, dum indicimus abstinentiam. [Notat Apostolus eos, ait Tertullianus, qui in totum nubere prohibebant, qui & de cibis interdicebant, quos Deus condidit. Nos verò non magis nuptias auferimus, si secundas recusamus; quàm cibos reprobamus, si sæpiùs ieiunamus. Aliud est auferre, aliud temperare; aliud est, legem non nubendi ponere; aliud, modum nubendi statuere.] Notat superstitiosos: [Reprobat etiam illos qui iubebant cibis abstinere, (ita & ille) sed de prouidentiâ Spiritûs sancti, prædamnans iam hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera creatoris: quales inueniam apud Marcionem apud Tatianum, apud Iouem, hodiernum de Pythagora hæreticum. Ita, sciebat quosdam castigatores & interdictores victus incusare, qui ex fastidio, non qui ex officio abstinerent, probare verò qui in honorem, non qui in conuitium Creatoris.] Distinguendum ergo fastidium quod ex errore vanitatis, & officium quod ex amore pietatis: illud in Creatoris conuitium est, istud vero in religionis sacrificium, [Ecquam Pentecostem Paulus ageret, nisi Pascha priùs obiisset? (verba sunt Epiphani) Quis est vspiam terrarum, qui non in eo consentiat, quartam, sextam-ve feriam solemni in Ecclesia ieiunio consecratam? Quòd si ex Apostolorum constitutione repetenda nobis auctoritas est, cur illis quartæ, sextæque feriæ ieiunium perpetuâ lege sancitur, excepta Pentecoste? Cur sex Paschatis diebus nihil omninò ad cibum præter panem, salem & aquam adhibendum definiunt?] Quinimò, cum id tam officium temperantiæ sit, quàm frænum concupiscentiæ; tam potest per nullas

Chrysost. Hom. 11.

Chrysost. Ibidem.

Tertullian. l de Monog. cap. 15.

Tertullian. lib. de Ieiun. cap. 15.

Epiphan. hæres. 75.

A escas, quàm per feras, aut recisas celebrari; id est, per sacrificium abstinentiæ omnis, seu corporalis alimoniæ dispendium consummari. Itaque sicut plura toleramus matrimonia, sed ad vnum prouocamus aut nullum: sic & nullos non permittimus cibos; sed nullum credimus iure non subtrahi posse, aut ex religione recidi. [Si ad virginitatem sic adhortaremini, (ait Augustinus contra Faustum Manichæum) quemadmodum hortatur Apostolica doctrina, vt bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem; sicut facit Ecclesia, quæ verè Christi est Ecclesia; non vos Spiritus ita prænuntiaret, prohibentes nubere, abstinentes à cibis. Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. Videtis ergo multum interesse inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo; & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solus propriè nuptialis est, vehementiùs accusando: multum interesse inter abstinentes à cibis, propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationem: & abstinentes à cibis, quos Deus creauit, dicendo, quòd eos Deus non creauit. Proinde illa doctrina est Prophetarum & Apostolorum; hæc dæmoniorum mendaciloquorum.]

B

Quoad tertium. Bona quidem omnis creatura Dei; sed ob peccatum hominis subiecta est vanitati, ideoque purganda benedictione speciali, & à seruitute corruptionis liberanda; ne corpori noceat, ne malignitate diaboli, noxam inferat homini, nec vitam solummodo, sed & inficiat animam. [Propter scelus hominum, ait Ambrosius, & ipsa elementa damnantur. Denique Dauid montibus, in quibus Ionathas cum patre interemptus est, perpetuæ pœnam sterilitatis optauit, dicens, Montes qui in Gelboë, neque ros neque pluuia cadat super vos. Iustum enim natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat factum parricidium, muneris sui dote priuando: vt ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet quanto forent noxiora futura supplicia. Non conueniebat vt idem solum & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundùm naturam germinaret. Vnde meritò ipse Cain dicit fratri, Eamus in campum. Non dicit, Eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum & fructiferum locum. Ipsi parricidæ indicant fructum se sceleris habere non posse, nec penes eos fructum manere qui tantæ impietati præbuerint officium. Nam ipsam refugiunt elementorum benignitatem, vt iste Cain, qui videtur veritus, ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret.] Sed iniuria ad inobedientiam paternam reuocanda est, ex quâ contracta est sterilitas omnis, sicut & omnis infelicitas inducta est. Mutatus nunc rerum status, sicut & hominum: & terrena omnia corruptioni subiecta sunt, quia maledictioni obnoxia. [Maledicta terra in opere tuo.] Ista porrò maledictio in tribus consistit. Primò enim terra feracissima erat, nunc sterilissima. [In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultûs tui

C

D

E

Bonum matrimonium, sed præferenda contin. tia

Augustin. lib. 0. cont. Faust. cap. 6

Ambrof l. 1. de Abel & Cain cap. 8.

Genes. 3.

vesceris pane.] Quasi non tam ex benigno fauore, quàm ex labore improbo: nec tam arua præbeant colono, quàm iussa pareant. Secundo, nihil non innoxium edebat, nihil non producebat salutiferum: nunc non solùm sunt inutiles spinæ, sed & herbæ lethales. [Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.] Quot incertæ, quot infrugiferæ, quot non insalubres tantùm, sed & exitiales? Tertiò, nihil tunc permissum potestati dæmonum, cum omnia sub pedibus subiecta hominum: nunc autem deuicto homine ac prostrato, in partem diabolus cōcessit, imò ditionem omnem inuasit: iamque sic dominatur: vt non solū venenis vtatur ad mortē sed & cibis innocuis ad cōmessationē ad compotationē ad libidinem. [Primò ergo Apostolus ait creaturam esse bonam secundùm se: secundò, quantum ad vsum, (ita Aquinas.) Secundum se, dicit, Omnis creatura Dei est bona: scilicet in suâ naturâ. Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bonâ. A bono enim actore, nihil est nisi bonum. Sed quia multa sunt in se bona, quorum tamen vsus non est bonus, ideò probat omnem creaturam esse bonam, non solùm in se, sed & quantum ad vsum. Dicit ergo, Nihil reiiciendum est, scilicet ex debito diuinæ legis, quamuis ex aliâ causâ, sicut venenum comedere, inquantum cibus, non est peccatum; sed reiiciendum est, inquantum est mortiferum Similiter nec alij cibi, inquantum tales sunt, non sunt reiiciendi, sed inquantum incitant ad lasciuiam. Ergo secundùm discretionem rationis, & ordinationem charitatis, non sunt reiiciendi. Matth. 15. Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem. Omnis ergo creaturæ vsus secundùm se est bonus: sed quia ex quo homo peccauit, diabolus accepit potestatem in hominem & in ea quæ sunt eius: omnia quæcumque benedicimus, exorcizantur primò, & ibi est oratio expellens diabolum. Et ideo dicit, Sanctificatur enim per verbum Dei, id est per Christum qui omnes sanctificat: Et per orationem, scilicet fidelium.] Sic enim per inuocationem Christi, seu orationem fidei mundatur cibus, sanctificaturque; sic excluditur diabolus, sicut enim per maledictionem intrusus est, sic & per benedictionem proscribitur: sic tandem esca paratur innocua, & in pristinam integritatem, seu puritatem primigeniam vindicatur. [De escâ nostra dixit Apostolus, Sanctificatur per verbum Dei & orationem. Multi enim modi sunt sanctitatis, ait Augustinus, & multi modi sunt sanctificationis.]

Aquin. lect. 1

Quomodo cibus à diabo i potesta te vindicandus.

Augustin. serm. 14 de verb. Apost. cap. 19.

ANAGOGIA.

Exerce teipsum ad pietatem.

Exercitium est, in quo non curritur, sed discurritur: gymnasium est, in quo verus Dei cultus addiscitur: emporium est, in quo vera salus acquiritur. [Exerce teipsum ad pietatem.] Primò ergò, exercitium est: Secundò, non tam in exercitatione corporis, quàm A in contemplatione mentis positum: tertiò, suo nusquam defraudatum præmio.

Quoad primum. Non solùm instituendus es, sed & exercendus. [Baptizatus es, ait Augustinus, mundatus es, vnctus es oleo; restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis antè peccatum: noli postmodum securus esse. Ad agonem produceris, contra diabolum vitiorum principem dimicabis in arenâ huius mundi: vtræque partes, Christi scilicet & diaboli, infinita populi multitudo te spectat luctantem, & quisnam vincat: vide omnem turbam nimiâ intentione pendentem. Bellum tibi indicitur, in quo enitescas pugnando, vt ad plenam pacem triumphando peruenias. Non contrà vnum dimicabis, multi enim contra te exient aduersarij: pugnabis enim cum vitiis: & si depresseris auaritiam, exurget libido; quòd & si libidinem superabis, succedet ambitio; & si ambitio à te fuerit deuicta, ira, zelus, æmulatio, inuidentia, superbia, ebriositas, cum ceteris suis pestiferis sociis in vnum contra te dimicantia constituent castra.] Exercitatio illa non vulgaris est, sed γυμνασία. [Quia, vti dixit Gregorius, quicumque ad fidei agonem venimus, luctamen contrà malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat, ne succumbat.] Luctator es, bellator es: sed aduerte cum quo pugnas & dimicas: attende ex quo debellas & triumphas. [Vt fortis miles, ait Augustinus, quicquid potes age in hoc bello, vt virtus tua Christus non solùm te intueatur, verum etiam alij proficiant ad salutem. Non de te triumphet pars diaboli. Si vis vincere, noli de te præsumere: sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat vt victoriæ feras palmam. Vis vincere? Caput priùs contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? manus tuæ fortes inueniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, ne tua nutent vestigia: vt in tam magno agone & tam grandi certamine possis implere victoriam.] In isto est luctatoris fortitudo, vt firmiter stet in gradu suo, vt toto constanter depugnet impetu. [Ecce ergo baptizati sunt homines, (verba sunt Augustini) omnia illis peccata dimissa sunt, iustificati sunt à peccatis, negare non possumus: restat tamen lucta cum carne, restat lucta cum mundo, restat lucta cum diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur; aliquando vincit, aliquando perimitur: quomodo de stadio exeat attendatur.] Exitus enim acta probat, nec initium, sed successus, maximè verò finis dispensat præmia. Itaque id præcipuè interest, quo quisque animo pugnet, quâ perseueret constantiâ; quomodo gradum figat, & feriat inimicum.

Quoad secundum. Cum Apostolus ait, Exerce teipsum ad pietatem, exercitationem

Augustin. Tract. de Catacl. c. 1. & 2.

B

Gregorius Hom 32. in Euang.

C

D

Augustin. Tract. de Cataclys. c. 1. & 2.

Constantia in certamine maxime requisita.

E

Augustin serm. 16. de verb. Apost. cap. 4.

intelligit spiritalem. [Nam exercitatio corporis ad modicum vtilis est.] Quid est ergo, Exerce teipsum ad pietatem ? [Hoc est, vt exponit Chrysostomus, ad fidem puram, vitamque rectam. Id quippe significat pietatis nomen. Exercitatione igitur nobis opus est, sed dignâ, sed spirituali. Corporalis enim exercitatio, inquit, ad modicum vtilis est. Quod quidam Apostolum de ieiunio aiunt dixisse, sed profectò errant: neque enim est corporalis exercitatio ieiunium, sed spiritalis. Nam si corporalis esset, corpus profectò nutriret: cum tamen illud maceret & extenuet, macieque conficiat, corporalis omninò dici non potest. Igitur de corporis exercitatione ait inutili illâ, & quæ nihil afferat lucri, soloque corpori accomodata sit. Spiritalem igitur exercitationem nomine pietatis insinuat, quæ lætissimos fructus in futuro seculo reddit, & hîc atque illic recreat.] Arma nostra corporalia non sunt, sed spiritalia: & inter illa computanda sunt ieiunia. [Nobis, ait Ambrosius, & certamen imminet, & victoria repromittitur. Certamen nostrum, ieiunium est. Denique ieiunauit Saluator, & sic tentator ad eum accessit. Ille ergo ante est præliatus, vt vinceret; non quòd ipse egeret certamine, sed vt nobis formam debellandi præscriberet, & postea daret gratiam triumphandi. Tentator primum direxit gulæ spiculum, dicens: Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Ille cibum velut escam laquei prætendit, vt sic illaquearet appetentiam corporalem: Dominus ieiunium prætulit, vt laqueos tentatoris sui & vincula dissolueret. Denique hic habes scriptum: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Illo laqueo Adam fuerat strangulatus, hac absolutione diabolicæ quæstionis omnis homo est liberatus. Magna virtus ieiunij, & tam speciosa eius militia est, vt ieiunare delectaret & Christum: tam valida, vt ad cœlum homines eleuaret. Quid eius reliqua contexam ? Elias ieiunus cœlum clausit sacrilego populo Iudæorum, ieiunus filium viduæ ab inferis suscitauit. Tunc denique plus meruit, quando plus ieiunauit. Ieiunus curru raptus est ad cœlum, & quadraginta dierum ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam. Meritò illum dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlestem vitam viuebat in corpore, ac supernæ vsum conuersationis exhibebat in terris. Quid est enim ieiunium, nisi vitæ imago cœlestis ? Ieiunium, refectio animæ, cibus mentis est. Ieiunium, vita est angelorum: ieiunium, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citiùs peruenitur: hoc gradu Elias ascendit, antequam curru.] En quales ieiunij vires legitimi, quomodo pugnet, triumphetque non in cœlis tantùm, sed & in inferis: quantam reportet de hominibus dæmonibusque victoriam, quomodo hominem, quasi quibusdam alis volantem, ieiunando scilicet atque orando, sublimem faciat; nec in altum tantummodo, sed & in fastigium vsque cœli, imò ad Dei conspectum euehat contemplando. [Nostra

Chrysost. Hom. 12.

Ambros. l. de Elia & ieiu. cap. 1. 2. & 3.

Quanta sit legitimi ieiunii efficacia.

A religio, ait Hieronymus; non πύκτην, non athletam, sed sapientiæ erudit sectatorem; qui se cultui Dei dedicauit, & scit, cur creatus sit, cur versetur in mundo, quo abire festinet. Quamobrem ego tibi dicam: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Si vis perfectus esse, melius est saginare animam, quàm corpus. Nos Paulo credimus intonanti: Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & illum destruet.] Si diceret Paulus, Exerce te ad pugilatum luctatum-ve, saginam tibi indiceret, ædificando robori, seu corpori reborando necessariam. Sed, vt te monuit Tertullianus: [Nusquam

B tibi vires aut iniuriosæ aut vanæ placebunt: sed nec cura factitij corporis, vt plasticam Dei supergressa. Et propter Græciæ otium altiles homines oderis. Et palæstrica diaboli negotium est. Primos homines diabolus elisit. Ipse gestus, colubrina vis est, tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum.] Non te ad hanc luctam vocat Apostolus, ideoque non ad corporis, sed ad mentis prouocat. [Exerce teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.] Exercitationem commendo, sed spiritalem, non corporalem: te voco ad contemplatio-

C nem, ad summum disciplinæ fastigium, ad diuinæ studium sapientiæ; vt cœlestibus vaces & æternis, vt gloriosum de vitiis triumphum reportes & dæmonibus.

Quoad tertium. Hoc quidem gymnasium in quo discendum est. [Quid verò discitur, vel quare discitur ? (verba sunt Augustini.) Qui sunt qui discunt, & à quo discunt ? Discitur benè viuere. Propter hoc discitur benè viuere, vt perueniatur ad semper viuere. Discunt Christiani, docet Christus.] Sed præcipuum est scire quæ sit merces bonæ vitæ: idcircò enim benè viuere ab illo discimus cuius cathedra in cœlo est, vt possimus mercedem consequi, & per laborem temporalem felicitatem adipisci

D interminabilem. [Quare iuisti in scholam, ait ille, & vapulasti, & à parentibus ductus, & fugitans quæsitus, & inuentus attractus es; & adductus extensus es ? Quare vapulasti. Quare tanta mala in pueritiâ pertulisti ? Vt disceres ? Quid disceres ? Litteras. Quare ? vt haberetur pecunia, aut vt compararetur honor, & teneretur sublimitas dignitatis. Vides quia periturus es propter perituram rem ? Perituram rem cum tanto labore didicisti in tantis pœnis, & amabat te qui te ad pœnas trahebat. Nimirum vt habeas quantum ceteri, aut quantum pauci; aut plusquam ceteri, aut

E plusquam pauci: habeas inde dignitatem. Et vbi erunt ista omnia, cum mors venerit? Quomodo stimulat, quomodo metus iste interpellat ? Finem respice: Christianus es, fidei oculum intende. Contigit mori inopem illum, & deferri ab angelis in sinum Abrahæ. Quid proderat diuiti sepulcrum marmoreum, sitienti apud inferos? Quid oberunt pauperi panni cum sanie vlcerum eius, requiescenti in sinu Abrahæ ? Longè vidit eum requiescentem, quem contempserat iacentem. Dic mihi, Quis benè mortuus est, quis malè ? Puto quia melius ille pauper, quàm ille diues. Disces ergo benè mo-

Hieronym. l. 2. aduers. Iouin. cit. med.

Tertul. lib. de spectac. c. 18.

Augustin. Tract. de disc. Christ. cap. 1.


Augustin. eod. Tract. c. 11. & 12.

ri, si didiceris benè viuere. Merces enim bonæ vitæ, æterna est.] Quiuis athleta, quiuis miles sibi triumphum proponit, promittit præmium: palmam ille, iste coronam. [Nullus autem tibi coronatum vsus est. (ait Tertullianus) Quid de coronis voluptates aucuparis ?] Exerces te ad pietatem, vis vitam & dies videre bonos: nimirum annos æternos in mente habes: istam quidem abiicis vitam, sed futuram quæris, felicitatem vis, æternitatem appetis. [Pietas ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.] Quid est ad omnia? [Bona nimirum promouenda, (vt exponit Aquinas) Sed hæc bona temporalia, in tantum sunt bona, inquantum vtilia ad felicitatem. Vnde si quis haberet tantum de temporalibus, quòd propter ipsa impediretur à bono virtutis & felicitatis, hoc non esset sibi ad bonam fortunam, sed ad malam. Longitudo autem vitæ præsentis est vnum de temporalibus, intantum bonum, inquantum coadiuuat ad virtutem. Aliquando autem est occasio ad peccandum: & ideo Deus aliquando subtrahit eam homini, non quia deficiat à promissione, sed quia dat quod melius est.] Omnes diligimus vitam, sicut omnes quærimus gloriam: sed sicut vera gloria appetenda est, sic & vita. Porrò, sicut gloria vera non est huius æui, sed futuri, sic & vita. Itaque sicut humana gloria in diuinam referenda est, propter quam & appetenda: sic & vita caduca propter æternam vitam ducenda; & in tantum protrahenda, in quantum texendæ coronæ necessaria. Et hoc est, quod pietati promissum est, vt & præsentem vitam dispenset, & æternam procuret felicitatem.

Tertul. lib. de Spectacul. cap. 18.

Aquin. lect. 2.

Vita præsens in acquisitionem futuræ dispensanda.



PARS ALTERA,

DE ADMONITIONE.

TEXTVS.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Præcipe hæc & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.

EXEGESIS LITTERALIS.

Ad Timotheum se conuertit, quem cupit populum suum tam exemplo instruere quàm verbo, & acceptam gratiam nunquam negligere.

[Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium, &c.] Angelus in Apocalypsi, vt dixit, [Et regnabunt in secula seculorum.] Statim addidit. [Hæc verba fidelissima sunt, & vera.] Ita Paulus, vbi promissionem obstrinxit, [Vitæ quæ nunc est, & futuræ:] protinus subiunxit: [Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.] Nihil heic dubitandum, sicut & nihil recusandum est. Ideò namque omnia & incommoda toleramus & opprobria, quia spem in eo collocamus, qui fons vitæ est, & præsentem nobis subministrat, & æternam felicemque apparat. Ipse quippe salutem dat omnibus, sed reprobis solam temporalem; electis verò, etiam veram & interminabilem. [Præcipe hæc, & doce. Nemo adolescentiam tuã contemnat, &c.] Hæc omnia quæ proposui, fidelibus trade cum auctoritate episcopali: quamuis enim sis adhuc in ætate iuuenili, sic age, sic teipsum gere, vt potestatem quisque suspiciat, ætatem nemo despiciat. [Sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, &c.] Et id quidem obtinebis, si te in formam proposueris, in quam intendant fideles omnes, & iuxtà quam mores componant & actiones, sicut in

Apocal. 6, 13.

Adolescentia virtute & grauitate fulcienda est.

ue in verbo veritatis, siuè in exemplo grauitatis: omnia disponens ex charitate, nihil ex cupiditate, fidem rectam liberè proponens, & illibatam integrè custodiens puritatem. Ita Commentarius Athanas. [Præuius ipse aliis exbibe viuendi formam τύπον, & regulam te vitæ melioris præstiteris. In verbo, vt facilè verba promas, & ad loquendum promptior sis & paratior. In conuersatione, vel ciuili vel ecclesiasticâ. In charitate, quâ in omnes vtaris. In fide, rectâ scilicet, In castitate, hoc est, in puritate, siue virginitatem exerceas, siue continentiam.] Omnem scilicet castitatem.

Comment. Athanas.

[Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, &c.] Veniam ad te, si Deus annuat. Interim ἐως ἔρχομαι. Assiduè scripturas sacras reuolue, vt inde colligas, quomodo exhortandi sint segnes, quomodo ignorantes informandi. [Per duo, ait Aquinas, est quis idoneus ad docendum: scilicet per lectionem, in quâ acquirit scientiam; & per exercitium, in quo efficitur promptus. Ideò dicit Apostolus, Dum venio, attende lectioni, scilicet librorum sanctorum. Ad exercitium autem necessaria est exhortatio nostra, quantum ad agenda; doctrina, quantum ad cognoscenda; ideo addit, Exhortationi & doctrinæ.] Quod vni dicit, omnibus dicit, & pastoribus & doctoribus [Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij, &c.] Gratiam, χάρισμα, Gratuitum donum exsequendo officio necessarium. Admonet ergo vt ad vsum applicet illud donum quod illi collatum est secundùm exertam Spiritûs sancti prophetiam, & per subsecutam sacerdotalis ordinationis ceremoniam. [Hæc meditare: in his esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus, &c.] Hæc non solùm tibi mente reuoluenda, sed & opere exerenda, vt sciant omnes, te non solùm crescere in scientiâ, sed & in sanctitate & iustitiâ proficere. [Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.] Attende primùm tibi ipsi, quo rectè viuas: attende & gregi, quo benè instituas. Sta in istis, & perseuera. Hoc enim si feceris, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt; dum & salutem tuam promoues, & alios non tam sermonibus admones quàm operibus. [Vt forma sit omnibus non solùm in bonis operibus, verumetiam in doctrinæ exercitio, admonet (ita Ambrosius) Apparere enim debere significat exercitij profectum, non in doctrinâ tantùm, sed & in gestis. Bona enim arbor bonos fructus facit: similiter & bona doctrina mala opera habere non potest: vtcum visa fuerint bona opera, diuini magisterij fructus esse intelligantur, & auditores possint proficere. Tum vera enim & metuenda esse intelligunt quæ dicuntur, quando ab eo ipso qui docet, magna veneratione obseruari videntur. Quod rectori plebis duobus modis proficit. Et suorum enim bonorum operum, & audientium mercedem accipiet: quomodo si negligens fuerit, tam pro se quàm pro eis redditurus est rationem.]

Aquin, lect. 3.

Donum gratuitum in ordinatione collatum.

Ambrof. in Paulum.

THESES THEOLOGICÆ.

Publicæ sunt ipsæ theses, vtpote non soli Timotheo, sed & omni Christiano, maximè verò pastoribus doctoribusque propositæ. Sit ergo

THESIS PRIMA.

De salute.

Hic sermo de Deo viuo & vero: [Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium.] In quo, vt dixit Prosper, [Necessariæ inquisitionis negotium non leuem operam sibi poscit impendi.] Verùm, [Remotis, vt ille loquitur, abdicatisque omnibus concertationibus quas intemperantium disputationum gignit animositas, tria esse perspicuum est, quibus in hac quæstione debeat inhærere. Vnum, quod profitendum est, Deum velle omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Alterum, quod dubitandum non est, ad ipsam cognitionem veritatis, & perceptionem salutis, non suis quemquam meritis, sed opem atque operâ diuinæ gratiæ peruenire. Tertium, quòd confitendum est, altitudinem iudiciorum Dei, humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse: & cur non omnes saluet, qui omnes vult saluos fieri, non oportere disquiri.] Tum & ad Textum Apostolicum.] Si ergo, inquit, cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conquiescat: nullius superest causa certaminis, neque vltrà necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari. Quoniam siue occultè siue manifestè Deus, vt Apostolus ait) saluator est omnium hominum, maximè fidelium. Quæ sententia subtilissimæ breuitatis, validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de quâ agimus controuersiam dirimit. Dicendo enim, Qui est saluator omnium hominum; confirmauit bonitatem Dei super vniuersos homines esse generalem. Adiciendo autem, Maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei diuinitùs inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis prouehatur: quod vtique nullâ iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi Dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantiâ discutiendum, sed cum tremore laudandum est: siquidem in ipsis quoque fidelium populis, non eadem omnibus nec paria conferantur; & antè vlla humanorum pondera meritorum, dissimillima diuinorum mensura sit munerum. Cum enim nemo aliquid boni habeat quod non ille donauerit, non omnes tamen iisdem virtutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diuersitatem graduum causis aptare meritorum, cum totius boni boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius opibus sumitur quicquid in singulis probabile reperitur.]

Prosper. l. 1. de vocat. Gent. c. vlt.

Prosp. lib. 2. cap. 1.

Prosp. c. 10.

Tria sunt in hac thesi statuenda.

Duplex ergo ex Prospero distinguenda est

in Deo bonitas, seu benignitas, vna generalis, altera specialis; ideoque non tam ex subiecto, quàm ex obiecto secernenda. Prima est, quâ media quædam generalia in vniuersum exposuit omnibus hominibus, etiam malis ac reprobis, vt ad salutem perduci valeant: altera, quâ nonnulla auxilia specialia contulit solis fidelibus maximè electis, vt ad salutem perueniant. In illis, est creatio, eruditio, operum omnium contemplatio; ex quibus emergit capacitas salutis; sed ad effectum, non nisi gratiâ speciali perducenda, in istis, vocatio, iustificatio, glorificatio, in quibus subsistit facultas salutis ad exitum ex Christi prouecta merito. Licet enim Deus nullos creet, vt damnet; solos tamen electos specialibus præuenit beneficiis, & efficacibus regit auxiliis: adeò vt in iis qui damnantur, pereuntis meritum sit; in iis verò qui saluantur, regentis sit beneficium. [Omnium quidem hominum, ait ille, Deus creator est: sed nemo ab eo ideo creatus est vt periret: quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines, conditoris est beneficium: vt autem pereant, præuaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccauerunt: eademque sententiâ quam ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiamsi propriis peccatis careant, resoluuntur, nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi per Spiritum sanctum renascantur.] Sicut ergo infantes omnes, per illam generalem benignitatem, sanctificationis capaces sunt; sic & omnes homines, salutis capaces: sed sicut illi non possunt sine singulari prouidentiâ salutis sacramentum consequi, sic & isti non possunt nisi speciali gratiâ ad exitum salutis perduci. Denique, sicut, quod illi damnentur, nascentis est vitium; sic & quod isti saluentur, condentis est beneficium. Est ergo saluator omnium. [Quia, vt exponit Aquinas, saluat salute corporali quoad omnes. Et ideo dixit, omnium hominum. Item spirituali, quoad bonos. Et ideò dixit, Et maximè fidelium. Deus namque viuus saluator est vitæ præsentis & futuræ.] Duplex ergo salus, sicut & vita: vna temporalis seu caduca, quâ Deus homines & iumenta saluat, id est pecudes & homines animales: altera spiritalis & æterna, quâ fidem inspirat & charitatem, meritaque collata promisso cumulat præmio.

Prosper. l. 1. Respons. 3.

Aquin. lect. 2.

Sed vt euidentiùs mens pateat Apostoli; priora verba repetenda sunt, & cum istis connectenda. [Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Fidelis sermo. Hoc est, verus: (verba Chrysostomi) quoniam in hoc seculo & in futuro huius sacræ exercitationis nobis præmium redditur. In hoc enim, inquit, laboramus & exprobramur, quia speramus in Deo viuente, qui est saluator omnium, maximeque fidelium. Quòd si infideles hîc saluat, quanto magis illic fideles seruare præsumitur? Maximeque fidelium: hoc est, longè plus studij circà fideles ostendit, interim & huius temporis salutem dicit.] Sciendum est igitur, ita, peccante primo homine, damnatam fuisse naturam, vt tota mereretur exterminari, nec cœlesti tantùm

Chrysost. Hom. 12.

A gloriâ priuari, sed & vitâ corporali. [In quocumque enim die comederis, morte morieris.] Vtraque scilicet morte, spiritali ac corporali: illa ex merito, ista ex debito. Quid ergo faciant miseri mortales in hoc naufragio, nisi verba præripiant naufragantiū discipulorum: [Domine salua nos, perimus!] Sed non omnes qui euadunt è naufragio, in portum aut sinum perueniunt; sed illi soli, qui vento flante prospero, & nauclero gubernante, sese in tutum tandem recipiunt. Deus ergo viuus saluat naturam abolendam, nec vitam solùm præsentem seruat, sed & communia omnibus hominibus administrat subsidia. [Ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.] Sed B aliam procurat electis suis, cœlestem scilicet, & æternam. Ita, illorum salus quæ pecudum, quia iumentis insipientibus comparati sunt, & illis similes facti: istorum salus, quæ cœlitum, quia angelis assimilati. [Ipse est enim salus omnium ait Ambros. quia ex ipso, & per ipsum viuunt quantum ad præsentem vitam attinet, omnes; quantum verò ad promissam salutem, fideles. Cognoscentibus enim se, post hanc vitam quæ morte finitur, aliam se daturam promisit, quæ immortalitate vigebit. Ideò ergo ait, Maximè fidelium.] Est igitur saluator omnium, sicut & creator. [Non sanè, ait Augustinus, creatoris desistente bonitate, hominum, quamuis C de propagine vitiatâ, damnataque nascentium, formare semina, & animare & ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare.] Saluator autem fidelium, sicut & sanctificator, & glorificator, non modò vitam viuacemque potentiam subministrando, sed & gratiam, & immortalem gloriam præparando. Adeo bonus Deus, adeò benignus: [Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium.]

Duplex salus est, vt & vita duplex.

Genes. 2.

Matth. c. 8.

Act. cap. 17.

Ambros. in Paulum.

Augustin. in Enchirid. c. 27.

THESIS SECVNDA.

De Ætate.

D

IAm de Timotheo sermo est, sed episcopo, id est Dei & Christi ministro. [Nemo adolescentiam tuam contemnat.] In quo obseruandum est primò, Apostolum exclusisse quidem neophytum in fide, non tamen ætate; multa de virtute, de tempore nihil præscripsisse. [Non neophytum, inquit, (apud Chrysostomum.) Hic tamen ætatem adolescentiæ significare noluit, sed eum qui nouiter esset instructus, veluti quædam nouella plantatio. Nam profectò si adolescentiam signare voluisset, nihil dicere prohibebat, Non adolescen- E tem. Ne ipse quidem cum ad Timotheum scriberet, ætatem in episcopo summopere monuit, cum dicit: Nemo adolescentiam tuam contemnat.] Secundò, Timotheum non tam adolescentem fuisse, quam adhuc iuuenem. [Nemo iuuentutem tuam contemnat.] Ita textus Ambrosianus, & propius ad Græca. Ita dicitur Saulus: [Adolescens quidam.] Græcè *νεανίας*: quod non tam adolescentem notat, quàm audacem & animosum iuuenem, acrem virum, vt verbum vigoris sit potiùs ac robo-

Chrysost. Hom. 10.

Act. cap. 7.

Can. Græ. 10.

tis, quàm ætatis. Tertiò, non minùs habuisse quàm annos triginta expletos: non enim prædicauit Dominus antequam eos expleſſet: nec vllus olim iniit ſacerdotium, antequam hoc ſpatium excurriſſet. Inde canon apud Græcos: [Vt ſi quis triginta ætatis annos non impleuerit, presbyter non ordinetur, quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt.] Certè iuuentus annum excedit trigeſimum: & Saulus, licet adhuc iuuenis, quartum iam ſupra trigeſimum attigerat: nec minùs habuit Timotheus, dum vegetam ætatem, firmatamque virtutem exceperat. Antè perfectus quam præfectus; ante prouectus, quàm adlectus. [Adeo, ait Chryſoſtomus, erat virtutis excellens inſigne, vt neque adoleſcentia ipſa impedimento eſſet: idcircò etiam ſcribens, ait inter cetera: Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Vbi enim virtutis certa argumenta præluxerint, omnia quadrant, nihilque impedimento eſſe poterit. Nam & cum de epiſcopis loqueretur, multaque dixiſſet, quæ eſſent in epiſcopo neceſſariò requirenda, nuſquam cernitur leges de ætate tuliſſe. Quod ſi dixerat, filios habentem ſubditos, & vnius vxoris virum: non idcircò, ait, quaſi neceſſarium ſit vxorem habere, & filios: ceterùm ſi quando fortè contigerit ex ſeculi hominibus aliquem ad huiuſmodi ordinem prouehi, talem eſſe præcepit, qui & domui præeſſe, & filiis & omnibus reliquis ſciret. Nam qui ſecularis cum eſſet, in eis inutilis repertus, quæ ad hanc rem familiarem neceſſariò pertinent, quo pacto illi Eccleſiæ cura, regimenque permittitur?]

Chryſoſt. in proœm.

De virtute præſcriptū ab Apoſtolo, non de ætate.

Tria tamen his addenda ſunt. Primum, adoleſcentiam non minus deſpectui expoſitam quam lapſui. Vtrumque indicauit Dauid, dum de ſe cecinit: [Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.] Quare contemptus? quia adoleſcentulus: tam contemptui obnoxius quàm lapſui. Sed hoc mirum, quod ſenes aduersùs ætatem fragiles, adoleſcentulus autem non tam per ætatem, quàm per virtutem firmatus. [Videtur enim, ait Auguſtinus, minor ætate non oblitus iuſtificationes Dei, dolere pro inimicis ſuis ætate maioribus, qui obliti ſunt.] Alterum, ſenem, ætate iam ſuperiorem & virtute non imparem, præferendum iuueni, adhuc nutanti; & illi, tanquam patri deferendum. Ita Paulus: [Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem.] Inde presbyter, Græcè πρεσβύτερος. Nam quod Paulus de ætate dixit Seniorem, πρεσβύτερον ne increpaueris: Ioannes de dignitate. [Senior Electæ dominæ.] Græcè dixit, πρεσβύτερος. &, [Senior Cajo chariſſimo] Conueniunt ætas & dignitas: & vbi ſuppetunt cetera miniſterio eccleſiaſtico neceſſaria, matura ætas præferenda eſt, quæ iam pollet grauitatis merito, nec periculo ſubiacet leuitatis. Tertium, vbi adoleſcentia ſenectutem vincit ſapientiâ, maioremque ſuccedentibus annis & meritis ſpondentibus promittit virtutem, non ſolùm prouectiori ætati conferenda eſt, ſed & citrà ſcrupulum præferenda. [Timotheus ergo, vt ait Ambroſ. quantum ad ætatem pertinet, iuue-

Auguſtin. con. 18. in Pſal. 118. vit. med.

Ioan. ep. 2. & 3.

Ambroſ in Paulum.

A nis erat: quantum ad mores & conuerſationem, ſenior & grauis. Quem ideò ſic monet, vt profectus eius per omnia exemplum eſſet bonorum operum, vt in adoleſcente mirabilis videretur & grauis diſciplina; vt actus eius excuſarent ætatem: & non quaſi iuuenis, ſed quaſi ſenior haberetur; & erubeſcerent maiores natu, niſi ſe exhibuiſſent iuxtà formam huius conuerſatione & moribus graues: iuuenes autem coæuum ſuū haberent magiſtrum. Mirabilis igitur adoleſcens ſanctiſſimus Timotheus, cuius exemplo indiſciplinata coërcenda iuuentus eſt, & ſeniorum irreuerentia punienda.

Præponenda Senectus iuuentuti, ſed virtus præuertenda ſenectuti.

B Certè ſenſit Apoſtolus; Adoleſcentes tardè prudentes, ægrè duces, eligi, facilè contemni. [Imperare autem, vt dixit Chryſoſtomus, ſacerdotum eſt, ſummaque cum auctoritate diſſerere. Quoniam ergo adoleſcentia ex præſumptâ opinione communi fermè contemptibilis exiſtimatur, idcircò ait Apoſtolus: Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Oportet enim eum qui doctoris officium ſuſcipit, ita ſe agere, vt deſpici contemnique non poſſit: In his enim quæ aliorum tangunt ſalutem, contemptui omninò non pateat, ſed imperio vtatur, atque ex culmine auctoritatis, ne quid noxium immineat gregi, ſummâ curâ prouideat: neque enim hoc in loco manſuetudine opus eſt, ſed auctoritate, vti ne Eccleſiæ vtilitas pereat.] Dixerat Timotheo: [Præcipe hæc & doce. Sunt enim quædam in rebus humanis, ait ille, quæ doctrinâ indigeant, ſunt item quæ imperio.] Sed vbinam auctoritas aderit, ſi ætas deerit? An audietur adoleſcentulus? imò deſpicietur, licet epiſcopus. Sed defectus ille reparandus eſt, & inopia annorum, copiâ cumulanda virtutum. [Præceptum, ait Aquinas, efficaciam non habet niſi per auctoritatem præcipientis, & ideò quando auctoritas contemnitur, præceptum fruſtratur, quòd maximè fit in adoleſcentiâ, quia tales non creduntur prudentes eſſe. Et ideò dicit, Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: quaſi dicat, licet ſis iuuenis, mores tamen repræſentent ſenectutem. Et oſtendit, quomodo excluditur contemptus, dicens, Exemplum eſto fidelium: vt ſcilicet talem exhibeas te, vt ſis exemplum faciendi, quod verbo doces.] Nolo illos, qui auctoritatem habent ſenum, vitia habere puerorū, qui non tā virtutē recenſent quàm tempora; nec aliud vitæ longioris argumentum præbent, quàm ſenectæ decoloratioris vitium: verè ipſi deſpicabiles ſunt, tamque aliis quàm & ſibi inutiles. Grauitas, ſicut & auctoritas non in annis eſt, ſed in meritis. Doce, argue, præcipe: [Si enim ætatis defectum (ita apud Chryſoſtomum) indolis magnitudine, morumque maturitate ſuppleueris, nullus iam te adoleſcentiæ cauſâ contemnet, verùm admirabitur magis. Forma eſto fidelium: hoc eſt, exemplar vitæ, atque morum ipſe eſto, tanquam imago, propoſitus, tanquam animata lex, veluti regula, ac norma benè recteque viuendi. Huiuſmodi quippe doctorem eſſe neceſſe eſt.] Si talis ſis, nemo iure te deſpiciat: [Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.]

Chryſoſt. Hom. 13.

C Chryſoſt. Ibidem.

Aquin. lect. 3.

D Quod deeſt in ætate, compenſandum grauitate.

E Chryſoſt. Hom. 13.

THESIS TERTIA.

De Lectione.

Gregorius 1. p. curæ pastoral. c. 1.

DE lectione monet Apostolus, sed sacrâ: [Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.] Certè, vti dixit Gregorius: [Nulla ars doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magnâ temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum. Quis cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè qui nequaquam spiritalia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt.] Augustinum nosti, & quanti meriti fuerit, quàm dignè electus, quàm verè doctus fuerit, quam copiosè sanctus. Audi quid de se dicat, quid sentiat. [Solertiam, inquit, & vires meas omninò non noueram, & alicuius momenti arbitrabar. Dominus autem irrisit me, & rebus ipsis ostendere voluit meipsum mihi. Quòd si non damnando, sed miserando fecit, hoc enim spero, certè nunc cognitâ ægritudine meâ, debeo Scripturarum eius medicamenta omnia perscrutari, & orando ac legendo agere, vt idonea valetudo animæ ad tam periculosa negotia tribuatur: quod antè non feci, quia & tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, quum de ipso actionis tempore ad cognoscendas diuinas scripturas cogitaremus, & sic nos disponere vellemus, vt nobis otium ad hoc negotium esset. Quod si propterea in re ipsâ didici quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum & verbum Dei, vt iam non mihi liceat assequi, quod me non habere cognoui: iubes ergo vt peream. Quid enim responsurus sum Domino iudici: Non poteram ista iam quærere, cum ecclesiasticis negotiis impedirer? Si ergo dicat mihi, Serue nequam, si villa Ecclesiæ calumniosum aliquem pateretur, cuius fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro quem rigaui sanguine meo, si quid agere pro eâ posses apud iudicem terræ, nonne omnibus consentientibus, nonnullis etiam iubentibus & cogentibus pergeres, & si contra iudicaretur, etiam trans mare proficiscereris? Cur ergo ad discendam agriculturam meam vacationem temporis tibi defuisse causaris? Dic mihi quid respondeam? An forte dicam: Senex Valerius, dum me omnibus rebus instructum esse credidisset, quanto amplius me dilexit, tanto minus ista discere permisit?]

Augustin epist. 148. cit. med.

Villa Ecclesiæ pauperū corpori necessaria.

Ex his Augustini verbis, tria sunt colligenda. Primum est, nonnullos episcopos fieri, non miserando, sed damnando: id est, qui non fuissent de numero damnatorum, si non fuissent de numero prælatorum. Secundum, nullum adeo doctum, adeo instructum, qui attendere lectioni non debeat, seque totum muneri suo studendo impendere. Tertium, lectionem illam, sacrorum esse librorum, assiduamque diuini verbi meditationem: quod si non fecerit episcopus, in futuro luet pendetque iudicio. [Oratoris, ait Augustinus, librorumque de oratore omnes quæstiones prætermisi. Nescio quis enim nugator mihi esse visus sum, si eas exponendas persequerer. Nam de ceteris possem etiam decenter interrogari, si mihi quisquam res ipsas, non de libris Ciceronis, sed per se ipsas tractandas dissoluendasque proferret. In illis tamen res ipsæ nunc nostræ professioni minùs congruunt.] Quæ litteræ nostræ? sacræ, diuinæ, & illæ maximè Christianis episcopis congruæ. [Non enim dubitandum est, ait ille, esse in sanctis libris conscripta consilia, quibus cognitis & apprehensis possit homo Dei rebus ecclesiasticis ordinatioribus ministrare, aut certè inter manus iniquorum vel viuere conscientiâ saniore, vel mori; vt illa vita non amittatur, cui vni Christiana corda humilia & mansueta suspirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi quemadmodum ipse Dominus dicit, petendo, quærendo, pulsando, id est orando, legendo, plangendo?] Vbi porrò quærendo? An apud exteros? [Vbi omnia extranea, (vt dicam ex Tertulliano) & aduersaria nostræ veritati? Quæramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro.] Quid in nostro? Christiano nimirum thesauro, ex quo noua depromenda sunt & vetera: ex litteris nostris, diuinis nimirum inspiratisque, quibus innutriendus est animus Christianus. Quid à nostris? Christianis nimirum tractatoribus scriptoribus-ve, vt qui scripturas sacras interpretari sint, & diuinam legem meditati. Quid porrò de nostro? De rebus nostris, sacris nimirum religionis nostræ institutis ac mysteriis. Itaque tria præscribit Tertullianus. Primum, vt de solo salutis suæ negotio, sollicitus sit Christianus. Alterum, vt id quærat ex vno Christianorum rerum promptuario. Tertium, vt in probato sacrorum scriptorum edificat commentario. Perlegat assiduè, & si quid occurrat difficile & inintelligibile, suos non alienos consulat. [Nemo enim inde instrui potest, ait ille, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.]

Augustin. epist. 56. in fin.

Augustin. epist. 148. vlt. med.

Tertullian. lib. de præscript. c. 13

Tertullian. ibidem.

Episcopus quibus rebus instruendus sit.

Dixerat Apostolus, [Exemplum esto fidelium in verbo.] Seu, [In sermone.] Seu prædicando, seu sermocinando. [In sermone, inquit, (apud Chrysostomum) vt facilè instruere per doctrinam possit. Ideò Timotheum admonet lectioni operam dare. Dum venio, inquit, lectioni vaca. Audiamus omnes intentiùs, atque discamus diuinarum meditationem scripturarum minimè negligere.] Et, [Attente tibi & doctrinæ: insta in illis. Hæc meditare in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus.] Quantis agit vt suadeat? [Intuere quæso attentiùs, ait ille, vt illum eadem de re sæpius moneat, id profectò ostendere volens quòd eum qui doctrinæ ministerium sumit, in his maximè omnium studere necesse sit. Attende, inquit, tibi, atque doctrinæ, & permane in ipsis: hoc est, attende tibi, & reliquos doce. Nam qui doctrinæ innutritur ministerio, prior sibi, inde aliis emolumenta conquirit. Dum enim alios admonet, seipsum quoque

Chrysost. Hom. 13.

Chrysost. Hom. 13.

Quantum ex scriptuarum lectione emolumentum.

compungit. Hoc enim faciens, & teipsum seruabis, & eos qui te audiunt. Sed ista profectò Timotheo dum loquitur, omnes salubriter admonet. Quod si enim ei qui mortuos excitabat, hæc monita edidit: quid iam nos miseri dicturi sumus? Paulus ipse lectioni intendit, ex quâ emolumentum sciebat non minimum elici posse: prior ipse fecit, quod alios monuit. Nos contrà negligimus, & somno desidiaque torpemus. Vt profectus tuus, inquit, manifestus in omnibus sit. Non modò in vitæ rectitudine ac sanctimoniâ verùm in sinceritate atque vbertate doctrinæ. [Et quidem Timotheus sacris litteris imbutus erat ab adolescentiâ suâ, sed amplius proficiendum erat, & legendum attentiùs. [Intentum vult hunc esse, ait Ambros. & deditum exercitio lectionis, vt omni curâ diligentiaque hoc enitatur, vt exhortetur & doceat. Exhortatio est, cum miti verbo aliquos prouocamus ad opus bonum: docere verò, quando ea quæ latent intimamus mentibus audientium.] Hoc vnum igitur Paulus relinquit Timotheo suo solatium, dum sacros committit libros. [Dum venio, inquit. Prouidentissimè, ait Chrysostomus, omnino id posuit, solaturque discipulum. Fieri enim necessariò debuit, ne desertum se, ac parente destitutum illo putaret, nisi ille suum polliceretur aduentum] Donec veniam: dum differo aduentum meum, solare animum tuum, meditare in litteris sacris. [Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.]

Ambros. in Paulum.

Chrysost. Hom. 13.

THESIS QVARTA.

De manuum impositione.

TRia in limine supponenda sunt. Primum est gratiam significari à Paulo, ministerio desideratam ecclesiastico. Cum autem ministerium alteri potius destinatum sit quàm ministranti, idcircò gratia illa charisma est, seu donum ad vtilitatē aliorum salutem-ue collatum. Ita accepit ex Græco Chrysostomus, cum ait de Paulo: [Doctrinam hîc intelligi voluit. Lectioni vaca diuinarum scripturarum, exhortationi mutuæ doctrinæque ad omnes. Noli negligere gratiam quæ est in te.] Per gratiam igitur intelligit illam quæ exsequendo officio necessaria est aut certè idonea. Oportet enim episcopum doctorem esse, Græcè διδακτικὸν, doctiuum, seu aptum ad docendum. Sub tali autem doctrinâ, seu gratiâ episcopali comprehenduntur exhortatio, admonitio, correptio, & quæcumque in docente, seu pascente ac regente necessaria inueniuntur aut idonea. [Noli negligere gratiam; quæ est in te.] Resuscita donum istud, & in vsum applica: ne talentum defodias, ne finas inactuosum esse & otiosum: non docendo, non monendo: [Si enim, vt loquitur Ambrosius, rector populi ab his dissimulat, negligit gratiam datam sibi. Ad hoc enim creatur dux populo, vt huius salutis solicitudinē gerat, admonendo, docendo, vt fructum habeat ordinatio: quem ad hoc vtique Deus constituit, vt proficiat saluti plebis suæ. Qui ergo in hac auctori-

Chrysost. Hom. 13.

Episcopus maximè ad docendum electus.

Ambros in Paulum.

A tate positus indiligens fuerit, Dei contemptor habebitur, minimus in regno cœlorum vocatus.] Alterum, gratiam sanctificantem sociari, cum & illa ad munus ritè, & vt oportet, obeundum sit apprimè necessaria. [Quasi dicat, ait Aquinas, immò attende: quia qui recipit gratiam, non debet in eâ negligens esse, sed ex eâ fructificare debet. 2. Corinth. 6. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.] Et vtroque concurrit gratia non simultate tantùm, sed & æqualitate. Nam & doctrina requiritur ante episcopatum, sicut & gratia: sed sicut in episcopo auctoritati iungitur, sic & gratia in illo

Aquin. lect. 3.

B contemperatur dignitati: nimirum vt vtraque episcopalis sit, tam ad docendum cum imperio, quam ad viuendum sine vitio: vt ad vtramque gratiam effusus sit Spiritus sanctus, & gregi gubernando, & sanctificando homini: sic enim dignum efficit ministrum aut perficit. Tertium denique istam non per simplicem manuum impositionem esse collatam, sed per ordinationem. [Gratiam enim dari ordinatoris significat Apostolus, (ita Ambros.) per manuum impositionem: manus verò impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientiâ suâ.]

Ambros. in Paulum.

C Sed & inde tria rursum subnotanda sunt: quorum primum est, per impositionem manuum presbyterij, intelligendam esse impositionem manuum episcopij. [Non enim, (vt notauit Chrysostomus,) de presbyteris hoc in loco, sed de episcopis Apostolus loquitur.] Id est, non de simplicibus presbyteris, sed de præpositis seu præsidibus. [Vnitatem, ait Cyprianus, firmiter tenere & vindicare debemus, maximè episcopi qui in Ecclesiâ præsidemus.] Omnes episcopi, sunt presbyteri; imò & Apostoli dicti sunt presbyteri. Ita Petrus: Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior: Pascite qui in vobis est gregem. Regite pastora-

Chrysost. Hom 13.

Cyprian. l. de simpl. præl. cit. med.

1. Pet. cap. 5.

Hieronym. epist. 85.

D liter, pascite episcopaliter. [Nam, vt dicit Hieronymus, cum Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse presbyteros, quos & episcopos: quis patiatur vt mensarū & viduarum minister, supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quæris auctoritatem? Audi testimonium in quo manifestissimè comprobatur, eundem esse episcopum, atque presbyterum. Propter hoc reliqui te Cretæ, vt, quæ deerant, corrigeres, & constitueres presbyteros per ciuitates, sicut & ego tibi mandaui. Oportet autem episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum; Noli ne-

E gligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est prophetiæ, per impositionem manuum presbyterij. Sed & Petrus in primâ epistolâ, Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, regere gregem Christi.] Quonam pactò? episcopaliter. Vnde addit: [Prouidentes.] Seu, vt est in Græco, ἐπισκοποῦντες: intendentes, imò superintendentes, nec presbyterum duntaxat agentes, sed & episcopum. Secundum est per presbyterium, intelligendum esse factum presbyterorum seu episcoporum senatum. Nam, vt dixit Cyprianus. [Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars

Promiscua olim presbyterorum & episcoporū nomina.

Cyprian. lib. de simpl. præl cit. med.

tenetur.] Vnde & Aquinas, aliter quidem legit, non tamen aliter intelligit. [Cum episcopus, inquit, debeat ordinari à tribus, quare hîc dicitur numero singulari, Per impositionem manuum presbyterij? Hoc ideò dicit, quia etsi conueniant multi, tamen vnus est principalis, & alij consistentes.] Tertium, illud, [Cum impositione:] Idem esse, ac, [Per impositionem.] Ita Paulus ad eundem Timotheum. [Admoneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum.] Vnus ergo erat Paulus ex his presbyteris seu episcopis, quasi principalis: licet enim nondum talis esset constitutio, nec facilis esset episcoporum congregatio: Paulus tamen cœtum intelligit seu collegium episcoporum Asiæ seu prouinciæ, per quorum manus impositionem ordinatus est Timotheus, id est factus episcopus. [Et ideò dicit, presbyterij, quia vt Aquinas loquitur, manus impositio, alia est quæ fit à diaconibus, & alia quæ fit à presbyteris.]

Aquin lect. 3.

Timoth. c. 1.

Mens igitur Apostoli, est excitare Timotheum suum, & in eo alios episcopos, vt collatam exerceant gratiam; imperare, vt doceant, ne pro dignitate torpeant aut sordescant. [Sunt enim nonnulli, vt aduertit Gregorius, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris: videri doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, atque attestante veritate, primas salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, primas in conuentionibus quærunt cathedras, qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quanto ad huius humilitatis magisterium ex solâ elatione peruenerunt. Contra quos Dominus per Prophetam queritur, dicens, Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex se namque & non ex arbitrio summi rectoris regnãt, qui nulli fulti virtutibus nequaquã diuinitùs vocati, sed suâ cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur. Quos tamen internus iudex & prouehit, & non cognoscit: quia quem permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat.] Bonus quidem episcopatus, bonum & magisterium: sed, [Hæc dicimus, ex Gregorio) vt quantum sit pondus regiminis monstremus: ne temerare sacra regimina quisquis his impar est, audeat & per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim piè Iacobus prohibet, dicens: Nolite plures magistri fieri, fratres mei. Hinc ipse Dei hominumque mediator regnum percipere vitauit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendens antè secula regnat in cœlis. Scriptum quippe est, Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Quis enim principari hominibus tam sine culpâ potuisset, quàm is qui hos nimirum regeret quos creauerat? Sed quia idcircò in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret, verumetiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte peruenit: vt membra eius videlicet discerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista sæpè per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant.] Appetat qui velit episcopatum, & qui accepit credat beneficium. Sed illi à tergo inclamat Apostolus: [Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij.]

Gregor. 1. p. curæ pastor. cap. 1.

Aliud habere honorem, aliud quærere.

Gregor. c. 3.

THESIS QVINTA.

De prædictione.

Iam præmiserat capite primo: [Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam.] In illis nimirum prophetiis: seu secundùm illas prophetias de te factas. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam.] Id est, secundùm prophetiam super te, seu de te factam. Sed cur præmiserat, cur & inculcat? Dixerat, [Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee.] Ne igitur inde suboriretur humani affectûs suspicio, seu affectati episcopatus præsumeretur ambitio, statim subiungit: [Secundum præcedentes in te prophetias.] Addiderat: [Præcipe hæc, & doce: Nemo adolescentiam tuam contemnat.] Ne ergo quis culparet Apostolum, quod adolescentem seu iuuenem ordinaret episcopum, statim resumit: [Gratia data est tibi per prophetiam.] Ita prædictum, sic & iussum est. Primò enim prædictum est à multis, Timotheum, idoneum fore episcopum; idcircò ait, [Secundum præcedentes in te prophetias.] Tum cunctante Paulo, & ætatem expectante maturiorem, iussum est per Spiritum sanctum, vt Timotheus ordinaretur in episcopum, nec iam tempus protelaretur in præiudicium. Inde igitur addit? [Gratia data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.] Statim enim prophetiam subsecuta est ordinatio, manuum impositio illam fecit ratam: & quod toties prædictum, quod & iussum, tandem impletum est. Sed si id prædictum, si id & iussum, quid vltra de Timotheo suo sollicitus est Apostolus, cùm Deus ipse caueat, tamque inuariabilem exitum spondeat, quàm antistitem dignissimum? Ita quidem prædixit Spiritus sanctus, ita iussit; sed quod per seipsum disposuit, & precibus nostris & alienis monitionibus perducit ad exitum. [Hoc quod ego intuli: (ita Gregorius) concitè valet probari. Certè enim nosti, quia ad Abraham Dominus dixit: In Isaac vocabitur tibi semen. Cui rursum promisit, dicens: Benedicam tibi, multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam maris. Ex quâ re apertè constat: quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinauerat, & tamen scriptum est: Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore suâ, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur sterilem

Timotheus ex prædictione & iussione factus episcopus.

Gregor. l. 1. dial. cap. 8.

coniugem accepit? Sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur: quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuisset.] Sic enim ordinat Deus, vt res ad exitum mediis congruis perueniat.

Iam verò quod pertinet ad nostram prophetiam. [Doctoris, ait Chrysostomus, sacerdotisque dignitas magna est, atque mirabilis, & quæ reuera diuinâ sententiâ comprobanda sit, vt quis eâ dignus adducatur in medium. Ita & pridem fiebat, ita nunc quoque fit, quoties absque humanâ passione huiusmodi electiones celebramus: cum nihil omninò seculare: nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus. Tunc autem quia nihil fiebat humanum, sacerdotes etiam ex prophetiâ veniebant. Quid est, ex prophetiâ? Ex spiritu sancto. Quippe munus est prophetiæ, non modò futura prædicere, verùm & præsentia dicere: quoniam & Saül prophetiâ ostensus est, qui inter vasa latebat. Deus enim reuelat iustis. Prophetia itidem fuit, cum dixit Spiritus sanctus: Separate mihi Saulum & Barnabam. Ita & Timotheus electus est. Igitur vt illum excitaret, sobriumque ac vigilantem faceret, admonet eum quis illum elegerit, atque ordinauerit: ac si apertiùs dicat, Deus ipse te elegit, ipse tibi Ecclesiam credidit, non te iudicium promouit humanum: noli igitur sententiam Dei probro afficere, neque confundere.] Ita se res habebat primis illis temporibus, vt nullus ordinaretur in episcopum, nisi per diuinum destinaretur iudicium. [Quæ data est tibi per prophetiam: id est, (vt exponit Aquinas) per diuinam inspirationem. Nam in primitiuâ Ecclesiâ, vbi purè & propter Deum electiones fiebant, nullus assumebatur ad episcopatum, nisi per electionem diuinam: & hanc inspirationem, vocat hic Apostolus.] Quâ nimirum inspirati sancti prophetabant, dum diuinum denuntiabant iudicium. Ita Cyprianus Antoniano: [Cornelium, inquit, noueris, non de malignorum & detrahentium mendacio, sed de Dei iudicio, qui eum episcopum fecit. Factus quippe est Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio, per omnia ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus.] Sed quod dictum de Cornelio, dicendum & de ipso Cypriano. Nemo, (ait de seipso) post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum iudicē se non iam episcopi, sed Dei faceret, nisi putaret sine Dei iudicio fieri sacerdotem.] Præcedebat enim manifestum Dei iudicium, tum & publicum accedebat populi suffragium.

Chrysost. Hom. 5.

Mos olim eligendi ex præcedente prophetia.

Aquin. lect. 3.

Cyp. lib. 4. epist.

Cyp lib. 1. epist. 3.

Nec mirum fieri episcopum ex prophetiâ, cum vix tunc vllus fieret Christianus, nisi visione aut reuelatione impulsus, imò & compulsus. Ita de Iudæo quodam Epiphanius. [Christus ei se in somniis obiicit: Et, Ego, inquit, sum Iesus, quem maiores tui in crucem egerunt: proinde in me credito. At Iosephus ne ita quidem perpulsus, vehementem in morbum ac desperatum incidit. Tum Dominus ei rursum apparens, vt in se crederet, hortatur, ita valetudinis compotem futurum.

Epiphan hæres 30.

A Hoc vbi factum recepit ac repente conualuit, in eadem animi obstinatione perstitit. Iterum ergo recuperatâ iam sanitate per visum ei Dominus offertur, & quod nondum credidisset accusat. Inde amplissima quædam promittens, sic alloquitur: Vt tibi, inquit, de religionis meæ fide constet, si quod in nomine meo prodigium efficere volueris, meipsum inuoca, ego tibi præstabo. Fecerat: interim Iosephus inueteratâ pertinaciâ obduruerat. Sed clementissimus Dominus, qui sese diligentibus præclara quædam offert consequendæ salutis præsidia, eadem illis impertit, quos æternæ vitæ felicitate dignari constituit.]

Ex Menol. Græcorum.

B Faciliùs Epiphanius ipse, necnon & Iudæus. [Postquam enim Cleobius quidam illum equi indomiti ac contumacis insultu prostratum, & in femore sauciatum curauit, atque equus ipse interfectus est: statim quidem vario cogitationum æstu mens illius agitari cœpit: itaut deinceps erga legis seruitutem non adeò esset affectus. Postea verò in Lucianum quendam monachum incidens, cum eum vidisset à mendico stipem rogatum, vbi pallium suum largitus esset, veste de cœlo missâ protinus indutum, Christianæ religioni nomen dedit, atque ab episcopo baptizatus est.]

Christiani olim signis vocati ac prodigiis.

C Si igitur nec milites ipsi fiebant sine documentis alicuius dignationis, sine experimentis alicuius visionis: quid duces ac præpositi? Sed etsi iam signa cessarunt & prodigia, nunquam tamen cessare debebunt exerta diuinæ sententiæ testimonia. [Nam, vti dixit Chrysostomus, etsi tanta nobis spiritûs plenitudo non adest, sufficit voluntas optima, vel sola, Deum vt ordinationi nostræ concurrat attrahere: quippe ne Apostoli quidem tunc spiritûs gratiam adepti erant, cum Matthiam elegerunt: sed orationi negotium permittentes, ipsum Apostolorum numero adiecerunt: neque enim intuebantur humanæ amicitiæ gratiam:

Chrysost. Hom. 5.

D ita nobis quoque faciendum est: enimuerò vbi ea quæ certa sunt, omnibusque manifesta negligimus, quo pacto Deus nobis reuelabit incerta? Si in modico, inquit, fideles non fuistis, quod magnum & verum est, quis dabit vobis?] Non est ergo deponendus animus, sed precibus votisque Spiritus sanctus sollicitandus est, & euentus diuinæ committendus est prouidentiæ. Qui enim sic electus est, etiam, [Per prophetiam:] Et per diuinam adlectus est sententiam.

E

THESIS SEXTA.

De Salute.

Illa duplex est, propria & aliena: sed vtraque pastorali curæ, seu episcopali credita vigilantiæ. [Hoc enim faciens, & teipsum saluabis, & eos qui te audiunt.] Id nimirum dixit, [De episcopatûs vigore, (vt loquar ex Cypriano) & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac diuinâ potestate, Audis sublimitatem, audis diuinitatem: sed diuinitas illa, nihil aliud est, quàm sanctitas eximia. Scimus regem esse sublimem, sed præsulem agnoscimus dignio-

Cyp. lib. 1. epist. 3.

Hier. ep. 3. vlt. med. rem. [Ille enim, vt admonet Hieronymus, nolentibus præest, hic volentibus, ille terrore subiicit, hic seruituti donatur: ille corpora custodit ad mortem, hic animas seruat ad vitam.] Sed in hoc digniorem, quòd dignitas episcopalis, spiritualis sublimitas sit, aut sublimis sanctitas. Hier. ibidē. [In te, (ait ille ad episcopum) oculi omnium diriguntur: domus tua, & conuersatio, quasi in speculâ constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Caue ne committas, quod aut, qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur; aut, qui imitari, cogantur delinquere.] Et de nepote Nepotiano: Clericatus non tā honori deputādus quam oneri. [Fit clericus, & per solitos gradus presbyter ordinatur. Iesu bone, qui gemitus, qui eiulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium! Tum primùm, & solùm auunculo iratus est. Querebatur se ferre non posse, & iuuenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur. Sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat: & merebatur negando, quod esse nolebat; eoque dignior erat, quo se clamabat indignum. Vidimus itaque Timotheum nostri temporis, & canos in sapientiâ, electumque à Moyse presbyterum, quem ipse sciret presbyterum. Igitur clericatum non honorem intelligens, sed onus, primam curam habuit, vt humilitate superaret inuidiam: deinde, vt nullam obscœni in se rumoris fabulam daret, vt qui mordebantur ad ætatem eius, stuperent ad continentiam: subuenire pauperibus, visitare languentes, prouocare hospitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium. Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi ceteras non haberet. Inter presbyteros, & coæquales primus in opere, extremus in ordine. Virgines, & viduas Christi honorare vt matres, hortari vt sorores, cum omni castitate.] Tales mihi Timotheos, cuiusuis temporis: tales presbyteros, tales episcopos, licet adolescentes, nondum annis canos, sed meritis.

Sed iam ad nostrum: nam ad eum Paulus, vt ad filium: Chrysost. Hom. 5. [Milites, inquit, in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Est enim, vt aduertit Chrysostomus, & militia mala, de quâ alio in loco ait: Sicut enim exhibuistis membra vestra arma peccato & immunditiæ. Illi sub tyranno militant, nos æterno regi militamus. Sed cur eam militiam vocat? Indicat profectò bellum excitatum esse vehemens & atrox cum ceteris, tum maximè ei qui doctoris fungitur munere. In quo nobis armis opus est validis, sobrietate scilicet, temperantiâ, precibus, perpetuisque vigiliis, quia non aduersùs sanguinem pugnare pergimus, quia prælia nobis cum atrocissimis hostibus conferenda sunt, vt nullum hîc locum habeat blanda & perniciosa mollities. Vt, inquit, in eis milites. Ecclesia velut castrorū acies ordinata. Quemadmodum enim in castris, non omnes eundem seruant militiæ locum, sed variis distribuuntur ordinibus: ita & in Ecclesiâ, alius quidem magistri obtinet ordinem, alius autem discipuli, alius item rudis, tu verò doctoris fungeris munere. At

A ne quis istud sufficere existimet, vide quod sequitur: Habens fidem, & bonam conscientiam. Magistrum quippe priùs oportet docere seipsum: quemadmodum enim dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem aliquando esse poterit: ita & doctor. Habens igitur fidem & bonam conscientiam, vt sic ceteris præesse possis.] De salute agitur, de bonitate contenditur: sed sicut bonitas duplex, absoluta nimirum ac respectiua; sic & duplex salus, priuata scilicet & publica: sed sicut ille qui sibi nequam est, vix alij est bonus; sic & ille qui propriam prodigit salutem, vix ad alienam seruandam idoneus est; qui

B sua negligit, quomodo curabit aliena? Porrò, sicut productâ ducis salute, actum est de toto exercitu; sic & subactâ pastoris virtute, vix aliquid spei superest in reliquo Christianorum cœtu. Inde igitur Paulus: Attende tibi & doctrinæ.] Seu, vt ex Græco, [Attende tibi ipsi.] Duo enim necessaria sunt pastori, seu doctori: conscientia nimirum ac scientia: illa ad salutem propriam, ista ad vtilitatem alienam: illa tamen prior, vtpote Christiano magistro congruentior. [Attende tibi & doctrinæ: insta in illis.] In istis quippe stat tota ecclesiastici summa ministerij, his & constat. His attendendum, & in iis persistendum. [Hoc est enim, ait Athanas. Tibi ipsi vaca, & ceteros instrue diligentiùs.] Athanas. in Paulum.

C Vult ergo Apostolus episcopum verbo & exemplo non tam præesse quàm prodesse, vt ad vitam vnà cum grege credito, perueniat sempiternam, vt seipsum, & alios faciat saluos. Doceat, sed seipsum, [In charitate, in fide, in castitate;] in ecclesiasticâ administratione, in Christianâ conuersatione, exemplum præbeat. [Plerumque enim, vt notauit Gregorius, hi qui subire magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt: & quamuis hoc elationis intentione appetunt, operaturos tamen se magna pertractant: fitque vt aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Gregor. 1. p. curæ past. cap. 9.


D Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat: de mundi autem gloriâ non amare quod amat, quæ principari appetens fit, ad hoc pauida cum quærit, audax cum peruenerit. Timens enim ne non perueniat, trepidat, sed repente perueniens iure sibi hoc debitum ad quod peruenerit, putat. Cumque percepti principatûs officio perfrui seculariter cœperit, libenter obliuiscitur quicquid religiosè cogitauit.] Nihil illi non promittunt, cum in scopum intendunt suum, sed

E tam facili negotio, quàm & otio infelici, promissiones suas, per indignas actiones destituunt. Proposuit & ille se mundum cogitatione futurum, operatione præcipuum: sed non tam proposuit, quàm imposuit: nam in caput suum mentitus est, proprioque conuictus iudicio. [Ille igitur (ita concludit Gregorius) modis omnibus debet ad exemplum benè viuendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritaliter viuit, qui prospera mundi postponit, qui nulla aduersa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cuius intentio- Gregorius cap. 10.

ni

ni benè congruens, nec omninò per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quàm deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis vt propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem ceteris in cunctis quæ agit insinuat, vt inter eos non habeat, quod saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet viuere, vt proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis vsu & experimento iam didicit, quod obtinere à Domino quæ poposcerit possit.] Ita fac: [Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.]

Qualisquisque ad regimen venire debeat.




CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

Monita suggerit cuiuis ætati, vtriuis sexui, & omni congrua dignitati: in quibus & ipsum de presbyteris castigandis vel ordinandis instruit Timotheum.

TEXTVS.



Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem; iuuenes, vt fratres; anus, vt matres; iuuenculas, vt sorores, in omni castitate. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coràm Deo. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est. Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratiâ. Iam enim quædam conuersæ sunt retrò Satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia: vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et dignus est operarius mercede suâ. Aduersùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coràm omnibus argue: vt & ceteri timorem habeant. Testor co-

ràm Deo & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

EXEGESIS LITTERALIS.

DE omni quidem sexu, de omni gradu satagit Apostolus, maximè verò de viduis & presbyteris: sed illis quidem quoad necessitatem, istis quoad dignitatem consulit.

[Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, &c.] Hominem senem ne duriùs objurgaueris, sed si quid admiserit humani, blandè etiam & humanè corripe, velut si filius patrem admoneat, nec tam increpationem exerceat quàm obsecrationem. [Iuuenes, vt fratres; anus, vt matres; iuuenculas, vt sorores, in omni castitate, &c.] Incepit à senibus tanquam venerabilioribus, tum & in alios excurrit, anus apponens senibus, iuuenculas pro iuuēibus substitenus. Iuuenes igitur admone, velut fratres; mulieres natu grandiores, tanquam matres; iuniores, vt sorores, & si quid deliquerint, cum tantâ grauitate corripe, quantâ & honestate. [Ait igitur, In omni castitate loquere. Hoc est, vt exponit Athanas. Non modò scelus ipsum concubitus omninò defugeris, sed & aliam omnem suspitionis causam euitabis.] cautela quippe in istis maximè est necessaria. [Viduas honora, quæ verè viduæ sunt, &c. [Eas viduas, quæ subsidiis solatiisque humanis destitutæ sunt recipe in collegium viduarum, & in testimonium virtutis, sumptibus ale ecclesiasticis. [Si qua autem vidua filias, aut nepotes habet: discat primùm domum suum regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coràm Deo, &c.]Si qua verò vidua, nondū in totum viduata, liberos habeat, aut filiorum filios, discat imprimis propriam domum piè regere, Græcè εὐσεβεῖν, pietatem erga suos exercere, & quod à maioribus accepit; in minores refundere superstites. Græci tamen legunt, [Discant.] Et de filijs multi, non de viduis, intelligunt, primò omnium alendis curandisque. Nec malè, imò optimè. [Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die, &c.]Filij, seu nepotes, nutriant matrem suam, seu auiam: hoc enim opus pietatis Deo gratissimum est. Quæ autem verè vidua est, id est desolata, humanis priuata adminiculis, seu sola relicta, spem suam in Deo collocet, & assidue Deum obsecret, precipus vacet & orationibus tam nocte quàm die. [Nam quæ in deliciis est, viuens mortua est, &c.] Sicut illa quæ sperat in Deum, & instat obsecrationibus, mortua mundo, viuit Deo: sic & ista quæ seculum spirat, & voluptatibus vacat vanitatibusque, mundo duntaxat viuit Deo iam mortua. [Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior, &c.] Hæc quæ proposui, viduis præcipe, vt nullus eas iure reprehendere possit, nullus illis crimen, sicut nec episcopis diaconisque crimen obiicere. Si quis autem propinquis, neque vt & sanguine proximis non prouidet senio confectis & destitutis auxilio, sic censendus est, quasi fidem duritiâ suâ abnegет: hac enim parte, deterior infideli est, dum inhumanior. [Status fidelis ab infideli, ait Aquinas, potest dupliciter considerari. Primò quantum ad statum peccati, & sic infideles sunt in peiori statu, quia nihil agunt Deo acceptum. Secundò quantum ad vnum peccatum, & tunc è contra: fidelis enim & infidelis si mœchentur, plus peccat fidelis, quia facit iniuriam fidei. Et sic dicit, quòd si fidelis contemnit curam parentum, grauiùs peccat, quàm si hoc faceret infidelis]

[Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, &c.] Iam quoad eas quæ ad beneficium sustentationis allegendæ sunt, vidua non in earum numerum assumatur, nisi iam sexagesimum attigerit annum, secundas non experta sit nuptias, & publico bonorum operum testimonio publicum beneficentiæ ecclesiasticæ promeruerit subsidium. [Si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est, &c.] In quo bona opera, seu pietatis vidualis exempla? Filios alere, & Christianis moribus imbuere; hospitalitatem exercere iuxtà decorum ac modulum, fidelium etiam pedes abluere, afflictis opem ferre, omnes pij obsequij captare occasiones. [Si prærogatiuâ præteritorum operum vidua commendatur, eligendam hanc docet. Domini enim iudicio adscribitur nomen eius ecclesiasticis monimentis, quam dignam vetus vita declarat. Imbuta enim diuinis obsequiis, & in his vitam atterens, suscipienda est, in sinu Ecclesiæ, cuius olim se vouit legitimis seruitiis Ita Commentarius Ambrosij nomine editus. [Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, &c.] Iuniores autem viduas, seu adolescentulas, nubiles adhuc validasque ne inscribe catalogo viduarum, reiice à beneficio vetularum alendarum: cum enim illæ ecclesiasticis copiis saginatæ in Christum

Athanas. in Paulum.

Vidua delicata seu deliciasa, Dei est mortua.

Aquin. lect. 1.

Comment. Ambros.

sponsum recalcitrauerint, cum in delicias resolutæ lasciuire cœperint, nubere volunt homini mortali: & inde diuino obnoxiæ sunt iudicio, quia datam fidem, seu professionem suam abiecerunt. [Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet, &c.] Assuescunt & illæ, vtpote otiosæ, non solùm vagari per domos, sed & verbosari; importunæ confabulatrices, curiosæ rerum indagatrices alienarum. [Quidni loquaces, ait Chrysostomus, otiosæ, curiosæque fiant, quando viri curâ decedente, Dei diuinarumque rerum non succedit cura? Vetularum priuilegiis gaudent, non gaudent meritis viduarum. [Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionẽ dare aduersario maledicti gratiâ, &c.] Cum igitur iuniores illæ viduæ incontinentes sint, & in lapsum pronæ, nubant, filiosque edant quos faciant Christianos, familiam suam regant, nullam maledicendi seu male loquendi ansam æmulis nostris suggerant. [Iam enim quædam conuersæ sunt retro satanam, &c.] Quædam enim illarum à Christo auersæ, diabolum secutæ sunt, vitio post matrimonium implicatæ. [Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia: vt iis, quæ verè viduæ sunt sufficiat, &c.] Si apud fideles seu Christianos affines & agnatos, aliquæ reperiantur viduæ, domesticis alantur impensis: vt Ecclesia non grauetur, & necessaria viduis re & parente destitutis, tamque ad agendum aut conquirendum inualidis suppeditetur alimonia.

Chrysost. Hom. 15.

Melius incontinentẽ nubere, quã viuere delinquentem.

[Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et: Dignus est operarius mercede suâ, &c.] Dixi viduas sustentatione seu prouisione pro meritis honorandas: nunc dico presbyteros amplius honorandos, seu liberaliùs sustentãdos, vt bonos præfectos: maximè verò eos, qui administrando Dei verbo intenti sunt, & euangelizandi addicti ministerio. Dicit enim Scriptura Deuter. 25. Non infrænabis os boui trituranti: & hoc quidem iustè, nam si operarius mercede suâ dignus est, quanto magis præpositus ampliori honore cumulandus? [Aduerte, inquit Athanas. quẽadmodum vndique cogitur insudare, qui docet. Nam vt frumenta dissoluere & in grana deinceps comminuere, non mediocris est labor, sic & qui alios instruit, necesse est ad angoris & laborum se tolerantiam præparet. Cum verò de operario disserit, ostendit nequaquam hunc oportere delicias & quietem conquirere. Operarius namque suâ est dignus mercede, siue cibo dixeris & potu. Qui verò nihil operatur, vel his indignus esse arguitur.] Beneficium namque datum est propter officium. [Aduersùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus, &c.] De presbyteris agit, non ætate, sed dignitate, non conditione, sed ordinatione venerandis, aitque presbyterum non temere accusandum, ideoque accusationem non admittendam nisi certo testium idoneorum numero tolerabilem subnixam. ve,

Athanas. in Paulum.

A [Peccantes coràm omnibus argue: vt & ceteri timorem habeant, &c.] Licet actio non sit aduersùs illos, nisi sub tutelâ testium; præuaricatio tamen manifestè probata, publico castiganda est iudicio, vt & cetèri vel rectorum exemplo deterriti temperent à malo, & per pudorem crimen vitent. [Testor coràm Deo & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando, &c.] Obtestor & adiuro te coràm Deo omnium iudice, & Christo Domino malorum vindice, & electis beatis-ve angelis, fidis hominum custodibus, assiduis actionum spectatoribus, vt hæc obserues, & æquum
B te præstes. non præcipitando iudicium, nec per affectum in illam vel alteram partem inclinando. [Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis, &c.] Ne ordines aliquem meritis nondum sat exploratis, nec aliena peccata per negligentiam tua facias aut conniuentiam. [Teipsum castum custodi, &c.] Teipsum purum & immaculatum serua, vt iuuenis castus possit senes impudicos arguere, & aduersus incestos sacerdotes indeclinabilia exercere iudicia. [Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter
C stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates, &c.] Ne posthac aquam bibas meram, nec cum tanto dispendio rigidam excolas castimoniam: sed imbecillitatem corpusculi adiuua, & infirmitatem stomachi, frequentes inducentis aut nutrientis infirmitates, nonnullis affusi vini guttulis releua. [Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autem & subsequuntur, &c.] Hominum quorundam scelera præcedentia ad iudicium humanum propalata sunt ac notoria: quosdam autem subsequuntur, cum subduntur discussionis examini, reique criminis deprehenduntur. [Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.] Sic & nonnullorum hominum
D opera bona antè humanam sententiam cognita sunt, & ideò illa non sunt discutienda: quæ autem occulta sunt, committenda sunt examini, non enim possunt abscondi: sed si explorentur, dignum ministris ordinandis reddent testimonium. [Nullam, ait Ambros. excusationem vult intelligi fore eorum, qui his adhærent quorum peccata propalàm sunt, vt cum euitandi sint, magis honori sint.]

Sic custodiẽda castitas, vt infringẽda sit nimietas.

Ambros. in Paulum.

MONITA PVBLICA.

Mvlta quidem Timotheo scripta sunt, sed
E ad alios potius, quàm ad Timotheum ipsum à Paulo transmissa. [Quid enim hoc sibi vult? (ait ad Paulum Chrysostomus) Istane Timotheo imperas? Ista sanè, inquit: per ipsum enim orbem alloquor vniuersum.] Sunt igitur monita, non tamen secreta, sed omnibus ætatibus, omnibus dignitatibus, conditionibus, & per mundum vniuersum publicanda.

Chrysost. Hom. 15.

MONITVM PRIMVM.

De correptione.

COnfortandi homines in bonis, & in malis obiurgandi. Sed vbi confortantur, nullà opus est cautelà, quia boni pronuntiantur, & desiderantur meliores: vbi autem obiurgantur, tantâ industriâ opus est, quantâ prudentiâ: correptio nāque, punitionis genus est, ideoque sicut nullus est qui puniri velit, ita, Augustino iudice, [Rarus est qui velit corripi.] Quid verò, si iuuenis senem arguit, si vir conueniat mulierem? nonne illic tanta lenitas desiderabitur, quanta istic castitas? nonne ars corripiendi virtutum omnium non pretio tantùm, sed & cumulo comparabitur?

Augustin. ep. 4g

Quoad primum. Ius habet episcopus admonendi omnes, corripiendi, obiurgandi, castigandi. Sed, vt dixit Augustinus: [Modùs sermonis, siue acriùs, siue blandius proferatur, sicut salus eius quem corrigis postulare videtur, moderandus est.] Potest quidem imperare omnibus fidelibus, quia Christiani omnes, oues sunt, ac subditi: sed aliquando melius est obsecrare. Gradum habet episcopus supremum paternitatis spiritalis, ceteri omnes fratres sunt, aut filij, sed gratius est, senes compellare tanquam patres, nec tam increpare, quam inuitare. Ita igitur Apostolus: [Seniorem, inquit, non increpaueris. Non equidem reor, (verba Chrysostomi) hoc in loco illum de dignitate dixisse, sed de ætate senili. Quid ergo, inquies, si & ille emendatione opus habet? Tanquam patrem, inquit, suscipe. Et modestè alloquere, mixtaque quadam reuerentiâ admone. Anus etiam, vt matres. Graue quippe quiddam ac molestum est argui, idque tum maximè cum senex arguitur, atque ab adolescente. Triplex temeritatis notatur effigies: sed possumus ita delinquentes arguere, vt non grauiter, non molestè audiamur, si nos in hoc exercere velimus: est enim illud magnæ prudentiæ.] Vbinam triplex temeritatis species? Prima est, arguere, quiuis enim alium facilè corripit, sed nullus vult corripi. Altera, senem increpare, illa est enim ætatis senilis prærogatiua, vt nec censuræ, sicut neque disciplinæ videatur obnoxia. Tertia, si iuuenis senem obiurget, illa quippe ætatis disparitas, auctoritati officit, & detrahit grauitati. Et quidem Timotheus, adhuc adolescens erat, ideoque contemptui expositus. [Nemo adolescentiam tuam contemnat.] Ideoque maximâ prudentiâ reparandus erat ætatis defectus, magnâ industriâ opus erat, vt correptionem redderet vtilem, & delinquentem adduceret in salutem. Tamen & Ioannes iam senior, etiam patres & fratres secernit, & vnumquemque iuxtà gradum suum instruit. [Scribo vobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes quoniam vicistis malignum.] Patres vocat senes, & rationem assignat. [Principium enim, vt monuit Augustinus, ad paternitates pertinet. Patres ergo quare? Quia cognouistis eum qui à principio

Augustin. in ep. ad Galat. vers. fin.

Chrysost. Hom. 13.

Triplex temeritatis effigies in correptione.

1. Ioan. c. 2.

Augustin. Tract. 2. in ep. Ioan. in med.

A est. In filiis natiuitas, in patribus antiquitas. Mementote vos patres esse. Si obliuiscimini eum qui à principio est, perdidistis paternitatem.] Vult ergo Paulus magnam adhiberi prudentiam in correptione, nec tam iustitiam quàm modestiam exerceri. [Seniores ne increpaueris, sed obsecra vt patres.] Annos intuere, canos reuerere, nec tam vt delinquentes obiurga, quàm vt patres obsecra.

Quoad secundum. Iuuenes vt plurimum tam audaciâ abrepti, quàm prudentiâ sunt destituti. Sicut ergo Paulus summam in Timotheo desiderauit prudentiam, vt comiter ageret; sic

B & summam exigit beneuolentiam, vt leniter compesceret. [Iuuenes, inquit, vt fratres. Cuius rei gratiâ & hîc illum lenitatis admonuit? Vt scilicet, (ita Chrysostomus) ætatis frænaret audaciam, faceretque leniter admonentem libentiùs suscipi. Oportet enim & hîc molestiam rei, mansuetudinis temperamento lenire.] Feruor ipse ætatis mentem præcipitat, nec ordinem charitatis: nec temperiem seruat lenitatis. Ideò monendus quidem vt corripiat; sed continendus, ne impetum pro animo, instinctum pro zelo suscipiat. [Vnusquisque Christianus (verba Augustini) in membris Chri-

Chrysost. Hom. 13.

C sti zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domûs Dei? Qui omnia quæ fortè ibi videt peruersa satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit. Ergo zelus domûs Dei comedat te. Vnumquemque Christianum zelus domûs Dei comedat, in quâ Dei domo membrum est. Non enim magis est domus tua, quàm domus vbi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tuâ ne quid peruersum fiat, satagis: in domo Dei vbi salus proposita est, &

Augustin. Tract. 10. in Ioan. vlt. med.

D requies sine fine, debes pati, quantum in te est, si quid fortè peruersum videris? Verbi gratiâ: Vides fratrem currere ad theatrum: prohibe, mone, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios inebriari velle: prohibe quos potes, tene quos potes, terræ quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere. Tamen si amicus est, admoneatur leniter. Fac quicquid potes, pro personâ quam portas: & perficis, zelus domûs tuæ comedit me.] Certè multos correptores video, paucos correctores: omnes enim ferè potius iræ motu efferantur, quàm affectu ferantur beneuolentiæ. Vnde concludit Augu-

Zelus lenitate ac comitate temperandus est.

E stinus: [Rarò ergo & in magnâ necessitate obiurgationes adhibendæ sunt, ita tamen vt etiam in his ipsis non nobis, sed Domino vt seruiamus, instemus.] Sic igitur inter zelum Dei atque æstum animi temperandum est, vt virus quidem purgetur iniquitatis, sed modus seruetur lenitatis; zelo seruiatur, non genio; & adolescens, vt frater, id est, ex fraternâ charitate, non ex subitaneâ arguatur amaritudine. [Iuniores, ait Ambros. quasi fratres censet Paulus admonendos cum dilectionis affectu: vt videntes amoris causâ se commoneri faciliùs se corrigant.]

Augustin. l. 2. de serm. Dom. in monte c. 19.

Ambros. in Paulum.

Quoad tertium. Mentionem fecit Paulus presbyterorum, & presbyterarum. [Seniorem.] πρεσβυτέρῳ. [Anus.] πρεσβυτέρας. Nunc

verò transit ad iuniores natu; & sicut iuuenes, vt fratres; sic & iuuenculas præcipit admoneri aut corripi vt sorores. Et in illis quidem, honori consulendum est, & in istis timendum amori. Patres, matres, nomina sunt auctoritatis, dignitatis insignia. [Nam, vt & ille dixit, apud omnes vtique gentes honorabilis est senectus. Vnde & synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesiâ. Quod quâ negligentiâ obsoleuerit, nescio, nisi fortè doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volnat aliquid videri. Anus etiam quasi matres: vt dum miti sermone doceri se vident, non asperè accipiant, quia honorificè proficiunt. Adolescentulas verò vt sorores. Blanditiis enim solent obtineri, quæ auctoritate non possunt.] Sed iam præcauendum est. Idcircò, vt Chrysostomus obseruauit: [Addidit Paulus, In omni castitate. Non modò, ait, obscœni congressus vitium caue, verùm omnem suspicionis vel obscuræ aditum claude. Quia enim adolescentularum colloquia turpi suspicione difficilè carent, oportet autem episcopum & illas alloqui, idcircò ait: Cum omni castitate. Sed si ista Timotheo præcipit, consideret iam quisque cuiusmodi debeat esse, vt scilicet nullum suspicioni præbeat locum, ne vmbram quidem occasionis calumniari volentibus det.] Accepimus à Plutarcho, summum pontificem fuisse etiam apud Romanos, τῶν παρθένων ἐπίσκοπον ἱερῶν. Ideoque ius habuisse docendi, corripiendi, & si quando ignis Vestæ interstinctus esset, non verbis tantùm, sed & flagris admonendi. Sed, vt ab eodem didicimus: [In loco obscuro, & velo medio interposito.] Parùm tamen, virgineum pudorem saluum fieri, sed nec decet animum sacerdotalem vllâ mulierum contagione infici. [Hospitiolum tuum aut rarò, ait Hieronymus Nepotiano, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites: nec in præterità castitate confidas. Nec sanctior Dauid; nec Sansone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione suâ mulier eiecerit. Si propter officium clericatûs, aut vidua visitatur aut virgo; nunquam domum solus introeas. Solus cum sola, secretò, & absque arbitrio, vel teste, non sedeas. Si familiariùs est aliquid loquendum: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caueto omnes suspiciones; & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè deuita. Nec hoc dico, quòd aut in te, aut in sanctis viris ista formidem: sed quòd in omni proposito, in omni gradu, & sexu, & boni & mali reperiantur; malorumque condemnatio, laus bonorum sit.] Quod igitur Hieronymus Nepotiano, hoc & Paulus Timotheo: monitum enim publicum est, nec tam istis quàm ceteris datum.

Ambrof. ibidem.

Chrysost. Hom. 13.

Quomodo Vestales ignem interstin. cto castigatæ.

Hieronym. epist. 2. cit. medium.

MONITVM SECVNDVM.

De Viduitate.

Viduatum vocat Tertullianus tanquam statum quendam aut gradum, ad quem non solùm annis ascenditur, sed & meritis; notatque ordinem esse, in quem virgo nusquam admittitur. [Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.] Non solùm illæ vetulæ sunt, sed & viduæ; & si verè viduæ, sunt & honorandæ. Quænam ergo sunt illæ quæ verè viduæ? Quomodo honorandæ? Denique vnde deducendus instituti vsus, & fructus propositi?

Quoad primum. Triplici modo dici possunt vere viduæ: vulgari, morali, reali. De primò, dicimus verè viduam, quam cognoscimus marito defuncto relictam, seu viro orbatam. Verè viduam, quia Quintilianus viduam dixit, quæ virum quidem habet, sed absentem; & Plautus eam, quæ maritum habet, sed eiicientem, dimittentemque: vulgus verò, viduam dicit, viro, non locorum dissidio, non corporum diuortio vel animorum, sed fato ipso viduatam priuatamque: est enim viduare, seu iduare, idem quod separare, diuidere. Ita Tertullianus, [Ne illi quidem prætereundi, qui vel modico temporis viduant animam intellectu.] Id est, priuant, spoliant, euacuant. Sic &, [Viduis aquis.] Id est, virtute, seu vi, vt viduis viro destitutis. Illa ergo vidua est, quæ à maritò per mortem separata, per dissolutionem diuisa. De secundo, illa vere vidua dicenda est, quæ virtutibus ornata Christianis, quæ non tam opibus quàm meritis cumulata. [Vnde datur intelligi, ait Chrysostomus, fieri posse, vt aliqua sit quæ virum non habeat, nec vidua tamen sit. Quemadmodum enim virginem non hoc facit, viri ignorare concubitum, sed & aliis virtutibus plurimis illi opus est ad promerendam veræ integritatis laudem, vt scilicet sine querelâ sit, & diuinis rebus intenta, Domino semper assideat: ita & in viduitate magno honore necessariò indigent. Quia enim viros non habent, ea res probro esse plerisque videtur, atque ideò illam à sacerdote iubet maiori cum studio honorari, neque ob eam tantùm rem, verùm quia etiam digna est.] Ob virtutem scilicet pietatemque. De tertio, ex Apostolo ipso modus fine sensus eliciendus est. [Quæ autem verè vidua est, & desolata: speret in Deum.] Seu, vt habet textus Ambrosianus, & propiùs ad Græca. [Sperat, & instat.] Vt non tam sit imperij Apostolici, quàm officij legitimi. [Vidua igitur desolata, ait Commentarius, & à suis contempta, sperat in Deo. Videns enim ex nullâ parte se habere suffragium, toto animo deuota est Deo, de quo solo auxilium vitæ salutisque expectat.] Itaque, verè vidua, illa est, quæ vere est desolata, quæ non solùm viro, sed & omni suffragio, seu corporali destituta subsidio. [Honora viduas, quæ verè viduæ sunt: hoc est, vt exponit Hieronymus, quæ omni suorum auxilio destitutæ sunt; quæ manibus suis laborare non possunt; quaspau-

Tertullian. l. de Anima cap. 19.
Tertullian. lib. de Bapt. cap. 5.

Chrysost. Hom. 13.

Comment. Ambros.

Verè vidua quæ omni subsidio destituta.

Hieronym. epist. 11. cit. med.

pertas debilitat, ætasque conficit: quibus Deus spes est, & omne opus oratio.]

Sed vt mortalem sensum iungas ac litteralem, imò vtrumque in vnum conferas, [Ea, (ait Paulus apud Chrysostomum) quæ secularem penitùs abiecit vitam, atque in viduitate persistit, verè vidua est: quæ in Deum, vt conuenit sperat: quæ obsecrationibus & orationibus intenta, permanet in eis nocte & die. Hæc nempe vidua est, atque ab illâ longè discreta, quæ filiorum solatio nititur. Illa igitur veraciter vidua est, quæ liberis destituta sola persistit. Et inde eam ipsam consolatur Apostolus, carentem filiis, dicens hoc esse, quod maximè viduam faciat, si non modò viri solatio, verùm filiorum quoque priuata sit: habet enim illorum vice omnium Deum. Noli, inquit, timere: tunc enim veraciter vidua es, cum eo solatio destituta, ex Deo solo pendes, rebusque diuinis.] Et primo quidem modo, illa verè est vidua, quæ, viro mortuo, sibi relicta est, & libertati permissa: siue virtuti vacet, siue voluptati; seu copiâ abundet, seu laboret inopia: altero sensu, quæ matrona quidem locuples, sed non minùs diues virtutibus quàm facultatibus: tertio denique, femina, quæ non solùm amiserit virum, sed quæ nullum nacta sit solatium. Malit tamen Paulus, malit & quiuis Christianus, feminam pauperem, sed piam; quàm matronam diuitem, sed vitiosam: non enim paupertas laudanda est, vbi deest vera sanctitas: nec verè vidua apud sanctos seu Christianos nominanda est, si Christianam non amplectatur disciplinam, si non omnia vidualis exequatur opera pietatis. Inde, vt monuit Augustinus: [Meritum Annæ illius eo maximè commendatur, quia cum citò extulisset virum, per prolixam ætatem suam diu cum carne conflixit & vicit. Sic enim scriptum est: Et erat Anna Prophetissa filia Phanuël, de tribu Aser; hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ, & hæc vidua vsque ad annos octoginta quattuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die. Vides quemadmodum sancta vidua non solùm eo prædicatur quòd vniuira fuerit, verum etiam quòd paucos annos cum marito vixerit à virginitate sua, & vidualis continentiæ munus vsque ad tantam senectutem tantâ pietatis seruitute perduxerit.] Licet ergo non nomine, re tamen verè vidua fuit Christiana.

Chrysost. Hom 13.

Melior femina pauper ac pia, quàm diues ac vitiosa.

Augustin. lib. de bono vid. cap 13.

Quoad secundum. [Honor impresentiarum, (ita Hieronymus) vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur, vt est illud: presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrinâ. Et in Euangelio Dominus disserit mandatum legis, in quo dicitur, Honora patrem tuum, & matrem tuam: non in verborum sono, qui inopiam parentum cassâ potest adulatione frustrari, sed in victûs necessariis ministrandis debere intelligi. Iubente enim Domino, vt filij alerent parentes pauperes, & redderent beneficia senibus, quæ paruuli acceperant, Scribæ & Pharisæi è contrario docebant filiys, vt parentibus responderent, Corban,

Hieronym. epist. 11. cit. med.

Honorariũ in victu cuã

A hoc est, donum, quod altari pollicitus sum, & in templi dona promisi, si tu à me acceperis cibos, vertetur in tuum refrigerium. Atque ita fiebat, vt egentibus patre, & matre, sacrificium offerrent filij, quod sacerdotes, scribæque consumerent. Sic ergo Apostolus pauperes viduas præcipit adiuuari, dum constituit victum ac vestitum ministrari, expensis sustentari ecclesiasticis, humanis refrigerari subsidiis. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat.] Seu, vt ex Græcis: [Discat] primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.] Et. [Si quis fidelis

B habet viduas, subministret illis: & non grauetur Ecclesia: vt iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat.] Id est, iis quæ omni subsidio, omni destitutæ sunt solatio. Tria igitur ex his deducenda sunt. Primum est, illas viduas, quæ nepotes habent aut filios, aut affines aut domesticos, non esse hac lege comprehensas: subleuantur enim pietate suorum, seu propinquorum seu amicorum quorum sustentantur charitate. [Hanc verè viduam dixit Apostolus, (verba sunt Augustini) quæ non habet à quibus sustentetur: quia non solùm viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: diuitem quippe non diceret desolatam.] Alterum ipsas sumptibus ecclesiæ, se fidelium

C sustentatas oblationibus. [Multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando.] Ita Hieronymus. Tertium, id vocari honorarium, quia non solum erat refrigerium senectutis, sed & virtutis testimonium: illæ enim duntaxat: assumebanturque sumptibus publicis, quæ innoxiam probassent vitam, & per ætatem consummassent pietatem. [Ex quo, ait ille, datur intelligi, adolescentulas viduas, exceptis his, quas excusat infirmitas, vel suo labori, vel liberorum ac propinquorum ministerio delegari. [Honoris enim seu honorationis in-

D signia veris viduis reseruata, nec grauanda supposititijs ecclesia.

Quoad tertium. Vsus huiusce instituti, & propositi fructus maximè ex Iudæis deducēdus est, quibus viduarum cura, sicut & pupillorum impensè demandata. [De viduitatis honoribus apud Deum (verba sunt Tertulliani) vno dicto eius per Prophetam expeditum est: Iustè facite viduæ & pupillo, & venite disputemus, dicit Dominus. Duo ista nomina inquantum destituta auxilio humano, intantum diuinæ misericordiæ exposita suscipit tueri pater omnium. Vide quam ex æquo habetur, qui viduæ benefecerit. Quanti est vidua ipsa,

E cuius adsertor cum Domino disputabit. Non tantum virginibus datum opinor.] Ex quibus tria colligas. Primum est, nihil simile Deum vel Apostolum eius constituisse de virginibus, tum quòd validæ essent & vegetæ, tum quod parentum curâ, aut in domesticorum essent alendæ familiâ. Alterum, legem illam diuinam non tam iudicialem esse aut ceremonialem, quàm moralem, ideoque tam innatam, quàm indelebilem. [Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.] Dictum quidem Iudæis, sed &

& vestitu positum.

Augustin. lib. quæst. suprà Deuter. 43.

Hieronym. epist. 11. cit. med.

Hieronym. epist. 11 cit. med.

Tertullian. lib. 1. ad vxo. cap. 8.

Nomina pupillorum & viduarum corãm Deo pretiosa.

Isai. cap.

ſtianis præſcriptum eſt: cum legis ſit naturalis, nec charitatis tantùm ſed & æquitatis. Tertium, eo celebriorem apud Chriſtianos charitatem, quo gratia apud illos amplior eſt, & charior miſericordia. [Pupillos piè tractamus, ait Tertullianus, indigentibus refrigeramus.] Quibus? omnibus. [Siquidem ait ille, inopes quoſque refrigerio iſto iuuamus Nam inde non epulis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, iamque domeſticis ſenibus.] Domi nimirum ob ſenectutem ſeu inualetudinem detentis. Omnibus ergo pauperibus ſuccurrebant Chriſtiani, viuis ac mortuis; ſed eos maximè fouebant, quos ſibi habebant à Deo commendatos. Itaque & viduæ apud illos in pretio, omni beneficio, omni cumulatæ ſuffragio. [Vidas honora, quæ verè viduæ ſunt.] Magnam de ipſis curam habe, tuam illis charitatem impende liberalitatemque.

Tertullian. ad Scap.

Tertullian. c. 39. Apol.

MONITVM TERTIVM.

De electione.

NOn tam electio illa eſt, quam adlectio, vt patet ex Græco: tamen vt ſpecies ordinis eſt, ſic & ſpecies electionis. Primò ergo dicendum eſt, Quis ille ordo: ſecundo, Quænam conditio: tertiò, de miniſterio.

Quoad primum. Sine vllo ſcrupulo concedendum illas fuiſſe ordinatas, ſed ſuo ordine, qui ceremonialis eſſet, non ſacramentalis: etſi enim aliquo ritu ac delectu, etſi aliquo etiam myſterio, nullo tamen conferendæ gratiæ ſignaculo. Et quidem quòd ordo, non vulgaris, qualis dici poſſet monogamorum; ſed ſpecialis, qualis dici poſſet clericorum. [Quantum ait Tertullianus, detrahant fidei, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat; cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam adlegi in ordinem, niſi vniuiram non concedit: ad aram enim Dei mundum proponi oportet.] In quibus tria notanda ſunt. Primum, viduam in ordinem adlegi. Alterum, in adlectione ſuâ cum præſidibus ſeu epiſcopis ac preſbyteris conferri. Tertium, vtrumque ordinem ad aram diuinam referri. Sic & ille alibi, vtrumque ordinem referens conferenſque. [Quanti, inquit, & quantæ in Eccleſiaſticis ordinibus de continentiâ cenſentur?] Id eſt, æſtimantur, honorantur. Ita ille de Veſtalibus [De virginitate cenſentur. Viduæ enim noſtræ, non ſolùm honorem promeritæ, ſed & ad ſedem prouectæ. [Ad quam ſedem, ait & ille, præter annos ſexaginta non tantùm vniuiræ, id eſt, nuptæ aliquando, eliguntur, ſed & matres.] Sed vereor, ne tibi importunus ſit Tertullianus aut ſuſpectus; quamquam nec importunus, qui veritatem confert diſciplinæ nec ſuſpectus qui morem refert Eccleſiæ. Apud Epiphanium, πρεσβύτιδες γυναῖ. Et apud Paulum ipſum: [Anus, vt matres.] Seu, vt ex Græco, [Preſbyteras, vt matres. [Non enim γραῦς, ſed πρεσβύτιδας. Si igitur ordo, vtique

Tertul. lib. 1. ad Vxo. c. 7.

Quo ſenſu ordinatæ ſint olim fœminæ.

Tertul. l. de exhort. caſt. cap. vlt.

Tertul. lib. 1. ad Vxo c. 6.

Tertullian. l. de veland. virginib. c. 9.

Epiphan. hæreſ. 79.

A ordinatio, & inde dicimus illas fuiſſe ordinatas. Ita Epiphanius, excuſans ſe Ioanni epiſcopo Hieroſolymitano, quòd preſbyterum ordinarit in eius diœceſi, ipſo inconſulto: addit: [Numquam autem ego ordinaui diaconiſſas, & ad alienas miſi prouincias.] Hæc vox, etiam Scholiaſte teſte paſſim in ſanctis patribus inuenitur & veteribus conciliis, nec quiſquam inuentione eius offenditur. Nec obſtat quòd non tam electio ſit quàm adlectio. Nam Græca adlectionem ferunt, Latina vertunt electionem. [Vidua eligatur.] Quinimò tam virorum adlectio eſt, quàm mulierum. [Vbi metus in Deum: ait Tertullianus, vbi & adlectio exB plorata, & promotio emerita.] Adlegi enim in ordinem vidualem, eſt in gradum prouehi, virtuti & ſexui congruum, aſſumi in beneficium, in numerum admitti, matriculæ inſcribi eccleſiaſticæ.

Apud Hier. epiſt. 60. cit. med.

Tertul. l. de præſcrip. c. 13.

Aliquid iam exiſtis prælibauimus Tomo primo, capite vltimo in epiſtolam ad Romanos, circa Phœben quæ erat in miniſterio, ſeu diaconiſſa & miniſtra Eccleſiæ. Sed, vt dicam ex Hieronymo: [Tibi auiditatem magis dilatæ debent facere quæſtiones. Tritum quippe eſt prouerbium, Vltroneas putere merces. Vnde & nos de induſtriâ dicenda reticuimus; vt auidiùs velis audire, quæ tacita ſunt.] Dico ergo, viduas honorandos, id eſt, non C ſolùm ſubſidio ſubleuandas, & auxilio, ſed & ſuo ſeu congruo donandas miniſterio. [Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.] Id eſt, Viduas ſic ordina, quæ verè dignæ ſunt, quæ in pietate, quæ in ſanctitate perſeuerarunt. [Vidua enim, vti dixit Hieronymus, quæ marito placere deſiuit, & iuxta Apoſtolum verè vidua eſt, nihil habet neceſſarium, niſi perſeuerantiam.] Sed vt id capias: ſcias primò, ordinem eccleſiaſticum paſſim honoris nomine deſignatum. [Differentiam, ait Tertullianus, inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoD ritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus.] Et in Apologetico. [Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.] Tria enim ſunt in præſule ſeu antiſtite: nomen, officium, & honor. Ita Optatus Mileuitanus de Felice Idictenſi: [Donatum, ait, annorum ſeptuaginta epiſcopum, hominem innocentem ſpoliare auſus eſt Epiſcopali nomine & officio & honore.] Gradatim aſcendit, & in vltimo conquieſcit, tanquam in ſummo. Scias ſecundò, miniſterium iſtud ab ipſis inſtitutum Apoſtolis. [Factũ eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.] In quo tria ſubnotanda ſunt E Primum eſt, miniſterium iſtud non paſſiuum fuiſſe, ſed actiuum, nec in recipiendo, ſed in ſeruiendo poſitum. Patet id ex ſeptem viris, non tam ſuffectis quàm præfectis. Alterum, miniſterium quotidianum non aliud fuiſſe quàm ſacrificium Chriſtianum. Ita Cyprianus: Sacerdotes, qui ſacrificia Dei quotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas præparemus.] Quotidie namque frangebant panem circa domos, id eſt, immaculatum in priuatis ædibus, tanquam in eccleſiis domeſticis offerebant ſacrificium. Quoad preces enim, (& hoc ter-

Hier. epiſt. 137. in fine.

Hier. epiſt. 10. cit. med.

Tertull. lib. de Exhort. caſt. c. 7.

Tertul. cap 39. Apol.

Optat. Mil. l. 1. vlt. med.

Act cap. 6.

Cyp. epiſt. 2. in med.

Sacrificium Christianũ ministerium quotidianũ.

tium) orabant in templo, sed ecclesijs nondum exstructis, sacrificabant in aliquâ domo, ad id congruâ ac commodâ. Scias tertiò, in hoc honorem, seu ordinem esse positum, quòd in ordine vicis suæ ministrarent nunc illæ, nunc istæ, id est, præstarent quæ sui essent iuris & ordinis. Inde illæ viduæ Græcanicæ despectæ, seu non honoratæ, seu ab ordine & honore reiectæ; quòd minimè ministrarent, quòd nihil in quotidiano præstarent ministerio.

Quoad secundum. Nihil minus ferè Apostolus a viduis exigit, quàm ab episcopis & diaconis, quasi officia, etsi paria non sint, sint tamen similia. Omnes vnius matrimonij, omnes excellentis meriti, omnes denique irreprehensibiles. De primo: [Vidua eligatur non minùs annorum sexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor.] Multa dixerat, vt obseruat Chrysostomus: [Quæ omnia nisi haberet, viduarum catalogo indigna esset. Iam quid habere oporteat, dicit. Quid ergo? Num illam annorum metimur numero? At id cuius meriti est? Neque enim in ipsâ est sexagesimum implesse annum. Non igitur sola ætas inspicienda est, imò si sexagenariâ quoque sit maior, & bonis operibus careat, eligenda non est.] Quid ergo requiritur? Primò, vt fuerit vnius viri vxor: sicut enim episcopus repræsentat Christum sponsum; sic & vidua ordinata repræsentat sponsam Ecclesiam: at sicut vnus est sponsus Christus, sic & vna est sponsa Ecclesia. [Secundum matrimonium, ait Aquinas, dicitur non esse bonum non quia non sit licitum, sed quia caret illo honore significationis qui est in primis nuptiis, vt sit vna vnius, sicut est in Christo & Ecclesiâ.] Quin & defectus ille, magis in sexu muliebri turpis ac deformis est quàm in virili. [Si enim, ait ille, virgo contrahat cum viro qui habuit aliam vxorem, nihilominùs nuptiæ benedicuntur: saluatur enim aliquo modo significatio in ordine ad primas nuptias. Quia Christus etsi vnam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in vnâ Ecclesiâ. Sed anima non potest esse sponsa alterius, quàm Christi: quia alias cum dæmone fornicatur, nec est ibi matrimonium spirituale: & propter hoc quando mulier secundò nubit, nuptiæ non benedicuntur, propter defectum sacramenti.] Secundò, requiritur vt vidua virtutibus ornata sit, & domesticis probata functionibus. [In operibus bonis testimonium habens: si filios educauit, si hospitio recepit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. Non enim, vt exponit Chrysostomus, parui profectò momenti est enutrire filios. Id namque non de alendis tantùm filiis dicitur: sed sicuti oportet alendis, in fide, & dilectione & sanctificatione.] Sint igitur, [Et matres, & quidem, vt ait Tertullianus, educatrices filiorum; scilicet, vt experimentis omnium affectuum structæ, facilè norint ceteras & consilio & solatio iuuare, vt & nihilominus ea decucurrerint, per quæ femina probari potest.] Tertiò denique requiritur, vt vidua sit irreprehensibilis. [Et hoc præcipe vt irreprehensibiles sint.] Tanti igitur meriti, quanti & ministerij. [Tantam namque diligentiam, actuum ac morum viduamvult habere, ait Ambros. vt reprehendi non possit.] Iure scilicet, cum sit sine crimine.

Chrysost. Hom. 14.

Aquinas. in Supplem. q. 63. art. 1. ad 3.

Aquin. q. 2. ad 2.

Defectus sacramenti in muliere magis quàm in viro conspicuus.

Chrysost. Hom. 14.

Tertul. l. de Vand. virg. c. 9.

Ambros. in Paulum.

Quoad tertium. Facilius est dicere quid non facerent, quàm quid facerent, asserere. Certum est igitur, illas nullo perfunctas fuisse sacerdotio. [Quanquam enim, vt dixit Epiphanius, diaconissarum in Ecclesiâ ordo sit, non tamen ad sacerdotij functionem, aut vllam huiusmodi administrationem institutus est. Cur ergo? [Vt muliebris sexûs, ait ille, honestati consulatur: siue vt baptismi tempore adsit: siue vt inspiciat si quid passa sit, aut molestiæ pertulerit: siue vt cum nudandum est mulieris corpus, interueniat; ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à sola diaconissâ videatur; quæ sacerdotis mandato, mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur. Quâ in re cum illius ordinis modestiæ, tum ecclesiasticæ disciplinæ prudenter admodum ex canonis præscripto ac regula consultũ est.] Certè non erãt illæ in ecclesiasticis officiis otiosæ, alioquin non eas Apostolus cum diaconis & episcopis componeret, nec pares ferè conditiones exigeret. [O quantum, ait Chrysostomus, diligentiæ requirit à viduâ. Tantum profectò, vt ab episcopo plus ferè nihil exigat. Si, inquit omne opus bonum assecuta est: etsi enim id exequi ipsa non potuit, particeps tamen accessit, & ministerij consors.] Ita & Tertullianus. [Qualis es, inquit, id matrimonium postulans, quod eis à quibus postulas, non licet habere; ab episcopo monogamo, à presbyteris & diaconis eiusdem sacramenti, à viduis, quarum sectam in te recusasti?] Erat igitur species professionis religiosæ, seu sectæ specialis; qualem ferè videmus, in canonicis sanctimonialibus, Carthusianisque, quibus licet in pluribus canonicos æmulari; nec modulari duntaxat in choro, sed & in sacrificio; imò & Euangelium legere & nonnulla quæ sunt extra sacerdotium sacrificium ve attingere. Sed si nusquam licuit ea, quæ, vt loquitur Tertullianus, [Virilis aut gradûs, aut officij.] essent, inuadere: multò minùs ea præsumere, quæ muneris essent sacerdotalis. [Illud enim diligenter obseruandum est, (vt obseruauit Epiphanius) solum officium ad ecclesiasticum ordinem necessarium fuisse, ac viduas quidem nominatim expressas, & inter illas, quæ anus essent, presbytidas vocatas, nunquam presbyteras, aut sacerdotissas esse factas. Nam neque diaconis quidem ipsis vllum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur; sed duntaxat, vt eorum, quæ perficiuntur, ministri sint. Propterea ne loqui quidem in Ecclesiâ mulieri, aut in viros auctoritatẽ habere sacræ litteræ permittunt.]

Exclusis diaconissis viduis ve à sacerdotio & sacrificio, multa nihilomus supersunt, quæ charitatis pietatisque persoluunt officia. [Corporale ministerium est omne quod illis præcipit Apostolus, (verba sunt Chrysostomi) Sunt enim mulieres huiusmodi obsequiis in primis idoneæ, lectulum sternere, ac fouere ministerio.] Primò igitur, ægris assidebant, nec feminis tantùm, sed & viris, maximè verò clericis necessaria reddebant obsequia. Ita Hieronymus

Epiphan. hæres. 79.

Quodnam præcipuum viduarum in Ecclesia officium.

Chrysost. Hom. 14.

Tertul. l. de monog. c. 11.

Tertul. l. de vel virg. c. 9.

Epiphan. hæres. 79.

Chrysost. Hom. 14.

Hieronym. epist. 2. cit. med.

nymus Nepotiano. [Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si huiuscemodi non fuerint consanguinitatis castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore: & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis.] Secundo, sanis etiam aderant, vt res domesticas tractarent, & solitâ leuarent operâ. [Habe, inquit Tertullianus, aliquam vxorem spiritalem: adsume de viduis, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam. Bonas nuptias feceris. Huiusmodi vxores etiam plures haberi Deo gratum est.] Tertiò denique, consulebantur à feminis nec non ab episcopis adhibebantur tanquam administræ, & in rebus sensui ac sexui competentibus, consiliariæ. [Cum quædam, ait Tertullianus, istis diebus nuptias suas de Ecclesiâ tolleret, miratus sum consiliariorum præuaricationem.] Quorum? Iam ille dixit, Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, viduarum. Ita & alibi: [Quid ergo si episcopus, si diaconus, si vidua.] Consiliarios igitur intellige episcopos, presbyteros, diaconos, viduas, quibus inconsultis, de nuptiis minimè cogitabant. Inde, [Petere maritum à viduâ.] Nam, vti dixit Ambrosius: [Etsi vehendis oneribus otiosa, maritandis tamen iunioribus prouida.] Itaque nupturæ, sacerdotes conueniebant per viduas, vt consulerent eisque mariti conditiones, genus moresque exponerent. Quod autem diximus de matrimonio, id & de aliâ re quacumque dicimus, quæ & publicæ honestatis sunt, & debitæ pietatis. Nonnullam enim præfecturam erga sexum suum exercebant viduæ, nec domesticarum duntaxat rerum, sed & sacrarum curam suscipiebant, episcopo iubente, aut monente diacono.

Viduæ assidebāt ægris & sanis aderant.

Tertul. l. de Exhort. cast. cap. 12.

Tertullian. lib. 2. ad vxo. cap. 2.

Tertul. l. de præscrip. cap. 3.

Ambros. l. de Vid. ver. fin.

MONITVM QVARTVM.

De reprobatione.

Sicut eligendæ sunt dignæ, sic & indignæ reprobandæ. Idcircò ambas proponit Apostolus, imò & opponit. [Nam quæ in deliciis est.] Seu, vt habet textus Ambrosianus, Græcis propior: [Quæ verò in deliciis est, viuens mortua est.] Et ille, [Vidua, inquit, desolata & à suis contempta, sperat in Deo. Videns enim ex nullâ parte se habere suffragium, toto animo deuota est Deo, de quo solo auxilium vitæ salutisque expectat. Si autem sub nomine viduæ deliciis vacet aut luxuriæ, viuens mortua habenda est.] Parum est illam esse mortuam: quid verò & damnatam? Sed Paulus & mortem dissoluit & damnationem, dum viduas ipsas deliciosas non abiicit quidem, sed in ordinem redigit.

Ambros. in Paulum.

Quoad primum igitur. Monstrum ac portentum in Ecclesiâ non ferendum. [Planè scio, ait Tertullianus, alicubi virginem in viduatu

Tertul. l de veland. virg. cap. 9.

A ab annis nondum viginti collocatam: cui si quid refrigerij debuerat episcopus, aliter vtique saluo respectu disciplinæ præstare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in Ecclesiâ denotaretur: virgo vidua, hoc quidem portentuosior, quòd nec quâ vidua caput texit, vtrumque se negans, & virginem quæ vidua deputetur, & viduam quæ virgo dicatur. Sed eâ auctoritate illic sedet intecta, quâ & virgo.] Sed en & aliud prodigium nec minùs ferendum. Vidua, viua simul, & mortua. Si enim delicietur, si in vanitatibus occupetur, si versetur in voluptatibus: viuit quidem carne, sed iam mente abiit. [Congruè

B profectò ait, Quæ autem in deliciis est, viuens mortua est.] Ita Chrysostomus. Sed quomodo congruè? Primò, [Discamus planè, ait ille, quodnam sit viuentium opus, quod etiam mortuorum. Viuentes profectò, quæ sunt futuræ vitæ, quæ sola verè vita est gerunt. Quænam verò futuræ vitæ opera sunt, in quibus nos iugiter oporteat exerceri? Audi dicentem Christum: Venite, percipite præparatum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Viuentes ergo non eo solùm à mortuis differunt, quòd solem atque aërem cernunt, sed eo quòd boni aliquid faciunt. Id

C quippe nisi adsit viuentibus, nihilo defunctis meliores erunt.] Boni, etiam mortui, viuentes sunt; vnde Deus dicitur viuorum Deus, non mortuorum: mali, etiam viuentes mortui sunt; & mortui mortuos suos, id est mundanos, sepeliunt: mundo quippe viuunt, non cœlo; vanæ ac caducæ vitæ consulunt, non veræ & æternæ: sensum sequuntur, non spiritum; nec tam munere funguntur viuentium, quàm morientium premuntur onere. Secundò, quæ in deliciis agit, viuens mortua est: an igitur agit si mortua est? imò si agit, viuit. [Quid sibi vult hoc, quod, ait, Viuens mortua est? Vi-

D uere quidem videtur ignorantibus, ait Hieronymus, & non esse peccato mortua: sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. Anima enim, quæ peccauerit, ipsa morietur.] Habet nomen quod viuat, sed verè mortua est, veritati sicut & sanctitati mortua. Tertiò, ex ipsâ tandē hominis definitione. [Videamus certè, ait Chrysostomus, quid homo sit. Definiunt illum externæ sapientiæ auctores, animal esse rationale, mortale, rationis ac disciplinæ capax. Nos ab illis hominis definitionem nequaquam mutuabimur Sed vnde? ex diuinis scilicet litteris. Vbinam igitur quid sit homo illæ definiunt? Homo, inquiunt fuit iustus, ve-

E rax, pius, abstinens ab omni opere malo, hoc nempe homo est. Ceteros verò qui eiusmodi non sunt, quantumlibet rationis participes fuerint, disciplinæque capaces; non nouit scriptura appellare homines; sed canes, & equos, & viperas, & serpentes, & vulpes, & lupos, & si quid etiam hisce feris ignobilius est. Si igitur hoc homo est, quod scriptura definiuit: qui in delicias soluitur, homo profectò non est. Quo enim pacto, cum nihil ex eis curæ sit, quæ hominem faciunt?] Homines sunt, sed inanimes, dum carnales: inest anima, sed mortua, quia corruptioni dedita, morti addi-

Chrysost. Hom 13.

Quomodo anima viuēs simul & mortua.

Hieronym. epist 10 cit. med.

Chrysost Hom 13.

Chrysost. Ibidem.

cta. [Quemadmodum enim, ait ille, de his, qui virtute clari sunt, licet habeant corpus, dicere tamen solemus, totus anima est: ita & de carnalibus, licet illis per vitam non desit anima, dicimus, totus caro est.] Quid facient ergo mortuæ cum viuentibus, quomodo conuenient delicatulæ ac deliciosæ cum viduis sanctioribus, religiosioribus, seuerioribus?

Quoad secundum. Non solùm illæ reiiciendæ quæ per voluptatem indignæ sunt, sed & quæ per ætatem sunt minùs idoneæ. [Adolescentiores autem viduas deuita.] Id est, adolescentulas, seu iuuenculas ab hac sectâ reiice, tanquam parùm firmas firmatasſ-ve continentiâ; neu inscribe numero ac catalogo viduarum, velut minùs adhuc obfirmatas in proposito. [Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.] Vbi notandum est primò, Paulum nullam ætatem virginibus præscripsisse, viduas tamen non admisisse ante annum sexagesimum. [Licet enim, vti dixit Tertullianus, in illis integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius; quia facile est non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris nunquam. Gloriosior continentia quæ ius suum sentit: quæ quod viderit, nouit. Poterit virgo felicior haberi; at vidua, laboriosior. Illa, quod bonum, semper habuit; ista, quod bonum sibi inuenit. In illâ, gratia, in istâ, virtus coronatur. Quædam enim sunt diuinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ à Domino indulgentur, suâ gratiâ gubernantur: quæ ab homine captantur, studio perpetrantur.] Eo modo virginitatem & vidualem castitatem distinguit, quo innocentiam ac pœnitentiam: & illam felicitati attribuit, istam virtuti, seu labori: non quod & qui laborant, diuinâ non egeant gratiâ, sed quia virginitas quasi per ætatem fatiget hostem sine certamine, viduitas per assiduitatem vix superet. [Plus ardenter, ait Augustinus, ferunt libidinem, quæ non desperant eiusdem voluptaté. Vnde facilius concupiscentia refrænatur, quæ nullâ expectatione succéditur.] Notandũ secundò, Viduas sub curâ ecclesiæ cõstitutas, liberaliter habitas, nec médice ac parcè sustentatas sed abundanter ac copiosè, Quid enim, [Cum fuerint luxuriatæ in Christo?] Nisi, cum fuerint saginatæ, nedum saturatæ pane Ecclesiæ; lasciuiunt, & aduersùs Christum sponsum suum, carnales adhinniunt voluptates. [Vt vbi in deliciis sunt, ait Athanas. & luxu versatæ, in Christum superbiunt: quem cum habere de cetero dedignentur in sponsum, in nuptias recidunt, nubuntque, cum diu malè castimoniam dissimularunt: quippe quæ haud quaquam certo animi iudicio viduitatem elegerint, in finem vsque, tutandam.] Notandum tertiò, ideò viduas illas damnationi seu perditioni obnoxias; quia cum Christum elegerint in sponsum, seque ei deuouerint in perpetuum, inanes reddiderunt conuentiones quas cum Christo pepigerant obsignarántque, & retrò conuersæ post satanam abierunt, [Quisque, inquit Augustinus, quod vouere voluerit, voueat: illud attendat quod vouerit,

Tertul. l. ad Vxo. cap. 8.

Virginitas felicitati datur, vidualis castitas virtuti.

Augustin. lib. de bono vid. cap. 10.

Athanas. in Paulum.

Augustin. Enarrat. in Psal. 75. vers. fin.

A reddat vnusquisque Deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. Quid voluit? quòd & virgo quælibet. Quid voluit? quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia iam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dicit de talibus Apostolus Paulus, cum dicat viduas adolescentulas nubere si velint? Sed tamen ait quodam loco: Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium. Ostendit beatiorem, si sic permanserit: non tamen damnandam, si nubere voluerit. Quid autem ait de quibusdam quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt?

B Vouerunt, & non reddiderunt.] Hoc solo quippe, quòd nubere voluerunt, sponso fecerunt iniuriam, priorem resciderunt fidem, dum promissam reiecerunt castimoniam.

Quoad tertium. Visâ igitur iuniorum incontinentiâ viduarum, satiùs iudicauit Apostolus matrimonium indulgere, quàm votum imponere. [Timotheo scribens, (verba sunt Tertulliani) vult iuuenculas nubere, filios suscipere, matres familias agere. Ad eas dirigit, quales supra denotat, iuuenculas viduas, quæ in viduitate deprehensæ, & aliquandiu adsectatæ, postquam in deliciis habuerunt Christum, nubere volunt, habentes iudicium quod primam

C fidem resciderunt, illam videlicet, à qua in viduitate inuentæ & professæ eam, non perseuerant. Propter hoc vult eas nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant.] In quo tria aduertenda sunt. Primum est, Paulum ad iuuenculas viduas sermonem quidem dirigere, sed in genere, non in specie, & conditionem exprimere, non professionem. Si enim in viduis professis, vel nubere velle, damnabile est, quanto magis nubere? [Cum enim dixisset Apostolus, Nubere volunt: continuò addidit, (ita Augustinus) habentes damnationem. Et dixit, quare, quoniam primam

D fidem irritam fecerunt: vt voluntatem quæ à proposito cecidit, appareat esse damnatam, siue subsequantur nuptiæ, siue desint: dum enim voluntatem ad nuptias à proposito continentiæ deflexerunt, irritam fecerunt fidem quam priùs vouerant, quod perseuerantiâ implere noluerunt.] Secundum, non tam iubentis imperium esse, quàm indulgentis consilium, & minus bonum comparatione mali suadentis. [Volo, inquit, adolescentulas nubere. Cur quæso? ait Hieronymus, quia nolo adolescentulas fornicari. Procurare filios. Quam ob causam? Ne metu partûs ex adulterio filios necare cogantur. Matres familias esse. Quare ob-

E secro? Quia multò tolerabilius est digamam esse, quàm scortum; & secundum habere virum, quàm plures adulteros. In altero enim miseriarum consolatio est, in altero pœna peccati. Propter has igitur quæ fornicatæ sunt in iniuriam viri sui Christi; vult Apostolus alterum matrimonium, præferens digamiam fornicationi, secundum indulgentiam duntaxat, non secundùm imperium.] Tertium denique, sicut digamia fornicationi præferenda est, sic & monogamiam recidiuatui per se præuerten-

Tertullian. l. de monog. cap. 13.

Augustin. lib. de bono vid. c. 8. & 9.

Hieronym. epist. 10. post. init.

Minus bonũ metu mali nonnunquã proponendum.

Tertull. l. 1. ad vxo. cap. vlt.

dam. Ita Tertullianus ad vxorem concludit : [Stude igitur ad virtutem continentiæ, quæ pudori procurat: sedulitati, quæ nugas non facit; frugalitati, quæ seculum spernit. Conuictus atque colloquia Deo digna sectare, memor illius versiculi, sanctificati per Apostolum, Bonos corrumpunt mores congressus mali. Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ contubernales, vel maximè proposito viduitatis officiunt. Per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica: per otium à seueritate deducũt: per vinolentiam quiduis mali insinuant, per curiositatem æmulationem libidinis conuehunt. Nulla huiusmodi feminarum de bono viduitatis loqui nouit: Deus enim illis, (vt ait Apostolus) venter est, ita & quæ ventri propinqua.] Ita occasionem malè loquendi dum extraneis improbæ suggerunt, bonæ suis benè viuendi casteque conferunt rationem. Bonum, coniugalis castitas; melius, fidelis viduitas. [Tanto magis: ait Augustinus, gaude tuo bono, quanto magis vides non tantum illo deuitari mala, sed quædam etiam bona sperari.]

Augustin. l. de bono vid. cap. 4.

MONITVM QVINTVM.

De Presbyteris.

Sicut nonnunquam sub episcopis comprehenduntur presbyteri, ita & sub presbyteris intelliguntur episcopi. [Vocauit maiores natu Ecclesiæ.] πρεσβυτέρους. Quos statim vocat episcopos. [Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.] Illorum quippe maximè est regere, sicut & præesse. Ita, [Qui benè præsunt presbyteri.] Sicut ergo sub episcopis contineri possunt presbyteri, sic & in presbyteris doceri possunt episcopi: ambo quippe & præsunt & regunt, tanquam maiores, senioresque: licet ampliori iure, quo superiori ordine. Tria porrò de ipsis consideranda sunt: honorandis scilicet, iudicandis, ordinandis.

Act. cap. 20.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De honorandis.

De iis Apostolus. [Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti. Et, Dignus est operarius mercede suâ.] In quo tria elucidanda sunt. Primum est, Quid sit duplex honor: alterum, Quibusnam tribuendus: tertium, Quonam iure.

Quoad primum. Non solùm honor est, sed & duplex honor. Et quoad honorem, si honorandi sunt patres corporum, multò magis patres spirituum: sed si honor non tantùm in veneratione, sed & in sustentatione intelligendus venit, is erit sensus: [Subministrentur eis, vt Cyprianus loquitur, quæcumque necessaria sunt; si qui sunt, qui vel vestitu, vel sumptu indigeant.] Ille igitur honor non so-

Cyprian. l. 3. epist. 10.

A lùm in spiritualibus, sed & in temporalibus. [Boni enim dispensatores, vti dixit Ambros. ac fideles, non solùm honore sublimi debent digni iudicari, sed & terreno: vt non contristentur indigentiâ sumptuum, sed magis gaudeant fide suâ & doctrinâ. Instantior enim fit si non humilietur inopiâ: & crescit in illo auctoritas, cum videt se etiam in præsenti laboris sui fructum percipere; non vt abundet, sed vt non deficiat.] Quoad duplicem vero honorem, non tam in comparatione cœlestium & terrenorum, quàm in ampliatione constituendus est munerum: vt quo meliùs

Ambros. in Paulum.

B ministrat, quo attentiùs vigilat, eo ampliorem consequatur honorem, id est, largiùs alatur ac liberaliùs. Duplex quippe apud Hebræos, idem ac multum copiosumque. Ita Elizeus ad Eliam. [Obsecro vt fiat in me duplex Spiritus tuus.] Et apud Hieremiam: [Duplici contritione contere eos.] Id est, acri ac vehementi. Honor igitur duplex, est liberalior sustentatio, copiosior munerum, seu humanæ subsidiorum vitæ subministratio. [Oportet enim, vti dixit Athanas. abundent, qui alios instruũt, his rebus, quæ hominum vitæ sunt necessaria: ne horum cura distracti, prædicandi munus

Duplex idē Hebræis quod multū ac copiosū.

Reg. 4 c. 2.

Athanas. in Paulum.

C omittant. Duplici igitur, præ viduis vel diaconis, intulit: vel, Duplici, pro abundantiâ positum est.] Si enim honorandæ sunt viduæ, id est, pro decoro & ministerio sustentandæ: si diaconi, quanto magis presbyteri, vel qui in supremâ sede, & apice dignitatis sacerdotalis constituti, vbertim alendi, affatimque fouendi: non vt affluant, aut diffluant in delicias, vel congerant diuitias: sed vt nullo indigeant, & indigentibus præbeant, famemque ac tribulationem patientibus: quo enim conditio sublimior, eo honorabilior: & quo minùs suis studet, magis debet alienis iuuari; vt commodiùs ministrare possit, & faciliùs cursum suum consummare.

D Quoad secundùm. Stipendia ista bonis debita sunt præfectis, maximè si munus compleant, verboque doceant, nedum exemplo [Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrinâ.] Debent igitur benè præesse presbyteri, vt tanto sint honore digni. [Iungendus Aurelio fuerat Celerinus, (verba Cypriani) cum quo & diuini honoris societate coniunctus est, cum quo omnibus virtutis & laudis insignibus copulatus est. Ad hoc eos Christus esse in Ecclesiâ diu voluit, ad hoc de mediâ nocte subtractos, quadam dixerim resurrectione circa eos factâ, incolumes reseruauit, vt dum nihil in honore sublimius, nihil in humilitate submissius à fratribus cernitur, hos eosdem fraternitas sectata comitetur: horum enim secta & conuersatio sic proficit ad præconium gloriæ, vt magisterium ceteris præbeat disciplinæ. Ceterùm presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum prouectis & corroboratis annis suis, quamuis in nullo minor possit videri ætatis indole, qui consummauit ætatem gloriæ dignitate.] Ex quibus tria car-

Cyp. l. 4. epist. 5. versus fin.

E

Vnus episcopi & presbyterorum consessus.

ptim colligenda sunt. Primum est, presbyteros cum episcopo suo consedisse, vnumque simul fecisse concilium. Alterum, sportulis honoratos, id est, diurnis, aut menstruis donatos alimoniis. Tertium, quæsitos, prælatosque, qui benè præessent, digneque considerent ac regerent, presbyteros. Sed ex iis illi qui administrant verbum Dei, non solum duplici honore digni sunt, sed & suprà ceteros censendi sunt dignissimi, quia munus suum opere tam necessario quam & laborioso cumulant. [Vbi modò sunt, ait Chrysostomus, qui dicunt sermone & doctrinâ opus non esse? Quandoquidem tanto studio Timotheum Paulus admonet, dicens: Ista meditare, in his esto. Et iterum, Vaca lectioni. Et hos omnium maximè iubet honorari, causamque addit, dicens: Multum enim laborem sustinent. Quàm verò id iustè. Cum enim alius non vigilet, neque curis maceretur, sed passim securus & quietus in quotidianis consessibus sit: hic autem concidatur solicitudine, & meditationi perpetuò insistat, quis non videat quanto sit ceteris honore præferendus, quippe qui seipsum tot laboribus & ærumnis exposuit? Est enim linguis innumeris propositus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriam, alius compositionem in ius trahit: magnaque illi constantiâ ad ista toleranda opus est. Multum tamen omnino ad Ecclesiæ ædificationem confert, si præsules doctrinæ gratiâ polleant: quæ nisi adsit, plurima Ecclesiasticæ disciplinæ peribunt: vt quid enim episcopus doctor appellatur, nisi vt deceat? Est ergo necessarium verborum quoque magisterium, ideò & Paulus ait: Maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. Nec tamen eum sermonem laudauerim, qui fastu tumidus, externæ peritiæ iactantiam sequitur: sed qui virtutis, ac succi habeat plurimum, qui sensibus grauis sit, & sapientiâ plenus; non apparatu, ac pompâ dicendi.]

Chrysost. Hom. 15.

Quoad tertium. Si quæris, quo iure debita sint pastoribus doctoribusque stipendia? Citò respondetur, omni iure: diuino, & humano; naturali, & ciuili. [Iniquissimum enim quis meritò dixerit patrem egere, cuius filius sit in facultatibus.] Quis magis pater, quàm, [Pater sacrorum?] vti nuncupat Tertullianus. Ille nimirum, qui in diuinis ministrat, imò & in Ecclesiasticis imperat negotiis, vitamque procurat æternam. Vtrumque ius producit Apostolus: diuinum quidem, cum ait ex Deuteron. 25. [Non ligabis os bouis terentis in areâ fruges tuas.] Humanum autem, cum addit, [Et, Dignus est operarius mercede suâ.] Id est, vt Christus dixit Matth. 10. [Cibo suo.] Non enim episcopus mercenarius est, sed ratione sublimiori, & æquiori iure, ob excellentiam ministerij, meritique præstantiam, honorario dignissimus subsidio. Laudat igitur Paulus diuinam legem, quam & per humanam confirmat consuetudinem. Quamuis enim hæc verba apud Lucam expressa sint, sed nondum tunc editum erat istud Euangelium: ideoque sicut Christus; sensum in his appellauit communem; sic & Paulus, ad hu-

L. Si quis. ff. de lib. ag. noscend.

Tertullian. cap. 2. Apol.

A manam pariter prouocauit consuetudinem: vt qui dignius laborat, plus accipiat: & qui in pleno aceruo ministrat, victum tollat necessarium. [Honorem igitur in hoc loco, ait Chrysostomus, obsequium Apostolus dicit, & necessariarum rerũ largitionem. Nam quod sequitur, Non infrœnabis os bouis trituranti: &, dignus est operarius mercede suâ, hoc significat. Itaque & cùm honore viduas ali præcipit, ad necessarium victum referatur, vt his quæ verè viduæ sunt, ministrare sufficiat. Et rursus, Honora viduas veras, hoc est in paupertate constitutas: quanto enim pauperior est, tanto magis est vidua. Itaque si quis deli-

Chrysost. Hom. 15.

B catus, aut remissus fuerit, dignus profectò non est. Nisi quis fuerit bos triturans, & contra gelu & spinas iugum sustinens traxerit, neque antè discesserit, dignus non est. Oportet autem doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque soluantur, neque minimis occupati, magnis seipsos atque alios priuent, vt spiritualia operentur, nullam secularium habentes rationem. Audenter tamen dixerim, ecclesiæ præsules, nihil præter victum & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio. Non ergo id inspiciamus tantùm, quòd eos duplici honore, id est, magno, dignos dixit Apostolus: sed quod addit, multo magis attendamus, Qui

Tota pastoris cura sit, benè præesse.

C benè præsunt. Benè autem præesse, hoc est, nulli parcere regiminis gratiâ.] Ita ille.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

De Iudicandis.

De iis Paulus: [Aduersùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coràm omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. Testor coràm Deo, & Christo Iesu, & electis

D angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.] In his autem tria præscripta sunt. Primum, presbyteros non temerè accusandos: alterum convictos, publicè damnandos: tertium, quàm seuera Ecclesiastici forma iudicij.

Quoad primum. Non vetat Apostolus accusari presbyterum, aut etiam episcopum, sed negat actionem facile suscipiendam admittendamue, vetat accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus recipi. [Agit de correctione presbyteri, ait Aquinas, dicens, quòd presbyteri qui benè præsunt, duplici honore sunt honorandi, sed mali sunt corrigendi. Di-

Aquin. lect. 3.

E cit ergo primò quòd faciliter eorum accusatio non admittatur: Tu, maior presbyter, aduersùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Aliud enim est, accipere accusationem, & aliud condemnare accusatum: secundum non debet iudex, nisi cum testibus conuictus fuerit damnandus, & hoc etiam in hominibus vulgi: sed in sacerdotem non debet accusationem recipere, nisi sit euidens: non enim tam facilè accusanda est, tam alti ordinis persona, quæ sit vice Christi.] Cauendum est & Christianæ plebi,

Accusatio in presbyterum non deneganda sed temperanda.

& dignitati ecclesiasticæ : si autem obuius criminationi sit locus, conculcabitur ista; si verò nullus sit accusationi, illa periclitabitur. Non est ergo actio in totum deneganda, ne tota gens pereat; sed ex æquo & per præscriptum temperanda; ne dux tumultui pateat & incursui. Et quidem, [Timotheo, vt obseruat Chrysostomus, credita Ecclesia fuerat, imò gens ferè tota Asiatica.] Idcircò non solùm minores presbyteri, sed & maiores, id est episcopi, iudicio eius erant obnoxij. Quid ergo agendum? Accusationem sine testibus admittet sufficientibus? auctoritatem infringet, zelum imminuet, animum iniquis faciet ac perduellibus, bonis detrahet pastoribus. Nullam suscipiet, etiam duorum bonorum numero, etiam plurium competentium obsignatam testimonio? plebem prodet, manifestoque exponet periculo. Itaque non facile admittenda accusatio aduersùs presbyterum aut episcopum, sed sub duobus aut tribus testibus censenda est legitima. Ita Cyprianus, de Martiale & Basilide episcopis. [Cum in vnum conuenissemus, legimus litteras vestras, quas ad nos per Felicem & Sabinum coëpiscopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei timore fecistis. Significantes Basilidem, & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & negandorum facinorum conscientiâ vinctos, episcopatum gerere, & sacerdotium Dei administrare non oportere. Et desiderastis rescribi ad hæc vobis, & iustam pariter ac necessariam solicitudinem vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ subleuari.] Credam paternam potius quàm iuridicam? tamen & episcopi delati sunt, accusati sunt, & legitimo competentium testium denuntiati numero : & accusatio admissa in concilio, iudicio comprobata est.

Chrysost. Hom 5.

Cyprian. l. 1. epistol. 4.

Quantum ad secundum. Quanto difficilior accusatio est, tanto durior damnatio. Nam sicut de presbyteris, non ætate tantùm, sed & dignitate suffultis, nihil citò mali credendum, ita si quid verè perpetratum, ac probatum legitimè, publicè iudicandum est damnandumque. [Ostendit, ait Aquinas, quomodo puniatur, si sibi probetur : nimirum vt publicè corrigat eum. Dicit ergo, peccantes, tam presbyteros, quàm quoscumque, Coràm omnibus argue. Proceditur enim aliter in correctione fraternâ, aliter in iudiciariâ : quia iudex gerit personam publicam, & ideò debet intendere bonum commune, quod læditur per peccatum publicum, quia multi scandalizantur : & ideo iudex ecclesiasticus sic debet punire publicè, vt alij ædificentur. Dicit autem coràm omnibus : quia aliud est occultum peccatum, aliud publicum : primum enim indiget occulto remedio, id est, occultè est arguendum; & de hoc loquitur Dominus, cùm dicit, Si peccauerit in te, scilicet solo, quasi occultè. Apostolus autem loquitur de peccato publico, quod publicâ pœnâ indiget. Et hoc significatur in mortuis, quos Dominus suscitauit. Puellam enim suscitauit intra domum, per quod peccatum occultum intelligitur, vnde & turbam eiecit : sed filium viduæ extrà portam, coràm omnibus, per quod ostenditur peccatum publicum publicè puniendum. Coràm omnibus argue. Et quare? vt cæteri timorem habeant.] Non dixit, Noli condemnare; sed noli citò accusationem recipere; si autem receperis, & accusatum comperreris reum : ne parce, sed argue publicè; multis enim consulis, dum vnum traducis. [Ne citò decide, (ita apud Chrysostomum) sed omnia diligenti inquiras indagine : vbi verò apertè didiceris, vehementer inuehere, ita vt alij recipiscant. Vt enim temerè & indiscusse iudicare perniciosum est : ita manifesta peccata non persequi, viam aperit ad audenda facinora. Argue, inquit, non vtcumque, sed seuerè! ita enim & alij metuent. Magis autem scandalizantur, si peccata non ignorantes, nullum inferri videant cruciatum. Sicut enim si impunè peccetur, plurimi delinquunt : ita si peccata puniantur, complures virtuti student. Plures enim virtutem necessitate, non voluntate eligentes, magnum ex timore percipiunt fructum, dum suas frœnant concupiscentias.] Ita ex publico consilio : [Cum multa sint & grauia delicta, quibus Basilides & Martialis implicati tenentur, frustrà tales episcopatum sibi vsurpare conantur, cum manifestum sit eiusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere.] Eiiciendi, de statu & gradu palam deponendi.

Aquin. lect. 2.

Publicum peccatum publicè etiã arguendum.

Chrysost. Hom 15.

Cyp. l. ep. 4.

Quoad tertium. Sicut debet episcopus tardus esse in credendo, intrepidus in reprehendendo, sic & æquus esse debet in procedendo. [Testor coràm Deo, & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.] In quibus tria consideranda sunt. Primum est, principium, à quo perhibetur auctoritas vindicandi : alterum, præiudicium, vnde prohibetur temeritas iudicandi : tertium, vitium, vnde remouetur iniquitas procedendi, seu agendi obliquitas. De primo, auctoritas vindicandi deriuatur à Deo, sed datur Christo homini, bonisque communicatur angelis, tanquam fidelibus ministris, & primis assessoribus. Ad principium igitur auctoritatis recurrit Paulus, cum ait : [Testor coràm Deo, & Christo Iesu, & electis angelis.] Hi iudices incorruptibiles, à quibus in nos emanat forma iudicij, coràm quibus prostat damnati sententia. Per illos deprecor te, obtestorque. [Quia de iudicio dixerat, ait Athanas. Deum ipsum & horribilem sanè in modum, in testem producit. Non vt Timotheo timorem iniiceret, sed magis vt confirmaret.] De secundo, temeritas iudicandi denotatur in præiudicio, ne scilicet ex præconceptâ opinione, & re non expensâ procedatur, temerariumque ac præceps proferatur iudicium. [Ista custodias absque præiudicio. Hoc est, (vt ait apud Chrysostomum) vt communem & æquũ te his, qui iudicandi sunt, præbeas, vt te nullus anticipet, nullus conciliet.] Quid enim aliud præiudicium, quam anticipatum præcipitatumque iudicium? [Adeò quod nesciunt, ait Tertullianus, præiudicant id esse.] Præsumptis scilicet, non probatis criminibus; prædamnatis, non libratis actionibus. De tertio denique, vitium damnatur procedendi,

Athanas. in Paulum.

Chrysost. Hom. 15.

Tertul. cap. 1. Apol.

dum ex affectu prauo, aut cœco impetu, in illam vel istam partem inclinatur: qui enim inclinat, iam medicus non est, ideoque nec æquus, sed à recto exorbitat iudicio. [Nec ad proferendam sententiam, ait Gregorius, vnquam præcipites esse debemus, ne temerè indiscussa iudicemus; ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtiliùs facta pensamus. Ipse quippe vt nos à præcipitatâ sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait, Descendam, videbo. Omnipotens itaque Dominus & omnia sciens, cur antè probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare?] En, quam sequamur, forma iudicandi; regula, quam amplectamur condemnandi.

Gregorius l.19 Moral. cap 1.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

De ordinandis.

PRohibuit Apostolus præcipitationem damnationis, nunc proscribit præcipitationem ordinationis. [Manus citò nemini imposueris.] Tum, primò damnum ostendit: secundò, suggerit remedium: tertiò, mala & bona dispescit merita.

Quoad primum. Manus impositio, ritus est, quo plura administrata sunt sacramenta. [Deinde manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctũ.] Ita Tertullianus de confirmatione. [Ceterùm, ait & ille, baptismum non temerè credendum esse, sciant quorum officium est. Illud enim perspiciendum, Nolite dare sanctum canibus, & porcis proiicere margaritas, & , Manus ne facilè imposueris, ne participes aliena delicta.] Sed maximè in pœnitentiâ & ordinatione. Vnde apud Optatum Mileuitanum: [Purpurius solitâ malitiâ fretus, sic ait: Exeat huc Carilianus quasi imponatur illi manus in episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentiâ.] Iam porrò indicauit Apostolus, de quo sacramento intelligi velit, cum ait: [Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. [Cum nimirum Timotheus à multis presbyteris seu episcopis, quorum vnus erat Apostolus, ordinatus est. Sic & epistolâ sequenti: [Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.] Quid ergo? [Manus citò nemini imposueris?] Id est, neminem citò ordinaueris, ne inconsultò ad sacerdotium episcopatumque promoueris. [Quòd si enim, vti dixit Leo, in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter scienterque curandum est, vt in Dei domo nihil sit inordinatum, nihilque præpo-sterum: quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui suprà omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiri-

Tertul l. de baptis. c. 8.

Tertul. c. 18.

Optat. Mil. lib. 1.

2. Timoth. cap. 1.

Leo ep. 87. cap. 1.

A tur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi enim est illa beati Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, quâ in personâ Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur & proinde vnicuique episcoporum dicitur: Manus citò nemini imposueris? Quid est citò manus imponere, nisi antè ætatem maturitatis, antè tempus examinis, antè meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis?] Descendit igitur Apostolus ad rem apprimè necessariam, ecclesiasticorum scilicet ordinum collationem, quibus haud dubie ipsa repræsenta-

Citò manus imponere est præpoperè aliquẽ prouehere.

B tur seruaturque Ecclesia. [Quid enim sibi vult, Citò? ait Chrysostomus. Non ex primâ statim probatione, nec secundâ, nec tertiâ; sed vbi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc manus imponito.]

Chrysost. Hom. 16.

Porrò manus alicui improbo & indigno imponere, est improbitatem eius indignitatemque communem sibi facere, & quasi in se suscipere. [Quid est enim, ait Leo, communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum seruat in eligendo sacerdote iudi-

Leo ep. 87. cap. 1.

C cium: ita graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.] Societas Christianorum, fraternitas est, nec hominum duntaxat communitas, sed & operum. [Doleo, inquit Cyprianus, quando audio quosdam improbe & insolenter discurrere ad ineptias, vel ad discordias vacare, Christi membra etiam Christum confessa per concubitus illicitos inquinari: nec à diaconis aut presbyteris regi posse, sed id agere, vt per paucorum prauos & malos mores, multorum & bonorum confessorum gloria honesta maculetur: quos vereri debent, ne ipsorum testi-

Cyprian. l. 3. epist. 10. in fine.

D monio & iudicio condemnati ab eorum societate priuentur. Is enim demum confessor illustris & verus est, de quo postmodum non erubescit Ecclesia, sed gloriatur.] Ecclesia sanè corpus est, cuius membra, seipsa afficiunt, inficiũtque, sicut vuæ ab vuis contactæ, vel massa fermento asperso maculata, seu animalia contagio morbis-ve infecta. Sed id maximè, cum specialis aliqua societas nectitur, qualis inter baptizantem ac baptizatum, ordinantem & ordinatum, in quibus spiritualis contrahitur affinitas. Manus ergo citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Ne-

Boni contagio malorum sunt infecti.

E minem promoueris ad ordinem, nisi primò deprehenderis ac probè noueris, illum tanto honore dignum, nullo crimine oneratum, suoque ordine rectè vsurum. [Neque enim ea res periculo caret: (ita apud Chrysostomum) eorum enim quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum. Qui enim improbè prima remisisti, etiam futuris eris obnoxius, quod ipse quasi auctor extiteris præteritorum: quia ea flere non sineris, vt possent per compunctionis gratiam relaxori. Quemadmodum enim rectè factis, ita peccatis quoque communicas.] Pollutum ac fœdum, in sinum admisisti, in consortium adlegisti, participas, communicas peccatis alienis. [Participantur

Chrysost. Hom. 16.

Tertullian. l. 4. aduers. Mar. cap. 9.

enim stigmata delictorum, vt loquitur Tertullianus, quasi ex contagione, si quis se cum peccatore miscuerit.]

Quoad secundum. Quomodo non communicabit peccatis alienis? Si seipsum purum seruauerit. [Quod enim ait Apostolus, Ne communices peccatis alienis: consensu; ait Augustinus, & placito intelligi voluit. Vnde statim subiiciens quomodo id agat, Teipsum, inquit, castum custodi. Neque enim & ipse Paulus communicabat peccatis alienis, quia falsos fratres de quibus gemit, in vnitate corporali tolerabat aut communicauerunt furto & sceleri Iudæ prædecessores eius Apostoli, quia cum eo iam Domini venditore & à Domino demonstrato, sacrosanctam cœnam communicauerunt.] Sicut ergo qui consentit cõmunicat, ita & qui non cõsentit, sed quà licet decetque, arguit & corripit, non cõmunicat. [Docuit ergo ex sequenti, ait ille, quemadmodum quod priùs dixit intelligendum sit: qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis. Si enim communicat, consentit: si consentit, corrumpitur: si corrumpitur, castum se non seruat. Nos autem dicimus, quòd qui non facit malum, nec facienti consentit, & facientem arguit, firmus atque integer inter iniquos tanquam frumentum inter paleas conuersatur.] Si quis tamen Græcis instet affirmetque ἁγνὸν, significare castum, pudicum, continentem, temperantem-ve; vix purum notare, immaculatumque: credo quidem, sed nihil remitto de remedio: qui enim seipsum custodit castum integrumque, vix alienæ consentit intemperantiæ. Iuuenis erat Timotheus, tamque per imprudentiam errare poterat, quàm cespitare per luxuriam. Manus citò nemini imposueris: prudenter age, ne inconsulta & temeraria sit ordinatio. Teipsum castum custodi, temperanter viue, ne cœca sit & abrupta promotio. [De pudicitiâ ergo illi sermo est, (ait Chrysostomus) Vnde, Noli iam aquam bibere, sed vino vtere modico, propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas. Videtur enim mihi alias quoque infirmus fuisse, per id quod ait, Propter crebras infirmitates tuas. Licet autem ille & stomacho lassesceret, & aliis quoque morbis esset obnoxius, non tamen ipsum vino permittit impleri, sed ad sanitatem, non ad delicias præcipit bibere. Porrò, si viro vsque adeo ieiuniis dedito & in tantum aquæ assueto, vt infirmaretur, & crebras morborum molestias pateretur, pudicitiam præcepit, neque ille monita renuit: quanto magis cum à quouis de huiusmodi mo-

Augustin l. 2. cont. lit. Petil. c. 106.

Augustin. l. 2. cont. ep. Parm. c. 21

Chrysost. Hom. 15.

Timotheus nõ ex institutione, sed ex deuotione abstemius.

A nemur, æquanimiter ferre debemus?] Certè qui se continet, non facilè alienæ conniuet incontinentiæ; & qui sobrietati studet & castitati, non nisi ægrè humanitati indulget.


Quoad tertium. Supponendum est primò, Paulum agere de iudicio humano, tum quia nulla non sunt iuditio diuino peccata manifesta, cum quia nulla sunt iudicium illud extremum subsecutura. Secundò, idem esse iudicium de bonis operibus ac de malis, à quibus dignitatis aut indignitatis desumendum est testimonium. Tertiò denique, de iis sermonem esse, vel certè appendicem, qui ordinandi sunt, vt dum nondum noti sunt, maturo probentur iudicio, bona facta examinentur & mala, vt reiiciantur indigni, digni admittantur.

B [Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium.] Seipsa produnt vltrò, adeo notoria sunt: iudiciumque præueniunt humanum. [Quosdam autem subsequuntur.] Alia sunt aliorum peccata, quæ nimirum occulta, sed detegentur,, si diligentiùs explorentur maturiusque. [Similiter & facta bona manifesta sunt.] Sic & sunt nonnulla opera bona, quæ omnibus patent. [Et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.] Si qua autem latent, reuelantur tandem, si solerter inquirantur constanterque. Nam & mali abscondunt nonnunquam scelera sua ex calliditate, C boni bona facta subducunt ex humilitate: sed nihil occultum quod non manifestetur, nihil tam secretum quod non propaletur. [Cum de ecclesiasticis ordinibus conferendis institueret Timotheum (ita Athanas.) noli, dixit, alienis peccatis communicare. Verumtamen poterat & illud non iniuriâ obiecisse, Quid si ignarus & nescius ipse id egerim, instituerimque ad sacros ordines non merentem? Ad hæc tacitè respondet Apostolus: Nonnulli, inquiens, palàm & manifestè delinquun, quorum peccata ad iudicium, his ipsis præcedunt, id est, condemnant in propatulo. Subsequentur autem, cum huiusmodi sunt, vt facilè queas D hæc internoscere. Quod si illorum ignores improbitatem quos ipse sacraueris, nequàquam eris crimini ipse obnoxius, sed culpâ vacabis. Similiter autem & bona facta: affirmans & in præsenti hoc seculo patere omniũ facta.] Paucis absoluit Aquinas. [Quædam peccata sunt notoria, & hæc non indigent examinatione: quædam occulta, & hæc indigent.] Id & de bonis factis. Itaque serio & sedulo explorandum est, non oscitanter & præcipitanter examinandum, qui digni, qui indigni; & tam illi honorandi, quàm isti reprobandi.

Mali sua abscondunt ex calliditate, boni ex humilitate.

Athanas. in Paulum.

Aquin. lect. 3.



CAPVT SEXTVM.

Epigraphe.

DOcet quomodo instituendi sint serui Christiani: postremo Timotheum ipsum officij sui admonet. Erunt igitur huiusce capitis partes duæ.

PARS PRIMA.

De seruis Christianis.

TEXTVS.

QVicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientiâ. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & insererunt se doloribus multis.

EXEGESIS LITTERALIS.

SEruis admonitis, secus docentes damnat, vt quæstionum conflictationumque amatores; cupiditatem, vt malorum omnium radicem reprobat.

[Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur, &c.] Sicut nonnullæ iuniores viduæ, occasionem dabant ethnicis blasphemandi, quia conuersæ erant retrò satanam: sic & serui dominis suis ansam præbebant calumniandi, doctrinamque damnandi Euangelicam: cum enim accepissent illi se per Christum liberatos, saluatosq;

A ve, detrectabant obedire, seruire recusabant. Vult autem Apostolus scandalum euertere, & impedimentum promouendi tollere Euangelij: vt & in feminis, exemplum sit castitatis, & in seruis, fidelitatis argumentum. Quicumque ergo sub iugo seruitutis sunt positi, dominos suos, quamuis ethnicos, perfectâ prosequantur reuerentiâ, debitaque obsequantur obedientiâ; ne male audiat disciplina, & doctrina Euangelica, imò prospere cedat & proficiat. [Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant quia fideles sunt & dilecti, qui benefitij participes sunt, &c.] Si autem inciderint in dominos Christianos, non illos minùs honorent, quòd fratres vocent reputentque; sed inde libentiùs

bentiùs seruiant promptiusq; quòd ministrant Christianis, Deo & Christo charis: quidni enim melius seruiant ac diligentiùs, vt qui amicitiæ ac beneficentiæ, maiora recipiant testimonia? [Neque enim quia baptismi gratiâ eum, qui tibi dominetur fratrem sis nactus, contemptui habendum censebis. Quin potius quia fidelis sit & dilectus, hoc est pro domino, fratris locum sortitur ob fidem, eo illi magis inseruies, præsertim cum in te sit idem beneficus.] Ita Commentarius Athanasij nomine editus. [Hæc doce, & exhortare.] Ita doce seruos, vt officium agnoscant suum: & eos exhortare, vt perficiant. [Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, &c.] Si quis doctrinam seminet institutis nostris dissentaneam, & qui non adhæret salutaribus de Christo & eius religione sermonibus, idest, ei quæ iuxtà verum Dei cultum est, institutioni: inflatus est sensu carnis suæ, verâ tamen ac solidâ destitutus scientiâ: idcircò circa futiles insanit quæstiones, merasque logomachias instituit, dum inanibus desipit concertationibus. [Ex quibus oriuntur inuidiæ, &c.] Dixerat eos νοσῶν, languidos, malè sanos, nunc morbos enumerat. Et primò ex anilibus illis quæstionibus, nascitur æmulatio, [Contentiones.] Tum & rixatio. [Blasphemiæ.] Probra ac conuicia. [Suspiciones malæ.] Malignæ inimicantium suspiciones. [Conflictationes hominum mente corruptorum.] Inutiles & superuacaneæ, imò & noxiæ hominum vanitate innatâ, aut aliâ infirmitate occupatorum exercitationes, [Et qui veritate priuati sunt.] Tam deest illis certa veritas, quàm & praua inest cupiditas. [Existimantium quæstum esse pietatem,] Quicquid enim dicunt, ad vtilitatem propriam referunt, pietatemque quasi rem excolunt fructuosam. [Dei enim cultutam, vt Ambros. loquitur, & pietatem quæstum existimant, non de futuro aliquid sperantes, sed quomodo in præsenti transigant prouidentes: sicut & mundanæ sectæ, quas constat propter præsentia lucra inuentas.]

Comment. Athanas.

Insaniunt qui sanæ contradicũt doctrinæ.

Ambrof. in Paulum.

[Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientiâ, &c.] Vis meliorem & excellentiorem quæstum facere? pietatem sequere, rebusque ad humanam vitam sufficientibus, animo vtere sobrio. [Isti dicunt quæstum esse pietatem: & ego dico: sed illarum diuitiarum, quæ dant sufficientiam. Et hoc consistit in duobus. In vno principaliter, scilicet pietate, quæ ordinat alia ad Deum, & proximum. Secundò, in sustentatione vitæ. Vnde dicit, Cum sufficientiâ: id est, in his quæ sunt necessaria ad vitam.] Ita apud Aquinatem. [Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus, &c.] Nihil infert homo de externis bonis, cum nascitur; profectò nihil etiam effert, cum moritur. [Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus, &c.] Quid exigendum est, tanquam ad hanc vitam transigendam necessarium? Pasci, & tegi. Haben-

Aquin. lect. 1.

A tes igitur quibus vescamur, & quibus protegamur, id est alimentum, & operimentum, contenti sumus, nec enim superflua sunt quærenda. [Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, &c.] Qui enim ditari volunt, incidunt in multiplices aberrandi peccandique occasiones, quibus tanquam retibus implicantur, dum à propriâ superantur concupiscentiâ. Hinc enim desideria multa, & absurda, & noxia, quæ mortem aduocant temporalem, B & in æternam perditionem præcipitant. [Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.] Cupiditas in Græco, φιλαργυρία. Auaritiæ vitium, studium pecuniæ: inde omnia & culpæ mala & pœnæ pullulantia. Multi etiam auaritiam sectati, à fide defecerunt Christianâ, & multâ se confixerunt tribulatione. [Pulchrè autem ait, Aberrauerunt à fide: non enim, vt dixit Chrysostomus, finit cupiditas iter aspicere, oculos in se attrahens, & sensim subducens. Sicut enim cum quis recto itinere gradiens, si in aliud C aliquid intendat animum, pergit quidem, sed sæpe, dum nescit, vrbem illam pertransit, ad quam properabat, pedesque frustra sui ministerium præbent: ita fermè in cupiditate contingit.] Sed iam ille sensus tropologiam inducit, & disponit ad anagogiam. Priùs tamen

Vita humana alimentis & tegumentis cõtenta.

Chrysost. Hom. 17.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

D QVam iubet subiectionem Apostolus, & quam prohibet concertationem? Quomodo enim serui Christiani omni honore dominos prosequentur ethnicos, id est impios? Aut quomodo languidi illi, dum acri certamine insectantur æmulos, nihil sciunt, qui nihil non concutiunt?

DISQVISITIO PRIMA.

De subiectione.

FActio illa fuit seruorum, capitolium, & E arcem occupantium, obsequium & subiectionem dominis suis denegantium, ideoque Euangelium & religionem violantium. [Si quis aliter docet, superbus est.] Seu, vt ex Græcis: [Si quis alterius doctrinæ est, inflatus est.] Iam igitur noua secta, quæ alteriùs doctrinæ, alterius sententiæ, quæ subiectionem dissuaderet, doceret elationem. Ratio, quia si filius nos liberat, verè liberati sumus, verè liberi; sed per illius gratiam Christiani sumus, ergo verè liberati, & verè liberi: Ita Stoïci sapientiæ suæ tribuebant, quod isti gratiæ vindicant Christianæ. [Solum sapientem liberum, vt ait Diogenes in Zenone; omnes malos, seruos.] Idcircò iugum in seruitute non recipiendum, aut maiore excutiendum virtute: moriendum denique potius, quàm

Senec. epist. 77. seruiendum. Senecam audiamus, Stoæ columnam. [Exempla, inquit, magnorum virorum me tibi iudicas relaturum? Puerorum referam. Lacon ille memoriæ traditur impubes adhuc, qui captus clamabat, Non seruiam, suâ illâ Doricâ linguâ, & verbis fidem imposuit. Vt primùm iussus est fungi seruili & contumelioso ministerio: afferre enim vas obscœnum iubebatur: illisum parieti caput rupit. Tam propè libertas est: & seruit aliquis? Ita non sic perire filium tuum malles, quàm per inertiam senem fieri? Quid ergo est, cur perturberis, si mori fortiter etiam puerile est? Fac tui iuris, quod alieni est. Non sumes pueri spiritum, vt dicas, Non seruio? Infelix, seruis hominibus, seruis rebus, seruis vitæ. Nam vita, si moriendi virtus abest, seruitus est.] Noua illa inter Philosophos hæresis, nouo suspensa paxillo: secta arrogans, quæ, vt aiunt, turbidos faceret & nugiuendulos; nobiles quidem verborum nouorum opifices, sed non tam rerum, quàm sermunculorum inuentores. Sensit ipse Seneca, esto non consensit. [Existimant huic philosophiæ fideliter deditos, contumaces esse, & refractarios, ac contemptores magistratuum & regum, eorumque per quos publica administrantur.] &, [Scio malè audire sectam Stoicorum, tamquam nimis duram, & minimè principibus regibusque daturam bonum consilium.]

Probra in Stoicam sectam iacta.

Sen. epist. 73.

Sen. lib. 2. de Clement. cap. 5.

Quales aliquando fuerint illi, nihil mea interest: sed si calumnia est, certum est ansam dedisse calumniæ. Non id patitur Apostolus, idcircò omnem calumniandi aut obtrectandi amolitur occasionem. Nam sicut liberis commisit erga reges & principes reuerentiam, sic & seruis imposuit erga dominos seu bonos seu malos obedientiam. [Quicumque sunt sub iugo seruitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.] Cauet religioni, dum prouidet seruituti: sed inde plaga crudior, quo durior iniuria. Quid enim magis horrendum ac præposterum, quàm vt seruus aduersùs caput domini sui subornetur, & quidem de horreis eius adhuc viuens, & sub virgis eius tremens? Quid magis indignum & iniustum, quàm vt quis ab eo scandalizetur, à quo debet ædificari; ab illo vulneretur, à quo debet instaurari? [Cum enim, vt ait Ambros. per Dei disciplinam serui dominis fidelia exhibuerint seruitia, fortè huic etiam ipsi se subijcient disciplinæ.] Ne igitur obloquantur infideles, auertanturque, videntes seruos Christianos contumaces rebellesque. [Commonefacio, inquit, (apud Athanas.) vt si vel infideles sint dominos nacti, morem illis vt serui gerant, & omni honore dignos, & re & verbis existiment. Neque enim quia Christi fidem exceperint, credant se liberos fore. Nam tum maximè detestarentur infideles Christi Domini hoc sanctissimum dogma, cum illud per fideles ipsos oppugnatum iri conspicerent. Quippe quòd ad tolerantiam & placabilitatem sectatores suos instituit, nec contumaces esse permittit. Quòd si benignos se serui præstiterint, & ad parendum faciles erunt, demirabuntur haud dubiè domini infideles, & ob-

Ambros. in Paulum.

Athanas. in Paulum.

Seruorum boni mores, quantum dominis vtiles.

A stupescent Christianæ religionis virtutem: quæ tanta sit, vt seruorum etiam mores, qui componi & castigari haud facilè possunt, tam faciles reddat, vt imperanti mox pareant.] Non ergo parui hæc causa momenti, vt ab Apostolo dissimulari potuerit, aut non debuerit Timotheo commendari. [Quid hoc ad episcopum pertinet? Multum planè, ait Chrysostomus, vt admoneat. Videmus illum vbique seruis magis quàm dominis imperantem. Illis quidem, vt cum magnâ mansuetudine seruiant dominis: dominis autem, Remittentes, inquit, minas.]

Chrysost. Hom. 1.

B Benè sit: nam si conditione serui sunt, ad seruiendum sunt obstricti: si religione Christiani, ad ferendum sunt addicti. [Hoc enim, ait ille, libertatis documentum est, seruire magis. Alioquin & Deus, & prædicatio ipsa blasphemabitur. Quippe infidelis si viderit fidei causâ illos superbire, blasphemabit dogma nostrum, tanquam seditionis causam.] Sed quomodo optimus pessimum venerabitur? quomodo sanctus impium omni honore dignum arbitrabitur? Si nihil omiserit ex iis quæ sunt debita, si ex integrâ & perfectâ seruierit obedientiâ; vt non ad arbitrium viuat particulare, sed herile attendat imperium.

Chrysost. Ibidem.

C [Dicit ergo, Quicumque serui sunt sub iugo: scilicet, (vt exponit Aquinas) propter seruilem conditionem, quæ dicitur iugum similitudinariè; quia sicut boues continentur sub iugo, vt non liceat eis ire quò velint, ita serui sub domino, vt non liceat eis, quod velint, facere. Serui ergo, omni honore, id est, debitâ reuerentiâ, dominos suos dignos arbitrentur. Qui infideles habent dominos, illis obediant, ne nomen Dei blasphemetur. Sed quomodo fidelibus? Quandoque contingit, quando familiaritas infimis exhibetur, quòd erigantur in superbiam. Et huius ratio est, D quia homines in talibus paralogizant: quòd si in vno vident se æquales, credunt quòd sint in omnibus æquales, & nolunt illis in aliquo subdi: & sic posset contingere, quòd serui videntes se in aliquo, scilicet fide æquales dominis, reputent se æquales simpliciter. Et ideò dicit, Non contemnant quia fratres sunt.] Ita Petrus. [Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc enim est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste.] Serui estis, igitur seruiendum est, non tantùm humanis dominis ac commodis, sed & prauis ac morosis. Christiani estis, E ferendum est, si inique tractemini, si dure colaphizemini: licet onera tolerare, recusare non licet imperia. [Sed si profanis dominis seruiendum, (ait Ambros.) totâ sollicitudine imperat Apostolus, quanto magis fidelibus? Tunc enim probat se timori Dei subiectum, si fideli & temporali domino toto animo fuerit obsecutus. Nec contemnendum putet, quia frater dicitur causâ communis fidei, quia magis corripiendus erit qui fidelem dominum contemnendum putauerit.] Quo enim melior est, eò, omni honore, id est perfectâ reuerentiâ, & integrâ dignior est obedientiâ.

Aquin. lect. 1.

Qui in vno se perspicit similem, citò se credit æqualem.

1. Pet. c. 2.

Ambros. in Paulum.

Quoad sophistas autem qui diuersam intrudebant doctrinam, & debitam soluebant obedientiam: respondendum est ex Apostolo & Ambrosio: [Non in indulgentiâ corporis, non in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis, non in desideriis erroris, sed in spiritu quo renouamur, esse viuendum.] Ad sanctitatem consecrati sumus, ad libertatem vocati: verùm illa sanctitas Iudaïca non est, sed Christiana: libertas illa carnis non est, sed mentis: quæ nec ipsis ignota Stoïcis; licet iactata potius, quàm vindicata. Quis enim alius finis, [Quàm animum nostrum in eam asserere libertatem, in quâ à patre & auctore Deo productus fuit: vt neque formidet quicquam, neque vllâ re doleat, neque vlli deteriori naturæ seruiat?] Vera est illa libertas, sicut & certa sanctitas, quam Christus non intulit tantùm, verùm & contulit; sed illam, & totam in fide, in charitate constituit: sicut mortalia non eripit imperia, sic & corporalia non euertit, sed potius statuit seruitia. [Libertate vtuntur serui, ait Athanas. cum à prauis sunt facinoribus liberi, corpore verò seruituti obnoxij. Quæ seruitus pro libertate habetur, cum eam pro Christi nomine quisque subierit.] Sed & eo nobilior illustriorque, quo digniùs meliusque Deo, vnico dominantium omnium Domino seruierit. [Si enim, vti dixit Chrysostomus, ita Paulus imperat obedire dominis, intuemini quo nos animo in Dominum nostrum esse conuenit, qui nos de nihilo vt essemus effecit, qui nutrit, qui vestit? Etsi ergo non aliter, saltem vt famuli nobis nostri, ita illi seruiamus. Nonne vitam illi omnem in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? Hoc illis opus est, illud studium, vt domino curent. Nonne illi, quæ Domini sunt, totâ die curant, sua verò diei vix exiguâ parte. Contrà verò nos, nostra quidem semper: quæ verò sunt Domini, neque minimâ curamus temporis parte: idque cum ille obsequiis non egeat nostris, sicut Domini famulorum, sed hæc omnia nostris commodis cedant. Illic enim ministerium famuli domino prodest, hîc autem serui obsequium domino nihil, seruo autem plurimum confert: Bonorum enim, inquit, meorum non eges. Erubescamus ergo, atque timeamus, si vt nobis famuli seruiunt, non ita Domino seruire studeamus, imò ne minimam quidem partem seruitutis ostendamus.] Sed hæc si nobis seruiunt, iam tamen à nostris recedunt.

Ambros. epist. 7. vers. fin.

Epict. in Ench.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. in Moral. Hom. 16.

Confusi ex solitis obsequiis Christiani.

DISQVISITIO SECVNDA.

De concertatione.

SIcut duplex doctrina, vna pacifica, contentiosa altera: sic & duplex doctorum genus: quorum alij nihil concertando, omnia sciunt: alij omnia concertando, nihil sciunt. Primum genus in Apostolo, & Timotheo. [Hæc doce, & exhortare.] Non dicit, Contende, & argutare: quid enim hæc ad morbum sanandum? Sed cum duplex sit & insita, nec tamen vnquam negligenda humanæ natu-

A ræ plaga: error scilicet in mente, languor in voluntate; duplicem etiam Timotheo suo committit facultatem, & nescientes informandi, & scientes adhortandi. Lex certè non disputat, sed præcipit; lenit tamen imperium, dum procurat officium. [Hæc omnia nos docet Apostolus (ex Chrysostomo) dum aliquando dicit, Præcipe ista, & doce: aliquando verò, hæc doce, & exhortare. Si enim medici infirmos exhortantur, non vt ipsi potiantur sanitate, sed vt illos ægritudine liberent, iacentesque subleuent: multò magis nos eâ regulâ vti debemus, & eos exhortari, quos docere debemus.] Secundum genus in iis, B apud quos omnia alia. Dicit Apostolus, [Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.] Quid illi? [Contrà.] Semper enim ad contradicendum parati sunt, id est aliter dicendum, incessanter contendendum: iis enim & vanitas inest inquirendi, & contendendi pugnacitas, & vincendi cupiditas. [Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, &c.] Aliter ergo docere, est non acquiescere, seu, vt habent Græca, non accedere sanis C sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quę secundùm pietatem est doctrinę. [Discrepantes à disciplinâ catholicâ, ait Ambros. spernendos pręcipit, maximè qui conuicti & correcti acquiescere nolunt perturbatione mentis prauę, qui contentionibus delectantur & pascuntur.] Qui vitam in litibus ponunt, scientiam in concertationibus constituunt.

Inde igitur primò, Qui talis est, superbus est, elatus, tumidus. Qui enim sententiam suam pręponit sermonibus sanis, in quibus, [Nihil est corruptionis, vt Aquinas loquitur, D nihil falsitatis, vel peruersitatis:] Suę fidit prudentię, & intellectum suum aduersùs veritatem erigit pietatemque. [Elatus enim vinci se non patitur, ait Ambros. quippe cum ad fauorem quærendum in conflictum prorumpat: quod à mansuetis & bonis viris vitandum est.] Id est, mitibus & humilibus. Secundò, nihil scit, sed scire se præsumit: inflatus quidem ac distentus vento vanitatis, sed testimonio destitutus veritatis: neque enim vera ac solida inflat scientia, sed præsumpta ac vana. [Si quis aliter docet, & non accedit sanis sermonibus: inflatus est, nihil sciens. Non igitur, ait Chrysostomus, scientia in superbiam attollit, sed ignorantia potius. Nam qui E sermones pietatis scit, hic omnium maximè humilis est. Qui sanam doctrinam nouit, ille non inflatur. Quod enim in coporibus tumor, hoc in animabus superbia est. Est igitur & aliquid scientem nihil scire. Qui enim ignorat quæ scire oportet, nihil scit. Quod autem ex ignorantiâ fastus oriatur, hinc liquet. Christus semetipsum exinaniuit: qui hoc scit, quando superbire poterit? Quid enim habet homo, quod à Deo non acceperit? Non ergo superbias. Quid enim habes, quod non accepisti?] Tertiò, languet circa quæstiones &

Chrysost. Hom. 17.

Nescientes informandi, scientes adhortandi.

Ambros. in Paulum.

Aquin. lect. 1.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. Hom. 12.

Tumor non ex vera scientia, sed ex ignorantia.

se habere omnia : & ex istâ parte, auaritia est radix omnium malorum.] Tertium denique, quamuis per radicem passim intelligamus originem : [Dicitur tamen cupiditas radix, & superbia initium. Eccles. 10. Initium omnis peccati est superbia, quia superbia dicit corruptionem animi ad recedendum à Deo : Arbor autem à radice habet alimentum ; & sic peccatum à cupiditate ex parte conuersionis ad bonum commutabile sumit nutrimentum.] Superbia, est appetitus propriæ excellentiæ, cui cedunt omnia : auaritia, est appetitus pecuniæ, cui obediunt omnia. Illa continet omnia peccata, ista fouet: illa superbè auertit hominem, ista inordinatè conuertit ; illa omnia inuexit mala, ista innutriit. Ita Augustinus de animabus sapientibus : [Ab honorum, inquit, potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodicâ cupiditate se abstineant : sed amorem pecuniæ totius suæ spei certissimum venenum esse credant.] Qui enim appetit pecuniam, nihil non audebit, nihil non tentabit: quas non committet fraudes & impietates, in quas non proruet cædes, contentiones, seditiones ?

Ang. l. 2. de ordine, c. 8.

Quoad secundum. Auarus amittit omnia bona spiritualia [Ostendit id per experientiam Apostolus, cum dicit, Quam quidam appetentes, errauerunt à fide. Cuius ratio est, ait Aquinas, quia per sanam doctrinam fidei prohibentur multa lucra illicita, à quibus desistere nolunt, & inueniunt sibi aliam doctrinam, vbi eis sit spes salutis.] Sed dum priuatum quærunt commodum, omnimodum incurrunt exitium. [Meritò, ait Augustinus, initium omnis peccati superbiam Scriptura definiuit : cui testimonio non inconuenienter aptatur etiam illud quod Apostolus ait: Radix omnium malorum est auaritia : si auaritiam generalem intelligamus quâ quisque appetit aliquid amplius quàm oportet, propter excellentiam suam, & quendam propriæ rei amorem : cui sapienter nomen Latina lingua indicit, cum appellauit priuatum, quod potius à detrimento, quàm ab incremento dictum elucet. Omnis enim priuato minuit. Specialis est autem auaritia, quæ vsitatius appellatur amor pecuniæ. Proinde peruersus sui amor priuat sanctâ societate turgidum spiritum, eumque coarctat miseriâ iam per iniquitatem satiari cupientem. Hinc cum alio loco dixisset Apostolus, Erunt enim homines seipsos amantes, continuò subiecit, Amatores pecuniæ : ab illâ generali auaritiâ, cuius superbia caput est, ad hanc specialem descendens quæ propria hominum est. Nec enim essent etiam homines amatores pecuniæ, nisi eò se putarent excellentiores quo ditiores. Cui morbo contraria charitas non quærit quæ sua sunt, id est, non priuatâ lætatur excellentiâ.] Qui ergo priuatum amat, seipsum priuat ; & dum lucrum quærit & emolumentum, damnum incurrit. [Quam quidam appetentes errauerunt à fide.] Appetunt bona temporalia, & amittunt spiritualia : quia vero spiritualia bona in fide radicata sunt, tandem ab illâ tanquam à radice deficiunt. Sumamus exemplum in Iuda proditore. [Iudam, ait Tertullianus, aliquandiu

Aquin. lect. 3.

Aug. l. 11. de Gen. ad lit. cap. 15.

Qui priuatũ amat, seipsũ priuat.

Tertul. l. de Anim. c. 11.

A cum electis deputatum vsque ad loculorum officium, &, si iam fraudatorem, traditorem tamen nondum, postea diabolus intrauit.] Primò quidem fraudator, postremò traditor : primò charitatem reliquit, tum & fidem perdidit. [Ordo enim generationis, vt obseruauit Aquinas, & corruptionis est contrarius : quia quod est primũ in generatione, est vltimum in corruptione.] Primum in generatione, est fides ipsa, quia sine fide impossibile est placere Deo : idcircò, vltimum est in corruptione : primò enim opprimitur charitas, tum & fides extinguitur. Bonus Iudas vsque ad loculorum officium : sed hinc subrepit auaritia, malorum omnium causa : sed etsi fraudator, nondum tamen proditor : etsi enim cupiditatem admiserat, & expulerat charitatẽ, nondum tamen fidem abiecerat. Sed Christum tandem prodidit quia non credidit Deum ; & dum se inordinato bonorum temporalium studio infecit, defecit ab officio. [Ammixtus Apostolis (ita Hilarius) & curam pauperum agens appropiauit cor suum : non vtique ministerio fidei, sed iræ Dei.] Quid enim superest post fidei iacturam, nisi iram incurrere Dei? quid lumine extincto, & euulso bonorum germine, nisi aberrare, nec tam carpere viam, quàm ruinam super ruinam addere ? [Neque enim, vti dixit Athanas. sinit cupiditas hæc vt salutis via cernatur. Nam quo pacto Euangelio fidem præstiterit pecuniis inhians, cum paupertatem illud indicat, & hanc vt sectemur suadeat ?] Dum igitur deficiunt à fide, bonorum omnium spiritualium damnum ineunt, nec charitatis duntaxat faciunt iacturam, sed & curam salutis abiiciunt.

Aquin. lect. 3. in cap. 3.

B

Hilarius in Psalm 54.

C

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Pecuniarum amatores, miseriarum omnium illices : non tantùm enim omnia amittunt bona spiritualia, sed & omnia mala subeunt corporalia. [Aberrauerunt à fide, & seipsos immiscuerunt doloribus multis. Duo ponit extrema : (ait Chrysostomus) sed D quod illis maximè durum videbatur, hoc secundo loco posuit ; videlicet doloribus multis Quod illi in primis norunt qui diuitibus vicini sunt, audiuntque strepitu, lamentatione & ploratu sæpè cuncta resonare. Circundederunt seipsos doloribus multis. Vides quid significare voluerit ? Spinarum, inquit, in morem, quacumque ex parte tangantur, cruentant manus, & vulnera infligunt. Quibus enim curis anguntur auari, quibus doloribus cruciantur, quis explicare queat?] Verbum apud Græcos significat configere, transfigere. [Sunt namque, ait Athanas. sentibus similes curæ diuitiarum, vt testatus est Dominus. Quæ vndequaque vbi ipse attigeris, innatis aculeis ma-E nus cruentant, infliguntque vulnera & doloribus angunt.] Inferunt ergo se doloribus multis, dum se curis innumeris angentibus pungentibusque transfixerunt. [Spinæ enim sunt vti dixit Gregorius, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant : & cum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.] Quàm importunæ diuitiæ, quæ semper pungant, semper angant ; siue manserint, siue etiam abierint. [Quia est sollicitudo in acquirendo, vt notat Aquinas, timor in possidendo, dolor in amittendo.] Ita Iob : [Cum

Chrysost. Hom 17.

Diuitiæ, spinæ sunt angentes pungentesque.

Athanas. in Paulum.

Gregorius Hom 15. in Euang.

Aquin. lect. 3.

Gregorius li. 15. Moral. cap. 13.

satiatus fuerit arctabitur. Prius quippe, vt explicat Gregorius, anhelat per auaritiam concupita congregare. Et cum quasi in quodam ventre auaritiæ multa congesserit satiatus arctatur: quia mens auari quæ prius ex abundantiâ ad requiē quæsierat, post ad custodiam grauius laborat: & dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Diuitis enim cuiusdam vberes fructus ager attulerat, sed quia vbi eos tantos reponeret non habebat, dixit: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Vnde hic quoque subditur: Æstuabit, & omnis dolor irruet in eum. Prius namque dolorem habuit in ipsâ suæ concupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret: at postquam acquisitis rebus peruenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cum sollicito timore custodiat, quod cum graui labore meminit acquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atque se hoc perpeti quod ipse fecit aliis, pertimescit. Omnis ergo dolor super eum irruit, quem & prius pœna concupiscentiæ postmodum vero cura premit custodiæ.] Quanti dolores, & quàm amari, quibus spes inquieta, & nulla requies. [Fugiamus itaque malorum radicem, & omnia vitabimus. (ita absoluo ex Chrysostomo) Paulus loquitur, imò in eo loquitur Christus: Radix omnium malorum est cupiditas. Quid enim mali non pecuniæ faciunt, imò non pecuniæ quidem, sed, sed mala voluntas ipsis vti nescientium? Tolle itaque pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt. Conquienit bellum, cessauit pugna, inimicitiæ in gratiam redeunt, sedatæ sunt hæreses & contentiones omnes. Nonne enim harum gratiâ rapimus? non inimicitias subimus? non conserimus rixas? non contentiones perpetuas teximus? Nonne harum causâ instituta sunt iudicia?]

Chrysost. in Moral.

ANAGOGIA.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientiâ.

QVæstum quærunt omnes, appetuntque velut necessitatis humanæ subsidium, & infirmitatis suæ solatium: sed ibi quærunt, vbi exitium potius inueniunt quàm remedium. Nam quæstum volunt, vt excellentes sint & felices, cum tamen inde & probrosam corruptionem incurrant, & æternam conquirant damnationem.

Chrysost. ibidem.

Quoad 1. Omnes quæstum volunt & quæstū magnū omnes quærūt. [Quos enim insimulē, ait Chrysostomus, nescio: adeò hæc pestis, & pecuniarum rabies, omnes infecit, alios plus, alios minus, vt nullus fermè sit insons. Sicut enim flamma vehemens, vbi in syluam incidit peruertit omnia, & desolatur: ita & ista orbem destruxit vniuersum. Reges, principes, priuati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes æquè hac lue detinentur: ac veluti caligo quædam totum orbem obsederit, nemo est qui resipiscat: etsi innumeris quotidie auaritiam insectemur maledictis, nullus tamen emendare vitium studet.] Vult & clericus quæstum, vult & monachus, & quæstum magnum. Obsequantur dictis, & votis potiantur. [Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientiâ.] Quidni quæstus magnus, cum sufficiat ad necessitatem, vt promissionem eius quæ nunc est accipiat vitæ simul & futuræ? [Magnas diuitias, ait Ambros. & acquisitionem in eo dicit, si quis fidelis suo contentus sit. Pius enim & in semetipso & in ceteris est, qui misericordiam Dei acquisiturus ad futuram vitam, ad præsens sufficere sibi putat quod habet, non dubitans ex eo largiri.] Ita, [Inest quidem pietati lucrum, (sic Athanas.) nequaquam tamen cuiusmodi hi opinantur, sed longè præstantius: quandoquidem lucrifacere pietas dicitur, non cum pecuniis affluit, sed cum his caret. Sufficientia enim & quod sat est, ingentium opum & stabilium loco ducitur.] Infinitus ille thesaurus quo qui vsi sunt, non solùm amicitiæ participes diuinæ, sed & misericordiæ compotes: quæ non in congerendo posita, sed in largiendo; & eo ditior existimata quo liberalior. [Fas enim est, ait Chrysostomus, pecuniis sicut oportet vti, licet per ipsas regnum cœleste possidere. At nunc quæ in vsum pauperum; nostrorum remedia peccatorum, ad promerendam gratiam Dei collatæ sunt nobis: eis nos contra inopum miseriam, imò veriùs contra nostras animas in offensionem diuinæ vtimur maiestatis. Quid ergo fieri oportet, vt huiusmodi extinguamus incendium? Possumus nempe, etiamsi ad cœlum vsque pertingat. Voluisse solùm, superasse est flammam. Sicut enim voluntate nostrâ aucta est, ita nihilominus nostrâ voluntate destruitur. Nonne hanc nostra succendit electio? eandem prorsus extinguere poterit, si modò velimus. Vnde autem nobis huiusmodi velle proueniet? Si quàm sit inanis & superflua videamus. Denique non valet comitari ex vitâ abeuntes, & hic quoque nos sæpè dimittit, & quidem cum hic ipsâ permaneat: neque nobiscum migret, neque comitetur abeuntes. Vnde id constat? Quia nihil habentes in mundum venimus, nihil item habentes proficiscimur. Nuda namque natura nostra prodiit, nuda discedit: non ergo superfluis opus habemus, si nihil intulimus, neque habentes aliquid proficiscemur. Habentes inquit, escas, & operimenta, his contenti erimus.] Sic flamma humanæ extinguenda concupiscentiæ.

Ambros. in Paulum.

Athanas. in Paulum.

Chrysost. in Mor.

Quomodo flamma auaritiæ humanæ extinguenda.

Quoad secundum. Aliud est diuitias habere, aliud diuitias diligere: multi enim possident, qui se non inde meliores censent aut excellentiores, qui autem diligunt, inde se digniores præsumunt præstantioresque [Non dixit Apostolus, diuites autem: sed qui volunt diuites fieri. (ita Chrysostomus) Sunt & qui pecunias habentes, eas ritè dispensent, ac adspernentur, easque pauperibus diuidant: profectò non eos qui sunt huiusmodi, sed cupidos notat. Qui autem, inquit, volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa stulta & nocentia.] Et hoc mirum, quòd inde se præsumant meliores excellentioresque, & inde peiores euadant im-

Chrysost. Hom. 17.

Aquin lect. 1. perfectioresque. [Perfectio enim hominis est, (vt aduertit Aquinas) quòd cor eius congregetur in vnum: quia quanto aliquid est magis vnum, tanto est Deo similius, qui verè vnus est. Sed contra hoc patitur, quærens diuitias, quia cor eius trahitur ad diuersa.] Verè ille excellebat, nec tam diuitiis, quàm meritis, dum dicebat: Vnam petij à Domino. [Fœminino genere appellauit quoddam beneficium, (Augustini verba sunt) tanquam diceret, Vnam petitionem. Et quomodo solemus loquentes dicere, verbi gratiâ, duas habes, non dicimus duo: hoc more loquendi vsa est Scriptura, Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram Videamus quid petit qui nihil timet. Magna securitas cordis. Vultis nihil timere? Hanc vnam petite, quam vnam petit qui nihil timet: aut quam petit vt nihil timeat. Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requiram. Hoc hîc agitur ab eis qui benè ambulant. Quid est hoc? Quæ est illa vna? Vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ. Hæc est vna: domus enim ea dicitur vbi semper manebimus. In istâ peregrinatione dicitur domus, sed propriè tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium & quodammodò militantium & aduersùs hostem pugnantium est. Quando ergo tabernaculum est in hac vitâ, manifestum est quia est & hostis: nam inde dicuntur contubernales, quia simul habent tabernacula: & nostis hoc nomen esse militantium. Ergo hîc tabernaculum, ibi domus. Quid autem acturi simus in illâ domo, habes euidenter expressisse alium Psalmum: Beati qui habitant in domo tuâ, in secula seculorum laudabunt te. Hæc iste, si dicendum est, cupiditate ardens, & amore isto æstuans, desiderat omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare. In domo Domini omni dies vitæ suæ, non quasi finiendos, sed æternos. Sic enim dicuntur dies quomodo anni, de quibus dictum est: Et anni tui non deficient. Nam dies vitæ æternæ vnus dies est sine occasu. Hoc ergo dixit ad Dominum: Concupiui hanc: Vnam petij: Hanc requiram. Et quasi diceremus ei, & quid ibi facturus es? Quæ ibi delectatio tua? Quod auocamentum cordis? Quæ illæ deliciæ? Vnde gaudia suppetent? Non enim ibi perdurabis nisi felix eris, Felicitas autem autem illa vnde succedit? Habemus enim hic felicitates diuersas generis humani, & miser quisque dicitur quando illi subtrahitur quod amat. Amant ergo homines diuersas res: & quando quisque quod amat habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix est, non si id habet quod amat; sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Cum autem id amamus quod vult Deus vt amemus, proculdubiò daturus est nobis. Hæc est illa vna quæ debet amari, vt habitemus in domo Domini per omnes dies vitæ nostræ. Sed audi quid ibi agitur. Vt contempler delectationem Domini. Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari.] Cetera desideria, non so-

Augustin. Enarrat. 1. in Psal. 26 post init.

Multi miseri habendo potius quod amāt quàm carendo.

A lùm inutilia sunt, sed & noxia; nec stulta tantùm, sed & perniciosa. [Hæc enim profectò omnia: vt dixit Athanas. nec sanæ sunt mentis, & officiunt plurimum, animæque obsunt thesauris.] Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Deiecti sunt dum alleuarentur, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus, dum abeuntes delicias, dum fugientes prosequerentur diuitias. [Incidunt in desideria nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: Benè, ait, Mergunt (ita Chrysostomus) adeò vt emergere, & resipiscere nequeant. Mergunt in interitum & B perditionem, & huius temporis & futuri.] Dixi delicias abeuntes, aut fugientes diuitias: quia sicut inter delicias castitas nutat, sic & inter diuitias labat humilitas. Imo diuitiæ ipsæ non minùs deliciis procurant, quàm commodis; & dum procurant non minùs castitati parentant, quàm sanctitati. [Difficile, ait Tertullianus, in domo Dei diues, ac si quis est, difficilè cælebs.] Inde, vt & ille notat, semper pauperes à Christo iustificati, diuites prædamnati. [Si Væ creatoris est, quod in diuites spectat, ergo Christus non est diuitibus offensus, sed creator: & ratas Christus habet diui- C tum causas, superbiam dico, & gloriam, seculi studia, & Dei incuriam, per quæ Væ merentur à creatore. Sed quomodo non eiusdem sit diuites reprobare, qui suprà mendicos probarit? Nemo non contrarium eius quod probauerit reprobat. Itaque si creatori deputabitur maledictio in diuites, eiusdem defendetur benedictio in mendicos, & totum iam opus Christi, creatoris est. Igitur Væ, si & vox maledictionis est, vel alicuius austerioris inclamationis, & à Christo dirigitur in diuites, debeo creatorem diuitum atque aspernatorem probare, sicut probaui mendicorum aduocatorem. Quamquam enim & diuitias præstare, non incongruens Deo sit, per quas & diuites solatio D iuuantur, & multa inde opera iustitiæ & dilectionis administrantur. Sed accidentia vitia diuitiis, illa in Euangelio quoque, et diuitibus, adscribunt: Quoniam, inquit, recepistis aduocationem vestram. Vtique ex diuitiis, de gloriâ earum, & secularibus fructibus. Sic Deus comminabundus & alibi nobilibus & superbis: Dilatauit orcus animam suam, & aperuit os suum, & descendent inclyti & magni & diuites: (hoc erit Christi væ, super diuites) & humiliabitur homo, vtique exaltatus diuitiis: & inhonorabitur vir, vtique ob substantiam honorabilis.] Diuitiæ quidem malæ non sunt, sed illecebrosus earum vsus, & in corruptâ naturâ vix bonus: cum nunquam, aut E vix sine affectu prauo possideri possint, sine misero exitu retineri. Ita Iob. 5. [Vidi stultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Quasi enim, vt ait Gregorius, firmâ radice stultus in terrâ figitur, qui totis desideriis in terreno amore solidatur. Vnde & primus Cain ciuitatem in terrâ construxisse dicitur: vt apertè monstraretur, quia ipse in terrâ fundamentum posuit, qui à soliditate cœlestis patriæ alienus fuit. Benè ergo dicitur, Maledixi pulchritudini eius statim. Pulchritudini quippe stulti maledicere, est eius gloriam

Chrysost. Hom. 17.


Tertul. lib. 2. ad vxo. c. 8.

Tertull. an. l. 4. aduers. Marc. c. 15.

Vitia diuitijs vt plurimū accidentia.

Gregor. l. 4. Moral. c. 6.


ex considerata damnatione iudicare; quia eo attociùs in tormentis obruitur, quò altius in peccatis eleuatur. Qui honoratur in viâ, in peruentione damnabitur. Et quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis A vitæ prospera ad interitum tendit.] En ergo quò perueniunt illi, qui volunt diuites fieri: mortem accelerant immaturam, & æternam comparant damnationem.



PARS ALTERA,

DE IPSO TIMOTHEO.

TEXTVS.



TV autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, & confessus bonam confessionem coràm multis testibus. Præcipio tibi coràm Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: vt serues mandatum sine maculâ, irreprehensibile, vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium sempiternum. Amen. Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circà fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

TImotheum auertit ab auaritiâ, ne in laico Christiano ferenda multo minùs in episcopo, & ad sectandam impellit iustitiam. Depositum commendat, & votum oblatâ obsignat gratiâ.

[Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, &c.] Tu autem qui Deo addictus non seculo, ideoque totus in ea quæ Dei sunt intentus, longè sis etiam ab his vitiis alienus; sed oppositas potius prosequaris virtutes, iustitiam, quæ sua cuique reddit; pietatem, quæ tanto maiori fructu Deum colit, quanto minori quæstu, fidem, quæ bona ostendit cœlestia; charitatem, quæ non quærit sua; patientiam, quæ penuriam tolerat & iniuriam; mansuetudinem, quæ iram mitigat. [Vtrumque, ait Athanas. (Athanas. in Paulum.)

A augendo expressit: neque enim dixit, abscede & veni, sed fuge & sectare iustitiam: vt non pari corripiaris cupiditate, quâ & ij qui diuitias expetunt capiuntur. Si enim damnandum id in homine seculi, quanto magis in homine Dei reprobandum? [Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, & confessus bonam confessionem coràm multis testibus, &c.] His instructus virtutibus, Euangelici ministerij cursum perages ita feliciter constanterque, vt, in palmam, accipias vitam æternam, ad quam à Christo Domino inuitatus es, & ob quam cum illo de sedulitate ac fidelitate coràm pactus es. [Præcipio tibi coràm Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, &c.] Præcipio tibi in conspectu Dei, qui viuos seruat, & mortuos à morte reuocat: coràm Christo Iesu, qui sub præside Pilato, testatam fecit veritatem, dum suo sanguine

Deus in hac vita nec visus, nec videndus.

ne subsignauit. [Vt serues mandatum sine maculâ, irreprehensibile, vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium, &c.] Hoc ergo est quod coràm tantis testibus, coràm tantis vindicibus præcipio, vt quæ trado, perfectè ac integrè custodias, vsque ad vltimum Christi Domini aduentum, ne quam ibi reprehensionem incurras ob maculam transgressionem-ve. Christum enim cum potestate magnâ, & multa maiestate iudicaturum, præsignatis temporibus, manifestum faciet ille qui beatus & solus potens: Rex regnantium, & Dominus dominantium: per quem scilicet regnant reges, & principes imperant. [Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; cui honor, & imperium sempiternum. Amen, &c.] Qui cum sit vita per essentiam, nulli obnoxius est mortalitati: qui cum lux sit mortalibus inaccessibilis, nunquam in hac vitâ visus est, videndus tantùm in patriâ. Cui ab omnibus honor reddatur, & imperium eius agnoscatur ab omnibus sempiternum. Ita fit. [Conuenienter omninò, ait Chrysostomus, ac necessariò hoc in loco de Deo plura disseruit: quia enim ipsum adduxerat testem, plurima de testis dignitate proloquitur, vt eum discipulus amplius reuereatur.]

Chrysost. Hom. 18.

[Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, &c.] Sunt diuites in Deum, sunt & diuites iuxta seculum qui substantiam huius mundi possident, & ad pompam tenent & gloriam. Præcipe igitur diuitibus huius seculi, non attolli, aut superbo efferri animo: cur enim tantum confidant in bonis terrenis, aur clypeum ex incertis diuitiis extruant? [Sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum)] Quidni potius fidciam in eo collocent suam, cuius tam liberalis munificentia, quàm vita inuariabilis, quidni ex ipso, & corporis subsistentiam sperent, & cordis lætitiam? [In ipso sperandum est, ait Ambros. quia ipse præstat quæ vsibus sunt necessaria: non in ipsis copiis, sed in auctore earum. Quæ enim spes videtur in re caducâ atque incertâ? Quippe cum aliquanti ex his discedant: qui autem in his manere videntur, nullum lucrum ex his capiunt in futurum, sed damnum, nisi cum indigentibus partiantur. Sic superbos faciunt, quasi immortalitatem polliceantur. Non tamen æternæ sunt, vt futuræ vitæ præponantur.] Incertæ sunt ac caducæ. [Benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thezaurisare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, &c.] Illis præcipe, vt diuitias suas nec in thesaurum condant, nec ad fastum extundant, sed in pia expendant opera, vt quo liberaliores, eo veris copiosiores fiant diuitiis. Itaque prompti sint ad dandum ac faciles, velintque suas opes, non tam proprias, quàm omnibus communes fratribus: thesaurum sibi ex diuitiis suis conflent meritorum, quo sibi vitam pro præmio promisso affirment

Ambrof. in Paulum.

A æternam. [Thesaurus spiritalis est congregatio meritorum, quæ sunt fundamentum futuri ædificij, quod nobis præparatur in cœlo: quia tota præparatio futuræ gloriæ est per merita, quæ acquirimus per gratiam, quæ est principium merendi.] Ita Aquinas in Commentario. [O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt, &c.] Hæc tibi commendo, fili Timothee, sed commendatam ac depositam doctrinam, & ad alios transmittendam episcopos, fideliter serua inuiolabiliterque, idcircò deuita profanas vocum nouitates, tam maiestati derogantes

Aquin. lect. 4.

Mundanam professi scientiam, tam infidelitati, quam & errori obnoxii.

B mysteriorum, quam antiquitati. Reiice ac contemne obiectiones omnes, aduersùs sanã doctrinam sub ementito certæ scientiæti tulo insurgentes, quam quidam professi circa fidem exciderunt, dum inciderunt in errorem. [Gratia tecum. Amen] Gratiam apponit in clausulam. [Tanquam dictorum omnium conclusionem, ait Athanas. gratiam illi Domini comprecatur, qua bona omnia & donantur & custodiuntur. Velim itaque & nos his bonis fruamur, quæ à gratiâ hac vbertim accepimus, nil tamen his imminutis, sed auctis potius, & Christum Iesum gratiarum elargitorem summis laudibus efferamus; patremque simul & Spiritum, cui laus sit in æternum

Athanas. in Paulum.

C & gloria.]

DISQVISITIONES DOGMATICÆ. *in litteram.*

EX hypographe codicum Græcorum. [Missa fuit ex Laodiceâ, quæ est Metropolis Phrygiæ Pacatianæ.] Sed nondum Laodiceam ipsam adierat Paulus, cum hanc scribebat epistolam, vt patet ex capite secundo ad Colossenses. Paulum verò, cum esset in Macedoniâ, eandem primam ad Timotheum scripsisse epistolam, affimant Athanasius in Synopsi, &

D Theodoretus præfatione in epistolas Pauli; nec aduentum priorem, sed posteriorem ipsæ res indicant. Postquam enim sedatus est Ephesiorum tumultus, vt habes apud Lucam, Actuum vigesimo, recedens Epheso, constituit episcopum Timotheum; tum in Macedoniam ipsam profectus est; è quâ paulò post, hanc scripsit Epistolam, discipulumque amantissimum, de opere bono, seu ecclesiastico munere instituit. Si quid vltra disquiri potest, nihil tamen vltra potest definiri. Sed quærendum de iis quæ sunt Timothei. Sit ergo.

Athanas. in Synop. Theodoret. in præf.

E

DISQVISITIO PRIMA.

De confessione.

TImotheus, quidem vt habes in Catalogo, martyrio coronatus est. Cum enim sacrificium, quod vni Deo debetur, fieri dæmonum simulacris ferre non posset; populum Ephesinum, Dianæ in eius celebritate immolantem, ab illâ impietate remouere conatus,

Sophron. in Catal.

lapidibus obrutus est: ac penè mortuus à Christianis ereptus, & in montem oppido vicinum delatus, obdormiuit in Domino. Verùm ad viuum scribit Paulus, imò & nouellum episcopum, cum ait: [Confessus es bonam confessionem coràm multis testibus.] Confessores olim vocabantur, qui tentati de fide, Christum Dominum confitebantur liberè, nec non intrepidè illa perpetiebantur tormenta, etiam vsque ad sanguinem, sed citrà mortem: licet enim tenebantur martyres, non tamen dicebantur consummati, quia nondum coronati.

Confessores probati, nondum martyres consummati.

Ita Cyprianus i Cornelio: [Exprimi satis non potest, inquit, quanta ista exultatio fuerit, & quanta lætitia, cum de vobis prospera & fortia comperissemus, ducem te illic confessionis fratribus extitisse, sed & confessionem ducis de fratrum confessione creuisse; vt dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri.] Et ad confessores: [Non statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat. Dominus hoc magisterio docuit, dicens: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Puta autem illum & confessori suo dicere: Ecce confessor factus es iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.] Quid ergo sibi vult Paulus, cum ait, [Confessus es bonam confessionem in spe vitæ æternæ? Ipsius Timothei confidentiam, (Textus & sensus Chrysostomi) fortitudinemque commendat, quia cum fiduciâ coràm omnibus confessus est. Non itaque solâ confessione opus, verùm tolerantiâ quoque vt semper in confessione permaneat, & certamine vehementi, infinitisque sudoribus.] Illa vera confessio, quæ fit non solùm oris contestatione, sed & perpessione corporis, & sanguinis effusione: & ille dignus Christi confessor, qui non solùm verbis, sed & plagis Christum loquitur, & ad martyrium iam prægustatum accingitur. [Alios ignis, ait Tertullianus, alios gladius, alios bestiæ Christianos probauerunt. Alij fustibus interim & vngulis insuper degustata martyria in carcere esuriunt.] Proba ista & bona confessio, si per illam probatus est Timotheus, Christum in tormentis ipsis confessus.

Cyprian. l. 1. epist. 1.
Cyprian l. 1. epistol. 5.
Chrysost Hom. 17.
Tertul. l. de Scorp. c. 1.

Triplex ratio suadet illam esse bonam Timothei confessionem. Prima est, quia proximè dixerat Apostolus. [Certa bonum certamen fidei.] Seu, vt ex Græco: [Agoniza bonum agonem fidei.] Quid est autem bonum fidei certamen certare, seu agonizare bonum agonem fidei, nisi bonam fidei confessionem, coràm multis testibus, & in mediis certaminibus edere? Altera ratio, quia de Christo subdit: [Qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem.] Seu, ex Græco, [Qui testatus est bonam confessionem. [Dum scilicet passus est. Tertia denique, quia illi vt plurimum, ex multis ad episcopatum prouecti. [Sperauerat episcopatum Valentinus, (verba Tertulliani) quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex martyrij prærogatiuâ loci potitum indignatus.] Id est, ob martyrium, sibi prælatum. Sic ille Praxeas: [De iactatione martyrij inflatus, ob solum & simplex & breue carceris tædium.] Illi quippe suprà ceteros exaltati, honoris omnis ac dignitatis candidati. Ita Timotheus, [Vocatis discipulis] Ex quibus ille vnus erat, non tantùm propositus est omnibus, sed & omnibus præpositus. Dixi, Suadet: non tamen & persuadet. Nam incipiendo ab vltimâ ratione: hoc ipsum quæritur, an passus sit Timotheus, nec pro ratione poni debet, quod adhuc vertitur sub quæstione. De primâ ratione, vult quidem Apostolus bonum certamen certari, sed agon ille athleticus est: seu cursus pugilum in brauium protensus. [Apprehende vitam æternam in quam vocatus es.] Quasi ad brauium supernæ vocationis, seu ad destinatum supernæ scopum hæreditatis. At illa certamina incruenta sunt, gloriam non vitam tentantia. De mediâ denique ratione, Christus non martyribus solùm, sed & fidelibus omnibus in exemplum propositus est. [Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ.] Et nobis, & vobis. Hæc nimirum regula quam sequantur fideles omnes, forma cui imprimantur. [Dicente enim Apostolo: (verba Leonis) Si compatimur, & conregnabimus: quis verè Christum passum, mortuum & resuscitatum colit, nisi qui cum ipso patitur, moritur & resurgit? Et hæc quidem in omnibus Ecclesiæ filiis ipso iam regenerationis sunt inchoata mysterio, vbi peccati interitus, vita est renascentis; & triduanam Domini mortem imitatur trina demersio, vt dimoto quodam aggere sepulturæ, quos veteres suscipit sinus fontis, eosdem nouos edat vnda baptismatis.] Dum scilicet Christianos facit, seu fideles, id est nouos homines.

Tertullian. l. aduers. Valent. c. 4.
Tertullian. lib. aduers. Prax. cap. 1.
Christus in exemplum omnibus propositus.
1. Pet cap. 2.
Leo ser 19. de pass. Dom. in med.

Dici itaque posset Paulum de baptismo potius intelligendum, quàm de martyrio. Quæ est enim bona confessio? Ea videlicet, ait Athanas. quâ profitemur fore à satana abscedendum, & vitam cum Christo ducendam.] Ita ex Dionisio. [Qui super mundanorum diligit sanctam paticipationem, veniens ad aliquem doctum mysteriorum, suadet quidem ipsum ducem fieri vitæ ad hierarcham. Ipse autem totaliter se obsequuturum promittit, quæ tradentur: & rogat, & adductionis ipsius & vniuersæ sequuturæ vitæ magisterium recipere. Post hæc sanctam osculatus mensam, ad virum præsentem procedit: & quærit ab ipso, quid volens venit. Illo autem cum Dei amore, secundùm susceptoris traditionem, accusante impietatem, ignorantiam verè pulcri: quæ in Deo est, ipsi conuersationem recitans, & interrogans, an ita sit conuersaturus, post confessionem imponit ipsius capiti manum, & signans præcipit sacerdotibus describere virum & susceptorem. Deinde statuens ad occidentem attendentem, & manus impingentem ad eandem conuersas regionem, præcipit quidem ipsi exsufflare ter satanam, & amplius ea quæ sunt abrenuntiationis confiteri. Et ter abrenuntiationem ipsi testificatus, postquam confessus fuerit ter, ipsum traducit ad orientem, & ad cœlum respicientem, & manus extendentem, præcipit coordinari Christo, & omnibus à Deo traditis sanctis eloquiis. Cum autem hic & hoc fecerit, testificatur rursus ip-

Athanas. in Paulum.
Dionys. l. de eccl. Hier. cap. 2.
Ritus olim in baptismo seruatus.

si ter confessionem. Et rursus ipso ter confesso, orans benedicit, & manutenet.] Toties audis confessionem, & trinam confessionem: nonne concipis & bonam? Quid enim illâ melius, quid & diuinius? Sed fortè petis, vbi bella, vbi certamina? [Omni igitur ex parte, ait Chrysostomus, sollicitè oportet circumspicere, accinctumque & expeditum ad certamen semper occurrere. Sunt enim offendicula plurima quæ impediant; & à recto itinere auertant: angusta namque & arcta via. Varia se vndique voluptatis aperit facies, quæ in se animæ oculos rapiat. Hinc amoris illecebra sese ingerit, inde pecuniæ sollicitant animum, aliâ ex parte deliciæ molliunt, negligentia soluit, blanditur gloria, ira præcipitat, potentiæ atque principatûs studium prouocat. Si igitur quisquam delicatus, ignauus ac mollis, quòd laborum minimè patiens sit, eis protinus manus dabit.] Promisit quidem se virum fortem fore ac strenuum, se & ardenti animo, & studio vigilanti dimicaturum. [Sed, vt dixit Leo, implendum est nihilominùs opere, quod celebratum est sacramento; & natis de Spiritu sancto, quantumcunque superest mundani temporis, non sine crucis susceptione ducendum est.

Chrysost. Hom 17.

Leo serm. 19. de pass. Dom. vlt. med.

Nec de baptismo tamen, nec de martyrio capiendus Apostolus, sed de ipso episcopi boni instituto. Proscripserat auaritiam, per quam diabolus animas illaqueat, & in miserias præcipitat innumeras. [Quamuis enim, ait Leo, forti & crudeli tyranno, per potentiam crucis Christi, vasa antiquæ deprædationis erepta sint, & dominatio principis mundi à redemptorum sit eiecta corporibus: insidiari tamen etiam iustificatis eadem malignitas perseuerat, & multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat; vt si quas animas negligentes imprudentesque repererit, sæuioribus eas laqueis rursum innectat, & à paradiso Ecclesiæ raptas in consortium suæ damnationis inducat.] Verùm frustrà iacitur rete antè oculos pennatorum. Idcircò Paulus Timotheo suo. [Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge. Quasi dicat, vt exponit Aquinas, Tu deditus seruituti Dei, hæc fuge. Et quo præmio? Vt apprehendas vitam æternam. Certa bonum certamen, quia dedisti iuramentum de hoc faciendo, & ideò non licet repugnare. Vnde dicit, Et confessus bonam confessionem coràm multis testibus: id est, in consecratione bonum certamen professus es, quando ordinatus es episcopus.] Certè, Timotheum informat Paulus, non vt Christianum, sed vt episcopum: ideoque non ad baptismum reuocat, sed ad ipsum ordinis sui officium. [Magnâ vigilantiâ, ait Ambros. atque prouidentiâ præcepta dat rectori Ecclesiæ. In huius enim personâ totius populi salus consistit. Non sollicitus de curâ Timothei, tam circumspectus est; sed propter successores eius, vt exemplo Timothei, Ecclesiæ ordinationem custodirent.] Igitur, Tu, ô homo Dei, tu qui perfectus esse debes; nec minus virtute, quam dignitate, supra mundana omnia, & in cœlum, & in Deum ipsum prouectus. Tu, inquam, effuge hæc nefanda cupiditatis humanæ & mundanæ vanitatis contagia, & te apud iustitiam,

Leo ibidem.

Aquin. lect. 2.

Ambrof. in Paulum.

Quid episcopus in ordinatione professus sit.

A patientiam, fidem, mansuetudinem, pietatem, charitatem recipe. Cursum ministerij tui sic absoluas, vt in brauium accipias æternæ vitæ, ad quam à Deo destinatus, ad quam inuitatus es à Christo, præmium. Confessus es bonam confessionem coràm multis testibus, quando corã cunctis fidelibus, te fidelem ministrum professus es, ducem strenuum, bonum pastorem, & animam vitam-ve pro ouibus tuis positurum. Vide illum bonum pastorem, qui nec sudori perpetit nec sanguini: attende quid ille egerit, quid-ve tulerit: sic pro fide, sic pro veritate certandum est: nec concupiscentiæ duntaxat repugnandum est, sed & vitæ renuntiandum.

DISQVISITIO SECVNDA.

De depositione.

DEponere, est thesaurum suum alicui quem fidelem credas, committere, ei fidere, ac credere. Ita Tertullianus. [Resurget caro, (inquit.) In deposito est vbicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum, Iesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet; carni spiritum, & spiritui carnem] Debet enim sequester fidelis-C simus esse non solùm in custodiendo, ne depositum dispereat; sed & in reddendo, ne in furtum transeat. Ita Tertullianus: [Si de fide comparem, inquit, Anaxagoras depositum denegauit hospitibus,: Christianus, & extrà fidelis vocatur.] Hoc maximè cordi Christianis olim fuit, adeò vt & id laudarent gentiles vulgarentque: vt patet ex litteris Plinij ad Traianum. Quærit ergo Paulus cui secretum credat, cui thesaurum committat suum, & neminem Timotheo ipso inuenit fideliorem. [O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promit-D tentes, circa fidem exciderunt.] Quid est, Custodi? [Caue ne minuas, (ita Chrysostomus) non enim, tua, sed aliena sunt quæ seruanda accepisti: nihil imminuas,] Si tuum esset, distrahere posses & imminuere: sed alienum est, tibi non datum, sed commendatum, ideoque bonâ fide, & totâ integritate seruandum. Quid verò illud? Depositum fidei. [Cuius ratio est, ait Aquinas, quia sicut princeps secularis ponitur ad custodiendam vnitatem regni, ita spiritualis ad seruandam vnitatem spiritualem. Sed vnitas Ecclesiæ est in fide & ideò principaliter monet ad custodiam fi-E dei:] In his ergo tria sunt obseruanda. Primum est, fidei depositum episcopis ipsis commissum: non enim inuentores sunt doctrinæ Christianæ, sed custodes. Alterum, nihil addendum, aut detrahendum, nihil mutandum aut interpolandum: sed inuiolatè seruandum & integrè. Tertium, non minùs exactè reddendum, quàm custodiendum innoxiè; cum depositum non sit depositarij, sed deponentis; nec commendatarij, sed commendantis: vnde episcopi reddunt quæ acceperunt à viris Apostolicis; sicut & isti ab Apostolis didicerunt. O

Tertul. l. de resur. carn. cap. 63.

Tertullian. c. 46. Apol.

Chrysost. Hom. 18.

Aquin. lect. 4.

Timothee: doctrinam, seu scripto seu verbo traditam, serua illibatam, sanam vindica; sic tamen vt quod depositum est deponas, quod commissum, integrum committas, incorruptumque successoribus tuis relinquas tanquam filiis spiritualibus.

Sed id vt secure facias, [Deuita profanas vocum nouitates.] Alij, [Vocum inanitates. κενοφωνίας, non καινοφωνίας. Sed cum Paulus dicat, [Profanas.] Denotat potius nouitates, quàm inanitates. Certè vaniloquia omnia tam profana sunt, quàm & inutilia: & ideò superuacaneum esset dicere, [Profanas.] Sed quia multæ sunt nouitates, quæ nec profanæ sunt nec inutiles, idcircò distinguit Paulus, aitque, [Profanas.] Nempè, vt ex promptuario, nihil depromat, quod profanam sapiat nouitatem; sed illud solum relinquat, quod sanctam antiquitatem referat. Venient enim illusores nouitatum amatores, falsorum inuentores dogmatum. [Hos Apostolus in Spiritu sancto præuidens, ait, Erit enim tempus, quo sanam doctrinam non sustinebunt: sed secundùm desideria sua magistros sibi coaceruabunt prurientes auribus. Et à veritate quidem auditum suum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Illa enim secreti furtique commemoratio quâ dicitur, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinem: plurimum facit audientibus in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite itaque Apostolum talia præuidentem, & eâ vitanda salubriter admonentem: Profanas, inquit, verborum nouitates euita: multum enim proficiunt ad impietatem. Non ait, verborum nouitates, sed addit, profanas: sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici cœperit, scriptum est. In Antiochiâ enim primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum. Aduersus impietatem quoque Arrianorum hæreticorum nouum nomen patres Homousion condiderunt: sed non rem nouam tali nomine signauerunt: hoc enim vocatur Homousion, quod est, Ego & pater vnum sumus, vnius videlicet eiusdemque substantiæ. Nam si omnis nouitas profana esset, nec à Domino diceretur, Mandatum nouum do vobis: nec testamentum appellaretur nouum, nec cantaretur in vniuersâ terrâ canticum nouum.] Voces nonnunquam nouæ, licet res antiquæ, sed nondum satis expressæ; nusquam tamen nouæ voces admittendæ sunt, si profanæ. [Noua enim profana, vt dixit Aquinas, non sunt audienda.]

Augustin. Tract. 9. in Ioan. vlt. med.

Nihil tam antiquum quod non fuerit nouum.

Aquin. lect. 4.

Causa porrò nouitatis, falsa scientia. Idcircò, vt monet Augustinus, [Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus, vbi dixit, O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & contradictiones falsi nominis scientiæ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Nihil enim sic amant isti quàm scientiam promittere: & fidem rerum verarum quas credere paruuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.] Deuita igitur, profanas vocum no-

Augustin. Tract. 97. in Ioan. in fin.

A uitates, obiectionesque subtiloquorum quæ ex falsâ scientiâ. [Rectè omninò, ait Chrysostomus, vbi enim fides non est, nec scientia quidem. Quando aliquid propriis cogitationibus gignitur, scientia non est. Ita enim quidam seipsos tunc forte Gnosticos, id est, scientes apuellauerunt, quasi qui plus aliquid ceteris nossent.] En igitur tibi curiosa vanitas, aut vana curiositas ex vnâ parte: ex alterâ vero pia credulitas, aut credulâ pietas: illa gignit errorem, ista fidem alit. Illa rationes habet, sed sophisticas. [Quia non est vera scientia, vt loquitur Aquinas, sed apparens. Scientia enim secundùm propriam rationem, non est
B nisi verorum. Impossibile autem est, quòd verum sit verò contrarium, licet quandoque duo falsa sint sibi contraria: & ideò impossibile est, quòd illud quod repugnat veritati diuinæ, quæ est summa veritas, sit verum.] Obiectiones intorquet, sed tam contemptibiles quàm futiles. Ista verò solidas suggerit veritates, omnesque disiicit, aut contemnit molitiones contrarias irrisione quàm solutione digniores. [Teneamus igitur fidem, (ita concludo ex Chrysostomo) quæ petra fixa & infracta est. Neque enim flumina, neque venti si irruant, nobis officere aliquid poterunt: supra petram quippe inconcussi stamus: ita & in vitâ istâ, si
C verum illud fundamentum elegerimus, absque vllo detrimento persistemus: qui illas diuitias elegit, nihil aduersi patietur. Omnia ibi fixa & firma sunt, nullam omninò mutationem admittentia. Sunt obiectiones, quibus neque respondendum est. Cur id? quia deiiciunt à fide, neque fortiter ac firmiter stare permittunt.] Depositum custodi: sicut enim inalterabile est, sic & immobile. Quid enim magis inuariabile, quàm quod ab omnibus vbique & semper seruatum est, quàm quod nec tempore dissipatum est, nec consuetudine commutatum?
D

Chrysost. Hom. 18.

Aquin. lect. 4.

Chrysost. in Moral.

Omnia in fide fixa semper & firma.

TROPOLOGIA.

Diuitibus huius seculi præcipe.

NOn præcludit salutis viam diuitibus huius seculi, imo aperit: dum ostendit primò, quid fugiant: secundò, quid faciant: tertiò denique quò sua omnia referant.

Quoad primum. Nouit Apostolus quis sit diuitum genius, idcircò ait Timotheo: [Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere neque sperare in incerto diuitiarum: sed in
E Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.] Certè, sicut Deus potentes non abiicit, cum ipse sit potens; ita, cum ipse sit diues, diuites non reiicit. [Cur enim negamus diuites, (verba sunt Augustini quamuis ab excellentiore perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint, & dederint vt detur illis, & dimiserint vt dimittatur illis? Credimus enim ministrum noui testamenti fuisse Apostolum, cum scribens ad Timotheum diceret, Præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: puto quòd ista præcipiens, di-

Augustin. ep. 9. quæst. 4.

Salus diuitũ difficilis, sed non impossibilis.

uites instruebat, non fallebat Apostolus, qui non ait, præcipe diuitibus mundi, vt vendant omnia quæ habent, dent pauperibus, & sequãtur Dominum: sed non superbe sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Ista enim superbia diuitem illum, qui iacentem antè ianuam suam contemnebat pauperem iustum, & ista spes in incerto diuitiarum, quâ se propter purpuram, byssum, & epulas splendidas beatum putabat, non ipsæ diuitiæ perduxerunt ad inferni tormenta.] Equidem difficilis salus diuitum, imò impossibilis, dum superbè sapiunt, & in suis confidunt diuitiis: sed quod hominibus impossibile est, Deo est facilè, dum tumorem cordis comprimit, & amorem infundit pietatis. [Nihil attulisti, ait Augustinus, nihil hinc auferes: quid te inflas contrà pauperem? Non sum, inquis, talis, absit à me, vt talis sim. Inflatus obsericatus ista loquitur de pannoso. Sed ego nudos interrogo. Non interrogo in vestibus, quales sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, ambo miseram vitam inchoantes, ideò ambo plorantes. Quod dixi de natis, hoc dico de mortuis. Certè quando casu aliquo vetera sepulcra franguntur, ossa diuitis agnoscantur. Audiant igitur Apostolum, præcipe diuitibus mundi. Præcipe. Quid? Præcipe antè omnia, non superbè sapere. Nihil est enim quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici: vermis diuitiarum, superbia. Ergo præcipe diuitibus huius mundi, non superbè sapere. Vnde autem non superbè sapere? De eo quod sequitur, Neque sperare in incerto diuitiarum. Qui non sperant in incerto diuitiarum, non superbè sapiunt. Quàm multi heri diuites, hodie pauperes: quàm multi dormiunt diuites, & venientibus latronibus, & cuncta auferentibus, euigilant pauperes? Ergo hoc faciant diuites, non superbè sapiant, neque sperent in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum.] Sed nihil vacat in Paulo, nihil non prouocat. [Aptissimè, ait Chrysostomus, diuitibus huius seculi dixit: sunt enim & alij in futuro seculo diuites. Aptissimè dixit, Præcipe non altum sapere. Nihil enim ita superbum attollit, nihil ita superbiam & arrogantiam gignit, vt opes: atque adeò protinus auertit, adiiciens: Neque sperare in incerto diuitiarum. Ex eo enim in primis arrogantia nascitur: sicut contra qui in Deum sperat, à fastu semper alienus est. Quid in eo speras, quod repentè transfertur? Id quippe diuitiæ sunt: quid in illis spem ponis, quibus confidere omninò non potes? Quomodo verò superbiam cauere poterunt? Si viderint quàm infirmæ illæ, quàm instabiles sint: si attenderint quàm omnes opes exsuperet firma in Deum spes, si intelligant harum etiam auctorem esse Deum.] Ab illo quippe sunt omnia bona, non solùm maxima, sed & minima.

Augustin serm. 5. de verb. Dom. cap. 7. 8. 9 & 10.

Chrysost. Hom. vlt.

Quod secundum. Non solùm à malo declinandum est, sed & bonum faciendum. [Benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare.] Facultatem non damnamus, sed cupiditatem imò & facultatem laudamus, si pietati addicitur, si impenditur charitati. [Ipsæ diuitiæ bonæ sunt, ait Augustinus, sed à bonis & malis haberi possunt: sed fac bonum de bono, vnde non es bonus.] Est enim bonum, vnde tu facias bonum. Tria autem ad agendum bonum exigit Apostolus. Primum est, Communicare, ne soli repertis incumbant diuitiis, sed partem suis faciant: pauperes in societatem admittant, & opes suas quasi in communi reponant. Ita ex Aquinate. [Circa rem exteriorem duo competunt homini: quorum vnum est potestas procurandi & dispensandi: & quantum ad hoc, licitum est quòd homo propria possideat. Aliud verò quod competit homini circa res exteriores, est vsus ipsarum. Et quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores vt proprias, sed vt communes.] Inde diuitiæ dicuntur iniquæ, quia iniquum est, vt quod commune esse debet omnibus, fiat proprium aliquibus; & quod datur diuitibus ad dispensandum, pauperibus in exitium subtrahatur. Deus enim abundanter tribuit ad fruendum, sed iniquè diuidit diues, dum omnia rapit, nihil aliis relinquit. Inde diuitiæ, quasi diuisæ: quòd tam violenta sit attributio, quàm iniqua diuisio. Quid ergo est? [Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula? Bonus sermo, ait Bernardus, & omni acceptione dignus, docens nos illis amicitiam iungere, qui nos possunt in æterna secum tabernacula collocare. Qui videlicet sunt illi, nisi paruuli & pauperes Christi? Quos quia Dominus amat, ipso teste qui ait: Vos amici mei estis: ab his nos faciamus amari de eo quod idem Dominus docuit, dicens, De mammona iniquitatis. Vile est pretium: sed emptio multa. Mammona namque diuitiæ nuncupantur, quæ dicuntur iniquæ non propter se, sed propter iniquitatis affectum, qui euenit ex se: sicut arbor illa quæ apellata est scientiæ boni & mali, non quòd vllam haberet scientiam, sed quòd tangentes eam contra præceptum, boni pariter & mali contingeret esse scientes.] Vult ergo communionem fieri, societatemque diuitum ac pauperum: diuites facultatem elargiri, pauperes, tanquam amicos, inter quos omnia sunt communia, in partem vocari. Alterum est, facile tribuere, vt diuites non solùm communicatiui sint, sed & ad tribuendum largiendumque faciles sint ac prompti. [Præcipe diuitibus.] Præceptum est, vt notat Aquinas. [Et quid debet præcipere? Benè agere. Duplex enim est vsus diuitiarum: vnus est tenere, & alius est dare: sed principalis est dare. Vnde dicit, Facilè tribuere: id est, sine grauitate cordis interiùs. 2. Corinth. 9. Non ex tristitiâ, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Et sine tarditate. Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.] Ita Iob. [Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Per hæc namque dicta, vt loquitur Gregorius, vir sanctus ostenditur, non solùm ad inopiam pauperibus, sed etiam

Augustin. serm. 5. de verb Dom. cap. 1. & 3.

Aquin. 2. 2. quæst. 66. art. 2. in corp.

Bernard. serm. in Domin. 10. post Pent.

Diuitiæ quòd diuisæ, & inde iniquæ.

Aquin. lect. 4.

Gregorius lib. 21. Moral. c. 11.

ad habendi desiderium deseruisse. Vnde subiungit: Et oculos viduæ expectare feci. Petentem enim se viduam expectare noluit, vt non solùm ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita augeret.] Tertium denique, Diuites fieri in bonis operibus: sicut abundant opibus, sic abundent virtutibus. [Quòd si opibus velint affluere, ita Athanas. bona operando has parent.] Id est, sic tribuant, vt ex falsis diuitiis, veras ac certas congregent.

Athanas. in Paulum.

Quoad tertium. Finem ostendit, cum addit: [Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam.] Dixerat Apostolus, Deum præstare nobis omnia ad fruendum. [Dupliciter autem potest exponi (vt notat Aquinas) Vno modo, vt fruitio sumatur pro gaudio, & hoc modo est etiam in corporalibus. Vel pro præmio, vt per hæc perueniamus ad fruitionem Dei, id est, ad finem diuitiarum perueniamus.] Sic ergo præcipit, [Non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter, temporalia scilicet, ait Augustinus, & æterna: sed magis ad fruendum æterna, ad vtendum temporalia. Temporalia tanquam viatoribus, æterna tanquam habitatoribus. Temporalia, vnde bona faciamus: æterna, vnde boni efficiamur. Ergo hoc faciant diuites? Ex eo autem quod habent quid faciant? Audi quid. Diuites sint in operibus bonis. Habent enim vnde. Quare non faciunt? Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum. Non enim, quia dico, inquit, facilè tribuant, communicent, expoliare illos volo, nudare illos volo, inanes relinquere volo. Doceo lucrum, cum ostendo: Thezaurizent sibi. Non enim volo, vt pauperes remaneant. Thesaurizent sibi, non vt perdant, dico: sed quò migrent, ostendo. Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam: hæc quippe falsa vita est, Apprehendant veram vitam. Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas. Apprehendenda est ergo vera vita, migrandæ sunt facultates ad locum veræ vitæ: vt hoc inueniamus, quod hîc damus.] Benè, [Thesaurizare fundamentum bonum in futurum. Vbi nihil incertum est, ait Chrysostomus, vbi stabilia fundamenta sunt, nihil infirmum, sed firma omnia, inconuulsa, perpetua, fixa.] Conflandus virtutum omnium, maximè verò humilitatis ac pietatis thesaurus, quo vita comparetur æterna, quo tanta securitas confirmetur, quanta speretur felicitas. Ita ille cui quasi innata misericordia. [Si despexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Quòd pauperem non despexit, (verba sunt Gregorij) virtutem humilitatis exhibuit: quòd autem operuit, pietatis. Duæ quippe istæ virtutes ita sibimet esse connexæ debent, vt vicario semper opere fulciantur; quatenus nec humilitas cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat; nec pietas cum largitur, intumescat. Erga indigentiam ergo proximi humilitatem pietas fulciat, A humilitas pietatem: vt cum indigentem rebus necessariis, naturæ tuæ consortem videris, nec per impietatem desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari quem tegis. Nam sunt nonnulli, qui mox vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largituri in eos priùs contumeliosa verba iaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt. At contrà alij egenos fratres non student rebus fulcire cum possint, sed blandis tantùm sermonibus fouere. Dilectio autem nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & B ministerio largitatis. Qui enim nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, vt ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, vberiùs reddit. Restat ergo vt nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet diues ex eo quod pauperi tribuit, agit vt in perpetuum pauper non sit.] Dum enim amicos facit de mammona iniquitatis, dum non tam egenis quàm patronis, & humilitatis sensu, & affectu pietatis tribuit; fundamentum sibi bonum in futurum exstruit, vitam apprehendit æternam.

Aquin lect. 4.

Augustin. serm. 5 de uerb. Dom. cap. 10.

Chrysost. Hom. vlt.

Gregorius lib. 21. Moral. cap. 14.

Humilitas pietatem fulcit pietas humilitatē cingit.

C

ANAGOGIA.

Beatus & solus potens.

TRia videntur communia, quæ tamen recensentur tanquam Deo propria. Potestas, immortalitas, inuisibilitas. Solus enim ille potens qui per se beatus: solus immortalis, solus inuisibilis.

Quoad primum. Terribilis est ille, qui aufert spiritum principum, terribilis apud omnes reges terræ. Ita Baldath Suites. [Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Ac si apertè dicat, inquit Gregorius: Solus corda mortalium veraciter D terret, qui ex diuinitatis suæ potentiâ veraciter hæc possidet. Humana enim potentia quem terrorem incutit, quæ iure eiusdem potentiæ quando careat nescit? Rectè autem dicitur: Qui facit concordiam in sublimibus suis: quia certa angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata: & cum subiectorum mores aduersùm se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus, contra se venire referuntur. Quorum tamen omnium vna victoria est sui super se opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, E nunquam volunt.] Sublimes quidem sunt spiritus, angeli, sed beati vix dicam discordes: & si quando quid faciendum sit, nondum acceperunt, statim tamen atque ediscunt, nunquam discordant, sed ad supremam potestatem statim suam temperant voluntatem. Mali autem angeli, tam discordes sunt potestates, quam hostiles, sed imperio supremo, non tam amore casto, quam coacto terrore succidunt. Ita de principe. [Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Potestas quippe eius, ait ille, super terram cunctis eminentior per-

Gregorius lib. 17. Moral. cap. 8.

Gregorius lib. 34. Moral. cap. 17.

hibetur: quia etsi actionis suæ merito infrà homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditione transcendit. Quamuis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen suæ magnitudinem non amisit, cuius adhuc viribus humana omnia superat, licet sanctis hominibus meritorum suorum dejectione subiaceat. Sequitur: Qui factus est, vt nullum timeret. Sic quidem factus est per naturam, vt conditorem suum castè timere debuisset, timore videlicet sobrio, & securo, non timore quem foras charitas mittit, sed timore qui in seculum seculi permanet, id est, quem charitas gignit. Aliter enim amat coniugem vxor amans, aliter dominum ancilla peccans. Sic ergo fuerat iste conditus: quatenus timore læto auctorem suum & amans metueret, & metuens amaret. Sed suâ peruersitate talis factus est, vt nullum timeret. Ei quippe à quo conditus fuerat, subesse despexit. Ita enim Deus super omnia est, vt ipse sub nullo sit.] Potuit ergo Paulus dicere, Terribilis, & solus potens, sed amorem maluit quàm terrorem. [Quem temporibus suis, id est, vt exponit Chrysostomus, congruis & debitis, ostendet beatus, imò beatitudo ipsa. Nihil ibi triste, nihil iniucundum est, inquit, vbi beatus & solus potens est.] Præmittit ergo beatitudinem diuinam, tum & supremam describit potestatem. [Vnde dicit, Rex regum, & Dominus dominantium. Dominus enim, vt obseruat Aquinas, est nomen potestatis, & Rex similiter. Qui ergo habet dominum & regem suprà se, est subiectus potestati, & talis non est potens à se, sed ab alio. Et signatur duplex potentia: scilicet gubernatiua mundi, cum dicit, Rex regum, quasi à regimine dicta. Tum & potentia creandi, cum dicit, Dominus dominantium. [Solus ergo ille potens, qui propriam, & à nullo alio acceptam vindicat potentiam, & eam, cui vult, dispensat; qui omni principatui dominatur, omnique potentatui, & tam superiora, quàm inferiora, suo nomine ac supremo iure moderatur: qui solo nutu regna regit & imperia, omnemque potestatem extollentem se, sine vllo conatu, in ordinem redigit.

Quantum Dei tam in bonos quã in malos imperium.

Chrysost. Hom. 18.

Aquin. lect. 3.

Quoad secundum. Et ipse est, [Qui solus habet immortalitatem.] Qui plenitudinem omnem viuendi, sicut & essendi possidet. [Vita Deus, (verba sunt Bernardi) vita & anima est: similis quidem, sed dispar: similitudinem fatemur, æqualitatem renuimus. Porrò similis quòd vita, quòd seipsâ viuens, quod non tantùm viuens, sed & viuificans: sicut & ille hæc omnia est. Dispar, verò quantùm à creante creata. Dispar, quòd vt nisi creata ab illo non esset, sic nisi ab ipso viuificata non viueret. Aliàs autem immortalis est anima, & in hoc nihilominùs Verbo similis quidem, sed non æqualis. Nam in tantum superexcellit immortalitas deitatis, vt Apostolus dicat de Deo: Qui solus habet immortalitatem. Quod ego reor pro eo dictum, quòd solus sit naturâ incommutabilis Deus, qui ait: Ego Dominus, & non mutor. Vera namque & integra immortalitas tam non reiicit mutationem, quàm nec finem; quòd omnis mutatio, quædam

Bernard. Serm. 81. sup. Cantic. med.

A mortis imitatio sit: omne enim quod mutatur, dum de vno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est vt moriatur quod est, vbi esse incipiat quod non est. Quòd si tot mortes quot mutationes, vbi immortalitas? Immortalis anima est: quoniam cum ipsa sibi vita sit, sicut non est quo cadat à se, sic non est quò cadat à vitâ. Verùm cum constet suis affectibus mutari eam, agnoscat ita se Deo in immortalitate similem, vt sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem soli cedens absolutã perfectamque immortalitatẽ, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.]

Omnis mutatio, quædam mortis est imitatio.


B Iam dixerat Apostolus, [Regi sæculorum immortali.] Pro immortali, Græcè est, [In corcorruptibili.] Nam, vt obseruat Aquinas, In qualibet mutatione, est quædam corruptio. Illud ergo propriè & verè est incorruptibile, quod penitus est immutabile.] Verè ergo Deus immortalis, & solus immortalis; quia solus immutabilis; solus autẽ immutabilis, quia solus solus incorruptibilis; denique incorruptibilis, qui nulli obnoxius casui, nihil ei accidit, nihil decidit. Ita propria immortalitas, est plena & tota incõmutabilitas. [Immortalitatẽ, ait Augustinus, Deus habere dicitur solus, quia est C immutabilis Deus. In omni enim mutabili naturâ, nonnulla mors est ipsa mutatio: quia facit in eâ aliquid non esse quod erat. Proinde & ipsa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque secundùm modum suum nunquam desinit viuere, habet tamen pro ipso suo modo quandã mortem suam: quia si iustè viuebat & peccat, moritur iustitiæ: si peccatrix erat, & iustificatur, moritur peccato: vt alias eius mutationes taceam, de quibus longum est disputare. Et creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit: nam & angeli peccauerunt, & D dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps. Et qui non peccauerunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præstatur vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratiâ, sed naturâ suâ, nec potuit, nec poterit, aliquâ mutatione peccare.] Sicut ergo Deus totam replet essendi perfectionem, adeò vt ille sit qui sit, qui solus verè sit ac propriè, quia apud illum, totum esse est, nullum non esse; sic & totam viuendi plenitudinem continet, adeò vt sicut solus regnat per supremam potentiam, sic & solus viuat per essentiam, quia apud illum tota vita est, nullumque E mortis aut mutationis vestigium. [Benè ergo Apostolus ad Timotheum de Onesiphoro, Det illi Dominus inuenire misericordiam in illo die. In quem diem ac tempus, & ipsi præcipit custodire mandatum immaculatum, irreprehensibile, in apparentiam Domini Iesu Christi quam suis temporibus ostendet, beatus & solus potentator, & rex regnantium, & dominus dominantium; de Deo dicens & exaggerans amplius. Qui solus habet immortalitatem.] Ita ex Tertulliano.

Aquin. lect. 3.

Augustin. lib. 3. cont. Maxim. cap. 13.

Tertull. l. de res. carn. c. 23. & l. b. aduers. Prax. cap. 15.

Quoad tertium. Sicut immortalis, sic & inuisibilis est, [Immortali & inuisibili, soli Deo.] Sed immortalis in se, nobis autem mortalibus



IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI


AD TIMOTHEVM SECVNDAM.

ARGVMENTVM.

PRomiserat aduentum suum Apostolus, nec tamen impleuerat: Proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asiâ. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolimis. *Pertransiit igitur, & Ierosolymam venit: sed inde captus est, & Romam tandem perductus. Præsentit mæstitiam Timothei, timuitque curam tantillum pastoralis sollicitudinis remitti ob tædium. Ideo igitur secundam ad eum scribit Epistolam, in quâ ad officium compellit, & accingit ad martyrium.* Cum nequaquam sibi, ait Athanas. liber pateret accessus, eundem per litteras consolatur, mœstum forsitan: tum quia præceptoris priuatus esset præsentiâ, tum etiam quia minùs eum Ecclesiæ cura vrgeret, cui moderandæ vel viri præstantiores succumberent, eo præsertim tempore, cum procellis vndique agitarentur fideles, & oppugnarentur vndequaque acerrimè.

Act.c.20. Athanas. in Paulum.





CAPVT PRIMVM.

Epigraphe.

FIdem Timothei collaudat, sollicitudinem commendat officij. Sub finem, infideles denotat Christianos, fideles compensat amicos.

TEXTVS.

PAulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu: Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus in conscientiâ purâ, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auiâ tuâ Loïde, & matre tuâ Eunice, certus sum autem quòd & in te. Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora Euangelio secundùm virtutem Dei: qui nos liberauit, & vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam; quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit; quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium: in quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister Gentium. Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Scis hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in Asiâ sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cum Romam venisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illâ die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.

EXEGESIS LITTERALIS.

Admonet Paulus Timotheum, vt donum resuscitet sibi collatum, Euangeliumque tam fideliter, quàm & fidenter annuntiet.

[Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu, &c.] Salutat Apostolus, optatque Timotheo suo gratiam ac misericordiam. Idcircò, Paulus Apostolus Iesu Christi, non per condignam meriti prælationem, sed per vltroneam Dei electionem: nec prædicat vitam quæ acquiritur per arbitrij merita, sed eam annuntiat quæ per merita Christi repromittitur. [Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro, &c.] Scribit ad dilectum filium, & eundem genium transmittit. [Huius rei gratiâ Apostolum se Christi Iesu, Dei voluntate appellatum significat, vt quæ & quanta promissio, in futuro per fidem Christi sit, edoceret. Quod ideò huic quasi charissimo filio scribit, vt huius rei imitator existat, eadem ceteris tradens, & multos acquirat ad vitam promissam.]Ita Commentarius Ambrosianus. [Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus in conscientiâ purâ, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, &c.] Gratiam habeo Deo, quem colo vera fide, & certâ religione à maioribus transfusâ meis, & intimis exсultâ sensibus; tibique annuntio, quomodo assiduâ tui die ac nocte in precibus meis habeo memoriam, gratias agens pro collatis in te beneficiis, teque summoperè videre cupiens. [Memor lachrymarũ tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, &c.] Tangunt me lacrymæ tuæ, quibus abeuntem prosecutus es, & amorem testatus verè filialem. Redit & in mentem fides tua sincera, cogitque præsentiam tuam desiderare, vt lætitiam in vinculis meis percipiam non modicam. [Quæ & habitauit primùm in auiâ tuâ Loïde, & matre tuâ Eunice, certus sum autem quòd & in te, &c.] Quidni fides sit in te sincera, & nullo pacto simulata, cum firmiter adhæserit Loïdi auiæ tuæ maternæ, in matre tuâ Eunice permanserit? [Multum ergo se memorem Timothei profitetur, ait Ambros. & auidè illum desiderare propter lachrymarũ eius recordationem, quas amore fuderat Apostoli recedentis à se. Non immeritò ergo amantem se desiderat, vt gaudio impleatur ex communi lætitiâ, causâ fidei sinceræ, quam & in auiâ eius, & in matre fuisse significat, certissimè & in eo. Omnis itaque hic affectus propter fidem est, quæ erat in eis inuiolata.

Comment. Ambros.

Paulus videndi Timothei cupidus.

Ambros. in Paulum.

[Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, &c.] Ex certâ quam de tuâ fide non fictâ concepi, fiduciâ, libenter audenterque te commonefacio, vt donum illud exsuscites, quod in te est per ordinationem, manuum ve mearum impositionem. [Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis, &c.] Donum enim illud, non est spiritus timoris mundani, aut praui pudoris; sed spiritus fortitudinis quâ timiditas expellitur, dilectionis, quâ cupiditas abigitur; sobrietatis, quâ inducitur tranquillitas: Græcè σωφρονισμοῦ: & hic spiritus bonis ministris ad explendum infunditur officium. [Inest quidem tibi istiusmodi gratia, (ita apud Athanas.) quam simul ac tibi manus imposui, accepisti, cum te scilicet episcopum constituerem & sacrarem. Velim itaque vt spiritum vehementiùs excites. Perinde ac si dicat, Adeptus es sermonem fidentiùs prædicandi, hunc totis viribus & animo maiori prosequere.] Excita istũ ardorem, sopitum ignem suscita. [Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora Euangelio secundùm virtutem Dei, &c.] Cum talem in ordinatione tuâ spiritum acceperis, ne te Christi pudeat vt Domini, nec mei magistri: licet enim ille crucifixus, & ego vinctus, ille tamen propter nos crucifixus, & ego propter illum vinctus: non ergo id confiteri pudeat & testificari; sed esto & tu particeps afflictionum ac persecutionum quæ Christo inferuntur & eius Euangelio: particeps, inquam, laborum; quos etsi per humanam reformides infirmitatem, per diuinam tamen virtutem perferes. [Qui nos liberauit, & vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam; quæ data est nobis in Christo Iesu antè tempora secularia, &c.] Quidni illi fidendum est, qui nos, cum periissemus, saluos fecit; qui, cum non meruissemus, ad fidem & sanctitatem vocauit: non enim secundùm merita nostra, sed secundùm proprium propositum, gratuitamque beneficentiam, quæ ab æterno præparata est, & in Christo donata. [Manifestata est autem nunc per illuminationẽ Saluatoris nostri Iesu-Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionẽ per Euangeliũ: in quo positus sũ ego prædicator, & Apostolus & magister Gentiũ, &c.] Misericordia illa nũc in toto mundo patefacta est per apparitionem (Græcè ἐπιφανείας) Saluatoris nostri Iesu Christi, qui mortem nostram aboleuit suâ morte, vitamque immortalem incorruptibilemque, per annuntiatum ab Apostolis Euangelium in lucem protulit: ad quod quidem promulgandum constitutus sum ego nuntius, quin & Apostolus Christi, sed speciatim ad erudiendas gentes destinatus. [Quomodo illuminetur vita, ostendit, (verba Ambros.) quia per Euangelium credentibus datur æternitas, magistro gentium prædicante.]

Athanas. in Paulum.

Electi non per arbitriũ humanum salui, sed per diuinũ propositum.

Ambros. in Paulum.

[Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem, &c.] Quia Euangelij præco, quia doctor Gentium, in vincula ista coniectus sum: sed nec ministerium meum erubesco, nec Euangelium. Scio enim quantus ille sit, cui me commisi; & certò persuasus sum quòd potens sit repositam mihi mercedem seruare integram, & perfectam retributionem in aduentum Christi protelare. [Ponitur cer-

Aquin. lect. 4. titudo spei, ait Aquinas, quæ prouenit ex magnitudine Dei promittentis. Et ideò dicit, Scio cui credidi: dicitur enim credere fidei eius, cui committit rem suam. Quasi dicat, Meipsum, labores & passiones credidi, id est commisi Deo.] Apud eum dolores sudoresque deposui. [Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu, &c.] In mente semper habeto viuam imaginem incorruptæ illius doctrinæ quam à me accepisti, illa enim tota est in fide & dilectione verâ seu Christianâ. [Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis, &c. [Hoc nimirum egregium est (Græcè καλὸν) illud depositum quod tibi commendaui, doctrina nimirum verbis meis tradita: integram illam serua, inuiolatam vindica, non per teipsum, sed per Spiritum sanctum qui Ecclesiam gubernat, speciatimque in præpositis eius habitat. [Scis hoc, quod auersi sunt à me omnes, qui in Asiâ sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes, &c.] Fortè perlatum est ad te, Iudæos omnes Asianos, vinculis meis offensos, me multum exosos, meque plurimum auersatos: in iis autem maximè Phygellus, & Hermogenes: qui non solùm inter desertores, sed & inter traditores. [Minus est, ait Tertullianus, si & Apostolum aliqui, Phygellus, & Hermogenes reliquerunt: ipse traditor Christi de Apostolis fuit.] Mirum si Phygellus Apostolum deseruerit? cum & Apostolus Christum prodiderit? [Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cum Romam venisset, sollicitè me quæsiuit, & inuenit, &c.] Dixi auersos à me Asianos omnes ex Iudæis fideles, Christianos-ve: excipio Onesiphorum, Deumque meum obsecro, vt misereatur vniuersæ eius familiæ, quia sæpè mihi ille subsidio fuit ac solatio, nec infamiam ex vinculis meis aut noxam pertimuit: sed cum esset Romæ, studiosiùs quæsiuit me, tandemque inuenit. [Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illâ die, &c.] Sicut ille tandem inuenit me, vt mihi misericordiam impenderet, ita det illi Christus Dominus in extremo iudicio misericordiam inuenire, & ad æternam gloriam tam feliciter quàm & misericorditer peruenire. [Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.] Quidam demunt [Mihi.] Et rem faciunt communem. Non solùm igitur mihi ministrauit Romæ, sed & tibi: aliisque Euangelij ministris. Ita quantum officiosus fuerit, quamque in multis rebus Ephesi ministrauerit, tu melius nosti. Sed litterâ illæsâ, melius nosse potuit Timotheus officia Paulo corporaliter exhibita, quia multa Paulo inscio, & conscio duntaxat discipulo frequenter impensa: cura enim corporalium rerum magistris adempta, & relicta discipulis.

Tertul. l. de præscrip. c. 3.

Qui misericordiam facit, misericordiam inuenit.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

SEruit Apostolus Deo à progenitoribus suis in conscientiâ purâ: Quænam illa puritas?

A Depositum suum credidit, & securus est illud in tuto esse repositum: Quænam illa securitas?

DISQVISITIO PRIMA.

De puritate.

LAus non mediocris fidem habere quasi hæreditariam, & sanctitatem circumferre quasi domesticam. [Docet enim nos Scriptura diuina, (vt admonet Ambrosius) non solùm mores in iis qui prædicabiles sunt, sed B etiam parentes oportere laudari: vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis quos volumus laudare, præcellat. Sic sancti Samüel mater Anna, laudatur: sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Nec solum à parentibus, sed etiam à maioribus sancti Ioannis Baptistæ nobilitas propagatur, non seculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Quæ enim alia intentio sancti Euangelistæ nisi vt sanctus Ioannes nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Tales quippe maiores habere debuit prænuntius C Christi, vt non repentè conceptam, sed à maioribus acceptam, & ipsi infusam iure naturæ prædicare fidem Dominici videretur aduentûs.] Inde & Paulus Timotheum suum non solùm laudat absentem, sed & præsentem desiderat. [Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum: recordationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta: quæ & habitauit primùm in auiâ tuâ Loïde, & matre tuâ Eunice: certus sum autē quod & in te.] Magna magistri affectio, nec modica discipuli commendatio: qui dum dilectus seu charissimus appellatur, honorifico donatur elogio. [Possunt enim esse filij non charissimi: at tu nequaquam D talis es, inquit, (apud Chrysostomum) quocirca te non modò filium, sed & charissimum filium voco. Magnum certè virtutis illi, & eximiæ indolis testimonium, ita illum appellando perhibuit. Nam cum ea charitas à naturâ non proficiscitur, ex virtute omninò materiam sumit. Nam vnde charissimus esset aliundè, apud Paulum in primis, qui nullo mortali tenebatur affectu? Fieri ergo potuit, vt gratus discipulus à magistro separatus fleret, ac lamētaretur nō secus quā infans distractus ab vberibus matris, atque lactis alimoniâ destitutus. An verò adhuc persistit in fletu? Et aliam igi-E tur apponit causam, ipsamque plenam consolationis. Reminiscere, inquit, fidei quæ in te est sine simulatione. Deinde & aliam adiecit laudem, quòd scilicet non ex gētilibus, neque, infidelibus, sed ex eâ esset domo, quæ dudum Christo seruisset. Quæ, inquit, inhabitauit in auiâ tuâ Loïde, & matre tuâ Eunicâ. Erat enim filius mulieris Iudææ fidelis. Quo pacto? Ex Iudæis illa fidelis erat, non ex gentilibus:]

Ambros. l. 1. Comment. in Lucam.

Chrysost. Hom. 1.

Qui ex fide geniti, virtute sola sunt dilecti.

Sic ferè se res habet in Paulo, vt se habet in Timotheo: sed antequam accedamus ad magistrum: conueniamus discipulum. Tria simul iungenda sunt. Primum, fidem veram inesse Timotheo: alterum, eam à parentibus deri-

natam ? tertium fidem eam esse veram, quæ id A
Aquin. lect. 1. quod verbis declarat , factis probat. [Vera
enim , vt dixit Aquinas , per opera bona est.]
Non solùm ergo vera fides, sed & antiqua:nec
Act. cap 16. ficta , nec noua. Vnde in Actibus : [Discipu-
lus quidam erat nomine Timotheus, filius mu-
lieris Iudææ fidelis , patre Gentili.] Si discipu-
lus, an fides ficta ? si mater fidelis , fides non
noua. Vnde Paulus , [Confido autem, inquit ,
Chrysost. Hom. 1. quod & in te. Habes , inquit , (apud Chryso-
stomum) hæreditarium , & à maioribus fidei
bonum , accepisti ab eis pius hæres fidem abs-
que simulatione. Maiorum quippe merita,cum
eorum studuerimus esse participes, nostra etiã B
sunt. Idcircò subiunxit, Confido autem quod
& in te. Non , inquit , conicio : sed confido ,
certusque sum.] Sed quomodo vera & since-
ra fides in Eunicâ matre , & auiâ Loide : si &
illa viro Gentili nupserit , & istã nuptum dede-
rit : Nam vel id factum ante baptismum sus-
ceptum ; & sic legem violarunt : vel post , &
sic peccauerunt in fidem. Nec dici potest vi-
rum illum fuisse fidei candidatum , Iudaïsmi
aut Christianismi non inimicum:adeò enim in-
fensus fuit , vt nec vnquam circumcidi Timo-
Chrysost. Ibidem. theum filium passus fuerit. [Vides , ait Chry-
sostomus , vt iam tunc lex cœperit solui , cum C
huiusmodi contra illius vetitum commixtio
fieret ?] Sed de Eunicâ dici potest , quod de
Monicâ. [Virum suum iam in extremâ vitâ
temporali eius lucrata est tibi , Christe , nec in
eo iam fideli planxit , quod in nondum fideli
tolerauit. Erat etiam serua seruorum tuorum.
Augustin. l. 9. Confess. cap. 9. Quisquis enim eorum nouerat eam , multum
in eâ laudabat , & honorabat , & diligebat te ;
quia sentiebat præsentiam tuam in corde eius
sanctæ conuersationis fructibus testibus. Fue-
rat enim vnius viri vxor , mutuam vicem pa-
rentibus reddiderat , domum suam piè tracta-
uerat, in operibus bonis testimonium habe- D
bat.] Quantum verò ad præsumptam Iudaïcæ
legis præuaricationem responderi potest aut
incertam prohibitionem aut dispensationem.
Aug. l. de fide & oper. cap. 19. [Cum enim illud non taceat Cyprianus, & ad
mores malos pertinere confirmet, iungere cum
infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud es-
se asserens , quàm prostituere gentibus mem-
bra Christi : nostris tamen temporibus, (verba
sunt Augustini) iam non putantur esse pecca-
ta: quoniam reuera in nouo testamento nihil
inde præceptum est , & ideò aut licere credi-
Fœminæ gentilibus nuptæ, vnde excusandæ. tum est, aut velut dubium derelictum est.] Ni- E
hil ergo in Loide vel Eunice concutit veram
fidem, sicut & sanctam Et heredem nihil lædit
ethnicus concubitus : quamuis enim aliquid
disputandum vt incertum, certissimum tamen
omnes illas feminas tam fideles, quam pietate
ac sanctitate præclaras.

Quoad Paulum Apostolum , Tria notanda
sunt. Primum est , sermonem esse de cultu re-
ligionis. [Gratias ago Deo cui seruio.] Græcè
λατρεύω. Secundum , per progenitores , intel-
Act cap. 13. ligendos esse Iudæos , auos proauosque. [Ego
Phariseus sum , filius Pharisæorum.] Tertium,
tempus comprehendi etiam in Iudaïsmo exa-
Act cap. 26. ctum. [Et quidem vitam meam à iuuentute ,
quæ ab initio fuit in gente meâ in Ierosolymis,
nouerunt omnes Iudæi : præscientes me ab
initio, quoniam secundùm certissimam sectam
nostræ religionis vixi Pharisæus.] Vbi ergo
conscientiâ pura , blasphemiis polluta & con-
tumeliis ? Siccine Deus verus colitur, aut Abra-
hæ fides cum sæuitiæ furoribus , cum persecu-
tionibus iungitur Ecclesiæ ? [Quo pacto , in- Athanas. in Paulum.
quit Athanas. in purâ Paulus conscientiâ, qui
Christum à principio ignoraret? Sed conscien-
tiam hoc loco pro vitâ ponit , quam etsi Iu-
dæus esset , & Iudaicos ritus seruaret , hone-
stissimè transigebat. Quamuis enim Ecclesiam Conscientia nonnunquã pro vita sumenda est.
persecutus sit , hoc sanè egit vt paternas tue-
retur traditiones , non gloriæ ductus cupidita-
te , vt solent qui hæresim excitant. Quod igi-
tur dicit , tale est. Nihil existimes aliter me sen-
tire ac loquor, inest enim mihi conscientiæ pu-
ritas , nec sanè pro meâ consuetudine mentior
nec falsò protulerim quod sum in præsenti di-
cturus.] Sic ergo : [Nihil habebat noxium , Chrysost. Hom. 1.
(ait Chrysostomus) nihil subdolum ipsius
conscientia.] Tunc enim puritas vitæ seu cons-
cientiæ non opponitur peccato , sed dolo ; nec
animæ sanctitas intelligitur , sed sinceritas. Ita
Paulus ad Iudæos ipsos. [Viri fratres , ego om- Act. cap. 23.
ni conscientiâ bonâ conuersatus sum ante
Deum , vsque in hodiernum diem.] Id est, [Si-
ne querelâ.] Sine iniuriâ : vt conscientia pura
sit ea quæ bona , ea bona sit quæ inoffensâ : si-
cut enim & apud Iudæos religionis erat veritas,
sic & integritas erat conuersationis. Ego igitur
qui Deum colo auitâ religione , hoc ipsum
quod dico sincerâ etiam intentione profero :
bonâ fide , confessione ingenuâ. [Quia, inquit Ambros. in Paulum.
Ambros. idem Deus Christianorum est , qui
erat Iudæorum ; ei se gratias referre testatur ,
cui à pro auis famulatus est. Quando enim hoc
sperabant progenitores eius quod hic cœperat
prædicare , vna eorum fides est. Quia igitur in
parentum successit seruitia , rectè ait , Cui à
proauis seruio. Et in conscientiâ purâ , inquit:
Sic enim aliquando persecutus est Ecclesiam ,
vt Dei amore hoc ageret , non maleuolentiâ.]
Dignus ergo cui fides adhibeatur, non à Chri-
stianis duntaxat , sed & à Iudæis , dignus qui
audiatur ; cum nihil aut ab illis , aut etiam ab
istis exprobrari possit , aut certè probari. [Et Act. cap. 24.
ipse studeo , inquit , sine offendiculo conscien-
tiam habere ad Deum , & ad homines sem-
per.]

DISQVISITIO SECVNDA.

De securitate.

SEcuritas , depositi est : sed duplex deposi-
tum : vnum quod Paulus committit Timo-
theo : alterum , quod credit Deo , De primo
[Bonum depositum custodi.] Iam quidem id
monuerat in primâ epistolâ , sed repetendum
iudicat in secundâ. [Frustratus ille fuerat spe , Chrysost. Hom. 1.
ait Chrysostomus , & expectatione suâ : ideò
consolatur eum litteris , corporalis præsentiæ
vice , fortassis ob hoc ipsum mœrentem ; &
quòd iam gubernationis subiisset onus. Quæ
igitur in priori epistolâ , hæc eadem illi in se-
cundâ imprecatur : Gratia , misericordiâ , &
pax à Deo patre , & Christo Iesu Domino no-

stro. Nihil triste proposuit in initio, sed illum, exordiens, in spem erigit.] Quia verò, vt & ipse aduertit: [Non modò per litteras, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda, dictauit: quod pluribus & aliis in locis ostendit, dicens: Siue per verbum, siue per epistolam, quasi per nos missam. Hoc & hîc multo magis fecit. Ne enim minus aliquid doctrinam habere putemus, plurima illi absque scripto tradidit, quæ illi modò ad memoriam reuocans, dicit: Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Quid hoc sibi vult? Pictorum, inquit, more imaginem tibi virtutis impressimus, & omnium quæ Deo grata sunt, veluti normam, priuatamque formam, tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmiter, & siue de fide, siue de charitate, siue de castitate opus sit aliquid loqui, ac definire, inde tibi exemplaria accipe. Non tibi necesse erit ab aliis mutuari virtutis imaginem, cum intra omnia posita serues.] Reddit vim Græcæ vocis ὑποτυπώσεως, exprimitque per imaginationem & delineationem. Hæc nimirum sanæ doctrinæ forma, quæ ab Apostolis commissa est apud Apostolicos viros; & à viris Apostolicis, per episcopos, ad nos tandem transmissa. Nec enim scripturas deposuerunt solas, imò paucissimas commiserunt; sed ore tenus tradiderunt quæ credenda essent & agenda; & quæ maximè veros Christianos ab illegitimis ac spuriis tanquam interpolatoribus ac veteratoribus secernerent: non enim illi per regulam omnibus communem, sed per formam specialem à fidelibus secernendi. Hoc est igitur depositum pulchrum ac præclarum, quod ab episcopis ipsis custodiendum est. Sed vnde tanti securitas depositi? Bonum depositum custodi. Sed quonam modo? [Per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.] Per gratiam specialem, imò inuiolabilem assistentiam. [Neque enim, vti dixit Chrysostomus, humanæ animæ, humanæque virtutis est tam multa deposita dignè posse seruare. Cur id? Quia feruent cuncta latronibus, densissimæ imminent tenebræ. Instat præterea diabolus, atque insidiatur: quomodo igitur, inquit, custodire sufficimus? Per Spiritum sanctum: hoc est, si Spiritum habeamus apud nos manentem. Hic nobis murus est, hoc præsidium atque refugium.] Aderit enim Ecclesiæ suæ Deus, quia promisit.

Chrysost. Hom. 3.

Forma sanæ doctrinæ impressa animæ Christianæ.

Chrysost. Hom. 3.

De secundo autem Paulus. [Scio cui credidi: & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem.] In quo tria disquirenda sunt, Primum, quid sit credere: alterum, quodnam depositum: tertium, quâ securitate sit certum. De primo: [Vno modo, ait Aquinas, credere, est actus fidei, & est sensus: Scio cui credidi, id est, scio quòd ille qui promisit, est verax, & potens ad reddendam vitam æternam, quam promisit homini fideli existenti. Nec inde sequitur quod eadem sit scientia & fides, & idem scitum & creditum. In fide enim duo sunt: scilicet id quod creditur, & ille cui creditur. De eo quod creditur, non potest esse scientia, quia sic perderet crediti rationem: sed de eo cui creditur, est scientia; quia per euidentissimam rationem est scitum, quòd Deus est verax. Sed alio modo, di-

Aquin. lect. 4.

A citur credere fidei eius, cui committit rem suam, & hic sensus est verior.] Quid ergo, Scio cui credidi? Noui eum, apud quem deposui: vnde sequitur: [Potens est depositum meum seruare.] De secundo, depositum etiam dupliciter dicitur, vt & ille obseruat. [Vno modo, quod ego deposui: & sic homo deponit salutem suam, quando se Deo totum committit. 1. P. 5. Omnem solicitudinem vestram in eum proiicientes, quoniam ipsi cura est de vobis. Alio modo, deponit opera sua, quando scilicet non statim recipit remunerationem suam, sed in posterum: & sic qui bene facit, deponit illud apud Deum.] Et hic sensus est liquidior. Prius enim dixerat. [Ego prædicator & Apostolus & magister Gentium. Ob quam causam etiam hæc patior: sed non confundor. Scio enim cui credidi.] Non quasi malè operans, sed quasi liberè prædicans, hæc patior, affligor, in carcerem coniectus, seditionem perpessus, verbera, vincula. [Id scilicet quia gentibus prædico (ait apud Athanas.) non quia prauum aliquod admiserim facinus. Sed non confundor. Vides quemadmodum reipsâ affirmet, quod Timotheum commonefacit, arguitque nil prorsus se erubescere quæ pateretur. Scio enim cui credidi.] Sermo est igitur de vinculis, de flagellis, de passionibus, de persecutionibus: sed ista minimè erubescenda sunt, quasi exposita confusioni, & non potius spei proposita. [Scio enim cui credidi: & certus sum quia potens est depositum meum seruare.] Apud illum depono istas passiones, illi committo meas persecutiones, & scio quia potens est depositum meum custodire integrum inuiolatumque, & coronam reddere vinculis meis, ne dicam & meritis repositam. De tertio, certus Paulus, quia certò persuasus. Græcè πέπεισμαι, quod nonnunquam in Paulo moralem significat certitudinem experimentalem. ve, vt cum dixit de Timotheo, [Certus sum autem quod & in te.] Nonnunquam infallibilem indigitat, qualis ex fide est ac reuelatione: quâ certissimus erat Apostolus, Deum seruando deposito suo tam potentem quàm & fidelem.

Aquin. ibid.

B

Athanas. in Paulum.

C

D

Duplex certitudo: vna moralis, altera infallibilis.

Porrò quod commisit, in illum diem remisit, in quo plena ac perfecta fiet operum omnium retributio, in quo extrema actionum & intentionum decisio. [Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentū eius.] Secundum scilicet, seu vltimum iudicium. Reposita est igitur corona iustitiæ, dum apud Deum iniuriæ patientia deponitur; sed recepta in die iudicij, dum vnicuique pro conditione meriti redditur. [Adeò, ait Tertullianus, satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem?] Sunt igitur opera iustorum in manu Dei reposita, sed expectandum est modicum tempus, donec impletus sit omnium numerus electorum: tunc enim & vniuersalis fiet omnium

2. Timoth. cap. 4.

E

Tertull. l. de patient. c. 15.

Ambrof. in Paulum.

hominum conuocatio, & totalis meritorum omniũ compensatio. Ait ergo Paulus: [Quam ob causam & hæc patior: quia, (vt apud Ambros.) Prædicans Dei donum; diabolum patitur inimicum, vt pressuras ei exsuscitet, quia populum de faucibus eius eruit. Sed non confundor. In hoc securus, quia pro tribulationibus magna promissa merces est: non confunditur, sed gloriatur in pressuris. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositũ meum custodire in illum diem. Hoc est quod dicit, quia spe & fiduciâ magnificentiæ Saluatoris securus est; quia quod commendat illi, in tuto est. Quid autem illi commendat? nisi salutem suam vt hîc pro illo patiens, salutem inueniat penes illum cum venerit iudicare; vt puniens infideles, istum dignum æternâ vitâ pronuntiet.] Iactauerat cogitatum suum in Domino, à quo salutem seu mercedem passionum suarũ sperauerat. Apud eum deposuerat thesaurum suum, per quem recepturum se confiderat: sciebat enim Deum satis idoneum esse aut laboris aut doloris sui sequestrum. Idcircò idem commendat Timotheo suo. [Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora in Euangelio. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, etsi ipse patiaris eadem, noli erubescere. Sed collabora, inquit, hoc est, non modò noli erubescere, sed ea ipsa perpeti non erubescas. Nihil patiaris humanum, sed eisdem passionibus socius accede.] Vbi enim passionis societas, ibi & mercedis: vbi eiusdem persecutionis communitas, ibi & eiusdem securitas retributionis: & tu illi crede, depositum tuum, & teipsum illi committe: etsi enim expectandum sit, etsi protelandum: haud dubiè tamen recipies integrum solidumque, Deumque tam potentem in custodiendo, quàm liberalem in reddendo supra meritum perspicies.

Vbi vniuersalis conuocatio, ibi totalis compensatio.

Chrysost. Hom. 2.

TROPOLOGIA.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris.

Nihil non dat Deus, qui nihil non dispensat: sed expendendum est primò quod nonnulla det in punitionem: secundò, quod alia det in sanctificationẽ: tertiò, tam illa iustitiæ tribuenda diuinæ; quàm ista misericordiæ.

Quoad primum. Cùm causam reddit Apostolus, coniecturam facit imminutæ gratiæ. [Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris.] Vnde illud, [Enim?] Nisi ex causâ admonitionis suscitationisque redditâ. Gratias enim Dei, vti aduertit Aquinas, est sicut ignis, qui quando obtegitur cinere, non lucet: sic gratia obtegitur in homine per torporem, vel humanum timorem. Vnde & Timotheus effectus pusillanimis, torpuerat circa prædicationem. Et ideo dicit: vt resuscites gratiam, sopitam scilicet. Et addit: Quæ est in te per impositionem manuum mearum: à quo scilicet ordinatus erat episcopus. In quâ manûs impositione, data est ei gratia Spiritûs sancti. Deinde cum dicit, [Non enim.] Ponitur ratio monitionis,

Aquin. lect. 3.

A & sumitur ex conditione diuinorum munerum. Qui enim accipit munus, debet operari secundùm congruentiam muneris. Est autem duplex spiritus, huius mundi, & Dei. Et horum distinctio est: spiritus enim significat amorem, quia nomen spiritûs impulsionem importat, & amor impellit. Duplex autem est amor scilicet Dei, & hic est per spiritum Dei: & amor mundi, & hic est per spiritum mundi. Spiritus autem mundi facit amare bona mundi, & timere mala temporalia, & ideò dicit, Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: scilicet mundani: quia hunc Deus aufert à nobis.] Tibi datus est spiritus ad instituendam B ecclesiam regendamque, sicut & mihi collatus est; sed tibi per impositionem manuum mearum, mihi autem per largitionem diuinorum munerum. Sed, [Idcircò acepimus spiritum, (ita Chrysostomus) non vt pauidi simus, aut contrahamur metu; sed vt celsiores per virtutem, conscientiamque euadamus. Plurimis quippe dat Deus formidinis spiritum, vt in regum voluminibus legimus: Et cecidit super eos, inquit, spiritus formidinis: hoc est, metum illis incussit.] Spiritus ille timoris seu formidinis est metus quo quis timet mortem aut confusionem, & inde pudet aut piget Christum confiteri, munus suum liberè & intrepidè exequi. Quibus ergo datur spiritus timoris C ac formidinis? Mundanis scilicet, reprobis. ve, quibus gladius destinatur punitionis. [Agit namque omnipotens, ait Augustinus, in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò iniustè aliquid velle non nouit. Quid est enim quod homo Dei dixit ad Amasiam regem, Non veniat tecum exercitus Israël, non est enim Dominus cum Israël: quoniam si putaueris obtinere in illis, in fugam conuertet te Deus antè inimicos, quoniam virtus est Deo vel adiuuare, vel in fugam vertere. Quomodo virtus Dei alios iuuat in bello dando eis fiduciam, alios immisso timore D vertit in fugam; nisi quia ille qui in cœlo & in terrâ omnia quæcumque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur?] Certè timor malus non est, imò bonus est, vt à naturâ impactus: sed sicut humana ratio de se prona in inquisitionem, per punitionem finitur à vero deficere; sic & timor à bono recedere permittitur. Ita, vt expendit Chrysostomus, [Si Marcionem & Manetem, & ceteros qui impias hæreses perniciosaque dogmata Ecclesiæ Dei inuexerunt, consideres diuina metitos humanis rationibus: sic demum diuinæ incarnationis, dispensationisque mysterium erubuisse E comperies. Nihil enim esse deterius potest, quam velle diuinas res humanâ ratione discernere, atque metiri. Ita enim ex fidei fundamento quisque decidit, & longo errore iactatur vagus, atque à luce deseritur. Si enim qui solis radios corporeis cupit haurire luminibus, non modò quod quærit, non efficiet; neque quod instituit, peraget, verùm ipso quoque quo viget, priuabitur lumine: multò sanè magis, qui in æternam illam lucem defigere obtutus quærit, eamque rationibus consequi mortaliter, hoc patietur.]

Spiritus dicitur impulsio seu motus.

Chrysost. Hom. 14

Augustin. l. de grat. & l. arb. c. 21.

Chrysost. Hom. 2.

Quoad secundum. Exponit Paulus, quid electis Deus dederit in sanctificationem. [Dedit nobis Deus spiritum virtutis & dilectionis & sobrietatis.] Sicut enim timor mundanus ex amore mundi conceptus est; sic & feruor diuinus, ex amore Dei exortus. [Addit ergo, ait Aquinas, Sed virtutis: quia per Spiritum sanctum dirigimur in malis, & hoc per virtutem, scilicet fortitudinis contra aduersa mundi. Luc. vlt. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Etiam in bonis dirigimur, quia quantum ad affectionem ordinamur per dilectionem charitatis, dum quis omnia quæ diligit, refert in Deum, vnde dicit, Et dilectionis. Denique quantum ad bona exteriora, & ideo dicit, Et sobrietatis: id est, omnis temperantiæ, seruando debitum modum & mensuram, vt scilicet temperatè vtamur bonis mundi.] Non sic vereamur amittere temporalia, vel vitam profundere, vt deseramus iustitiam, aut munia negligamus nobis imposita. [Quippe, vt notauit Chrysostomus, Ex virtute, abiectioneq; formidinis, charitas prouenit. Nihil enim fermè ita charitatem soluere consueuit, vt formido, & proditionis opinio. Tibi ergo contrà penitùs charitatis in se spiritum dedit Deus: & hoc est gratiæ. Qui enim clamare nos facit, Abba Pater, ipse quoque amoris sui nobis largitur affectum, charitatemque cum proximis infert. Neque enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum formidinis, sed virtutis, & charitatis, & sobrietatis.] Opus nimirum magnâ virtute, & eximiâ fortitudine, opus diuinâ dilectione, vt timorem quis impugnet, pudorem superet. [Nihil quippe periculi, vt & ille dixit, superest, si ruborem quis, confusionemque calcauerit: ea enim tantùm onerosa est. Idcircò iamdudum admonet discipulum, ac per illum omnes: Noli, inquit, erubescere quòd crucifixum prædicas: hoc enim testimonium est, mors scilicet Christi. Nam ista quidem si per se cogitentur, mors, carceres, vincula, confusione ac probro digna sunt: ceterùm si quis appositâ causâ, discussoque mysterio singula decenter edoceat, plenissima gloriæ, diuinæque honestatis causâ cognoscet. Mors enim illa pereuntem seruauit orbem, mors illa cœlestibus terrena coniunxit, mors illa diaboli profligauit tyrannidem, hominesque angelos ac Dei filios fecit: mors illa mortalitatis nostræ naturam ad solium cæleste ac regale prouexit. Et certè illa in se nihil habet quod erubescendum sit, verùm potius ob quod gloriandum.] Vicit mundum, cœlum aperuit, subegit diabolum. [Hoc est ergo quod significare voluit Apostolus, (rursum Chrysostomus) cum dicit: Dedit nobis Deus spiritum virtutis, & charitatis, & sobrietatis. Ex consequentibus nimirum id liquet: Noli, inquit, erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed simul affligere cum Euangelio. Neque enim ait, Noli metuere, neque formides: sed maiore illum virtute corroborans, Noli, inquit, erubescere: siquidem ego qui mortuos suscito, qui innumeris signis illustris sum, qui orbem totum excurro, nunc vinctus sum: neque enim quasi malè operans

Aquin. lect. 1.

Chrysost. Hom. 1.

Chrysost. Hom. 2.

Chrysost. Ibidem.

Qui pudorem subegit, vicit timorem.

A vincior, sed crucifixi gratiâ his vinculis astringor. Si crucem non erubuit Dominus meus, ego hæc vincula erubescere debeo? Qui enim, quæ ille sustinuit, erubescit: ipsum quoque erubescit, qui cruci affixus est. Ego per meipsum hæc vincula fero: vincula ista plurimos soluerunt, & ad fidei gratiam conuerterunt.] Per virtutem, formidinem timorem ve deiicimus: qui enim fortitudine accinctus, qui robore præditus, nihil metuit. Per charitatem, pudorem subigimus; qui enim diligit, nusquam de eo quod palam diligit, erubescit. Per sobrietatem, cupiditatem redigimus in ordinem; ne virtutem frangat, ne charitatem imminuat. Ita sicut spiritus timoris obrepit in B perniciem, sic & spiritus virtutis in sanctificationem superuenit.

Quoad tertium. Cum datur spiritus timoris, datur ex iustitiâ: cum tribuitur spiritus amoris infunditur ex misericordiâ. Non omnia dat Deus placatus, sed multa dat iratus; quæ non permitteret bonitas suprema, nisi humana exposceret iniquitas. [Quis non ista iudicia contremiscat, inquit Augustinus, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum? Roboam respuit consilium salubre seniorum: vnde hoc, nisi propriâ voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israël, & alium regem sibi constituerunt Hieroboam, vt irati Dei voluntas fieret, quod etiam futurum esse prædixerat.] C In electis verò, totum quidquid est, gratiæ est, totum misericordiæ. Paulus ad Apostolatum vocatus, sed per voluntatem Dei, per benignam vtique & gratuitam voluntatem: non enim id meritis humanis, sed diuinæ tribuendum beneuolentiæ. [Secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu. Id est, vt exponit Aquinas, ad consequendam vitam æternam promissam à Christo.] Si Timotheus bonum custodit depositum, [Per Spiritum D sanctum custodit.] Eadem quippe gratia est, quæ à Patre datur per Christum Dominum, Spiritu sancto largiente ac distribuente. Denique, ipse est. [Qui nos liberauit & vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia: manifestata est autem nunc per illuminationem saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium.] Nam, [Quia, inquit Chrysostomus, videbatur onerosum quod dixerat, E Collabora: rursus ipsum consolatur. Non enim virtute tuâ, inquit, sed virtute Dei ista toleras, Quomodo saluus factus es; inquit, quomodo vocatus? Sicut & alio loco ait: Secundùm operationem eius, quæ operatur in nobis: ideò maioris virtutis erat persuadere orbem totum, quàm cœlum facere. Quomodo vocatus es, inquit? vocatione sanctâ hoc est, sanctos effecit, qui peccatores & inimici eramus: & hoc non ex nobis, sed ex diuino munere est. Si igitur ille & potens est vocando, & bonus, idque per gratiam, non ex debito faciendo, nihil est cur metuamus. Qui enim

Augustin. lib. de grat. & lib. arb. cap. 21.

Aquin. lect. 1.

Chrysost. Hom. 2.

Maioris virtutis orbem persuadere, quàm cœlū facere.

enim nos, cum perditi inimicique essemus, saluos per gratiam fecit: multò magis cum operantes viderit, cooperator accedit. Non secundùm opera nostra, inquit, sed secundùm propositum suum. Nemine cogente, nemine consulente; sed ex proposito suo, solâ vi suæ bonitatis impulsus, saluos nos fecit. Secundùm propositum suum, inquit, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu antè tempora secularia. Hoc est, absque vllo principio, sempiternè in Christo ista præfixa erant vt fierent. Non autem & hoc parum est Deum salutem nostram à principio voluisse?] Nihil non gratiam spirat, nihil non diuinam commendat misericordiam. [Duplex enim, vt docet Aquinas, causa est humanæ salutis, quæ est à Deo. Vna est æterna, scilicet eius prædestinatio. Alia est temporalis, scilicet gratia iustificans: quia non sumus electi, vt saluemur propriis meritis sed per gratiam Christi: quia sicut prædestinauit salutem nostram, ita modum salutis nostræ.] Et illa quidem gratia olim occulta erat, & paucis cognita: nunc autem declarata est, & vbique annunciata per apparitionem seu manifestationem Christi Domini; qui abstulit mala nostra, & bona sua contulit. [Destruxit enim mortem, id est, vt & ille exponit, satisfecit Deo pro peccatis nostris: peccatum enim erat causa nostræ mortis, & ideò destruendo peccatum, destruxit mortem. Illuminauit autem vitam & incorruptionem. Contulit etiam perfecta bona. Primò animæ in præsenti, per gratiam fidei: secundò, immortalitatem carnis, resultantem ex gloriâ animæ.] Hæc nimirum sunt bona, quæ non solùm in lucem protulit per prædicationem Euangelij, sed & quæ nobis in salutem contulit per æterni executionem propositi.

Aquin. lect. 3.

Aquin. ibid.

ANAGOGIA.

Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino.

ONesiphorum viuis iam excessisse, cum hæc Paulus scriberet, inde potest coniici, quod familia nominetur, quasi relicta. [Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.] Et misericordiam deprecetur, qualem pro mortuo. [Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illâ die.] Tria ergo sunt dicenda. Primum est, misericordiam in futurum protendi seculum: secundum, misericordiam misericordibus reddi: tertium, sanctos omnes per misericordiam coronari

Quoad primum. Misericordiam Dei super terram effundi mirum non est, cum abyssus abyssum inuocet, abyssus miseriæ abyssum misericordiæ, promissamque gratiam sollicitet. [Misericordiâ tuâ Domine plena est terrâ. Et vnde hoc? ait Augustinus. Nisi cum iustificatur impius.] Sed infra, aut supra terram: in cœlo, aut in inferno, quis locus misericordiæ relinquendus, cum in inferno, nulla sit redemptio; in cœlo, nulla sit miseria; in inferno, æterna sit miseria? Sed duplex infernus: superior nimirum & inferior: de quo

Augustin. con 16 in Psal. 118. in fine.

A Psaltes: [Quoniam misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Quia ergo dicit Scriptura, (ita Augustinus) cui contradici non potest, Eruisti animam meam ex inferno inferiori: intelligimus tanquam duo inferna esse, superius & inferius. Nam vnde infernum inferius, nisi quia est infernum superius? Aliud non diceretur infernum, nisi in comparatione illius partis. Apud inferos igitur est aliqua pars inferior, quò traduntur impij, qui plurimum peccauerunt: & inter ista duo inferna, attendens quidam orans iam in corpore Christi positus, B eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit: quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem. Venit alius, defendit eum. Gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo. Liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, vt nisi subuentum esset, ibi esset, inde se rectè dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi deduci.] Duo igitur sunt inferna: C vnum inferius, quò detruduntur impij, à quo & liberantur electi, dum præseruantur in hoc mundo, nec sinuntur plurimum peccare, seu crimina æternis digna tormentis admittere: nam si quis eo detrusus sit damnatusque, nulla deinceps redemptio, nulla speranda est liberatio. Aliud infernum superius, quò amandantur etiam pij, qui plagis quidem digna commiserunt, sed si non mediocribus, certè remediabilibus, quia dilectis sese implicuerunt veniabilibus: idcirco cruciantur quidem, sed & inde per gratiam liberantur & misericordiam. [Ita Christus: [Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, D neque in futuro. In quâ sententiâ, ait Gregorius, datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro seculo posse relaxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpâ vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in non grauibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata.] Loqui- E tur Apostolus de homine iam vitâ functo, diuinâ tamen adhuc iuuando misericordiâ. [Det illi Dominus inuenire misericordiam.] In quo eadem est Pauli, quæ Christi sententia. [Non enim diceret Dominus, Hoc peccatum illic non remittetur, ait Philippus presbyter, si nec alia peccata illic remitterentur. Secundùm igitur hunc sensum est & illud quod Apostolus de Onesiphoro ait, Det illi Domimus inuenire misericordiam à Deo.] Non igitur misericordia diuina hoc concluditur seculo, sed vltrà in futurum protenditur; nec pe-

Augustin. Enarrat. in Psal. 85. vers. med.

Duplex infernum, superius & inferius.

Matth c 12.

Gregorius lib 4. dial. cap. 39.

Philipp. Presbyt. in cap. 12. Iob.

riclitantibus tantùm succurrit in hoc mundo, sed & in alio remittit languentibus.

Quoad secundum. Nunc quidem tempus soluendi, nondum tamen recensendi. [Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in viâ cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.] Vbi Hieronimus: [Quadrans, inquit, genus nummi est, quod habet duo minuta: hoc est ergo, Non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persoluas.] Sensim scilicet paulatimque expianda. [Si ergo, ait Tertullianus, in diabolum transfertur aduersarij mentio ex obseruatione comitante: ne te vt fraudatorem, vt pacti transgressorem iudici Deo obiciat, sicut cum legimus alibi sanctorum criminatorem, & de ipso etiam nomine delatorem; & iudex te tradat angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum; vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto morâ resurrectionis expenso.] Hoc igitur tēpus intermediū tempus solutionis est, sed nondum tempus absolutionis, aliud est, in quo recensenda sunt omnia, & debitis computatis, vel præmio adiudicanda æterno, vel supplicio. Ideircò igitur non simpliciter dixit Apostolus: [Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino.] Sed & addidit, [In illâ die.] Quasi ante illam diem, omnia suspensa sint, & in illâ sint decidenda: non quòd nonnulli non iam beati sint, sed quòd & in illâ die repræsentandi sint, & de omnibus reddituri causam, de omnibus etiam extremam excepturi sententiam. Tria igitur in Apostolicis verbis obseruanda sunt. Primum est, Paulum committere totum Christo Domino iudicium, seu ad ipsum decisiuam remittere sententiam; tantumdem enim est, Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino, ac si diceret, Det illi Christus inuenire misericordiam à seipso: est enim Hebraismus in scripturis sacris non insolitus. Secundum, iudicium istud, non tam iustitiâ transigendum quàm misericordiâ. [Det illi Dominus inuenire misericordiam.] Per gratiam Christi, inueniat illâ die misericordiam, seu benignam Domini sententiam accipiat: si enim obseruauerit Dominus, quis iustus, quis sanctus sustinebit? Tertium, misericordiam iis præsertim promissam qui misericordiam exercuerint gratiam pro gratiâ reddi, pro misericordiâ rependi misericordiam. [Det illi Dominus inuenire misericordiam apud Dominum in die illâ. Misertus est mei, inquit, (apud Chrysostomum) igitur & retributionem habebit in die illâ terribili atque metuendâ: quando misericordiâ nimirum omnes egebimus. Det illi, inquit, Dominus inuenire misericordiam apud Dominum. Duo ergo Domini? Absit. Sed nobis vnus est Dominus Iesus Christus, & vnus Deus: sed vsitatum est in scripturis hoc dicendi genus. Neque verò ait, Det illi Dominus aliud quicquam: sed misericordiam.] Sed, vt & ille addit. [Si Onesiphorus, qui sese periculis obiecerat, misericordiâ saluus fit quanto magis nobis misericordia necessaria est: Terribiles nempe illæ pœnæ sunt, & nimium illa

Matth. c. 5.

Hieronym. in Matth.

Tertul. l. de Anim. c. 35.

Omnia quasi ante extremum suspensa iudicium.

Chrysost. Hom. 1.

Chrysost. in Morali.

A metuenda supplicia, magnaque egemus misericordiæ largitate, ne horroris plenam sententiam audiamus: Discedite, non noui vos, qui operamini iniquitatem &, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Horrendum quippe est, nimisque metuendum extremi iudicij examē.] Sed qui intelligit super egenum & pauperem, [In die illâ liberabit eum Dominus.] Stata enim Domini sententia. [Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.] Misericordiam fecit Onesiphorus, & inuenit; accepit Christus, & in extremo rependit iudicio.

B Quoad tertium. Onesiphorus quidem, vt fertur in martyrologiis tam Græcis quàm Latinis, glorioso martyrio in Hellesponto coronatus est: si ergo idem ipse est, nec liberandus ex inferno superiori, nec de horribili territandus iudicio. Noua mors pro Deo, inquit Tertullianus, & extraordinaria pro Christo alio & priuato excipitur hospitio.] Si innocentibus benè est, quanto magis martyribus? [Quid? ait ille. Ampliationem vis esse post mortem, confusâ spe & incertâ expectatione ludentem iam vitæ recensum, iam & ordinationem iudi-

C cij inhorrentem?] Certè si ille ipse est, nondum mortuus erat Onesiphorus, cum hæc scribebat Apostolus, nondum suo functus martyrio: iniuriam enim faceret martyri, si misericordiam veniam ve peteret supplici. Sed nunquid restat aliqua benedictio, etiam innocentibus, etiam martyribus conferenda? Audi Psaltem canentē: [Domine in cœlo misericordia tua. De quâ ergo, ait Augustinus, misericordiâ loquitur, cum dicit, Domine in cœlo misericordia tua: Nescio quam misericordiam ipsius dicit, quæ in cœlo est. Est enim miseri-

D cordia Domini & in terrâ, Misericordiâ Domini plena est terra. Munera Dei partim temporalia sunt atque terrena, partim æterna & cœlestia. Qui propter hoc colit Deum, vt terrena ista atque temporalia accipiat, quæ omnibus præsto sunt, vtitur quidem misericordiâ Dei, sed non illâ quam expectaturus est, quæ non dabitur nisi solis iustis, sanctis bonis. Hic ergo verè intellexit quam misericordiam deprecetur à Deo, Domine in cœlo misericordia tua: Id est, misericordia quædam quam donas sanctis tuis, cœlestis est, non terrena: æterna est, temporalis non est.] Est igitur ali-

E qua misericordia Dei æterna, seu in æternum duratura, solis electis reseruata. Imò ea triplex est: prima, resurrectio corporis, quam expectant animæ sanctorum & martyrum, postulantque enixè. [De quâ spe & expectatione Paulus ad Galatas, (ita Tertullianus) Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus: non ait, tenemus: nec enim possessio est, sed expectatio. Iustitiæ autem Dei dicit, ex iudicio quo iudicabimur de mercede: ad quam pendens & ipse, quum Philippensibus scribit, Si quâ viâ, inquit, concurrā in resuscitationē quæ est à mortuis: non quia iam accepi, aut consummatus sum. Sicut & ad Timotheum de Onesiphoro, Det illi Dominus inuenire misericordiam in illo die.] Gratuita quippe illa beneficentia est, quâ electi per beatam carnis

Matth. c. 5.

Tertull. l. de Anim. c. 55.

Tertul. c. 58.

August. in Enarrat. in Psal. 35. circ. med.

Triplex misericordia etiam sanctis conferenda.

Tertullian. l. de resur. car. cap. 23.

exinde incorruptibilis resurrectionem, ab omni mortalitatis miseriâ liberandi sunt, & in societatem sanctorum angelorum vindicandi. Secunda, diuinæ felicitatis participatio, seu æternæ beatitudinis fruitio. [Videtur enim, vt Augustinus loquitur, esse quædam habitatio cœlestis angelorum, vbi vita ineffabilium gaudiorum, vbi immortalitas & incorruptio, vbi omnia secundùm Dei donum & gratiam permanentia.] Gratiam quippe pro gratiâ acceperunt, ideoque, etsi ex iustitiâ, per ipsam tamen glorificati sunt misericordiam. [Ibi enim, vt & ille ait, Dei misericordia necessaria est, quâ fit beatus, cui non imputauit Dominus peccatum.] Tertia denique, ipsa præcellentis dignitatis comparatio: nec enim martyrium


Augustin. Enarrat. in Psal 85. vlt. med.

Augustin. l. de correp. & grat. c. 13.

A ipsum humani arbitrij est, sed diuini beneficij; ita cum redditur laurea, ex misericordiâ, licet iusto redditur iudicio. Sic illa ad martyrem: [Suscipe mortem, vt in illâ miseratione cum fratribus tuis te recipiam.] Non solùm enim in gratiâ glorificat Deus, sed & in misericordiâ coronat & miserationibus. Quid ergo, Det illi Dominus misericordiam? id est, liberet eum ab omni miseriâ, & cumulet omni gloriâ. [Rectè, ait Aquinas, optat ei misericordiam, quia præsens vita miseria est.] Optat igitur gloriam quæ obtinetur per misericordiam: omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei: sed quo gloria illustrior, eo excellētior Dei censetur misericordia. Det, illum beatificet, illum inter beatos sanctosque magnificet.

1 Machab. cap. 7.

Aquin. lect. 4.



CAPVT SECVNDVM.


Epigraphe.

PRæceptum suggerit Apostolicæ functionis; signaculum diuinæ exponit electionis: ex quibus partes duæ huius capitis distinguendæ.

PARS PRIMA.

De præcepto.

TEXTVS.



TV ergo, fili mi, confortare in Christo Iesu. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundùm Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans sed verbum Dei non est alligatum. Ideò omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloriâ cœlesti. Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Hæc commone, testificans coràm Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Profana autem & vaniloquia deuita multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem.

EXEGESIS LITTERALIS.

Timotheum admonet vt prædicando vacet Euangelio, inutiles vitet contentiones. Exemplum ex Hymenæo & Phileto inductum.

[Tu ergo fili mi confortare in gratiâ, quæ est in Christo Iesu, &c.] Textus Ambrosianus: [Tu autem fili mi fortitudinem cape.] Et Commentarius: [Constantem hunc & robustum esse præcipit in docendo.] Dixerat Apostolus: [Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis.] Seu, [Fortitudinis. Itaque resumit, aitque, [Confortare ergo fili mi.] Verba fiduciæ plena, & beneuolentiæ. Viriliter age, officium tuum constanter exerce, non tamen ingenij fretus industriâ, sed Dei gratiâ quâ per Christum Iesum donatus es. [Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere, &c.] Doctrinam quam inter multos testes ex verbis meis percepisti, trade ac committe aliis, ad agendum instruendumque fratres seu fideles idoneis. [Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone non coronatur nisi legitimè certauerit, &c.] Quicquid incommodi, quicquid periculi tolerandum pro Christo & Euangelio, ne detrectes, sed impigrè ac strenuè sub tanto duce milites. Nemo autem decertans ac militans, vitæ implicatur negotiis, sed totus occupatur exercitiis militiæ: nimirum vt illi gratus sit & acceptus, à quo delectus est, & in suam adscriptus militiam. Nam & inter athletas, nullus brauium præmium-ve accipit, nisi leges omnes & conditiones suscepti certaminis impleuerit. Nec Græca nec Syriaca admittunt, [Deo.] aut, [In agone.] Et qui admittunt, non exponunt. [Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere, &c.] Qui assiduus agrum excolit, primus etiam fructum percipit. [Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum, &c.] Expende quæ dico: illa namque videntur ænigmatica: sed aderit tibi Dominus, dabitque in omnibus intellectum, si animum addixeris, & petieris auxilium. [Cum in ænigmatis modum ait Athanas. omnia siue de milite, siue de certatore & agricola protulisset, Intellige, inquit. Hæc enim ideò sic explicaui, vt te acuam conciteremque. Demum vt proprio filio benè precatur, Det autem tibi Dominus intellectum in omnibus: non in his solùm quæ dixi, sed in omnibus: in verbis scilicet & actionibus.]

Textus & Comment. Ambros. in Paulum.

Qui benè militat, nihil aliud curat.

Athanas. in Paulum.

[Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundùm Euangelium meum, &c.] Quidam hæretici resurrectionem impugnabant, aut iuxtà seductionem temperabant. Idcircò Paulus inter alia fidei monita, reuocat resurrectionem Christi, vt nostram stabiliat. Memento igitur & doceto, Christum verè hominem ex Dauide factum, verè etiam à mortuis suscitatum: A sic prædico, sic vbique annuntio. [Vbique, ait Chrysostomus, per epistolas hoc vtitur nomine dicens, Secundùm Euangelium meum cui scilicet obtemperare & credere oportet. Erant enim & qui alia euangelizarent, quos alio in loco notat ac reprobat.] Nonnulli incarnationem traducebant, sed resurrectionem infringebant plurimi. [In quo laboro vsque ad vincula quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum. Ideò omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloriâ cœlesti, &c.] Hoc Euangelium veritatis est, cuius causâ, mala perpetior vsque ad vincula, quasi maleficus vincior ac facinorosus: sed verbum B Dei quod prædico vinctum non est: ideo enim clamo, denuntio, & dura omnia suffero, vt electi seu prædestinati ad fidem adducantur, nobiscumque æternam salutem, quæ per Iesum Christum est, consequantur, & beatam adipiscantur immortalitatem. [Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest, &c.] Quod dixi de gloriâ cœlesti, verissimum est: nam si mortificationem Iesu circumferimus in corpore nostro, etiam viuemus cum C illo: si dura & aspera sustinemus pro illo, & eiusdem regni participes erimus, & eiusdem gloriæ consortes: si negauerimus eum coràm hominibus, & ipse nos coram angelis abnegabit: si fidem respuimus, ille nihilominùs nihil inuertit: perstat ille, semperque constat sibi, adimplens quod promisit, quod statuit perficiens. [Agit, (secundùm Aquinatem) de gloriâ, quam sancti merentur per mortis ignominiam: deinde cum dicit, Si negauerimus, ostendit consequentiam quantum ad pœnas. Dupliciter autem potest aliquis peccare contrà fidem: primò, exterius negando, Si ne- D gauerimus: secundò, interius eam deponendo, Si non credimus: ille autem fidem suam tenet: est enim ipsa veritas, quæ negare se non potest.] Credentes iustificat, non credentes condemnat: hoc ratum, fixumque. [Hæc commoneo, testificans coràm Domino,] Hæc tibi dico, vt alios admoneas, imò & terreas; obtestando, declarandoque te hæc dicere coràm Domino teste, & futuro omnium iudice, & officij adimpleti, & spreti moniti.

Chrysost. Hom. 5.

Paulus vinctus, sed lingua nusquã vincta.

Aquin lect. 2.

[Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium, &c.] Quidam contentionem reuocant ad admonitionem, & fauent Græca, μὴ λογομαχεῖν, [Non E contendere verbis.] Doce & admone fideles tibi commissos non esse pugnaces contentiososque. Sed contestatio coràm Domino, rei grauioris est, ideoque moniti superioris confirmatio. Tu ergo doce, argue, obsecra, increpa: sed ne contendas verbis, ne disputationis subtilitate, sed auctoritatis grauitate, monitis insistas consiliisque: non enim tuum est litigare, sed præcipere. Sanè, verborum pugnæ, non solùm inutiles sunt, sed & noxiæ, ad nihil enim aliud proficiunt, quàm ad subuersionem audientium. [Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem,

Episcopi contendere non debent, sed præcipere.

rectè tractantem verbum veritatis,&c.] Quod tuum est, stude teipsum Deo exhibere probatum acceptumque, & quem ab opere pudor rubor-ve non impediat, sed qui doctrinam Christianam recte ac sincere distribuat. [Profana autem & vaniloquia deuita:multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit, &c.] Inanem fuge loquacitatem, quæ non solùm vana, sed etiam profana est: paulatim quippe obrepit in animum, & dum fomentum vanitatis inicit, in augmentum crescit impietatis Ita faciunt & illi, quorum adulterina doctrina instar gangrenæ serpit, vimque veneni sui latiùs diffundit: sic enim in errorem mittunt, & in peius ipsi proficiunt. [Ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt,dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem.] Ex eorum numero sunt Hymenæus & Phyletus, qui aberrauerunt à veritate, qui à fide defecerunt. Dicunt enim resurrectionem iam esse factam, & quorundam fidem, concusso fundamento, subuerterunt. [Nunc, ait Ambros. ipsorum quorum causâ vitandas contentiones monet, prodidit nomina, quos & profanos & impios designauit, errantes à veritate. Hoc enim negabant quod palam est Christianorum, vt credant se in futurum à mortuis resurgere.] Ambros. in Paulum.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

DEpositum custodiendum est, quomodo aliis tradendum est committendumque? Si contentendum non est, an nec disputandum? Denique, Qualem intelligunt illi resurrectionem, qui iam factam esse dicunt, & fidem, subtracto deiiciunt fundamento? Inquiramus.

DISQVISITIO PRIMA.

De traditione.

IAm Timotheum monuerat in epistolâ primâ,præceperatque depositum custodiri non tradi, [O Timothee, depositum custodi] Et in secundâ. [Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti. Bonum depositum custodi.] Ita capite primo. Tum & tertio. [Tu verò permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo dedíceris.] Habere iubet seu retinere, permanere admonet seu adhærere, non committere: ille enim custodit, qui apud se recondit: ille seruat depositum, qui secretum non euulgat. Quid ergo heic? [Tu ergo fili mi, confortare in gratiâ, quæ est in Christo Iesu. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda.] Moriendum potiùs, quàm prodendum mysterium. Vbi ergo fortitudo, si quod tenendum est, traditur; quod custodiendum est, dimittitur? Obseruandum est primò, hæreticos olim verbis abusos Apostolicis. [Confitentur quidem, ait Tertullianus, nihil Apostolos ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse;non tamen omnia volunt omnibus reuelasse: quædam enim palàm, & vniuersis; quædam secretò, & paucis demandasse: quia & hoc verbo vsus est Paulus ad Timotheum: O Timothee, depositum custodi. Et rursum: Bonum depositum serua.] Volebant igitur illi duplicem esse in Ecclesiâ Christianâ fidem, vulgarem vnam ac protritam:alteram secretiorem ac mysticam: illam in propatulo expositam, istam in secreto quasi in thesauro reconditam: & hanc dicebant esse suam, prætentoque velo subdolam protegebant perfidiam. Obseruandum secundò, Apostolos in omnibus Christum Dominum æmulatos: sicut enim ille nobis natus, nobis mortuus, & ea quæ accepit à Patre nota fecit nobis: sic & Apostoli non sibi custodierunt quod acceperunt a Christo magistro, sed Christianis commiserunt Ecclesiis. [Quid enim prædicauerint, ait ille, id est quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viuâ, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea.] Obseruandum tertiò, sic episcopos doctrinam Apostolicam pro Ecclesiis suis consecutos, vt vellent esse perpetuam, ideoque ad alios quasi posteros transmitterent. [Quando aliquis adducitur ad mortem, ait Aquinas, disponit de suis. Non ergo minùs debent esse solliciti sancti de bonis spiritualibus sibi creditis, quòd non dispereant post eorum mortem, sed aliis credant.]

1. Tim. 6.

Tertul. l. de præscript. c. 25.

Quomodo Apostolicis verbis abusi sint hæretici.

Tertullian. cap. 21.

Aquin. lect. 1.

Hinc ergo patet, fortitudinem esse necessariam, ad abiiciendam formidinem: vt doctrinam Euangelicam quam accepit, sine confusione tradat, vt quam ipse corde credit, ore etiam intrepidè, non tamen per propriam animi constantiam, sed per inditam Christi depromat gratiam. [Tu autem fili mi, confortare in gratiâ. Summo, ait Chrysostomus, affectu, eam admonitionem infert, dum dicit, Fili: neque id tantùm, sed adiicit, Fili mi. Si filius es, inquit, patrem imitare: si filius es, ex his confortare: sed ex gratiâ Christi: hoc est, per gratiam Christi: ac si dicat, Persiste fortiter. Habes adiuuantem gratiam Dei, vnaque certantem.] Sicut enim dixerat, bonum depositum custodiri per Spiritum sanctum, ita nunc affirmat tradi per gratiam diuinam, quæ animum confortat, vt contemnat periculum. Quid enim si vincula imminent, si terrent supplicia? Confortare fili mi, [Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.] In quibus tria sunt aduertenda. Primum, doctrinam Apostolicam non tam scripto, quam verbo traditam: non enim ait, quæ legisti; sed, quæ audisti. Fides enim ex auditu: & Euangelium Pauli, non tam chartis consignatum quàm animis. [Quod quidem, ait Irenæus, tunc præconiarunt Apostoli, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt.] Secundum, doctrinam illam tacitam non fuisse, sed pluribus testibus obsignatam. [Quod enim hoc depositum est tam tacitum, ait Tertullianus, vt alteri doctrinæ deputetur? An illius denuntiationis, de quâ ait: Hanc denun-

Chrysost. Hom. 4.

Iren l. 3. c. 1.

Tertul. l. de præscrip. c. 25.

tiationem commendo apud te, fili Timothee. Item illius præcepti, de quo ait: Denuntio tibi antè Deum, qui viuificat omnia, & Iesum Christum qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt custodias præceptum. Quod autem præceptum? & quæ denuntiatio? Ex suprà & infrà scriptis intelligetur; non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrinâ, sed potius inculcari de non admittendâ aliâ præter eam, quam audierat ab ipso: & puto palàm. Coràm multis, inquit, testibus. Quos multos testes, si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest, quando nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur.] Tertium, depositum non passim apud omnes expositum, imò nec apud omnes fideles: sed apud eos & solos, qui ad alios docendos sint idonei. [Quid enim prodest, ait Athanas. si quispiam fidelis sit, & omnia nil erogans excipiat, cum nequeat aliis proferre doctrinam. Duo itaque necessaria sunt præceptori, quòd fidelis sit, & alios instruat. Hæc enim Timotheo Apostolus de episcopis & presbyteris disserit, non laicis.]

Athanas. in Paulum.

Depositum episcopis commissum & presbyteris.

Nullus sanè negat arcanam esse etiam in religione Christianâ doctrinam, non omnibus temere & indiscretè committendam: sed negat Tertullianus, locum Pauli de remotiore illâ & secretiore doctrinâ capiendum. Quod enim Paulus acceperat, hoc totum Timotheo reddendum commiserat. [Nec enim, inquit, quia voluit illum hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint & alios docere: id quoque in argumentum occulti alicuius Euangelij interpretandum est. Nam cum dicit, Hæc, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat, de occultis autem, vt de absentibus apud conscientiam, non hæc, sed illa dixisset.] Vult ergo depositum tradi, non prodi; idoneis committi, non obuiis proiici. [Fidelibus, inquit, (apud Chrysostomum) non quæstiones ratiocinationesque sequentibus: fidelibus; qui prædicationis non prodant gratiam. Quæ audisti, non quæ discussisti. Nam fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Neque ait, dic & ipse, sed commenda veluti thesaurum regium, qui tuto loco deponitur.] Thesauro cauet diuino, prohibetque omnibus consignari etiam fidelibus; sed integrum iubet & inuiolatũ, sicut id ab antecessoribus acceptum est, successoribus in perpetuum delegari. [Quid est enim. Depositum custodi? (verba sunt Vincentij Lirinensis) Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ: non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in quâ non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Intelligatur te exponente, illustriùs, quod antè obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didicisti, ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua. [Depositum sanè interpolare non licet, adornare licet: sed timendum cauendumque, ne dum conamur adornare, interpolare conuincamur; & dum postulamur reddere depositum, loquamur ad placitum, dicamurque non tam oraculum consulere, quàm ingenium. [Nobis, ait Tertullianus, nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt.]

Tertul. l. de præsc. c. 25.

Chrysost. Hom. 4.

Vincent. Lirinens. adu. hæres. c. 27.

Splendor addi potest deposito, valor non debet imminui.

Tertul. l. de præsc. c. 6.

A B C D E

DISQVISITIO SECVNDA.

De contentione.

HÆc verborum vanitas, quæ inanitas verborum, vt sicut ista sacrificium extorqueant aduersùs pietatem, sic & illa artificium aduersùs veritatem intorqueant. [Ita, ait Tertullianus, & si nos cõpuleritis ad sacrificandũ, nihil pręstabitis diis vestris: ab inuitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi cõtentiosi sunt: contentiosus autẽ Deus non est.] Non sic homines, qui, vt plurimum, rixosi, pugnaces, contẽtiosi. [Est enim, vti dixit Chrysostmus, ea res illecebris plena, semperque gestit humanus animus rixari, atque litigare.] Aliud tamen contentio, aliud disputatio, aliud collatio. Nulla illa, ista rara, hæc verò assidua.

Tertul. l. ad Scorp. c. 2.

Chrysost. Hom. 5.

Quoad contentionem. Nullam admitto. [Contentio enim, vti docuit Aquinas, importat concertationem in verbis. Potest autem secundùm duo intelligi: quia acrimoniam loquens, deprauatur dupliciter. Vno modo, si per hoc acceditur ad fauorem falsitatis, vt quando quis cum confidentiâ clamoris impugnat veritatem. Alio modo, propter inordinationem, vt quando vtitur acrimoniâ, vel vltrà debitum, vel contra qualitatem personæ. Porrò in scripturâ sacrâ, accipitur secundùm quod importat inordinationem. 1. Corinth. 11. Si quis videtur inter vos cõtentiosus esse, nos non habemus talem consuetudinem, neque Ecclesia Dei. Dicit ergo, verbis, quia aliqui disceptant solùm verbis improperij: & hoc propriè est contendere.] Certè non solùm amara est huiusmodi logomachia longior ac pugnacior, sed & funesta. [Alit enim seipsam contentio, vt dixit Seneca, demissos altiùs tenet. Facilius est se à certamine abstinere, quàm abducere.] Facilius pugnam, quam iram fugere; facere iustitiam, quàm modum imponere: gliscit enim lingua, quæ in vdo est; & de verbo, contendit pro gloriâ. [Doctor, inquit Augustinus, in ipso etiam sermone, malit rebus placere quàm verbis: nec existimet dici melius, nisi quod dicitur verius: nec talis verbis seruiat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait, Noli verbis contendere. Neque enim hoc ideo dictum est, vt aduersariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. Et vbi erit quod cum ostenderet qualis esse episcopus debeat, ait inter cetera, Vt potens sit in doctrinâ sanâ, & cõtradicentes possit redarguere? Verbis enim contendere, est

Aquin. lect. 1.

Sen lib. 3. de Ira cap. 8.

Augustin. l. 4. de doct. Christ. c. 28.

Logomachia indigna philosopho, quanto magis Christiano?

non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porrò qui non verbis contendit, id agit verbis vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat: quoniam nec ipsa quæ præcepti finis, & plenitudo legis est charitas, vllo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt.] Si igitur logomachia indigna etiã ethnico philosopho, licet tam falsitati obnoxio quàm vanitati, quanto magis Christiano, qui tam charitati studet quàm veritati? idcircò ad ædificationem docet non ad destructionem. [Noli contendere verbis. Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.] Illa igitur non instruit, sed destruit; pessundat, non ædificat. [Ille enim, vti dixit Tertullianus, si quis est, cuius causâ in congressum descendis, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quòd te videat nihil promouisse, æquo gradu negandi & defendendi diuersâ parte statutum. Certè de pari altercatione, incertior discedet, nesciens quam hæresin iudicet.] Sicque faciliùs in errorem incidit, quàm percipit veritatem.

Tertullian. lib. de præs. cap. 18.

Quoad disputationem. Illam permitto, sed ratam. [Si enim hoc fit non verbis tantùm, ait Aquinas, sed veris rationibus, hoc est disputare, non contendere. Moderata autem disputatio quando cum ratione fit, est vtilis ad instructionem. Nam ex parte audientium, aut sunt sollicitati ab infidelibus, & tunc est vtilis publica disputatio, quia per hanc simplices efficiuntur magis instructi, quando vident errantes confutari. Si verò non sunt sollicitati ab infidelibus, tunc non est vtilis disputatio, sed periculosa. Ex parte verò disputantis, si disputans est prudens sic quòd manifestè confutet aduersarium, tunc debet publicè disputare: si verò non, nullo modo.] Potest ergo tractare Christianus, potest & disputare, dummodo doctrinâ præditus & prudentiâ, [Non vtique quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, (ita Augustinus) vbi plurimum superuacuæ vanitatis & noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuens; sed illud tantummodo, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: quâ scientiâ non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsâ fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodò quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur.] Non ergo dixit Paulus, Noli disputare argumentis sacræ doctrinæ congruis: sed, noli verbis contendere. Nec tamen statim habenas laxauit litigiosæ disputationi, sed legitimæ locum reliquit defensioni. Disputent Christiani, sed illud cogitent, veritatem nonnunquam defensione inconditâ lædi, imò & obrui; pietatem ambiguâ intentione distrahi: tranquillitatem violari, charitatem indignè & iniustè tractari. Ita Augustinus Hieronymo. [Quo pacto, inquit, possumus in disputatione versari, si me lædere paras? Cum enim ita rescribis vt lædas, quis locus nobis

Aquin. lect. 2.

Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 1.

Veritas nonnunquam læditur, etiã cum defenditur.

Apud Hieronym. epist. 93.

A relinquitur in disputatione scripturarum sine vllo rancore versandi? Si ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non sunt; te potiùs lædis, quàm me: quod absit à moribus & sancto proposito tuo, vt hoc facias voluntate lædendi, culpans in me aliquid dente maledico, quod mente veridicâ scis non esse culpandum. Potest ergo fieri, vt tibi videatur aliud quàm veritas habet; dum tamen aliud abs te non fiat, quàm charitas habet.] Hæc scriptor scriptori, doctor doctori. Quis vnquam melius tractauit, quis disputauit religiosius? Sed cum cædit ille, non iste curatur; dum vincit, B non sanatur.

Quoad collationem. Illam committo Christianis, & illis opto assiduam. [Collatio enim, vti dixit Ambros. inter Dei seruos esse debet, non altercatio. Necesse est enim vt contentio extorqueat aliquid, immò multa quæ dicuntur contra conscientiam, vt intus in animo perdat, foris victor abscedat. Nemo quippe patitur se vinci, licet sciat vera quæ audit. Rectè autem tractat, & bonâ conscientiâ, qui volentibus loquitur & pacificis.] Ita Paulus, cum dixisset, Noli verbis contendere: ad nihilum enim vtile est, nisi in subuersionem audientium: C statim addit: [Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Complures enim, vt exponit Chrysostomus, illud vndique lacerant, atque discerpunt. Non ait igitur, dirigentem; sed, rectè tractantem: ac si dicat, Amputa quæcumque adulterina oriuntur, & cetera huiusmodi: summâ cum vehementiâ incumbe vt resecentur, atque veluti in loris atque corrigiis superflua quæque, atque à prædicatione aliena, gladio spiritûs abscinde.] Instat verbo Græco ὀρθοτομοῦντα, rectè secantem: inde sectiones, quæ tunc rectæ, cum ad scopum, iuxta verbi diuini præ-D scriptum directæ. Sed & ille benè tractat, & rectè secat, qui panem doctrinæ frangit, & iuxta virtutem cuiusque capacitatemque distribuit. In his autem multò plus proficit pacifica collatio, quàm inquieta disputatio, aut contentio turbulenta; licet enim minus sit pompæ, plus tamen est gloriæ. Ita Augustinus. [Non cogito, inquit, in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere, sed cogito principi pastorum omnium rationem de commissis ouibus redditurum. Decreui ergo, quantum vires & facultatem Dominus præbere dignatur, causam istam sic agere, vt E pacificis collationibus nostris omnes qui nobiscum communicant, nouerint ab hæresibus aut schismatibus quantum Catholica distet Ecclesia. Quam collationem mecum si libenti animo susceperis, ineffabili exultabo lætitiâ.] Sed in omnibus collationibus, sic pia exerceatur curiositas, vt charitas Christiana foueatur. [In nullis scripturis, ait ille, aliud inquiratis, nemo vobis aliud proficiat. Quicquid obscurum est in scripturâ, hæc ibi occulta est: quicquid ibi planum est, hæc ibi aperta est. Si nusquam aperta esset, non te pasceret: si nusquam occulta, non te exerceret. Quicquid ergo salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet diuinâ paginâ exculp-

Ambros. in Paulum.

Chrysost. Hom. 5.

Melior pacifica collatio quàm litigiosa disputatio.

Augustin. epist. 203. vers. finem.

Augustin. præfat. in Psalm. 140.

pitur: non habet fidem, nisi charitatem. Quid enim amplius, vel salubrius audituri & cognituri estis, quam diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ mente tuâ, & ex totâ animâ tuâ, & diliges proximum tuum tanquam teipsum?] Hic agendi finis, hic & finis conferendi.

DISQVISITIO TERTIA.

De Resurrectione.

Tertullian. lib. aduers. Prax. cap. 1.

QVod à Tertulliano dictum de mysterio Trinitatis, dicendum & in articulo resurrectionis. [Variè diabolus æmulatus est veritatem. Adfectauit illam aliquando defendendo concutere.] In varias sese formas vertit tortuosus ille serpens, sed per spiras non diuersas solùm, sed aduersas, eandem semper fraudem obtegit. Inde igitur commonitorium Pauli Apostoli edictum. [Profana autem & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Ex quibus & Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem.] Nihil enim refert apud æmulum veritatis, dextrâ feriat an sinistrâ, dummodo fidem concutiat. Verùm quia resurrectio non minùs vtilis creditu, quàm probatu difficilis: idcircò nouas semper aduersùs illam machinas parat, & quod iam confractum est contritumque, aduersis etiam instaurat præliis. [Nam cum quid noui fuerit inuentum, ait Chrysostomus, semper noua id parturit, infinitusque fit error eius qui tranquillam fidamque stationem littoris egressus, per deuia cœperit vagari. Amplius enim proficient impij, & sermo eorum vt cancer serpit. Morbus vtique horrendus, & qui medicinâ contineri nequit: sed omnia in dies corrumpit ac perimit.] Necnon & subuertit. [Nam si resurrectio non est, ait ille, fides nostra omnis euanuit. Si resurrectio non est, inanis est prædicatio nostra. Si non est resurrectio, neque resurrexit, Christus. Quòd si non resurrexit, neque natus est, neque in cœlum ascendit. Et subuertunt, inquit, quorundam fidem. Vides vt cum solam resurrectionem videatur euertere, plurima fidei fundamenta concutiat?] Resurrectio mortuorum, expectatio Christianorum est; illâ nituntur fiduciâ, quâ substractâ in vanum feruntur, totumque labat aut nutat Christianæ disciplinæ ædificium. Primò igitur palàm resurrectionem impugnauit diabolus, aduersùs quam, ratiocinationem armauit philosophicâ. [Hinc illæ quæstiones infructuosæ, ait Tertullianus, & sermones serpentes velut cancer, à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam contestatur caueri oportere.] Sed cum iam elucesceret veritas, nec iam tutum esset dicere non esse resurrectionem; cogitauit eam apertè concedere, sed tentauit obliquè inflectere: & iste nouissimus error pejor priore, cum magis insidiosus sit, nec minùs fidei infensus ac veritati. [Quidam circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.]

Chrysost. Hom. 5.

Chrysost. Ibidem.

Diabolus variè veritatem æmulatus est.

Tertullian. lib. de præscript. cap. 7.

1 Timoth. cap. 1.

Noua igitur blasphemia, noua fidei ac religioni iniuria, quâ dicunt, [Resurrectionem esse iam factam.] Sed qualem intelligunt? Potest triplex esse resurrectio ante resurrectionem omnium generalem, naturalis, spiritualis, moralis. Prima in filiorum propagatione, secunda in peccatorum purgatione, tertia in morum transmutatione. De primâ: [Seleuciani, (apud Augustinum, resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum.] Quasi pater redeat in filio, aut filius patrem suppleat. De secundâ. [Attende (apud eundem Augustinum) sacratissimum triduum crucifixi, sepulti, suscitati. Horum trium quod significat crux, in præsenti agimus vitâ: quod autem significat sepultura & resurrectio, fide ac spe gerimus. Quod ergo inquit Apostolus, Cupio dissolui, & esse cum Christo: inde incipit requies, quæ non interrumpitur resurrectione, sed clarificatur: quæ tamen nunc fide retinetur. Quia iustus ex fide viuit. An ignoratis, inquit, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo illi sumus per baptismum in mortem. Vnde, nisi fide? Sed tamen quia ipsa spes ex promissione veritatis certa nobis est, cum diceret; Consepulti igitur sumus illi per baptismum in mortem, subiunxit & ait: Et quemadmodum surrexit Christus & mortuus per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Ambulamus ergo in re laboris, sed in spe quietis: in carne vetustatis, sed in fide nouitatis.] Quicumque mergitur in baptismo, peccato commoritur, sepelitur, & in nouam resurgit creaturam, nouam agit vitam. Denique de tertiâ: [Nacti quidam, ait Tertullianus, solemnissimam eloquij prophetici formam, allegorici & figurati plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque mortuorum, manifestè annuntiatam, in imaginariam significationem distorquent; asseuerantes, ipsam etiam mortem spiritualiter intelligendâ. Non enim hanc esse in vero, quæ sit in medio, discidium carnis atque animæ; sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo non minus in errore iacuerit, quàm in sepulcro. Itaque & resurrectionem eam vindicandam, quâ quis aditâ veritate redanimatus & reuiuificatus Deo, ignorantiæ morte discussâ velut de sepulcro veteris hominis eruperit: quia & Dominus Scribas & Pharisæos sepulcris dealbatis adæquauerit.]

Augustin. lib. de hæres. 59.

Augustin. epist. 119. cap. 14.

Triplex resurrectio, carnalis, spiritalis, moralis.

Tertullian. lib. de resur. carn. cap. 19.

Eligant ergo Hymenæus & Philetus qualem præferant resurrectionem: sed sciant se reponendos esse inter illos: [Qui hoc ingenio etiam in colloquiis sæpè nostros decipere consuerunt: quasi & ipsi resurrectionem carnis admittant. Væ, inquiunt, qui non in hac carne resurrexerit: ne statim illos percutiant, si resurrectionem statim abnuerint. Tacitè autem, secundùm conscientiam suam, hoc sentiunt, Væ qui non, dum in hac carne est, cognouerit arcana hæretica: hoc est enim apud illos resurrectio.] Verùm, si primam eligant, non tantùm illa naturalis est, sed & carnalis;

Tertullian. Ibidem.

carnalis; nec hominum duntaxat, sed & pecudum. Si secundam, est quidem spiritualis, sed animorum, non corporum. Denique si tertiam, non tantùm Christianorum est, sed & philosophorum, qui non solùm eam non negant, sed & suâ spirant sapientiâ. Sed si eam sperant solam, non solùm aberrant, sed & miserrimi sunt, & cum hæreticis ipsis veniunt computandi. [Miserrimi reuera, vt Apostolus pronuntiauit, (ita Tertullianus) qui in istâ tantùm vitâ sperantes habebuntur; excludendo, dum præripiunt, quod post illam repromittitur; frustrati circa veritatem, non minùs quàm Phygellus, & Hermognes.] Alia igitur proponenda & præponenda resurrectio quæ & corporum est, & omnium hominum, quàm certum est nondum factam, sed ante iudicium extremum faciendam. Sicut enim ante primum Christi aduentum, fideles quasi per antecessum potiti sunt gratiâ; sic & ante secundum martyres aliique sancti potiuntur gloriâ: sed sicut antè illum non erat status perfectionis, sic & ante istum status non est consummationis. Itaque suscitandi sunt mortales omnes, & ad Christi tribunal aduocandi, vt tandem ille merita omnia discutiat, & extremam, ideoque plenam figat sententiam. [Benè philosophi docetis, (rursum Tertullianus) vtiliter suadetis, leuiora post mortem supplicia vel præmia; cum si quod iudicium animas manet, grauius debet credi in dispunctione vitæ, quàm in administratione: quia nihil plenius quàm quod diuinius. Deus autem iudicabit pleniùs, quia extremiùs, per sententiam æternam tam supplicij quàm refrigerij, nec in bestias, sed in sua corpora reuertentibus animabus. Et hoc semel, & in eum diem quem solus pater nouit, vt pendulâ expectatione sollicitudo fidei probetur; semper diem obseruans, dum semper ignorat; quotidie timens, quod quotidie sperat.] Resurgent igitur omnes tam infideles quàm fideles, & ad extremum venient iudicium: procedentque qui benè fecerunt in beatam immortalitatem, qui verò male in æternam damnationem.

Tertullian. l. de resur. car. cap. 24.

Sancti beati sunt, sed nondum consummati.

Tertull. l. de Anim. c. 33.

TROPOLOGIA.

Labora, sicut bonus miles Christi.

QVid exigitur à vero Christiano? Vt laboret. Quousque? vsque ad vincula, vsque ad sanguinem, vsque ad mortem. Quâ de causâ? pro salute electorum omnium.

Quoad primum. Triplicem comparationem inducit Apostolus, militis, athletæ, agricolæ, sed vnam & eandem elicit consequutionem: pugnandum, certandum, laborandum. Homo Dei es? [Tu autem homo Dei, certa bonum certamen fidei.] Miles Christi? [Labora, sicut bonus miles Christi.] Milita bonam militiam. [Quanta verò dignitas est, ait Chrysostomus, esse militem Christi, considera terrenos reges, vt magnum quiddam putent, qui sub eis militant. Si ergo laborare regij militis est: non laborare, militis non est. Non itaque grauiter, aut molestè ferre militem labores

1. Tim. c. 6.

Chrysost. Hom. 4.

A decet, sed contrà, penitùs gratè ac libenter ac tum magis dolere, cum non laborat. Nemo militans, implicat se negotiis secularibus. Nam & qui certat, non coronabitur, nisi legitimè decertet. Dicta sunt quidem ista ad Timotheum, dicuntur autem per illum quoque magistris omnibus, atque discipulis. Quid est ergo legitimè? Non sufficit, inquit, si quis in certamen tantummodo descendat, si solùm vngatur, aut congrediatur tantùm: sed nisi per omnia certaminis seruauerit legem, vt sobrius, grauis, constansque sit, omniaque prorsus obseruet, quæ certantibus congruunt, nunquam profectò coronabitur. Addit autem & tertium vt constanter ac fortiter omnia perferre hortaretur, ac semper in exercitatione esse. Cur

B enim non simpliciter dicit agricolam, sed laborantem agricolam: neque vtcumque agricolam, sed acri intentione laborantem? Postea verò quàm exempla proposuit militum, athletarum, agricolarum, eaque omnia figuratè: protinus addidit, Intellige quæ dico: dabit enim Dominus in omnibus tibi intellectum.] Id est, parabolæ sunt istæ, sed attende quò tendant; figuræ sunt, aduerte quid prætendant: omnes enim in idem collimant, & eundem commendant laborem. Vocati sumus in militiam Dei viui, ex quo sumus Christiani: imò non vna nobis militia est, sed vbique laborandum. [Tripliciter, ait Aquinas, aliquis

C est miles Christi. Primò, in quantum pugnat contra peccata, & hæc pugna est contra carnem, mundum, & diabolum: secundò, est aliquis miles Christi pugnando contra errores, & hæc ad destructionem munitionum & consiliorum: tertiò, est militia martyrum contra tyrannos. Sed non debet quiescere miles, quia dicitur à militiâ sustinendâ.] Quando ait Paulus, [Labora.] Innuit dura pro Christo toleranda: sed ne reformidetur quod tolerandum est, nec spectetur quod delibandum est, addit, [Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere,] Dura quidem sunt, sed

D suauia. Ita Psaltes, [Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es; O vos ô tu: ait Augustinus: vos multi qui vnus estis, labores fructuum tuorum manducabis. (ita ille legit) Quasi peruersè videtur dicere non intelligentibus: debuit enim dicere, fructum laborum tuorum manducabis: multi enim manducant fructum laborum suorum. Laborant in vineâ, ipsum laborem non manducant, sed quod de labore ipsorum nascitur, hoc manducant. Laborant circa arbores pomiferas, quis manducet labores? Nemo, inquam, sed quod illæ arbores attulerint. Fructus laboris, & ipse

E iucundat agricolam. Quid sibi vult ergo, labores fructuum tuorum manducabis? Modò labores habemus, fructus postea erit. Sed quia & ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, de quâ Paulus: Spe gaudentes, in tribulatione patientes, modò nos ipsi labores nostri iocundant, & lætos nos faciunt de spe. Si ergo labor noster potuit manducari, & potuit iocundare, manducatus fructus ipsius laboris qualis erit? Manducabant labores suos, qui euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Quantò iocundiùs manducabunt fructus

Legitimè certare est, leges omnes seruare.

Aquin. lect. 1.

Augustin. Enarrat. in Psal. 127. in med.

Chrysost. Hom. 4.

laborum, qui venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos?] Iam quidem, [In ipso labore retributio est.] Quid ergo cum miles victoriam obtinebit, athleta coronam, & agricola plenos reportabit manipulos?

Quoad secundum. Laborat Apostolus, sed vsquequo? [Laboro, inquit, vsque ad vincula: sed verbum Dei non est alligatum.] Videas hominem indesinenter laborantem, vincula non reformidantem aut supplicia: soli labori intentus est, soli addictus certamini. [Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Circa quod sciendum est, (obseruante Aquinate) quòd alius est finis militiæ spiritualis, & alius est finis militiæ corporalis: quia finis militiæ corporalis est, vt obtineat victoriam contrà hostes patriæ, & ideò milites debent abstinere ab his, quæ abstrahunt à pugnâ, puta, à negotiis. Sed militiæ spiritualis finis est, vt victoriam habeat ab omnibus, quæ sunt contrà Deum; & ideò oportet quòd abstineat ab omnibus, quæ distrahunt à Deo. Hæc autem sunt secularia negotia, quia sollicitudo huius seculi suffocat verbũ. Et ideò dicit, Implicat se, Implicat dicit, & non dicit exercet. Ille autẽ eis implicatur cuius cura & sollicitudo angitur circa ipsa. Et tunc propriè ipsa hæc interdicuntur militibus Christi, in quibus ostẽditur non esse necesse implicari animum. Causa autem, quare non debeat implicari, est, Vt ei placeat, cui se probauit. [Qui enim est miles Christi, deuouit se ad militandum Deo: & ideo hoc debet conari, vt ei placeat, cui se deuouit.] Ex Græcis, Nemo militans, implicatur vitæ negotiis.] Didicit contemnere vitam, quantò magis pecuniam? militiam amat, ideò nec mercaturam curat, nec agriculturam: bellum tractat, prælium cogitat, & ad solam aspirat victoriam, solam prospectat gloriam. Sic & miles Christi, non solùm victum contemnit, sed & vitam: & vnum appetit, nimirum gloriam. [Etiamsi enim mortuus fueris, ait Chrysostomus, viues: nam ipse quoque Christus est mortuus. Siue ergo mortui fuerimus, siue viuamus, cum ipso viuemus. Hoc est indifferens: nihil mea refert viuamue an moriar: cum illo enim viuemus. Omnia nos agamus pro illâ vita: omnia operemur ad illam aspicientes.] Vides Paulum in carcere? etiam in carcere renuntiauit carceri. [Pressuris enim tribulabatur & carceribus, ait Ambros. quia vnum Deum prædicabat in Christo.] Quasi latro, quasi malè operans male tractatur, alligatur, cæditur, affligitur: verùm non solùm pati paratus est, sed & mori: non solùm fundere sanguinem, sed & mortem excipere: ideò tradet quidem manus vinculis, sed Christum semper etiam minante periculo, etiam gladio imminente, verbis exprimet. [Nam siquidem, inquit, (apud Chrysostomum) seculi milites essemus; si bella carnalia bellaremus, haberent aliquid vitium vincula, quæ manus obligassent nostras. At tunc tales nos fecit Deus, vt nihil nos deiicere possit. Vinciuntur manus, sed manet lingua libera, quam nemo ligare possit, nisi formido sola, atque infidelitas. Quandiu ea abest,

Aquin. lect. 1.

Implicat se qui animo sese applicat anxio.

Chrysost. Hom. 9. in ep. ad Thess.

Ambros. in Paulum.

Chrysost. Hom. 4.

A quantalibet quis iniiciat vincula, prædicationis vox alligata non est. Puta si quis agricolam vinciat, sementem profectò impedit: manu enim ille serit. Doctorem verò si vinxeris, verbum Dei compedire non vales: linguâ quippe, non manu seritur verbum, quod nullis subiacet vinculis: humani nexus Dei verbum ligare non possunt: nam etsi vincti ipsi sumus, illud solutum est, & liberè currit. Est ergo miraculis plenissimum, quòd is qui vinctus est, solutorum exercet munus, vinctus omnia vincit, vinctus eos qui se vinxerant superat.] In hoc nimirum superat, quod se superiorem præstat & inuincibilem.

B Quoad tertium. Non solùm laborat Paulus vsque ad vincula, sed & omnia tolerat. Quâ de causâ? [Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti.] Vbi tria notanda sunt. Primum est, omnia propter electos ordinata & disposita. [Quia, vt decernit Aquinas, quæcumque bona fiunt, specialiter cedunt in bonum electorum, non reproborum.] Non quod reprobis nulla gratia sit collata, sed quod & ipsa non tam in gratiam reproborum ordinata sit, quàm in gloriam electorum. Ideo

C dicit, [Specialiter.] Quia & in reprobos conferuntur quidem, sed ad electos referuntur; quomodo & omnia electorum bona, sicut à Christo sunt, sic & in Christo sunt recensenda. Omnia quippe propter Christum ipsum facta sunt, sed cum vnum sit electorum corpus quorum Christus est caput; specialiter quidem omnia propter electos, principaliter autem propter Christum sunt disposita. Alterum, omnia ista in salutem terminari. [Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.] Id est electos

D suos, quorum non solùm seruator est, sed & saluator: oues pascuæ eius, quarum ipse custos & pastor est; ipsas enim accepit à Patre, imo ipsas elegit cum patre, idcircò speciali tutelâ, & inuincili protegit custodiâ. [Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu. Tertium, Paulum addidisse, [Cum gloriâ cœlesti.] Vt veram salutem signaret per æternam beatitudinem. Sicut enim duplex est salus, vna corporalis quæ est & pecudum; altera spiritualis, quæ est beatorum: sic & duplex gloria est, vna terrestris, quæ est hominum, alia cœlestis, quæ est angelorum. Vnde Paulus, [Qui

E gloriatur, in Domino glorietur.] Quippe, vt obseruat Aquinas. [Omnis rationalis creatura appetit gloriam, quia ad hoc creata est: ideò Apostolus docet vbi inuenitur vera gloria. Est enim gloria falsa in diuitiis temporalibus, vana in honoribus secularibus, stulta in voluptatibus. Prima enim conuertetur in inopiam, secunda in ignominiam, tertia in luctûs angustiam. Vera gloria in Domino, est gloriari in eius cognitione. Hierem. 9. In hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me.] Christus quidem saluator omnium. [Et non est in alio aliquo salus.] Maximè autem fidelium, quibus destinata salus æterna. Sed ea salus inchoatur in hoc mundo, consummabitur

Aquin. lect. 2.

Matth. c. 1.

Aquin. ser. debent. Lucia.

Act. cap. 4.

in altero. Tunc autem in totum consummata erit, cum erit beatâ immortalitate donata; cum gloriam cœlestem assequentur beati, cum angelicam sortientur beatitudinem. [Omnia tolero propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloriâ æternâ. Adiicit adhortationis cumulum, ait Chrysostomus, dum non pro se, sed pro salute aliorum ista pati se dicit. Cum, inquit, liceret absque periculis viuere, nihilque huiusmodi pati, siquidem meâ essem contentus salute: alienis tamen commodis consulo, vt alij æternam consequantur vitam. Quid polliceris? non ait simpliciter, propter hos aut illos, sed propter electos. Si Deus, inquit, illos elegit, & nos omnes pro illis pati oportet; vt & ipsi salutem consequantur, quemadmodum & nos. Et nos enim elegit Deus. Sicut igitur propter nos passus est Deus, ita & nos pro illis pati conuenit. Est ergo ea res non gratia, sed retributio. In Deo quidem gratia est, nullis enim præcedentibus bonis nostris in eum, sed solâ gratiâ nos redemit: in nobis verò retributio est: præuenti enim diuinis beneficiis pro fratribus patimur, vt & ipsi salutem consequantur. Quam porrò salutem dicit? Angunt vitæ huius aduersa, ac temporalia sunt: non sunt talia veræ salutis munera, sed æterna, sed cœlestia. Non huius, inquit, salutis momentaneæ, fluxæ, mundanæ: sed eius quæ in Christo est veræ salutis cum gloriâ æternâ, idem auctor illis sum.]

Chrysost. Hom. 4.

Vana quæ in hoc mundo, vera quæ in futuro.

ANAGOGIA.

Negare seipsum non potest.

HOc statuit Deus, & hoc voluit: primò, vt electi per ignominiam perueniant ad gloriam: secundò, vt reprobi per culpam referant pœnam: tertiò, vt decretum nulli sit casui obnoxium.

Quoad primum. Rem grandem affirmaturus est Apostolus, idcirco more suo præfatus est. [Fidelis sermo. Cum enim, vti dixit Athanas. ambigant de futurâ vitâ nonnulli & gloriâ: idcircò id dictum affirmat, aitque, Fidelis sermo. Quis ille sermo? Quia gloriosam videlicet vitam sortirentur electi, & salutem perpetuam.] Sed quo pacto? [Plerique infirmiores, ait Chrysostomus, ad fidei robur non assurgunt, neque spei dilationem patiuntur, præsentiaque inquirunt tantùm, & ex his futura coniiciunt. Quoniam igitur quæ hîc Paulus tolerabat, mors erat, & supplicium, & vincula, ipse autem vitam pollicebatur æternam: fidem verbis eius difficilè quis habuisset, diceretque; In morem animalium morior, & quum fuero mortuus, viuam: in terrâ nihil mihi polliceris, & in cœlo dabis? Quæ sunt parua non exhibes, & maiora præstabis? Vnde ergo fidelis sermo? Si enim commortui sumus, inquit, & conuiuemus. Si enim in his quæ tristia sunt, laborisque plenissima, communicamus illi; in his quæ plena felicitatis sunt, non communicabimus? At id ne homo quidem faceret, vt qui secum mori affligique delegisset, si quando quiete ac secundis rebus frueretur, cum nollet felicitatis habere consortem. Vbi ergo commortui? Eam dicit profectò mortem, quæ per passiones fit: ait enim, Mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes. Propter ipsum igitur mortui sumus, non viuemus æquè per ipsum? Memor esto Christum Iesum resurrexisse à mortuis: hoc est, quia post mortem resurrexit.] Oportuit illum pati, & ita intrare in gloriam suam: mella post fella gustauit, & per infamiam patibuli, peruenire voluit ad cœli gloriam. Si ergo dura & tristia cum illo sustinuerimus, si vitam hanc caducam pro illo posuerimus, æternam recipiemus ab illo; si compatimur, & conglorificabimur: sic enim statuit Deus, electos suos ad gloriam adducere per infamiam, ad beatam immortalitatem per probrosam mortem, per dura aduersa conducere. [Si quis ergo gloriam cupit, (ita Chrysostomus) ignominiam quærat: si quis requiem appetit, sese pressuris exerceat: si quis probatus ac spectatus esse desiderat, æternisque deliciis frui, respuat totâ intentione animi temporalia omnia. Fas certè non est in terrâ gloriam quærere, ceterùm si eius amore tenearis, ea per ignominiam quærenda est. Sed id, si placet, in duabus personis inquiramus, Nerone scilicet, ac Paulo. Ille mundi gloriam, hic ignominiam habuit. Quonam modo? Ille Imperator, Augustus, Cæsar, Rexque dicebatur, aliisque nominibus quæ assentatio blanditiæque in obsequium adinuenerant, appellabatur, nihilque ad gloriam defuit. Quid hac gloriâ potius, imò quid eâ pejus ignominiâ? Ex aduerso autem Paulum quoque discutiamus. Cilix homo erat: quantum verò & Cilicia à Romanâ vrbe distet & viæ spatio, & gloriæ merito, nouerunt omnes. Coriarius inops, qui sæpè cum fame luctatus est, dormiuitque incœnatus, homo nudus, & cui vestitus ipse sæpè necessarius deerat. Neque hoc solum, sed in vinculis quoque cum latronibus, cum Magis, cum sepulchrorum effractoribus, illo ipso iubente coniectus est. Quis ergo videtur illustrior? Nonne illius nomen obscurum est, & apud plerosque ignoratur? Hunc autem & Græci, & Barbari, & Scythæ, & qui ipsos orbis incolunt fines, quotidie celebrant laudibus. Sed leonem profectò imprudens ex vngue descripsi. Illa illa cœlestia, illa sanè diuina, quis concipiat animo, quis promat eloquio? Quando ille cum imperatore cœlesti, amictus gloriâ comes adueniet, adstabit Nero tunc tristis, mœrens, demissus.]

Athanas. in Paulum

Chrysost. Hom. 5.

Chrysost. Hom. 4.

Quãto Paulus Neroni imperatori præferẽdus.

Quoad secundum. Tota salutis, aut perditionis alea inter confessionem aut negationem versatur: vt sicut confessor gloriam, sic & negator consequatur infamiam. [Sanè, ait Tertullianus, ceteros ad hoc tenditis & carnificatis, vt negent esse quod esse dicuntur.] Qui enim torquendo Christiano præsidebat, solebat dicere, Nega te esse Christianum; quasi suggereret per quod ille posset euadere. Quid vero negare se Christianum quàm Christum abnegare, fidẽ suam seu professionẽ Christianã eiurare? [Ita, inquit, ille fidem meam deserens, negator inuenior.] Idem quippe nega-

Tertullian. lib. 1 ad Nat. cap. 3

Tertul. l. de præscript. cap. 11.

Chrysost. Hom. 5.

tor quod desertor, transfuga, apostata? Aliâ igitur ex parte, (vt dicam cum Chrysostomo) ad tolerantiam prouocat Apostolus, non scilicet ex bonis, verùm ex malis. Nam si eadem cum bonis consequerentur & mali, nulla esset consolatio: & si qui sustinerent, conregnaturi essent; qui verò non sustinerent, hoc solùm passuri dicerentur, vt non conregnarent: graue quidem & hoc esset, sed plurimos tamen minimè angeret, idcircò id quod est terribilius addit, Si negauerimus eum, inquit, & ipse negabit nos. Bonis itaque & malis digna pro meritis vicissitudo reddetur. Qui me, inquit, negauerit, negabo ipsum & ego. Non tibi videtur æqua retributio?] Nimirum si quis neget, à regno Dei, à Christi exulet consortio. Qui sunt illi negatores desertores-ve? qui pati nolunt pro Christo, vt viuant cum Christo; qui commori nolunt, vt ad æternum resurgant imperium. [Qui confitebuntur in Christo, ait Tertullianus, occidi habebunt coràm hominibus, nihil vtique amplius passuri post occisionem ab illis. Hi ergo erunt quos suprà præmonet, ne timeant tantummodò occidi; ideo præmittens non timendam occisionem, vt subiungeret substruendam confessionem: Et omnis qui negauerit me coràm hominibus, denegabitur coram Deo; ab eo vtique qui illum confitentem confessus fuisset. Si enim confessorem confitebitur, ipse est qui & negatorem negabit. Porrò, si confessor est, cui nihil timendum est post occisionem, negator erit cui timendum erit post mortem.] Gehennam enim incurrit per suam perfidiam; & per culpam pœnam retulit. [Si sustinuerimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos.] Non semel mori, sed toties pati, quoties mors timenda, vel ferenda. [Qui autem sustinuerit vsque in finem, iste saluus fiet. Quid sustinendo, ait ille, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occisionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quàm pati finem. Omnis igitur qui in me confessus fuerit coràm hominibus, & ego confitebor in illo coràm patre meo qui in cœlis est. Et omnis qui negauerit me coràm hominibus, & ego negabo illum coràm patre meo qui in cœlis est. Manifesta, vt opinor, definitio & ratio est, tam confessionis quàm negationis, etsi dispositio diuersa est. Suffecisset etsi de confitendo tantummodo Dominus pronuntiasset: ex formâ enim confessionis, contrario quoque eius præiudicaretur, id est negationi; perinde negationem rependi à Domino, quemadmodum confessioni confessionem. Plus est tamen, quod & confusioni confusionem comminatur: Qui me confusus fuerit coràm hominibus, & ego confundar eum coram Patre meo qui in cœlis est. Sciebat enim à confusione vel maximè formari negationem: mentis statum in fronte consistere: priorem esse pudoris quàm corporis plagam.]

Tertul. l. 4. aduers. Mar. cap. 18.

Gehenna à reprobis inflicta ex perfidia.

Tertul. l. de Scorp. c. 9.

Quoad tertium. Sicut solis radius non minuitur infirmorum cæcitate, sic & definitionis status incredulitate malorum nō euertitur. [Si non credimus, ille fidelis permanet. Nihil ei nocemus, ait Chrysostomus, si credere noluimus: fidelis quippe ille manet: verax est, firmus est, siue hoc dicamus, siue non, nihil ex hoc læditur. Si igitur nihil noceri à nobis potest cum illum negamus, nullam aliam ob caussam confessionem exigit nostram, nisi vtilitatis nostræ gratiâ. Ille enim idem manet, siue ipsi negemus, siue non. Negare seipsum non potest. Hoc est, non esse, etsi res ita se habeat: cum sit illi per naturam esse, non potest ad id venire, vt non sit. Semper manet, sempiterna illius substantia est. Non itaque vt gratificantes illi, ita affecti simus, aut violare aliquâ ex parte nolentes, sed vt veritati inhærentes.] Credunt boni, sed sibi consulunt, nihil inde Deo conferunt: nolunt mali credere, aut à fide resiliunt, nihil Deo detrahunt, sed ipsi sibi mortem & damnationem acquirunt. Itaque firmum stat Dei decretum, sibique in æternum constat, vt qui tolerauerit vsque ad finem regnet cum Christo: qui fidem abnegauerit, à regno exulet. Ita statuit Deus, ita disposuit; tam non potest mutare propositum suum quàm nec potest negare seipsum. [Vbi enim, vti loquitur Iobius Monachus, proditum est vnquam, vt Deus vel negaret seipsum, vel mutaretur, aut quod verum erat, falsum fieret? Omnipotens quidem & dicitur, & prædicatur; sed quòd eaquæ ipsum decent, & salutaria sunt rebus creatis, ea facere possit omnia, cum vult. Alioquin hoc ipsum dicere, Non posse Deum, quæ non decent ipsum, ad potentiam pertinet reuera. Si enim hæc omnia, priuatio atque impotentia quædam sunt: quomodo non summæ hoc erit potentiæ ac fortitudinis, infinito quodam spatio supra hæc omnia collocatum esse? Dicendum ergo duplex esse potentiæ nomen. Alias enim propriè significare potentiam, quâ & Deus omnipotens appellatur, & omnia quæ exsistant ex innatâ sibi ac propriâ vi, quæ ad naturam suam pertinent, operari dicantur. Aliàs verò duntaxat, quod decorum & conueniens sit, adsignificare. Cum itaque dicimus, Non posse Deum seipsum negare, hoc dicimus, neque decens esse Deo, neque conuenire, propriam naturam inficiari. Similiter cum dicimus, Non posse vllam mutationem admittere: non decere ipsum dicimus, neque conuenire, vt aliqua illi vel mutatio, vel alteratio attribuatur: quod non modò nullam infirmitatis significationem habet, sed omnipotentiæ potius firmissimum est testimonium.] Non est impotentia iustitiæ, non posse vitium contrahere, imo posse macula est, sicut & sapientiæ, erratū non admittere. Si igitur tanta sit iustitia, quæ nullum possit vitium contrahere; aut tanta sapientia, quæ nullum possit erratū admittere: in eo quod non potest, plurimū potest, quia dum maculam abstergit, perficit potentiam: & dum curat infirmitatem, virtutē consummat facere enim iniuriam, aut recipere; effectûs non est, sed defectûs, & dum impotentiam arguit, minuit potentiam. Denique cum Deus tam perfectus sit, vt essentia eius sit veritas, natura æquitas: tam non potest violare promissum, aut quod iustum est non præstare, quàm nec negare seipsum. [Certè, ait Augustinus, Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est?] Næuus est libertatis

Chrysost. Hom. 5.

Iobius Monach. l. 1. de Verb incar. c. 13.

Potentia in Deo dupliciter intelligenda est.

Augustin. lib. 22 de Ciuit. Deo cap. 30.

defectus voluntatis: ideoque tanto plus facere potest, quanto minùs potest deficere. Vnde sancti in patriâ peccare amplius non poterunt, nec tamen minus erunt liberi: imò potius inde liberi, quod iam non serui, sed ab omni miseriâ, sicut & ab omni culpâ in æternum liberati. Nullus in posterum defectus, seu naturalis seu moralis: virtus completa, voluntas obfirmata; & inde tota potestas, quia nulla iam infirmitas.



PARS ALTERA.

DE SIGNACVLO:

TEXTVS.



Sed firmum firmamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius; & discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini. In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Inuenilia autem desideria fuge, sectare verò iustitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & sine disciplinâ quæstiones deuita: sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem eos, qui resistunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

EXEGESIS LITTERALIS.

Signaculum aperit electionis diuinæ, nimirum æternæ sigillum dilectionis. Tum demum ostendit quid Dei seruus auersari debeat, quid consectari.

[Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius; & discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini, &c.] Hyemenæus & Philetus exciderunt à veritate, & subuertunt quorundam fidem. Sed si vltra proficiunt ad impietatem, quò tandem fides & religio Christiana? Aliud fides reproborum, aliud fides electorum quoad firmitatem, licet eadem sit quoad veritatem: illa enim cum radicem non habeat, in tempore tentationis deficit: ista verò cum penitus insideat, ventis resistit ac procellis: eadem igitur certitudo, sed non eadem firmitudo. Sed vnde tanta in electis fidei constantiâ? ex immoto diuinæ electionis, seu dilectionis æternæ proposito. Inde enim fit vt constanter iniquitatem omnem refugiant, & perseueranter diligant pietatem. [Quòd inquit tale est: (ait Athanas.) Haud-

Athanas. in Paulum.

A quaquam omnes peruersi sunt, sed infirmi duntaxat & inconstantes. Nam si non fuissent huiusmodi, minimè concidissent. Qui verò benè fundati sunt, stabiles permanent & immoti. Nouit Dominus, hoc est, ab eo longè antè sunt cogniti, qui eius sunt fortis; & hi quidem idcircò sunt præelecti, ne cum putrescentibus illis corruant & inquinatis.] Idcircò igitur metuendum non est ne fides electorum corruat, aut religio concidat Christianorum. [In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, &c.] Et miraris aliquos B in Ecclesiâ peruersos esse, instabiles, & aliorum fidem subuertentes: nonne in magnâ domo sunt omnis generis vasa, non solùm pretiosa, sed & vilia; & alia quidem in gloriam ac decus, alia ad dedecus & ignominiam præparata? [Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum, &c.] Dixerat, [Profana autem & vaniloquia deuita.] Id est, impia inaniloquorum dogmata. Si quis ergo se ab ipsis purum seruarit ac mundum, in vsum erit honorificum:

Alia vasa ad decus, alia ad dedecus disposita.

pote consecratum & accommodum Christo Domino, cum sit ab eo ad omne bonum opus præparatum. [Quia si sordidetur ab illis, ait Aquinas, erit in contumeliam: si emundat se, in honorem.]

Aquin. lect. 4.

[Iuuenilia autem desideria fuge, sectare verò iustitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro, &c.] Quantum verò ad te attinet, ne ætati crede adhuc florenti, sed iuuenilia fuge desideria: quin potius stude virtutibus concupiscentias istas conterentibus. Amplectere iustitiam, quæ ius suum cuique seruat: fidem, quæ mysteria curiosè non explorat: charitatem, quæ non tam sua curat procuratque quàm aliena: pacem denique, sed cum iis qui Deum colunt sincerè, non enim dico cum iis qui Christum lacessunt. [Illis solùm confide, qui non simulatè, nec dolo Dominum inuocant, qui pacifici sunt & minùs contentiosi, cum talibus inquam versare.] Ita Commentarius Athanasij titulo editus. [Stultas autem, & sine disciplinâ quæstiones deuita: sciens quia generant lites.] Ineptas autem ac friuolas quæstiones reiice, inde enim animorum rixæ, & pugnæ verborum. [Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, &c.] Christianum verò, maximè verbi Christi ministrum tam non decet pugnare verbis, quàm nec pugnis percutere: oportet enim illũ, quantũ in se est, placidum esse erga omnes humanumque. [Docibilem.] Græcè διδακτικὸν, ad docendum, quàm ad contendendum paratiorem. [Patientem, &c.] Improbos importunos ve ferentem, [Cum modestiâ corripientem eos, qui resistunt veritati, &c.] Textus Ambrosianus: [Insensatas autem & ineruditas quæstiones deuita. &. Seruum Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, modestè corrigentem eos qui diuersa sentiunt.] Et ex Commentario. [Quantum prosit modestia, declarauit. Si enim hoc in quibusdam hæreticis placitum est, quia humiles videntur: quanto magis laudabile & fructuosum erit in Catholico, si fuerit mitis?] Exigitur correptio paterna, & mansueta eruditio. [Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.] Illi, inquam, non asperè corripiendi, sed benignè instruendi, si forte dignetur Deus per doctrinam inspirare pœnitentiam, veritate cognitâ, ac fide susceptâ; sicque ad sanam redeant mentem, & euadant à laqueis diaboli, à quo decepti & capti, diuino iudicio sunt detenti: suâ enim voluntate irretiti sunt, sed æquitate diuinâ captiuati.

Comment. Athanas.

Ambros. in Paulum.

Iniusti diaboli laqueis iustè detenti.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ *in litteram.*

INquirendum de vasis, & de laqueis. De vasis quidem, qualia sint ista. De laqueis autem, quomodo mali sint istis detenti. Sit ergo

DISQVISITIO PRIMA.

De vasis.

INtellige quæ dicat Apostolus. Sed, vt Hieronymus monuit. [Quando ad intelligentiam prouocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est.] Mysteria sunt, ideò ab illo qui legit requirenda. [In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.] Primò ergo, quid intelligendum est per magnam domũ: secundò quid per vasa aurea & argentea, lignea & fictilia: tertiò, an eadem aurea, quæ in decus; & lignea, quæ in dedecus afficta?

Hieronym. in cap. 24. Matth.

Quoad primum. Si sonum verbi attendas, mundum concipies: si sensum expendas dicti, ipsam intelliges Ecclesiam. [In magnâ domo: ac si dicat, (secundùm Chrysostomum) Quemadmodum in maiori domo necessaria est magna differentia vasorum, ita & in orbe toto. Non enim eam similitudinem ad Ecclesiam refert, verum ad mundum vniuersum. Quippe in Ecclesiâ nullum vult esse vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia & aurea.] En quoad sonum verbi, sed quoad dicti sensum. [Quid opus erat, ait Ambros. hoc loco de mundo aliquid dicere, aut vt quid affirmaret mundum domum magnam significans? Nam dicit Dominus Apostolis, Non estis de mundo. Quomodo igitur intrà mundum concludendi sunt, qui negantur de mundo esse? Non ergo domum magnam mundum dicit, sed Ecclesiam, in quâ omnes sub vnius Domini sunt nomine.] Sed ille paulò strictiùs coarctat Ecclesiam, cum solos comprehendat sanctos: iste paulò liberaliùs dilatat, cum & ipsos inuoluat hæreticos schismaticosque. Tutiùs ergo medio incedendum est, dicendumque, per magnam domum, intelligendam Ecclesiam, sed quatenus bonos continet & malos, illosque frumentis accenset, istos paleis. [Quantus arrogantiæ tumor est, ait Cyprianus, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, vt quis aut audeat, aut facere posse se credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi paleam ferre & aream purgare concessum sit, paleas à tritico conetur separare: cumque Apostolus dicat, In domo autem magnâ non solum vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia, aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea vero & fictilia contemnere?] Certè nec mirum, nec ad institutum Pauli, malos & reprobos esse in hoc mundo, cũ totus in maligno positus sit: sed quis mirari poterat ac conturbari, in Ecclesiâ ipsâ esse peruersos, esse hæreticos, licet adhuc occultos, intus corruptos, tamẽ Christi nomen & fidem professos. Idcircò Timotheum suum admonet Apostolus, docetque in vnâ Ecclesiâ esse malos bonis permistos, impios sanctis secundùm exteriorem similitudinem sociatos. Sic ergo, & ex Augustino: [Dicit Apostolus Paulus de quibusdam qui circà veritatem ab-

Chrysost. Hom. 6.

Ambros. in Paulum.

Cyp. l. 4 ep. 2. vers. fin.

In vna Ecclesia sunt boni & mali.

Augustin. l. 3 de bapt. cont Don. c. 19.

errauerant, & fidem quorundam subuertebant, quorum sermo vt cancer serpebat, quos cum euitandos esse diceret, in vnâ tamen domo magnâ eos fuisse significat, sed tanquam vasa in contumeliam. Credo quòd nondum foras exierant: aut si iam exierant, quomodo eos dicit in eadem magnâ domo cum vasis honorabilibus? Et ne quisquam putaret tanquam in vnâ domo magnâ perire se posse cum talibus, vigilantissimè prædixit, Nouit Dominus qui sunt eius.] Nondum ergo illi exierant ex nobis, adhuc erant in magnâ domo, sed pseudochristiani & antichristi: manent enim, nisi ipsi manifestè ac publicè discordent, aut ecclesiastico exulent iudicio.

Quoad secundum. Vasa aurea & argentea, non tam spectant meritum quàm pretium, nec tam sanctitatem repræsentant quàm dignitatem: sic & vasa fictilia & lignea, sunt minoris quidem valoris splendorisque, non tamen minoris vtilitatis aut commoditatis. Quanta enim, quorum vilior est census, sed vsus aptior? [Quòd si, ait Tertullianus, de qualitate vsûs gloria est auro & argento: atquin magis ferro & æri: quorum ita disposita est vtensilitas, vt & proprias operas plures, & necessariores exhibeant rebus humanis, & nihilominus auri & argenti de suo vicē accōmodent iustioribus causis. Nam & annuli ferro fiunt. Quædam esui & potui vascula ex ære adhuc seruat memoria antiquitatis. Viderit si etiam ad spurca instrumenta auri & argenti demens copia deseruit. Certè nec ager auri opere piratur, nec nauis argenti vigore contexitur. Nullus bidens aurum demergit in terram, nullus clauus argentum intimat tabulis.] Vult ergo Paulus in domo Dei, esse supellectilem ad omnes vsus instructā: sunt enim antistites, sunt & doctores, quasi vasa aurea & argentea: sunt & fideles, inferioris quidem ordinis homines, sed non inutiles. [Omnia opera, quæ Deus fecit in naturâ & gratiâ, ita Aquinas) sunt facta ad manifestandam gloriā Dei. Sic enim fecit diuersas creaturas, vt perfectio diuinæ bonitatis, quæ non potest manifestari per vnam sufficienter, manifestetur per aliam. Ita etiam considerandum est de vno artifice, in domo vnâ est vnâ fenestra, quæ est alterâ pulchrior. Si quis ergo quærat, quare non tota domus est fenestra, ratio est quia tota domus esset imperfecta. Similiter dicit Apostolus 1. Corinth. 1. Si totum corpus esset oculus, vbi auditus? Similis est ratio de perfectione Ecclesiæ, quam oportebat esse perfectam: quod non esset, si in eâ non esset diuersitas.] Sunt aliqui in supremo gradu constituti, sunt & qui in infimo: præsunt illi, isti subsunt: pollent quidam insignioribus charismatibus, alij carent: alij splendent, ingentem edentes eloquentiæ sonum, non mediocrem emittentes doctrinæ radium, alij inter vulgares sese fideles continent.

Tertullian. l. de hab. mul. cap. 4.

Aquin. lect. 3.

Vasa aurea sint membra Ecclesiæ illustriora.

Quoad tertium. Ex quacumque massâ sunt aliqua vasa in decus effecta, aliqua ad dedecus. Vnde tria elicienda sunt. Primum est, quædam vasa aurea & argentea esse in ignominiā quædā lignea & fictilia in gloriam: alterum est, per ignominiam intelligendam reprobationem dānationem ve, per gloriam verò electionem glorificationem ve: tertiū denique, nullum esse medium: sicut enim nullus inter prædestinationem aut reprobationem medius status est, sic nec vllus inter damnationem aut glorificationem locus. [Quantumlibet non intelligas, (ait Augustinus Iuliano) quomodo Deus faciat ex eadem massâ aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; ita facit tamen vt non faciat tertium genus vasorum, nec in honorem, nec in contumeliam.] Non enim alia vasa, quam iræ aut misericordiæ, vindictæ aut gratiæ. [Gratia, ait ille, liberat à totius massæ damnatione quos liberat: quantum enim pertinet ad originis meritum, ex vno omnes in condemnationem: quantum autem ad gratiam quæ non secundùm merita datur, quicumque ab istâ condemnatione liberantur, dicuntur vasa misericordiæ; qui verò non liberantur, ira Dei manet super eos, veniens de iusto iudicio Dei; quod non ideò vituperabile, quia inscrutabile est. Et propterea vasa iræ nuncupantur, quia & his benè vtitur Deus, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ: quod enim Deo iudicante à ceteris exigitur, hoc istis commiserante donatur.] Itaque, vt concludam ex Aquinate: [Prædicta diuersitas applicanda est ad diuersitatem Ecclesiæ: vt vasa aurea sint prælati, argentea verò, & lignea, & fictilia, tenentes inferiorem gradum, inter quos est quidam gradus. Quod autem subdit, Quædam in honorem, quædam autem in contumeliam: non est sic intelligendum, quod vasa aurea & argentea omnia sint ad honorem, & fictilia in contumeliam: quia de quocumque statu quidam saluantur & quidam damnantur.] Non omnia aurea prædestinata sunt, nec omnia fictilia reprobata: sed quædam quæ videntur in præclaros & honestos vsus præparata, tandem inuenientur reprobata: & quæ inter infimos recensentur gradus, exaltata comperientur & glorificata.

Augustin. l. 5 op. incls. num. 99.

Augustin. l. 1. num. 117.

Aquin. lect. 2.

Non alia quàm iræ vasa aut misericordiæ.

DISQVISITIO SECVNDA.

De laqueis.

Laqueos dico, licet ex Græco numerus singularis non pluralis deducendus sit. [Ne fortè det eis Dominus resipiscere à diaboli laqueo. Quemadmodum enim auis, (ita Chrysostomus) etsi non toto corpore, sed vno tantùm pede capta teneatur, in potestate eius est, qui laqueum tetendit: ita & nos, cum & fidei & vitæ peruersitate capi valeamus, si vitâ solùm oberrauerimus, in ius diaboli labimur.] Parùm igitur interest siue laqueum legas, siue laqueos dicas, sicut enim qui vel vno lethali vulnere confossus est, morti addictus est; sic qui vel vnâ pedis parte comprehensus est, ditioni nihilominus irretientis illaqueantisque est subiectus. [Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem eos, qui resistunt veritati. Ne quando det illis Dominus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.] Quoties id Apostolus repetit, impri-

Chrysost. Hom. 6.

Athanas. in Paulum.

mitque? [Vide, ait Athanas. quemadmodum vbique hunc à disceptando auertat. Nec eo quidem quòd minùs confideret Timotheum alios posse refellere, sed quia prorsus videretur inutile huiusmodi certamen adire, quod præter contentiones & odia, nil in se boni habere.] Ita superiùs. [Iuuenilia desideria fuge.] Quænam illa? [Iuuenilia desideria non solùm fornicandi dicit cupiditates, sed absurdas quasque concupiscentias, siue dominandi quis trahatur cupidine, siue pecuniarum.] Sunt illi pueriles affectus, quibus disputationes instituuntur, vt ostentetur scientia, reportetur victoria; quibus quæstiones inuehuntur ad contentiosam animositatem, & inanem gloriam; quibus plus temeritatis inest quàm grauitatis, plus arrogantiæ quàm modestiæ. Ita subiicit. [Stultas autē & sine disciplinâ quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Hæc ergo fuge, persequere autem fidem, charitatem, pacem. Sunt enim, vti dixit Chrysostomus, aliæ perutiles quæstiones de scripturis, de aliis necessariis, à quibus ille nos minimè prohibet: sed ita, vt in conquirendo cessent lites, iurgia, rixæ. Procul enim ista esse debent ab eo qui Dei pacis seruus est.] Iuuenilia nimirum semper & vbique fugiendo, quæ non solùm adolescentes efferunt, sed & senes tangunt nonnunquam. Si enim, secundum Tertullianum, Christianus, [Sacerdos est pacis,] litare vbique paci debet, nusquam litigare debet contentioni.

Iuuenilia desideria doctoribus fugienda.

Chrysost. Hom. 6.

Tertul de Spect.

Vult ergo Apostolus ab episcopo etiam eos cum modestiâ corripi, qui resistunt veritati. [Habes, ait Ambrosius, primæ præceptum sapientiæ, vt erga omnes gratiam locet: deinde si non potest præceptis suis omnes acquirere, caueat ne verbis aliquos exasperet, hoc est, ne inimicos faciat. Vnde ait Apostolus: Hoc commoneo testificans coràm Deo, Noli contendere verbis, nihil vtile nisi ad subuersionem audientium. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes Pulchrè post pauca subiecit, causam præstitit, quam philosophia non vidit: Cum modestiâ, inquit, corrigentem eos qui resistunt, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.] Ex quibus tria elicienda sunt. Primum est, de nullo desperandum esse, quandiu perstat in hac vitâ. [Nequando.] Seu, vt ex Græco. [Si quando.] Si fortè. [Respondet enim cuidam tacitæ obiectioni. (vt admonet Aquinas) Posset enim aliquis dicere, Isti resistunt veritati. Qui autem ex superbiâ resistunt, eis difficile videtur dari pœnitentia. Respondet quod Deus eos potest reducere ad pœnitētiam, & ad hoc debet iustus niti.] Alterum, pœnitentiam non tam opus esse arbitrij, quam munus Dei. [Non ait, ne fortè possis, ait Chrysostomus, sed quid? Ne fortè det illis Deus resipiscere, vt si quid fiat, ad Dominum cuncta referantur. Tu plantas, tu rigas: ille seminat, & fructus patere facit, atque ad incrementum perducit.] Tertium, id Deum facere, homine monente & corripiente. Dolor quippe ille, vti Augustinus loquitur, quo sibi displicet, quādo sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum: vt Deo miserante, incremento charitatis adiutus desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis vtilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorum diuersitate salubriter adhibetur, & tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum facit vt peccati sui quemquem pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit flentem? Vnde & Apostolus Paulus posteaquam dixit, Cum modestiâ corripiendos esse diuersa sentientes, protinus addidit: Nequando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis.]

Ambrof. Li. de Abrah. cap. 6.

Aquin. lect. 3.

Chrysost. Hom. 6.

Augustin. l. de corrept. & grat. c. 5.

Tunc salutatis correptio cum cœlestis interuenit miseratio.

Pulchrè autem, [Ne quando det illis Dominus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis Nam, vt aduertit Aquinas: [Fructus pœnitentiæ duplex est: scilicet cognitio veritatis, & liberatio à potestate diaboli. Quantum ad primum, dicit, Ad cognoscendam veritatem: quia quando ex malitiâ resistitur veritati, ipsa malitia sua excœcat eos: quando ergo malitia aufertur, cognoscunt veritatem. Ioan. 8. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Quantum ad secundum, dicit, Et resipiscant à diaboli laqueis, id est, ab occasionibus errorum ex parte intellectûs, sicut falsæ fantasiæ: & ex parte affectûs, sicut sunt inuidia, superbia, & huiusmodi.] Duo sunt, quæ veram impediunt pœnitentiam, obcæcatio mentis, & cordis obduratio: vnde impœnitentes, sicut & infideles, non minùs excæcati dicuntur quàm obdurati, id est, duplici feriuntur plaga, & contumaci duritiâ cordis, & pertinaci mentis ignorantiâ. Prædicandum igitur verbum, instandumque, si fortè audiant; arguendum, corripiendum, si fortè resipiscant. [Omnia fiant, inquit Augustinus, quoniam doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebāt quæ fierent: & corripiebant, si non fierent: & orabant, vt fierent. Præcipit Apostolus, dicens, omnia vestra in charitate fiant. Corripit dicens, Iam quidem omninò delictum est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum. Audiamus & orantem, Vos autem, inquit, Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem, & in omnes. Præcipit, vt habeatur charitas: corripit, quia non habetur charitas: oret, vt abundet charitas.] Nescimus quis ad vitā æternā ordinatus sit. quis non sit: quis ad fidē, ad castitatē, præceptis nostris aut cōsiliis adducendus sit, vel reducendus: idcircò nō cessandū à præceptione, vt sciat homo quid habere debeat: non cessandum à correptione, vt sciat quid vitio suo non habeat. Sed & orandum, vt ab eo accipiat sine quo nihil potest habere, sentiatque à corripiente quidem suggeri verbum doctrinæ, sed à Deo ipso donum infundi pœnitentiæ.

Aquin. lect. 3.

Augustin. l. de corrept. & grat. c. 3.

Quis vsus correptionis vel orationis legitimus.

Sic ergo resipiscunt à diaboli laqueis, [A quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.] Sed cuius voluntatem: Dei, an diaboli? [Certè, si ad proximum referendum sit, videntur teneri ad voluntatem diaboli. [Primi captiui ait Augustinus, id est, pertinentes ad primum hominem: propter hoc enim captiui propter primum

Augustin. conc. 1. in Psalm. 70 post. init.

fundasque, ideò frustrà concutitur: illa, quæ primum hominem, in quo omnes morimur: quia non priùs quod spiritale est, sed quod animale, postea quod spiritale. Propter primum hominem primi captiui: propter secundum hominem secundi redempti: nam & ipsa redemptio clamat captiuitatem nostram. Vnde enim redempti, si non antea captiui? Ipsa est prima captiuitas nostra, quâ concupiscit aduersùs spiritum caro. Venit autem hoc de pœnâ peccati: vt homo aduersùs seipsum diuideretur, qui vni subditus esse noluit. Nihil enim tam expedit animæ, quàm obedire. Et si expedit animæ obedire in seruo vt obediat domino, in filio vt obediat patri, in vxore vt obediat viro, quanto magis in homine vt obediat Deo? Expertus est ergo malum Adam, omnis autem homo Adam: sicut in his qui crediderunt, omnis homo Christus, quia membra sunt Christi.] Omnes iusti membra sunt Chhristi: omnes impij membra sunt diaboli. [Certè, ait Gregorius, iniquorum omnium caput diabolus est: & huius capitis membra sunt omnes iniqui.] Sicut ergo membra mouentur ad nutum capitis, sic & impij captiui tenentur ad arbitrium dæmonis. Si autem ad Græcum recurrendum sit, captiui tenentur ad voluntatem Dei, donec ad pœnitentiam reuocentur per gratiam; id est, donec diuinâ liberentur misericordiâ. Vnde enim capti, seu captiuati? propriâ nimirum iniquitate. Vnde verò detenti? diuinâ scilicet æquitate. Non vult Deus hominem peccare, sed vult peccantem vapulare: ideoque teneri à diabolo, & ab eo torqueri, donec voluntatem tangat concessâ pœnitentiâ, & captiuitatem soluat permissâ veniâ. Æquum enim vt qui deliquerit, luat; sed nec minùs æquum vt qui resipuerit, euadat. [Quadam enim iustitiâ Dei, (ita loquitur Augustinus) in potestatem diaboli traditum est genus humanum: illo enim deserente peccantem, peccati auctor illicò inuasit. Si ergo commissio peccatorum per iram Dei iustam, hominem subdidit diabolo: profectò remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam, eruit hominem à diabolo. Non enim diabolus potentiâ Dei, sed iustitiâ superandus fuit.] Peccator, amator est potentiæ, oppugnator iustitiæ: idcircò si eruendus est, per pœnitentiam deducendus est ad iustitiam. Captiui igitur tenentur ad iustam voluntatem illius, Græcè ἐκείνου: ad remotum scilicet, non ad proximum: ad voluntatem Dei, non diaboli. Liberat enim Deus, cum resipiscentiam inspirat seu pœnitentiam. [Potest enim Deus, vti Aquinas dixit, alicui remittere pœnam secundùm ordinem sapientiæ suæ, non contra ordinem sapientiæ & iustitiæ] Ita visitat, cum benè visum: liberat, cum verè dispunctum catum est.

Omnis homo qui est in Christo, & ipse Christus est: & qui in diabolo, diabolus.

Gregorius Hom. 16 in Euang.

Augustin. l. 1 de Trinit. cap. 12. & 13.

Aquin. lect. 1.

TROPOLOGIA.

Firmum fundamentum Dei stat.

QVorundam fides subuersa, quorundam stabilita. Inde tria proponenda sunt & exponenda. Primum est, duplicem esse fidem: vnam electorum immobilem, alteram instabilem reproborum. Secundum, stabilitatem fidei in electione seu dilectione Dei fundatam: tertium, peccati purificatione signatam.

Quoad primum. Tentatur fides, impugnatur: sed, vt dixit Chrysostomus, [Ostenditur ex his, eos qui peruersi sunt, antea stabiles non fuisse: neque enim primo statim impulsu euersi fuissent. Nam qui firmi in fide & fixi sunt, non modò nihil ab huiusmodi seductoribus violantur, verùm ipsâ suâ constantiâ admirationi habentur magis: stant enim fixæ atque immobiles constantes animæ.] Nonnulla exempla fidei constantis congerit Optatus Mileuitanus, regeritque aduersùs eos qui dicebant, baptismum dantis esse, non accipientis. [Restat, inquit, de credentis merito aliquid dicere: cuius est fides, quam filius Dei & sanctitati suæ anteposuit & maiestati. Ad quem cum mulier illa veniret, cuius filia erat mortua (pater in Euangelio) & rogaret vt suscitaretur, nihil promisit de virtute suâ, sed post fidem interrogat alienam, vt si mulier crederet, pro matris credulitate, filia surgeret. Si non crederet, virtus filij Dei feriata cessaret. Interrogatur mulier. Respondit se credere fieri posse quod rogabat. Iubetur ire, redit ad domum mulier, inuenit puellam viuam, quam dimiserat mortuam (paulo aliter in Euangelio.) Non ruit in oscula, non properauit in amplexus, sed redit vt saluatori gratias ageret. Et vt ostenderet filius Dei, se vacasse, fidem tantummodò operatam esse, Vade, inquit, mulier in pace, fides tua te saluauit. Quid autem vobis videtur & Centurionis fides? cuius puer cum malè haberet, saluatorem petiit, vt ab eo mortem repelleret. Iam Christus pereuntem veniebat ad puerum, sic eum Centurio tenuit, indignitatem tecti sui confessus, quod filius Dei totus non deberet intrare, sed suam virtutem mittere, quâ puer fugatâ morte, reuiuiscere potuisset. Non fortitudo Centurionis, & non sapientia laudata est, sed fides, Et curatus est puer in illâ horâ. Multa huiusmodi in Euangelio de fide perfecta: sed vel tria complenda sunt fidei testimonia. Quid vobis videtur & illa mulier, quæ de secreto causæ fœminarum, cum per annos duodecim laboraret & omnem substantiam suam in medicos erogasset, cum videret à filio Dei tantas celebrari virtutes, processit in turbam, videt medicum videt & populum: cogebat illam dolor, vt medicinam peteret: pudor impediebat, ne causam suam coràm masculis indicaret. Inuenit consilium tacita fides. Mittam, inquit, manum meam, & tangam fimbriam vestimenti eius, & sana fiam. Nemine vidente inter turbas, manum misit, tetigit, & sanata est. Iam dudum pro filiâ mater petiit, pro puero Centurio postulauit. Hoc loco nec mulier petiit, nec Christus promisit, sed fides tantum præsumpsit, exegit.] Duplex ergo fides: vna quæ à Tertulliano nominatur, [Friuola & frigida fides.] Alia, quæ ab eodem, [Bona & solida fides] nuncupatur. Illa est, quæ super arenam fundata est, ista quæ supra petram: illa, quæ radices non habet, ideoque facilè, vento flante tentationis euellitur: ista, quæ firmas habet radices pro-

Chrysost. Hom. 5.

Optat Mileuit. l. 5 adu. Parm. vers.

Tria fidei constantis & immotæ exempla.

Tertullian. l. de fug. in pers. cap. 9.

Tertullian. l. de exhort. castit. cap. 1.

reproborum, ista, quæ electorum: illa nimirum, impellente diabolo, corruit, germinationis præiudicium; ista, Deo agente, assurgit in confessionis præmium. [Scilicet, ait ille, quia vera & stabilis aquæ fides, quâ tinguitur in salutem; simulata autem & infirma, igni tinguitur in iudicium.] Illi sunt in ventum Christiani, quibus non tam Pater cœlestis reuelauit, quàm caro & sanguis; nec tam rudes ac simplices quàm infirmi, sed infirmitate prauæ voluntatis: isti ad omnem exitũ parati, quibus Deus ardorem inspirauit cœlestem, ideò stabiles ac firmi, vtpote calore animati diuinæ charitatis: illi ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: isti cedere nesciunt, nec tempore persecutionis absistunt, sed vsque ad sanguinem, vsque ad mortem, Dei hostibus resistunt, seu fidei persecutoribus. [Vno modo armantur, ait Tertullianus, & certo tempore subornantur, nec alio quàm ardoris. Hoc apud Christianos persecutio est.]

Tertul. l. de Bapt. c. 1.

Tertullian. l. de Scorp. c. 1.

Quoad secundum. Firmi quidem sunt electi, sed Deo agente & protegente firmati. [Subuerterunt quorundam. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius. Primò, ait Aquinas, ostendit immortalitatem fidei electorum: secundò, addit demonstrationem. Dicit ergo, Subuertunt, sed firmum fundamuntum Dei stat. Hæc enim fundamenta sunt illa, quibus datur gratia immobiliter standi. Matth. 7. Fundata enim erat suprà firmam petram. Firmum ergo, quia immobile. Matth. 7 Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Huius quippe firmitas dependet ex diuinâ prædestinatione, & ideò dicit, Hoc firmum firmamentum, habens hoc signaculum: id est, hoc est signum huius firmitatis, Quia nouit Dominus qui sunt eius: & hæc est notitia diuinæ prædestinationis.] Id est, non sola notitia est, sed æterna Dei beneuolentia, quâ eos assumpsit in suos, & quos semel assumpsit, nunquam deseruit. Sicut enim cum ait reprobis, Non noui vos, eos in æternum respuit exitium: ita cum electos nouit, ad æternum diligit præmium. [Quomodo enim, ait Augustinus, dixit Christus, Non estis ex ouibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. Oues credendo sunt, oues pastorem sequendo sunt, oues redemptorem non contemnendo sunt, oues per ostium intrando sunt, oues exeundo & pascua inueniendo sunt, oues vitâ æternâ perfruendo sunt. Oues meæ vocem meam audiunt, & cognosco eas, & sequuntur me, & vitam æternam do eis. Ecce sunt pascua, de quibus dixerat, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingressi sumus credendo, egredimur moriendo: vt quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus: sic enim per ostium istud egredimur, vt pascua inuenire possimus. Bona pascua, vita æterna, vbi solùm viuere inuenitur. Vitam æternam, inquit, do eis, ouibus meis. Et non peribunt in æternum: tanquam eis dixerit, Vos peribitis in æternum, quia non estis ex ouibus meis.

Aquin. lect. 3.

Augustin. Tract. 48. in Ioan. circ. med.

Ingredimur credendo, egredimur moriendo.

A

Non rapiet eas quisquam de manu meâ. Quid potest lupus? quid potest fur & latro? non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ouibus, de quibus dicit Apostolus Nouit Dominus qui sunt eius: &, Quos præsciuit, ipsos & prædestinauit: de omnibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earũ, qui pro eis nouit quod dedit. Et hoc est quod ait, Non rapiet eas quisquam de manu meâ.] Cognouit ergo Dominus suos: nam, vt Augustinus adnotauit: [Aliquando prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.

Augustin. l. de don. pers. c. 18.

B

Hoc quod ait, Præsciuit, non rectè intelligitur nisi prædestinauit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit. In hac ergo electione & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præsciuit. Hæc est illa electio, quâ eos quos voluit elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam quam

C

præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse, est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus.]

Quoad tertium. Fundatur quidem stabilitas fidei in prædestinatione Dei, sed signatur purificatione peccati: sicut enim illa nititur approbationis seu dilectionis notitiâ, sic & ista munditiâ cordis ostenditur: non enim tam signaculum dicitur seu sigillum, quia rem cælat, velut mysterium; quàm quia rem obsignat velut peculium: & inde firmitas in vtroque stabilitasque, non tam quod sub arcano clausa, quàm quod sigillo communita. Firmum ergo fundamentum Dei stat: [Habens fundamentum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.] Quis ille qui nominat seu inuocat nomen Domini? ille nimirum, qui à Deo consignatus est Christoque consecratus; ille est, qui discedit ab iniquitate, dum in charitate proficit. [Nam, vt dixit Cyprianus, etsi videntur in Ecclesiâ esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus. Nobis modò laborandum vt frumentum esse possimus, vt cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistolâ suâ dicit: In domo autem magna non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata. Nos ergo operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum vel argenteum simus.] Non sic tamen laborandum conandum-ve: [Quasi ad ædificium, vt Augustinus loquitur, non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat

D

Cyp. l. 3. ep. 3 cir. med.

E

Augustin. l. de præd. sanct. c. 7.

fundamentum. Quòd si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando ædificet,] Nitendum igitur, sed magis gratiæ diuinæ, quam humanæ innitendum industriæ. [Miror enim (vt dicam ex eodem Augustino) homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei: Sed incerta est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certa est, nec illud times, Qui videtur stare, videat ne cadat? Cum igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? Si spiritu, inquit Apostolus, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vt ergo facta carnis mortificemus, exigitur: vt autem viuamus, offertur. Num igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur: quoniam exigi audimus à nobis præmio vitæ si hoc fecerimus oblato? Absit, vt hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis: quorum mox Apostolus ora obstruxit, adiungens; Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: ne facta nos mortificare carnis, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus.] Exigitur à nobis vt facta carnis mortificemus, exigitur, vt nomen Domini inuocemus, Christum piè ac purè colamus, recedamusque ab omni iniquitate, proposito nobis æternæ vitæ præmio. Laborandum est, instandum est, perseuerandumque; sed sub gratuito diuinæ electionis beneficio, sub immoto æternæ dilectionis signaculo. [Ita tenenda est fides, ait Chrysostomus, huiusmodi signaculum cautè seruandum: Nouit Dominus qui sunt eius: ac si dicat, stant fixæ animæ. Sed vnde illæ noscuntur? Ex eo scilicet, quod huiusmodi testimonium suis operibus præferunt, quòd à Deo noscuntur, quòd non simul pereunt, quòd ab iniquitate discedunt. Hæc indicia fundamenti sunt, quæ non secus quàm fundamentum firma perdurant: atque veluti lapidi sunt incidenda, vt sint nobis litterarum vice: hæ quippe litteræ operibus ostenduntur.]

August. c. 11.

Quod nobis offertur, Dei dono conceditur.

Chrysost. Hom. 6.

ANAGOGIA.

Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem.

SI quis profana vitauerit inaniloquia, si quis animum suum ab immundis vanisque emaculauerit. Ex quibus tria sunt deducenda. Primum est posse aliquem emundare seu sanctificare seipsum: secundum, debere mundare seipsum à vanis profanisque: tertium, ita vas euadere tam vtile quàm & honorabile.

Quoad primum. Si homo seipsum saluat, quid mirum si & sanctificet? Videte, inquit Augustinus, Et omnis, ait Ioannes Apostolus, qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est. Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret, Castificat semetipsum. Quis nos castificat, nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te, non de te, sed de illo qui venit vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, vt dicas sicut in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus esto, aliquid agis, nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?] Castificat homo seipsum sub adiutore Deo: sed quantum? [Castificat semetipsum, sicut ipse castus est: Iam ergo æqualis est castitas nostra castitati Dei, & iustitia nostra iustitiæ Dei? Quis hoc dicat? (ait ille) Sed, Sicut, non semper ad æqualitatem dici solet. Videte quantum sit inter faciem hominis, & imaginem de speculo. Facies in imagine, facies in corpore: imago in imitatione, corpus in veritate. Et quid dicimus? Nam sicut hîc oculi, ita & ibi: sicut hîc aures, ita & ibi aures sunt. Dispar est res: sed, sicut, ad similitudinem dicitur. Ergo castificat nos sicut & ipse castus est: sed ille castus æternitate, nos casti fide. Iusti sumus, sicut & ipse iustus est: sed ipse in ipsâ incommutabili perpetuitate, nos iusti credendo in quem non videmus, vt aliquando videamus.] Duo sunt in isto salutis humanæ & diuinæ dispositionis negotio: primum, quod diuini est propositi: alterum, quod nostri est officij: illud Domini est, & ideò in dispositione est; istud serui, & ideò in executione. Quid igitur sollicitandum est? non vtique primum, cum constet iam factum: secundum igitur inculcandum est, cum restet peragendum. [Caueamus itaque (verba Chrysostomi) ne signaculum regium perdamus, ne salutis deponamus indicium, ne non signati simus, neu stultitiæ & inconstantiæ denotemur. Qui enim fuerit iniustus, alienus à fundamento est; cum & hoc proprium signaculum sit, iniqua non agere. Studeamus igitur fundamenta esse, & fundamenta firmissima: hoc nempe eos qui Dei sunt, indicat. Nam quo pacto quis Dei esse potest qui iustus est, cum sit ipse iniustus, & iniqua operetur; atque aduersùs eum operibus pugnet, ipsumque per actus illicitos irritet?] Quid ergo est? studeat quisque emundare seipsum, studeat castificare; id est, animum sanctitati ac pietati addicere [Si quis enim, inquit Paulus, seipsum ab his emũdare studeat, erit vas in honorem sanctificatum. Vides, ait Chrysostomus, vt non naturæ, carnalis-ve necessitatis sit, aureum esse vel fictilem, sed nostræ tantummodò voluntatis Ibi nempe neque fictile vas aureum fieri potest, neque hoc in illius naturam conuerti. At verò hic magna huius mutationis & emigrationis facultas volenti datur. Vas erat fictile Paulus, sed euasit in aureum: vas fuit aureum Iudas, sed in fictile conuersum est. Prompto igitur animo ad omnia esse necesse est, siue sit amplectenda virgini-

Aug. Tract. 4. in epist. Ioan. vlt. med.

Augustin. Ibidem.

Aliud dispositio æterna, aliud temporaria executio.

Chrysost. Hom. 5.

Chrysost. Hom. 6.

reproborum, ista, quæ electorum: illa nimirum, impellente diabolo, corruit, germinationis præiudicium; ista, Deo agente, assurgit in confessionis præmium. [Scilicet, ait ille, quia vera & stabilis aquæ fides, quâ tinguitur in salutem; simulata autem & infirma, igni tinguitur in iudicium.] Illi sunt in ventum Christiani, quibus non tam Pater cœlestis reuelauit, quàm caro & sanguis; nec tam rudes ac simplices quàm infirmi, sed infirmitate prauæ voluntatis: isti ad omnem exitū parati, quibus Deus ardorem inspirauit cœlestem, ideò stabiles ac firmi, vtpote calore animati diuinæ charitatis: illi ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: isti cedere nesciunt, nec tempore persecutionis absistunt, sed vsque ad sanguinem, vsque ad mortem, Dei hostibus resistunt, seu fidei persecutoribus. [Vno modo armantur, ait Tertullianus, & certo tempore subornantur, nec alio quàm ardoris. Hoc apud Christianos persecutio est.]

Tertul l. de Bapt. c. 1.

Tertullian. l. de Scorp c. 1.

Quoad secundum. Firmi quinem sunt electi, sed Deo agente & protegente firmati. [Subuerterunt quorundam. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius. Primò, ait Aquinas, ostendit immortalitatem fidei electorum: secundò, addit demonstrationem. Dicit ergo, Subuertunt, sed firmum fundamuntum Dei stat. Hæc enim fundamenta sunt illa, quibus datur gratia immobiliter standi. Matth. 7. Fundata enim erat suprà firmam petram. Firmum ergo, quia immobile. Matth. 7 Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Huius quippe firmitas dependet ex diuinâ prædestinatione, & ideò dicit, Hoc firmum firmamentum, habens hoc signaculum: id est, hoc est signum huius firmitatis, Quia nouit Dominus qui sunt eius: & hæc est notitia diuinæ prædestinationis.] Id est, non sola notitia est, sed æterna Dei beneuolentia, quâ eos assumpsit in suos, & quos semel assumpsit, nunquam deseruit. Sicut enim cum ait reprobis, Non noui vos, eos in æternum respuit exitium: ita cum electos nouit, ad æternum diligit præmium. [Quomodo enim, ait Augustinus, dixit Christus, Non estis ex ouibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. Oues credendo sunt, oues pastorem sequendo sunt, oues redemptorem non contemnendo sunt, oues per ostium intrando sunt, oues exeundo & pascua inueniendo sunt, oues vitâ æternâ perfruendo sunt. Oues meæ vocem meam audiunt, & cognosco eas, & sequuntur me, & vitam æternam do eis. Ecce sunt pascua, de quibus dixerat, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingressi sumus credendo, egredimur moriendo: vt quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus: sic enim per ostium istud egredimur, vt pascua inuenire possimus. Bona pascua, vita æterna, vbi solùm viuere inuenitur. Vitam æternam, inquit, do eis, ouibus meis. Et non peribunt in æternum: tanquam eis dixerit, Vos peribitis in æternum, quia non estis ex ouibus meis.

Aquin. lect. 5.

Augustin. Tract. 48. in Ioan. cir. med.

Ingredimur credendo, egredimur moriendo.

A Non rapiet eas quisquam de manu meâ. Quid potest lupus? quid potest fur & latro? non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ouibus, de quibus dicit Apostolus Nouit Dominus qui sunt eius: &, Quos præsciuit, ipsos & prædestinauit: de ouibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earū, qui pro eis nouit quod dedit. Et hoc est quod ait, Non rapiet eas quisquam de manu meâ] Cognouit ergo Dominus suos: nam, vt Augustinus adnotauit: [Aliquando prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, Non B repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Hoc quod ait, Præsciuit, non rectè intelligitur nisi prædestinauit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit. In hac ergo electione & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præsciuit. Hæc est illa electio, quâ eos quos voluit elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Aposto- C lus, Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse, est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus.]

Augustin. l. de dou. pers. c. 18.

Quoad tertium. Fundatur quidem stabilitas fidei in prædestinatione Dei, sed signatur purificatione peccati: sicut enim illa nititur approbationis seu dilectionis notitiâ, sic & ista munditiâ cordis ostenditur: non enim tam signaculum dicitur seu sigillum, quia rem cælat, velut mysterium; quàm quia rem obsignat ve- D lut peculium: & inde firmitas in vtroque stabilitasque, non tam quod sub arcano clausa, quàm quod sigillo communita. Firmum ergo fundamentum Dei stat: [Habens fundamentum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.] Quis ille qui nominat seu inuocat nomen Domini? ille nimirum, qui à Deo consignatus est Christoque consecratus; ille est, qui discedit ab iniquitate, dum in charitate proficit. [Nam, vt dixit Cyprianus, etsi videntur in Ecclesiâ esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi E de Ecclesiâ recedamus. Nobis modò laborandum vt frumentum esse possimus, vt cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistolâ suâ dicit: In domo autem magna non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata. Nos ergo operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum vel argenteum simus.] Non sic tamen laborandum conandumve: [Quasi ad ædificium, vt Augustinus loquitur, non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat

Cyp. l. 3. ep. 3 cir. med.

Augustin. l. de præd. sanct. c. 7.

fundamentum. Quòd si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando ædificet.] Nitendum igitur, sed magis gratiæ diuinæ, quam humanæ innitendum industriæ. [Miror enim (vt dicam ex eodem Augustino) homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei: Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certa est, nec illud times, Qui videtur stare, videat ne cadat? Cum igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? Si spiritu, inquit Apostolus, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vt ergo facta carnis mortificemus, exigitur: vt autem viuamus, offertur. Num igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur: quoniam exigi audimus à nobis præmio vitæ si hoc fecerimus oblato? Absit, vt hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis: quorum mox Apostolus ora obstruxit, adiungens; Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: ne facta nos mortificare carnis, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus.] Exigitur à nobis vt facta carnis mortificemus, exigitur, vt nomen Domini inuocemus, Christum piè ac purè colamus, recedamusque ab omni iniquitate, proposito nobis æternæ vitæ præmio. Laborandum est, instandum est, perseuerandumque; sed sub gratuito diuinæ electionis beneficio, sub immoto æternæ dilectionis signaculo. [Ita tenenda est fides, ait Chrysostomus, huiusmodi signaculum cautè seruandum: Nouit Dominus qui sunt eius: ac si dicat, stant fixæ animæ. Sed vnde illæ noscuntur? Ex eo scilicet, quod huiusmodi testimonium suis operibus præferunt, quòd à Deo noscuntur, quòd non simul pereunt, quòd ab iniquitate discedunt. Hæc indicia fundamenti sunt, quæ non secus quàm fundamentum firma perdurant: atque veluti lapidi sunt incidenda, vt sint nobis litterarum vice: hæ quippe litteræ operibus ostenduntur.]

August. c. 11.

Quod nobis offertur, Dei dono conceditur.

Chrysost. Hom. 6.

ANAGOGIA.

Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem.

SI quis profana vitauerit inaniloquia, si quis animum suum ab immundis vanisque emaculauerit. Ex quibus tria sunt deducenda. Primum est posse aliquem emundare seu sanctificare seipsum: secundum, debere mundare seipsum à vanis profanisque: tertium, ita vas euadere tam vtile quàm & honorabile.

Quoad primum. Si homo seipsum saluat, quid mirum si & sanctificet? Videte, inquit Augustinus, Et omnis, ait Ioannes Apostolus, qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est. Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret, Castificat semetipsum. Quis nos castificat, nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te, non de te, sed de illo qui venit vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum est. Ideò autem tibi tributum est, vt dicas sicut in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus esto, aliquid agis, nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?] Castificat homo seipsum sub adiutore Deo: sed quantum? [Castificat semetipsum, sicut ipse castus est: Iam ergo æqualis est castitas nostra castitati Dei, & iustitia nostra iustitiæ Dei? Quis hoc dicat? (ait ille) Sed, Sicut, non semper ad æqualitatem dici solet. Videte quantum sit inter faciem hominis, & imaginem de speculo. Facies in imagine, facies in corpore: imago in imitatione, corpus in veritate. Et quid dicimus? Nam sicut hîc oculi, ita & ibi: sicut hîc aures, ita & ibi aures sunt. Dispar est res: sed, sicut, ad similitudinem dicitur. Ergo castificat nos sicut & ipse castus est: sed ille castus æternitate, nos casti fide. Iusti sumus, sicut & ipse iustus est: sed ipse in ipsâ incommutabili perpetuitate, nos iusti credendo in quem non videmus, vt aliquando videamus.] Duo sunt in isto salutis humanæ & diuinæ dispositionis negotio: primum, quod diuini est propositi: alterum, quod nostri est officij: illud Domini est, & ideò in dispositione est; istud serui, & ideò in executione. Quid igitur sollicitandum est? non vtique primum, cum constet iam factum: secundum igitur inculcandum est, cum restet peragendum. [Caueamus itaque (verba Chrysostomi) ne signaculum regium perdamus, ne salutis deponamus indicium, ne non signati simus, neu stultitiæ & inconstantiæ denotemur. Qui enim fuerit iniustus, alienus à fundamento est, cum & hoc proprium signaculum sit, iniqua non agere. Studeamus igitur fundamenta esse, & fundamenta firmissima: hoc nempe eos qui Dei sunt, indicat. Nam quo pacto quis Dei esse potest qui iustus est, cum sit ipse iniustus, & iniqua operetur; atque aduersùs eum operibus pugnet, ipsumque per actus illicitos irritet?] Quid ergo est? studeat quisque emundare seipsum, studeat castificare; id est, animum sanctitati ac pietati addicere. [Si quis enim, inquit Paulus, seipsum ab his emūdare studeat, erit vas in honorem sanctificatum. Vides, ait Chrysostomus, vt non naturæ, carnalis-ve necessitatis sit, aureum esse vel fictilem, sed nostræ tantummodò voluntatis. Ibi nempe neque fictile vas aureum fieri potest, neque hoc in illius naturam conuerti. At verò hic magna huius mutationis & emigrationis facultas volenti datur. Vas erat fictile Paulus, sed euasit in aureum: vas fuit aureum Iudas, sed in fictile conuersum est. Prompto igitur animo ad omnia esse necesse est, siue sit amplectenda virgini-

Aug. Tract. 4. in epist. Ioan. vlt. med.

Augustin. Ibidem.

Aliud dispositio æterna, aliud temporaria executio.

Chrysost. Hom. 5.

Chrysost. Hom. 6.

tas, siue genus aliud quodlibet virtutis, gloriosique laboris subeundum.] Sic ergo prouocatur voluntas, sic voluptas ablegatur: non enim id opus naturæ est, aut carnalis necessitatis, sed gratiæ diuinæ, & humanæ libertatis.

Quoad Secundum, Illi mundi sunt, qui ab omnibus non solùm mortalibus, sed & venialibus sunt mundati. [Horum enim omnium illi primi, (ita Augustinus) qui sic sunt in domo Dei, vt ipsi sint domus Dei; siue iam spiritales sint, siue adhuc paruuli lacte nutriantur, sed tamen ad spiritalem habitum intento corde proficiant: nemo dubitat quòd baptismum & vtiliter habeant, & se imitantibus vtiliter tradant.] Sunt isti mundi toti, vt qui sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt, & opere compleant, quod profitendo per baptismum pepigerunt. Primò igitur excludenda sunt crimina omnia, cum vel vnum solum excludat à regno, & addicat exitio. [Omnibus nimirum circumsepto catholico, (ait ille) non adulemur, nec ei quia Christianus catholicus est, impunitatem quam Scriptura diuina non promittit, promittere audeamus. Nec si aliquid vnum habeat, debemus ei societatem supernæ illius patriæ polliceri. Ad Corinthios enim singula enumerat Apostolus, in quibus singulis subauditur, quòd regnum Dei non possidebunt. Nolite, inquit, errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Non ait, qui hæc omnia vitia simul habuerint, regnum Dei non possidebunt; sed neque illi, neque illi, vt in singulis hoc subaudias, quòd nulli eorum regnum Dei possidebunt.] Secundò, peccata etiam venialia depellenda sunt, cum vel minimum inquinet, & repetitum, salutem in discrimen aduocet. [Si quis ergo emundet seipsum. Non simpliciter ait Apostolus, (ita Chrysostomus, mundet, sed emundet: hoc est, penitus purget.] Animum suum non solùm ab iniquis & impiis, sed & à profanis vanisque, non solùm ab enormioribus, sed & à leuioribus expumicet. [Abstinete vos, ait Augustinus, à detestabilibus corruptelis: abstinete vos quantum potestis à nugatoriis spectaculis. Si quæ delectationes seculi subrepunt in animam, exercete vos in misericordiâ, exercete vos in eleemosynis, in ieiuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt non surrepere in animam, propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere, quia minora sunt: sed time, quia plura sunt. Attendite fratres mei. Minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat: sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si proiicitur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores: sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt: & cauete, quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ: si arenæ amplius in naui mittatur, mergit

Augustin. lib. 7. de Bapt. cont. Dom. c. 52.

Augustin. lib. 4. de Bapt. cont. Dom. c. 19.

Chrysost. Hom. 6.

Augustin. lib. de decē chord c. 11.

Quanta areca cauenda sint peccata venialia.

A illam vt pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluuiæ? nonne flumina implent, & domos eiiciunt? Porrò illa dico quotidiana peccata, quæ aut linguâ facilè committuntur, vt est verbum durum; aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in huiusmodi nugas quotidianas. In ipsis alimentis, quæ vtique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis quàm necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista quæ dico: sed tamen peccata sunt, & non sunt leuia, quia plura. Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Attendite vitam vestram quotidianam, ipsis peccatis scaturientem, minutis ipsis dico: sed scitote talia

B peccata quotidianis eleemosynis posse mundari. Facite ergo eleemosynas, & nolite cessare.] Sic enim se ab istis non solùm mundat anima Christiana, sed & emundat, dum penitùs purgat: dum non solùm à magnis, sed & à modicis, imò & à minimis temperat, dum seipsam castiùs & religiosiùs sanctificat.

Quoad tertium. Tanta in emundatione seu sanctificatione dignitas est quanta & vtilitas. [Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.] In hunc quippe vsum à Domino suo desideratum est, adornatumque. [Alia enim inutilia sunt: (ait

C Chrysostomus) & si vsum quendam sui præbeant, sed non in omne opus bonum. Quod autem in honorem est, in omne opus bonum vtile dicitur præparatum: & si non operetur, idoneum tamen est, & præparatum.] Talis nempe fidelis Christianus ac pius, qui siue ad rectè viuendum, siue ad strenuè moriendum semper accinctus est. [Armat & præparat nos beatus Apostolus (verba sunt Cypriani) dicens, Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs potestates & principes huius mundi tenebrarum harum, aduersùs spiritus nequitiæ in cœlestibus. Propter quod induite tota arma Dei, vt possitis

D resistere in die nequissimo: vt cum omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate, induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis. Hæc arma sumamus, his nos tutamentis spiritualibus & cœlestibus muniamus, vt in die nequissimo resistere diaboli minis & repugnare possimus. Induamur loricam iustitiæ, vt contra inimici iacula munitum sit pectus & tutum. Calciati simus Euangelico magisterio & armati pedes, vt cum serpens calcari à nobis & obteri cœperit, mordere & supplantare non possit. Portemus fortiter scutum fidei, quo protegente quicquid iaculatur inimicus, possit extingui.

E Armemur viribus totis, & paremur ad agonem mente incorruptâ, fide integrâ, mente deuotâ.] Sicut enim mens per profanam vanitatem, seu fœdam infidelitatem maculatur, sic & per viuam fidem emundatur; sicut tepore pietatis fit vas non inutile solùm, sed & ignobile; sic & ardore charitatis, vas non vtile solùm euadit, sed & honorabile. [Sic in nobis, ait Cyprianus, emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit? Et idcircò Dominus tempora nostra respiciens in Euangelio


Chrysost. Hom. 6.

Cyprian. lib. 4. epist. 6. vers. finem.

Cyprian. l. de simpl. prælat. in fine.

ſuo dicit: Filius hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terrâ? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iuſtitiæ, in dilectione, in opere fides nulla eſt. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo conſiderat. Quòd metueret conſcientia noſtra ſi crederet, quia non credit omninò, nec metuit. Si autem crederet, & caueret. Si caueret, euaderet. Excitemus nos quantum poſſumus, & ſomno inertiæ veteris abrupto, ad obſeruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales quales ipſe nos eſſe præcepit, dicens: Sint lumbi veſtri accincti. Accinctos nos eſſe A oportet, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus noſtrum lumen & fulgeat, vt ipſum nos ad lucem claritatis æternæ de hac ſeculi nocte perducat. Expectemus ſolliciti ſemper & cauti aduentum Domini repentinum, vt quando pulſauerit, euigilet fides noſtra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata ſeruentur, ſi hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non poſſumus: ſerui vigiles Christo dominante regnabimus.] Sic quippe vas in honorem formatum, ſic gloria comparatur.

Christiani ad diem expeditionis accingendi.



CAPVT TERTIVM.

Epigraphe.

PEriculoſa nouiſſimorum dierum prædicit tempora, indicitque Timotheo vt caueat & doctrinam quam acceperat à magiſtro, retineat.

TEXTVS.

HOc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites: ſine benignitate, proditores proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita: ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis: ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circà fidem, ſed vltrà non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Mali autem homines, & ſeductores, proficient in pejus; errantes, & in errorem mittentes. Tu verò permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris. Et quia ab infantiâ ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitiâ: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

EXEGESIS LITTERALIS.

Exorituri falsi doctores fallacesque, aduersùm quos instruendus erat Timotheus, nec doctrinâ, tantùm traditâ, sed & scripturis diuinis muniendus.

[Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa,&c.] Quid miraris Hymeneum & Philetum excidisse à veritate? Imò velim scias, non longè abesse tempora, pernicie morum, hominum-ve corruptione difficillima. [Erunt homines seipsos amantes, &c [Ex Græco: [Erunt enim homines sui amantes.] Seu, vt habet textus Ambrosianus: [Sui tantùm amatores.] Et Commentarius. [Prophetia est hæc sancti Apostoli, in quâ præuidit quanta mala essent futura.] Sed hoc caput & initium, non quidem amare se, sed tantùm: id est, sua quærere, aliena contemnere. [Cupidi.] φιλάργυροι, pecuniarum amatores, quibus nimirum obediunt & seruiunt omnia. [Elati.] Fastuosi. [Superbi.] Inde fastuosi quia superbi, arrogantia enim extrema, ex internâ superbiâ. [Blasphemi.] Maledici. [Parentibus non obedientes.] Suis rebelles superioribus. [Ingrati.] Mala pro bonis retribuentes. [Scelesti.] Ad omne scelerum genus effusi. [Sine affectione.] Sine affectu charitatis. [Sine pace.] Sine reconciliationis sensu. [Criminatores.] Calumniatores. [Incontinentes.] Intemperantes. [Immites.] Inhumani, efferi. [Sine benignitate.] Bonorùm inimici, est enim in Græco ἀφιλάγαθοι. [Proditores.] Perfidi, amicorum desertores. [Proterui.] Insolentes, temerarij. [Tumidi.] Sibi placentes; alios despicientes. [Et voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, &c.] Dixit, in continentes: sed, vt notauit Aquinas: [Propriè incontinens dicitur, qui habet spem fugiendi, sed vincitur ab eis: propriè amator earum est intemperatus, qui habet corruptam æstimationem.] Ex habitu scilicet corrupto. Sunt igitur illi voluptatum potius amantes, quàm amantes Dei: qui speciem similitudinem-ve pietatis præ se ferant, sed veritatem eius abiiciant. Ita simulati, & subdoli operarij. [Virtus enim pietatis hìc dicitur dupliciter, (vt & ille obseruauit) vno modo, ipsa vis pietatis, id est eius virtus: vnde dicit, Abnegantes, id est, veritatem non habentes. Alio modo, quia virtus rei dicitur illud, ex quo dependet tota res: tota autem virtus pietatis dependet ex charitate: ideo dicit, Virtutem eius, scilicet charitatem abnegantes.

Ambros. in Paulum.

Ingrati cũ impiis ac sceleris cõputati.

Aquin. lect. 7.

Aquin. ibid.

[Et hos deuita ex his enim sunt, qui penetrant domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes, &c.] Audisti quales illi sint, qui mox affuturi: sed scio etiam ipsos auersandos: iam enim ex iis assunt quidam, qui in alienas obrepunt familias, suisque lenociniis captiuas traducunt mulierculas, malâ iam prægrauatas conscientiâ, variisque circumactas concupiscentiis, discend-

A quidem semper cupidas, sed nunquam veram sanæ doctrinæ nactas notitiam. [Aduerte, inquit Athanas. quemadmodum mulieres, vel mulierculæ potius, faciè circumueniuntur: sed eæ seducuntur, quæ ingentem habent commissorum congeriem.] Inde enim paratum fidei naufragium. [Quemadmodum autem Iannes, & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient, &c.] Sicut autem magi Pharaonis restiterunt potestati diuinæ, sic & isti Euangelicæ resistunt veritati: homines prauo corrupti iudicio, non minus à fide quàm à veritate alieni: sed

Athanas. in Paulum.

Iannes & Mambres magi Moysis æmuli.

B amentia illorum non longè processura. [Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit, &c.] Dementia enim & impostura eorum breui detegetur, & in confusionem traducetur irrisionemque, sicut Iannæ accidit & Mambræ. [Tu autem assecutus es meam doctrinam.] Tu autem assectatus es amplexatusque doctrinam meam, quæ vera & sincera. [Institutionem.] Viuendi agendique rationemque. [Propositum.] Scopum meum. [Fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, &c.] Instituit Timotheum exemplo suo, vt aduertit Aquinas. [Et primò, quantum ad bona agenda: secundò, quantum

Aquin. lect. 2.

C ad mala toleranda. In bonis faciendis ponit duo: primum est, intentio recti finis; & quantum ad hoc, dicit, propositum, quod est de fine, & ad hoc peruenitur per bona opera, quæ deriuantur à tribus virtutibus, scilicet fide, spe, & charitate. Deinde de malis tolerãdis instruit eum, cum primò ponit patientiam, tum & materiæ patientiam in generali, & in speciali.] Ita sequitur, [persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ. Iconij, & Lystris: quales persecutiones sustinui & ex omnibus eripuit me Dominus, &c.] Nosti persecutiones meas, duras & afflictiones, quas

D perpessus sum Anthiochiæ, Iconij, & Lystris: nec eas solas, sed & alias similes, nec minùs graues: verum ex his omnibus, diuinâ liberatus sum potentiâ.

[Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur, &c.] Quid de me dixi? Imò id commune est omnibus Deum piè seu in fide Christi colentibus: licet enim vnus sic, alius sic: ille mitiùs, iste grauiùs: omnes tamen tentati, omnibus contradictionibus obnoxij. [Et id maximè, vt dixit Athanas. valet ad consolandum.] Cur enim pati non vis, si vis Christum sequi? [Mali autem homines, & seductores, proficient in peius;

Athanas. in Paulum.

E errantes, & in errorem mittentes, &c.] Praui autem homines, subdolique impostores, seducti seducentesque, peiora semper committent, nec minora piis iustis-ve suggerent pericula. [Tu verò permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quò didiceris, &c.] Te verò nulla vis tentationis à sancto dimoueat proposito, sed persiste constanter, & adhære fideliter traditæ tibi à me disciplinæ. [Et quia ab infantiâ sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu, &c.] Quidni persisteres? cum non solùm à Christi Apostolo imbutus

Sacra Scriptura pastoribus ac doctoribus necessaria.

sit, sed & à teneris vnguiculis sacras edoctus literas, quæ ductante fide verâ seu Christianâ, possunt te instruere ad salutem, & per assiduitatem reddere doctiorem. [Omnis doctrina diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitiâ: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.] Ex Græcis. [Omnis scriptura diuinitus inspirata, & vtilis.] Omnis scriptura, sacra nimirum seu diuina: inde enim diuina, quia diuinitùs inspirata: sicut enim verbum, pro verbo Dei sumitur; sic & scriptura Dei per scripturam intelligitur. Omnis ergo illa inspirata est, indeque admodum vtilis & idonea ad instruenda pastorum, doctorumque officia: quibus scilicet omnes ministerij sui partes impleant, moresque & actiones non suas tantum, sed & suorum componant dirigantque. [Si autem, ait Chrysostomus, Timotheo ista scribit, sancto Spiritu pleno: quanto magis nobis dicta putare debemus?]

Chrysost. Hom. 8.

ADMONITIONES FAMILIARES.

QVædam Timotheum ipsum spectant quædam alios: & inter istos, quædam malos notant per modum prædictionis, alios per instructionis modum prouocant.

ADMONITIO PRIMA.

De Malis.

DE his species prædictionis est, pernicies seductionis, lues rebellionis. Ita exuberat materies mali, & in pejus semper repullulat.

ARTICVLVS PRIMVS.

De prædictione.

PRædictio de tribus est, de temporibus, de hominibus, de moribus. Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, &c.] Nam, [In priori epistolâ, vt obseruat Chrysostomus, dixerat spiritum manifestè dicere, quòd in nouissimis temporibus recedent quidam à fide: & rursus alibi in ipsâ epistolâ prædicit tale quiddam futurum.] Erat illa quasi vulgaris prædictio, nunc autem quasi familiaris admonitio. Hoc autem scito tu, quid accidere debeat in nouissimis diebus. Species quidem prædictionis, sed admonitionis & eruditionis series, cum non tam futura prædiceret, quàm tangeret præsentia. Alioquin non diceret Timotheo: [Et hos deuita.] Nec adderet. [Ex his enim sunt qui penetrant domos.] Licet futuri, qui & penetraturi. [Intelligi profectò datur, ait ille, & tunc huiusmodi fuisse quosdam.] Itaque, de temporibus, tres exponendæ sunt Hebraismi formulæ in scripturis satis familia-

Chrysost. Hom. 7.

Chrysost. Hom. 8.

A res ac notæ. Prima, quòd tempora sint periculosa, seu, vt in Græcis καιροὶ χαλεποί, tempora difficilia, dura, grauia: [Hoc est, pessima.] Ita nunc dies mali leguntur, nunc boni: mala autem ac bona, non temporum sunt, sed hominum. Ita Christus: [In veritate dico vobis: multæ viduæ fuerunt in diebus Eliæ. Non quia Eliæ dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est: aut quia Elias dies faciebat illis, qui in eius operibus lucem videbant gratiæ spiritalis, & conuertebantur ad Dominum.] Id est, efformabat dies, dum mores reformabat. [Quomodo ergo erunt tempora

Ambros. lib. 4. in Luc. post init.

Vitia non temporum sunt, sed hominum.

B grauia? Non dies profectò, ait Chrysostomus, neque tempora, sed homines qui tunc futuri sunt carpit: quippe & nos ita loqui consueuimus, cum tempora vel mala, vel bona ex his quæ in illis contigere, appellamus.] Secunda, quod nouissimi dies non illi sint semper qui seculum claudant, sed qui se extendant in futurum. Ita, [Vocauit Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini, vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.] Quid est, in nouissimis diebus? Id est, vt exponit Ambrosius, [Quæ posterioribus essent ventura temporibus.] Nouissima igitur tem-

Chrysost. Hom. 7.

Genes. cap. 49.

Ambros. lib. de bened. Patriarch. c. 1.

C pora sunt posteriora seu subsequentia, quæ tamen non longè absunt, imò iam furtiuè surrepunt. Ita nouissimus error, nouissimus Adam, qui post priorem: & ita non tam absoluit, quàm succedit, acceditque. Tertia, tempora futura simul & instantia, quia ætas mundi extrema per horam nouissimam designata est. [Filioli, nouissima hora est.] Quasi instet res, iamque emicet; nec tamen sic instat, emicatque. [Ipsa nouissima hora diuturna est: (ait Augustinus) tamen nouissima hora est.] Sic ergo in nouissimis diebus, quo

1. Ioan. c. 2.

Augustin. tract. 1. in Ioan. cir. med.

D modo Daniel dixit, [In nouissimis temporibus.] Id est, vt & ipse subiicit exponitque: [Deus magnus ostendit regi, quæ ventura sint postea.] Sic instabant tempora periculis ac malis plena, vt nondum se tota exererent; sic distabant, vt & in futurum sese protenderent. [Cum enim tunc temporis, ait Athanas. prauorum hominum multiplex numerus redundaret, ne Timothei obturbaret ea res animum, prædixit illi quod paulò superiùs dixit, In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. Et nunc inquit, Vel in posterum tempus futuri sunt istiusmodi homines, qui & Moysi tem-

Dan. cap. 2.

Athanas. in Paulum.

E poribus scelerati fuere. Noli ergo nouum id ipse existimare, quando neque ad tuam vsque ætatem nequissimorum hominum multitudo hæc terminabitur.]

De hominibus, Gnosticos præuidebat Apostolus, iamque patriarchas ipsos indigitans, filios detegerat. [Primæ enim omnium, ait Epiphanius, quæ à Christi tempore prodierunt, hæresis princeps Simon ille Magus extitit. Quæ quidem secta non rectè, neque ex ordine Christianum nomen vsurpat; sed pro adulterinâ suâ deprauatione, atrocissima quæque committit. Atque hinc eorum, quos Gnosticos appellamus, origo profluxit.] Et de Nicolao: [Ille, inquit, in eorum ordinem relatus est, qui ad viduarum præfecturam electi

Epiphanius hæresi 21 à limine.

Epiphan. hæres. 25.

sunt. Verum postea in eum se diabolus insinuauit, eiusque mentem, veterum illorum, quos commemorauimus, erroribus imbuit, vt etiam maius ipsi quàm iisdem illis vulnus infligeret.] Tum de Gnosticis. [Ergo isti cum Nicolao coniuncti, & ab eo velut subuentaneo serpentis ouo scorpij, siue aspidibus prognati quædam nobis inaniter sonantia nomina, librosque commenti sunt. Sed illi qui suis ipsi manibus abominandam libidinem exercent, qui cum mulieribus se commiscent, assiduo illorum vsu nequaquam exsatiati, in semetipsos exardescunt. Etenim perditi profligatique homines beatos se inuicem prædicant, tanquam præcipuum quiddam facinus ac singulare susceperint. Quinetiam mulierculis quas sibi morigeras habet, illudentes, Mulierculis, inquam, onustis peccatis, ac multiplicibus cupiditatibus abductis, identidem narrant. De iis igitur ita loquitur Apostolus: Quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Et erunt homines voluptatum magis amatores quàm Dei. Rursum namque Gnostici isti variè à Simone Mago & Nicolao ac ceteris propagati, in mundo pullularunt; homines erroribus implicati, ac velut ex amaritudine procreati fructus, quemadmodum cuiuis perspicuum est; & ad veritatis probationem non solum à fidelibus, sed etiam ab infidelibus deprehendi nullo negotio potest.]

Epiphan. hæres. 26.

Gnostici à Simone & Nicolao exacti.

Denique de moribus, sicut non faciunt bonos mores, nisi boni amores, sic & mali amores, non nisi malos mores efficiunt. Ex vno igitur disce omnes. [Et erunt homines seipsos amantes.] Græcè φίλαυτοι. Vitium, & vitiorum omnium principium. Sicut enim amor Dei fons & origo est bonorum omnium; sic & amor sui fons & origo malorum omnium. [Cum ergo, ait Augustinus, tales sint homines, quales sunt amores; nihilque aliud curæ esse debeat quomodo viuatur, nisi vt quod amandum est eligatur: quid miraris, si ille qui diligit Christum, & qui vult sequi Christum amando, negat seipsum? Si enim perit homo amando se, profectò inuenitur negando se. Prima hominis perditio, fuit amor sui: si enim se non amaret, & Deum sibi præponeret, Deo esse semper subditus vellet. Non autem conuerteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem suam. Disce ergo amare te non amando te. Nam vt sciatis vitium esse se amare, sic Apostolus dicit, Erunt enim homines seipsos amantes. Et nunquid qui amat se, fidit in se? Incipit enim deserto Deo, amare se, & ad ea diligenda quæ sunt extrà se, pellitur à se: vsque adeò vt cum dixisset idem Apostolus, Erunt homines seipsos amantes, continuò subiiceret, Amatores pecuniæ. Nouimus enim quanta ipse amor facit: siue quis sit amator pecuniæ, qui vocatur auarus; siue sit honoris amator, qui vocatur ambitiosus; siue sit honoris amator, qui vocatur ambitiosus; siue sit corporum pulchrorum amator, qui vocatur lasciuus. Et quis potest enumerare omnes amores?] Omnes tamen ex vna radice prodeunt, nimirum ex amore sui, sed inordinato, ideoque non tam amore sui quàm odio. [Causam namque maiorum omnium, ait Chrysostomus, atque radicem ac fontem protinus Apostolus addidit, vnde alia gignuntur omnia cum non ea quæ proximi, sed quæ sua sunt, singuli quærunt, ex quo fit, vt vtrumque pariter negligant, ita enim ne sua quidem aspiciunt: sicuti enim qui ea quæ proximi sunt quærit, sua quoque rectè disponit: ita & si quæ illius sunt negligit, sua quoque despiciet. Qui seipsum amat, ille in primis est, qui se non amasse conuincitur.] Quomodo enim seipsum amat, qui supremum sibi procurat malum; cum amare, sit ex animo bonum velle & ex officio facere?

Augustin. serm. 47. de diuers. c. 1. & 2.

Omnes cupiditates ex vna radice germinantes.

Chrysost. Hom. 7.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De seductione.

Sicut ille qui seipsum amat odisse conuincitur; sic & qui bonis inhiat commodis vera, comperitur amisisse: sicut ille qui seipsum odit, amat, sic & qui negligit falsa bona, vera comparat. [Amiserunt omnia bona quæ habebant. (verba sunt Augustini.) Nunquid fidem? nunquid pietatem? nunquid interioris hominis bona, qui est ante Deum diues? Hæ sunt spes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus: Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Quibus ergo terrenæ diuitiæ perierunt, si eas sic habebant quemadmodum ab isto foris paupere, intus diuite audierant? id est, si mundo vtebantur, tanquam non vtentes, potuerunt dicere, quod ille grauiter tentatus, & minimè superatus: Nudus exij de vtero matris meæ, nudus in terram reuertar. Nam cum dixit Apostolus, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum: profectò in diuitijs cupiditatem reprehendit, non facultatem; qui præcipit alibi, dicens, Præcipe diuitibus huius mundi: Benefaciant diuites, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum futurum, vt apprehendant veram vitam. Hæc qui de suis faciebant diuitijs, magnis sunt lucris leuia damna solati: plusque lætati ex his quæ facilè tribuendo tutiùs seruauerunt, quàm contristati ex his quæ timidè retinendo faciliùs amiserunt. Seruat ergo, qui tribuit; & qui negat, amittit: pauperes euadunt & miseri, qui volunt ditescere; diuites fiunt ac beati, qui effundere non metuunt. [Et erunt homines sui amatores, cupidi, superbi, blasphemi.] Amor sui, tum & amor nummi. [Ex hoc, ait Chrysostomus, auaritia nascitur: charitatem enim quæ per naturam lata est, & vbique diffunditur, contrahit atque constringit hæc pestis: mediocres quoque ac tenues auaritia subigit. Ex eo elatio gignitur, ex elatione superbia, cuius proles blasphemia est. Qui enim contrà homines se effert, facilè in Deum ipsum impius est. Qui fuerit in homines pius, multò magis in Deum erit. Qui verò aspernatur conseruos, ad hoc sensim pertinget, vt ipsum quoque despiciat Dominum.] Duo ergo sunt amores capitales, quasi malorum omnium illices: sed sicut ambo falsi, sic & ambo fallentes;

Augustin. l. 1. de Ciuit. Dei cap. 10.

Qui dat seruat, qui recondit, amittit.

Chrysost. Hom. 7.

lentes; & decepti decipientes; seducti, & seducentes. [Mali autem homines & seductores proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes.] Seu, vt ex Græcis:[Errare facientes.]

Chrysost. Hom. 8.

Tamen: [Si quis nunc indignatur, quòd hæretici sint, (verba sunt Chrysostomi) consideret eos à principiis atque primordiis fidei erupisse, diabolo semper veritati mendacium clam inserere moliente. Promiserat initio Deus primis hominibus bona, accessit diabolus promittens itidem bona: plantauerat paradisum Deus: pollicitus est & hic, dicens, Eritis sicut dij: & qui rebus nihil poterat, verbis promittit ingentia: huiusmodi quippe seductores sunt. Post fuerunt Cain & Abel: deinde filij Dei, & filiæ hominum: postea Cham & Iaphet, Iacob & Esaü, Moses & magi, Apostoli, & pseudoapostoli, Christus & antichristus. Priùs igitur atque ab ipsis incunabulis mundi, & Apostoli temporibus ista contigere: nunquam igitur fuit, quin mendacium veritati se latenter insereret.] Prædixerat & Petrus, temque ad antiquitatem reduxerat. [Fuerunt & pseudoprophetæ in populo: sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.] Falsi nimirum magistri ψευδοδιδάσκαλοι, sectas subintroducentes perniciosas. [Superducentes sibi celerem perditionem & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritiâ fictis verbis de vobis negotiabuntur.] Non est dubium multos ex istis, præsentibus Apostolis, vel etiam viuentibus, virus continuisse, mortuis verò, palàm erupisse. [Cum negligentiùs agerent præpositi Ecclesiæ, ait Augustinus, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli; venit diabolus, & superseminauit eos, quos malos filios Dominus interpretatur,] Et ipse Paulus, ad eos quos vocauerat Epheso Miletum.[Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod, vigilate.] Sic & Iudas Apostolus: [Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, Quoniam in nouissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.] Quod enim Petrus, [Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores.] Hoc & Paulus, [In nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes. Mali autem homines & seductores proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes.] Isti sunt illusores, deceptores ve impij.

Mendacium semper veritati insensum. — 2. Pet. c. 2. — Augustin. lib quæst. Euang. in Matth c. 11. — Act. cap. 20. — Iud. epist.

Porrò, quia dolo, fraude ac deceptione agitur, sexui etiam illuditur, qui errori obnoxius est ac deceptui. [Ex his sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis: quæ ducuntur variis desideriis semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.] Nec id quidem nouum. [Vides, ait Chrysostomus, vt antiqui seductoris astu & arte vtantur, armaque arripiant, quibus & diabolus vsus est aduersùs Adam. Qui, inquit, penetrant domos. Quàm

Chrysost. Hom. 8.

A signanter hoc verbo impudentiam expressi singularem; ignominiam quoque, ac fallaciam: quippe mulierum est falli: immò non mulierum, sed muliercularum. Sed vide vnde illæ quoque faciles ad fallendum sint. A peccatis: ex eo scilicet, quòd nihil boni sibi sunt consciæ. Et satis quidem propriè dixit, Oneratas peccatis, vt peccatorum commendaret multitudinem, & inconstantiam, atque confusionem.] Mala quipppe conscientia, erroris illecebra est, sicut & perditionis via latissima. [Nam, vt aduertit Athanas. qui nequaquam sibi rectè factorum est conscius, improB bissimo cuique dogmata decernenti obsequitur; & se consolatur, quasi nullas sit pœnas pro istiusmodi operibus luiturus.] Inde ergo, [Ducuntur concupiscentiis variis. Quid sibi vult, Variis? Plurima, ait Chrysostomus, hoc verbo significauit Apostolus, delicias, turpitudinem, atque lasciuiam: fortassis & alias fœdiores concupiscentias signat. Semper discentes, nunquam ad agnitionem veritatis venire valentes. Non ista illis parcens, sed ea vehementer insinuans, dicit. Quia enim seipsas desideriis illis & peccatorum oppressere molibus, mens illarum excœcata est.] Non solùm ergo libidinosæ illæ mulierculæ, sed & curio- C sæ: non solùm œstro percitæ furoris, sed & erroris captæ laqueo: cum enim sentiant se peccatis grauidas, variisque agitatas concupiscentiis, oberrant vagæ, nec vnquam sibi modum aut stimulum imperant.

Mala conscientia errori ac deceptui expo sita. — Athanas. in Paulum. — Chrysost. Hom. 8.

Et inde miseri illi seductores suâ infelicitate felices, suâ fœditate audaces; fœminas nacti congeneres, similesque laruas induti [Voluptatum amatores magis quàm Dei. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.] Et id igitur iam ab initio. [Plures, inquit Tertullianus, inuenias, quos magis periculum voluptatis quàm vitæ, auoD cet ab hac sectâ.] Maximè verò pollentioris voluptatis, quæ sibi hoc nomen vindicat, dum per carnem regnat. Vnde omnes ferè hæretici plurimum libidinosi, vtpote ab immundis spiritibus subornati. [Tales enim spiritus, vt Irenæus notat, terreni & infirmi sunt, audaces autem & impudentes à satana immissi ad seductionem & perditionem eorum, qui non firmam fidem, quam ab initio per Ecclesiam acceperunt, custodiunt. Maximè autem id circa mulieres vacat, & hoc circa eas, quæ sunt circumpurpuratæ & ditissimæ. Hæ sæpissimè conuersæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, secunE dùm corpus se exterminatas. Talia namque dicentes, & operantes, multas seduxerunt mulieres, quæ cauteriatas habentes conscientias, quædam quidem etiam in manifesto exomologesin faciunt, quædam autem reuerentes, hoc ipsum in silentio sensim semetipsas retrahunt.] Nulli certè Gnosticis istis turpiores, nulli feminis contumeliosiores. [Apud illos quippe, vti dixit Epiphanius, satietas libidinis nulla est, & quo fœdiora quisque perpetrauerit, eo maiori omnium laude ac prædicatione celebratur. Sed dum libidinum suarum voluptati succumbunt, certas sibi perpetrandorum flagitiorum occasiones arcessunt, quo effrænatæ suæ cupiditati ac luxuriæ satis-

Tertullian. l. de Spectacul. cap. 2. — Iren. l. 1. aduers. hæres. cap. 9. — Plures voluptatum magis quã vitæ amatores. — Epiphan. hæres. 26.

faciant.] Non audeo dicere, imò horreo legere. [Illa enim omnia, vt & ille ait, ne commemorari quidem oportebat, neque vllam eorum in scriptis extare memoriam, sed tanquam mortui cadauer fœtidi, ac pestiferi cuiusdam afflatûs in sepulcrum abiici, ne vel afflatu ipso mortalium generi perniciem afferrent.] En quales illi voluptatum amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes: fictis ac compositis verbis decipientes, nec mentibus solùm illudentes, sed & corporibus. [Esto enim quispiam rectè credat, (verba Chrysostomi) quid ex fide verâ lucrabitur, si nihil habet ex his quæ debet habere Christianus? Si nihil agat, quod exprimat pietatem, gentilesque potius impietate transcendat?]

Epiphan. Ibidem.

Chrysost. Hom. 8.

B

ARTICVLVS TERTIVS.

De rebellione.

Miramur hæc? [Febrem quoque inter ceteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam, (ita loquitur Tertullianus) neque quia est, miramur, est enim; neque quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proinde hæreses ad languorem & interitum fidei productas, si expauescimus hoc eas posse; prius est, vt expauescamus hoc eas esse; quæ dum sunt, habent posse; & dum possunt, habent esse. Sed enim febrem vt malum, & de causâ & de potentiâ suâ, vt notum est, abominamur potius, quàm miramur; & quantum in nobis est, præcauemus, non habentes abolitionem eius in nostrâ potestate: hæreses verò mortem æternam, & maioris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari quòd hoc possint, quàm deuitare ne possint cum habeant deuitandi potestatem. Ceterùm, nihil valebunt, si illas tantum valere non mirentur.] Audis tantum valere, imò & præualere, tantumque obstupescis potentiam. [Sed hæc omnia, (vt dicam ex Iobio Monacho) priuatio atque impotentia quædam sunt. Nam si iustitia non potest quod iniustitia (nunquam enim iniuriam fecerit iustitia) vitium vtique plus poterit quàm virtus. Eademque ratione, si homo lapis esse non potest; lapis potentior sit, quàm rationis particeps animans. Atqui si hæc iterum inuertas, nihilominus quæ viribus potiora iudicabuntur, rursum imbecilliora videbuntur iis, quæ potestate vincebant. Ita ludicrum quid huiusmodi ratiocinatio est, & negationis sophisticæ ludibrium.] Multum quidem valet hæresis, sed quomodo pestis valet aut febris: sicut enim in febribus, nihil datur virtuti; sic & in hæresibus, nihil veritati deputatur. [Mirantur, ait Tertullianus, quasi quòd tantum valeant, ex aliquâ veniat veritate. Mirum scilicet, vt malum vires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valeant, qui in fide non valent.] Vnde febres tantum valent, nisi ex malignitate? Vnde hæreses tantum valent, nisi ex falsitate? Tamen sicut hæreses non præualent nisi in corruptis humoribus, ita nec hæreses nisi in prauis deprauatissimis hominibus: & ex suâ igitur improbitate, & ex nostrâ præualent infirmitate: ideoque quod tantum possunt, & ex suâ, & ex nostrâ possunt impotentiâ.

Tertullian. l. de præscr. cap. 2.

Eadem hæresis quæ & febris potêtia.

C

Iobius Monach l. 5. de verb. incarn. c. 13.

D

E

Tertul. l. de præscr. c. 2.

Quantum valent illi qui nihil valent; qui & ipsum per quod possunt, destruunt? [Blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione. Ingratus ergo scelestus est: (ita Chrysostomus) & meritò sanè. Qui enim erga beneficum ingratus est, qualem se erga alios præstabit? Qui ingratus est, idem sine pace, sine affectione est.] Nec id nouum. [Quemadmodum enim Iannes & Iambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati. Quinam isti sunt? (ait ille) Magi scilicet, & qui signa in Ægypto fecisse legũtur. Quomodo autẽ nusquam alibi ipsorum nomina inueniuntur? Ea vel ex traditione, vel ex spiritu Paulum didicisse fas fuit.] Duo fratres aduersùs duos fratres: ambo venefici, ambo magi, ambo præstigiatores, aduersùs virtutem diuinam, aduersùs cœlestem potentiam; sic & hæretici semper aduersùs potestatem legitimam. [Parentibus non obedientes.] Triplex nimirum parentum genus, carnalium, ciuilium, spiritualium. Carnales sunt, qui sobolem generant; ciuiles, qui pacem administrant; spirituales, qui gubernant salutem. Aduersùs primos insurrexerunt Pharisæi, honorem parentibus denegantes sustentationem-ve: aduersùs alios intonuerunt schismatici, [Quid Christianis cum regibus?] Obedientiam pessundantes ac reuerentiam. Aduersùs vltimos, nulli non conspirauerunt hæretici. [Vnde enim schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, (verba sunt Cypriani) nisi dum episcopus qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur?] Aduersùs hos hæretici immorigeri, inobedientes, Græcè ἀπειθεῖς, insuasibiles. Sed quid mirum alienos spernere, cum ne suos quidem agnoscant? extraneos non audire, cum proprios seu domesticos reiiciant? [Ceterùm, inquit Tertullianus, nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Denique penitùs inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.]

Chrysost. Hom. 8.

Chrysost. Ibidem.

Parentes carnales, ciuiles, & spirituales.

Optat Milesuit l. 1.

Cyprian. lib. 4. epist. 9 cit. med.

Tertullian. l. de præscr. cap. 42.

Nec iniqua comparatio hæreticorum ac magorum, sicut nec aliena professio. [Notata sunt etiam, ait ille, commercia hæreticorum cum magis quam pluribus: cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis. Quærite & inuenietis vbique meminerunt.] Hæretici omnes. [Homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed vltra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.] Itaque, [Causa non ex rerum naturâ, vt Chrysostomus loquitur, verùm ex peruersitate sententiæ ducitur. Laborat enim morbo rationis iudicium. Sicuti enim statera, si lancem loco motam habeat, pondera iustè non iudicat: ita & anima nisi habeat lancem rationis stabilem, ac firmiter vi timoris affixam, res sincerè diiudicare non valet, sed circumfertur iugiter ac deprimitur.] Inde, [Hi, (vt & ille ait) qui nouitatibus student, nusquam es-

Tertullian. c. 43.

Chrysost. Hom. 5.

Chrysost. Hom. 8.

toris finem inuenient; sed noua semper commenta, & corruptum dogma proferent: ea enim vis erroris, vt sisti non queat. Quamuis autem omni ex parte videatur error inualescere ad tempus, ad finem tamen vsque non permanet; huiusmodi quippe sunt, quæ per naturam bona non sunt, sed bona esse videntur: ad tempus florent, sed citò deprehenduntur.]

Corruptio rationis ex vitio voluntatis.

Corruptum quidem rationis iudicium, sed nullum excusationis patrocinium est, quia corruptio mentis, ex deprauato procedit affectu voluntatis; & inde manifesta fit exclusio salutis, quia iam facta rataque erroris obstinatio. Sed licet illi in peius proficiant, artesque contexant subinde peiores: error tandem deprehenditur, & si auctor suaderi non potest, saltem traducitur, tandemque conuincitur. Porrò licet amputetur hydræ caput, aliud tamen semper renascitur; & quo magis remouetur fides ab origine, eo magis sectiones subinde patitur factionesque. [Malum hoc, ait Cyprianus, iam pridem cœperat, sed nunc creuit eiusdem mali, & surgere & pullulare plus cœpit hæreticæ peruersitatis & schismatum venenata pernicies: quia & sic in occasum mundi oportebat, prænuntiante per Apostolum nobis & præmonente Spiritu sancto: In nouissimis, inquit, diebus aderunt tempora molesta, & erunt homines sibi placentes. Ex iis sunt qui repunt in domos viduarum, & prædantur mulierculas oneratas peccatis. Et quomodo Iamnes & Mambres restiterunt Moysi; sic & hi resistunt veritati, sed vltra non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Adimplentur quæcunque prædicta sunt, & appropinquante seculi fine hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis aduersario sæuiente error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat.]

Cyprian. l. de simpl. prælat. vlt. med.

ADMONITIO SECVNDA.

De bonis.

Inter bonos, primus est Paulus, licet vltimus inter Apostolos, Idcircò seipsum producit, id est, exemplum adducit suum. [Duo enim, vt monuit Chrysostomus, doctoris animum perturbant hæreticorum scilicet multitudo, & impatientia passionum. Iam igitur intuere illum de pressuris differentem suis. Magnâ, inquit, aduersùs hæreticos longanimitate vsus sum: patientiâ, aduersus persecutiones, passiones, Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris. Cur autem hæc pauca ex pluribus dixit? Nota erant discipulo reliqua, neque ista per species numerat: non enim gloriæ, honorisque cupidus est; quippe ad consolationem discipuli, non ad iactantiam loquitur. Quales, inquit, persecutiones sustinui, & ex omnibus eruit me Dominus. Et omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur. Quid igitur de me dico? omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutio-

Chrysost. Hom. 8.

A nem patientur.] Obseruanda sunt verba, nec vlteriùs amplianda. Vnde Augustinus Gaudentio: [Illud, inquit, quod addidisti, dixisse Apostolum: omnes qui in Christo piè viuere volunt, persecutiones patiantur necesse est: non quidem ille dixit, necesse est: sed, omnes ait, qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur.] Imò nec dicit, qui piè viuunt, sed qui piè volunt viuere: quia non solum de instituto sermo est, sed de proposito, quo quis profiteri vouet inter [Pios, vt ille loquitur, verosque Christianos,] auetque arctam viam ingredi. Quilibet enim Christianus viuit in Christo, dum Christianam excolit religionem, sed non omnis piè viuit in Christo, quia non ad Christianam perfectionem contendit.

Augustin. lib. 1. cont. Gaudent. cap. 22.

B Plurimi sunt mediocriter boni, & minimo progressu Christiani: pauci sunt excellenter pij, & magno profectu religiosi. Illi ergo piè viuere volunt in Christo, qui vitam instituunt verè Christianam; qui arduam virtutis ac perfectionis viam arripiunt. Nec tamen dicit Apostolus, necesse esse eos persecutionem pati: sed exponit quid illis paratum sit, quid repromissum; quid immineat, impendeatque, vt si necesse sit non solùm pati pro Christo, sed & mori, expediti sint & accincti. Nam si tales persecutiones repromittit, quales ipse sustinuit, certum est non omnes qui piè volunt viuere in Christo lapidatos fuisse, qualiter ipse

Non omnes qui viuunt in Christo, piè viuunt in Christo.

C fuit Lystris & Iconij; flagellatos-ve, vt & alibi: fortean & Antiochiæ Pisidiæ. Sed cùm seculum istud ferro transfigeretur, periculo, imò cæde respergeretur & sanguine: vix possibile erat, vt qui piè vellet viuere in Christo, id est, sincerè Christum colere, malletque lapidari potius quàm vel modicum cauillari, non sentiret rabiem persecutionis, finem etiam per passionem mortis non faceret. Vnde ex primis illis seculis, nullius verè pij, seu verè Christiani, id est sancti memoriam celebrat Ecclesia, nullius ferè gloriam exaltat; nisi qui persecutionem sustinuerit, & per passionem peruenerit ad immortalitatem,

D Iam verò Apostolicam ampliando sententiam: [Per commune consortium crucis Christi, vt loquitur Leo, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, agere debemus, sicut Apostolus ait: Si compatimur, & conglorificabimur. Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis. Nemo est, cui per conditionem temporis societas huius gloriæ denegetur, tanquam tranquillitas pacis vacua sit occasione virtutis. Apostolus enim prædicat, dicens: omnes qui volunt in Christo piè viuere,

Leo ser. 9. de quadrag. init.

E persecutionem patientur: & ideò nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruatio pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis dicit: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nec dubitamus hanc vocem non solùm ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his qui aderant vniuersaliter audiebat. Sicut ergo totius est corporis pie viuere, ita totius est temporis crucem ferre; quæ meritò ferri vnicuique suadetur, quia propriis mo-

dis atque mensuris ab vnoquoque toleratur. In bono ergo proposito constitutis, inimicitiæ dissimilium diabolo instigante non desunt, & facilè in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione rectorum. Iniquitas cum iustitiâ non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia, non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, auaritia largitatem: & tam pertinaces habet diuersitas ista conflictus, vt etiamsi exteriùs conquiescat, ipsa piorum cordium penetralia inquietare non desinat: vt verum sit, quòd qui voluerint in Christo piè viuere, persecutionem patientur.] Eo igitur modo: [Id quod ait Apostolus: Quicumque volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur, nullis, (ita Augustinus) putandum est deesse posse temporibus: quia & cum ab eis qui foris sunt non sæuientibus videtur esse tranquillitas, & reuera est, plurimumque consolationis affert, maximè infirmis: non tamen desunt imò multi sunt intus, qui corda piè viuentium suis perditis moribus cruciant; quoniam per eos blasphematur Christianum & Catholicum nomen. Quod quanto charitas est eis, qui volunt piè viuere in Christo, tanto magis dolent, quod per malos intus positos fit, vt minùs quàm piorum mentes desiderant, diligatur. His itaque huiusmodi prauis moribus malorum Christianorum, siue etiam falsorum erroribus, persecutionem patiuntur qui volunt in Christo piè viuere, etiam nullo infestante, neque vexante corpus illorum. Patiuntur quippe hanc persecutionem non in corporibus, sed in cordibus.] Quid enim aliud transuerberari spiritali gladio, quàm cœlesti zelo inflammari?

Augustin. l. 18. de Ciuit. Dei c. 15.

Non minor cordiũ passi quàm corporum.

Cur passiones legimus martyrum, nisi vt persecutiones ferre possimus malorum? Ita, vt dixit ille apud Augustinum, [Beati Laurentij exemplo prouocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem; & si in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subiicit mihi persecutor ignem, sed esse Saluatoris ignem, legimus in Euangelio, dicente eodem Domino; Nescitis quia veni ignem mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur?] Illo igne, & vrente zelo ardebat ille, qui dicebat, Tabescere me fecit zelus meus. [Vel, sicut alij codices habent, (notante Augustino) Tabefecit me zelus tuus. Zelus quippe meus, quod plures codices habent, nullam ingerit quæstionem. Quid enim mirum est, si zelo suo quisque tabescit? Quòd verò habent aliqui, Zelus tuus, significat hominem Deo zelantem, non sibi: sed non repugnat si ipse dicatur & meus. Nam quid aliud dicit Apostolus, Æmulor enim vos Deo, æmulatione Dei? Nam dicendo, Æmulor vos, quid nisi æmulationem demonstrat suam? Sed quia dixit Deo, id est non sibi, sed Deo, ideò addidit æmulatione Dei. Hanc quippe suo spiritu fidelibus suis inspirat Deus, amoris enim est, non liuoris. Bonus ergo & huius intelligendus est zelus: causam namque subiungit

Serm. 30. in append.

Augustin. con. 28. in Psal 118 post. init.

A & dicit: Quia obliti sunt verborum tuorum inimici mei. Zelabat illos Deo tam vehementer & ardenter, vt eo zelo tabefactum se diceret: illi autem ob hoc in ipsum inimicitias exercebant, quia vtique vt Deum amarent volebat, quos amando zelabat. Deinde considerans ipse in verbis Dei, quâ flammâ dilectionis arderet, Ignitum, inquit, eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Meritò zelabat in suis inimicis cor impœnitens, qui fuerant obliti verborum Dei. Ad hoc, enim flagrabat eos adducere, quod ipse flagrantissimè diligebat.] Zelus ergo ille de odio prorumpit iniquitatis, ideoque de riuulo profluit charitatis, ita & ille, [Vidi præuaricantes, & tabescebam.] Seu, vt est apud Augustinum: [Vidi insensatos, & tabescebam. Vel, sicut alij codices habent, Vidi non obseruantes pactum: & hoc plures habent. Hoc ergo iste vidit, & tabescebat, quia diligebat, Zelus enim bonus est, de amore veniens, non liuore. In quo enim non seruauerunt pactum, secutus adiunxit: Quia eloquia tua non custodierunt.] Genus defectionis est, pro peccatoribus legem Dei derelinquentibus. [Pia est illa tristitia, ait Augustinus, & si dici potest, beata miseria; vitiis alienis tribulari, non implicati; mœrere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi. Hæc est persecutio quam patiuntur omnes qui volunt in Christo piè viuere, secundùm Apostolicam, mordacem veramque sententiam.)

Bonus zelus quide amore, non de liuore.

B

Augustin. con. 30 in Psal. 118. vlt. med.

Augustin. ep. 145. init.

C

Vnum ergo nomen persecutionis, sed non vnum certamen pietatis. Boni enim persecutionem patiuntur à malis ob contrarietatem, à seipsis etiam patiuntur ob infirmitatem. [Non enim solis doloribus corporis, (verba Leonis) atque suppliciis anima fidelis impetitur; verumetiam saluâ incolumitate membrorum, graui morbo vrgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem, præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur, nec cupiditatibus noxiis illecta consentit, quoniam continentiæ clauis & Dei timore transfigitur.] Tentatio est, probatio est, persecutio: nam sicut bonus à bono nonnunquam vexatur per ignorantiam, sic & pius à seipso per concupiscentiam cruciatur: verùm sicut frequentior, sic & atrocior illa persecutio sanctorum est, quæ non tam ex bonorum ignorantiâ exurgit, aut desideriorum concupiscentiâ propriorum, quàm ex iniquorum nequitiâ. [Quid enim, vti dixit Augustinus, hîc magis persequitur viam bonorum, quàm vita iniquorum; non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt? Quoniam coràm pio viuens impiè, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. Nam sæpè & diu impiorum corporibus à secularibus potestatibus, & quorumlibet vexationibus parcitur, piorum autem cordibus à malis hominum moribus nunquam vsque ad huius seculi finem. Sic ergo potius impletur, quod commemoraui dixisse Apostolum, Quia omnes qui volunt in Christo Iesu piè viuere, persecutionem patientur; & tanto amariùs quanto interiùs, donec diluuium transeat, vbi ar-

Leo serm. 9. de quadrag. cit. med.

D

Augustin. epist. 146.

E

Remedia aduersùs communes persecutiones proposita.

ea continet coruum & columbam. Sed inhære A illi à quo audisti, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Coniungere Domino, vt crescat in nouissimis vita tua. Huic adiunge promissiones Dei fideles, magnas, certas, sempiternas, ipsiusque tolerantiæ imperturbabilem ineffabilemque mercedem.] Tolerandus quidem malorum conuictus per patientiam, sed consensus vitiorumper cautelam declinandus. Inter malos viuendum, per ipsos transeundum est: [Non tamen, ait Cyprianus, nos moueat aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, sed potius fidem nostram prænuntiante rei veritate corroboret. Vt quidam tales cœperunt, quia hæc antè prædicta sunt, ita ceteri ab eiusmodi caueant, quia & hæc antè prædicta sunt instruente Domino & dicente: Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Vitate quæso eiusmodi homines, & à latere, atque auribus vestris perniciosa colloquia, velut contagium mortis arcete: docet enim Dominus & admonet à talibus recedendum.]

Cyp. lib. de simpl. prælat. vlt. med.

ADMONITIO TERTIA.

Ad ipsum Timotheum.

IAm ergo ad ipsum sese conuertit Timotheum, & ipsum commonefacit instruitque prædicatione, actione, lectione. Post illud triplex admonitionis genus quid restat, aut quid habet amplius quod faciat?

Quoad primum. Dixerat de reprobis, [Vltrà non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.] Serpit quidem peruersa doctrina, non tamen diuina prouidentia permittit, vt vires suas omnes effundat, sanosque seu electos peruadat: statim enim detegitur impostura, & à bonis piis-ve cautelâ iustâ reiicitur. [Ac per hoc, ait Augustinus, diabolus princeps impiæ ciuitatis, aduersùs peregrinantem in hoc mundo ciuitatem Dei vasa propria commouentem, nihil ei nocere permittitur: cui proculdubiò & rebus prosperis consolatio, vt non frangatur aduersis: & rebus aduersis exercitatio, vt non corrumpatur prosperis, per diuinam prouidentiam procuratur.] Actum sit igitur de malis hominibus, irritisque eorum conatibus. [Tu autem assecutus es meam doctrinam.] Peruersæ nimirum doctrinæ contrariam. [Hîc, inquit Chrysostomus, multo ipsum tempore adfuisse significat, ex eo quod dicit, Assectatus es doctrinam. Id namque de verbo prædicationis intelligo. Itaque fortis esto, ac virum te præbe: non enim simpliciter accessisti, se assectatus es. Neque enim fas est hominem pergentem virtutis viam, tristitiâ, pressuris, doloribus, tentationibus immunem esse. Quo enim pacto, cum arctam pergat viam, audiatque, In mundo pressuram habebitis? Mali in deteriora proficient, fallentes atque falsi. Nihil, inquit, horum te perturbet: si quidem illi in quiete, tu in tentationibus viuis. Ea quippe rei natura est ex me discere potes, non esse possibile, vt vir qui malis indixerit bellum, pressuris careat: non est ille profectus. Nemo itaque certans

Augustin. l. 18. de Ciuit. Dei cap. 51.

Chrysost. Hom. 8.

requiem quærat: nemo amplectatur quietem. Nefas est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem. Luctamen sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium. Aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est, atque sudoribus: nullus vbi ad certamen se exuit, vnctusque est, requiem quærit. Si enim inquiris requiē, quid te exuisti? Cur iactasti manum? Quâ enim ratione hic requiem speres, cum libidinibus indixeris bellum, atque aduersùs naturam pugnare perrexeris?] Ita Paulus monebat, ita insistebat aduersùs pseudomagistrorum & pseudapostolorum dogmata, Christianam euigorantia & effeminantia B disciplinam; vt qui magis voluptatem ament quàm veritatem, & per veram cæcitatem falsam prædicent libertatem. Idcircò, [Tu verò, inquit, permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.] Ita, vt obseruat Aquinas: [Monet, & hortatur eum tripliciter: scilicet ex parte doctoris, ex parte ipsius Timothei, & ex parte eorum quæ accepit. Dicit enim, Assecutus es meam doctrinam: ergo permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi: dogmata quippe fidei prælatis sunt credita.] Hæc firmiter tene, inuiolabiliter redde: tibi enim cōmissa sunt vt serues, tibi demandata vt eadem fideliter prædices constanterque.

Exutus vnctusque ad certamen Christianus.

Aquin. lect. 3.

C Quoad secundum. Tu autem non solùm doctrinam meam assectatus es: sed &, [Institutionem, propositum.] Parùm est monere verbo, nisi firmaret exemplo; parùm prædicationem reuocare, nisi actionem superadderet: imò & parùm actionem superaddere, ni intentionem adiungeret. Quid institutio? Secta, disciplina. Sed ea duplex est, vna Christiani, altera Apostoli. De primâ Tertullianus: [Nostra, inquit, institutio de porticu Salomonis est.] De alterâ, ille ipse: [Hoc legisse debueras, & si non in epistolâ, sed in ipsâ D Apostoli sectâ, à pudore clariùs quàm stylo eius impressum.] Sicut enim apud ipsum, [Secta monogamorum est.] Sic & secta virginum [Ceterùm, ait Tertullianus, malebat omnes id esse quòd & ipse.] Nec mireris Christianam religionem non minus sectam dici quam institutionem. Quoties id Tertullianus in suo etiam Apologetico? [At enim secta oditur in nomine vtique sui auctoris.] Et, [Consulite commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cummaximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. (& (Nec iam illic Christianæ sectæ origo consederat.] Quid te his lassem, aut onerem? cum dicat Paulus. E [Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.] & [Secundùm certissimam sectam nostræ religionis.] Ita vt redeam ad Tertullianum nostrum. [Quod aliud negotium patitur Christianus, nisi suæ sectæ?] Id est, religionis, professionis-ve Christianæ. Inde Christiani apud ipsum. [Spiritalium sectatores sunt.] Id est, sanctitatis, castitatis, humilitatis professores. Hæc quidem pluribus volui, quia Paulus: [Tu autem, inquit, assecutus es.] Seu, vt iam non semel

Tertul. l. de præscr. c. 7.

Tertul. l. de pudicit. cap. 14.

Tertul. l. de monog. c. 11

Tertul. c. 3. 5 & 40.

Act. c. 24.

Act. c. 26.

Tertul. l. ad Scap. c. 26.

Tertullian. l. de cult. fœm. cap. 3.

audisti ex Chrysostomo, [Assectatus es A meam institutionem. De vitâ, ait ille, loquitur Propositum. De promptâ voluntate & alacritate animi dicit. Non enim, inquit, ista locutus sum, & opere minime impleui: neque verbis tantùm philosophatus sum.] Duo sunt in qualibet sectâ: institutum, propositum. In instituto, professionis actio est; in proposito, actionis intentio. Sua cuique philosopho secta est: sed, vt dixit Tertullianus: [Philosophi inter sese variis sectarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordant.] Esto institutum tolerabile sit, propositum tamen intolerabile. Vtrumque proponit; exponitque Apostolus Timotheo suo, innuitque nihil ei absconditum, nihil incognitum. Nosti meum institutum, quod non vulgaris disciplinæ est, sed strictioris obseruantiæ, quod exactissimæ castitatis, quod altissimæ paupertatis. Nosti meum propositum, quo genio & animo egi, quâ fide, quâ charitate persecutiones, passiones sustinui: omnia mea, vt discipulo perspecta sunt, vt socio, vt filio. [Nemo, ait Chrysostomus, Paulo æqualis erat, qui omnem ætatem in pressuris vixit, in lacrymis, in gemitibus nocte ac die. Non erat illi vicissitudo mœroris & gaudij, vt nunc istud nunc illud adesset, sed quotidie mœrens perstitit.

Chrysost. Hom. 8.

Tertul. l. de patient. c. 1.

In quibus secta, institutum est & propositũ.

Chrysost. Hom. 8.

Quod tertium. Necessario permanendum in acceptâ doctrinâ, depositumque tutò seruandum: quia à tanto magistro concreditum. [Et quia ab infantiâ sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu.] Scito à quo didiceris, mementoque quomodo institutus sis, imbutusque, matribus Eunice & Loïde infantiam tuam regentibus. [Hoc est, ait Chrysostomus, à primâ statim ætate sacras litteras didicisti. Quid sunt sacræ litteræ? Scripturæ diuinæ. In his, inquit, educatus es, vt per eas quoque maior tibi fidei virtus accesserit; adeoque inualuerit, vt nihil iacturæ possit incurrere, altissimis radicibus nixa, longo tempore solidata.] Mirum, quod tunc mulieres, infantes, id est pueri, nedum adolescentes ac viri, antiquas scripturas nossent, quæ eo difficiliores, quo obscuriores; eas perlegerent, reuoluerentque. Quidni? Tria enim in illis præcipua sunt, & quæ nusquam alibi reperienda. Primum est, auctoritas: alterum, potestas: tertium vtilitas. Quoad auctoritatem.] Omnis scriptura, diuinitùs inspirata. Quid, omnis? Sacra scilicet, de quâ iam dixerat, Timotheum à suâ infantiâ imbutum. [Quid est enim scriptura sacra, ait Gregorius nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?] Acceperat ab Augustino. [De illâ, inquit, ciuitate, vnde peregrinamur, litteræ nobis venerunt: ipsæ sunt scripturæ, quæ nos hortantur, vt benè viuamus] Ex quibus tria sunt deducenda. Primum, tum apud Christianos, cum & apud Iudæos, idem esse scripturam sacram, diuinamve. [Scrutamini scripturas.] &, [Erraris, nescientes scripturas.] Satis est: qui enim legit, intelligit. Alterum, Deum quidem initio locutum homini per seipsum, vtpote familiariter cum illo conuersatum: at vbi prodigus abiit in regionem longinquam & auitam deseruit pietatem: non quidem desertum fuisse in totum, sed litteris duntaxat diuinis admonitum. B Tertium, scriptores omnes sacros, non tam auctores esse litterarum, quàm fideles baiulos. Quoad potestatem, [Quæ possunt, inquit, te instruere ad salutem. Hoc est, vt exponit Chrysostomus, non permittent in te vllum stultitiæ locum, vt plerisque contingit. Qui enim scripturas ita scit, vt sciri oportet, nullo rerum euentu vllum scandalum patitur: fert omnia constanter & fortiter, partim fidei committens, partim incomprehensibili dispensationi Dei adscribens, quorundam verò rationes noscens, & exempla in scripturis inueniens. Ex quibus tria tribus verbis exponenda. Primum, C potestatem illam non esse ad mundana, sed ad æterna; virtutem non ad artem esse, sed ad salutem. Alterum sciendas scripturas, vt sciri oportet: id est, non proprio ingenio, sed antiquorum patrum exponendas iudicio. Tertium, inde agendorum exempla, & non agendorum desumenda. Denique quoad vtilitatem, [Vtilis est.] Seu, vt ex Græco, [Diuinitùs inspirata, & vtilis.] Ad quid tandem? [Ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, (seu, ad corrigendum) ad erudiendum in iustitiâ.] Nam, vt obseruauit Aquinas: [Effectus scripturæ est duplex: scilicet quia docet cognoscere veritatem, & suadet operari iustitiam: est enim ratio speculatiua, & est ratio D practica: & in vtroque sunt duo necessaria: scilicet quòd veritatem cognoscat, & errorem refellat. Quantum ad primum, est vtilis ad docendum, scilicet veritatem. Quantum ad secundum, subdit, Ad arguendum. Quantum ad practicam, duo sunt necessaria: scilicet vt reducat à malo, & ad bonum inducat. Quoad primum, dicit, Ad corripiendum Quoad secundum, dicit, Ad erudiendum in iustitiâ.]

Chrysost. Hom. 8.

Gregorius l. 4. ep. 84.


Aug. con. 2 in Psal. 90.


Ioan. 5. & Matth. 22.

Chrysost. Hom. 8.

Scripturæ dignitas, potestas, & vtilitas.

Aquin. lect. 3.






CAPVT QVARTVM.

Epigraphe.

OBtestatur Timotheum vt instet ministerio verbi, hortaturque vt venire properet: coronam sibi repromittit iustitiæ, solitamque imponit epistolæ clausulam.

TEXTVS.



Estificor coràm Deo, & Iesu Christo qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius. Festina ad me venire citò. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerium. Tyticum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, maximè autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius: quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris. In primâ meâ deffensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis, liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum. Amen. Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

EXEGESIS LITTERALIS.

ET adhuc prædicit futuros pseudomagistros, iamque affuturos innuit: se à suis desertum, ab aliis impetitum caussatur, sed à A Christo Domino, gratulatur confortatum.

[Testificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius, &c.] Ego Paulus obtestor te, ego tibi denuntio ac præcipio coram maximis ac tremendis non testibus tan-

tùm, sed & iudicibus: Deo & Christo Domino: qui potestate à patre acceptâ iudicabit mortales omnes, & quos viuos inuenerit, & quos iádiu mortuos, omnesque pariter suscitatos citauerit: tunc enim formidandũ illud erit iudicium, regnumque Christi Domini parebit manifestum. [Quando iudicaturus est? (ait Chrysostomus.) In aduentu suo, qui erit cum gloriâ & regno. Non ita veniet, vt antea venit in humilitate, sed in gloriâ & regno.] Ita apposité ad Græca. [Prædica verbũ, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ, &c.] Ideo ergo testificatur contestaturque vt prædicet, doctrinamque annuntiet Euangelicam: instet operi, tempestiuè, intempestiuè; arguat errantes, increpet peruicaces, obsecret docibiles: sed id omne cum patientiâ faciat perfectâ, & sanâ doctrinâ. [Tam sollicitè, ait Ambros. mandat inuiolatè prædicandum Dei donum, vt cum obtestatione Dei patris & Christi filij eius hoc moneat curandum, instandumque in eo, vt & assiduâ prædicatione & crebrâ obiurgatione prouocet ad meliorem profectum: & vt faciliùs arguenti assentiant, sine amaritudine hoc agendum testatur.] Ille tamen pro, [Obsecra,] reponit, [Hortare.] Et potest ex Græco. [Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, &c.] Instanter dico grauiterque incumbe officio, insiste ministerio: iam enim futuros prospicio imò breui à sanâ doctrinâ recessuros. Hi nempe tam nouitatis quàm vanitatis auidi, conquirent, congerentque sibi magistros placitis ac desideriis beneuolos: & à sincerâ quidem disciplinâ aures auertent, ad fabulas autem conuertent audiendas. [Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto, &c.] Potest illud, [Vigila] iungi cum, [Omnibus.] Et fortè melius. Vbique intende, laboresque sustine imminentes: Euangelium Christi prædica sincerè, episcopi officium præsta integrè: nihil neglige. Vigilabis autem, si sobrius fueris parcusque.

Chrysost. Hom. 9.

Ambros. in Paulum.

Prurigo aurium noua quærentiũ aut placentia.

[Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, &c.] Ego te sic admoneo, sic & vrgeo, nam laboribus iam ac passionibus confectus, nec minùs annis attritus quàm vinculis, incipio immolari, magisque ac magis sentio me consummari. [Duo facit, (secundùm Aquinatem) Quia primò nuntiat passiones quas patiebatur: secundò, prædicit mortem, quæ expectabatur.] Resolutionem scilicet, seu, vt loquitur Tertullianus, [Discretionem corporis animæque.] Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.] Præclaram pugnam suscepi excurrendam, iamque ferè metam tetigi, fortis in agone, fidelis in opere. Quod reliquum est, iusta me spectat expectatque corona, quam velut debitam, sed in manu

Aquin. lect. 2.

Tertull. de Anim.

A Dei repositam, mihi ad æternam vitam resurgenti, in iudicio reddet extremo Christus Dominus, qui iustus est iudex: ideoque non solùm mihi retribuet, sed & omnibus vltimum eius aduentum pro fiduciâ, seu bonâ conscientiâ cupientibus. [Festina ad me venire citò, &c.] Da operam vt ad me citò venias, nec in alterum annum differas. Cur tam citò? [Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam, &c.] Nam Demas timidus, vitæque magis cupidus quàm gloriæ, me captiuum dereliquit, solumque repetiit patrium. [Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. &c.] Vides

Corona iusto in in extremo reddenda iudicio.

B me penè solum, operariis destitutum Euangelicis? nam Crescens profectus est in Galatiam, Titus in Dalmatiam, mihi solus restat Lucas, &, indè operam tuam sollicitat. [Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerium, &c.] Sit tibi comes Marcus seu Ioannes Barnabæ consobrinus, nunc erit ad Euangelicum desiderandus ministerium.] Tychicum autem misi Ephesum, &c.] Illum in absentiâ tuâ vicarium constitui. [Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas, &c.] Volumen quod reliqui Troade

C de apud Carpum hospitem meum, huc veniens affer tecum, aliosque codices in chartis descriptos: maximè autem schedulas meas. [Hi enim forsitan libri, vt admonet Commentarius nomine Athanasij editus, vtiliora in se continebant.]

Comment. Athanas.

[Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius: quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris, &c.] Alexander faber ærarius multa mihi mala exhibuit: sed iustus est Dominus, vnicuique secundùm eius opera redditurus.

D Interim attende tibi, & ab illo caue: multum enim veræ doctrinæ aduersatus est. [Qui Apostolo, ait Ambros. ausus erat contradicere, non immeritò euitandum hunc admonet, Dei iudicio dimittens.] Si insultauit magistro, non parcet discipulo.] In primâ meâ defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur, &c.] Nemo mihi in causâ primùm dicendâ succurrit, nemo iuuit: sed omnes, qui potentiâ valebant aut gratiâ, abstiterunt, captiuumque dereliquerunt, vt iam prædamnatum. Ignoscat illis Deus, remittatque. [Dominus autem mihi astitit, &

Ambros. in Paul.

E confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus sum de ore Leonis, &c.] Apparuit autem mihi Christus in illâ agoniâ, suaque me corroborauit præsentiâ: animum enim erexit, promisitque explendum ministerio meo per omnes gentes Euangelicæ doctrinæ præconium. Ita sanè Christo auspice adiutus sum, & ab imminente mortis periculo, tanquam ex ore leonis ereptus. [Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in secula seculorum. Amen.] Eripuit, & eripiet, si non ab omni noxâ, certè ab omni culpâ. & in regnum æternum transferet. [Tunc enim, vt est apud Chrysostomum, me periculis eruit: quando verò satis

Paulus ad laborem ampliorem reseruatur.

Chrysost. Hom. 10.

Euangelio

Euangelio factum est, eripiet me iterum de omni peccato: ibique custodiet: hoc est saluum fieri in regnum, si hic illius gratiâ moriamur.] Hæc vera salus, nimirum æterna: sicut & regnum cœleste regnis omnibus præferendum. [Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori domum.] Saluta meo nomine Priscam & Aquilam, & domesticam Onesiphori familiam. [Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.] Erastus remansit Corinthi; nonnullis detentus negotiis Trophimum reliqui infirmum Mileti in Cretâ. Hi ex Pauli Apostoli discipulis ac sociis, ex quibus Trophimus factus est Arelatensis episcopus. [Festina ante hiemem venire. Tum ob necessitatem meam, cum ob tuam commoditatem.] Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus & Claudia, & fratres omnes. [Quis ille Eubulus, seu Eubolus, non satis notum. Linus Paulo ministrauit, & Petro successit. Pudens Senator tam pietate quàm & dignitate clarissimus. Claudia, ipsius vxor, & ipsa clarissima. [Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.] Christus tecum sit per gratiam suam, & cum omnibus Ecclesiæ tuæ fidelibus. Amen. Ita sit.

DISQVISITIONES DOGMATICÆ in litteram.

EPistolam Romæ scriptam, Græci concedunt ac Latini, sed contendunt nonnulli de tempore. Illud ergo primò disquirendum est: tum & in duas tres-ve difficultates excurrendum.

DISQVISITIO PRIMA.

De tempore.

SAnè Deum [Affuisse Paulo, & defendisse illum apud Neronem, & rursum profectum esse ad prædicationis officium sermo confirmat: & post denuò rediisse ad supradictam vrbem, vbi & martyrio consummatus est.] Huc vsque Eusebius, & rectè. Sed non ita quod sequitur. [Tunc, cum in vinculis positus, secundam ad Timotheum scribebat epistolam, in quâ & de primâ suâ defensione, & de præsenti simul indicat passione. Liberauit me Dominus, inquit ipse Paulus, ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cœleste: significans per hæc, quòd esset confestim martyrio coronandus.] Innuit forsan Apostolus, dum ita scribit, quasi passioni ac morti proximus: [Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Admonet enim Timotheum, & hortatur vt vigilet: (ita Ambrosius) & in disciplinâ Ecclesiasticâ viriliter agat, scripturas explanet, vt prudentes & eruditi inanes fabulas vitent. Apostolus enim sciens passionem suam imminere, exemplum piæ conuersationis & sanæ doctrinæ in sancto Timotheo vult relinquere, vt veluti per traducem numquam deessent doctores idonei.] Videtur ergo Paulus de testamento cogitare, & Timotheo tanquam filio charissimo gloriam suam relinquere in memoriam. [Bonum certamen certaui. Non enim hæc, vt dixit Athanas. iactandi gratiâ intulit, sed vt discipulum consoletur, ne eius ob proximum è vitâ excessum, dolore & mœstitiâ afficeretur, quandoquidem optimum esset vitæ finem iam habiturus, decessurus propediem ad coronas, & palmam. Quemadmodum enim pater aliquis fermè iam moriens, vt filium sibi assidentem & mœstum soletur, his vtitur verbis: Fili parce lacrymis, desine me obiturum deflere; rectè enim & vitam duximus, trophæa ereximus, & plurimis sumus potiti victoriis, pro quibus & nobis magnas debet gratias imperator, cedentque in tui admirationem & gloriam, res per me gestæ. Haud sanè dubium quin genitor ille hæc in suam laudem dixerit, vt mœrentem filium consoletur, vt leuiùs ferat eius decessum. Sic dictis his Paulus & Timotheum per epistolam tanquam testamento aliquo lenit, solaturque, inquiens. Bonum certamen certaui, itaque id ipsum & tu facites velim, & certamen vt subeas istiusmodi.]

[Eusebl. 2. eccles. hist. cap 22.] [Ambros. in Paulum.] [Athanas. in Paulum.] [Gloria sua vita filio pro testamento relicta.]

Non tamen annuit Paulus, imò nec innuit; cum palàm contradicat, & in aliam trahat sententiam. Quid enim hæc? [Omnes me dereliquerunt, Dominus autem mihi astitit, & confortauit me: vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus sum de ore leonis.] Quemcumque enim intelligas per leonem, seu Neronem, seu mortem, nihil dubitas de Paulo, seu à Nerone seu à morte erepto, & ad insignem aliarum gentium conuersionem ampliato. Tria igitur in istâ Christi apparitione animaduertenda sunt. Primum est, omnibus iustum relinquentibus, Deum adesse solitum. [Omnes me dereliquerunt: sed vbi deest homo, ait Aquinas, offert se Deus. Psal. 24. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autē suscepit me.] Ita Paulo, re & ope destituto, adesse solitus erat Christus, amicorum supplere vicem, persecutionum furorem cōpescere. Alterū, aliud esse, adesse, aliud astare: adest enim, qui quomodocumque prodest, sine subsidio siue suffragio. [In primâ meâ defensione nemo mihi ad fuit.] Seu præsentiâ suâ, seu gratiâ: adstat verò, qui per seipsum præstat auxilium. [Et ecce Angelus Domini astitit.] Id est, præsto fuit: est enim assistere, seu astare, quasi præsentem se sistere. Ita Paulus: [Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego] Sed iam de Christo: [Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.] Sicut ergo Paulum captum dignatus est suâ præsentiâ, patientiamque ac constantiam pollicitus: sic & vincto, desertoque ab omnibus non infidelibus, sed fidelibus, præsentiam exhibuit suam, animum addidit, auxilium attulit. [Dominus mihi adstitit: scilicet, vt exponit Aquinas, ad adiuuandum me.] Tertium, Christum, non solùm confortasse Apostolum præsentiâ suâ, sed & liberationem certam, implendamque solito ministerio prædicationem reuelasse. Itaque sicut Angelus Ioan-

[Aquin. lect. 3.] [Deus miseris derelictis adesse solitus.] [Act. cap. 12.] [Act. cap. 27.] [Act. cap. 23.] [Aquin. lect. 3.]

ni in Patmos relegato, dixit: [Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.] Ita Christus Paulo captiuo, & omni re, omni ope destituto, dixit: liberabo te de ore leonis, saluabo te de rabie mortis: oportet enim prædicationem Euangelij per te compleri, & in omnes gentes disseminari. [Dicit ergo, Dominus mihi astitit, & ideò in illâ vocatione liberatus fui, quia non fui condemnatus à Cæsare: sed permissum est mihi, quòd irem quò vellem. Et ideo dicit, Vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Impletur enim, quando ad plures diffunditur; & ideò, Audiant omnes gentes.] Ita Aquinas, & quidem rectissimè.

Aquin. lect.

Non solùm autem scripta est epistola in primis vinculis, sed statim ac Romam aduectus, & ab ipso Nerone, vel certè aliquo pedant eo iudice auditus. [In primâ meâ defensione nemo mihi affuit.] Venit, causam dixit, primam fecit apologiam. (Quam vero, ait Chrysostomus, dicit primam defensionem? Neroni iam adstiterat, & illæsus effugerat: vbi verò pincernam eius instituit, ac fidei sacramentis instruxit, tunc iam ipsum capite truncauit. Et eripuit me de ore leonis. Ecce quasi fuit ipsi proximus morti, & in ipsas penè leonis decidit fauces. Leonem verò Neronem ait, pro feritate & imperij robore summaque potentiâ]. Sed hæic multa reflexione & animaduersione digna sunt Primum quidem ab vltimo ordiendum: nam si Nero pro imperij robore dictus est leo ergo reges omnes, omnes imperatores dicendi essent leones, quia potentes, quia magni: quod absit. Si verò pro animi feritate: aut nullus inter reges & imperatores leo, aut Nero censendus est vltimus. Nam sicut epistola prima ad Timotheum, scripta est anno Neronis primo; sic & secunda, anno Neronis tertio. At quis nescit primos Neronis annos incruentos fuisse & innoxios, nullumque mitius ac benignius principis imperium, quàm Neronis quadriennium. [Præstitisti Cæsar (ita Seneca) ciuitatem incruentam, & hoc quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse: eo maius est mirabiliusque, quòd nulli vmquam citius gladius commissus est.] Alterum, solere quidem principem damnationi noxiorum subscribere, non tamen & præsidere. Ita apud eundem Senecam, & de eodem, Nerone. [Animaduersurus in latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius, & tibi principi natus, exigebat à te vt scriberes, in quos & ex quâ causâ animaduerti velles. Hoc sæpè dilatum: vt aliquando fieret, instabat. Inuitus inuito cum chartam protulisset, exclamasti: Vellem nescire litteras.] Vt qui renueret damnatis etiam inscribere titulum, licet mitiorem leniorem-ve, & apposito nollet subscribere elogio. Tertium denique, non concordare, simul capite truncari, & à morte liberari: si igitur à morte seu leone liberatus est Paulus, non vtique à leone truncatus est capite. Sed illa loquendi forma in scripturis, vt quis dicatur ex ore leonis liberari seu saluari, cum ab ingenti periculo, speciali vendicatur auxilio. Ita Psaltes. [Salua me ore leonis] Sic enim dixit de ore leonis quomodo proximè dixerat, De manu canis] &, [Erue a frameâ animam meam, id est à morte.] Ita Augustinus. Canis enim, dum, latrat: leo, cum deuorat.

Chrysost. Hom. 10.

Quadriennium Neronis fuit incruentum.

Senec l. 1. de Clement. cap. 11.

Sen l. 1. de Clemen. c 1

August in. expos. 2 in Psalm. 21.

Anno igitur Christi quinquagesimo nono, Neronis tertio, Paulus Romam aduenit, circa vernum tempus, & paulò post causam dixit: mos enim captiuos audiri statim & expediri vel ad mortē, vel ad ciuilē libertatē. Hæc est igitur illa prima defensio, in quâ causam purgauit Apostolus, & ex quâ omnibus vel amicis vel domesticis deserentibus Christus ipse suam commodauit præsentiam. Ab illâ verò defensione, & ab istâ apparitione, statim scripsit ad Timotheum sibi charissimum, certum illum de vitâ suâ reddidit, & vt veniret ante hymem, id est, ne tamdiu differret, sed autumnali sese committeret nauigationi, & res sibi chariores deferret: poposcit. Itaque, vt retexam ex Baronio, & ex eo quod vidimus, Paulum haud multò post suum Romam aduentum, hac ad Timotheum scriptâ Epistolâ eum ad se ante hyemem vocasse; satis euidenter constat, eandem datam esse antè illas ad Philemonem, Philippenses, atque Colossenses, itidem Romæ scriptas; quas omnes certum est missas esse post Timothei aduentum, quandoquidem in illis singulis vnà cum Paulo in titulo inscribitur & Timotheus. Vnde & redarguas eos qui existimarunt eandem secundam ad Timotheum epistolam, omnium nouissimam esse scriptam eâ nimirum ratione persuasi, quòd in eâ Paulus dicat tempus resolutionis suæ instare, quasi spiritu prophetico, præuideret proximum suum martyrium. Sed quomodo hæc cohærent cum eo quod ibidem testatur, sibi Dominum in summo illo apud Neronem discrimine adstitisse, ac fore prædixisse vt per ipsum in omnes gentes prædicatio impleretur? Sicut igitur cum à Iudæis Hierosolymis ad mortem expeteretur, Dominus illum hortatus prædixit fore, vt Romæ Euangelium prædicaret; ita & Romæ in eodem fermè periculo constituto, propagationem Euangelij ab eo faciendam in omnes gentes prænuntiauit. At sicut illud impletum esse certum est, ita istud præstandum esse quis poterit dubitare? Sanè & eâ epistolâ, quam post hanc (vt diximus) scripsit ad Philippenses, idem ipse affirmat se certò scisse in vitâ diutiùs permansurum, suumque ad eos pollicetur aduentum. Sed & his tria sunt addenda. Primum est, Paulum, quasi recenter aduectum, monere Timotheum de iis quæ contigerant in itinere, id est, quæ mox aduenerant. [Erastus remansit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.] Alterum, adeo certum de suâ liberatione, vt iam de hospitio cogitaret ipse, vt de morte tutus ac supplicio. Ita ad Philemonem: [Para mihi hospitium.] Quasi iam liberatus, & mox profecturus. Tertium denique, non solùm euasisse, sed & martyrium suum vsque ad annum Christi sexagesimum nonum, Neronis decimum tertium, id est, toto ferè decennio distulisse.

Baron. an. 59.

Epistola ad Timotheū prima omnium Romę scripta.

Ad Philem. epist.

Iam verò ad remoram. Cum ait Paulus se delibari, seu immolari, defectum sentit ætatis, præitque aut præsagit inceptum iam mor-

tis sacrificium, paucis annis absoluendum. Ita Tertullianus de Christiano carcerem ediscente, famemque & sitim patiente. [Eo inquit, fidentior processurus ad certamen, è custodiâ abesus, nihil habens carnis, præmisso iam sanguinis succo, tanquam animæ impedimentis, properante iam & ipsâ quæ iam sæpè ieiunans, mortem de proximo norit.] Ita, vt obseruat Aquinas, [Antiquitùs in sacrificiis, quæ ex humidis offerebantur, quædam fiebant prægustationes: & hæ vocabantur delibationes.] Ita & Tertullianus: [Et nunc, inquit, præsentia rerum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis, ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probauerunt. Alij fustibus interim & vngulis insuper degustata martyria in carcere esuriunt.] Paulus igitur sese ad certum apparat martyrium, optatque sancire fidem suam sanguine toto, truncato capite Euangelicam prædicationem obsignare, nihil enim sine morte, nihil sine sanguine. Sed interim delibat martyrium, dum prægustat supplicium. Vitam suam immolat, dum distillat, sperat-que tandem consummandum, quod iam pridem inchoatum est. Nondum igitur testamentum condit, sed extruit depositum: sicut enim in primâ epistolâ delegauerat, sic & in secundâ commendat. Nam vt Epiphanius loquitur. [Traditione quoque opus est. Neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcircò alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat, Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis. Item. Si meministis: nisi frustra credidistis.] Nec tamen Paulus de testamento cogitabat, sed de traditionum ecclesiasticarum promptuario. Sic & cum Timotheum ad se vocabat, rogabatque, vt membranas suas afferret secum, de morte non cogitabat instante; quid enim tam sedulo quæreret, quod tam citò relinquendum, quid vrgeret, quod nec viuo necessarium, nec mortuo? Sed indicat se destitutum & penè solum, ideoque discipulum aduocat in ministerium. An autem Tyrichus harum fuerit litterarum baiulus, parum interest. Imò videtur Timotheum tunc non affuisse Ephesi, aliis prouinciæ suæ distentum negotiis: Tytichum autem præmissum Ephesum, vt proficiscente Timotheo, & absente, res Ecclesiæ curaret, & Ephesios, Asianosque omnes, qui maximè à Paulo auersi erant, debito contineret officio. Sed de his iam satis.

Tertul. l. de Ieiun. c. 12.

Aquin. lect. 2.

Tertul. l. de Ieiun. c. 1.

Mortem condiscit, qui præmittit sanguinem.

Epiphan. hæres. 60.

DISQVISITIO SECVNDA.

De precautione.

PRædixit Apostolus quod præuidit futurum sensitque proximum [Et hæc simili modo, ait Ambros. prophetia est sancti Apostoli, qui præscius futurorum instandum in doctrinâ sollicitè præcipit, vt formati in fide & bonis operibus, eruditi in disciplinâ sanâ robusti maneant.] Nec tamen tam prædictio est, quàm præcautio; & si prophetia simul & cautela,

Ambros. in Paulum.

A non tam magistros spectat quàm discipulos, discentes enim potius castigat quàm docentes. [Terruerat Timotheum in priori epistolâ, dicens: Præcipio tibi coràm Deo, qui viuificat omnia. Hîc autem etiam terrori addit, dicens: Qui iudicaturus est viuos & mortuos: hoc, est, vt exponit Chrysostomus, qui rationem exacturus est. Prædica verbum, insta opportunè importunè. Quid est opportunè importunè? tempestiuè intempestiuè: hoc est, nullum habeas definitum tempus, semper tibi tempus sit, non solùm in pace & quiete, neque in Ecclesiâ tantùm cedens, verùm & inter ipsa pericula, siue carceri inclusus, siue catenâ constrictus, siue mortis latâ sententiâ properes ad

B mortem, ipso etiam tempore argue, neque increpare dissimules. Tunc enim increpationi tempus etiam est, cum arguendo profeceris, cum opus ostensum fuerit.] Forma loquendi prouerbialis, apud Græcos vsitata ἐυκαίρως ἀκαίρως: quomodo & illa, μὴτε ἴξω μὴτε ἴσω. Ita Irenæus: [Quædam, inquit, in totum abscesserunt: quædam autem inter vtrumque dubitantes quod est prouerbij passæ sunt, neque intus, neque foris existentes.] Vult ergo verbum veritatis datâ & captatâ occasione prædicari, nec gustum audientis spectari, sed fructum expectari pietatis: quod enim importunum est cupiditati, opportunum est charitati; & quod nõ in datâ fit occasione fit, in acceptâ.

C sẽper prædicandum, semper inculcandũ, vbi occasio adest, nec deest ratio. [Aduertat prudentia vestra, ait Augustinus: & assit intentio Christiana: sonet verbum Dei volentibus opportunè, nolentibus importunè. Omnis enim malus ideò persequitur bonum, quia non illi consentit bonus ad malum. Faciat aliquid mali, non obiurget episcopus, bonus est episcopus: obiurget episcopus, malus est episcopus. Rapiat aliquid, taceat cui rapuit, bonus est. Malus est qui reprehendit raptorem, & bonus est qui rapit?] Arguendus igitur, corripiendus, increpandus, obsecrandus est importunè

D opportunè: sed in omni patientiâ & doctrinâ vt dicas quid non liceat, non quid libeat; & amicè dicas, non amarè: opus enim agis Euangelistæ, non rabulæ: munus rectoris suscipis, non censoris.

Sequitur præcautio, seu opportuni importuni moniti ratio. [Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila in omnibus.] Sanè, vt notauit Tertullianus: [Valentiniani, frequentissimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimũ

E ex apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non terretur.] Tria igitur ab Apostolo notata sunt. Primum, est, pruritus aurium, hæc causa mali: alterum, delectus magistrorum, hæc morbi fouela: tertium, gustus fabularum, hæc repulsa remedij. De primo. Pruritus iste, non tam docentium est, quam audientium: sicut enim ægra lumina lucem ferre non valent, sic & aures cupidine laborantes ac libidine, veritatem audire non sustinent: non enim veritatis aut pietatis nausea, in do-

Chrysost. Hom. 9.

Adagia apud Græcos frequentata.

Irenæus l. 1. aduers. hæres. c. 9.

Augustin. Enarrat. in Psalm. 128. init.

Tertul. lib. aduers. Valentin. c. 1.

Augustin. Enarat. in Psal 118 eit, med,

ctrinæ sanæ duritiâ, sed in amicæ concupiscentiæ dissonantiâ. [Sonat verbum, ait Augustinus, sonat sermo contradictor libidinis. At malus, amicus libidinis suæ, & inimicus sermoni contradicenti amicæ suæ, infestus est, & odit sermonem Dei. Facta est amica auaritia, inimicus Deus. Contradicit enim Deus auaritiæ, & vult nihil possideri ab auaritiâ. Ego possideam, clamat. Quid vis ab auaritiâ possideri? Dura iubet, leuia iubeo. Onus eius graue, sarcina mea leuis est. Noli velle ab auaritiâ possideri. Iubet auaritia vt mare transeas, & obtemperas, iubet vt te ventis procellisque committas: iubeo ego vt ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum antè te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare. Quia auaritia imperat, seruis: quia Deus iubet, odisti.] Morbus iste aurium est, vt patet ex Græco, vanè conquerentium sanæ seueritatem doctrinæ, & humanæ concupiscentiæ vanitatem audè quærentium. De secundo. [Iuxta sua desideria coacervabunt sibi magistros. Nihil dici significantius potuit: (ait Chrysostomus) quippe dum coaceruabunt ait, indiscretam, confusamque doctorum significauit multitudinem.] Sic malum fouetur, non curatur, dum docetur, quod amatur. Optat malum istud palpones doctores, imò coaceruat: si enim quis minus arrideat, alius quæritur: & si bonus succenseat, non doctorum, sed assentatorum numerus, imò aceruus producitur indoctorum. De tertio. Nulla spes est remedij, vbi nonnulla species est delirij. [Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.]

Leuia à Deo, grauia à diabolo imposita,

Chrysost. Hom. 9.

Sed vt auertatur malum, quæratur principium. Simon Magus, veneficorum & hæreticorum antesignanus. [Cumque, vt notauit Epiphanius, in Venerem naturâ procliuior esset, eorum quæ profitebatur dogmatum verecundiâ commotus, nequissimas opinionum nugas discipulis suis impostor persuasit. Etenim vagam quandam mulierculam nomine Helenam nactus, patriâ Tyriam, sibi eam copulauit; quacum palàm nullam habere se consuetudinem simulans, homo vafer clam omni se in libidinum genere volutabat: atque etiam ridiculâ de eâ re fabulâ discipulos aspersit.] Ex illâ Helenâ tam fabulosâ quam ridicula, tanquam ex equo Troiano exorti sunt omnes erronum seu hæreticorum duces, consarcinatores fabularum, næniarum inuentores: sed sicut Helena Simoniana, non minùs lasciua quàm poëtica, sic & fabulæ omnes inde exortæ non minùs aniles quàm impuræ, sectæ non minùs fœdæ quàm futiles. Ita Epiphanius de Basilide. [Tam ipse, inquit, quàm qui eius sectam amplexi sunt, quoties interrogantur, Iudæos quidem se esse negant, Christianos verò nondum fuisse. Sic abnegare perpetuò fidem, eamque tacitè apud se custodire, nec vlli patefacere suos instituit: Date, inquiens, operam vt omnia cognoscatis, nemo verò vos cognoscat: quòd nimirum suspectam habeat ipse turpitudinem suam, cum tam immanis fœditas, atque impura disciplina audacter euulgari non audeat. Sed huius pessimæ sectæ occasionem,

Epiphan. hæres. 21.

Vnde exortæ ridiculæ hæreticorũ fabulæ.

Epiphan. hæres. 24.

A initiumque dedit illa quæstio ac disputatio: Vndenam malum originem habuerit? Cuius dogmatis occasione, (vt & ille alibi dicit) fœditatis suæ mysterium in orbem inuexerunt. Atque eorum plerique, quo tandem pacto, quod ne proferre quidem licet, miro improbitatis artificio, in promiscuo mulierum concubitu, immmanique turpitudine volutari docuerunt? quemadmodum sanctissimus Paulus alicubi declarat his verbis, Quæ enim occultè fiunt ab ipsis turpe est vel dicere.] Plenus Epiphanius fabulis istis, seu, vt ipse loquitur, [confictis mendaciis] plenus hæreticorum seu ganeonum spurcitiis: nec enim puduit eum B exponere, quod ipsos non pudebat facere. Sed cum mortua sint ista ac sepulta, tædet refodere, quod ob fœtorem putoremque, interitui potius foret, quàm fructui.

Epiphan. hæres. 15.

Epiphan. heres. 26.

DISQVISITIO TERTIA.

De supellectile.

REbus communibus vsus est Christus; vsus est Paulus, vsi sunt Christiani, tanquam Dei rebus, non tanquam artibus diaboli. [Primus litteras Mercurius enarrauerit: C (verba sunt Tertulliani) necessarias confitebor & commerciis rerum, & nostris ergà Deum studiis. Sed & si neruos idem in sonum strinxit, non negabo & hoc ingenium cum sanctis fecisse, & Deo ministrare, audiens Dauid. Primus medelas Æsculapius explorauerit, memini & Esayam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mãdasse. Scit & Paulus stomacho vinum modicum prodesse. Sed & Minerua prima molita sit nauem; videbo nauigantem Ionam & Apostolos. Plus est, quod & Christus vestietur. Habebit & penulam Paulus.] Officium ille rationale probat, superstitiosum reprobat & inutile. [Vt est quorundam, inquit, expositis penulis orationem fa- D cere: sic enim adeunt ad idola Nationes. Quod vtique si fieri oporteret, Apostoli qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant Paulum penulam suam in oratione penes Carpum reliquisse.] Manifestè alludit ad hæc verba: [Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.] Innuitque Paulum penulatum, non tamen orationis gratiâ penulam deposuisse, sed potius frigoris causâ petiisse. [Nam, vt dixit in Apologetico, ne vel hieme voluptas frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitauerunt.] Penula nimirum vestis est, pluuiæ ar- E cendæ vtilis, ac commoda hyberno tempore, ne dum imbre deciduo. Apud Quintilianum lib. 6. cap. 4. [Galba penulam roganti amico, respondit, Non possum commodare, domi maneo: cum cœnaculum eius perplueret.] &, [Si non pluet, non opus tibi: si pluet, ipse vtar.] Quid ergo penula, quam Paulus reliquit Troade? [Pallium, ait Chrysostomus, hic penulam dicit. Nam pænulam quærit, ne hanc ab aliis accipere sit opus.] Sed quid opus Paulo penulâ suâ, cum mox, iuxta Chrysostomum ipsum, [esset migraturus ad Dominum?]

Tertullian. lib. de Coron mil, c 8.

Tertullian. lib de Orat, cap 12.

Penula pluuiæ arcendę ad nucata.

Tertullian. c. 6. Apol.

Chrysost. Hom. 10.

Quid Timothæum villoso & importuno ante hyemem onerare vestimento, quod nec certus esset ob imminentem mortem recipere? [Vt enim proximus voti sui factus (loquor ex Tertulliano) qualiter de prospectu eius exultans Timotheo scribit? Ego enim iam libor, & tempus disiunctionis instat.] Quid ergo vltra de penulâ suâ cogitat? Quid velit Romæ, quo nec eguit in itinere?

Tertullian. l. de scorp. cap. 13.

Rursus ex Baronio, penulam dici vestem sacram, apud Græcos scriptores Christianos sæpiùs testatum habetur; sic dictam quòd vno interiectu totum ambiret sacerdotem, à φαινόμαι & ὅλον, quòd tota conspiciatur; quam & Latinè planetam dicere consueuimus, à πλάνης, quod circum errans totum ambiat corpus, sicut esse solent quæ antiquiores in ecclesiis asseruantur. Sic enim quod apud Nicephorum & Philotheum episcopos Constantinopolitanos, itemque apud Metaphrastem Græcè legitur φαινόλιον, interpretes verterunt penulam, siue casulam, quod idem est ac planeta. Non sic tamen recenset ipse vt probet, imò vt reprobet: tum quòd Græcè legatur φαιλόνην, & non φαινόλιον, diuersæ originis, & significationis alienæ: tum etiam quòd haud magni videretur esse negotij, vel impensæ eximiæ alias sacras vestes eiusdem generis Romæ conficere. [Volumen Hebræum replico, ait Hieronymus, quod Paulus φελόνην iuxta quosdam vocat.] Certè φίλλας pro exteriori libri velamine accipi, disertè prodit Hesychius: imò esse volumen ipsum, à voluendo & complicando dictum, & indifferens esse si legatur φιλόνην, vel φαιλόνην, quiuis aduertit eruditus. Volumen autem Hebræum, vetus instrumentum est, sic passim antiquitus dictum. Nec mirum, Paulum huiuscemodi suppellectilem de longinquo reposcere, nec alteri, quàm Timotheo ipsi committere; cum haberetur sacrosanctum, nec facilè librariis permitteretur describendum. Astruit intelligentiam ipsam Paulus, cum addit: [Et libros, maximè autem membranas.] Membranæ enim, dictæ sunt chartæ pergameæ ex pellibus animalium connexæ: earum quippe vsus Pergami, regnante Eumene inchoauit, nec Græciam duntaxat aut Romam, sed & ceteras circummeauit prouincias. Ita Quintilianus ait, [Scribi optimè ceris, in quibus facillima est delendi ratio, nisi fortè visus infirmior membranarū potius vsū exegit.]

Bar. An. 19

Hieronym. epist. 125. quæst. 2.

Membranæ secretis mãdandis appositæ.

Quintil. lib. 10. c. 3.

Tria igitur poscit Apostolus, sed in idem conspirantia. [Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.] Cum enim carcere detentus esset, & egestate confectus, optabat saltem solatio suo scripturas sacras, librosque aut graphio proprio descriptos, aut studio conquisitos, sed de membranis suis instabat, quæ reconditiora continerent mysteria, lapsamque reducerent memoriam. Concludo igitur cum Aquinate. [Penula secundùm Hieronymum, erat volumen legis, quod habebat in chartâ per modum rotuli, & hoc vocat penulam. Sed quid Apostolo de libris, pleno Spiritu sancto? Nempe vt in legendo haberet solatium. 1. Machab. 12. Habentes solatio sanctos libros. Ita quanto magis appropinquabat morti, tanto magis instabat seruitio scripturarum: sicut de Ambrosio dicitur, quòd vsque ad vltimam ægritudinem non cessauit scribere. Vnde scribens illum Psalmum 43. Magnus Dominus & laudabilis nimis, mortuus est.] Paulo aliter Paulinus: nimirum quòd cum Psalmum quadragesimum tertium dictaret, ipso Paulino excipiente, subitò in modum scuti breuis, ignis caput eius cooperuerit, atque paulatim per os ipsius tanquam in domum habitator ingressus sit, ac post hæc facta fuerit facies eius sicut nix, ac demùm reuersa sit ad speciem suam: quo die scribendi dictandique finem fecit, inabsoluto relicto eodem psalmo. Ita Paulus, ita Ambrosius, ita Augustinus, ita omnes alij doctores sancti, discentes senescebant, proficiebant morientes: nos qui nihil scimus, nihil inquirimus: totam vitam in deliciis, aut in nugis conterimus. Studia nostra rara sunt aut vana: & si quid in scripturis sacris promouimus, ibi non tam finem quàm requiem antè mortem imponimus.

Aquin. lect. 3.

Ambrosius dictando & meditando mortuus.

Paulin. de Ambrof.

DISQVISITIO QVARTA.

De Salutatione.

Mos est Pauli salutationes ad calcem epistolarum addere, sicque finem per animarum copulationes facere. Sed quia heic & alij sunt nec salutantes nec salutati, qui tamen insignes sunt & signandi: seriem retexam iuxta ordinem, & de singulis paucis dicam.

Demas quidem Paulum nonnullâ leuitate reliquit, sed ad eum statim totâ pietate rediit. Ita in Epistolâ paulò post scriptâ. [Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.] Denique ad Philemonem. [Salutat te Demas, & Lucas, adiutores mei.] Non ista laus modica quæ duos simul copulat, nec Demam minùs quàm Lucam commendat. De Crescente, Epiphanius, vbi de Luca: [Huic, inquit, prædicandi Euangelij munus est creditum: idque ipse primùm in Dalmatiâ, Galliâ, Italiâ, & Macedoniâ præstitit; Sed in Galliâ præ ceteris: vt de nonnullis comitibus suis Paulus in Epistolis testatur: Crescens, inquit, in Galliâ. Non enim, in Galatiâ, legendum est, vt quibusdam immeritò placuit: sed in Galliâ.] Legatur Galatia, sed intelligatur Gallia: nomina enim ista apud omnes ferè auctores, tam profanos, quàm & sanctos, promiscua. Titus & Lucas satis noti, nec aliâ notâ aut alio honores, quàm nomine proprio designandi. De Marco, seu Ioanne, Barnabæ consobrino: ille aliquando inutilis Paulo, nunc vero in Euangelico perutilis ministerio. Ita ad Philemonem: [Salutat te Epaphras concaptiuus meus, & Marcus.] De Tyrico, eo quidem vsus est Apostolus, non sicut tabellario, sed sicut amico, secretorum suorum conscio, fidissimo rerum gestarum ac gerendarum nuntio. [Quæ circa me sunt omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ cir-

Colosf. c. 4.

Epiphan. hæres. 51.

Gallia per Galatiam intelligẽda.

Epist. ad Philem.

Colosf. c. 4.

Ephes. c. 6. ca vos sunt, ' & consoletur corda vestra.] Et iisdem ferè verbis alibi. [Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam : omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino : quem misi ad vos in hoc ipsũ, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.] Denique, ad Titum: [Cum misero ad te Artemam, aut Tythicum, festina ad me venire Nicopolim.] Vocatur minister, Græcè διάκονος, sed cum vtrobique prænotatur fidelis · cura non solùm ex ordinatione ei demandata est, sed & ex dispensatione. Itaque sicut Titum aduocans, Tychichum substituit, qui vicarium agerei; sic & Timotheum expectans, ipsummet subrogauit, qui Ephesios, Asianosque, maximè verò Iudæos contineret. Nec abnuo litteras detulisse Ephesum, fortean & ad ipsum Timotheum; sed nego officiũ eius in eo solo substitisse. [Tychicum misi Ephesum.] Ne tardes ad me venire, aut ne hæsites prouinciam tuam relinquere : commisi enim Tythicum, destinauique illum mittendum Ephesum, vt vices suppleat, partes, agat, & populum pastore proprio destitutum, à doctore suo auersum colligat.

Tit. cap. 3.

De Priscâ & Aquilâ sat multa iam diximus, nuncque dicimus ex Aquinate. [Hos præmittit in aliorum salutatione, quia fortè deuotiores.] Quid si & mulier viro suo præmissa, quia non solùm deuotior, sed & feruentior? [Hi sunt, inquit Chrysostomus, quorum assiduè meminit Paulus, apud quos & hospitatus est. Præmittit autem vxorem, vt mihi quidem videtur, quòd feruentior fuerit atque fidelior.] De Onesiphoro, Romam ipse venerat, inuentumque Paulum in æstu tribulationum refrigerauerat. Cur ergo ipsum non salutat, sed eius domum, seu domesticam illius familiam? An quia iam è viuis excesserat? vt vult Aquinas. An quia Romæ permanserat? vt vult Chrysostomus. [Hac autem salutatione, ait ille, promptiores eius domesticos facit ad patris familias virtutes imitandas. Non modica autem his erat consolatio ex istâ salutatione, verùm honoris atque charitatis indicia, magnamque gratiæ communionem præferebat: sufficit enim vel sola tanti viri salutatio, magnâ gratiâ implere eum qui salutatur.] De Erasto. Et ille de Pauli comitibus, licet non vbique & semper comitatus, vtpote necessariis nonnunquam officij sui, (erat enim Arcarius Corinthi) alligatus negotiis. [Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asiâ.] De Trophimo.] Asiani verò Tythicus & Trophimus. Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade.] En tertiâ tandem vice Paulus Troadem adiit seu Trojadem, minoris Asiæ ciuitatem : apud Carpum se recepit, eique res suas, libros scilicet & membranas, [Per terram iter facturus,] credidit. Venit tandem Miletum, nec ibi tamen adhuc Trophimum reliquit infirmum : nam Hierosolymam vsque Paulum comitatus est, & cum ipso templum ingressus. [Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt quoniam in templũ introduxisset Paulus.] Exinde, incursu à Iudæis facto, captus est Apostolus, Romamque tandem non

Aquin. lect. 3.

Chrysost. Hom. 10.

Chrysost. ibidem.

Quanta in Apostolica salutatione sit gratia.

Actuum cap. 19.

Actuum cap. 20.

Act. cap. 21.

A per Miletum, sed itinere longè diuerso abductus est. Non ergo Mileti in Asiâ, sed in Cretâ, Trophimus relictus est infirmus. [Trophimum autem, inquit, reliqui Mileti infirmum. Cur, obsecro, ait Chrysostomus, non illum sanasti? Cur illum reliquisti? Nonne omnia Apostoli poterant? Nonne per gratiam omnia dispensabant? Ne scilicet quis existimaret supra id quod videretur. Sic & alia pleraque ignorasse vtiliter pro suâ, discipulorumque salute conspicimus.] Denique salutantes sunt Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. [Nominatim namque illos memorat, B quos nouerat magis in fide feruere.] Ita ibidem Chrysostomus.

Chrysost. Hom. 10.

Alexandrum omisi, tanquam alienum ab ordine, & indignum recenseri in sanctorum serie. [Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundùm opera eius : quem & tu deuita, valdè enim restitit verbis nostris.] Tria hominum genera in isto catalogo. Vnum eorum qui charitate flagrant, vt Onesiphorus, &c. & istis Paulus optat gratiam. [Det illi Dominus inuenire misericordiâ à Domino in illâ die.] Alterum eorũ, qui peccant ex infirmitate, vt hi qui Paulum in primâ suâ defensione reliquerunt, sed citò animum C resumpserunt. Talis & Demas diligens hoc seculum. [Hoc est, vt exponit Chrysostomus, quietem amans, & esse in tuto absque periculo : maluit domi deliciis frui, quam ærumnas pati, præsentiaque perferre pericula : hoc est enim quod ait Paulus, Diligens hoc seculum.] Et iis postulat veniam. [Non illis imputetur.] Tertium denique eorum, qui in iniquitate, & obduratâ perseuerant malitiâ, qualis Alexander ærarius, & illis vindictam denuntiat. [Reddet illi Dominus secundùm opera eius.] Iam meminerat de quodam Alexandro, quem coniunxerat cum Hymenæo heretico, & vtrumque tradiderat satanæ, ob blasphemiam ipsi Timo- D theo satis cognitam. Si iste est, idem qui & ærarius, non mirum est durè tractari, cum tamdiu perseueret in crimine, nec cesset blasphemare. Sed ne quid coniecturæ detur parùm firmæ, certum est ærarium perfrictæ frontis fuisse, projectæ audaciæ, & præruptæ temeritatis. Paulum enim multis ac variis afflixit modis, qui contribules suos semper & vbique concitauit, acerrimè omnium ac vehementissimè doctrinæ contradixit Euangelicæ. Quid ergo de illo? Poterat & Paulus pœnam infligere, poterat & Timotheo causam committere; sed his omissis, & solâ contentus prophetiâ, iustam à Deo vindictam denuntiat. Hoc quippe Paulus, quod & Christus Dominus. [In horum enim verbis, E vti loquitur Augustinus, non hoc inuenitur quòd optauerint, sed quòd prædixerint. Non enim cum ait Dominus, Væ tibi Capharnaum, aliud sonat nisi aliquid ei mali euenturum merito infidelitatis; quod futurum Dominus non maleuolentia optabat, sed diuinitate cernebat. Et Apostolus non ait, Reddat; sed, reddet illi Dominus iuxtà opera eius: quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis: sicut & de hypocrisi Iudæorum, cui euersionẽ imminere cernebat, dixit, Percutiet te Deus, paries dealbate.] Ita & qui legũt, [Reddat] reddendũ intelligũt.

Cap. 1 epist.

Chrysost. Hom. 10.

Iusta vindicta in malos à bonis denuntiata.

Augustin. l. 1. de serm. Dom. in monte c. 21.

TROPOLOGIA.

Bonum certamen certaui.

OMnes quidem currimus; sed non omnes apprehendimus, quia non benè aut legitimè currimus. Primò igitur ostendendum est quid sit legitimè currere: secundò, quodnam currentis sit præmium: tertiò, quo iure sit redditum.

Quoad primum. Multi bonum certamen certant, sed cursum non consummant, fidem non seruant, id est, fideliter constanterque non perseuerant, idcircò non benè certant, seu legitimè. Bonum quidem illud certamen, τὸ καλόν, præclarum, eximium. [Itane, ait Chrysostomus, vbi catena, vbi vincula, vbi mors denique, ibi certamen bonum est? Ita sanè: nihil hoc certamine melius, nihil illustrius: pro Christo enim fiunt omnia. Et certare enim oportet, & currere: illud tribulationes perferendo, hoc non absque ratione, sed ad vtile aliquid faciendo. Bonum profectò certamen, quod non modò voluptatem, verùm vtilitatem quoque spectantibus præstat. Cursus ille non in nihilum desinit, neque roboris ostentatio, vel aucupatio gloriæ est, sed omnes ad cœlum subuehit. Cursus hic Sole purior est, quem Paulus currebat in terrâ, plusque illustrat orbem, quàm Solis igneum iubar.] Vt bonum sit certamen, tria concurrunt simul iungenda, adnotante Aquinate. [Primò, si sit pro bono, putà, si pro fide & iustitiâ. Eccl. 4. Pro iustitiâ agonizare pro animâ tuâ, & vsque ad mortem certa pro iustitiâ. Secundò propter modum certaminis, si scilicet sollicite & legitimè certetur. 2 Tim. 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Tertiò propter difficultatem. Sap. 10. Et certamen fortè dedit illi, vt vinceret.] Hoc est benè currere, imò hoc est verè currere. [Dicitur enim cursus, ait ille, profectus sanctorum, quia cum festinatione currunt, vt meliorantes consumment agitati stimulis charitatis. Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri.] Certat Paulus & bonum certat certamen, sed cursum consummat, fidem seruat. [Quomodo autem cursum consummauit? (verba Chrysostomi) Orbem totum peruagatus est, incipiens à Galilæâ & Arabiâ, & vsque ad fines terræ progrediens. Vt à Hierusalem, inquit, & in circuitu vsque Illyricum impleuerim Euangelium Christi, omnemque orbem peruolans, volucris cuiusdam instar, imò volucre omni perniciùs atque vehementiùs. Nam si quidem auis fuisset, simpliciter peruolasset: non sic autem ille egit, sed pennis spiritûs præditus innumera impedimenta transiliit, mortes, calamitates; ac veluti auis igneis suffulta alis, retia omnia transcendit.] Hoc est, cursum consummare, fidem seruare; difficultates omnes peruincere, inter omnia pericula fidelitatem præ se ferre inuiolabilem. Restabat quidem agonia mortis, sed & eam prospectabat sperabatque eadem mentis fiduciâ. [An ad eius consummandum cursum parum deerat, ait

Chrysost. Hom. 9.

Aquin. lect. 2.

Aquin. ibid.

Chrysost. Hom. 9.

Cursũ consummauit qui se totũ consecrauit.

A Augustinus, quando illud deerat vbi erat futurus acrior & crudelior inimicus; vbi tam magna conflictatio, tam molestum & grande certamen? Quod si ideò talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoriâ futuri certaminis certum eum securumque iam fecerat, qui eandem passionem iam illi reuelauerat imminere: non re plenissimâ, sed spe firmissimâ hæc dixit; & quod futurum esse præsumpsit, tanquam factum fuerit, indicauit.] Bona præsumptio, vbi tam certa immolatio, quàm accepta prælibatio. Inde ad hæc præmittit. [Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Non ait, mei sacrificij, inquit Chrysostomus, sed quod maius ac dignius est. Nam hostia quidem non tota Deo offertur, libamen verò totum.] Se totum ergo iam immolauerat, iam totum consummauerat, cum integrum se, & omnes vitæ suæ partes, præmissis arrhis consecrauerat. Hucusque fidem seruauerat inter infinita discrimina, sperabatque semper se & vbique inuincibilem.

B

Quoad secundum. Omnes qui currunt, ad aliquid contendunt: sed corona benè currenti seu legitimè certanti est reddita. [Nam, vt dixit Epiphanius, athletam oportet primùm omnium in certamine, ac labore, ceterisque huiusmodi generibus exerceri, vt postea coronam auferens, in lætitiâ ac voluptate degat. In quo quidem corona ipsa non postrema omnium est: sed luctæ, ac certamini proposita; postremò ei, qui in arenam descenderit, ad voluptatem delectationemque tribuitur.] Si decertandum otiosæ vanitati; quanto magis Christianæ desuadandum veritati? Sed sicut tantùm absunt veritas & vanitas, quantum suprema vincunt infima: sic & tantum vincit palma veritatis, quantum deficit schema vanitatis. Ita Tertullianus in causâ Christianorum. [Scit se, inquit, peregrinam in terris agere; inter extraneos facilè inimicos inuenire. Ceterùm, genus, sedem, spem, gratiam, dignitatẽ in cœlis habere.] Tria sunt hæc, quorum primum, secundi principium est; secundum, meritum tertij. De primo, Scit se peregrinam in terris agere: non enim hîc habemus permanentem ciuitatem, sed futuram inquirimus: peregrinamur in terris, nusquam commoramur. Christianus enim ciuis est cœli non mundi, non enim mundanus est de seculo, sed de cœlo cœlestis. Augustinus de Cain & Abel: [Prior, inquit, est natus ciuis huius seculi, posterior autem iste peregrinus in seculo, & pertinens ad ciuitatem Dei? gratiâ prædestinatus, gratiâ peregrinus deorsum, gratiâ ciuis sursum. Itaque scriptum est de Cain, quòd condiderit ciuitatem, Abel autem tanquam peregrinus non condidit.] Nihil propriũ seruauit in hoc mundo præter Deum suũ, necesse inter transitores seu transmigrantes computauit. Vnde nec prius Abraham Hebræus vocatus est, quàm è terrâ suâ & cognatione & domo patris sui egressus: imò ita dictus, quasi, [Transitor] Græcè περάτης, quòd patrium reliquisset solum, & Eufrate transuadato, transisset in terram non suam. Inde est igitur, quòd inimicos inueniat, quia habitat inter extraneos.

C

D

E

Augustin. l. 2. de pec. mer. & rem. c. 16.

Chrysost. Hom. 9.

Epiphan. hæres. 50.

Tertull. in Apolog. c. 1.

Augustin. l. 15. de ciuit. Dei cap. 1.

Abrahã Hebræus, tanquam transitor, seu transuadator.

[Scit se inter extraneos facilè inimicos inuenire.] Sicut enim lilium inter spinas pungitur, laceratur; sic & fides inter accolas mundi exagitatur, persecutionemq; patitur indissimulabilē. Sed inde cœlis aptatur nā æternū pressuris & angustiis præmium comparatur. [Scit se, genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere] Eo contendit, vnde & descendit, non enim genus ex hoc mundo possidet, sed è cœlo; non hîc sedet aut conquiescit, sed spem totam in Deo collocat, in æterno illo domicilio, à quo & gratiam expectat & dignitatem. [Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Nullo, ait Chrysostomus, corona hæc, fine concluditur, non ex oleastri floribus texitur, non habet editorem munerum hominem, neque homines spectatores. Ex angelis conflatum est theatrum. In certaminibus seculi laborant dies plurimos, & in ærumnis degunt: vnius horæ momento acceptâ coronâ, protinus voluptas omnium emarcuit. Hîc autem non sic, sed semper claritas, semper gloria, semper honor augetur. Iam gaudere, inquit, oportet, quia ad requiem propero, è stadio exeo.]

Chrysost. Hom. 9.

Quoad tertium. Et iusta illa corona est, & tamen gratuita; quia quod ex iustitiâ redditur, tribuitur ex gratiâ. Itaque corona illa non solùm virtutis est, sed & æquitatis; nec solum à benigno patre tribuitur, sed & à iusto redditur iudice: sed quia nihil inueniret iustitiâ quod coronaret, nisi præiret quod daret gratia; sic præmium iustitiæ est, vt sit etiam trophæum misericordiæ. Iusta est corona, quia iustis, & propter iusta redditur opera; gratuita tamen est, quia gratia miseris tribuitur: sicque instituit Deus nostra merita, vt esse sua velit munera. [Nunc ergo, ait Augustinus, audiamus Paulum Apostolum dicentem, cum passioni appropinquaret, de coronâ sibi paratâ præsumentem: Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cetero superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus iudex. Reddet, inquit, mihi Dominus coronam iustus iudex. Debet ergo, quod reddit: Reddet ergo iustus iudex. Non enim opere inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. Bonum certamen certaui, opus est. Cursum consummaui, opus est. Fidem seruaui, opus est. Superest mihi corona iustitiæ, merces est. Sed in mercede tu nihil agis, in opere non solus agis. Corona tibi est ab ipso, opus autem abs te: sed non nisi ipso iuuante. Cum autem Paulus Apostolus, priùs Saulus, crudelissimus esset & immanissimus persecutor, nihil omninò boni merebatur, imò merebatur plurimum malum. Merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce subitò cum mala faceret, & mala mereretur, vnâ cœlesti voce prosternitur. Persecutor deiicitur, prædicator erigitur. Audi enim hoc ipsum confitentem. Qui prius fui blasphemus & persecutor & iniuriosus, sed misericordiam consecutus sum. Nunquid ibi dixit, Reddet mihi iustus iudex? Misericordiam, inquit consecutus sum: mala merebar, bona accepi, Non secundùm peccata nostra fecit nobis: Misericordiam consecutus sum Debita mihi non sunt reddita. Si enim debita redderentur, supplicium redderetur. Non, inquit, accepi quod debebatur: sed, misericordiam consecutus sum.] Quod vas perditionis est, æterno deputatur supplicio, quod vas electionis, diuino imputatur beneficio. Itaque, si castigat Deus, reddit mala pro malis, & propria flagellat merita; si coronat, bona pro malis reddit, & sua dona compensat. Nec vnam quidem: sed triplicem coronam assecutus est Apostolus; volente Aquinate: etiam specialibus eius operibus debitam. [Vna est, quæ debetur martyribus: cap. 2. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit: & ad hoc est quod dicit, Bonum certamen certaui. Alia quæ debetur virginibus. Sap. 4. In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens: & ad hoc est Cursum consummaui. Tertia, quæ debetur doctoribus Prouerb. 4. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Prima, est meritum irascibilis; secunda, concupiscibilis; tertia, rationalis. Fuit enim ipse virgo, sicut dicitur. 1. Corint. 7. Volo omnes homines esse, sicut meipsum. Fuit prædicator, vnde 2. Timoth. 1. dicitur magister gentium, In quo positus sum ego prædicator & Apostolus, & magister gentium in fide & veritate. Fuit & martyr, sicut patet omnibus.] Vna, carnis est, altera mentis; tertia, totius hominis. [Age iam, ait Tertullianus, quid de eâ sentis, quum pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita, decertat? quum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio; quum denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpè, nedum per atrociora quæque ingenia pœnarum? Næ illa beatissima & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parcere debito tanto, vt hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit: hoc magis vincta, quod absoluta.] Corona igitur non solùm ei secundùm æternam prædestinationem reseruata est, sed & secundùm diuinam promissionem reddita. Absoluit martyrium Apostolus, recepit præmium. Nihil amplius debet, quia vicem reddidit per mortem: sed hoc præcipuè ac summè debet quod nihil iam debet; quia quod per iustitiam exsoluit, accepit per gratiam.

Augustin. l. 50. Hom. 24. cap. 2.

Triplex corona a Paulo apud Deum reposita.

Aquin lect. 1.

In Comment. 1. Pauli.

Tertullian. l. de resur. car. cap. 8.

ANAGOGIA.

Non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.

SAlua sunt Paulo sua munera. [Liberauit me Dominus ab omni opere malo & saluum faciet in regnum suum cœleste. Cui gloria in secula seculorū. Amen.] Redditum illi fideliter, quod liberaliter repromissum: non solùm autē illi, sed & omnibus qui dilexerunt aduentum eius. Ex quibus tria deducenda sunt. Primum est, aduentum Christi Domini esse diligendum: alterum, non tam voto quærendum quam officio: tertium, tunc regnum vnum ex cunctis electis conflandum.

Quoad

Quoad primum. Monuerat Hesychius diligendum esse aduentum Domini: nec reprobat Augustinus, quin & adductis aggerat testimoniis. [Diligendus ergo est, inquit, & expectandus Domini, sicut sanctè hortaris, aduentus; magnamque dicis esse beatitudinem diligentibus eius aduentum, & adhibes Apostoli testimonium, cuius verba sic ponis: De cetero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex in illâ die. Non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum Domini. Tunc enim, sicut ex Euangelio commemoras: Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Et quod Propheta dicit, Ecce enim caligo & tenebræ operient terram super gentes: in te vero apparebit Dominus, & maiestas eius in te videbitur. Tum & quod scriptum est: Qui vero expectant Dominum, exultabunt cum virtute, producent pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non esurient. Hoc planè piissimè & verissimè dicis, commendans eorum beatitudinem, qui diligunt aduentum Domini.] Quem desiderent Christiani, nisi Christi sui aduentum; quem expectent, nisi Domini sui conspectum? [Tota vita Christiani boni, ait Augustinus, sanctum desiderium est. Hæc est vita nostra, vt desiderando exerceamur.] Et hæc est differentia inter bonos & malos, quod boni desiderent aduentum Christi, mali reformident: hi metuant, isti diligant: in malis enim, timor pœnæ est, in bonis, amor gloriæ: mali, supplicium sibi præsentiunt imminere, boni gaudium sibi præsagiunt accrescere. Timet malus, sed ne citius vapulet, aut damnetur; timet etiam bonus, sed ne minus amet aut ametur. [Non potest, ait ille, meliùs explanari quid intersit inter duos istos timores, vnum quem foras mittit charitas, alterum castum qui permanet in seculum seculi: nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum vnam ita constituas volentem facere adulterium, de lectari nequitiâ, sed timere ne damnetur à marito. Timet maritum, sed quia amat nequitiam, ideò timet maritum: huic non grata, sed onerosa est mariti præsentia & si fortè viuit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt, qui timent ne veniat dies Domini. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, & nullâ se adulterij immunditiâ maculare: optat præsentiã viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Timet illa, timet & illa: interroga, quasi vnum tibi respondent. Vna vox est, sed diuersus animus. Iam ergo interrogentur quare? Illa dicit, Timeo virum ne veniat: illa dicit, Timeo virum ne discedat. Illa dicit, Timeo ne damner: illa dicit, Timeo ne deserar. Pone hoc in animo Christianorum.] Certè & boni & mali Christiani, perfecti & imperfecti idem dicunt, idem petunt, sed omnes fortè, certè plures quod petunt nesciunt. Malus enim, vti dixit Augustinus: [Contra se pugnat, quando orat & dicit, Veniat regnum tuum. Qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo ergo orat, qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiduciâ charitatis optat iam vt veniat. Sunt homines, qui cum patientiâ moriuntur: sunt autem quidã perfecti, qui cum patientiâ viuunt. Qui æquo animo moritur, iste patienter moritur. Qui autem desiderat dissolui & esse cum Christo, non patienter moritur sed patiẽter viuit, delectabiliter moritur. Vide Apostolũ patienter viuentẽ, id est, cũ patientiâ hic non amare vitam, sed tolerare. Dissolui, inquit, & esse cum Christo multò magis optimum: manere autem in carne necessarium propter vos. Ergo, fratres, (ita concludit) date operam, intus agite vobiscum, vt desideretis diem iudicij: aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari.] Qui enim perfectè diligit Christum, aduentum eius sincerè diligit.

Augustin. ep. 80. cit. med.

Augustin. Tract. 4. in epist. Ioan. vlt. med.

Aduentus Christi à Christianis diligendus est.

Augustin. Tract. 9. in epist. Ioan. vlt. med.

Augustin. eodẽ Tract. cit med.

Quoad secundum. Diligendus quidem aduentus Christi, sed non tam propinquitatis voto, quàm pietatis quærendus officio. [Illi, inquit Augustinus, quibus dicebat Apostolus Non citò moueamini mente, quasi instet dies Domini, diligebant vtique aduentum Domini. Nec eos hoc docens doctor gentium ab illâ dilectione frangebat, quâ vt inflammarentur volebat; & ideò nolebat vt crederent eis, à quibus audiebant instare diem Domini, ne fortè cum transisset tempus, quo eum crediderant esse venturum, & venisse non cernerent, etiam cetera fallaciter sibi promitti arbitrantes, & de ipsâ mercede fidei desperarent. Non ergo ille diligit aduentum Domini, qui eum asserit propinquare, nec ille, qui eum asserit non propinquare; sed ille potius qui eum siue propè siue longe sit, sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat Nam si tanto magis diligitur Dominus, quanto magis creditur & prædicatur citiùs esse venturus, magis eum diligebant, qui eius aduentum iam instare dicebant; quàm hi quos Apostolus eis credere prohibebat, vel ipse Apostolus qui hoc vtique non credebat.] Nihil mirabilius apparitione seu manifestatione Christi Domini, ideoque nihil Christianis ipsis optabilius. [Quonam autem modo, ait Chrysostomus, quis diligat aduentum Christi? Si de eius præsentia gaudet: qui vero in eius gaudet præsentiâ, digna gaudio facit. Opes omnes, si opus sit, atque ipsam animam ponet, vt bonis fruatur æternis, vt secundum ipsius aduentum congruo habitu mereatur aspicere cum fiduciâ, cum gloriâ, cum claritate: hoc est, diligere aduentum eius. Qui illius aduentum diligit, omnia faciet, vt antè vniuersalem illum, singularis fiat ad eum quidam Saluatoris aduentus. Quis verò iste est? Audi dicentem ipsum Dominum nostrum: Qui diligit me, mandata mea seruabit: & veniemus ego & pater, & mansionem apud eum faciemus. Considera quàm magnum, quàm singulare sit eum qui communiter omnibus adueniet, singulariter nobis aduentum suum polliceri. Veniemus enim, inquit, & mansionem apud eum faciemus. Si quis diligit aduentum eius, omnia aget, vt ipsum ad se inuitet & habeat, vt illi perpetuum luceat lumen: nihil in nobis resideat præsentiâ tantæ maiestatis indignum, & continuò ad nos veniet, nobiscumque morabitur.] Exploranda est conscientia, quid nobis promittat, quid ve

Aug. epist. cit. med.

Chrysost. Hom. 9.

Fiducia videndi Christi ex bona conscientia.

Augustin. Tract. 9. in epist. Ioan. post. init.

referat. [In hoc perfecta est dilectio in nobis, A vt fiduciam habeamus in die iudicij. Interroga ergo, ait Augustinus, quantum in charitate profeceris, & quid tibi respondeat cor tuum: vt noueris mensuram profectûs tui. Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die iudicij? Non timere ne veniat dies iudicij. Sunt homines, qui non credunt diem iudicij: isti fiduciam non possunt habere in diem, quàm venturam esse non credunt: nec timent, nec desiderant quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem iudicij: si cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta charitas. Nunquid autem desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quantum enim mortificat iste qui timere cœpit diem iudicii, membra sua super terram, tantum surgunt & corroborantur membra cœlestia. Surgentibus cœlestibus membris incipit desiderare quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus, & inueniret impium quem damnaret: desiderat vt veniat, quia inuenturus est pium, quem coronet. Iam cum cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero fit virgo interiùs ipsâ fide, spe & charitate. Habet iam fiduciam in die iudicij: non contra se pugnat, quando orat & dicit, Veniat regnum tuum. Ille igitur eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera.]

Quoad tertium. Duplex regnum est, vnum temporale & terrenum, alterum æternum ac cœleste: imò sicut illud temporale est, quia terrenum; sic & istud æternum est, quia cœleste. [Et saluabit in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum. Amen. Hæc est igitur salus, ait Chrysostomus, quando ibi fulgebimus. Eripiet me, inquit, ab omni peccato, ibique custodiet: hoc est enim saluum fieri in regnum, si hîc illius gratiâ moriamur.] Itaque sicut corona iustitiæ, non solùm reposita est Paulo, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. [Non ait, & tibi, inquit ille, sed omnibus.] Sic & palma victoriæ non solùm Apostolo reseruata est, sed & iis omnibus, qui cum gratiâ illius excedunt ex hac vitâ: sed sicut aliqui in hac vitâ maiorem acquirunt gratiam, sic & isti in alterâ ampliorem obtinebunt gloriam. Vnum tamen omnes constabunt regnum, quia vnum omnes reportabunt æternæ gloriæ præmium. Omnes reges, omnes sub Christo Domino coronam iustitiæ, palmam auxilio eius & merito gestantes victoriæ. [Resurgens, ait Augustinus, ascendit in cœlum: ibi ad dexteram Patris, non est venturus nisi in vltimo seculo ad iudicandos viuos & mortuos. Venturus est autem in claritate, non in infirmitate: daturus regnum, non quæsiturus hospitium.] Vnum electis omnibus regnum à constitutione mundi paratum est, vnum illis omnibus dandum in fine seculi. [Benè ergo regnum Dei petimus, id est, vt exponit Cyprianus, regnum cœleste, quia est & terrestre regnum. Nostrum regnum petimus aduenire à

Chrysost. Hom. 10.

Chrysost. Hom. 9.

Aug. serm. 14. de temp. cap. 6.

Cyprian. lib. de orat. Domi. cir. med.

Deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione quæsitum, vt qui in seculo ante seruiuimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut & ipse pollicetur & dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.] Inde, vt obseruat Chrysostomus: [Dicitur aduentus iste Græco vocabulo ἐπιφάνεια, quòd scilicet appareat desuper, ac supernè oriatur; διὰ τὸ ἄνωθεν φαίνεσθαι. Inquiramus ergo quæ sursum sunt, & radios illos celeriter ad nos attrahamus: nullus qui ad inferiora defigat obtutus ac seipsum in humum suffodiat, Solis lucem aspicere poterit. Nemo qui seipsum seculi negotiis inquinat, intendere aciem valebit in B liquidissimum iustitiæ Solem; nulli ex his lucis suæ largitur gratiam, qui in hisce versatur. Respice parumper & ex huiusmodi profundo, atque ex seculi turbine & tempestate te recipe, si Solem intueri cupis, si superni aduentûs gratiam appetis: si hoc interim suauissimo fruaris aduentu, magnâ postmodum fiduciâ illum aspicies. Noli igitur fluxis rebus confidere, vt possis firmiter subsistere. Cœnum ac lutum sunt secularia omnia: euellamur ab istis, ita enim frui poterimus aduentu Christi: feramus quodcumque superuenerit fortiter, atque constanter; summa in omnibus consolatio est hoc ipsum, quod propter Christum patimur. C Forti ac robusto animo opus est, & nihil graue nobis, durumque videbitur. Quocirca moneo magnâ cum alacritate cuncta feramus, Prophetamque imitemur, dicentem: Adhæsit anima mea post te. Non tantùm appropinquauit, sed etiam adhæsit, ac sitiuit te, non desiderauit solùm. Si Deo appropinquaueri mus, si illi affigamus nos, si ipsius sitiamus desiderio, omnia fient nobis quæcumque volumus, futurisque fruemur bonis: in Christo Iesu Domino nostro, cum quo est Patri, & Spiritui sancto gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.]

Chrysost. Hom. 9.

Pia anima non solùm propinqua Deo, sed & affixa.

D

SYSTASIS.

Ecce cursum consummauimus, & peruenimus ad finem; nihil tamen promouimus, si fidem non seruauimus charitate operantem, si per nutum humanum, & non per diuinum impetum cucurrimus. [Multi enim, ait Augustinus, dicunt, Credo: sed fides sine operibus non saluat. Opus autem fidei, ipsa dilectio est: dicente Paulo Apostolo, Et fides quæ per dilectionem operatur. Opera quidem tua præterita, antequam crederes, vel nulla erant; vel si bona videbantur, inania erant. Si enim E nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. Si autem bona videbantur; antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo, errabas potius quàm perueniebas. Est ergo nobis & currendum, & in viâ currendum. Qui præter viam currit: inaniter currit, imò ad laborem currit: tanto plus errat, quanto præter viam currit. Quæ est via per quam currimus? Christus dixit, Ego sũ via. Quæ patria quò currimus? Christus dixit, Ego sũ veritas. Per illum curris, ad illũ curris, in ipso conquiescis.] Sed si

Aug. Tract. 10 in epist. Ioan. init.

Christus via nobis simul & patria.

per illum currimus, per illũ etiam & in illo cõsistimus. Ita constituit Paulus, dũ extremã epistolæ suæ, [Modo, vt ait Aquinas, consueto, & manu suâ,] apponit clausulam. [Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum Amen.] Non solùm tibi diuina adsit gratia, sed & omnibus secundùm Deum ac Christum viuentibus, præsitque. [Nihil, ait Chrysostomus, hac oratione præstantius. Neque enim simpliciter dixit, Dominus tecum; sed, cum spiritu tuo. Nobiscum enim Deus esse non potest, nisi adsit gratia spiritualis.] Quæ gratia spiritualis? cœlestis, quæ à Spiritu sancto profecta, quæ Christi nixa merito, quæ gratuito, Dei collata beneficio, quæ procurat salutem, sed spiritalem, dum per fidem dilectionem inchoat; & per dilectionem, fidem consummat. [Saluemur ab ipso, ait Augustinus, ambulemus per ipsum. Hoc est credere quia Iesus Christus est, quomodo credunt Christiani, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed factis & vitâ: non quomodo credunt dæmones: nam & dæmones credunt & contremiscunt. Quid potuerunt plus credere dæmones, quàm vt dicerent, Scimus quis sis, filius Dei?]

Aquin. lect 3.

Chrysost. Hom. vlt.

Aug Tract. 10 in epist. Ioan post. init.

Triplex fides: vna carnalis, quæ Iudæorum: altera rationalis, quæ & dæmonum: tertia spiritalis, quæ Christianorum. Prima annuit, sed deuincta beneficiis temporalibus: altera scit, sed euidentibus argumentis conuicta. Tertia credit, sed solo Deo suffulta Ita Epiphanius ea quæ sunt fidei agressus. [Id, inquit, non meis viribus, aut priuatis ratiocinationibus fretus suscipiam: sed quatenus quidem Dominus omnium ac misericors Deus Prophetis suis aperuit, eorumque nobis beneficio, vniuersam rerum notitiam, quantum hominum natura fert, impertire dignatus est.] Illuminatur enim animus cœlesti luce, vt & carnali obscuratur cupidine. [Purgatur autem ille oculus magis magisque dilectione, (verba sunt Augustini) vt videat illam incommutabilem substantiam: cuius præsentiâ semper gaudeat, quâ perfruatur in æternum coniunctus angelis. Sed currat modo, vt aliquando in patriâ lætetur. Non amet peregrinationem, non amet viam. Totum amarum sit, præter illum qui vocat, quousque inhæreamus illi, & dicamus quod dictum est in Psalmo, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et qui sunt qui fornicantur? Qui discedunt, & amant mundum. Tu autem quid? Sequitur & dicit, Mihi autem inhærere Deo bonum est. Totum bonum meum est Deo inhærere gratis. Nam si interroges & dicas, Quare inhæres Deo? Et dicat, vt donet mihi. Quid tibi donet? Cœlum ipse fecit, terram ipse fecit. Quid tibi donaturus est? Iam inhæres illi. Inueni melius, & donat tibi.] Sic ergo ait ille, [Vnusquisque inspiciat se, appendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quæ faciat cum charitate, non ex-

Epiphan. tom 1, Pan. lib 1.

Aug Tract 9. in epist. Ioan. vers. fin

August ser 16. de verb. Apost. c. 7

A pectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei. Non enim quicquid Deus tibi promittit, valet aliquid præter ipsum Deum. Omninò me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi seipsum Deum. Quid est tota terra? Quid est totum mare? Quid est totum cœlum? Quid sunt omnia sidera? Quid sol? Quid luna? Quid exercitus angelorum? Omniũ istorum creatorem scio, ipsum esurio, ipsum sitio, ipsi dico, Quoniam apud te est fons vitæ. Esuriat & sitiat peregrinatio mea, vt satietur præsentiâ tuâ. Arrideat mundus multis rebus pulcris, fortibus, variis, pulcrior est ille qui fecit, fortior & clarior ille qui fecit, B suauior ille est qui fecit. Satiabor, cum manifestabitur gloria tua.]

Quicquid promittat Deus, non satiat nisi per seipsû.

Sed sicut suauiter conquiescitur, cum vni Deo inhæretur; sic & feliciter curritur, cum vni Deo studetur. [An verò, inquit Chrysostomus, non in maiore domo cernimus, vt illi famuli gratiam adipiscantur, qui non ea quæ sibi, sed quæ dominis placent totâ animi alacritate sectantur; neque durâ imperij necessitate, sed liberâ ingenuitate, atque affectione præcipuâ in domo omnia rite disponunt? Cum semper alacres aduolant, cum semper adsunt illorum obtutibus, cum nihil proprium quærunt, C cum dominorum commoda propria deputant. Quod si in rebus mundanis, is qui contemptis commodis propriis, domini commoda quærit; non sua despicit, sed maiora consequitur: multò magis in spiritualibus rebus. Contemne tua, si quæ Dei sunt assequi cupis. Despice terras, vt cœleste diripias regnum. Quæcumque in terris acquisieris, seruilia sunt: si illa despicias, in regiâ eris illustris. Ne quæso, quæ sunt nostra, curemus, vt sic maiorem illorum curam habeamus: despiciamus ea, vt maiori illa quiete possideamus.] In eo enim recipimus, in quo conquiescimus. Sed, vt & ille monuit: [Violentiâ & rapinâ opus est, neque enim in promptu D atque ad manus est regnum cœlorum. Non vides raptores quomodo fugiant, quomodo currant, quomodo omnia impedimenta dirumpant? Cursu opus est: nam protinus aduersùm te diabolus currit: & his qui præcesserint, tenere te iubet. Si autem viderit quod te deiicere nequeat, ne persequetur quidem. Ita ferè & nos facimus, qui cum raptores nostris se subduxerunt oculis, quasi desperantes, neque ipsi insequimur, neque alios ad eos tenendos hortamur, sed abire permittimus. Sic tu quoque initiò vehementi vtere cursu: cum impedientium conatus euaseris, cum longè à diabolo discesseris, nihil iam contrà conabitur, sed in tuto eris, bonisque frueris æternis: quibus nos omnes vtinam potiri contingat, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo est Patri & Spiritui sancto gloria, imperium & honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.]


Chrysost. Hom. vlt

Qui sua despicit commoda, repetit amplio-ra

Chrysost. Ibidem. in Moral

FINIS.





INDEX

MATERIARVM PRÆCIPVARVM quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

IN QVO PRIMVS NVMERVS PAGINAM, ſecundus columnam, littera lineam deſignat.

A

B

C

Euangelici

G

I

M

Monogamia

N

Q

R

S

T

V

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIANISSIMO GALLIARVM Rege concessi.

LVDOVICI XIV. GALLIÆ ET NAVARRÆ REGIS auctoritate sancitum est, Litterisque patentibus cautum; ne quis in Regno suo aliisue locis ditioni suæ ac imperio subiectis, intra viginti proximos annos in Priuilegio concessos, à die impressionis absolutè inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo ac ratione attentet Opus, quod inscribitur, *Paulus trino donatus eloquio seu triplex Pauli Theologia, positiua, moralis & mystica.* Auctore R. P. Georgio, Ambianate, Minoritâ Capucino, Professore Theologo: Præter eos quibus ipse concesserit Prohibitum insuper eadem auctoritate Regiâ, ne quis ex illius subditis eundem librum extra Regni limites imprimendum curet, aut quempiam, vbicumque fuerit ad id agendum instiget, sine consensu dicti P. Georgij Ambianatis, aut eorum quibus permiserit. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis 25. Iulij. 1658. De mandato Regis. Signatum, DV FRESNE.

Auctor cessit iure suo ad Editionem huius secundi voluminis, in gratiam Viduæ & Dionisij Thierry.